



Pro quassa 86

del glosario y de un tomo de 97
D. FRANCISCI R-10628

T O L E T I,
S O C I E T A T I S I E S V,
E T S. R. E. C A R D I N A L I S
A M P L I S S I M I,
I N S A C R O S A N C T V M
I O A N N I S E V A N G E L I V M
C O M M E N T A R I I

C V M T R I B V S I N D I C I B V S, V N O R E-
rum, altero eorum Scriptura locorum, qui velexpro-
fesso, et lobiter explicantur, tertio, haresum, qua in
hoc volumine confutantur.

A D D. N. S I X T V M V. P O N T. M A X.
Permissu Auctoris & Impressoris Romani.




DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. C. N.

2 400 40 **SEITE** MADE IN SPAIN

COLONIAE AGRIPPINAE
In Oficina Birckmannica, sumptibus
Arnoldi Mylij.

ANNO M. D. XCIX.

Cum gratia & Privilegio S. Cæsarea Maiestatis.



del Colegio de San Crisostomo de 97

D. FRANCISCI

R-10628

TOLETI,

SOCIETATIS IESV,

ET S. R. E. CARDINALIS

AMPLISSIMI,

IN SACROSANCTVM

IOANNIS EVANGELIVM


COMMENTARI.

CVM TRIBVS INDICIBVS, VNO RE-

rum, altero eorum Scripturae locorum, qui velex pro-
fesso, vel obiter explicantur, tertio, haresum, quae in
hoc volumine confutantur.

AD S. D. N. SIXTVM V. PONT. MAX.

Permissu Auctoris & Impressoris Romani.



DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
E. C. N.

COLONIAE AGRIPPINAE
In Officina Birckmannica, sumptibus
Arnoldi Mylij.

ANNO M. D. XCIX.

Cum gratia & Privilegio S. Cæsareae Maiestatis.



BEATISSIMO
SANCTISSIMOQVE
PATRI SIXTO V.
PONT. MAX.

FRANCISCVS TOLETVS.



Ndeuigesimus iam agitur annus, BEATISSIME PATER, ex quo in Apostolicum Palatium translatus à scholis, in quibus theologiam publicè profitebar, grauem hanc & laboriosam de rebus diuinis concionandi prouinciam utcunquè sustineo: ac proinde necessariò in sacrosancta utriusque pagine volumina quàm accuratissimè perlegenda: nec non veterum æquè, ac recentiorum libros tum græcorum, tum latinorum, summo studio peruoluendos incumbo. Quod ego dum facio, multa me interea scripsisse, & ad veteris pariter ac noui testamenti præcipuas partes adnotasse fateor; nihil tamen minus fore cogitabam, quàm ut ea, quæ mihi priuatim scripseram, in manus hominum aliquando peruenirent; neque enim illa post tam multa doctissimorum hominum scripta, aut aliqua ex parte necessaria, aut omnino digna credebam, quæ in lucem prodirent. Si quid verò edendum esset, statueram ab ijs maximè ordiri, quæ olim de scholastica theologia conscripseram; fecerunt tamen multi summo iudicio & auctoritate viri, non assidua tantum exhortatione, sed quotidiano fèrè conuicio, ut sententiam mutarem: putabant enim fore, si quæ diuturna commentatione, ac studio in sacros libros notata habebam, paulò accuratius descripta in commentariorum ordinem redegissem; ut eius rei ad communem multorum usum, atque adeo ad publicam rem ecclesiæ, non modica (ut illi quidem dicebant) utilitas permaneret: Hanc si diutius hominibus inuiderem, nec religiosè, nec piè, & susceptæ vitæ rationi parum congruenter esse facturum. Ego quanquam in hisce meis laboribus non tantum esse momenti existimabam, malui tamen sententiam mutare, quam dum in suscepto consilio perseuero, parum talibus viris obsequens, & in retinendo animi proposito pertinax potius, ac durus, quàm constans iudicari. Dum igitur ad rem animum adijcio, primum mihi Ioannis Euangelium occurrit, quod, tum ob rerum altitudinem & difficultatem; tum ob verborum obscuritatem, accurata & diligenti explicatione indigere videbatur: qua in re quantum præstitero, iudicabunt qui legent. Hoc quidem affirmare possum, me multum studij, plurimum temporis insumpsisse. Cæterum quale quale opus

euasit, tibi in primis, ac tuo nomini P. B. multis de causis dicandum fuit. Primum, ut re ipsa omnibus testatum esset, nihil me penitus ex meis scriptis probatum cuiquam esse uelle, nisi tuo prius iudicio, & istius sanctissimæ sedis sententia probaretur: & quidem ad res huiusmodi iudicandas, quamuis illa in te auctoritas non esset, quam Deus Optimus Maximus summam esse uoluit, tamen ea præcellis rerum diuinarum cognitione, assiduo quodam studio, & incredibili ingenij magnitudine comparata, ut opus theologicis mysterijs plenissimum nulli potius, quam tibi, hoc est, summo & acutissimo theologo, offerendum esset. Verum hæc fortasse ratio communis mihi cum cæteris uideri potest, illa peculiaris est, quod non publico tantum nostræ societatis nomine (quam suo instituto tibi deuinctam singulari benignitate tueris) sed Beatitudini tuæ etiam priuatim multis acceptis à te beneficijs obstrictus, gratianimi quoquo modo significandi comodiorem in præsentia rationem nullam omnino reperiebam. Atque hoc munus non iniucundum Beatitudini tuæ, nec ingratum futurum, vel ex eo etiam facile conijcio, quod multa in hoc opere agnosces, quæ in meis concionibus tanta assiduitate audisti; ut toto hoc fere iam triennio ab ijs, nocte maximæ, & grauissimæ occupationibus tuæ, nec affecta interdum, & infirma valetudo auocare poterint; ut non solum eximiam cuiusdam pietatis populo Christiano exemplum præbueris, sed apertè etiam ostenderis, in audiendo Dei uerbo non te tantum concionatoris eloquentiam in dicendo, quam ipsius uerbi præstantiam, ueritatemque requirere. Quod reliquum est, Deum omnipotentem, cuius personam sustines in terris,

enixè precor, ut ecclesiæ suæ sanctæ Beatitudinem tuam difficillimis hisce temporibus quam diutissimè tueatur incolu-
mem.


FRAN.

FRANCISCVS RODERICVS E SOCIETATE IESV LECTORI.



V Meo mandato superiorum & rogatu ipsius Patris Francisci Toleti, hoc etiam opus in Ioannis Euangelium perlegerem, quodam obseruaui, quæ si in hoc libri initio apponerentur, aliquid lucis etiam cæteris allatura credidi. Primum autem illud est, auctorem ne uel legentibus tadium, uel doctrinæ ipsi confusionem afferret & obscuritatem, sic opus hoc distribuisse, ut priori loco commentarium, deinde annotationes apponeret. Ac commentarius quidem nudam ac simplicem ipsorum uerborum interpretationem continet, ut si quis relictis alijs sensum tantum cuiusque loci desideret, eum ad manum habere possit. In annotationibus autem, quæ semper circa proximè præcedentia uerba uersantur, complura afferuntur, alia quæ ad uariam multiplicemque eruditionem, uel sanctorum Patrum intelligentiam, uel etiam errorum confutationem pertinent. Quibus etiam non pauca sæpe aspersa sunt ad mores spectantia, idque potissimum ad concionatorum usum, quæ quidem, ut uerè dicam, auctor inuitus addidit, quod alienum à scripturæ interprete iudicaret concionum materiam immiscere: sed tamen fecit compulsus, & pene coactus amicorum precibus, in qua re et persuadenda me quoque ipsum & aliquid elaborasse, & aliquid effecisse non diffiteor. Porro in annotationibus ipsis quid tractetur, breuis postilla seu summa uniuscuiusque initio ad marginem affixa, indicat. Insuper quæ uel ex sacra scriptura, uel antiquorum Patrum fontibus hausta sunt, quæ quidem sunt multa, eorum loca diligentissimè ac uerissimè afferuntur. Recentiorum autem, melius auctori uisum est, & ut in tali libro aptius, nullam omnino mentionem facere, sed eorum sententias si quæ incidant, tacitis nominibus adducere. Caterum nec illud quidem omittendum, illud et si quæ plurima & nouo & magno labore cõquisita, & omnino notata uel etiam

admiratione dignissima afferat, eam tamen ubiq; seruare, tum grauitatem, tum modestiam, ut nihil propterea sibi arroget, aut sua venditet; hoc uno contentus si hic eius labor Dei gloria & communi seruiat utilitati. mihi tamen visum est de hoc etiam ipso lectorem admonere, ne idcirco segnus hoc opus percurrens, minorem perciperet utilitatem, sed potius eam attentionem studiumq; adhiberet, quod merito tantæ lucubrationi debesur.



PRIVILEGIUM SVMMI
PONTIFICIS.
SIXTVS PP. QVINTVS
AD FVTVRAM REI MEMORIAM.



VM publicè multum interfit, & Nos eam ob causam valdè cupiamus; vt Commentaria illa cum Annotationibus in Diui Ioannis Euangelium, in Epistolam Pauli ad Romanos, & Summa casuum conscientia; quæ dilectus filius Franciscus Toletus Presbyter Societatis Iesu Theologus noster nuper confecit, quam diligentissimè fieri possit typis excudantur, & ne à quoquam eu negligentia, seu malitia mendis deformari, aut aliter depruari possint: ac præterea indemnitati eorum, quibus ille hoc imprimendi negotium dederit prouideri volentes: Motu proprio, & ex certa nostra scientia; omnibus Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus, ac Bibliopolis, quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & illius districtu, ac statu, & ditione temporalis Nobis & Sanctæ Rom. Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecta, quam etiam per totam Italiam, & extra eam vbiuis gentium ac locorum constitutis, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pena, à qua nisi à Nobis, vel Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolui possint; ac etiam Quingentorum Ducatorum auri de camera, pro vna eidem cameræ Apostolicæ, pro alia Accusatori, & pro reliqua tertijs partibus Impressoribus ab ipso Francisco commentariorum auctore deputatis, seu deputandis, vel eorum hæredibus, aut ab eis causam habentibus: nec non amissionis huiusmodi typorum, & librorum in totum eisdem Auctoris impressoribus applicandis pœnis auctoritate Apostolica tenore præsentium interdiximus & inhibemus; ne per Viginti annos à Data præsentium computandos, Commentaria prædicta cum annotationibus, vt præfertur, aut illorum partem, etiam quocunq; alio idiomate inuersa, absque licentia Impressorum à dicto Francisco pro tempore deputatorum imprimere, aut impressa vendere, seu venalia tenere audiant, vel præsumant. Mandantes vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, eorumq; Vicarijs, seu officialibus, in spiritualibus, generalibus, ac in dicto statu nostro Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs officialibus, vt quando, & quoties pro parte dictorum Impressorum à dicto Francisco auctore deputatorum requisiti fuerint, præmissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant; inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis; priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si ad verbum infererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunq;. Volumus autem, vt præsentium exemplis, etiam in ipsis voluminibus impressis, eadem vbiq; fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Sub Annulo piscatoris, Die XI. Nouembris,
M. D. LXXXVII.

Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Tho. Thom. Gualterutius.

IOANNES Iacobi maioris frater, Zebedei filius, à vico Bethsaida Galilææ regionis, arte piscator, Discipulus à Domino inter primoselectus; vnà cum cæteris vndecim Apostolus creatus, Euangelium vltimus omnium scripsit. Hic cum in tria aliorum Euangelia, quæ à quibusdam fidelibus ad ipsam allata erant, incidisset, vidissetq; hos tres in eo maximè sermone versatos, qui de Saluatoris erat humanitate, dogmata verò de eius diuinitate prætermisisse, ipsa quidem Euangelia admiratus laudauit, veraq; eos, & digna fide dixisse testatus est, ipse verò diuino motus spiritu de diuina Christi natura plura scribere, & quæ ab alijs præterita fuerant, enarrare decreuit. Hoc enim propter illius temporis hæreses, maximè Cherinthi diuinitatem Christi negantis, purumq; hominem, qui à Ioseph & Maria initium accepisset, affirmantis, necessarium iudicauit. Multis annis post captam Hierosolymam, fide iã patefcente, capacioribusq; fidelibus effectis ac multiplicatis, Euangelium in Asia conscripsit; id in causa fuit, cur altiora dogmata, & secretiorem doctrinam traderet, eaq; ratione motus, tandiu Euangelium hoc edere in lucem differret. Minus quàm cæteri Euangelistæ Græcè locutus est; Hebraicis phrasibus abundat, vnde fit, vt Hebraici sermonis peritia, non minus quàm Græci ad sensum sententiarum assequendum sit necessaria. Sunt autem duo alia in hoc Euangelio attendenda. Vnum est maximam vim in particulis causalibus, illatiuis, continuatiuis, cæterisque; eiusmodi esse positam, vt interdum vna particula integrum sententiæ sensum contineat, & ostendat. Alterum est in enarrandis Christi sermonibus, & concionibus, quod huic Euangelistæ maximè familiare ac proprium est, non omnes aut integras semper sententias, vt à Domino habitæ sunt, sed quæ præcipua, & ad rem maximè facere videbantur Ioannem descripsisse, & velut in epilogum redegisse, vt in ijs Christus agnosceretur. Hinc videre licet nonnunquam in eis connectendis, ac copulandis difficultatem, vt sibi non cohærere primæ facie videantur, quæ re vera multum consona, & coherentia sunt. Hæc omnia in ipsa pertractatione manifesta fient.

DOCTORIS
FRANCISCI TOLETI
E SOCIETATE IESV

IN SACROSANCTVM IOANNIS EVANGELIVM
COMMENTARIUM.

CAPVT PRIMVM.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomē erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non ceperunt. Quotquot autem ceperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre) plenum gratiæ & veritatis. Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiā pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: Et confessus est, Quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, non sum. Propheta es tu? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei: Quis es? vt responsum dæmus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? At: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit ei Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. Altera die vidit Ioannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est: quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. Altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulatorem, dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum. Conversus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister) ubi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo. Hora autem quasi erat decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Ioanne et secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Iesus, dicit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinum, voluit exire in Galileam: & invenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andrea & Petri. Invenit Philippus Nathanael & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege et Propheta, invenimus Jesum filium Ioseph à Nazareth. Et dicit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Prius quam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maioribus videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis caelum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.



PER A & gesta Christi narraturus Ioannes, conuenienti methodo ab ipso Christi, velut descriptione quadam, exordium sumpsit: cum autem Christus in vnica persona, & diuinam, & humanam complecteretur naturam, vtriusque considerationem perfecta doctrina exigebat. A diuina ergo, vt à priori, & potiori incipiens, ad humanam descendit perscribendam naturam. In quatuor autem partes hoc primum Caput diuidere possumus. in prima, quæ ad diuinam Christi naturam: in secunda, quæ ad humanitatem, & incarnationem eius spectant, traduntur: in tertia huius mysterij, aliqua adduntur testimonia: in quarta denique nonnullorum discipulorum ad Christum narratur accessus. Incipit ergo, quæ ad Christi diuinitatem spectant, exponere.

In prin-

In principio erat verbum.

COMMENTARIVS.

Genes. 1.

MOSEs in principio Deum verbo suo omnia creasse promulgans, verbi huius antiquitatem, qualitatem, & naturam non expressit. Hæ enim veritates quia populi illius capacitatem, ac testimonij veteris dignitatem superabant, Euangelicæ perfectioni erant reseruatæ. Euangelista ergo noster supplens, quod veteri defuit, has palam enunciat, & præueniens exordium illud vetus, quod à creatione incepit. quæ ante creationem erant, reuelat. Vt si initium hoc Ioannis, illi Genesis principio conferamus, Euangelium supplementum esse veteris instrumenti, cum Tertul. lib. aduersus Hermogenem, liceat affirmare. Verbis igitur propositis prima veritas, nempe antiquitas verbi reuelatur. in principio, inquit, erat verbum, Principiū appellat, quando, quod factum est, esse incepit, & ante quod nihil factum est. In hoc principio verbum erat. Si verbum tunc incepisset, dicendum erat, in principio factum est verbū; at dictum est, in principio erat, quasi ante omne principium creaturæ semper existens: hæc est æternitas verbi. Si enim aliquando incepit, in principio non erat, quod enim in principio erat, ipso principio antiquius esse necesse est. Non igitur decipiatur ludæus, existimans illud verbum, quo, Deus fecit caelum & terram, cæteraque omnia, tunc incepisse, quando facta sunt. erat enim antiquius principio omnium, quæ facta sunt, & esse incepit. Est autem cum articulo græcè vox illa verbum, vt eximiū & primum illud Verbum, quo facta sunt omnia, significetur.

ANNOTATIO PRIMA.

Hoc loco cũ vulgatale gendum verbi. m. nō sermo aut ratio.

CV **M** λόγος apud Græcos multiplicem habeat significationem, factum est, vt non omnes eodem modo hanc vocem interpretentur. Quidam enim legunt loco verbi sermonem, nempe Hilar. lib. 2. de Trin. & Ambr. lib. de Fid. con. Arian. cap. 2. Cypri. lib. 3. con. Iudæ. c. 3. & 6. Tertul. autem in Apol. c. 21. legit sermonem, & rationem. tamen lib. aduersus Praxeam affirmat per simplicitatem catholicorum inducū esse, vt legatur sermo, cum potius legendū esset, in principio erat ratio: nam ratio est ante sermonem. Et Origen. Tom. 1. in Io. vtroque exponit modo, & rationem, & sermonem. August. etiam Tract. 118. illud Ioan. 13. sermo tuus veritas est, exponit de Filio, de quo dictum est, in principio erat verbū. idem August. Tract. 1. & Amb. lib. 1. de Fid. c. 5. & Hilar. lib. 1. de Trin. legunt verbum. Nam apud antiquos Doctores modò vnum, modò alterū reperitur. Causa autem huius rei est, quia, vt diximus, verbum λόγος varia significat: nempe, verbum, sermonem, orationem, rationem, virtutem, formam, definitionem, pactum, opus, & alia multa: tamen conuenientissimum omnium est nomen verbi, quod Latina Ecclesia iam cōmunissimè recepit. Augu. lib. 83. quæst. cap. 63. dicit rectius dici, in principio erat verbum, quàm in principio erat ratio: cuius causam assignat, quia rationis nomen non designat processionem à Deo, quam vim habet nomen Verbi. Nam verbum, loquentis verbum est, quod Deo magis proprium est, cuius verbum ab ipso procedit. Adde, rationem reperiri in eo, qui adhuc non actū intelligit, at verbum non est, nisi in intelligentibus actū, quod

A maximè Deo conuenit: nec ratio est prior verbo interiori in Deo, qui actū semper, & ab æterno intelligit. Adde etiam, sermonem quandam compositionem significare, verbum autem simplicitatem: hæc autem magis conuenit Dei locutioni, quæ vnica, & simplicissima est nec pluribus constat verbis: nec obstat, sermonem esse perfectionem, quia totus sensus sermone clauditur. Nam vnicum etiam verbum aliquando integram sententiam complectitur: & verborum multitudo ex imperfectioe audientium, & loquentium procedit. Præterea, quia verbum, quod est conceptus mentis, & similitudo quædam rei intellectæ, diuino Verbo maximè cōgruit, quod est Dei imago perfectissima.

ANNOTATIO II.

VERBUM ad locutionem pertinet. Tria autem personarum genera locutionem, seu sermonem habere frequentissimè ex Scriptura didicimus. Primus est Deus, qui locutus sæpe legitur. secundus Angelus, cuius voces passim narrantur: tertius homo, cuius locutionem experientia demonstrat. Legitur aliquando in Scriptura irrationale animal voces protulisse humanas, sed non est ea locutio censenda, si vox ad ipsum referatur, sed sonus quidam similis humanæ voci: loqui enim eorum est, quæ loquuntur, apti sunt percipere intellectū: vbi igitur intelligentia deest, locutio propria non est. Est autem locutio duplex, vna exterior, altera interior; quod in homine facile experimur. Exterior est, quæ sensibili locutione voce fit, & ad aures pertingit: Interior est,

Loqui solius est intellectus. Qualis natura.

De interna & externa locutione.

quæ intra cor hominis exercetur, qua secum ipsemet homo loquitur: & hæc ad intellectum præcipue, & per eum ad imaginationem pertinet. de qua Psalm. 9. dicitur, Dixit in corde suo, non mouebor. & Ecclesiast. 1. locutus sum in corde meo dicens. Si has conferamus inuicem, illa posterior, hæc prior est: quæ enim interius locuti sumus prius, postea proferimus exterius. Præterea, illa huius est causa: nisi enim interius loqueremur exterior cessaret locutio: ut autem interior causa est exterioris, sic & exterior nota est, & signum interioris. Utimur enim exteriori, ut ea, quæ interius occulta sunt, explicemus, & alijs nota faciamus. Rursus interior sine exteriori aliquando fieri potest, imo sepe fit, exterior autem sine illa, nullo pacto fieri potest. Hæc eadem duæ locutiones de Angelo leguntur: exterius enim læpe locutum Scriptura testatur, voces enim eius perceptæ sunt, sicut hominum: quod non fieret nisi exterius loqueretur, quamuis hanc non ut homo, habeat locutionem. Homo enim instrumentis proprii corporis ad eam proferendam utitur; at Angelus corpore proprio carens, non instrumentis proprii corporis, sed sua virtute spiritali eas format voces & sonos, in aere, aut intra auditum, aut imaginationem audientium. Hac locutione usus est Angelus, quando B. Virgini Luc. 1. mysterium incarnationis annunciauit. Interiori autem locutionem necesse est Angelum habere. ut enim diximus, exterior esse non potest, nisi præcedat interior. quæ enim prius intra intellectum concepimus, & locuti sumus, postea exterius pronuntiamus. Loquitur igitur Angelus intra se suo intellectu, & inde fit, ut extra se aliquando loquatur. Ascendentes ergo ad altiora, dicimus Deum etiam habere locutionem exteriori, quam non corpore exercet, qui incorporeus est; sed sua virtute, aut in animis hominū format, aut in exteriori medio, ut sensibilibus audiatur. Sic illa verba Matth. 3. & 17. à Deo sunt prolata: Hic est filius meus dilectus: & hac exteriori locutione, locutus est Deus Adæ, & multis antiquis Patribus, & Prophetis. Ex qua locutione exteriori, necesse est colligere, & inferre, esse etiam Deo locutionem internam. nec enim extra se loqui posset, nisi intra se loqueretur, & conciperet, quæ nota facere exterius vult. Interior enim locutio esse sine exteriori potest: hæc autem sine interiori esse, nulla ratione potest. De qua interiori & diuina locutione, est illud Psalm. 2. Ego dixi, filius meus es tu. Nemini enim extra se dixit Deus, filius meus es tu: quia nemo extra Deum filius est verus, & naturalis Dei. Cum igitur triplex sit locutio, hominū, Angelorum, & Dei, eaque exterior, & interior, sequitur esse triplex verbum, hominum scilicet, Angelorū & Dei: & hoc adhuc duplex, interius, & exterius. Noster Euangelista dicens, in principio erat verbum, non de humano, nec de Angelico loquitur: Si enim homo & Angelus non erant in principio, nec verba eorum esse poterant: sed loquitur de verbo Dei. nec adhuc de externo verbo. hoc enim

incoepit esse, quæ enim extra se Deus verba profert, creata sunt, vnde non erant in principio, sed facta sunt. Verbum igitur illud internum Dei, quo intra se loquitur, quod in seipso concipit, & quo intelligit, illud est, de quo dicitur, In principio erat Verbum. hoc est, æternum, antiquitate vincens omnia, quæ extra Deum sunt. Ut enim necessarium est Deum ab æterno intelligere; ita necessarium est eius verbum, & mentis conceptum, sine quo intelligentia non est, ante omnia, & ab æterno esse.

ANNO TATIO III.

EST autem multiplex differentia inter verbum hoc Dei, eiusque internam locutionem, & nostram, atque etiam Angelicam. Verbum enim nostrum, non est coæuum suo principio: antiquior enim est mens nostra, quam eius intelligentia, & locutio: prius enim fuimus, quam intelligeremus. Et quamuis Angelus creatus sit intelligens; tamen multa postea intellexit, quæ ante non intelligebat. At verbum, & locutio Dei coæua & coæterna est ipsi Deo. si enim aliquando non intelligeret Deus, & postea intelligeret, utique de non intelligente fieret intelligens, mutabilisque esset, quod eius natura repugnat. De hac coæternitate exponunt August. lib. 6. de Trin. ca. 2. & Ambros. lib. 5. de Fide cap. 5. præsentem sententiam Ioannis, In principio erat verbū. Ut enim semper Deus intelligens est, sic semper Verbum eius est, nec vnum altero est antiquius. Secunda, verbum Angeli, & nostrum substantia non est, sed accidens quoddam menti inhærens; at in Deo omnino id esse non potest. cum enim simplicissima sit natura, accidens non admittit in se, vnde verbum eius subsistens est, & substantia. Hanc differentiam notauit Athan. orat. 1. cont. Arian. & lib. de definitionibus, vbi triplex distinguit verbum, substantiale, in æternum, & enunciatiuum: substantiale appellat Dei verbum. Idem notauit Orig. lib. 1. Periarch. cap. 2. & Damas. lib. 1. de Fide, cap. 7. Tertia est, verbum nostrum, & Angelicum, cum accidentia sunt, non sunt natura ipsa Angeli, aut nostra, nam natura substantia est, at verbum Dei idem est cum ipsa natura, & essentia Dei, cum enim sit substantia, & in Deo nihil possit esse alienum à Dei substantia, necesse est esse eandem substantiam cum Deo, quam differentiam aduertit Ansel. lib. Monolog. cap. 28. Quarta est, Angelorum, & hominum multa sunt verba, quod quidem duplici defectu procedit. Alter est virtus eorum limitata; non enim omnia simul cognoscere vno actu possumus, ideo necesse est multiplici actu multa cognoscere, quamuis enim contingat vno multa percipere, non tamen tot, ut omnia simul intelligere valeamus. Alter est mutabilitas, mutabilis enim naturæ cum simus, ab hoc actu, & intelligentia cessamus, & ad alia conuertimur; Dei autem verbum vnicum est semper existens, quia mutabilis non est Deus, omnia complectens, quæ valent cognosci, quia diuinus intellectus virtutis est infi-

Verbum Dei multipliciter differt ab humano, & angelico. 1.

est infinite, vno ergo actu, & verbo semper existenti & totam suam essentiam, & quæ potest cuncta facere, cognoscit. quam differentiam probat Athan. orat. 1. citata, ex duabus his à nobis adductis causis, docet etiam Ansel. lib. Monolog. cap. 29. Quinta est, verba nostra, & Angelica infirma sunt, quantuncunque enim multiplicemus verba, non fiunt, quæ volumus, verbis. sed viribus, at verbum diuinum omnipotens est, cum sit eiusdem naturæ cum ipso Deo, cuius est verbum, Hoc igitur verbum est, de quo Ioannes enunciat (In principio erat verbum.)

ANNO TATIO III.

QUAMVIS in Commentario, quid vox illa (principio) significet, explicauerimus, tamen ut expositio magis confirmetur, considerandum est, qualiter à sacris exponatur doctoribus, quorū sunt variæ expositiones. Vna est affirmatiua hoc principium esse Patrem, primam Trinitatis personam, à qua processio Filij, & Spiritus sancti originem habet, quique principium est Filij, vnaque cum Filio principium est Spiritus sancti. sic exponunt Orig. Hom. 2. in diuersos, sine auctor illarum Homiliarum. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 1. & Aug. li. 6. de Trin. cap. 2. & tunc sensus est. In primo omnium principio, qui est æternus Pater, verbum erat. Sed huic expositioni illud obstat, quod verbum (erat) quandam antecessionem respectu principij importat, ut sit sensus ipsomet principio prius erat, quod de Patre dici non potest. Altera est, hoc principium esse ipsummet Filium, qui principium est, quia per ipsum facta sunt omnia, ut sit sensus. In principio erat verbum, id est ipsum verbum erat principium. Sic exponit Orig. Tom. 1. in Ioan. & Hom. 1. in Genes. quam expositionem insinuat Hieron. in illud Psalm. 109. Tecum principium, sed violenta est locutio hæc, & inusitata. Tertia est, cuius meminit Orig. Tom. 1. in Ioan. in fine, principium hoc esse sapientiam, sitque sensus. In sapientia erat sermo, quia sermo, seu verbum ex sapientia est, tamen cum

verbum Dei sit ipsa sapientia, non rectè dicitur in sapientia est verbum. Quarta est, principium hoc esse, generale principium existentiæ, quado incipit esse, quod factum est, ante quod nihil factum erat, ut sit sensus: In principio quando incoepit esse quidquid factum est, iam verbum erat, ut nullum sit principium existentiæ eorum, quæ sunt extra Deum, quod non præcesserit verbum, ista expositio est Basilij Hom. in hæc verba Ioannis, Chryf. Hom. 2. in hoc loco, & August. lib. 6. Trin. cap. 2. & eam approbat lib. quæst. ex utroque testamentum, cap. 122. & Ambros. lib. 1. de Fid. cap. 5. & hæc est legitima. Idem enim est in principio erat verbum, id est, ante quodcunque principium, in quo aliquid factum est, verbum erat. Vnde sequitur non incoepisse verbum, si enim incoepisset esse, iam non erat in principio, quia tale principium non antecessit, illud enim verbum (erat) quandam antecessionem, uti sacri Doctores prædicti notant, ad principium, quo cuncta existere inceperunt importat.

Adueit tamen sacros Doctores excludere, & reijcere ab hoc loco quandam significationem principij: aliquando enim sumitur pro principio operis, sicut dicimus, principio sunt fundamenta domus, id est, primum, quod fit, quando domus ædificatur, fundamentum est. quomodo August. lib. quæstion. in utroque testam. cap. 122. exposuit illud Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, id est, prima, quæ creauit, fuerunt cœlum, & terra, hoc in loco non sic posse sumi notant Origen. Tom. 1. & Chrysol. Hom. 2. in Ioan. & August. loco proximè citato, & ratio est Aug. manifesta, quia tunc non diceretur, in principio erat verbum, sed in principio factum est verbum, sicut non dictum est in principio fuit cœlum, & terra, sed in principio creauit Deus cœlum & terram. Verbum igitur quod sequitur, (erat) conuincit non posse principium accipi pro principio operis, & hoc probat verbum non esse factum, sicut facta sunt cœlum, & terra,

Et verbum erat apud Deum.

COM MENTARI VS.

VERBI existentia in præcedenti enunciatione exposita, verbum nempe in principio, & ab æterno erat, secundam Euangelista adiungit enunciationem, que veritatem alteram continet, & quasdam velut substantiæ verbi differentias describit. *Verbum, inquit, erat apud Deum, sensus est, verbum hoc non erat solitarium, sed ad Deum ipsum referebatur, cuius erat verbum, sine dicente enim, verbum esse non potest. Nec etiam erat ab ipso Deo seiunctum, aut separatum. intellectuale namque verbum ab intellectu, cuius est verbum, non seiungitur. Non quidem tanquam res adiacens, aut inhærens, sed velut aliquid subsistens, à Deo ipso, cuius verbum erat, distinctum. Erat ergo verbum apud Deum. Hæc omnia Ioannes breuissima sententia complexus est, nimirum verbum hoc æternum, esse Dei ipsius verbum, non Angeli, aut hominis, creaturæ vel alicuius, erat enim ante omnem creaturam. Rursus verbum hoc non esse extra Deum, sicut sunt creaturæ, sed intra ipsum, & in ipso.*

ipso. Præterea non esse in Deo, quasi accidens aliquod, quod non per se subsistit, verbum enim hoc erat persona subsistens, sicut & Deus, cuius verbum erat, ab eo tamen distincta. propter hæc omnia dictum est, *Verbum erat apud Deum.*

A N N O T A T I O V.

NON aduersantur expositioni nostræ ea, quæ Doctores sacri varijs in locis adnotarunt, sed potius illam confirmant, & illustrant, qua de causa illa in medium adducam. Primò, dum verbum apud Deum dicitur, non esse verbum hoc, sicut hæc verba nostra prolata, demonstratur, nam quæ exterius proferuntur, transeunt, at verbum illud permanet indiuisum semper à Deo, ita Hilar. lib. 2. de Trinitate aduertit. Loquentium, inquit, sermo, nec est antequam loquantur, & cum locuti erunt, non erit, in eo autem ipso quod loquuntur, dum finiunt, iam non erit id, vnde cœperunt, sed piscator meus aliter pro se, & obiurgauit te prius, cur negligēter audieris, nam etsi sententiam primam rudis auditor amiseris, in principio erat verbum, de sequenti quid queris, & verbum erat apud Deum, id quod in principio erat, non in altero prædicatur esse, sed cum altero. Hæc Hilar. qui significat, ideo verbum dici apud Deum, quia cum Deo semper est, & permanet. Secundò, dum apud Deum dicitur, significatur non esse verbum hoc, sicut verbum, quod locutus est Deus ad Prophetas, de quibus sæpe dicitur: Audite verbum Domini, hoc enim extra Dei substantiam est, & creatum quid, finem & principium habes, at verbum illud apud Deum est, id est, intra Dei substantiam, & ipsamet ipsius natura, & ob id apud Deum erat. ita exposuit Epiph. hæref. 93. sic inquit. Ne in prolatione, sed in substantia solida, passionis experte Deum verbum ex Patre intelligamus, dicitur. erat apud Deum. Tertio, quod apud Deum erat, quandam habet distinctionem ab eo, apud quem erat, nemo enim rectè apud se esse dicitur, vnde verbū distinctum est ab eo, apud quem est, non quidem distinctione substantiæ, sed personæ, seu hypostasis, alia enim persona verbum, alia persona illa, apud quam erat verbum, quod rectè Ioannes docuit, vt hæc personam hominem esse

factam, non illam, apud quam erat, demonstraret. Hoc annotat Basilius Hom. in hæc verba Ioan. (Verbum erat apud Deum) admirare, inquit cuiuslibet vocis virtutem, non enim in Deo verbum erat, sed apud Deum, vt hypostaseos proprietates consistat, non enim dixit in Deo, ne auferendæ hypostaseos occasionē daret. hæc Basilius. et aduertenda est ex Basilio causa, cur non Dei, aut in Deo esse. cum id verè dici potuisset, sed apud Deum dictum sit, nam hac loquendi forma hypostaseos distinctio significabatur. Quarto, cum, apud Deum, dicitur, quandam verbi à Deo processione significat, quod Tertul. aduer. Praxeam considerauit, sermo, inquit, in principio apud Patrem, non Pater apud sermonē, nam etsi Deus sermo, sed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem. hæc Tertullian. Quintò, dum dicitur apud Deum, quādam etiam æqualitatem verbi cum Deo ipso demonstrat, quod subtiliter aduertit Greg. Nise. Homil. de Fide, sic dicens, Apud Deum significat, quod nihil desit Filio in comparatione Patris, cum toto namque Deo totum simul consideratur verbum, nam si quid Deo deesset in sua magnitudine, vt non posset apud totum Deum esse, prorsus necesse esset, vt existimarem abscq; verbo esse eam Dei partem, quæ verbo superior est, ac maior. Cum tota igitur Dei maiestate verbi maiestas simul consideratur, & locum non habet in diuinis doctrinis, vt maius vel minus dicamus. hæc Grego. nec huius Doctoris intelligas verba, quasi Deū diuisibilem, & partes habere sentiat, sciebat enim optimè Deum impartibilem esse, sed in vna impartibili essentia, & natura infinitas continet perfectiones, quas omnes, & singulas verbo non comprehenderet, nisi id ipsum æqualem haberet infinitatē, ex his ergo sacris Doctoribus quot, et quam graues sub breuib; verbis sententias Euangelista concludat, manifestum est.

Et Deus erat verbum.

C O M M E N T A R I V S.

HAEC est tertia veritas, naturam, & substantiam verbi manifestans, & sic legenda est quantum ad sensum. Verbum erat Deus, vt enim inciperet Ioannes à voce præcedenti, quæ erat, Verbum erat apud Deum, vsus est conuersa enunciatione (*Et Deus erat Verbum*) ab ea enim voce, in qua desinit, incipere voluit. Ordoq; prolationis distinctus est ab ordine constructionis, vt fieri aliquando solet. Non solum autem Ioannes verbum Deum esse, & naturam increatam habere pronuntiat, sed tacitè alias duas sententias, & veritates insinuat. Vna est, eiusdem esse naturæ, & consubstantiale ei, apud quæ est, hanc veritatem eo insinuat, quia doctrinam Moysis perficiens, eundem cum ipso Moyse Deum profitetur, verbum enim apud hunc Deum erat, cumq; nõ sit nisi vnus Deus, vt ipse Moyses postea confessus est, consequitur, si verbum Deus est,

Deus est, vt sit vnus, & eiusdem substantiæ cum eo, apud quem est. Altera est, sic esse vnus, & eiusdem substantiæ cum eo, vt sit ab ipso procedens. Ea enim de causa cum dixisset (verbum erat apud Deum) articulum posuit, nempe apud ipsum Deum, vt intelligeremus patrem, & Deum, à quo verbum procedit. Quando autem dixit, verbum erat Deus, remouit articulum à Deo, non vt inæqualitatem naturæ significaret, quod peruersè Arriani intulerūt, sed vt processionē ipsius insinuaret, quia licet verbum sit Deus, & eiusdem substantiæ cum eo, apud quem est, ab eo tamen producitur, Deus de Deo, idem quidem cum Pater, sed procedens à Patre, habens eandem substantiam, sed quam Pater à nemine, verbum à Patre accipit.

A N N O T A T I O VI.

*Confutatio
hæresim Euno-
mij negantis
Filij Diuini
tatem.*

IN maiorem harum trium sententiarum declarationem considerandum est, an verbum hoc, quod erat in principio, & erat apud Deum, sit Dei Filius. Antiqua fuit hæresis Eunomij, & aliorum affirmantium verbum, & Filium duo esse distincta. Dicebat enim Eunomius duo esse verba Dei, vnum internum, & connaturale Deo, alterum externum, quod verbum dici affirmabat, quia recipit verba Dei ab ipso Deo, & annuntiat nobis, hoc existimabat non esse connaturale, seu consubstantiale Deo, sed creatum, & tale verbum esse Filium Dei, non autem illud prius. Exponebat autem verba Ioannis sic, vt illæ duæ sententiæ, In principio erat verbum, & verbū erat apud Deum, de priori verbo procederent, tertia autem (Deus erat verbum) de posteriori, quod verbum est Dei Filius, & interpretabatur Deum dici, non quidem secundum naturam, sed secundum similitudinem quandam. Huius hæresis meminerunt, & eam impugnarunt Cyril. lib. 1. Ioan. cap. 4. & libr. 7. Thesau. cap. 2. & 4. & per totum illum librum, similiter Athan. Serm. 4. contr. Arian. & alijs in locis, & Ambr. libr. de Incarnationis Dominicæ sacramento, cap. 6. Vtebatur Eunomius aliquibus argumentis ad hæresim suam confirmandam, quæ Cyril. adducit, & soluit, quorum vnū in præsentem proponam ex illo Psalm. 2. sumptum. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. signatur Dominus, nempe Pater loquitur Filio, Filius non est verbum, quo loquitur Pater, sed is, cui loquitur Pater, verbum autem medium est inter Patrem, & Filium. Iudicabat iste hæreticus de rebus diuinis, vt de humanis, cum diuina longè distent, & infinitè superent humana, & Patrem loqui ad Filium, vt pulchrè docuit Augustinus Tract. 40. in Ioan. non aliud sit, quam ipsum gignere scientem, & intelligentem, Pater enim Filium generat, & ipsa generatione communicat totam scientiam suam, & hoc est loqui ad eum. Filium autem accipere generatione substantiam, est generari; accipere autem scientiam eandem Patris, est audire à Patre. Filius ergo procedens à Patre ipsum est verbum, quo loquitur Pater, & ipse est, qui audit, & cui loquitur Pater. Catholica ergo fides tenet vnicum esse verbum, quod erat in principio, & quod erat apud Patrem, & quod erat Deus, & hoc est consubstantiale Patri, & Dei Filius. Refellunt etiam eandem hæresim verba eiusdem Ioann. 1. Epist. cap. 1. quæ erat,

A inquit, apud Patrem, & apparuit nobis, quibus expressè docet, quod erat apud Patrem, seu Deum, illud idem verbum factum hominem, & apparuisse nobis. Ipsemet enim Euangelista seipsum explicat, modò verbum, modò Filium, modò vnigenitum vocans, nec opus est amplius huius hæresis impugnationem proficere.

A N N O T A T I O VII.

CV M Dei Filius simul verbum sit, dubitare aliquis posset, cur à Ioanne potius Verbum, quam Filius, dictus sit. Pro huius solutione aduertit debet, aliud esse interrogare, quare Filius Dei verbum dicatur, aliud quare Ioannes hoc in loco verbum potius, quam Filium appellet, non enim easdem rationes, & causas vtrumque habet, nempe, & quod verbum sit, & quod ab euangelista potius verbum, quam Filius sit dictum. In hac Annotatione, quare Filius dictus sit verbum, in sequenti verò, quare verbi nomine Euangelista vsus sit, discutietur. Cyril. lib. 7. Thesau. cap. 4. refert Eunomium dicentem Filium dici verbum improprie, quia audit, & recipit verba, & reuelationes à Patre, & nuntiat nobis, vnde verbum ab effectu dici existimabat. Hic hæreticus consubstantialitatem Filij ad Patrem, esse que verbum eius internum negabat, quam hæresim in præcedenti Annotatione reiecit: Qui autem Filium Patri consubstantialem consententur, aliter huic interrogationi satisfacere videntur. In primis Origen. Tom. 1. in Ioan. affirmat Filium Dei dici Verbum, sicut dicitur lux, & resurrectio nostra, nempe eo quod causa est lucis, & resurrectionis nostræ. Dupliciter autem hoc nomen Græcum λόγος interpretatur, & pro ratione, & pro sermone, dicitque Filium Dei dici rationem, & dici sermonem ab effectu, rationem quidem, quia ab hominibus, quod à ratione alienum est, expellit, ipsos veritati suscipiendæ disponit, eiusdemq; capaces facit; sermonem autè, quia occulta Patris reuelat, & manifestat, sicut inferius dicitur, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Nō discordat ab hoc Aug. lib. quæst. ex vtroque testam. cap. 122. qui Filium Dei sermonem dici affirmat, quia per eum nobis Pater loquitur, quæcunque vult. Aliqui moderni dici verbum asserunt, quia promissus est, & pronuntiatuus verbis Prophetarum. Rationes hæc veram causam, cur Filij Dei

*Quare Filius
Dei dicatur
verbum.*

Ius Dei Verbum sit, non expriment, nam, & Spiritus Sanctus verbum filij dici posset, quia, quæ filij sunt, nobis reuelavit. Ioa. 14. De meo accipiet, & annuntiabit vobis, imò Basil. lib. 5. cont. Eunom. Sp. Sanctum verbum Filij hac de causa appellavit, similiter Sp. Sanctus promissus est, & per Prophetas, & à Christo: at Filius Dei particulari, propria, æterna, absolutaque ratione verbum est, & hac nunc quærimus rationem, seu causam. Cyril. lib. 7. Thesau. cap. 1. respondet, sicut Filius propriè, & per se Filius est, quia genitus est, non autè quia filios facit homines, ita & verbum est per se non facta comparatione ad nos, sed in se, & ab æterno, quia mente, & intellectu paterno producit, & rem cognitam exprimit. Hæc ratio Cyril. est verissima, vt enim filius dicitur Dei, quia de eius substantia est genitus, sic Verbum, quia ex eius mète, & intellectu procedit. Ob id Ioannes Verbum, inquit, erat in principio, & apud Deum, quia ab æterno Filius, ab æterno Verbum Patris. Qui autè Catholici Doctores verbum ab effectu appellarunt, id tantù voluerunt affirmare etiam verbum dici tali ratione posse, non quod ista sit prima & præcipua, sed accessoria, & hoc verum est. Verbum enim est Filius Dei, in quo nobis locutus est Pater, vt dicitur ad Heb. 1. Nouissimè locutus est nobis in Filio. Hac de causa Amb. li. de Fide contra Aria. c. 6. vtrâque assignavit causam, Verbù, inquit, dicitur, quia ex ore altissimi processit, & pater sine eo nihil iussit, aut fecit.

Quatuor de causis Filij Dei dicitur Verbum.
 Basil. in Hom. super hæc verba Ioan. cur Filius Dei Verbum sit dictum, quatuor dat causas: prima est, vt Filium Dei mente Patris productum significetur, hæc est præcipua & propria: altera est, vt significetur Filium Dei sine motu processisse: tertia est, quia imago est genitoris totum in se monstrans genitorem, sicut verbum nostrum totius cogitationis nostræ imaginem refert: quarta est, vt consubstantialitas ad Patrem significetur, verbum enim manet intra ipsam mentem producentem. Hæ rationes Basil. cur Filius Dei Verbum sit, perfectè explicant, quæ non ab effectu, sed ab ipsa re absoluta sumptæ sunt. Verbum enim mente producit, sine motu procedit, in mente manet, rem cognitam exprimit, tanquam imago quædam, talis est Dei Filius ab æterno, ob id verbum dicitur, & est Parris. Eadem ferè dicit Gregor. Nazian. orat. 4. theolog. cuius verba sunt. Filius mihi dici videtur, quoniam essentia idem est cum Patre, tum etiam, quia ex illo est; vnigenitus autem non, quia solus ex solo, & solum, sed etiam quia peculiari quodam modo, & non vt corpora; verbum, porrò, quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem, non modò propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem, fortasse etiam, quia eodem modo se habet ad Patrem, quo definitio cum definito, qui videt Filium, videt & Patrem, Ioan. 14. breuis enim, & compendiosa, facilisque naturæ declaratio Patris, est Filius, hæc Gregor. quamuis igitur Filius verbum dici possit ab

A effectu, quia Patrem nobis manifestat, quia in eo nobis locutus est Pater, quia promissum est venturum in carne, tamen propria, & vera ratio est, quia ab æterno procedit ex mente Patris, vera imago, & notitia ipsius. Nec hoc Augustinum latuit, qui quamuis loco citato ab effectu causam assignauerit non propriam, tamen lib. 7. de Trinit. cap. 1. veram, & propriam cognouit, & docuit rationem, nempe verbum esse, quia intellectu paterno procedit. Iuxta quam Catholicam doctrinam Theologi verbum nomen esse personale docuerunt.

ANNOTATIO. VIII.

PRIORI interrogationi, & difficultati, satisfecimus; nempè cur Dei Filius sit verbù vocatus: nunc posteriori satisfaciendum est, scilicet quare Ioannes, potius Verbi nomine, quam Filij sit vltus. Et quia communiter Doctores coniungunt causas vtrâque, vt illæ, ob quas dictum sit verbum, sint eadem cum ijs, ob quas ab Evangelista sit tali nomine vocatus, nobis autem aliæ distinctæ, & peculiariæ videntur, ob id in præsentia eas commemorandas duximus. Prima, & præcipua mihi videtur, quia hæc veritas (In principio cr. i. verbum) sit. notior est, & apparet rationi conformior, quam hæc: in principio erat filius. Hæc enim sola fide noscitur, nulla enim ratio fidei lumine destituta, Deum Filium coæternum sibi habere assequitur: at illa veritas etiam si fide perfectè noscatur, tamen videtur rationi satis conformis. Si enim naturalis ratio dicit vnum esse Deum æternum, & ante omne principium, eumque substantiam esse mente præditam, & intellectualem, necesse est eum eadem ratione in seipso intelligere, & loqui ab æterno. Vnde verbum, quod æternæ mentis notitiam, & conceptum significat, æternum erit: & sic notior est veritas (in principio erat verbum) quam, in principio erat filius. Si autem ad res creatas respicias, ab hoc Deo procedentes, notior etiam est hæc eadem veritas. Nam in principio rerum omnium, fuisse verbum, sapientiam, & mentis conceptum, rationi planè videtur contentaneum. mundi enim hæc fabrica variè auctorem eius sapientem, & mente præditum, & ratione, ac sapientia considerare, & gubernare cuncta probat. Casu enim, aut ab agente mentis experte fieri non potuisse, naturalis ratio conuincit. Idque multi gentiles Philosophi nouerunt. quod etiam Dauid Psal. 18. docuit dicens: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, id est, ordo, & vicissitudo hæc dierum & noctium, ostendit auctorem scientiæ præditum, & verbo rationis vti. Tertull. in Apologet. c. 21. docet aliquos Philosophos ethnicos, λόγος, id est, rationem, & sapientiam, artificem fuisse vniuersorum affirmasse. Platonis etiam quibusdam hoc Ioannis exordium placuisse refert August. lib. 10. Ciuit. cap. 29. quos non alium ex his verbis percepisse sensum existimo, quam scientia, & ratione primum principium omnium præditum esse, & hoc Deum esse. Notior ergo istam veritatem esse con-

E

Quare Ioannes non Filij, sed Verbi nomine vultus.
 1. Ratio.

esse constat, & hac de causa Euangelistam hoc nomine vsu. Ex quo, vt arbitror, inferre licet, quàm contra rationem, & veritatem fuerit, hæresis quorundam negantium Verbum in Deo, ob idque dicti sunt Alogiani, quasi sine verbo, quorum meminit Augustin. lib. de Hæres. cap. 30. qui etiam negabant hoc initium esse Ioannis: quasi isti non conuincerentur etiam alijs testimonijs eiusdem. 1. Epist. 1. Audiuius de verbo vitæ. Apoc. 29. Nomen eius verbum Dei. Sunt etiam alia multa Scripturæ testimonia pro hac veritate. Hi profecto & fidei, & naturali quoddammodo rationi contradicebant. Alteram causam etiam eiusdem rei esse arbitror, quia statim per hoc Verbum omnia facta esse enunciaturus erat Euangelista: at expressior, & significatior est ista veritas, Per Verbum facta sunt omnia, quàm per Filium. Quia illa locutione significatur facta esse cum consilio, & cum sapientia, & sine labore, ac difficultate: quia verbo facta sunt: quæ tamen in hac sententia (per Filium facta sunt) nõ explicantur. Tertiam causam adiungere possumus, quia, vt diximus, connectebat nouum veteri testamento, in hoc autem verbo cuncta fecisse Deum narratum est. Volens ergo Euangelista, quid hoc Verbum, & quale sit, & alia de ipso narrare, vsus est nomine Verbi: vt hoc illud esse idem doceret, quod factum est caro, & reparauit vniuersa, cum eo, quod principio cuncta creauit. Quarta adhuc causa est, vt dignitatem Euangelij significaret, illi enim Prophetas habuerunt doctores, nos Dei filium, & Verbum Patris, illeque locutus est nobis, quo, & in quo loquitur in se Deus, ad Heb. 1. loquens olim Deus Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio. Vt ergo Filium nobis doctorem extitisse significaret, ipsum Filium Verbum appellat. Quinta & vltima huius causa est, vt originem Filij adhuc distinctius exprimeret, qui à Patre, & ex mente Patris, & sine motu, & intra Patrem, seu consubstantialis illi procedit, vt dictum est ex Basil. in Annotatione præcedenti. Hoc enim nomen Verbi, modum & æqualitatem, huius æternæ, spiritualis, & intellectualis generationis exprimit.

ANNOTATIO. IX.

EX ijs, quæ in præcedenti Annotatione dicta sunt, facile solui potest dubitatio quædam maximè ad textus declarationem necessaria; est autem talis. Cur Euangelista ab antiquitate verbi, & quasi à quadam eius qualitate potius, quàm à substantia incoepit? non enim dixit, Verbum erat Deus, & erat in principio Verbum, & erat apud Deum. Est causa huius duplex. Vna est, quia notiores erant veritates istæ (in principio erat Verbum) quàm illa sola considerata, Verbum erat Deus. Vt enim diximus, ratio naturalis quoddammodo eam assequitur sententiam, in principio erat Verbù, non autem ita facilè illam, & Verbum erat apud Deum, & minus, Verbum erat Deus, si singulæ per se considerentur. Nec solum notior est, sed per eam sequens etiam probatur, si enim

Cur non à natura Verbi, sed quasi ab eius qualitate orlum sit Ioannes.

Ratio 1.

Verbum in principio erat, & omnia præcessit, sequitur (quod erat apud Deum) apud alium enim esse non potuit, quia nihil extra Deum erat; si autem in principio erat, & apud Deum erat, inferitur quòd erat Deus. Nihil enim intra Deum esse potest, quod sit alterius naturæ, sed necesse est Deum ipsum esse. Ioannes ergo à notioribus nos ducens, ad ea progreditur, quæ ignotiora sunt, & ex præcedentium cognitione fiunt manifestiora. Hunc igitur seruauit ordinem in his tribus veritatibus enuntiandis, qui nostro intellectui accommodatior est. Quamuis enim fidem his debeamus adhibere veritatibus, & Euangelista fidem à nobis exposcat, iuuat tamen naturalis cognitio aliquando ipsi fidei ministrans, nec in fide tradenda, cognitionis naturalis modus omninò deseritur, sed eius ratio in multis habetur. Altera etiam huius ordinis causa est, vt initium Euangelij illi antiquo veteris instrumenti respondeat exordio, & hanc doctrinam, illius esse perfectionem omnibus velut è vestibulo innotesceret.

ANNOTATIO X.

POSTREMOCIRCA has sententias considerandum est, an per hæc verba Ioannis, Verbi æternitas, distinctio hypostaseos à Patre, & consubstantialitas probentur. Aduertendum est, Arrianos sentientes se his verbis conuincti, quæsiuissè modos, quibus possent euadere. Nec est præsentis instituti omnes has hæreses referre, aut ipsarum vanitatem latè arguere, aut technas, & euasiones proponere, sed aliqua breuiter, quæ ad declarationem textus faciunt, attingere. Aliqui Arrianorum, vt æternitatem Verbi negarent, Verbum fuisse ab æterno, potestate loquentis, non actu affirmabant, & sic quantum ad potestatem, fuit æternum verbum. Ita refert Athan. Tamen hi aperte conuincuntur; nam mundus etiam iste, & quæuis creatura, esset æterna, quia potestas facientis æterna est, nec Verbum haberet maiorem antiquitatem, quàm mundus hic, si non alia ratione, quàm potestate æternum esset. Præterea quia ab æterno esset Deus sine Verbo, & sine intelligentia, vt argumentatur Athan. contra eos. Huc accedit, quia posse loqui non est loqui, posse esse, non est esse: at Verbum ipsum, in principio erat, æternum ergo erat. Alij Arriani, vt consubstantialitatem, & Verbum esse Deum verum negarent, textum hunc corrumpebant, diuidentes sic, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat, hic finiebant: postea cõtinuabant, Verbum hoc erat in principio apud Deum, & hac via euadere se existimabant, dum non legebant, Deus erat verbù, ita refert Aug. lib. 3. de doct. Christ. c. 2. Sed hoc est vanissimum, nam Ioannes has sententias de Verbo enuntiat, vt sit in principio, & sit apud Deum, & sit Deus: nec est enuntiatio illa, Deus erat, consona textui. Non enim de Deo, sed de Verbo enuntiabat: hoc enim carnem lumpsisse, docere intendebat. Alij Arriani videntes esse hanc lectionem fictitiam, admittebant, Deus erat verbum, ta-

Tria que ad diuini Verbi naturam spectant, ex superioribus Euangelistæ verbis deducuntur.

bum, tamen cum hoc in loco Deus, sine articulo, & in præcedenti, Verbum erat apud Deum, cum articulo legeretur, inferebant, Verbum non esse eundem Deum, nec eiusdem substantiæ cum eo, apud quem erat: hoc notat Chryso- Hom. 3 in Ioan. sed errorem talem vel hoc argumentum, aperte conuincit. Si enim Deus verus intelligitur tantum, quando est cum articulo, tunc nec Pater esset verus Deus. Nā loquens Ioannes de Deo vero, & Patre, dicit, fuit homo missus à Deo, & rursus, qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, & rursus, Deum nemo vidit vnquam. Quibus in locis, Deus legitur sine articulo, & tamen nemo in eis agi de vero Deo negare potest. ita respondet Chryso- & simul adducit testimonia, in quibus, Filius Deus cum articulo legitur: non ergo ex hoc inferunt Arriani bene, nō esse verum Deum. Nec sine mysterio, cum Pater Deus cum articulo dictus sit, Verbum Deus non appposito articulo dicitur, nempe, (quod notauimus in Commentario) vt Filius sic Deus intelligatur, vt procedens à Patre, sitq; Deus de Deo, lumen de lumine. Quam enim naturam, & substantiam habet Pater à se, eandem habet Filius, sed à Patre. Ita notat Orig. Tom. 2. in Ioan. dicens, omisum articulum esse, vt insinuaretur Verbum esse Deum per communicationem. Quāuis Origenes improprie loquatur, vocans participationem, quæ communicatio dicenda esset, forsā vitium est interpretis: nisi velimus Origenem errorem Arrianorum asseruisse. Quamuis autem, non, vbi que legitur sine articulo, Filius intelligatur, tamen hoc in loco, vbi de natura verbi agebatur, & dum Patris mentio facta erat, existimandum est non sine mysterio omisum esse articulum. Potest etiam altera huius esse causa, nempe omisum fuisse articulum, vt significaretur illud (Deus) non subiectum esse, sed prædicatum. simile illud est Ioan. 4. Spiritus est Deus: vbi legitur Spiritus sine articulo, vt enuntiationis prædicatum, non subiectum esse agnoscat. Prior autem causa est magis legitima. Ex quo etiam apparet aliorum Arrianorum vanitas, qui ita Filium vocatum Deum affirmarunt, sicut Moses dictus est Deus Pharaonis; quos confutant, & conuincunt Ambr. libr. de Fide cont. Arian. & Hilar. libr. 7. de Trinit. Verbum ergo verus Deus est, vt ipsemet Ioannes, 1. epist. cap. 5. sumus, inquit, in vero Filio eius, hic est verus Deus, & vita æterna.

His igitur suppositis, sentiendum est cum sacris Doctoribus, hisce verbis Ioannis tres illas veritates confirmari, & omisus multis aliorum testimonijs, breuiter aliquorum sententias enarrabo. Prima veritas est. In princi-

pio erat verbum. Magnam vim faciunt Doctores in illo verbo (erat) coniuncto cum principio. si enim in principio incepisset, dictum esset; In principio factum est, aut saltem; In principio fuit, at dum dicitur: In principio erat, & non esse factum, ante principium esse ducitur: & hoc est, æternum esse. Si enim principium omne præcessit, sine principio esse, necesse est, omnes enim creaturæ incepserunt esse. Cape ergo illud initium, quo primum, quod factum est, incepit; si hoc præcessit Verbum, ipsum non esse factum sed æternum. Ex hoc verbo æternitatem, vti dictum est, deducunt Athan. Serm. 4. cont. Arian. Basil. Hom. in hæc verba, August. in multis locis, Hilar. 2. de Trinit. qui hoc argumento vtuntur, sicuti vsi sumus. Verba Hilar. sunt hæc: In principio erat verbum; transeunt tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates. Pone aliquid, quod voles, tua principium opinione, non tenes tempore: erat enim vnde tractatur. Hæc, & alia Hilar. & communiter Sancti, quæ libens prætermitto, quia passim leguntur. Secunda veritas, Verbum erat apud Deum, distinctionem conuincit, vt non sit omnino idem, quod apud alterum est, cum ipso, apud quod est. Et cum non sit verbum alterius substantiæ ab eo, cuius est verbum, colligunt Sancti hypostaseos distinctionem: vnde & his verbis vtuntur contra Sabellium, negantem personarum Trinitatem, asserentemque vnam, & eandem esse personam Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: contra quem hæc verba sunt opposita à Doctoribus.

Si enim verbum eadem est persona cum Deo, à quo est, quomodo apud eum esse dici potest? nemo enim dicitur apud se esse. Ita Basilus & Tertull. deducebant, vt in Commentarijs dictum est. Tertia veritas, Deus erat verbum, con- substantialem conuincit pro ijs qui vnum Deum consententur, vt principio huius dubitationis, & in Commentario dictum est. & hoc loco Sancti ad id confirmandum vtuntur. Multa possunt testimonia eorum produci, sed superuacaneum id est: verba tantum Ambrosij proponam circa has tres veritates, qui libr. 1. de Fide. cap. 5. sic inquit. Omnes hærefes hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio præuenit, ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non commistione confunditur, sed manentis verbi apud Patrem, solida perfectione distinguitur, vt Sabellius obmutescat. Et Deus erat verbum, non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa cœlestis designatione virtutis, vt confutetur Fotinus. Hæc Ambrosius.

Hoc erat in principio apud Deum.

COMMENTARIUS.

VERBI natura & existentia expositis transit Euangelista ad statum quendam Verbi describendum, ob idque particulam copulantiem (&) præmittit, quæ priores tres enunciationes, & veritates copulat, vt illas ad verbi natu-

bi naturam, hanc autem ad conditionem, seu statum quendam pertinere significet: sic enim solet Euangelista ea, quæ narrat, diuidere. Sensus est, hoc Verbum in principio antequam quicquam factum esset, erat apud Deum: id est, tantum erat apud Deum, nimirum nondum carnem susceperat, nondum se manifestauerat, sed erat solum apud ipsum Deum, absconditum, inuisibile, & non manifestum, neq; ad quicquam aliud referebatur, quam ad Deum ipsum, à quo procedebat. Huius sententiæ sensum idem Ioannes 1. epist. 1. clarioribus verbis indicauit. Annunciamus, inquit vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. quasi diceret, quod tantum apud Patrem erat ab æterno, inuisibile, & occultum, postea nobis manifestatum est, & in carne apparuit. Habet hæc sententiæ tacite particulam excludentem. Solum, siue, tantum. Est enim huiusmodi phrasis communis scripturæ. Rom. 4. Beatiudo hæc in circuncisione manet, an etiam in præputio? græcè non est illa particula (tantum) tamen supplenda est, quod rectè fecit interpres. Rom. 2. Non enim, qui in manifesto, iudæus est: neque quæ manifesto in carne, circuncisio est. Oportet in vtroque particulam (tantum) supplere. nō qui in manifesto tantum iudæus est, neque quæ manifesto in carne tantum, circuncisio, est. Sunt multa alia huiusmodi loca, etiam apud Ioannem, quæ in progressu enarrationis huius nota fient. In hunc sensum est præsens sententiæ exponenda, nimirum hoc verbum in principio erat tantum apud Deum, non autem apud nos, quale fuit carne assumpta. Vtitur autem Euangelista pro nomine demonstratiuo, ad eandem personam Verbi significandam.

ANNO TATIO XI.

Patrum auctoritate expositio tradita confirmatur.

Dubitare posset aliquis, illud relatiuum (hoc) referatne Verbum, an Deum: quamuis enim in latino textu non sit ambiguitas, tamen in græco est masculini generis, & referri potest ad Verbum, & ad Deum, qui erat verbum. vtrumque enim nomen masculini generis est. Orig. Tom. 2. ad vtrumque refert, tamen omnes & græci, & latini expositores, ad Verbum, vt & versio latina ab Ecclesia recepta aperte refert, & sic planè referendum cenfeo, sicut etiam sequens relatiuum; Omnia per ipsum facta sunt: & contextus talem probat sensum. Omnes enim hæc enunciationes de Verbo (sunt.) Quantum autem ad sensum attinet, aduertendum est, quam in commentario articuli expositionem, antiquos Patres præsensisse. Tertullianus aduersus Praxeam: Sermo, inquit, à principio tantum apud Patrem erat, adiunges illam particulam excludentem (tantum) nostram indicat expositionem. Clemens etiam Alexan. in orat. exhor. ad gentes: Verbum, inquit, quod erat apud Patrem, doctor apparuit, hisce verbis insinuat idem esse apud Patrem, quod erat in principio, & ad Patrem tantum referebatur; postea verò etiam ad nos, quando in carne apparuit. Greg. lib. 5. Moral. ca. 19. exponens verbum illud Iob. (verbum absconditum) probat id esse verbum diuinum, quod absconditum erat: quia apud Patrem erat nempe in principio, carne nondum accepta.

Diuerse alie Patrum expositiones referuntur.

Quamuis expositio allata sit meo iudicio legitima, non desunt tamen expositiones aliarum Doctorum, quas in medium adferre non inutile erit, vt earum collatione magis appareat vera & legitima. Orig. Hom. 2. in diuersos locos, & Cyrill. libr. 1. in Ioan. cap. 4. exponunt sic, vt referatur ad verbum, sitque sensus; hoc verbu,

qui Deus erat, erat illud idem, quod erat in principio, & erat apud Deum. quod dictum est, ne quis aliud existimaret verbum, quod erat in principio, & erat apud Deum, ab eo, quod erat Deus. Imò Eunomius ita, vt diximus, existimauit: Id autem præcauens Euangelista, Hoc adiunxit, vt vnum & idem esse ostenderet. Altero modo exponit Theoph. alios, dicens, sic esse fabulatos: Si Deus erat verbum, separabit se aduersus eum, apud quem erat: vt igitur hoc remoueat, dicit Euangelista; Hoc verbum erat in principio apud Deum: quasi diceret; nulla est timenda separatio, cum semper fuerit summa coniunctio. Non alienus est ab ista expositione Ambr. qui libr. 1. de Fide, ca. 5. sic exponit; Quod erat in principio apud Deum, sempiternæ diuinitatis in Patre, & Filio inseparabilis vnitas edocetur. Basil. Homil. in hæc verba idem dicit, nempe his verbis significari semper Filium cum Patre esse, & verbum apud Deum. nam dictum est semper verbum esse, & esse apud Patrem, & esse Deum: dicitur ergo semper etiam esse cum Patre, sicut semper est. Tertio modo exponit Hilar. lib. 2. de Trinitate, nempe per hanc sententiæ, vnitatem Dei declarari: cum enim dictum esset, Deus erat verbum, vt vnitas, inquit, Dei seruaretur, adiunxit; Hoc erat in principio apud Deum. Aliqui repetitionem esse quandam existimant, alij alij etiam modis exponunt, qui omnes ad eandem, & vnam referunt sententiam cum præcedentibus tribus enunciationibus coniungentes. Nobis autem expositio nostra maxime conformis videtur, vt ad alteram pertineat sententiam, id quod prætermisso copulæ indicat. Vltra prædictas expositiones, non inutile fore iudicavi referre expositionem quandam, quæ mihi

mihī olim placebat, re tamen diligentius considerata, quam in commentario explicui, magis probavi. Illud enim (verbum erat apud Deum) sic exponēbam. Verbum nempe apud Deum erat, quia ad solum Deum referebatur, nondum carnem induerat, nec se manifestum fecerat. quod autem sequitur: Hoc erat in principio apud Deum, sic explicabam: In principio, quando Deus cuncta fecit, aderat hoc idē verbum apud Deum ipsum. non solum enim ante omnia, sed tunc quando facta sunt omnia, apud Patrem aderat, ab eo indiuisum, & voluntatis, & consiliorum, ac operum omnium eius consciūm. Hanc sententiam Salomon, Sap. 9. expressit, dicens: Tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, & quæ affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, & quæ sciebat, quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. hæc Salomon. hoc est, quod Ioannes pronunciat; Hoc erat in principio apud Deū. Sed multo magis elucescet hic sensus, si verba Salomonis conseramus; Prouerb. 8. duos status verbi, & diuinae sapientiae describens; Dominus, inquit, possedit me in initio viarum suarū, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyssi, & ego iam

Sapient. 9.

Prouerb. 8.

concepta eram, nondum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Omnia hæc ad priorem statum pertinent, quod ordinata sit, quod concepta, quod parturiretur, &c. omnia, inquam, hæc æternam generationem, qua Filius est, & æternam locutionem, qua verbum est, significant. Quæ eadem Ioannes expressit his verbis; In principio erat verbum, & cæt. statim adiunxit Salomon; Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. hæc ad statum Verbi alterum pertinent: In quo aduerte duo verba. Vnum est, *Quando præparabat cælos, aderam.* Alterum est, *Cum eo eram cuncta componens.* Quod Salomon dicit, *aderam*, id nunc Ioannes exprimit: *Hoc in principio erat apud Deum.* Quod autem Salomon dicit, *Cuncta cum eo componens*, Ioannes significat, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt.*

Omnia per ipsum facta sunt.
COMMENTARIVS.

Proceditur Ioan. & explicat statum secundum Verbi, quando non tantum apud Patrem erat, sed ad creaturas etiam cœpit se conuertere: *Omnia, inquit, per ipsum facta sunt:* quasi diceret; Erat quidem hoc Verbum apud Patrem, quando omnia fecit, nec tantum erat apud illum, sed per ipsum Pater omnia fecit. Aduerte quàm breui verbo Ioan. expressit, quæ Moses longo sermone conclusit, vt adnotauit Chrysof. Homil. 4. in Ioan. Nam Moses per sex dies rerum creationem distribuit, *Fiat lux, fiat firmamentum, &c.* At Ioan. vno verbo complexus est, dicens: *Omnia per ipsum facta sunt.* Adde, plura significasse, quàm Mosē. Hic enim spiritualium substantiarum expressam non fecit significationem, sed sensibilem, quæ populi oculis subiacebant: at noster Ioan. generali voce cuncta conclusit. Nec sine mysterio Euangelista breui vsus epilogo, vnicō comprehendit verbo, quæ multis descripsit Moses. Beneficium enim creationis narrans illi populo, qui nondum redemptionem acceperat, multis amplificauit verbis, vt potē omnium acceptorum maximum: sed Ioan. ad quiddam maius narrandum properans, nempe redemptionis opus, propter quod Deus homo factus est, cuius collatione illud iā minus censebatur, breuiter, & velut summam ad maiora progrediens, illius fecit mentionem. Euangelium enim Deū redemptorem, sicut vetus Testamentum creatorem, prædicat. Multo autem maius, & dignius est, Deum hominem esse factum, quàm cuncta à principio creasse, in quo Ioan. tacitè insinuat. vnum esse, & eundem Deum creatorem, & redemptorem, cum vtrunque Verbo perfecit, eundemque auctorem veteris, & noui Testamenti: in quo conuincitur error Manichæi, & aliorum, vt bene notauit Ambros. li. 1. de Fide, cap. 5. Hi enim alium auctorem Testamenti veteris, & creatorem posterunt; alium autem noui, & redemptionis operatorem: at Ioan. vno, & eodem verbo, eundem docet vtrunque perfecisse, ac ob id creationis meminuit, vt per eum recreata, & reparata omnia noscamus, per quem fuerunt & facta.

ANNO

ANNOTATIO XII.

VERVM diligentius sunt hæc verba consideranda, & examinandum est, quid vox, *omnia*, significet. Non defuerunt, qui plus, quàm par est, eius vocis significationem extenderunt, alij arctius quàm veritas postulabat, contraxerunt. Sed & illi dilatates, & isti coarctantes, à veritate Catholica, quæ in horum medio consistit, aberrarunt. Primò igitur Macedonius diuinitatem Spiritus S. tollere adnitens, hoc loco vtebatur, in eum modum argumentans; Omnia per ipsum facta sunt, igitur Spiritus sanctus factus est; nã vox *omnia* cõcludit vniuersa. huius argumentationis, quæ erat etiam Ariarum, Ambr. lib. de Spiritu S. c. 2. Greg. Nazian. orat. 5. theolog. Cyril. li. 1. in Ioan. c. 5. & Chryf. hom. 4. meminerunt, illique res pondent, non absolute omnia esse facta, aliàs ipse & Pater factus esset: sed omnia, quæ facta sunt, per ipsum facta sunt. Spiritus sanctus autem factus non est. Adde, omnia dici facta, quæ sunt extra facientem, at Spiritus S. est ex parte facientis. Nam opera Trinitatis sunt indiuisa, & quæ facit Pater, facit Filius, facit Spiritus sanctus. Ab hac ergo generalitate semper factor excipiendus est: aliàs cum dicitur 1. Corinth. 8. *Vnus est nobis Pater, ex quo omnia*, liceret inferre, ergo Filius est factus. Quod si dicas excludi Filiū à voce *omnia* isto loco, quia habemus locum Ioannis dicentis; *Per Filium omnia facta sunt*; respondebo & ego, haberi locum in diuinis literis, qui omnium auctorem Spiritum S. esse attestatur, Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto, per totum librum doctè admodum probat, omnia Patris, & Filij opera, etiam in scriptura tribui Spiritui S. igitur Spiritus cum factore est, & excluditur ab omnium numero, quæ facta sunt. Isti ergo plus iusto significationem vocis *omnia* extendebant.

Hereses non nulle refutantur.

lium euertunt: De hoc ipso Verbo loquens Apost. ad Hebr. 2. Per quem, inquit, fecit & secularia. Quicquid igitur præter Deum est, siue spirituale, siue corporale, per Verbum factum est: vt optimum interpretem Ioannis, Paulum esse inficiari non possimus, qui præclare exponit, quæ sint ista *omnia*, quæ per Verbum facta sunt: atque ita inter extrema hæreticorum, catholica veritas media consistit.

ANNOTATIO XIII.

Consideranda est secundo loco particula, *Per*. impegerunt enim in eam Arriani, qui putantes particulam hanc denotare instrumentum & ministerium, affirmarunt Filium minorem esse Patre, vt pote per quē tanquam ministerium, & instrumentum fecit omnia. Meminerunt huius argumentationis Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 5. & Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 5. Chrysof. Hom. 4. & alij antiqui patres, inter quos est Ambros. lib. 4. de fide, cap. 6. Sed quàm vanum sit hoc eorum argumentandi genus, scriptura demonstrat. Nam de Patre loquēs, hæc etiam particula vtitur. 1. Cor. 1. Fidelis Deus per quem vocati estis in confortium Filij sui; & initio posterioris ad eosdem; Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatē Dei; & ad Galat. 4. Si filius, & hæres per Deū. Quare si argumentatio Arriana valeret, esset etiam Pater minister, & instrumentum, & proinde minor Filio. Quamquam hæc eadem argumentatio; Arrianos in signis arguit ignoratiam: cum particula, *Per*, multis causarum generibus accommodetur, vt modò efficienti principali, modò instrumentali tribuatur, vnde vanum est, ex tali particula talem inferre conclusionem. Certè hoc in loco non ministerium, non instrumentum, sed causam significat principalem, sicut & ipsum Verbum, Prouerb. 8. dicit; per me Reges regnāt. Id si verum est, vt est verissimum, cum dici potuerit, Verbum omnia fecit, seu, ab ipso omnia facta sunt, cur *Per ipsum omnia facta sunt*, dictum est? Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 10. exponens verba illa, Mundus per ipsum factus est, inquit; cum per Filium mundū factum esse affirmat, ad Patris nos memoriam facile reducit: cum enim *per quem* dicitur, ex quo etiam intelligitur. Vniuersa enim ex Patre per Filium in Spiritu sancto sunt. hæc Cyrill. Responsio igitur cum Cyrill. ad ista similiaque verba esse potest; dictum esse, *Per ipsum*, vt non excludatur Pater, ab hac creatione omnium: cum Pater per Filium omnia condiderit.

Libet addere aliquid amplius, quod hæc particula *Per* significari mihi videtur. Aduerte igitur vnicam esse actionem, qua pater, & filius creant; cum vnica sit vtriusque essentia, virtus, & potentia: Hoc tamen est discriminis, quod licet vnica sit essentia, & virtus in vtroque, tamen filius habet à Patre essentiam, & virtutem; ita quamuis vnica est actio, qua vterque creat; tamē filius habet à patre quod creet, sicut habet virtutem, & essentiam, qua creat.

Auctoris interpretatio.

B Crea

Creare ergo patrem per filium, est, patrem vnâ cum filio creare, sed communicando filio essentiam, & virtutem, qua vnâ cum ipso patre creat: & proinde quadam ratione assimilatur instrumento, nempe in hoc, quod sicut agens communicat virtutem instrumento, vt vnâ cum ipso operetur, ita pater filio virtutem cōmunicat. At est maxima differentia: qui agens non communicat suam substantiam, nec suam met virtutem, quam habet, instrumento, & ob id instrumentum est inferius agente: at pater communicat suammet substantiam, & virtutem filio; qua vterque agit: & idē non est minor filius patre, in quo decepti sunt Arriani. Ioannes ergo cum insinuasset in prima sententia filium esse Deum, & quidem de Deo, volens hoc etiam significare in ipsa creatione, vsus est hac loquendi formula, *omnia per ipsum facta esse, vt insinuaret patrem omnia facere cum filio, communicando eandem virtutem suam filio, vt vna vterque actione creare dicatur. Ita docuit Basilius libr. de Spiritu sancto, cap. 8. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, non quod instrumentali, ac seruili quodam ministerio fungatur, sed quod tanquam conditor paternam impleat voluntatem. hac Basilius. Non igitur concedendum est à Catholico, filium esse instrumentum patris, propter rationem dictam; & si qui Catholici affirmarunt, inter quos est Clemens Alexan. in orat. exhor. ad gen. ipso fere principio, imitatus forsitan Philonem, lib. de opificio, improprie locuti sunt, & dicere voluerunt; patrem creare per filium, quia communicauit essentiam, & virtutem suam filio, qua vnâ cum ipso creat, nec crearet, nisi communicata essentia, & virtute tali. Hac ergo ratione existimo Ioannem hoc in loco, tali dicendi modo vsus esse. Eodem modo exponendus est Tertull. libr. aduers. Hermogenem, vbi Verbum ministrum, & arbitrum vocauit: quæ quidem locutiones quia imperfectæ sunt, ab eis abstinendum est. Germanus ergo Euangelista iserit sensus, qui propria Verbi (quia de Verbo tractat) considerans, non dixit: Omnia fecit seu, Omnia ab ipso facta sunt, (quamuis enim hoc verè dicatur, tamen totum hoc commune est patri) at dicens: *Per ipsum facta sunt omnia* (nempe à Deo, apud quē erat) quod Verbi proprium est, significauit. Nam solius Verbi est, patrem per ipsum cūcta creasse, & ipsum esse, per quem cūcta à patre facta sunt. Hic tamen superest dubitatio: Nunquid etiam per Spiritū sanctum non sunt omnia facta, cum & is procedat à Patre? Et hoc quidem verum est: sed cum*

A Deus imperio creauerit omnia: (Dixit enim, & facta sunt, mandauit, & creata sunt) imperare autem cum sit intellectus, rectissime sicut verbum, ita etiam imperium tribuitur filio: vnde filij est, esse verbum, & imperium. per quod omnia sunt facta: quanquam & per Spiritum sanctum, tanquam per virtutem, omnia facta esse profitemur.

ANNOTATIO XIV.

B HOC enim verò nunc indagandum superest, cur non dictum sit: Omnia per ipsum creata sunt, sed vsus est Euangelista verbo faciendi: cum re vera ex nihilo, non ex materia aliqua cūcta sint facta? At planum est, verbum faciendi commune esse, ad ea, quæ ex aliquo, & ad ea, quæ ex nihilo fiunt, & sicut cœlum, & terra, dicuntur creata, ita etiam facta, Genes. 1. Creauit Deus cœlum & terram; vbi legimus verbum **וַיִּבְרָא** & Psal. 124. Qui fecit cœlum, & terram: **וַיַּבְרָא** in loco est verbum **וַיַּבְרָא** quod latinè significat, facere. Verbum **וַיַּבְרָא** idē Græcum quo vsus est Ioannes, commune est, sicut & Latinum. Quocirca scriptura sacra, tam initio Geneseos, quam in hoc Ioannis exordio, omnia ex nihilo esse facta, vt egregie Tertull. libr. aduersus Hermogenem aduertit, in eo esse ostensum, significauit: quod cum sic narratio perfecta, nulla tamen est de materia facta mētio. Tria enim esse debent in legitima operis narratione, Factor, species facti, & materia ex qua factum est. Cum igitur Moses perfecte narrauerit mundi initium, nec materiæ meminerit, sed solius factoris, & factorum, euidētissimum argumentum est, non interuenisse materiā vllam, sed ex nihilo facta esse vniuersa. Quod & in præsentī loco factum affirmatur, vbi describitur factor, & per quem, & quod factum est; porro materiæ nulla est consideratio, ac proinde nec in rerum prima molitione intercessit. Adiungamus dictis, illa vniuersali voce *omnia*, probari ex nihilo esse facta. Si enim materia fuisset, ex qua cætera fecit Deus, aut facta esset, aut non: si non, ergo non omnia facta sunt per ipsum; si facta est, profecto ex nihilo facta sunt. Non enim idcirco negandum est, ex nihilo fecisse Deum omnia, quamuis prius materiā fecerit, & ex hac postea reliqua, vt aliqui senserunt. Itaque siue materiā prius ex nihilo, siue vnâ cum rebus corporeis ipsam fecerit, semper Deus creator est, eumque ex nihilo fecisse omnia constantissimè verissimeque Catholica sensit Ecclesia.

Merito Euangelista, omnia per ipsum facta, non creata, dixisse.

scriptura. 1 Cor 9. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere; ad Philip. 2. Omnes, quæ sua sunt quærunt. Sunt multæ huiusmodi locutiones, quæ non vniuersitatem omnino denotant: idē ne quis ita putaret dictum, omnia facta per Verbum, adiunxit generalem negationem in singulari, vt nec vnum singulare excludi significaret, quod nō esset per Verbum factum. *sine ipso factum est nihil, quod factum est.* id est, nulla res facta, quæ non sit per ipsum facta, seu quæ sit sine ipso facta. Est autem hæc frequens Hebræis phrasī. 1. Reg. 3. Indicauit ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Isa. 39. Omnia quæ in domo mea sunt, viderūt, non fuit res, quam non ostenderim eis. Adiecit autem, *quod factum est*, vt hæc verba ad præcedentiā, nempe ad ea, quæ facta sunt, referret, essetque; sensus, *sine ipso factum est nihil, quod factum est*, id est, ex his quæ facta sunt, nihil est, quod non sit per ipsum factum: quæ etiam est Hebræa phrasī. 1. Reg. 1. Commodauit eum Domino cunctis diebus, quibus fuit commodatus Domino. Latet etiā in his verbis alia phrasī Hebræa: Non enim dictum est, sine ipso factum est nihil, *וּבְדֵב*, Sicut Ioan. 18. est dictum: In occulto locutus sum nihil, & Ioan. 15. Sine me potestis facere nihil (sic enim in Græco textu habetur) sed hoc in loco legitur *וּבְדֵב* sine ipso factum est, nec vnum quod factum est: quod quidem magis exprimit vniuersitatē, quæ phrasī est Hebræa. Psal. 138. Dies formabuntur, & nemo in eis; in Hebræo, Et non vnus in eis: quasi dicat; nec vnus erit dies, qui non sit scriptus in libro tuo. 1. Mach. 7. Non est relictus ex eis nec vnus: sic in præsentī loco; Sine ipso factum est, nec vnum, quod factum est.

ANNOTATIO XV.

Triples lectio superiorum verborum.

M Vltima in his verbis annotanda occurrit. Primum est, quod ad textus lectionem attingit. Triplex enim lectio apud Doctores sacros habetur: Vna est, vt sententia in voce *nihil* terminetur sic; *sine ipso factum est nihil*: reliquum autem iungatur sequentibus, sic; quod factum est in ipso vita erat: ita legit maior pars Latinorum: Augustinus in præsentī, Ambrosius libro 3. de fide cap. 3. Tertullianus, libro aduersus Hermogenem, & inter Græcos Origenes rom. 3. Clemens Alexandr. libro 1. pædag. cap. 6. & Cyrillus libro 1. in Ioan. cap. 6. & Athanasius in multis locis, in rescripto ad Liberium Papam, in orat. in illud; Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, & Epistol. de sententia Dionis. Episcopi, contra Ariannum, & in epistola ad Serapionem de Spiritu sancto, & alijs in locis. ita etiam legit Gregorius Nazianzenus, oratione de fide: & inter Latinos Cyprianus, libro 2. contra Iudæos. cap. 3. Secunda est, vt sententia finem habeat in illo, quod factum est. sic; *sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Sic legit Irenæus libro 3. contra hæres. cap. 11. Chrysostomus, homil. 4. referens hæreticos auctores fuisse, vt hæc sententia diuideretur, & legeretur iuxta primam lectionem. Ita etiam legit Hieronymus Amos 6. quam lectionem sequitur Gregorius Nazian. orat. 5. theolog. nam soluens argumentum hæreticorum affirmantium Spiritum sanctum esse factum, quia dictum est, omnia per ipsum facta sunt; respondet non esse dictum, omnia facta esse; sed omnia quæ facta sunt, per ipsum facta esse: ex quo Gregor. videtur legisse, sine ipso factum est nihil, quod factum est. Hanc enim lectionem passim sequebantur Catholici, soluentes argumenta Hæreticorum, qui Spiritum San-

ctum factum esse probabant; quia dictum est; omnia per ipsum facta sunt. quibus Catholici respondebant, non absolute omnia, sed quæ facta sunt, per ipsum facta sunt: & sic Chrysost. etiam soluit. Quamuis reuera, etiam si lectionem teneamus priorem, non procedat argumentum, vt superius diximus, & soluimus. Semper enim excipitur ipse, qui fecit: alias & verba Pauli Colossen. 1. Omnia per ipsum. & in ipso condita sunt, non recte se haberent, quia non additum est, quæ condita sunt: non ergo propter hæreticos coniunctim legendum est, sed quia cum sequentibus non apte coheret. Ambros. lib. 3. de fide, ca. 3. dicit, plerisque doctos, & fideles, hanc secundam sequi lectionem, & in enarrat. Psal. 36. dicit Alexandrinus, & Aegyptios eam amplecti. Tertia est, vt nec ibi quidem sententia, sed in sequentibus terminetur, vt dicamus. *sine illo factum est nihil, quod factum est in ipso*; sic Epiphanius in Anchorato, & dicit hæreticos separasse hæc verba à præcedentibus, & legisse; sine ipso factum est nihil, vt blasphemiam inferrent Spiritui Sancto, cum sit legendum sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso. Hanc lectionem Theoph. nomine quorundam Orthodoxorum recitat, eamque sequitur Hilar. lib. 2. de Trinit. & exponit vt paulo inferius dicemus. In hac lectionis varietate mihi magis placuit media, quam & in commentario sumus secutus: quia in singulari dictum est (quod factum est) ob idque referendum ad illud (nihil) quod præcessit, videtur. Si enim Euangelista sequentibus connectere vellet, diceret; quæ facta sunt, in ipso vita erant: sicut etiam dixerat; omnia per ipsum facta esse: tum etiam, quia si coniungamus illud (quod factum est) sequen-

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

COMMENTARIUS.

A De eandem sententiam pertinent hæc verba. Vt enim magis exprimat præcedens rerum omnium comprehensio, quod dictū est per affirmationem, confirmatur per negationem, & per numerum singularem. ne quis dictum esse, fecisse omnia, arbitraretur, quia plurima fecit. Aliquando enim solemus generatim loqui ad multitudinem significandam, quamuis non omnes partes multitudinis cōprehendantur: qua etiā phrasī vtitur aliquando scriptu-

quentibus, non erit sensus ita proprius, atque si incipiat sententia ab illis verbis, in ipso vita erat, ita tamen hanc sequor lectionem, ut primam etiam reputem probabilem, cui tamen mediam anteferendam arbitror, quam tot etiam ac tam graues Doctores amplexati sunt, propter causas praedictas, & eas, quas inferius paulo post dicemus. Tertia autem quae est Hilar. non videtur admodum probabilis. Effet enim sensus, nihil factum est sine ipso ex ijs, quae facta sunt per ipsum: qui sensus non conuenit vniuersitati absolutae, qua dictum est, omnia per ipsum esse facta.

ANNOTATIO XVI.

Quid vox illa, Nihil, hoc loco significet.

I AM verò vocem illam nihil, siue ibi lectio si stat, siue ulterius procedat, variè exposuerunt olim, & haeretici, & Catholici Primò, Haeretici per hanc vocem creaturas has sensibiles, & mundum hunc visibilem significari dixerunt, & affirmatiuam faciebant locutionem, nempe, sine verbo factum est nihil, id est, sine verbo factus est hic mundus. Hunc enim mundum visibilem, non à Verbo, sed à Diabolo, & à Principe tenebrarum factum affirmabant. Tales fuerunt Manichæi, ut refert Augustinus libr. de nat. Boni. cap. 25. vbi irridet, dicentes, non posse legi verba negatiuè, sine ipso nihil est factum: quia illud nihil, est post verbum, quasi interfit dicere factum est nihil, & nihil factum est. Meritò autem eos irridet Augu. parum enim refert, siue ante siue postponatur, ut aperte probat ex illo Ioan. 18. In occulto locutus sum nihil, quod idem significat, ac nihil locutus sum. Secundò, Aliqui Catholici legunt etiam affirmatiuè, & per nihil exponunt Diabolum, quasi sine verbo factus esset Diabolus. Hanc expositionem, se in quibusdam commentarijs legisse refert Hieronimus Mich. 2. super illa verba (fugerunt nemine persequente) vbi etiam per neminem, aliqui exposuerunt Diabolum. Quam expositionem extortam esse, & non secundum simplicitatem sacrae scripturae, merito censet. Non est autem intelligenda expositio istorum, quasi velint dicere; Diabolum, quantum ad substantiam, non esse factum per verbum, sed non esse factum diabolum. Nam ratione peccati dicitur Diabolus. Sic Basil. in hom. Quod non sit Deus auctor malorum, Deum non fecisse Diabolum, sed ipsum sua se fecisse voluntate docet: non quòd Deus non fecerit substantiam, sed quod non fuerit malitiae auctor, per quam Diabolus dicitur. ita sunt isti exponendi, quo etiam modo eos exponit Orig. tom. 2. Quia ergo malitia, & peccatum est nihil, ob id dictum est, sine eo factum est nihil, id est, Diabolus. Tertio adhuc catholici alij affirmatiuè exponunt, tamen per nihil, non diabolum, sed peccatum ipsum interpretantur, quod non sit auctore Deo: quam expositionem licet attingat Augustinus super hunc locum, non tamen videtur probare, imò lib. de nat. boni. cap. 25. & hoc ipso loco exponit, ut expositum est communiter: nihil factum est sine ipso. Illa tamen est expositio Origen. tom. 2. qui hoc nihil ad peccatum refert, per quod qui peccat, non ens sit:

qua ratione enim peccator est, non ens est, & nihil dicitur. Sed omnes istae expositiones, ut rectè indicauit Hieron. sunt violentae, & non secundum simplicitatem scripturae, imò contra communes loquendi modos. Subigitur verba negatiua, ut sit sensus; nihil horum quae facta sunt, sine ipso Verbo factum est: quod magis apertum erit, si legamus uti diximus: sine ipso nec vnum factum est. Aduertendum est autem, Heraclionta, ut superius attigimus, legisse quidem negatiuè, tamen exposuisse, sine ipso factum est nihil, id est, nihil ex sensibilibus. nam negabat inuisibilia esse facta à Verbo, ut refert Origen. tom. 2. sed iam haeresis hæc coniuncta est in superiorum verborum expositione: generaliter igitur est intelligendum, nihil est eorum, quae facta sunt, & extra Deum sunt, quod non sit à Verbo, seu per Verbum, factum.

ANNOTATIO XVII.

EXpendendae restant duae particulae, Vna est sine, Graecè *χωρίς* Orig. hom. 2. in diuersos exponit extra ipsum, & sensum putat esse, nihil est factum extra ipsum, seu nihil factum est, quod non sit in ipso: ut omnia non solum per ipsum, sed etiam in ipso facta sint, quod Paulus ad Colos. 1. docuit. Omnia, inquit, per ipsum, & in ipso creata sunt. Quae verba, Verbum non solum auctorem omnium significant, sed etiam conseruatorem factorum: qui nisi conseruaret omnia facta, protinus in nihilum redigerentur. & hoc est, quòd per ipsum, & in ipso cuncta sint, nempe creauit omnia, eaque sua praesentia conseruat. Ista lectio adiuncta hac nostra declaratione non est spernenda: tamen quia communis lectio est, ut legamus sine, quod & Graeci expositores in eo sensu exponunt, id sequendum est, sicque nos exposuimus. In eadem particula sine, Hilar. lib. 2. Trini. significari adnotat, Filium fecisse omnia non solum, sed vna cum Patre, vbi inquit. Ne dū dixit omnia per ipsum esse facta, intelligeretur etiam Pater factus (nam omnia nihil videbatur excludere) ob id addit, sine ipso factum est nihil. In quo verbo significatur quænam concomitantia, & associatio, ut inde intelligatur etiam alia persona locia. nempe Pater: quasi diceret, sine eo à Patre nihil est factum. nam significatur persona, quae fecit, & sine qua non fecit. hæc tamen Hilar. & qui dem verum est id significari, tamè causa, propter quam, id significatum dicit Hilar. non probatur. Dum enim dicitur per ipsum facta sunt omnia, ab his omnibus Pater excluditur, qui per ipsum fecit, & spiritus, qui cum eo fecit, uti superius diximus.

Alterum verbum est ipso: Origen. tom. 2. meminuit, aliquos non retulisse ad Verbum illud, de quo dictum est, erat in principio, & apud Deum, & per ipsum facta sunt omnia, sed ad verbum, & humanam rationem. Verbum enim & ratio hominis etiam dicitur λόγος. Et exponunt sic, sine verbo factum est nihil, adeò ut nec peccatum etiam factum sit sine ratione. nisi enim esset lex, & ratio in homine peccatum

Peccatum non esset. Sed talis expositio, reijcitur merito ab Origen. nec vlla ratione defendi potest. Quis enim non considerat, quam sit absolum in verbis istis tanta uti amphibologia, ut modò de vno, modò de altero Verbo

loquatur Euangelista? cum eius intentio non sit alia, quam Verbum hoc, quod caro factum est, exponere, & originem eius, ac naturam, & operationem describere.

In ipso vita erat.

COMMENTARIVS.

PROSEQVITVR Euangelista Verbi opera, & effectus enarrare, & à rerū omnium creatione, quae per Verbum perfecta est, ad reparationem hominis, quae in ipso Verbo est facta, describendam se cōuertit. In ipso, inquit, vita erat. sensus talis est, non tantum per verbum Deus omnia fecit, sed etiam in eodem verbo vitam spiritualem, coelestem, & aeternam operatus est. Homo enim, quem Deus per verbum creauerat, seipsum, omnemque suam posteritatem peccato infecit, aeternae mortis in anima, & corpore factus reus. Hunc ergo in ipso verbo viuificare voluit, ut eodem Verbo, per quod omnia facta erant, homo, qui omnia quodam modo complectebatur, ad vitam reuocaretur. in ipso igitur vita erat. Quam sententiam apertioribus verbis idem Ioannes expressit. epist. cap. 5. Vitam, inquit, aeternam dedit nobis Pater, & hæc in Filio eius est, id est, huius aeternae vitae, Filius, qui Verbum nunc dicitur, auctor est. Sapienter autem Euangelista locutionem diuersam fecit. nam per quod Verbum omnia facta dixerat, in ipso verbo vitam esse pronunciauit: ut hac mutatione, & diuersitate loquendi, nempe per ipsum, & in ipso susceptae carnis significaret mysterium. Verbum enim, quod sola sua diuinitate, omnium creator erat, ratione carnis in se acceptae, & diuinitati coniunctae, auctor est vitae. Non enim aliter fecit hominem viuere, nisi per carnem, non quia non posset, sed quia id ita facere ab aeterno voluntariè disposuit. Illud (erat) duo nobis significat. Vnum est, aeterna Dei dispositio, & voluntas. Prauidens enim Deus hominem à se formandum ab accipiēda perfectione, & vita casurum, reumque aeternae mortis futurum, Verbo suo carne induto eum reparare, & vitam reddere decreuit. quam quidem aeternam diuinam mentis dispositionem, Paulus pluribus verbis exposuit, dicens 2. Timo. 1. Liberavit nos, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum, & gratiam, quae data est nobis in Christo, ante tempora secularia. Et ad Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Alterum est à mundi principio, etiam ante carnem assumptam in Verbo datam esse hominibus vitam. Quamuis enim nemo vnquam sit à peccato liberatus, nec ad vitam hanc reuocatus, nisi propter Christum Deum, & hominem; tamen tanta huius mysterij virtus est, ut etiam ante carnem assumptam illi, qui eius aduentum in carne praecesserunt, in Verbo, propter futurum incarnationis mysterium, per fidem vitae restituerentur: de quibus dicitur 1. Cor. 10. Bibebant de consequente eos petra: petra autem erat Christus, ut non immeritò Apoc. 13. dicatur, Agnus occisus ab origine mundi. In ipso ergo vita erat. Sed quid Vitae nomine alij intellexerint, operae precium est exponere.

ANNOTATIO XVIII.

Quid nomine Vitae significetur.

VARIi sunt doctores, in expositione huius nominis vita. Principio Chrysof. Homil. 4. vitam exponit virtutem ipsam Verbi, quae non per compositionem ipsi inest, sed per simplicitatem est ipsummet Verbum, qua virtute cuncta creat, conseruat, & gubernat. Secundò Cyrill. lib. 1. cap. 6. Vitam rerum omnium creaturarum durationem, & permanentiam esse dicit, quae ab ipso verbo est. in sensu enim causali hanc interpretatur sententiam, ut vita sit in ipso, quia vitam donat, conseruat,

seu dat conseruari, & permanere rebus omnibus. in hac significatione in tota Scriptura non inuenitur hoc nomen (vita) acceptum. Tertio Augu. Traet. 1. vitam hanc exponit ipsammet Verbi substantiam, quae vita est. Omnium enim creaturarum idea est ipsa essentia diuina, omnia enim creata sunt vita in Deo, quia ratione ideæ dicuntur esse in Deo, ideæ autem est ipsa essentia & vita Dei. Quarto Ambros. lib. 3. de Fide, cap. 3. & Athan. lib. 3. de Homine, hanc vitam spiritualem, quae per gratiam

tiam est, interpretantur. Vltimò recentiores vitam viuientium exponunt. Verbum enim ijs, quæ viuunt, vitam dat. quæ sententia de sumpta est ex Clement. Alexandrino, in exhortat. ad gentes, ubi eleganter dicit: Verbum, quod erat apud Deum, doctor apparuit: Verbum, per quod omnia sunt fabricata, & quod cum eo, qui finxit, vitam simul præbuit, ut opifex; bene viuere docuit, cum apparuisset, ut magister: ut postea semper viuere suppeditaret, ut Deus. Inter hos doctores aliqui illud *ipso* ad verbum ratione solius diuinitatis, aliqui ad ipsum carne indutum referunt: iisdem tamen quia varias, & diuersas lectiones sequuntur, diuersè quoque & variè hæc verba exponunt, quorum opinionones, lectiones, & sensus in sequenti Annotatione referam, in præsentia sufficiat eorum sententias in vitæ huius explicatione proposuisse. Mihi cum Ambrosio & Athanasio, sentientium videtur. Vita enim hæc, quæ in Verbo esse dicitur, est, qua homo viuunt secundum Deum, quæ fit per gratiam, & consummatur in æternum per gloriam: & ad hanc nobis largiendam Verbum caro factum est. hæc est, quam Euangelium annunciat, & quam ipse Ioannes, ut in Commentario retulimus, semetipsum exponens, nos docuit, dicens i. epistola, cap. 5. Vitam æternam dedit nobis Pater, & hæc in Filio eius est. propter hanc Petrus Acto. 3. Christum auctorem vitæ, & Ioannes ipse in eadem epist. cap. 1. Verbum vitæ, Filium Dei appellauerunt: Quod perspeximus, inquit, de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quid clarius hisce verbis adduci potuit? Constat profectò hoc Ioannis exordium confectum esse magna ex parte ex ijs, quæ ipse in Euangelio suo à Christo esse dicta, & pronuntiata narravit, & quæ in epistolis proprijs exposuit, in quibus omnibus locis, de hac vita sermo totus est. Ioan. 3. Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ viuæ, salientis in vitam æternam. Ioan. 5. Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Ioan. 6. Qui credit in me, habet vitam æternam. Ioan. 8. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ioan. 10. Ego veni, ut vitam habeant. Ioan. 11. Ego sum resurrectio, & vita. Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Ioan. 17. Ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Sunt sexcenta huiusmodi testimonia. De hac ipsa vita in epistolis suis Ioannes frequenter agit, & hanc prædixerunt Propheta, & maximè est illud oraculum, Psal. 35. Apud te est fons vitæ, nempe apud Patrem Filius, in quo vita nunc esse dicitur. illud autem *ipso* significat, Verbum in carne, Christum Deum, & hominem. Quamuis enim creditibus ante carnem assumptam, vitam dabat, dabat tamen quia caro assumenda erat, uti in Commentario explicuimus, magisq; in sequentibus fiet manifestum. Euangelista enim sermonem facit de ijs solùm, quæ Verbi propria sunt. Est autem phrasis scripturæ vsitata, effectum causæ nomine substantiuo, ut vocant,

A significare. Act. 4. Non est in aliquo alio salus, id est, nõ est aliquis alius salutis causa. Et Psal. 3. Non est ipsi salus in Deo eius, ita & hic, In ipso vita erat.

ANNOTATIO XIX.

MAGNA est varietas, & lectionum, & expositionum horum verborum: Epiphanius & Hilar. lib. 2. de Trin. uti iam diximus, priora verba (quod factum est in ipso) referbant ad antecedentia, & hanc sententiam incipiebant sic (vita erat,) & sic exponebat Hilar. nihil factum est sine ipso ex his, quæ facta sunt in ipso, id est, per ipsum: cuius causa est, quia vita erat. verba igitur ista, (vita erat) continent causam. quare sine eo factum est nihil, quod factum est in ipso. Opinatur autem, dictum esse *in ipso*, ne cum dixisset *sine ipso*, arbitraremur esse causam, sine qua nihil creatum fuisset. Dicens autem *in ipso*, significat verbum esse causam efficientem. Sed mittamus hanc lectionem cum expositione Hilarij, quia ad præcedens Commentarium pertinet. Consideremus verò lectiones, hæc verba (quod factum est) cum sequentibus connectentes, nempe, *quod factum est, in ipso vita erat*. Et cum sit triplex duntaxat lectio, multiplex expositio inuenitur, si diligenter obseruemus.

Prima est, ut illud (in ipso) coniungatur cum illo (factum est) sitque lectio talis. *Quod factum est in ipso vita erat*: in qua lectione sunt multi sensus, tam Catholicorum, quam hæreticorum. In primis Manichæi sic legebant, ut inferrent omnia viuere, etiam ipsos lapides, & quæ Philosophi inanimata vocant. Si enim quod est in ipso factum, viuunt, omnia vitam habent, quia omnia in ipso facta sunt: sic isti deducebant, ut refert August. Tract. 1. in Ioan. Secundò, iisdem Manichæi, ut Ambrosio lib. 3. de Fide, cap. 3. meminit, ex hac lectione inferebant esse alia, quæ non sunt à Verbo facta, & horum esse aliud principium. Nam dicebant, si quidquid est in ipso factum, vita est, igitur aliqua alia sunt, quæ non sunt ab ipso facta, utpote mors, & mala, atque ita erunt duo principia, vnum malorum, bonorum alterum: sic argumentabantur Manichæi. Sed quis non videt illorum illationes esse vanissimas? Tertiò, Arriani hanc etiam sequebantur lectionem, ut ibidem refert Ambrosio. & in enarrat. Psal. 36. Ut inde verbum esse factum inferrent; Si quod in ipso factum est, dicebant isti, vita erat, ergo ipsum verbum factum est. Sed & id vanum esse ostendit Ambrosio. cum Ioan. 3. dicitur, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt: certè stultum esset inferre opera facta sunt in Deo, ergo Deus factus est, & cum Psal. 103. legitur; omnia in sapientia fecisti, nõ rectè inferitur, ergo sapientia est facta. Sunt multa loca in scriptura similia: imò si attentius despiciamus, ex hac locutione potius inferitur, ipsum non esse factum. Quartò, eodem modo Macedoniani legebant, & inde inferebant Spiritum Sanctum esse factum: dicebant enim; si quod factum est in ipso, erat vita, ergo vita

vita est in ipso facta, & per hanc vitam intelligebant Spiritum Sanctum. ita Theopylact. quæ etiam vana est expositio. Falsò enim asseritur Spiritum Sanctum esse hanc vitam, quæ in nobis per verbum facta est. Quintò, Origen. Tom. 3. Heracleonta refert ita legisse, & illud *in ipso* exponebat homines spirituales, ut esset sensus: quod factum est in spiritualibus hominibus, vita erat: sed nimium violenta est istius hæretici expositio, cuius supra quoque meminimus. Habes quatuor hæreticos vnam quidem lectionem, at variam expositionem sequentes. Ad Catholicos, & graues quosdam doctores, qui eandem lectionem amplectuntur, veniamus: hi varios adhibent sensus; pios tamen, & catholicos. Sextò, ergo B. Ambrosio. locis paulò ante citatis sic exponit, *quod factum est in ipso*, nempe Christo, *vita erat*, in Verbo autem seu Christo, *vita erat*, & in Verbo seu Christo facta est caro, passio, mors, &c. Hæc autem vita nobis sunt. Septimò, Origen. Tom. 3. aliter, ut & Athanasio de vnit. Trinit. substantia, lib. 3. qui est de assumptione hominis, exponunt, *quod factum est in ipso*, id est, quod per ipsum factum est, *vita est*, ac si apertius Euangelista diceret; per ipsum seu in ipso vita spiritalis, sicut Ambrosio & Origen. Hæc est prima lectio, in qua septem vidimus expositiones. Hanc tamen lectionem Augustinus. lib. 5. super Genes. ad litter. cap. 14. & Tract. 1. in Ioan. rejicit hoc argumento: quia si quod factum est in ipso est vita, cum omnia facta in ipso sint, omnia viuunt; quod tamen falsum esse Catholicus non dubitat. Esse autem omnia non solùm per ipsum, sed in ipso etiam facta, docet Paulus Colof. 1. In ipso, inquit, condita sunt vniuersa in coelis, & in terra, visibilia, & invisibilia. Hoc quidem verum est: at cum Euangelista mutauerit locutionem, & per ipsum omnia facta, in ipso autem vitam esse dixerit, aliquid singulare significare voluit, ut nos in Commentario diximus.

Est igitur altera lectio, quam ipse sequitur Augustinus, ut illud (in ipso) adiungatur sequentibus, & legatur, *quod factum est, erat vita in ipso*. Sequitur eandem lectionem Cyrillus libro 1. in Ioan. cap. 6. & 7. tamen non eodem modo exponit. Primò igitur Augustinus. facit hunc sensum, ut omnia facta, qua ratione sunt in Verbo, vita sint. Sunt enim omnia in verbo, ut in exemplari quodam eminentissimo, & perfectissimo, & ut in causa omnium efficienti, & quatenus in eo sunt, vita sunt; quia hoc esse non est aliud, quàm diuina natura, quæ est vita, ut aiunt essentialis, & substantialis: sicuti dicimus effectus omnes esse in suis causis, quod quidem esse non aliud est, quàm esse ipsarum causarum. sic omnia in Deo erant, sed ut erant in eo, vita erant, quæ est ipsemet Deus. Quare Augustinus. illud (in ipso) refert ad Ver-

bum. ista est expositio Augustini. cuius meminit ante Origen. Tom. 3. & sequitur in Homil. 2. in diuersos. Secundò loco Cyrillus. quamuis eodem legat modo, tamè aliter exponit, nempe, in ipso vita erat, id est, verbum dat vitam ijs, quæ facta sunt. Hæc enim locutio; *quod factum est, vita erat in ipso*, ad hanc reducitur; verbum est, quod dat vitam ei, quod factum est: ut non solùm sit Verbum causa, ut sint, sed etiam ut viuant. Vides Cyrillus. illud (in ipso) referre ad (quod factum est) ut sit sensus; Verbum erat vita in ipso quod factum est, seu dat vitam, omni rei, quæ facta est: id verò vitam intelligit, quo res conseruantur, & durant, ut Verbum non solùm omnia faciat, sed etiam omnibus det persistere, & conseruari: quia sine Verbo omnia in nihilum redigerentur. Inde tamen non rectè intuleris, ergo omnia viuunt vita propriè sumpta. Cyrillus enim intelligit per hanc vitam, ut ita loquamur, durationem, & conseruationem, quæ quidem omnibus rebus existentibus communis est. Tertio Clemens Alex. libr. 1. Pædag. cap. 6. eandem sequitur lectionem, sed in alio sensu, ut sit sermo de vita spiritali; ut quod factum est, per verbum habeat vitam gratiæ. Sed ipsum loquentem audiamus; Christum sequi salus est. quod enim factum est in ipso vita, est; Amen amen dico vobis, qui sermones meos audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam, hæc Clem. ubi illud, (in ipso) de Verbo intelligit, & hæc expositio conuenit in sensu cum illa Athanasij, sed differt in lectione, & vtraque est apta lectioni, in qua (quod factum est) connectitur sequentibus.

Adhuc est tertia lectio eorum verborum, ut illud (in ipso) nec vni, nec alteri iungatur extremo, sed sit per se: ut sit sensus; quod factum est, in ipso, supple est, ut non tantum facta sint per ipsum, & cum ipso, sed etiam in ipso: & statim sequatur; Vita erat, id est, hoc etiam verbum vita erat. Hanc lectionem refert Ambrosius libr. 3. de Fide, cap. 32. & re vera non est violenta. Frequens enim est Hebræis suppressere verbum substantiuum: ac si dictum esset, quod factum est, in ipso est, nempe in ipso Verbo: & statim sequatur; vita erat, & vita erat lux hominum. Breuiter consideremus totum contextum, & Ioannis consilium, existimo non inueniri posse lectionem, ac expositionem æquè conuenientem, atque ea est, quæ in Comentario sumus secuti: libuit tamen omnes lectiones, & expositiones in medium proferre, ut facilius vnusquisque intelligeret Doctores, & quid singuli sentiant, perciperet: quia non omnes, qui scribunt, fideliter sententias eorum referunt.

Et vita erat lux hominum.

COMMENTARIUS.

EIVSDEM Verbi alium effectum exponit Euangelista, *Vita*, inquit, *erat lux hominum*; ac si diceret, Verbum in quo vita erat, hominibus se manifestavit, & spendentes radios, vt ab hominibus agnosceretur, & per hanc agnitionem vitam consequerentur, sparfit. Nemo enim à Verbo vitam consecutus est, nisi per fidem eius, in quo vita erat. Ideò verbum lux erat hominum. omne enim, quod manifestatur, lux est. Ephes. 5. & de hac luce dicit Dominus, Ioan. 8. Ego lux sum mundi, tam eorum, qui meam carnem præcesserunt, quàm eorum, qui secuti sunt. Attende singula. Vita hoc in loco posita est cum articulo, vt ipsum verbum significetur: in scriptura enim aliquando Verbum vita, aliquando in Verbo dicitur esse vita: & quamuis in vtraque locutione idem sit sensus, nempe Verbum esse auctorem, & causam vitæ nostræ, tamen non est eadem nominum significatio. quando enim Verbum dicitur vita, tunc vita accipitur pro ipso Verbo, qua ratione est vitæ causa. Ioan. 14. Ego sum veritas, & vita. Colos. 3. Cùm apparuerit Christus, vita vestra. quando autem in Verbo dicitur esse Vita, tunc Vita accipitur pro ipsamet vita, quæ datur in Verbo, & cuius causa est Verbum. 1. Ioan. 5. hæc vita in Filio eius est. Ideoque magno consilio vtraque locutione Ioannes in præsentī vsus est; dixit enim, *in ipso Vita erat*, vbi vita pro ea, quam Verbum efficit, & dat nobis ponitur: postea subiunxit, & *Vita erat lux*, vbi vita pro ipso Verbo, quod est causa vitæ, accipitur: at vt hæc distingueret, priorē vitam sine articulo, posteriorē cum articulo pronunciauit. Illa vita erat lux, nempe illud Verbum in quo vita erat, ideoque vita dicitur, hæc, inquit, lux erat. simili etiam ratione articulum apposuit luci. erat illa lux, vt ipsum idem Verbum significaret. Attende præterea, non dictum esse, *in ipso vita erat*, & lux hominum: neque sic; in ipso erat vita, & ipsum erat lux hominum; sed vita erat lux hominum, vt nimirum hac locutione, Euangelista significaret ad vitam assequendam, necessarium esse lumen, quo Verbum hoc luceat in cordibus nostris, non enim viuere facit; nisi quos fide sua illuminat Christus, ideo Ioan. 8. dicebat: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. quod planius Ioan. 17. exposuit; Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum; ac si diceret, vita non sum, nisi ijs, quibus lux sum. vnde rectè Greg. Nazian. orat. 4. theol. hæc verba Ioannis sic interpretatus est quia lux erat, vita erat. Porrò illud (*erat*) verbi æternitatem indicat: quamuis enim in tempore apparuerit in carne, persona tamen quæ apparebat, æterna erat, insinuat etiam Euangelista hoc verbo (*erat*) non tunc Christum incepisse illuminare, & lumen esse, quādo carnem accepit, & visibilis apparuit: cùm ab ipso mundi exordio aduentum suum multis ad vitam manifestauerit. vèturī enim fide iusti fiebant, quotquot ante eius carnem fuerunt.

ANNOTATIO XX.

Quid lucis nomine significetur.

ANTIQVI Patres non consentiunt in exponenda hac luce hominum. sunt enim tres eorum sententiæ. Prima est, verbum dicitur lucē, ratione luminis naturalis, quod hominibus à natura inest, & ipsos efficit rationis capaces, & hoc à verbo est. Erit ergo sensus huius cōtextus, per Verbum omnia facta sunt, & in verbo omnia facta conseruantur, & verbum hominibus auctor est luminis, quo capaces sunt rationis, & intelligunt. hæc sententia est Origen. Tom. 3. & Cyril. lib. 1. cap. 7. in Ioan. Altera sententia est, verbum dici lucem hominū, propter supernaturale fidei lumen, quod cordibus hominum infundit, non solum post

aduentum in carnem, sed ante aduentum etiam. Omnes enim illuminati fide à principio mundi, à verbo illuminati sunt. ita Augustin. Tract. 1. vbi affirmat hac luce esse vtrunque Ioannem illuminatum, nempe Baptistam, & Euangelistam. Tertia est, lucem hanc esse Verbum factum iam carnem, diciturque lucem à lumine quidem supernaturali, sed quod post aduentum sparfit. hæc sententia est Gregor. Nazian. orat. 4. theol. & Ambr. lib. de Fide cont. Arian. cap. 3. Chrysol. Homil. 4. in Ioan. Mihi tamen in hac parte probabiliora videtur, quæ subiungo Primum est, non agi hoc loco de lumine naturali, sed de supernaturali: tum quia

vti expo-

vti exposuimus supra, vita dicitur lux, quoniam illuminat ad vitam æternam, lumen autem, seu cognitio naturalis, non est lumen vitæ huius, sed lumen fidei, sine quo nemo viuere tum quia lumen naturale non est solius Verbi effectus, sed totius Trinitatis, at lumen fidei aliquomodo ad Verbum spectat, quia propter aduentum eius in carnem datum est; tum etiam, quia in progressu Euangelij, in quo Christus lux dicitur, & frequens de lumine sermo est, non de naturali lumine, quod incredulis etiam est commune, sed de supernaturali oratio habetur. quæ autem Ioannes in suo exordio proposuit, respondet ijs, quæ postea in sua historia Euangelica diffusius narrat. de mum quia post hæc prosequitur Euangelista, dicens de Ioanne Baptista; Hic venit, vt testimonium perhiberet de lumine: Ioannes autem non venit, vt testimonium perhiberet de Verbo, vt est lux naturalis, quod habet ratione solius diuinitatis, sed ratione supernaturalis luminis, quod habet propter carnem. Alterum est, Verbum dici lucē ratione luminis supernaturalis, quod etiam ante aduentum suum in carnem, Verbum sparfit in omnes fideles à mundi principio. & in hoc Aug. consentio, idque Ioannes ipse satis significauit, dicens: Erat vita, & erat lux. Vox enim *erat*; antiquitatem indicat: id ipsum rei veritas comprobatur. Christus enim Deus, & homo, non solum post aduentum suum, sed etiam ante, sui radios emisit, & sicut pro omnibus prioribus, & posterioribus mortuis est, ita etiam eos illuminauit, vt fructum mortis, perciperent. Lux ergo dicitur Verbum in carne, qui Christus est, ita tamē, vt nondum carne suscepta lux sit, sicut sol, qui antequam Horizontem ascendat, solet radios emittere, & mundum illuminare. Quamquam fatendum est, multo magis illuxisse hominibus, lucidiusque splenduisse post aduentum, sicut sol post ascensum suum. Tertium est, verba sequentia; *Lux lucet in tenebris*; enūciata esse de Verbo lu-

cente, & manifestato in carne iam suscepta; & sic intelligendi sunt Doctores tertio loco allegati, & Ambrosius, expressè id significat. Sic enim inter alia dicit, Lux lucet in tenebris, id est, Christus in celo, sicque couenire possunt secunda, & tertia sententia, & Ioannes absolutus in sua narratione iudicabitur, qui Verbum in carne ante, & post aduentum illuxisse descripsit. Hac doctrina soluitur facillè dubium propositum ab Orig. tō. 3. in Ioan. cur non dictum sit Verbum lux Angelorum, cùm etiā Angelorum. B. geli ratione polleant, lumenque naturale habeant: ad quod ipse dupliciter respondet. Primum quidem eò, quod lux hominum dicitur, non excludi, quin sit etiam Angelorum, sicut cùm dicitur Deus Abraham, Isaac, Iacob, non negatur eum esse etiam Deum cæterorū; quæ tamen solutio non satis facit: oportebat enim assignare causam, cur potius sit Verbum dictum hominum lux, & non Angelorum, cùm hi sine perfectiores. Altero modo respondet, hoc nomine *hominum* etiam Angelos significari, qui aliquando in scriptura homines, appellantur. C. At neque in hac responsione eonquiescit animus; Angeli enim vocantur homines, quando apparent in forma humana, aut aliquod officium hominis peragunt, quod hoc loco non dicitur. Præterea etiam homines appellantur Angeli, cur ergo non dictum est, Lux Angelorū, vt nomine Angelorū etiā homines significarentur? Hęc dubitatio in expositione Origen. & Cyril. locū habet, qui de lumine naturali loquuntur: at in nostra facile cū Chrysol. soluitur hō. 4. verbum. n. ratione carnis non erat lux Angelorū, cùm non Angeli sint redempti, sed homines, quorū causa Verbum carnem sumpsit, & eorum Doctor, Lux, & Vita, & Magister est factum: potius ergo ex hoc colligendum est, non de luce naturali, quæ Angelis est communis, sed de supernaturali, quæ hominibus solis datur à Verbo ratione carnis assumptæ, Euangelistam loqui.

Et lux in tenebris lucet.

COMMENTARIUS.

VERBUM in quo vita erat, & quod lux erat hominum ad vitam, etiam nondum carne suscepta, visibile tandem apparuit, & suscepta carne lucet. Hoc Ioannes 1. epist. cap. 1. alijs verbis expressit, dicens; Vita æterna manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Vitam manifestam esse, & apparuisse dicit nunc Ioannes, lucem lucere. Erat prius lux inuisibilis, & spiritualibus oculis per fidem tantum cernebatur: at iam lucet, & visibilis facta est etiam oculis, & sensibus corporeis; exteriori verbo & operibus suæ potentie illustrans homines, & impletur illud Isa. 52. Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum: ac si diceret; Ego, qui prius me patribus manifestavi inuisibiliter loquendo, ecce iam visibilis adsum, & luceo. & Baruc. 3. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, post hæc in terris visus est: hoc idem Paul. 2. Timo. 1. Gratia, inquit, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia, manifestata est autem per reuelationem Domini nostri Iesu Christi; quasi dicere voluisset; iam Christus carne suscepta lucet in mundo, nos docens, & viuificans. Hæc autem lux lucet, sed in tenebris: quia veniens Christus in mundum

mundum, ignorantem Deum, & à via salutis aberrantes inuenit, his se visibilem Doctorem veritatis exhibuit; & impletum est, quod Isa. 9. prænunciatum erat; Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Tenebras appellat homines, Deum, & viam salutis ignorantes: qua appellatione vsus etiam est Paulus, Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ: Tales & inter Iudeos multi tunc erant, de quibus Mat. 15. dictum est; Cæci sunt, & duces cæcorum. & Matth. 22. Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Vsus est autem Euangelista verbo *lucet*, ad significandam præsentem quidem in carne, sed perpetuam, & indefinentem illuminationem. Christus enim, etiam post suam ascensionem, per suos Apostolos, & eorum successores, totamque Ecclesiam, etiam inter infidelitatis tenebras, semper in vniuerso lucet.

Et tenebræ eam non comprehenderunt.

COMMENTARIUS.

NON omnes ex ijs, qui in tenebris erant, venientem Christum, & lucentem agnouerunt, nec eius salutarem susceperunt doctrinam, vitio; & culpa propria ipsorum: & hæc tenebræ sunt, quæ non comprehenderunt lucem illam lucentem. quod ipse Dominus Ioan. 3. significauit dicens; Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Non dicit autem Ioannes, nullas tenebras lucem comprehendisse, cum non defuerint multi prius in tenebris ambulantes, qui lucem admiserunt, & crediderunt, & ex tenebris facti sunt lux, iuxta illud Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: & Act. 26. Mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem; plurimi tamen Iudeorum dilexerunt magis tenebras, volentes in suis permanere vitijs: & hæc sunt tenebræ, quæ non comprehenderunt lucem. Verbum *Comprehenderunt* idem significat, atque, non perceperunt, neque apprehenderunt, sicut illud Rom. 9. Israel legem iustitiæ non apprehendit. Vtrobique idem est verbum Græcum. Quod si inquiras; cum multi, quibus Verbum in carne apparuit, ipsum non agnouerint, qua ratione illis lucere, dictum est? Respondeo, duo hæc esse inter se longè diuersa; Lucem lucere, & ipsam percipi. Sol namque, nemine aspiciente lux est, & lucet, quia radios splendoris emittit, quamuis multi locis subterraneis se abdentes, aut oculos aperire nolentes, lucem eius non percipiant; sic lux illa, Verbum in carne, radios cælestes, & salutem afferentis doctrinæ inter incredulos sparsit, etiam si illi noluerint mentis oculos aperire, vt crederent.

ANNOTATIO XXI.

Tenebrarum nomine quid significetur, diuersæ sunt sententiæ.

NON eodem modo doctores tenebras exponunt, nec in eadem significatione verbum illud, *comprehenderunt* accipiunt. Primò quidem Orig. Tom. 4. in Ioan. aliud per tenebras, in quibus lux lucet, aliud per tenebras, quæ lucem non comprehenderunt, intelligit. Prioribus dicit significari, carnem patibilem, & mortalem, & quæ erat in similitudine peccati, in qua Verbum apparuit; posterioribus autem significari Dæmonia, & aduersarias potestates, quæ contra Dominum insurrexerunt, & eum sunt persecutæ: vt sit sensus; Lux in tenebris lucet, id est, Verbum apparuit in carne mortali, & patibili, & in similitudinem peccati inter nos; tamen omnes inferni potestates non potuerunt præualere contra illud; sed superatæ, & victæ sunt. Hæc est expositio Origen. & eam secutus est Gregor. Nazianzen. orat. in sancta lumina: quamuis eam applicet

A fidelibus, & iustis hominibus, quorum caro in hoc seculo exposita est inimici contradictionibus, tamen præualuit lux interior animæ: sed hoc magis dicit per accommodationem quandam. Christo enim hæc verba conuenire sciebat. Secundò, Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 7. non idem etiam per vtriusque tenebras interpretatur; sed per priores naturam rationalem, in quantum ex se non habet lumen intelligentiæ, & rationis, nisi à Deo donetur, vnde ex se tenebricosa est; cum autem Verbum ei intellectum, & vim rationis communicat, fit rationalis, & luminosa. In his ergo tenebris lux, nempe Verbum, lucet infundendo, & communicando vim intellectiuam, & rationalem, quod omnibus est hominibus commune: at per tenebras posteriores exponit eos, qui cum lumen accepissent, non cognouerunt Deum, & huius luminis datorem, sed creaturas colue-

ras coluerunt: quamuis non admiserint lucem rationis datam à Verbo: hæc est expositio Cyrilli. Tertio Orig. hom. 2. in diuersos, sive auctor illarum homiliarum, eodem modo exponit priores tenebras, sicut Cyril. tamen posteriores aliter interpretatur, vt sint eadem tenebræ, quæ quamuis lumen rationis acceperunt à verbo, tamen non potuerunt ipsum comprehendere, quia incomprehensibile est. Natura igitur rationalis ex se non habet vim rationis, & intelligentiæ, ob id ex se obscura est, sed eam à verbo accepit. & Verbum in ea splenduit: neque tamen totum lumen seu lucem Verbi potuit capere, & idem tenebræ eam non comprehenderunt: non enim creatura rationalis potest Deum cognoscere; quantum ipse cognoscibilis est. Hanc secundam partem sequitur etiam Hilar. lib. 2. de Trinit. dicens: Tenebræ non comprehenderunt, quia inenarrabilem Verbi generationem nemo comprehendit. Quarto Chrysof. hom. 4. in Ioannem, per priores tenebras mortem & errorem intelligit. In his lucet Christus, qui mortem subiit, & eius prædicatio inter errores innumeros propagata est. Hæc tenebræ non potuerunt efficere, quo minus hæc lux luceret; nam mors deuidta est resurrectione Christi, & errores omnes diuina ipsius doctrina depulsi sunt, & sic lucet in tenebris. Per tenebras autem posteriores, homines peccatores interpretatur; qui dum suis peccatis inhærent, nolunt lucis huius lumen recipere. Quintò, Ab hac B. Chrysof. expositione videtur discedere Theophylactus, qui per vtriusque tenebras idem intelligit: mors enim & error non potuerunt comprehendere lucem, quia nec mors, nec error impedire potuerunt, quo minus lux Christi, & fides eius in mundum induceretur. Sextò August. tract. 1. in Ioan. & lib. 4. Trinit. cap. 2. & epist. 120. ad Honoratum, cap. 3. & alijs in locis, vtriusque tenebras, eandem interpretatur rem, homines nempe ignorantem, & sedentes in umbra mortis; his Verbum lumen iuxta fidei, & cognitionis expandit. At qui nolunt recipere, dicuntur non comprehendere lucem: qui vero recipiunt, illuminantur. De natura ergo suæ, omnes carent luce hac supernaturali fidei, sed Verbum est, quod infundit, & lumen spargit: qui recipit, illuminatur; qui non recipit, in suis manet tenebris: & hoc est, quod tenebræ dicuntur non comprehendisse lucem. Augustinus autem loquitur de lumine spiritua-

li, iam ante aduentum. Verbi in carne, hominum cordibus per ipsum infuso. Septimò Augustinum sequitur Ambros. lib. de fide, contra Arian. cap. 3. tamen in hoc differt, quod exponit de Christo post ascensum, qui per mundum suæ fidei radios emittit. Lux, inquit, in tenebris lucet, id est, Christus è cælo illuminat: & tenebræ eam non sunt affecturæ, hi scilicet homines, quorum cor ignorantie tenebris est obcæcatum: hæc Ambrosius. quibus in verbis videtur de lumine Euangelicæ prædicationis loqui. Expositio Gregor. Nazianzen. in orat. de fide, quam octauo & vltimo loco referuauit, meo iudicio ceteris est verior, quam & in commentario sum prosecutus. Lux, inquit, lucet in tenebris, Christus nempe in hoc sæculo, & tenebræ eam non apprehenderunt: hi scilicet homines, quorum ignorantie tenebris cor excæcatum, Christum Deum, & verum Dei filiū non agnouit. His verbis significat Greg. lucem Christum esse, quia in carne veniens lucis suæ radijs, & doctrinæ splendore, illuxit mudo, qui erat in tenebris ignorantie, & peccatis; sed tenebræ, id est, qui voluerunt in sua manere ignorantia, & vitijs, non apprehenderunt lumen hoc: sicut sole lucente super terram, qui oculos claudit, non apprehendit lumen. Reliquæ expositiones non videntur ad mentem Euangelistæ, maximè illæ, quæ de lumine naturali, & quæ de lumine ante aduentum fidei procedunt, cum re vera Euangelistæ sermo sit de doctrina, quam in mundo suo Christus aduentu docuit: & de vita, quam veniens largitus est, quæ duo ab æterno per ipsum faciendæ esse, decretum erat. Sed iam ad aliam capitis partem explicandam, progrediamur; si tamen recentioris cuiusdam expositionem adiunxero quæ talis est: vt per tenebras intelligantur omnes creaturæ sensibiles, rationis, & intellectus expertes: in his lux lucet, quia per earum cognitionem, in Dei cognitionem accedimus. Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; tamen ipsæ non comprehendunt: quia lucem hanc & verbum non valent cognoscere. quæ expositio prorsus est aliena à verbis Ioannis, qui lucem Christū vocat ea ratione, quæ ipsemet sæpe in Euangelio lucem se appellauit, propter doctrinam & fidem, quam mundo attulit: præterea quia sermo est de cognitione & lumine, per quod vitam, quæ in verbo est, assequimur hanc autem non ex creaturis, sed à Spiritu sancto per infusionem accipimus.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.

COMMENTARIUS.

DIXERAT Euangelista tenebras lucem non comprehendisse, quia Iudæi cæci non cognouerunt Christū, nec fidem eius prædicationi adhibuerunt. Adiungit nunc Deū ex parte sua ea media, ob quæ credere illi: & cognoscere potuissent, non prætermisisse: misit enim hominem, cui nomen erat Ioannes, cui munus à Deo hoc iniunctum erat, vt populum præpararet, & disponeret, co-

ret, eoque disposito, & preparato indicaret Christum, ac de ipso redderet testimonium. Noster igitur Euangelista non solum Ioannis describit historiā, sed simul Euangelij veritatem, Ioannis auctoritate confirmat. Erat enim magni nominis & opinionis apud Iudæos, ita ut propter eandem causam, omnes Euangelistæ Ioannis Baptistæ perhonorificam fecerint mentionem. Dicit ergo à Deo missum, ut commendet eius testimonium: probatio enim testimonij Ioannis, est probatio doctrinæ, & veritatis Christi: Erat enim celebre nomen, & per quandam antonomasiam nomen Ioannis illum magnum Baptistam significabat. Nomen autem hoc plenum est mysterij, cum idem significet, quod Dei gratia: illum enim, qui gratiæ auctor est, indicare veniebat. Circa illud, (*à Deo*) notat Chrysof. hom. 5. esse sine articulo, & tamē verum Deum significare, nemo negare potest, cum Malach. 3. dicat ipse Deus de Ioanne: Ecce ego mitto Angelum meum: quo conuincitur Arrianorum vanitas, qui, vti supra diximus, ea ratione Verbum esse verum Deum negabāt, quia dictum est sine articulo, & *Deus erat Verbum*: Sed libet eadem paulo fusius in sequentibus prosequi.

ANNOTATIO XXII.

*Expenditur
maxis Euan-
gelistæ ver-
ba.*

TRIA sunt in superiori sententia ad notanda: Vnum est, quod Cyrillus, lib. 1. cap. 7. animaduertit, nempe Euangelistam, dum de verbo loquitur, vsum esse verbo (erat) dum autem de Ioanne agit, verbo (fuit) vtitur: in illo dicit insinuari Verbum factum non esse, sed æternum; in hoc, Ioannem, ut alios homines esse factum. Et certè discrimen Cryilli nõ consistit in temporibus, quod vnum verbum sit imperfectum (erat) alterum perfectum (fuit) Nam in Græco non est perfectum, sed aoristos. Verum discrimen est in verbis, quod vnum est substantiuum, vt erat: alterum adiectiuum, vt factus est, quamuis aliquando pro substantiuo accipiatur. Hanc Cryilli annotationem Chrysof. hom. 5. non recipit, licet neminem citet auctorem: negat tamen hoc verbum hic significare factum esse, de eo quod non fuit; sed cum verbo (missus) coniungendum affirmat, in eum modum, *fuit missus: seu factus est missus*: vt verbi significatio ad missionem reuocetur: ex quo non sequitur, quod sit is qui mittitur factus, licet reuera factus sit, & nobis hoc probatur. Nam de verbo Deo dicitur: Est factum caro, tamen nõ inde inferitur in se factum esse: non ergo est mysterium aliquod in verbo (fuit).

*Origenis ex-
voves notat
vov.*

Alterum est adnotandum circa illud *homo*, errasse Orige. tom. 5. in Ioan. dixit enim Ioannem non fuisse hominem natura, sed vnum ex Angelis cælestibus, qui missus est, vt assumpto corpore testimonium de Christo perhiberet: probatque illo Malach. 3. vbi de Ioanne loquens Deus per Prophetam dicit, Ecce ego mitto Angelum meum. Quæ doctrina non est consona fidei Catholicæ, quam merito, quamuis tacito auctoris nomine, refutat Cyril. lib. 1. cap. 7. satisque conuincitur ipsa voce *homo*. Et verò si Angelus esset natura, Euangelistæ id minimè dissimulassent. Cum ergo Angelus dicitur, non naturam sed officij significatur, quia nunciabat aduentum Christi: qua ratione etiam Christus Angelus testamenti dictus est, ab eodem Propheta: & homi-

nes etiam Angeli in Apocalypsi dicuntur. Vt igitur Euangelista purum hominem significaret, vocem, *homo*, sine articulo posuit, vt in Græco textu apparet, ne homo, vt alter Christus, putaretur, qui fuit simul homo & Deus. Adnotandum est præterea, quod circa verbum *missus* idem Orige. tom. 5. dubium tale mouet; Si missus, inquit, est, ergo ab aliquo loco missus est; ergo præcessit Ioannes antequam in hunc mundum veniret. Propter quod argumentum ipse inductus est, vt assereret esse Angelum vnum de cælestibus, vt iam retulimus: Quamquam ipse Origenes solutionem aliam adhibet, iuxta sententiam eorum, qui censente animas corpora præcessisse in cælo, & inde in corpora demitti, hocque responso existimat dubitationi satisfactum esse, etiam si merus homo fuisset Ioannes, vt missus dicatur, quia de cælo aduenit corpori anima, vt perhiberet hoc testimonium. Hic tamen error non est minor priori, cum aduerteretur doctrinæ Catholicæ, quæ tenet & docet, animas hominum nõ esse ante corpora creatas, sed fieri, quando corporibus vniuntur. Neque tamen hac ratione solueretur eius dubitatio. Nam si qui mittitur, debet præcedere in termino, à quo mittitur; cum homo dicatur missus, debuit homo prius esse in cælo, quam esset missus: at anima non est homo, nec dicitur missa, necesse ergo esset hominem esse in cælo, vt mitti inde posset, nisi velit affirmare animas esse homines, secundum Philosophiam Platoniam, quæ tradit formas rerum esse totam naturam: quod vanum esse Aristoteles ostendit, vt aliquando in Metaphysicis discussimus. Quæ obrem solutio dubitationis hæc est: Quando factus est homo, non dicitur missus, nec Euangelista dicit factum esse Ioannem, sed missum: quia supponit factum hominem & natum, & ordinatum à Deo ad hoc munus exequendum: nec querendi sunt termini locales, sed vt homo, qui ex se non habebat tale munus, à Deo instituatur ad id muneris, & officij. Igitur mitti à Deo Ioannem, non aliud est quàm Ioan-

Ioanem institutum esse, vt tale munus exerceret: sicut dicebatur etiam mitti propheta, quado is iniungebatur, vt quæ à Deo edocti erant, populis annuntiarent. Non prius ergo munus hoc iniunctum est Ioanni, quam fuit homo cõ-

ceptus, licet in mente diuina, id quod futurum erat in tempore, ab æterno fuerit ordinatum. Quando autem sit Ioanni datum hoc diuinum præceptum, vt testimonium perhiberet, Lucas cap. 3. narrat. sed de his satis.

Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.

COMMENTARIVS.

ExPLICAT officium, ad quod missus est Ioannes à Deo: nimirum, vt perhiberet testimonium de luce, nempe Christo: ostendendo, & significando populo Iudæorum, eum esse verum Messiam. In Latinis codicibus non ita aperta & clara est sententia, sicut in Græco sermone: vno enim vocabulo Græci vtuntur, nempe *φῶς*, quod Latine modò lucem, modò lumen vertunt: tamen eadem est vtriusque significatio: & hæc verba probant, per lucem Christum significari, quando dictum est, Lux hominum, & lux in tenebris lucet: de hac enim luce Ioannes testimonium perhibuit, nimirum de Christo Messia, vero Deo, & homine: priora igitur verba, missionem Ioannis à Deo, hæc autem, finem eiusdem missionis explicant.

ANNOTATIO XXIII.

*Quare Chris-
tus testimo-
nio Ioannis
vsus sit.*

Math. 13.

POSSET aliquis non immeritò interrogare, quare Dominus hoc Ioannis testimonium de se exhiberi voluit. Aliquot causas facti Doctores adferunt. Vna est ex parte ipsius Christi, perspicuum enim est, primum Christi aduentum in paupertate, & abiectione, non in splendore, & maiestate fuisse: quod Zachar. 9. prædictum erat: Ipse, inquit, pauper ascendens super asinam: & ob id in Euangelio Christus grano sinapis comparatur, quod in principio minimum, creuit postea in arborem magnam, & fermento abscondito in farinæ fatis tribus, quod totam massam fermentauit, & lapidi paruo cadenti de monte apud Danielem, qui factus est mons, & repleuit totam terram. Hæc demissio & humilitas Christi in primo aduentu, occasio quædam fuit Iudæis non cognoscendi Messiam, quod præuidens Deus, voluit eos per prophetas, & scripturas, multo antè, huius humilitatis præmonere: nec hoc satis esse duxit, sed multas præterea huius aduentus descripsit circumstantias, nempe tempus, locum natiuitatis, tribum, ex qua venturus erat, opera per ipsum patranda, & alia per multa: quæ si Iudæi attentius considerassent, non vtique Christi humilitatem despexissent. Non his contentus Deus optimus, testem quandam, hominem vtique omnibus numeris absolutissimum, & ab ipso meto Deo ante prædictum, qui sua voce ipsum Christum designaret, adhibuit; nullam vt Iudæi conquerendi, nec se excusandi, causam habere possent, quod humilis, & abiectus, & indignissima ferre paratus, venisset. Hæc est vna causa; cur venerit Ioannes ad testimonium perhibendum de Christo, quam August. tract. 35. in Ioan. his verbis amplificat: Venit, inquit, Christus contemendus, & honorandus: venit negandus, & confitendus: talis ergo venit, vt oporteret ei lucernam testimonium perhibere. Nunquid opus erat, vt Ioannes tanquam lucerna perhiberet testimonium dei, si dies ipse ab infirmitate nõ-

stra posset videri? hæc Augustinus. Altera huius testimonij fuit occasio ex parte Iudæorum: non enim omnes intelligebant prophetias, nec scripturarum ita percipiebant sensum, vt signa data aduentus discernent: & qui studijs scripturæ vacabant, multis peccatis detinebantur: ob quæ à legis obseruantia, & scripturæ meditatione, auersi erant. Vnde Ioan. 5. Dominus ad hoc studium eos exhortabatur; Scrutamini scripturas. Præmissus est ergo Ioannes, magnus propheta, qui instar scripturæ viuæ Christum indicaret, scripturas declararet, & Iudæos ad penitentiam induceret, vt à peccatis liberi, animis radium veritatis, & lucis perciperent. Erant enim peccata velamina quædam, & impedimenta, quo minus veritatis fierent capaces: & ideò sæpe Dominus peccatorum eos arguebat, non aliud ratus, quò minus veritatem reciperent, impedimentum. Hinc Ioan. 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam capitis ab inuicem? Hanc ipsam huius testimonij rationem August. tradit serm. 20. de sanctis. Iudæi, inquit, errauerunt à ventre, id est à lege, quæ Christo grauida erat, ideò venit vt testimonium perhiberet Ioannes de lumine: & paulo inferius: Vt mundo ignorantia nocte possesso, lumen salutis ostenderet, & quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum Solem iustitiæ lucis suæ radio demonstraret: hæc Augustinus. Tertiam causam assignat Chrysof. hom. 5. vt sui, inquit, homines per eum crederent, quasi diceret; Christus venit, ex parte Dei se ipsum Filium Dei prædicans: voluit Deus vt ex parte Iudæorum, qui credituri erant, vnus etiam esset; qui redderet testimonium: talis fuit Ioannes planè homo Iudæus, de numero eorum, qui credituri erant. Habuerunt ergo etiam Iudæi testem ex parte sua; omni fide dignum. Causa denique quarta est Orig. tom. 5. vt testimoniorum esset abundantia; vt alij ob vnum, alij ob aliud crederent. Deus enim noster non necessa-

necessaria tantum ad salutem, sed cum lata etiam media exhibuit. Hæ in præsentia quamvis alia non desint, causæ sufficient.

ANNOTATIO XXIII.

Qua ratione Ioannis testimonium necessarium fuerit.

POSSET insuper aliquis interrogare: Cessio iam conueniens fuisse hoc testimonium, an quoque fuerit necessarium? Respondeo: Si necessarium testimonium sic intelligamus, quod Christi testimonium de se ipso minime sufficisset, nisi & Ioannis testimonium accessisset, hac ratione dico necessarium non fuisse. Opera enim Christi, fuerunt ex se testimonium sufficientissimum, ad probandum eum esse Filium Dei, & Messiam: & idcirco ipsemet dicit, Ioannis. 15. Si non venissem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, excusationem haberent de peccato suo, nunc autem excusationem non habent: & Ioan. 14. Nō creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite: Ioan. 5. Ego habeo testimonium maius Ioanne: opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me: & iterum; Ego testimonium ab homine non accipio: quasi diceret, non est mihi necessarium hominis testimonium, nec propter me Ioannes testis inductus est. Constat igitur Ioannis testimonium necessarium, propter Christum, non ita fuisse requisitum, quasi non ipsius opera sufficissent. sentit idem Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 149. Nullius, inquit, hominis testimonio sibi necessario opus fuit, cum à splendore signorum, & gloria, Deus natura demonstraretur. Hoc idem Chryso. homil. 5. affirmat; Ne, inquit, putes hac causa venisse Ioannem testificatum, ut fidei ratione aliquid Domino adderet, ut proinde existimem dictum esse, ut testimonium perhiberet de lumine: non dictum est de Verbo, sed de lumine, ut insinuaret Christum propterea non indignis hoc testimonio, sicut lumen non indiget alio lumine, ut videatur. Quapropter, antequam Christus sui testimonium præberet, Ioannis præcessit testimonium. Nam quando Ioannes testimonium perhibuit, nondum lucebat Christus per opera miranda, quæ postea fecit. Quod si necessarium intelligamus ex quadam suppositione, certe necessarium fuit Ioannis testimonium, quia prædictum erat per Prophetas ipsum venturum, & cum prophetiam recipiamus, necessarium fuit eius testimonium: quanquam, ut diximus, non sic prædictum est futurum, quasi Christi grauissimo testimonio aliquid Ioannes addere potuisset.

ANNOTATIO XXV.

Ioannis testimonio debent Iudæi fidem habere.

VNICVM hoc loco inquirendum superest; an testimonium hoc Ioannis ita fuerit idoneum, ut Iudæi ei testificanti credere debuerint, & non habentes fidem peccauerint? Ego certe sic iudico, Ioannis testimonium adeo idoneum, & dignum fide fuisse, ut Iudæi, & fidem illi habentes, non modò leuitatis non arguendi fuerint, sed maximam prudentiæ laudem adipisci potuerint. Si enim à

A Deo missus est ad testificandum de Christo, habuit à Deo omnia necessaria, ut fide dignus inueniretur. Non enim ipse Deus mittit aliquem ad munus, quin ei necessaria ad idem obeundum conferat. Sic fecit, quando Moysen misit ad Pharaonem: sic etiã quando misit Prophetas. Idem ex ipsa scriptura comprobatur. Cum enim tria sint necessaria, ut fide dignus testis habeatur; Primò quidem scientia: nemo enim, quæ ignorat, testificatur; Ioannes autem Prophetas. & plusquam Prophetas, scientia diuina fuit plenus. Secundò fidelitas, ut quæ scit, loquatur, nec velit mentiri, aut decipere: hæc etiam magna in Ioanne fuit, quandoquidem pro veritate, quam liberè Herodi loquebatur, dum ipsum arguebat, mortem subiuit; Iudæorum quoque vitia eadem fidei constantia reprehendit. Denique opinio & auctoritas, ut talis nimirum ab alijs habeatur, qualis est: hæc profectò de Ioanne fuit tanta apud omnes, ut Christus putaretur, ut paulo inferius dicemus. Nec opinio hæc vana ex causa, sed maximis argumentis fuit comparata. Primum fuit scripturæ prædictio, qua multo ante per Spiritum sanctum, præcursor Christi futurus, prædictus est. Malach. 3. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: quo testimonio Dominus ipse Matth. 11. Ioannem commendat. Similiter eius prædicatio fuit enunciata. Isa. 40. Vox clamantis in deserto. quo testimonio ipsemet Ioan. Baptista suam probat auctoritatem. Secundò, argumento fuit eius conceptio, & partus supra naturam & miraculis plenus, prout describitur Lucæ 1. Ex patre enim admodum sene, matreque sterili, atque ætate procreta natus est; in eius ortu mirè pater loquitur; nomen ei imponitur, quo nemo in eius cognatione vocabatur, Angelo illud prænunciante; fuit præterea omnibus manifestus hic tam mirus partus: Nam timor cepit omnes in motanis degentes, ut præ admiratione dicerent; Quis, putas, puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. Tertium eiusdem rei argumentum fuit, ipsius vitæ innocentia, omni ex parte inuiolata: tanta, & tam dura poenitentia, ut diceretur, nec comedēs nec bibēs, atque adeo vix esset humana. Hæc igitur tria magnam omnium Iudæorū illi opinionem & estimationem comparauerunt, ut eius testimonium dignum fide, quod tanta scientia, tanta veritas, tanta opinio commendauerunt, iure optimo ad mitti debuerit. Quare egregiè Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 7. dicit; Quomodo auctoritati eius credendum non erat, qui tanto cumulo virtutis præfulsit, ut lux ipsa à nonnullis crederetur? Possimus secundo propositæ dubitationi respondere: non solum enim Ioannis testimonium fuit ea fide dignum, ut sine leuitatis nota credere ei Iudæi potuerint, sed etiã fuit tātū & tale, ut non credentes, peccauerint grauiter: hoc patebit cum ad ca. 5. Ioa. explicandum peruenimus, ubi Dominus hanc Iudæorum in credendo tarditatē grauissimè reprehendit; Vos misistis ad Ioannē, & testimonium perhibuit

Testis sum tria necesse scia.

Vnde cepit hæ opinio ita fuerit a pnd Iudæor.

B Ex his omnibus notum est, fuisse idoneum, & summa fide dignum testimonium Ioannis, & cui admittendo non aliud quàm Iudæorum obstitit perueritas.

C DICTVM est, venisse Ioannem, ut testimonium perhiberet. Nunc finem testimonij explicat; ut omnes per illum crederent, nempe, ut esset medium quoddam, per quod Christum cognoscerent, & illi fidem adhiberent. Dum ergò dicitur hoc testimonium Ioannis esse; ut crederent Iudæi per illum, significatur non Christi causa, sed propter Iudæorum imbecillitatem, & malitiam, eius testimonium fuisse necessarium. Neque verò dictum est, ut crederent in illum: quia Ioannes non erat, in quem credendum erat, sed per quem credendum erat in Christum: Ioannes erat instrumentum & medium quoddam, sicut Ioan. 4. dicitur de Samaritana; Multi crediderunt propter verbum mulieris. Ut omnes, inquit, crederent. Omnes intellige, quibus missus est. Ioannes enim est missus soli populo Iudaico. Si autem non omnes crediderunt, ipsorum fuit culpa; cum omnibus illis missus sit, & necessariam omnibus credendi rationem exhibuerit.

53 veritati. Quod si peccabant, qui prophetis à Deo missis fidem non adhibeant, quanto magis, qui plusquam prophetæ credere noluerunt? Addamus tertio, potentius fuisse testimonium, quod postea de se Christus per opera sua perhibuit, testimonio Ioannis: quod aperte per Euangelistam nostrum Dominus affirmat. Ioan. 5. Ego testimonium habeo maius Ioanne: opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me: quod etiam Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 149. annotauit. Quarto respondeo sapiēter Dominus in proferendis testimonijs processit: sapientis enim est ordinatè operari, & cuncta disponere. Ordo autem est in testimonijs exhibendis, ut ab infirmio-

ribus ad firmiora progressio fiat, ut crescente in credendo difficultate, crescat etiam veritatis confirmatio: sic & in medicamentis euenire videmus, quorum leuiora prius admoventur. Præmissum igitur est Ioannis testimonium, ut infimum, quò cum Iudaici cordis durities non emolliretur, adhibuit Dominus operum testimonium: & inter hæc minora prius sunt exhibita, ac crescente in fide recipienda pertinacia, Dominus maiora operatus est, quando morti proximo Lazaro vitam restituit. Ex his omnibus notum est, fuisse idoneum, & summa fide dignum testimonium Ioannis, & cui admittendo non aliud quàm Iudæorum obstitit perueritas.

Ut omnes crederent per illum.

COMMENTARIVS.

DICTVM est, venisse Ioannem, ut testimonium perhiberet. Nunc finem testimonij explicat; ut omnes per illum crederent, nempe, ut esset medium quoddam, per quod Christum cognoscerent, & illi fidem adhiberent. Dum ergò dicitur hoc testimonium Ioannis esse; ut crederent Iudæi per illum, significatur non Christi causa, sed propter Iudæorum imbecillitatem, & malitiam, eius testimonium fuisse necessarium. Neque verò dictum est, ut crederent in illum: quia Ioannes non erat, in quem credendum erat, sed per quem credendum erat in Christum: Ioannes erat instrumentum & medium quoddam, sicut Ioan. 4. dicitur de Samaritana; Multi crediderunt propter verbum mulieris. Ut omnes, inquit, crederent. Omnes intellige, quibus missus est. Ioannes enim est missus soli populo Iudaico. Si autem non omnes crediderunt, ipsorum fuit culpa; cum omnibus illis missus sit, & necessariam omnibus credendi rationem exhibuerit.

ANNOTATIO XXVI.

Per illū, non Christū, sed Ioannem referri.

ARTICVLVS Græcus (illum) est generis communis, qui & neutri, & masculino accommodari potest, inde est, posse referri & ad lumen & ad Ioannem: ut sit sensus; ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illud, nempe lumen, qui Christus est; aut per illum, scilicet Ioannem. Theophylac. refert ad lumen, nempe ut omnes crederent in lumen, & Christum: quæ expositio alijs quibus hoc tempore non displicuit: Cyrillus tamen, Chryostomus, & reliqui tam Latini quàm Græci Doctores, ad Ioannem referunt, qui fuit minister, per quem Iudæi credere debuerunt. Et hunc sensum latina editio recepit, & est verus sensus. Nam obiectum fidei est Christus, in quem credimus, prædicatores autem & ministri sunt, per quos credimus: quod quidam ex recentioribus aduertens, addere ausus est, in hunc modum: Ut omnes crederent per Christum in Deum, sed hoc de suo commentus est cerebro. Nam & Christus est, in quem credimus, Ioan. 14. Creditis in Deum, &

in me credite. Hic tamen, ut intelligatur textus, illud in primis in memoriam reuocandum est, quod fides Iudæorum ante Christi aduentum, erat fides futuri: quia in Messiam venturum credebant. Hæc autem fides in aduentu ipsius non erat destruenda, sed solum status eius mutandus, ut quem venturum credebant, venisse crederent. Et hic est status nostræ fidei, iuxta illud Roman. 1. Reuelatur in eo, id est, Euangelio, iustitia Dei de fide in fidem. Qui igitur ante in venturum credentes; postea venisse Messiam crediderunt, fideles manserunt, statu fidei mutato; qui autem non crediderunt, fidem amiserunt, quia credere venturum eum, qui iam venerat, non fides, sed error erat. Cum igitur fides transitum hunc receptura esset, de obiecto futuro, in præsens & præteritum: venit Ioannes medius, ut per eum Iudæi transirent de fide in fidem, hoc est, ut quem prius venturum credebant, præcone Baptista iam venisse faterentur.

C 2

Non

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

C O M M E N T A R I V S.

*Baptistam
Iudei Chri-
stum fuisse
arbitrati sūt.*

MULTI Ioannem fuisse Messiam, & Christum existimauerunt. Dicitur enim Luc. 3. Existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte esset Christus. Ad hunc igitur errorem submouendum, & confirmandam priorem sententiam adiunxit Euangelista; *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*, supple, sed venerat, seu missus erat, ut testimonium perhiberet de lumine. Græcè vtrunque nomen, lux & lumen, ut ante monuimus, vno exprimuntur vocabulo. Non autem absolute dicitur; non erat lux, sed cum articulo; *Non erat ille lux*, illa nempe, de qua dictum est, erat lux hominum, & lux in tenebris lucet: propterea Ioannes ad distinctionem dictus est lucerna ardens, ut inferius dicitur. Nec obstat Mathei 5. Apostolos dictos esse lucem mundi: erant quippe lux, sed lux à luce Christo, qui eos fecit lucem. Sic Ioannes lux etiam fuit, sed quia hoc in loco comparatus est Christo, ob id negatur esse lux: sicut etiam de Apostolis Christo collatis, verum est dicere; non erant illi lux illa. Admiranda profectò sanctitas Ioannis, ut Christus putaretur, quod Augustin. sermon 23. de sanctis, & Gregor. hom. 7. in Euang. ponderantes dixerunt: Tantæ cum fuisse sanctitatis, ut Christus credi potuisset. Magna etiam commendatio Ioannis ab Euangelista insinuat; Non, inquit, erat lux ille, quasi diceret, tantæ fuit opinionis, & tantæ virtutis, ut illum non fuisse Christum, declarare per necessarium videatur: Non enim negamus de aliquo, nisi quæ aliqua ratione, ei inesse apparent.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

*Lucis diuinæ
proprietates.*

DI X I T Ioannem non esse lucem, sed qui testimonium perhiberet de ea: huius rationem adhibet, ex proprietatibus lucis sumptam. Sunt autem tres lucis illius proprietates; antiquitas, veritas, & communitas, quæ cum Ioanni non insint, rectè concluditur illum lucē illam non esse. Verbum *Erat* æternitatem significat. *Veram* dicit, quia non ab alio illuminatur ut luceat, sed ex se lucet: *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non in Iudæos solum, sed & in omnes gentes lumen suum diffundit. Hæc tria Ioannes non habuit, nec enim erat, quia merus homo initium habuit, & aliquando non erat, nec dici potest vera lux, quia ab alio lumen, ut luceret, accepit; nec omnem illuminat hominem, sed propter Iudæos venit: immò, ut rectè argumentatur Augustin. tract. 1. in Ioan. & epist. 120. ad Honoratum ca. 3. si lux vera illuminat omnem hominem, ergo & Ioannem ipsum, non ergo Ioannes erat lux illa. *Lux*, cum articulo ponitur ut excellentia personæ, quæ lux est, significetur: rursus *Vera* cum articulo est, ut doctrinæ & luminis ab hac luce diffusæ eminentia exprimat. Aliqui verba sic componunt, ut repetant nomen; lux illa erat, lux illa vera: sed id non probo. Nā verbi suppositum est, quod sequitur, lux vera: verbum tamen *Erat*, præmittitur, nullo alio præposito, ut æternitas magis significetur. Dicitur autem lux illa omnem hominem illuminare, sicut & Sol, qui sufficiens lumen expandit, ut omnes illuminet, & omnibus propositus est, ut videant: quod si qui non vident, defectus solis non est; sic Christus in hoc mundo, omnibus quidē hominibus, quantum est in se, & ex efficacia lucis suæ lucet. Si autem non omnes illuminantur, non est defectus lucis huius, & sermo est de luce supernaturali, quæ est per fidem Christi, in quo est salus. Dicitur autem illuminare venientem in mundum, quia sermo est de illuminatione per fidem, quæ datur in hoc sæculo, non in altero. sic Ioan. 3. Ego sum lux mundi: homines autem cum in mundo nascuntur, venire in mundum dicimus. Græcè non habetur, *hunc*, sed absolute dicitur; *Venientem in mundum*.

A N N O T A T I O XXVII.

*Notanda hu-
ius loci ele-
gans verbo-
rum connexio.*

ADuertendum est, textum Græcum ambiguum facere locutionem: illud enim venientem, potest referri ad hominem, ut habet Latinus codex, & potest etiam referri ad lucem; ut sit sensus; vera lux veniens in hunc mundum, illuminat omnem hominem: hanc ambiguitatem notat Cyrillus libr. 1. in Ioan. & quamuis utroque modo posse legi censeat, tamen probat communem lectionem, quæ latina est. August. etiam lib. 1. de peccat. merit. cap. 25. vtranque refert lectionem; & re vera non est cōtemnenda: immo, nisi obstarat communis expositio, probanda videretur: nam cōsona est verbis ipsius Christi Ioan. 3. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem & Ioannis 12. Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Quibus in locis idem videtur sensus, ac in isto præsentī, lux vera veniens in mundum, illuminat omnem hominem. Nec argumentum Cyrilli conuincit, quo communem lectionem veriolem esse contendit, quia, inquit, statim sequitur, in mundo erat. Non ergo dicta nunc esset lux venire in mundum, quia vnum horum esset superuacaneum: respondere enim possumus id potius fauere alteri lectioni. Venit enim in mundum illuminare, postquam autem in mundo erat, mundus eum non cognouit. Hæc autem licet ita se habeant, tamen à communi lectione, cum & sic legi rectè possit, & sensus verus, ac consonus sit, non est recedendum.

A N N O T A T I O XXVIII.

*Proxima E-
uangelistæ
verba, de
verbo carne
inducto esse
intelligenda.*

NON omnes Doctores conformes sunt in exponendo, quæ sit illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Ambrosius lib. de fide contra Aria. cap. 3. de Patre dictum esse affirmat, illuminat omnem hominem venientem in mundum; de Christo autem lux in tenebris lucet. Athanasius in oratione quo Deus ex Deo est Verbum, hæc verba dicta esse asserit de filio, seu Verbo. Gregorius Nazian. oratione de fide idem cum Athana. dicit. similiter Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 8. & Chryso. hom. 6. at idem Grego. Nazianz. orat. de Spiritu sancto, quæ est quinta inter Theologicas, toti Trinitati tribuit, & distinctè de Patre, Filio, & Spiritu sancto, hæc verba pronuntiat. August. autè de Deo hæc intelligit, nō discernendo personas Et re vera si consideremus actionem hanc illuminandi mentes hominum, siue naturali, siue supernaturali lumine, totius est Trinitatis. Omnis enim exterior actio, indiuidua est Trinitati, & tam Pater, quàm Filius, quàm Spiritus sanctus dant gratiam, infundunt fidem, illuminant hominem lumine, tam naturali, quàm supernaturali. Et hoc est, quod Gregor. illuminationem hanc toti Trinitati tribuit, ut demonstret Spiritum sanctum esse Deum, vnum cum Patre, & Filio; Veruntamen si consideremus Ioannis contextum, in quo de Verbo sermonem instituit

A (illud namque est lux hominum, illud vita, illud per quod omnia facta, illud de quo proximè est dictum; Non erat Ioannes illa lux) profectò negari non potest, quin hæc verba sint de eodem Verbo prolata, ut idem sit lux illuminans omnem hominem. Et in hoc verè sentiunt Athanasius, Cyril. & illi, qui hæc lucem Verbum esse exponunt: hi tamen videntur intelligere has voces de Verbo, ratione suæ diuinitatis. Erat enim Verbum, ut Deus, lux illuminans omnem hominem, cum ab ipso mundi principio illuminauerit homines, ut paulo post dicemus. Sed mihi probabilius videtur sermonem esse de illuminatione, quam fecit veniens in carne. nam contextus hoc postulat. Quando enim dicitur de Ioanne, Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de illa luce, certè inficiari non possumus, per lucem hanc verbum in carne intelligi, de hac enim testimonium perhibuit Ioannes, & hac eadem ratione Christus se lucem mundi vocauit. Cum igitur ista verba contineant, & rationem, & causam contineant, cur Ioannes nō sit illa lux, profectò de eadem luce intelligenda sunt, ut sit sensus; Lux vera, de qua testimonium perhibuit Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in mundum hunc: & rursus, Hæc lux vera erat id est, non habuit principium sicut Ioannes; ut in his tribus à Ioanne differat; Quod erat, id est, Verbum hoc non tunc incepit, quando apparuit, ut luceret in carne assumpta, sed ante erat; rursus vera lux erat, quia ex se lumen habebat; deniq; omnem hominem illuminat. Fateor Christum, ut Deum lucem esse, & illuminasse à mundi exordio, & hoc esse commune illi cum Patre, & Spiritu sancto; tamen non omne quod verum est, scribentis menti consonat, sed id, quod ad rationem contextus facit: in præsentī autem Euangelista de Verbo loquitur, quæ, ei propria sunt describendo, non quæ communia cum Patre, & Spiritu sancto: de qua re etiam superius egimus.

*Christum pro
Ioanne si in
habuit.*

A N N O T A T I O XXIX.

NEQVE omnes Doctores consentiunt in explicando, quæ sit illuminatio ista. Quidam illuminationem naturalem intelligunt, ut tunc illuminari homo dicatur, cum vis rationalis, & intellectiua homini datur: quæ illuminatio fit in ipsa animæ creatione, & infusione in corpus, seu quando incipit homo esse, in primo lux conceptionis instanti. Ita exponit Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 9. & ex recentioribus aliqui. Alij de illuminatione, quæ est per fidem, & supernaturalem, hoc intelligunt dictum esse. Omnis enim illuminatio supernaturalis, à luce ista est. Ita Chryso. hom. 7. & Aug. tract. 2. Et quia hæc illuminatio non est ita communis, sicut prior, (non enim omnis homo supernaturali illuminatione illuminatur) dicit nihilominus Chryso. illuminari omnem hominem, quia omnibus lux ista lucet, quantum ex se est; quod si aliqui non illu-

*De qua illu-
minatione
Euangelistæ
verba sint
intelligenda.*

luminantur, non ex lucis defectu, sed ex ipsis procedit. Aug. aliter, vniuersalem hanc propositionem em, *omnem hominem illuminat*, intellexit. Nemo est qui illuminetur, qui non sit ab hac luce illuminatus: seu, omnis, qui illuminatur, à luce hac illuminatur: quæ phrasîs est aliquando in vsu: cum Aug. aliqui ex recetioribus sentiunt. Et certè dubiū non est, si veritatem doctrinæ spectemus, esse verū, quod vtrique Doctores asseuerant. Illuminat enim Verbum, vt Deus, omnem hominem generaliter sine exceptione naturali lumine; illuminat etiam omnem hominem illuminatione supernaturali, siue quantum est ex se, siue, vt dicit Aug. Omnis qui illuminatur, à Deo illuminatur: Hoc tamen loco non crediderim id cogitasse Ioannem, qui agit de illuminatione facta à Verbo incarnato, & de aduentu suo in hunc mundum, vbi per se, & per suos prædicatores toti orbi veritatem suam, & Euangelium salutis annunciauit. Nec obstat communis illa loquendi forma, quia re ipsa non omnes illuminantur. Hoc enim, vt iam diximus, non est ex defectu lucis: & in hoc bene Chrysost. dicit; licet responsio Aug. huic illuminationi accommodari etiam possit.

ANNOTATIO XXX.

CVR autem dictum sit, *venientem in hunc mundum*, non minus variè respondent Doctores. Aug. lib. de pec. merit. & remis. cap. 25. duo dicit: vnum est, additum esse ad sermonis vbertatem, vt idem sit, quasi tantum dictum esset; Illuminat omnem hominem. Alterum est, positum esse ad distinctionem luminis huius sensibilis: corporalis enim lux non dicitur illuminare venientes in hunc mundum sed spiritualis, quæ est animarum, & interior. Nam animæ dicuntur venire in hunc mundum, id est, creari in corpore isto materiali, & sensibili. Aliter Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 9. respondet: Hominem dici venientem in hunc mundum, quia de non esse ad esse, producit: quasi duo sint termini, & à non esse tanquam ab vno termino, venit ad esse, tanquam ad alterum terminum. Quoniam igitur dum generatur homo, tunc illuminatur; quia vim intellectiuam recipit, ob id illuminatur veniens in hunc mundum. Ambros. verò in enarrat. Psal. 36. de illuminatione per gratiam hunc locum exponit: Dicitur autem homo illuminatus, veniens in hunc mundum, qui sic viuit, ac si mundo superueniret, qui mundum non sequitur,

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

COMMENTARIUS.

Sententia hæc ad Verbum refertur, non ad lucem, quod indicat illud relatiuum *eum*, quod græcè est masculinum, nec potest accommodari luci, quæ est generis neutrius, sed ad λόγος: latinè dicendum erat; Mundus illud non cognouit, vt responderet Verbo. Hæc autem sententia cum sequenti, perfectum efficit sensum. Porro contextus orationis & sensus verborum talis est. Hactenus de diuino Verbo, duo enunciata sunt; vnum est, omnia per ipsum facta esse; alterum, ipsum vitam esse & lucem hominum, in tenebrisque; lucere, neque ab eis esse

A nec affectat, quæ in mundo sunt. Orig. seu Auctor homiliarium in diuersos hcm. 2. mundum interpretatur vitam à vitis remotam: qui ergo in hunc mundum veniunt, & à mundo vitiorum recedunt, illuminantur ab ista luce illuminatione gratiæ & supernaturali. Quinto & postremo dicunt alij, hominem venientem in mundum dici, quando concipitur. Tunc enim illuminatur naturali lumine: sed dicitur venire in sua conceptione, quia anima rationalis ab extrinseco est principio, & non educitur de potentia materiæ, vt Philosophi dicunt.

B His enumeratis, sensus legitimus, si lectionem hanc sequamur, is erit: vt per hominem venientem in hunc mundum, intelligantur homines dum sunt in hoc seculo, in quo peregrinantur, nec habent ciuitatem permanentem, nec degunt tanquam permanfuri. Quod si nimis philosophicè vrgeas, vnde veniunt? Dico, à principio, à quo facti sunt, nempe à Deo. Venire enim ab aliquo, est, factum esse, seu procedere ab alio: hæc tamen subtilitates non sunt ad rem. Dicitur enim gratia Dei venire ad hominem, quia producit in homine: nec querendum est, à quo loco venit. Similiter omne bonum venit à Deo, quia à Deo procedit: ita cum producit homo in mundo, dicitur venire in mundum, & ab eo, à quo productus est.

Dux hæreses supersunt cauendæ, quas his verbis auctores earum cõfirmabant. Prior est, cuius meminit Aug. lib. 1. de peccat. meri. cap. 25. asserere aut quidam, infantes habere vsum rationis, etiam recens natos. Si enim Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & infantes sunt illuminati. Horum error apparet ex sensu iam exposito. Non enim de illuminatione agitur naturali, sed supernaturali. Quo autè pacto omnis dicatur illuminari homo, id quoque expositum est: Quamuis autem de illuminatione naturali sermo esset, adhuc nihil hæreticus ex hoc loco concluderet: quia, vt rectè August. responderet illuminantur infantes, quia vim rationalem & intellectiuam accipiunt, etiam si vsum tunc non habeant. Posterior est eorum, qui animas ante corpora fuisse affirmant: quæ ob id dicuntur in mundum venire, quia antequam in corpora venirent, erant alibi. Huius meminit Cyril. libro primo in Ioannem, capite nono. Sed paulo superius eundem errorem refutauimus: vbi quàm vana sit eorum collectio, ostendimus, & ex his, quæ iam diximus, satis constat. Nunc ad alia transeamus.

esse comprehensum. Illud ratione diuinitatis, hoc ratione carnis assumptæ habet. Euangelista hæc duo nunc confert: de priori dicit; Verbum illud, per quod omnia facta sunt, erat in mundo, & mundus per illud factus est, & tamen ipsum mundus non cognouit, nec ex præsentia, cum in omnibus esset, nec ex operatione, cum omnia per ipsum facta sint: de posteriori mox subdet; venit in propria per carnem, vt vitam conferret, & illuminaret, & idem ferè euenit: nam sui non receperunt ipsum, quauis visibile in carne fuerit, & ad sua propria venerit: hæc tamen posteriora verba, postea declaranda sunt. Non est autem intentio Euangelistæ tantum conferre hæc duo, sed etiam docere, vnum alterius causam esse: quasi diceret; quia mundus non cognouit ex sua præsentia, & operatione Verbum, propterea venit in carne. Simile est illud Paul. 1. Corinth. 1. Nã, quia in Dei sapientia mundus non cognouit per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Magno autem consilio id factum est. Nam in ipso vita erat: hoc est, in ipso homo vita donandus erat, quam consequi non potuit, nisi illuminaretur, & cognosceret vitam suam auctorem: cum autem non cognouerit illud ex eo, quod per ipsum mundus factus est, nec ex eo, quod in mundo erat, ipsummet Verbum ad illuminandum, & docendum, carne assumpta venire decreuit. Verbum in mundo esse, non tantum dicit præsentiam quandam: sed omnium conseruationem, gubernationem, & cooperationem cum omnibus agentibus, vt sint, permanent & operentur. Quod Actorum 17. Paul. expressit; Non longè ab vnoquoque nostrum est: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Similiter in eo, quod omnia per ipsum facta sint, non tantum consideratur creatio, sed creaturarum varietas, perfectio, earum ordo, & dispositio, partium omnium consensus, & harmonia. Ex his duobus mundus non cognouit, Verbum in sua diuinitate. Mundus in duobus primis locis, nempe *in mundo erat, & mundus per ipsum factus est*, totam hanc sensibilem machinam significat: in tertio autè loco homines Dei ignorationem habentes, quibus mundus abudabat, ante Christi aduentum, quamuis aliqui semper fideles fuerint, à maxima tamen parte mundus nominabatur. Aduertendum autem, mundum non cognouisse Verbum quod in mundo erat, & à quo mundus factus est, id partim excusatione, partim reprehensione dignum fuisse: Nam non cognouisse Verbum, vt distinctam à Patre personam, nec mysterium Trinitatis, tolerabile fuit. non enim per illa duo. potuit Trinitas cognosci, & ita Athanas. lib. de communi essent. Patris, & Filij, & Spiritus sancti probat ex his verbis, non potuisse mysterium Trinitatis per creaturas cognosci. At verò potuit mundus cognoscere aliquo modo Verbum ratione diuinitatis, dum vnus Dei, sapientis, æterni, primi omnium principij, omnia disponentis, & gubernantis, ac conseruantis potuit assequi ex creaturis cognitionem: & quia neque hoc cognouit, ideò reprehensione fuit dignissimus. Quod & Paulus vitio dat hominibus, Ro. 1. Inuisibilia, inquit, ipsius, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ita vt sint inexcusabiles. Quia ergo mundus nulla ratione cognouit Verbum, propterea in carne venire voluit.

ANNOTATIO XXXI.

CYPRIA. 1. 1. con. Iudæ. c. 8 hanc sententiam de Verbo post suum aduentum exponit. erat enim Christus in hoc seculo, per quem mundus factus est, & tamen mundus eum non cognouit. Mundus autem hic Iudæos significat, iuxta vaticinium Isa. 1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem non cognouit, & populus non intellexit. hæc expositio non videtur satis accommodata. Primo quidem, vt diximus in commentario, hæc sententia ad Verbum, non ad lucem refertur. Secundo illud (mundus per eum factus est) ratione diuinitatis Verbo conuenit, Tertio, quia si de

A Christo homine sermo est, non satis accommodabitur hæc pars (mundus per ipsum factus est). nã ad Christum agnoscendum in sua humanitate, nihil facere videtur, quod per ipsum, vt Deum, mundus factus fuerit. Quarto quia iam dictum est, tenebras non comprehendisse lucem illam. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 9. & 10. verba posita sic cõtinuat & exponit; quia dictum est, veram illam lucem illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, huius reddit causam; in mundo erat: quasi diceret; illuminat hominem venientem in mundum, quia lux hæc & verbum in mundo est: quæ igitur in mundo sunt,

Quid sit hominẽ venire in hunc mundum.

Auctoris sententia.

Hæreses dua.

Orationis contextus.

do sunt, ab ipso illuminantur. At ne quis arbitretur, sic esse in mundo, quasi vnum de mundo: siue vt aliquam eius partem, quasi solem, aut stellam, aut aliud simile, addit Chrysof. hom. 7. Ne quis arbitretur esse in mundo tanquam æquale mundo, ubi id adiunxit Euangelista, & mundus per ipsum factus est. Lux ergo illa, erat quidem in mundo, non vt pars, non vt æqualis, sed vt factor mundi. At quia adhuc poterat aliquis dubitare; quomodo si in mundo erat, & lux erat, non erat omnibus nota lux hæc? addidit Euangelista, & mundus eum non cognouit, quasi diceret, culpa fuit mundi ipsius, ita hoc connectit Cyrillus cap. 11. qui cum Chrysofomo de Verbo ratione diuinitatis, ante aduentum in carnem, hanc sententiam exponit, quod non cognitum à mundo interpretantur, quia ignorauerunt Deum homines, quem naturali lumine assequi poterant. Quæ connexio duriuscula mihi videtur, magisque accommodata existimo, quam in commentario proposui. Similiter causam, cur dictum sit (& mundus eum non cognouit) non proboprobo enim esse id appositum, tanquam argumentum, quo mundus poterat cognoscere Verbum, vt inde reprehensibilis sit, quod non agnouerit: quod in sequenti annotatione declarabitur. Conuenio autem cum his Doctoribus, de naturali cognitione hic sermonem institui. Præterea aduertendum est, aliquos distinguere varias mundi significaciones, tamen non est nisi vna; mundus enim hanc creaturarum molem sensibilem significat, sed ratione diuersarum partium eius, varia recipit prædicata: sicut homo idem est, qui audire, loqui, ambulare dicitur, tamen ratione diuersarum partium operatur diuersa: sic mundus idem est, tamen consideratione totius fabricæ, & integritatis suæ, dicitur factus per Verbum, & in eo esse Verbum, vt Deus est; ratione autem hominum ignorantium, & vitij deditorum, dicitur non cognouisse Verbum; at respectu aliarum partium, in scripturis diuersa etiam habet attributa. omnium enim hominum ratione dicitur; Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per eum. hæc tamen non ad ambiguitatem nominis huius, quod vnus est significacionis, sed ad diuersitatem partium, vnus mundi pertinent, ratione quarum varia & aliquando contraria recipit prædicata, & hic modus dicendi, magis ad nominis declarationem, quam ad multiplicandas significaciones, & amphibologiam fingendam deferuit.

ANNOTATIO XXXII.

Potuit Dei cognitio, sed non Persona. S. concludit, neminem sola naturali cognitione, & lumine, mysterium Trinitatis assequi ex creaturis, posse. Mundus enim Verbum non cognouit, vbi duo videmus Athanas. tradere: vnum est, neminem solo naturali lumine, mysterium Trinitatis inuestigare posse. Alterum, id ex hoc loco probari. horum prius, verum est. Na-

A turale enim lumen ex creaturis omnem accipit cognitionem, ex quibus noster in Trinitatis requit de duci: Sunt enim vniversæ creatura à Deo vnica & indiuidua Trinitatis actione & operatione productæ, ac si vnum esset agens: ideo distinctio personarum, non potest ex creaturis indagari, quamuis enim sunt aliqua velut vestigia huius mysterij in creaturis, tamen eadem signa, non sunt adeo certa, vt firmum & constans efficiant argumentum. Posterius autem, quod Athanasius docet, nempe ex hoc loco probari neminem posse naturali lumine hoc mysterium assequi, minus proboprobo; imo locus hic contrarium potius persuadere videtur. vitio enim datur, & culpa mundo ascribitur, quod cum sit per Verbum factus, ex hoc tam admirabili eius opificio, non ipsum agnouerit: quemadmodum etiam atrox eorum crimen fuit, in quos tanquam in propria venit, & tamen non receperunt eum. Sane mundus ignoracionis Verbi minimè reprehenderetur, nisi Verbum ipsum eo, quod per ipsum factus est, potuisset cognoscere. Non ergo locus hic probat, quod Athanasius probari affirmat, nisi dicas, verba hæc, nullam mundi reprehensionem continere, quod non video quo pacto contextui, vel verbis ipsis possit accommodari. Hinc tamen minus rectè intuleris: quod si mundus potuit Verbum cognoscere ex ipsa creaturarum speculatione, poterit & ipsum Trinitatis mysterium naturaliter cognosci, non inquam id rectè cõsequitur. Cum enim duplex sit rei cognitio, vna imperfecta, altera perfecta; contingit sæpè nos aliquem hominem, vel rem quampiam cognoscere, cū non omnia tamen quæ illius sunt cognoscamus, tuncque imperfecta est illius cognitio, quæ tum demum perfecta esset, si omnes partes, vel propria illius affectu effemus. Igitur ex creaturarum contemplatione, lumen naturale assequi potest diuinam sapientiam, & virtutem quæ factæ sunt, & hoc est, Verbum Dei nosse, sed modo imperfecto: cum agnoscatur id, quod est Verbum ipsum; tamen hanc sapientiam & virtutem, esse distinctam personam ab eo, cuius est, procedereque tanquam Filium consubstantialiẽm à Patre Deo, id verum est, quod lumen naturale posse attingere negamus, & proinde diuinissimū Trinitatis mysterium, naturaliter cognosci, aut inuestigari non potest. Eandem Verbi imperfectam notitiam, lumine naturali ex creaturarum cognitione deduci, docet Dauid Psalm. 18. Dies, inquit, diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: id est; ordo temporum sibi inuicem succedentium; & rerum pro varietate temporum dispositio eructat, & abundanter significat, & indicat nobis verbum & scientiam, quibus facta sunt omnia. Vbi attende Moysen describentem modum, quo Deus omnia fecit, vsus esse verbo וַיִּבְרָא latinè, dixit, hoc Dauid repetijt וַיִּבְרָא id est, verbum; significare per hoc: volens, Deū sapientia sua omnia fecisse, ex rebus ipsis inuestigari posse; hoc ergo est, quod vitio datur & culpæ mundo, quod cum per Verbum sit factus, non

non cognouerit ex ipsa fabricatione sui, diuinam sapientiam, quæ verbum est: vt meritò sapientia, quæ filius Dei, & verbum Patris est, dicatur Clamitare & dare vocem suam in

Proverb. 8.

summis, excelsisque verticibus supra viam: quia in cunctis creaturis lucet sapientia Dei, per quam mirabili artificio sunt procreata.

In propria venit, & sui eum non receperunt.

COMMENTARIUS.

A LTERAM partem de Verbo ratione carnis assumptæ, sacer Euangelista profequitur. Vt igitur Verbum qua Deus est in mundo erat, & mundus factus per ipsum est, & tamen mundus ipsum non cognouit; sic etiã ratione carnis assumptæ, venit in propria, & sui eum non receperunt. Vocat propria & suos; Populum illum Iudaicum, qui erat populus Dei, cui erat Verbi aduentus promissus, qui ipsum expectabat; qui in ipsum futurū credebatur, qui ipsū lege, sacrificijs, cerimonijs, annis plurimis figurabat, cui vaticinio tot Prophetarū erat prænunciatus: hi tamē ipsi venientem eum non receperunt. Attende obsecro hanc partem optimè respondere priori. Sicut enim dictū est; erat in mundo, & mundus per eum factus est; ex quibus duobus potuit, & debuit mundus Verbum cognoscere; ita hic dicitur; venit nēpè visibilis in carne, apparens operibus & prædicatione; venit autem in propria: ex quibus duobus, potuerunt & debuerunt eum sui recipere, & nihilominus non receperunt, nec fidem ei habuerunt, sicut nec prius cognouit eum mundus. Attende etiam, ex verbis sequentibus, declarari vim, & efficaciam horum verborum: In propria enim venit, vt filios Dei eos faceret, venit saluare, vitam dare, eos exaltare, & tamen sui eum non receperunt, in Græco verba sunt explicatiora: nam vtrobique idem est vocabulum, ac si latinè dicas; in propria venit, & proprii ipsū non receperunt. siue magis Latinè loquendo; In sua venit, & sui eum non receperunt. Hoc exprobrauit Dominus Iudæis, Ioan. 5. Ego, inquit, veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: & quod idem est, in propria venit, & sui eum non receperunt. Perpēde primò qualiter his verbis culpa augeatur in eo, quod proprius populus erat ille, tot ac tantis beneficijs affectus, & ceteris nationibus prælatus: rursus, quod non solum nō agnouisse, sed nec recepisse dicitur: quod verbum insinuat, non solam incredulitatem populi, sed grauem, & multiplicem iniuriam, qua venientem ad se Dominum repellentes affecerunt. Sed quomodo hæc ipsa verba à sanctis Doctoribus intelligantur, videamus.

ANNOTATIO XXXIII.

Referuntur diuersæ Patrum expositiones.

A Vgustinus tractatu 2. in Ioan. per propria mundum exponit, qui opus est ipsius Verbi, & cuius dominus Verbum est; per suos autem, Iudæos intelligit, qui Dei populus peculiaris erant, propter cultum, legem, prophetias, promissiones, & alia multa. Venit ergo in Propria, id est, in hunc mundum per carnem assumptam, & Iudæi, qui sui erant, non receperunt eum. Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 11. per vtrunque, Iudæorum populum vult accipi. Venit in populum suum, & sui eum non receperunt. Theoph. vtramque expositionem amplectitur. Greg. etiam lib. 14. moral. ca. 19. per suos, exponit Iudæos. At idem August. epist. 120. ad Honorat. cap. 3. affirmat posse etiã vtrunque vniversè intelligi de omnibus tam Iudæis, quam gentilibus: vt venerit in hunc mundum, & mundus eum non receperit; cui

B aliqui recentiorum subscribunt. Tamen verius iudico, vt vtrunque ad Iudæos referatur. Quamuis enim in mundum venerit per carnem assumptam, quia tamen caro illa sumpta est de illo populo, & rursus illi populo carne assumpta præfens prædicaturus venerat, Matth. 15. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël; ob id conuenienter dictus est, venisse ad propria, id est, ad illum populum; & quamuis etiam gentes incredulæ fuerint, tamen hic sermo est, de illa prima pernicia, qua Iudæi Christo Domino prædicanti, & seipsū annuncianti, credere recusauerunt, & de illa negatione, qua eum Messiam sibi promissum negarunt, ipsumque occidentes repulerunt, secundum parabolam Matth. 21. in qua coloni, eiectione extra vineam hæredem, trucidarunt.

Quos

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

COMMENTARIUS.

ALIOS à suis eum recepisse insinuat: ac si diceret; Quamuis sui eum non receperunt, permulti tamen fuerunt, qui receperunt eum, & erunt qui recipient, in eum credentes; quibus talis receptio perhonorifica & fructuosa est. Data quippe est eis potestas à Verbo, ut filij Dei fiant, & denuo nascatur ex spiritu, non iam caro, sed spiritus, non iterum filij hominum, sed filij Dei. Per Baptismum enim, quo credentes in Christum regenerantur, filij Dei fiunt, & talis potestas conceditur omnibus, qui eum recipiunt per fidem; ceteris vero minimè. Ex tribus igitur aduentus Verbi finibus, quos notat Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 47. scilicet peccatum abolere, mortem destruere, filios adoptionis facere, solum tertij mentionem facit Ioannes, in quo facilè reliqui duo concluduntur. Sensus porro ac cōtinuatio verborum talis est. Venit in propria, & sui eum non receperunt, venit autem, ut filios Dei faceret recipientes se: si quos ergo inuenit quos eum recipere, his dedit potestatem filios Dei fieri. Notat Chrysof. hom. 9. dici generaliter, *quotquot* siuè nobiles, siuè ignobiles, siuè Iudæi, siuè barbari, & gentiles, & quicumque sint, qui Christum receperunt & recipient, eos in adoptionem filiorum mancipari. His verbis, si attentè consideremus, gentium vocatio, & Iudæorum reprobatio insinuat, ut notat Cyril. lib. 1. cap. 13. quasi diceret; postquam sui non receperunt eum, ad alios, qui eum receperunt, illis relicta, conuersus est; iuxta illud Actor. 13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Verum tamen cum dicimus, à Iudaico populo receptum non fuisse, non singulos de populo intelligas: nam à multis ex suis receptus est: sed maiorem partem, à qua totus populus denominatur. Consonat iisdem verbis (quotquot receperunt) illud parabolæ Luc. 14. in qua excusantibus se à cœna illis qui inuitati fuerant, per quos Iudæi significati sunt, dictum est; Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & claudos introduc huc; & rursus exi in vias & sepes, & cōpelle intrare. hoc est, quod nunc dicitur, quotquot receperunt. Pœna etiam non recipientium insinuat, ut Chrysof. hom. 9. notat. Qui enim non eum receperunt, adoptionem filiorum adepti non sunt, sed in seruitute peccati remanserunt.

ANNOTATIO XXXIV.

PER DIFFICILE dubium est: cur non dictum sit, dedit eis, qui Christum receperunt, filios Dei esse; aut fecit eos filios Dei: sed potestatem dedit eis filios Dei fieri, quasi non statim ac eum receperunt per fidem, filij sint Dei, sed potestatem habeant, ut filij Dei fiant. Theophilactus tres causas, cur sic dictum sit, profert; Vna est, quamuis recipientes Christum, filij Dei statim sint, tamen necessaria est custodia & vigilantia, ut conseruentur, ne acceptam adoptionem filij amittant: dicuntur ergo habere potestatem filios Dei fieri, quia etiam si tunc, dum recipiunt Christum, filij sint; tamen eorum in potestate est, hanc filiationem habere, & conseruare. Ista responsio parum aptè verbis accommodatur; dedit, inquit, potestatem fieri filios, non conseruari. Altera est, ut per recipientes intelligamus catechumenos, qui fidem habent, ante baptismum, per quem gratia adoptionis datur: hi ergo per fidem non-

Adum regenerati sunt, nec filij Dei facti, quousque baptizentur. Baptismus enim est, quo homines renascuntur in spiritu, & fiunt filij Dei: habent tamen credentes potestatem, & facultatem suscipiendi baptismum, & per eum renascendi. Nec obstat huic, quod aliqui antè baptismum gratiam filiorum aliquando accipiunt: id enim fit per baptismum in voto susceptum: eius enim tanta est efficacia, ut antequam suscipiatur, operetur per votum in credentibus. Hanc expositionem sic explicatam secuti sumus in cōmentario. Tertia est, ut per hanc potestatem intelligamus adoptionem filiorum perfectam, quæ in gloria datur: sunt quidem in hoc seculo filij, adhuc tamen minus perfectè adoptati: & propterea dictum est, recepisse potestatem filios Dei fieri, quia id nondum consecuti sunt. Cui expositioni consonare videtur locus Pauli Rom. 8. Intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes. & tamen

APONO-

Apostolos in hoc seculo filios fuisse, nemo negauerit. Hæc responsio, ut conuenientior, placet nonnullis ex recentioribus, verè tamen non soluit difficultatem. Nam Euangelista loquitur de prima filiorum adoptione, quam accipiunt eum recipientes: de qua cum nondum quidquam dictum esset, non erat cur de adoptione futura loqueretur, maximè quia dicitur fieri filios Dei: quando autem gloriam consequitur iustus, non tunc primùm, sed ante fit Dei filius, tunc verò consequitur hæreditatem filio debitam, quam vocauit Paulus adoptionem filiorum. Nulla ergo Theophilacti solutionum satisfacere videtur Chrysof. stomus hom. 9. in Ioan. asserit dictum esse, *dedit eis potestatem fieri filios Dei*, ut significetur motus liberi arbitrij: sic enim homo adultus fit Dei filius, ut libero arbitrio concurrat, ad credendum, ut fiat filius Dei. At & hoc verè euangelistæ minus congruum est. Potestas enim arbitrij, præcedit arbitrium, at hic dicitur, potestas hæc dari, ut fiat filius Dei, cum dicendum foret, posuit in potestate eorum fieri filios Dei. Quintò Ambros. lib. 4. de fide, cap. 4. respondet, cum Augustin. lib. 2. de consen. euang. cap. 3. & in epistol. 120 ad Honorat. cap. 3. hanc particulam esse positam, ut hominum filiatione distinguatur ab illa Verbi, qua Verbum filius etiam Dei est. nostra quippe filiatione adoptionis est, Verbi verò naturæ: nostra potestatis, illius est proprietatis. Deum enim nos filios habere, potestatis est, quia voluit facere: at habere Verbum filium, est proprietatis & naturæ ipsius Dei. Sensus ergo erit, dedit eis potestatem, ut sint filij Dei, quia natura non sunt filij, sed gratia: Verbum natura filius est, ob id non habet potestatem filiationis. Athanasius verò sermone 3. contra Arrian. cui consentit Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 14. dicit: hanc potestatem esse gratiam, ut sint filij ex gratia, non ex natura. Doctrina hæc vera est, sed ad hanc significandam sufficit verbum (fieri): Verbum enim non est factum filius Dei, homo autè fit filius: quia Verbum est natura filius, homo autem adoptione, & gratia Gregorius homil. 6. in Ezech. ad huc aliter exponit: ut per potestatem dignitas & excellentia significetur: ut sit sensus; dedit eis hanc dignitatem & excellentiam, ut filij sint Dei. Verba ipsius sunt: Qui eum receperunt dedit eis potestatem filios Dei fieri: quid hac potestate altius? quid hac altitudine sublimius dici potest? in qua creatus quisque efficitur filius creatoris. hæc placet aliquibus nostro seculo, sed neque hæc plenè satisfacit. Tunc enim non erat dicendum, potestatem dedit filios Dei fieri, sed filios Dei esse. Aetate nostra nonnulli ita respondent. Antequam recipere Christum, ijs, qui receperunt, datam esse à Verbo potestatem, ut reciperent, & recipientes filij Dei fierent: nisi enim diuina virtus iuuisset, nemo id consequi potuisset. Alij dicunt, Etiam si tunc, cum fidem accipiunt, filij Dei fiant: tamè hoc habet fidés ex gratia & dono Dei, ut possit filios Dei facere.

In tanta responsionum varietate, mihi di-

Aendum congruentius fortasse videtur, quod superius etiam adnotauimus: scilicet per fidem hominem non fieri, nec renasci filium Dei: sed per Baptismum, qui dat gratiam filiorum, per fidem autem solum datur potestas renascendi per baptismum, qui regenerat, & facit filios Dei, solos credentes in Christum: ij enim soli gratiam adoptionis recipiunt, quam Baptismus solet dare, etiam voto susceptus. Quid autem sit fieri filios Dei, & renasci, & qua ratione hoc sit intelligendum, in sequenti annotatione copiosius explicabo.

ANNOTATIO XXXV.

PROPONUNT Cyril. libr. 1. in Ioan. cap. 14. & Theophy. in præsentem hanc dubitationem: Cum iusti in veteri lege etià filij Dei adoptionis essent, fides enim, & gratia, quæ tunc erat; quamuis non legis virtute, sed Christi futuri, faciebant homines filios Dei, & tales eos scriptura appellat: quid ergo noui Euangelium attulit, cum dicitur, eis qui receperunt, dedit potestatem filios Dei fieri? Respondent verum esse, nempe tunc fideles iustos filios dici adoptionis Dei, tamen in figura: illorum enim adoptio, figura erat nostræ adoptionis. Quæ responsio placet recentioribus, ego tamen non inuenio, cur debeat iure placere: cum hæc non sit doctrina vera; si enim illi figura erant filij, non ergo verè erant filij, nam quod in figura tale est, non est in veritate, & simpliciter tale: At re vera illi erant filij ex fide & gratia futuri tunc Christi, quod Paulus ad Galat. 4. docet. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium. Hoc de ijs, qui in lege iusti erant, dictum esse nemo dubitat. Erant ergo illi paruuli, & licet à seruis in aliquibus non differrent, tamen à Paulo domini omnium appellantur. Quod certè aliud non est, nisi, cum sit filius & hæres omnium paruulus, quamuis sub tutoribus sit & actoribus, ut seruus, tamen filius est & hæres. Recentiores solliciti sunt in dubitatione ista enodanda, at vera solutio sit.

E Aliud est filium esse, aliud autem habere statum filij; infantes & pueri filij sunt, tamen statum filij nondum habent; status filiorum est libertas, & quod sui iuris sint, possintque pro arbitrio disponere de suis, quod non habent filij, nisi ætate legitima. hoc idem reperitur in ista adoptione Dei. In lege iusti, filij veri erant, ut nos, tamen paruuli; his enim comparat eos Paulus; statum filiorum nondum habebant, erant sub lege timoris, ut sub pedagogo & sub actore, ut quantum ad statum serui fuerint: longè autem differunt hæc duo, esse seruum conditione, aut esse seruum statu & forma viuendi: erant illi conditione filij, statu serui propter legem, sicuti infantes: at in Euangelio per Christum remota est lex, recessit pedagogus, peruenit ad ætatem iustus, in Christo libertate donatus est; de qua ad Galatas 4. Liberi sumus, quia libertate Christus nos liberauit. Ob id statum filiorum habemus. hoc

tertium

totum diuine docet Paulus in eo capitulo. iustos illos sub lege comparans filio ancillæ Abraham, nos filio liberæ, vterque tamen filius est: sed illi ancillæ, propter statum seruitutis, nos liberæ propter statum libertatis & potestatis: vnde dicit; iam non estis filij ancillæ, sed liberæ; vtrique tamen filij erant Abraham. Adoptio igitur est in Euangelio perfecta, quantum ad statum libertatis, ob id Euangelio datur hæc adoptio: veruntamen non est completa in hoc seculo, quia iustus mente liber est, carne tamen seruit, in gloria autem consummatam ab omni peccato, & miseria consequetur libertatem, & ob id dicitur iustus expectare adoptionem filiorum, Roman. 8. non quod non sit filius adoptionis in hoc seculo: sed quia nondum, vt diximus, integram consecutus est libertatem. At verò iustus sub lege, filius quidem erat, tamen eum adoptionis statum consecutus non erat, qui est in Euangelio. Ipsemet Paulus id explicuit: quando enim dixit, iustos etiam nunc gemere, & expectare adoptionem filiorum, ne quis putaret eos non esse nunc filios adoptionis, paulò ante hoc verbum declarauit; liberabitur creatura, inquit, à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. quasi dicat; Filius est nunc iustus in Euangelio, tamen nondum totam libertatē, nēpē à corruptione consecutus est, donec perueniat ad gloriam: & hoc est expectare adoptionem, filiorum, quomodo autem intelligendum sit, quando dicitur in Euangelio esse adoptionem, explicuit idem Paulus ad Galat. cap. 3. In libertatem, inquit, vocati estis fratres: quasi diceret, in lege quidem eratis filij, sed subiecti legi, vt pædagogus, & seruiebatis sub elementis mundi huius; iam verò habetis libertatem & statum filiorum: sicut pueris iam ad ætatem peruenientibus, & emancipatis dicere solemus; iam liberi estis: hic est igitur sensus, & dubitationis resolutio. Quapropter Euangelium nobis libertatem filiorum, & spem li-

bertatis perfectè attulit, statumque adoptionis, quæ recipientibus Christum dantur. Vnde Cyrillus superius allegatus sic intelligi debet; vi legis iustos fuisse in figura filios, tamen ratione filij futuri Christi filios fuisse, quod ad Euangelium pertinebat; & simul erant in statu seruitutis propter legem, à qua nondum erant liberi, donec veniret Christus. Ex hac doctrina solutio alterius dubitationis sequitur: cur nimirum iustus sub lege, etiam purgatis, non patuerit ianua cælestis, sicut modò patet, ex modò dictis constat responsio. Illi etenim paruuli erant, & paruulis non datur hæreditas, etiam mortuis parentibus, donec veniant ad legitimam ætatem: hæc autem legitima ætas, fuit plenitudo illa temporis, in qua Deus misit filium suum, vt adoptionem filiorum recipereamus. Hæc doctrina est vera, & legitimam scripturarum continet sensum, quam breuissimis verbis insinuauit Chrysostomus, homil. 13. in Ioannem, dicens, Iudeos habuisse adoptionem filiorum, sed spiritum seruitutis. Ex his omnibus facile deducitur sensus huius loci, quem interpretati sumus: dicitur siquidem Christus credentibus in eum, dedisse potestatem filios Dei fieri; quia non solum eos facit filios, sed etiam in statu & libertate filiorum Dei collocat, quod alijs verbis, Ioan. 1. epist. 3. dixit, Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus; non dixit solum, simus, sed, nominemur etiam. hæc nominatio est propter statum filiorum, propter quem etiam Matth. 5. Christus docens orare, iussit nos Deum nomine patris vocare, quasi iam in statu filiorum collocatos. Bene ex hoc loco Cyrillus, libr. de recta fide ad Reginas deducit, Christum esse Deum. Certè solus Deus filios Dei adoptionis facere potest: cum adoptare illius sit, cui adoptatio fit. Sicut igitur adoptare Deo, Dei est. ita adoptionis libertatem, & filiorum potestatem dare, eiusdem omnino erit.

Cur iustus, qui Christi aduentu proceperunt, non patuerit cælestem.

His qui credunt in nomine eius.

COMMENTARIUS.

DIXERAT, ijs, qui receperunt eum dedisse potestatem filios Dei fieri: modò explicat, qui dicantur recipere: ijs, inquit, eam potestatem dedit, qui credunt in nomine eius: græcè legitur credentibus in nomen eius. Credere in nomen eius est, credere ipsum esse verum Christum in lege promissum, & credere ipsum esse Dei filium, qui venit nos redempturus. ita explicuit Ioannes ipse. 1. epist. cap. 5. Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est: id est, iste est filius Dei adoptionis: Quare credere Iesum esse Christum, non aliud est, quàm credere illum, qui dictus est Iesus, esse Christum, & Messiam promissum. Et iterum adiungit in eadem epistola; Hæc est, inquit, victoria quæ vincit mundum fides nostra: quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei: ex his pēdet tota fides Christi, & Euangelica. Præpositio (in) voluntatis affectū indicat. non enim dicitur, credere in Deum, nisi, qui simul fide per intellectum, & charitate per voluntatem, fertur in Deum: ita notat Augustin. sermone 61. de verbis Domini, vbi ponit differentiam inter credere Deo, Deum, & in Deum: quod discreti quam-

quamuis non sit perpetuū; nihil tamen ex hoc loco habent heretici, in sola fide iustitiam ponentes: nam credentibus datur potestas, vt filij Dei fiant nō quod fides sola eos tales faciat; sed Baptismus, per quem rectè suscipientibus infunduntur gratia & charitas, cæteræque virtutes, in quibus vnà cum fide tanquam cæterorum fundamento, formalis iustitia consistit: quod idē Ioannes in eadem epistola, cap. 5. declarat; Hoc est, inquit, mandatum, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatū nobis, & qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo. hæc Ioannes. Si per solam fidem filius Dei efficeretur homo, non in eo qui diligit, sed in eo qui credit, Deus diceretur manere.

Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

COMMENTARIUS.

EXPLICAT; quare isti fiant filij Dei & dicit; quia nō carnali, & naturali generatione, seu ex sanguine, & concupiscentia carnis & viri, sed ex Deo nati sunt: id est, habent alium quēdam partum dissimilem naturali, per quem nascuntur ex Deo, non ex carne & sanguine. Si autem ex Deo nati sunt, filij Dei sunt. Consimilis est sententia, quā inferius dicit Dominus Ioan. 3. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est. Nō negat esse homines natos ex carnis, & viri voluntate, & sanguinibus; sed dicit, eos, qui Christum recipiūt, iterum nasci, non quidem ex sanguinibus, nec voluntate carnis, nec voluntate viri; si enim sic nasceretur iterū, adhuc filij hominum essent; sed nascuntur ex Deo, & ob id filij Dei sunt. Quod debet sic intelligi; Quia non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, vt prius: sed ex Deo nati sunt: habet enim illud relatiuum (qui) vim causæ. hic est legitimus sensus. Notat bene Cyrillus libro primo in Ioan. ca. 14. & Chrysostomus, homil. 9. super eundem, meminisse carnalis generationis, vt magnitudo gratiæ exprimat, per quam ex tam vilibus nati principijs, in tantam & tam excellentem excoluntur natiuitatem, vt filij Dei, & ex Deo nati sint. Et aduerte Ioannem numerare omnia, quæ in generatione naturali inveniuntur: ex sanguinibus quidem nasci cōmune est omnibus hominibus. Omnes enim ex sanguinibus formantur, & ex materia: quæ autē sequuntur, sunt duo modi generationum, ex parte principij: quidā enim ex iniquo & in honesto nascuntur concubitu, & ij dicuntur ex voluntate, seu concupiscentia carnis generari: quidam autem ex iusto & honesto, & hi dicuntur ex voluntate viri nasci. Concupiscentia enim carnis est, quæ inducit ad illicitam generationem, in qua queritur delectatio: viri autem voluntas quæ consona rationi & honesta respicit, mouet ad generationem honestam & iustam. Vt ergo Ioannes vtranque generationem complecteretur, dixit, non nascuntur ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, vtrisque autem commune est, ex sanguinibus nasci. Nec sine causa Ioannes meminit vtriusque modi, sed vt significet tam hos, quàm illos ex Deo, nasci posse: quantumcunque enim sint illegitimi, & nati cum peccato, & ex peccato, possunt nasci ex Deo, & esse filij Dei. Præterea meminit Euangelista huius duplicis partus, quia & in genealogia Saluatoris vterque reperitur, & in scriptura frequens est vtriusque mentio. Qui ergo recipit Christum, siue parentum probro, siue commendatione natus sit, ex Deo iterum nouo nascitur foetu, & nouo prorsus modo, vt fiat Dei filius. Denique illa præpositio (ex) quando dicitur, *ex sanguinibus nati sunt*, principium materiale designatur, at quando dicitur, *ex voluntate & viri, & carnis*, atque etiam, *ex Deo nati sunt*, Efficiens causa denotatur.

Euangelista cur eorū meminit, quæ ad naturalem generationem, concurrunt.

D

ANNO.

MULTI in exponendis illis tribus verbis, *ex sanguinibus, ex voluntate carnis, & voluntate viri* laborant. Augustinus tractat. 2. in Ioannem, & Theophylactus dicunt, per carnem fecerunt; per voluntatem viri, virum significari: qui duo sunt principia ortus naturalis. Alij alia dicunt, sed quia materia hæc nõ multum ad rem facit, estque philosophica: ideo referre, aut plura prosequi in hac parte inutile iudico, præsertim cum expositio superior legitima mihi videatur. Quod autem ad verba attinet, miror expositores, quotquot hunc locum interpretati sunt, ex his, quos legi, prætermisisse quiddam consideratione fortasse non indignum, quod nimirum aliter hunc locum graues & antiqui Doctores legerint. Athanasius enim lib. 2. de vnica deitate Trinit. & Tertullianus lib. de carne Christi legerunt in singulari, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo natus est, quamuis Athanasius alibi legat, vt nos communiter legimus. Et hæc lectio sensui est valde consona, & mysterij plena. Continuat autem præce-

Vt legat hęc locū Athan. & Tertul.

Adentibus sic, vt ratio quædam sit, quare credentes filij Dei fiant: nempe dedit potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui filius Dei est naturalis, & verus. & non natus ex sanguinibus, cum voluntate carnis, & voluntate viri, qui Christus est: quasi dicat, ob id sunt filij Dei isti facti, quia credunt in eum, qui est verus & naturalis Dei filius, & non filius tantum hominis, vt cæteri nati ex sanguinibus & concupiscentia carnis, & viri: quia ergo credunt in filium verum Dei & naturalem, filij etiam fiunt Dei, quamuis lögè aliter quam ille, in quem credunt. Huic lectio respondet, quæ sequuntur; *Et Verbum caro factum est*, id est, hic, qui non ex sanguinibus, non ex voluntate carnis & viri, sed ex Deo diuina generatione natus est, factus est homo. At quia lectio nostra est communissima, ea est tenenda, & sequenda: satis sit tantorum Doctorem retulisse lectio-nem, & iuxta eam sensum consequentem explanasse. Nunc ad præcipuam huius capituli partem, transeat oratio.

ET VERBUM CARO FACTUM EST.

COMMENTARIUS.

HACTENVS de Verbi aduētū & incarnatione tacite locutus est, perhibens Verbum lucere in tenebris, & in propria venisse: nunc modum aduentus explicatè docet. *Verbum*, inquit, *caro factum est*, & vt notant Chryso-st. hom. 10. & Theoph. sunt hæc verba causa antecedētis sententiæ; Dedit potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in ipsum: quia verbum factum est caro. Si enim filius Dei, filius hominis factus non fuisset, vtique homo non factus esset filius Dei. Hanc eandem continuationem insinuat August. lib. 2. de peccat. mer. & remis. cap. 24. per hoc inquit, factum est, vt nati de carne caro, postea nascendo de spiritu, spiritus essemus, hoc est, Verbum caro factum est. Particula enim (&) pro (quia) sæpe à Ioanne ponitur, iuxta hebræorum consuetudinem, vt inferius adnotabimus. His etiam verbis, vt notat Augustinus, epist. 120. ad Honoratum, cap. 4. & lib. 2. de consen. Euangelist. cap. 3. cuidam obiectioni occurrit Euangelista. Possent enim aliquis dicere; quomodo, qui ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate viri, natus est, fieri potest filius Dei. Respondet ipse; nolite admirari: quia Verbum caro factum est, & verus Dei filius factus est homo ex carne & sanguine. Maius est hoc profectò, & illo multò mirabilius. Est autem cum articulo Verbum, vt intelligamus illud idem esse, de quo dictum est, in principio erat, & apud Deum, &c. Hoc idem caro factum est. Caro pro toto homine sumitur, ex anima & carne, vt idem sit, ac Verbum homo factum est. Figura enim est frequēs, vt pars pro toto accipiatur. Nõ autem dictum est, Verbum venit in carnem, vt notat Cyrillus, libro 1. in Ioan. cap. 15. ne sic Verbum esse in Christo intelligeremus, sicut est in Prophetis & iustis. In hos enim per lumen prophetiæ, aut per gratiam venisse dicitur. At in hoc, quod Verbum factum est caro, vnio realis naturarum duarum Verbi & hominis, in vna persona significatur, secundum quam dicitur; Deus est homo, & homo est Deus. Quod dici non potest in illis coniunctionibus.

ANNO-

A N N O T A T I O IXL.

Hæreses due circa vocem Verbum olim fuerunt.

SVNT hæc tria verba præ cæteris attentè consideranda; duo nimirum extrema (*Verbum caro*) & vnum mediū, quo coniunguntur (*factum est*). Quantum igitur ad alterum extremorum attinet, nempe, *Verbum*, duæ extiterunt hæreses: vna est, cuius meminit Athanasius in hom. in Euangelio; Missus est angelus Dicebant aliqui vel bñ illud Angeli, quo locutus est beate Virgini in annunciatione, esse incarnatum, & factum carnem. Hæc hæresis est ab omni ratione aliena. Illud enim verbum fuit sensibile, in aere formatum, transitorium, sicut nostrum, & quoddam accidens, quia sonus erat; at Verbum factum caro, substantia est permanens & insensibilis. Verba autem Ioannis hunc errorem conuincunt. Nam hoc Verbum, quod caro factum est, idem est: quod in principio erat apud Deum, & Deus erat, & per quod omnia sunt facta. Ioannes enim de eodem Verbo texit suam narrationem, & de Verbo, quæ dicta sunt præmisit, vt non tunc cum caro factum est, illud cœpisse demonstraret. Altera hæresis fuit Eunomi, & aliorum quorundam, quam recenset Athanasius in oratione Quod ex Deo Deus est verbum, & in multis alijs locis; & Ambrosius lib. de Domin. incar. sacram. cap. 6. & Cyrillus lib. 7. Theosau. c. 2. & 4. hi dicebant verbum duplex esse Dei; vnum internum, in ipsa mente Dei existens, de quo dictum est, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: Alterum erat improprie verbum, sic tamen dictum, non quod per illud Deus intelligat, sed quia per ipsum locutus est nobis, sicut locutus est per Prophetas, & hoc verbum dicunt esse filium Dei, de quo dictum est, verbum erat Deus. Cæterum exponebant, Deus erat non natura, sed imitatione: hoc verbum, dicunt isti esse, quod caro factum est, non illud prius internum & Deo consubstantiale. Hæc isti impiè affirmabant, vt Christum verum esse Deum negarent. Meminimus & superius huius hæresis, & eam confutauimus, cum ostendimus, Ioannis sententiam non posse nisi de vnico Verbo intelligi. Vnum igitur est Verbum, quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & quod erat Deus, & per quod omnia facta sunt: & hoc idem est, quod caro factum dicitur, quod est Dei filius Patri consubstantialis. Hac doctrina Catholici satisfaciunt, si quis percunctetur; Cur B. Euangelista non dixerit; Filius Dei caro factus est, sed potius caro factum est? Ex iam dictis constat responso. Id enim, quod caro factum est, illud idem esse significat, quod erat in principio apud Deum, & per quod omnia sunt facta. Si namque post illas sententias enunciasset; filius homo factus est, facilius errarent aliqui, distinctionem ponentes inter eum, qui caro factus est, & eum, qui erat Verbum in principio apud Deum: & ea loquendi ratione, velut quadam specie, suum confirmassent errorem: At dum eadem vox conseruatur, non modò eadem res significata dilucidè demonstratur, sed & hæresis manifestius reprobatur. Addi

A his potest dici Verbum carnem factum, vt significaretur, quod non solum redemptor futurus erat per carnem; sed doctor noster, qui carne salutem est operatus, & viam consequendæ salutis Verbo edocuit vniuersos.

A N N O T A T I O IIXL.

ALTERVM extremum est, in *caro*, quo ca- uendæ sunt duæ aliæ hæreses. impegerrunt enim hæretici olim in hac voce, ac in primis Arrius, vt meminit Ambrosius lib. de incarn. Domin. sac. cap. 7. meminerunt etiam multi alij & Græci, & Latini auctores: assererat hic Verbum carnem solam sumpsisse; non animam, sed verbum esse loco animæ. hæresis ista multis œcumenicis concilijs damnata, & à Doctoribus sacris est argumentis conuicta. Verbum enim vtramque partem naturæ nostræ, animam nempe, & carnem sumpsisse, scriptura apertè docet: Ioann. 12. Anima mea turbata est. Matth. 27. Tristis est anima mea, nec potest hæc turbatio & tristitia conuenire Verbo, quod sua natura est impassibile. Alio argumento vtuntur Doctores sacri contra eandem hæresim; Verbum sumpsit naturam nostram, vt eam sanaret, potius igitur ea pars debuit assumi, quæ plus indigebat sanitate; sed hæc erat anima, quæ est causa prima peccati: sicut ergo & corpora & animas saluare venit, ita vtramque partem naturæ assumpsit. Altera hæresis fuit Apollinaris, contra quem scribit Gregor. Nazian. epist. 1. ad Clidon. quam refert etiam Rufinus lib. 2. histor. cap. 20. retulerunt etiam, & impugnarunt alij multi. Asserbat iste, Verbum sumpsisse carnem animatam, sciebat hæreticus carnem proprie, si non animata sit, dici non posse: affirmabat tamen animam non rationalem, sed tantum sensitiuam ab eo assumptam fuisse. Quæ hæresis est multis damnata Concilijs, & ipso scripturæ testimonio conuincitur, Lucæ 23. In manus tuas commendo spiritum meum: habebat ergo & sensum & spiritum: imò vnica est anima, quæ in substantia est sensitiua, rationalis, & intellectuua. & eadem ratio, quæ facta est contra Arrium, Apollinarem iugulat. Indigebat enim anima rationalis non minus reparatione, quam sensitiua. Porro non minus prior hæresis, quam hæc posterior vnico argumento conuincuntur. Si solam animam sensitiuam, aut solam carnem sine anima, Dei filius sumpsisset, nullatenus homo dici posset. Deficiente enim propria forma substantiali, & propria differentia, nulla ratione dici homo posset: nec enim quod assumptum fuit humana natura est, nec hominem facit, nisi caro & anima sint perfecta: at scriptura apertè & multis testimonijs docet, Christum esse hominem, & filium hominis: ad Rom. 5. In gratia vnus hominis Iesu Christi in plures abundauit. 1. Corinth. 15. Primus homo de terra terrestris, secundus homo de cælo cælestis: & per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et attende hanc collationem inter Adam & Christum: homo ille,

Diuersæ errã vñ hæretici in significati- one vocis cà- rō.

Luc. 23.

D homo

homo & iste, vt significaret Apostolus, quantum ad substantiam, nullam partem defuisse christo, sicut nec Adæ: hic tamen mortis, Christus autem vitæ principium fuit. Multa contra errores hos adduci possent; si vellemus ab instituto digredi: quæ ad intelligentiam loci præsentis, quem exponimus faciunt; satis sit attigisse. Apertum est hæreticos istos verbo illo, caro, deceptos, quia non considerabant frequens esse in scriptura diuina, totum hominē carnem vocari. Genes. 8. Omnis caro corruerat viam suam. Isa. 40. Videbit omnis caro salutem Dei. Psalm. 64. Ad te omnis caro veniet. Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. & vt his in locis, absque dubitatione vlla, totum hominē caro significat, ita etiam in præsentī, vt sensus sit: Verbum factum est homo.

Caro, totum hominem frequenter in scriptura significat.

Quare Euangelista non dixerit, Verbum homo, sed caro factum est.

ANNOTATIO IXL.

CV M probatum sit, carnem hoc in loco totum quiddam ex anima, & corpore constatum, quod humana natura est, significare, non est existimandum Euangelistam, Verbum carnē factum esse, absque mysterio dixisse, cū potuisset facilius, & nulla errandi oblata occasione dicere: Verbum homo factum est. Sacerdotes igitur Doctores aliquas huius locutionis causas inuestigarunt. Vna est Cyril. libr. 1. in Ioann. cap. 15. Verbum sumpsit naturam nostram, vt repararet damna, quæ pro peccato est passa. præcipuum autem damnum mors est, quæ minus in anima, quàm in corpore regnat. Anima siquidem immortalis est, corpus est quod resoluatur, & caro quæ corrumpitur: ob id expressa est ista assumptio in carne. Hæc ratio licet congruens videatur, tamen nõ est vndequeque absoluta: nam Christus præcipue venit, vt liberaret mortalium genus ab ipso peccato, quod magis est in anima: Præterea damnum maius est in anima, quæ plus punitur, quàm caro, quæ pœnam sensus patitur, at anima etiam pœnam damni sustinet. Alteram causam tradit August. in episto. 120. ad Honorat. cap. 4. vt Christi humilitas in hoc potissimum commendaretur, qui carnis nomen, non tanquam indignum, nostræ salutis causa refugit. Possumus & nos assignare alias causas, quæ ad rem fortassè non minus faciunt Vna est: vt extremorum distantia magis exprimeretur: sicut enim cū dixit Verbum, natura intellectualis significatur, quam vox (filius) non indicabat: sic etiam dum dicit, caro, quodd sensibilius est, & magis remotum à natura intellectuali, ostenditur. Atque ita duorum extremorum distantia maximè describitur, dum verbum intellectuale, spirituale, & inuisibile, ad carnem sensibilem, corporalem, & visibilem descendit: sitq; vnio duorum extremorum tanta dissimilitudine distantium. Altera causa est, quia sic magis Verbi cum natura nostra declaratur coniunctio. Si enim tantum dictum esset: Verbum homo factum est, posset existimari, hoc esse factum, quia animā sumpsit, quæ in carne est, non tamen quia ipsam carnem sibi immediatè vnierit: at dum dicitur: caro factum est, non relinquitur du-

bitandi locus: si enim sibi carnē, quæ remotior & dissimilior est, Verbum vnierit; etiā animam, quæ vicinior est, & similior, cū sit spiritualis & immortalis, vnierit non dubitabitur. Tertia ratio constabit, si supponamus prius, hominem ante peccatum, nunquam dictum fuisse carnem. Illud enim Genes. Caro de carne mea, & os ex ossibus meis, non probat Euam ipsam dictam esse carnem, sicut nec dicta est os neq; Adam se ipsum carnem dixit, sed carnē Euæ signauit, & ossa, quæ sumpta erant de carne sua: post peccatum verò, homo vocatus est caro in contemptū quendam, vt quantum per peccatum homo de sua amiserit dignitate, & quodd sprete ratione, ac diuino mandato, carnī subiectus esset, doceremur: propterea dicitur Gene 6. Corruerat omnis caro viam suam & non permanebit spiritus meus cum homine, quia caro est. Vt ergo indicaret Euangelista, quod carnem Verbum assumpsit, illam quæ erat de peccatoribus, & quam venerat reparare, sine peccato quidem, sed in similitudine carnis peccati, vt dicitur Rom. 8. ob id Verbum factum esse carnem pronūciat, id est. Verbum naturam humanam assumpsit, ex illa eadē massa, in qua erat peccatū. venit in similitudinem peccati, patibilis, & mortalis, similis nobis, ex pers tamen peccati, hoc mysterium voluisse Euangelistam hac oratione significare, iudico.

ANNOTATIO XL.

ADDITVR, factum est, quod actionem, & vnionem significat, qua diuina verbi natura, in vnitate personæ Verbi, humanæ est copulata, manente integra, & impermissa vtraq; natura, ita vt sit vnica persona in duplici natura, diuina scilicet, & humana, simulque sit Deus, & homo. In hoc verbum impegunt olim hæretici, vt meminit Amb. lib. de incar. Dom. sac. cap. 6. impiè affirmantes, diuinam Verbi naturam conuersam esse in carnem. Hi decepti hoc verbo, factum est caro, inerebant, ergo conuersum est in carnem; quæ quidem illatio vana est: nam hominem factum esse sanum dicimus, non inferimus conuersum esse in sanitatem, sed recepisse sanitatē manente natura hominis, & natura sanitatis. & cum Gen. 2. dicitur, factus est homo in animam viuentem nemo inde deducit, ergo conuersus est in animam viuētē. Sic, quia Verbum factum est caro, non sequitur, ergo conuersum est in carnem; sed manente natura propria Verbum sub vnitate personæ suæ suscepit carnem, seu naturam humanam. Quod mysterium Greg. lib. 6. epist. 61. hanc hæresim refutans, his verbis pulchrè explicuit. Verbum, carnem dicimus factum, non immutando, quod erat; sed suscipiendo, quodd non erat: nostra auxit, sua non minuit. Eandē hæresim impugnavit Theodor dialog. 1. qui dicitur, immutabilis, immutabilitati enim naturæ diuinæ, repugnat conuersio in carnem; quodd enim in aliud conuertitur, definit esse in se ipso.

Hoc eodem Ioannis verbo couincitur Eutyches, cuius meminit Euagr. lib. 1. histor. cap. 9. hic dicebat ante vnionem duas conuenisse naturas, diuinam & humanam: post vnionem verò,

verò, vtramque fuisse permistam, & vnā tertiam, ex vtraq; resultasse naturam, quæ hæresis damnata est, in Conc. Calcedon. sub Leone 1. quæ etiam ipse Leo ser. 8. de nat. confutauit, & hoc verbo Ioannis omnino conuincitur; si enim Verbum factū est caro, manet igitur natura carnis, & non est in tertiam conuersa natura. Adde, si natura tertia resultaret ex vtraque illa, nec diuina, nec humana esset, & sic Christus, nec Deus esset, nec homo, quodd Christianorum animi audire perhorrescunt

Singulis Euangelistæ verbis, hæresis aliqua conuincitur.

ANNOTATIO XLI.

Lures, vt diximus, hæretici Diuini Euangelistæ verbis se tueri frustra conabantur, quos breuiter refutauimus, sensum legitimū verborum aperiendo: videamus iam quàm ingeniosè eisdem verbis, multos hæresum & errorum suorum, Doctores sacri conpicerunt. Prima fuit Cherintus, vt refert Iren. li. 1. ca. 25. Christum purum hominem, & tunc inceperit, quando natus seu conceptus homo est, impiè affirmabat. contra hunc Ioannes scripsit Euangelium, vt alias diximus, eaq; hæresis coarguitur prima voce, Verbum. Christus non homo tantum, sed Verbum erat: Verbum autem, quod erat Deus, & quod erat in principio, & apud Deum. Præterea Ioan. 8. ipse Dominus dixit, antequā Abrahā fieret, ego sum. Secunda fuit Nestorius; de quo Greg. li. 4. epist. 32. perhibet, is duas personas in Christo fatebatur, diuinam & humanam, naturarumq; in vnitate personæ negabat communionem: Sed hanc hæresim euertit alterum verbū, nempe factum est. Si quæ personæ sunt in Christo, fieri nõ potest, vt homo sit Deus, aut Deus homo: sicut vnus homo non potest esse alter homo, qui est distinctus in personæ, nec verè dici potest: Verbum factum carnem. Tertia fuit Manichæorum, de quibus narrat Aug. lib. de hæres. c. 46. quodd veritatem carnis negauerint in Christo, affirmantes illam carnem apparentem fuisse, non veram: sed hanc hæresim confutat Ioannes dicens: factum est caro. Si non fuit vera caro, sed apparens & ficta, non ergo verbū factum est caro. Simili argumento coarguit Athan. epist. ad Epitet. & Ambr. lib. de incar. Dom. sac. cap. 6. eos, qui affirmabāt ad Christum factum esse

Dei Verbum, tāquam ad vnū Prophetarum, non tamen quodd ipse sit verbum Dei; Eruditè argumentatur Ambr. tunc non posse dici, Verbum factum est caro. sed verbum factū carni, seu ad carnem: sicut non fuit dictum; factū est verbum Propheta, sed ad Prophetam: & hæc est quarta hæresis, quæ his verbis conuincitur. Quinta & vltima fuit Valentini, hic, Tertul. li. de carne Christi narrate, dicebar, corpus Christi esse naturæ & substantiæ cælestis, non de nostra substantiæ: sed hanc conuincit vox illa caro. non enim Verbum corpus tantum, sed etiā caro factum est; caro autem non esset, si naturæ cælestis corpus illud esset. Præterea paulo ante declarauit Ioannes, de qua carne loquebatur; quæ, inquit, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis: hæc autem est caro nostræ substantiæ. Plurima alia possent dici contra has hæreses, & de angustissimo incarnationis Sacramento; sed hæc breuiter pro intelligentia loci, suffecerit annotasse.

ANNOTATIO XLII.

VNICA & breuis dubitatio, circa eundem locum superest, si Verbum caro factū est; à quo factum est: aliquem enim eum fecisse carnem seu hominem necesse est. Respondeo, solum filium Dei hominem esse factum, quia in sola persona filij Dei, natura humana cum diuina sociata est, & ipse solus homo factus est, seu incarnatus est: tamen actionem ipsam vnendi naturam humanam in persona filij, tres personæ Trinitatis per fecerunt. nimirum Filius, Pater, & Spiritus sanctus. Carne enim induere filium, opus & actio totius est Trinitatis, licet solus Filius ea sit indutus: perinde ac si essent tres homines, vnus ex seipsis vestientes, ipse se vestit, & alij duo eundem vestiunt, ita vt tres sint, qui amiciant, seu induant, vnus tamen vestitus euadat. Doctrina est August. lib. de fide ad Petrum cap. 2. solū Verbum, inquit, carnem ipsa Trinitas fecit, & Innocen. 3. in Concil. Later. in confessione fidei, Filius, inquit, à tota Trinitate communiter est incarnatus. Quod pulchrè prosequitur Hugo à Sancto Victore. lib. 2. de sac. par. 1. c. 3. habes igitur, à quod Verbum caro factum est, ad alia euangelistæ verba progrediamur.

A quo verbum caro factum sit.

Et habitauit in nobis.

COMMENTARIVS.

NE quis existimaret carnē hanc à Verbo sumptam absconditè, vt à nemine videretur, & cum nemine conuersaretur, adiūxit, & habitauit in nobis; conuersando, commemorando, conuiuendo, vt vnus ex nobis: sic prædictum erat Baruch. 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: & Zach. 2. Latere filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui: sic paulo inferius dicitur; In medio vestrum stetit, quem vos nescitis. vox græca sumpta est à tabernaculo, quasi fecit tabernaculum inter nos; quia commemoratus est nobiscum, & conuersatus est, ac vitam nobiscum egit communem. Significatur etiam hoc vocabulo sic venisse, & nobiscum hic habitasse, vt non esset oculis mortalium aspectabilis permanens, sed opere suo consummato reuersurus. Ioan. 16. Exiui à patre, & veni in mundū; iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. tabernaculum enim nõ diuturnam habitationem significat. Quod autem dicitur in nobis, potest etiam legi, inter nos.

*Diuerſa Pa-
rrum expoſi-
tiones.*

MULTI graues, & antiqui Doctores, hæc verba aliter exponunt, nempe vt ad ipſam carnem Chriſti referantur, in qua Verbum habitat, velut in tabernaculo quodam: & quia naturæ eiſdem eſt cum noſtra, dicitur habitare in nobis, quaſi diceret Euangeliſta; habitauit in carne eiſdem naturæ cum noſtra, ita exponunt Hilar. lib. 12. de Trinit. Chryſo. hom. 10. & Cyril. lib. 1. cap. 16. & Ambro. lib. de incar. Dom. ſacr. cap. 6. vtuntur autem Hilar. Cyril. & Ambr. his verbis contra eos, qui affirmabant Verbum conuerſum in carnem, propterea quia dictum eſt (Verbum caro factum eſt) ſi enim (habitauit in nobis) non eſt profecto conuerſum in carnem, ſed manet; aliter non habitaret in nobis, & Cyril. vltius dicit; Ioannem ideo hæc verba adiunxiſſe, vt nemo ſic Verbum carnem factum eſſe intelligeret, quaſi Verbi natura mutata eſſet: quod etiam notat Amb. affirmans etiam propterea dictū eſſe Iſa. 7. Chriſtum Emanuelem, quaſi nobiſcum Deū, quia Deus in carne, ſeu humana natura habitauit. Huic conſonat quod tabernaculum dicta eſt natura humana, reſpectu Verbi inhabitantis. Pſalm. 45. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. vbi Baſil. hom. in eundem Pſalm. exponit tabernaculum de carne, & natura illa humana, quæ coniunctam ſibi habet diuinitatem. Non eſt expoſitio iſta temerè contemnenda, quæ tantorum Doctorem auctoritate fulcitur: habet tamen aliquam difficultatem: quia tabernaculum eſt breuiſſimi temporis habitatio, at Verbum non ſic eſt naturæ humanæ copulatum, quaſi eam dimiſſurum aliquando eſſet, ſed velut perpetuū in eā permanſurum. Quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimittit. Corpus quidem in hoc ſæculo tabernaculum animæ vocauit Petrus 2. Petr. 1. quia ab anima dimittitur; tamen non ſic natura humana ſe habet ad Verbum, ſicut corpus ad animam. illud verò Pſal. 45. potius ad B. Virginem pertinet, in qua breui commoratus eſt Chriſtus, quando in eius ventre genitus eſt, & per nouem meſes manſit. & ſic intellexerunt locum illum graues Doctores, vt aliàs diximus. Præterea, quamuis non negem dici poſſe aliquo

A modo tabernaculum Verbi, humanitatem illam, quia aliquando tabernaculum pro perpetua ſumitur habitatio; tamen cum in eo, quod dixerat Euangeliſta, Verbum carnem factum, declarauerit myſterium incarnationis, nempe Verbum carni vnictum, non erat, quod hanc coniunctionem repeteret. Quod enim ad hæreticos pertinet, ſatis conſutantur eiſdem verbis expoſitis, vt in commentario dictum eſt. Si enim commoratum, conuerſum, & nobiſcum conuixiſſe Verbum dicitur; utique non eſt conuerſum in carnem, ſed manet. At in expoſitione, quem ſecuti ſumus, multa alia exprimentur, à Ioanne neceſſariò referenda, quæ in commentario explicuimus, quæ tamen in iſta expoſitione locum non habent: propterea illam vt probabiliorè amplexi ſumus. Athan. autem in ſerm. 3. contr. Arria. aliter exponit hæc verba; Dicit enim in eis exprimi cauſam, cur Verbum factum ſit caro; nimirum, vt habitaret in nobis. diuerſum aliquid dicit à Doctores allegatis. in eo, quod hæc verba cauſam, cur Verbum caro factum ſit, exprimere affirmat, quid autem iſta verba ſignificent, non aperit. Si tamen coniectari licet, forſan hoc dicere voluit; Verbum naturæ humanam ſumpſiſſe, vt per associatione eius, dici verè poſſet, eſſe nobiſconiunctum nos enim ſibi quodam modo vniuit in eā natura, quam ſibi proximè copulauit, ſed tunc hæc verba cauſam non continerent, cur ſit factus homo. non enim vnio hæc & coniunctio cauſa fuit, cur homo fieret. ſed redemptione noſtra. Forſan etiā id intellexit, quod nonnulli recentiores ſequuntur. Exponentes hæc verba ſpiritualiter (*habitauit in nobiſ*) nempe per fidem & gratiam. iuxta illud ephel. 3. Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: ſed verba ſequentia difficilem reddunt hanc expoſitionem. de viſibili enim habitatione ſermo eſt; cum ſtatim addatur, (vidimus gloriam eius.) Præterea, quia non apparet cauſa, propter quā nunc de ſpirituali habitatione fiat mentio, cum de incarnatione, qua verbum caro viſibilis & corporalis factum ſit, agat Euangeliſta. quæ igitur dicta ſunt in commentatio, probabiliora ſunto.

E

Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre

COMMENTARIUS.

Euangelista narrati myſterij reddit testimonium ex viſu. Poſſet enim peti. Ab eo, quomodo ſcis Verbum factum carnem, & habitasse in nobis? Vidimus, inquit, testes ſumus oculati. Verbum Græcum viſum diligentem, & attentum ſignificat, quaſi aſpeximus, & conſideratè vidimus, non quidem ipſum Verbum in ſe, quia corporeis oculis videri non poſſit, ſed in ſua gloria & ſplendore ab eo procedente. ſicut ergo qui ſplendorem ſolis videt in terra, ſolem eſſe ſupra horizonta certus eſt, ſic ex gloria Verbi in carne, quam vidimus, certi fuimus, Verbum carnem factum, & Deum eſſe hominem. gloria enim illa erat filij Dei, non meri alicuius hominis. ob id poſtquam dixit, *gloriam*. ne putaremus vulgare eam fuiſſe, addidit *gloriam vnigeniti*, id eſt, filij naturalis Dei, qui vnicus eſt, cum adoptionis filij multi ſint. Illud (*quaſi*) nõ ſimili-

ſimilitudinem denotat, quaſi alius ſit vnigenitus, cui ſimilis ſit in gloria, ſed veritatem, id eſt, gloriam, qualem filium Dei habere decet. ad ephel. 5. vt filij *Ephel. 5.* lucis ambulate, id eſt, vt congruit filijs lucis. quod annotauit Hieron. eodem in loco, & Chryſ. hom. 15. in Ioan. His etiam verbis declarat Ioannes, non ſic Verbum carnem factum in nobis habitasse, vt occultaret ſe Dei Verbum, & filium eſſe; ſed ſplendorem ſuæ diuinitatis multifariam dediffe, nempe prædicatione, innumeris, & inauditis miraculis, morte, reſurrectione ſua, tranſfiguratione, baptiſmo, vita & innumeris alijs, ac prope infinitis argumentis, quæ omnia erant ſplendor diuinitatis eius: nec enim merus homo ſic potuit ſplendere, ſicut nulla lucerna aut fax ſplendet vt ſol: quo ſit, vt ex ſuo ſplendore ſol ab omnibus agnoſcatur. de hac gloria Ioan. 2. poſt miraculum aquæ in vinum conuerſæ dicitur; & (manifeſtauit gloriam ſuā). Ioan. 11. (Non eſt infirmitas hæc ad mortem, ſed vt glorificetur filius Dei per eam) & ſunt multa huiusmodi loca. Attende adhuc circa ſenſum; Moysen in lege danda in gloria, & ſplendore tanto apparuiſſe, vt filij Iſraël intendere in faciem eius non poſſent, vt habetur Exod. 34. Chriſtus etiam Euangelium daturus apparet in gloria: at multo maior gloria hæc eſt, quā illa. Moyses enim ſeruus erat, Chriſtus Dominus eſt. Quod Ioannes inſinuans dicit; gloriam, inquit, non Angeli, non Moysis, non Prophetæ alicuius, non ſerui, ſed ipſius filij vnigeniti. quod Paulus etiam annotauit, noui Teſtamenti ſupra vetus perfectionem docens 2. Corin. 3. Si miniſtratio, inquit, mortis in gloria, multo magis miniſtratio ſpiritus, & quemadmodum Moyses velauit faciem, vt poſſent filij Iſraël intendere in eum; ſic Verbum ſe velauit humanitate: velatus tamen multo maiorem quā Moyses, gloriam ſparſit, vt filius verus Dei. Illud (*à patre*) coniungi poteſt cum nomine vnigeniti, ſupplendo participium; vnigeniti procedentis ſcilicet à Patre; aut poteſt coniungi cum nomine gloriæ; vidimus gloriam à patre, quam ſcilicet à patre habuit vt vnigenitus, quamuis melius coniungatur cum vnigenito: & ſic exponit etiam Athan. ſerm. 3. con. Arria. Gloriam, inquit, eius, vt gloriam vnigeniti patris ſui. hic eſt ſenſus horum verborum, quibus conſonat illud 1. Ioan. 1. Quod audiuiſumus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vidimus, & atteſtamur, & annunciamus vobis.

A N N O T A T I O XLIV.

*Quomodo
proxima Eu-
angeliste
verba ſuper-
rioribus ſunt
conneſtenda.*

Non omnes eodè modo verba expoſita præcedentibus conneſtunt. Chryſoſt. hom. 11. duas dicit vtilitates ab Euangelista narrari, prouenientes ex eo, quod Verbum caro factum eſt: vna erat: credentes filios Dei fieri; altera nunc proponitur, nempe (vidimus gloriā eius). Aug. tract. 2. eodem modo conneſcit, quāuis non eodem modo hæc gloriam exponat. Sed difficilis eſt hæc conneſtio: Nam illa vtilitas communis eſt omnium credentium in eū; hæc verò Apoſtolorum propria, qui Chriſtum in carne viderunt: debuerat autè eſſe generalis, vt inter vtilitates poneretur. Expoſitio Aug. facilior eſt, qui, vt paulò poſt dicemus, gloriam cæleſtem intelligit. quamuis hæc expoſitio de gloria difficilior ſit. Cyril. l. 1. c. 17. aliter conneſcit; nempe, cum dictum eſſet, Verbum carnem factum eſſe, ne quis putaret Verbum aliquid detrimenti in ſe paſſum, aut dignitatē ſuam nimis retinuiſſe, adiunxit, *vidimus gloriam eius*; vt ſit ſenſus; quamuis Verbum caro factum eſt, non tamen ab infirmitate carnis ſuperatum eſt, nec de antiqua Maieſtate, ac omnipotentia decidit: vidimus enim gloriam eius. Hanc connexionem etiam Aug. l. 13. Trini. cap. 19. innuit, & eſt ſatis conue-

niens; ſed magis illa, mea quidem ſententiā, quæ in commentario poſita eſt.

Nec omnes conueniunt in exponenda hac gloria vnigeniti, Athan. l. de communi eſſent. Patris, Filij, & Spiritus S. hanc gloriam exponit ipſum filium Dei. Filius enim gloria dicitur, & gloria à gloria. Sed verbis hic accommodari non poteſt, nõ enim diceret, vidimus gloriam eius, ſi ipſe eſſet gloria. Alij exponunt de ſplendore & Maieſtate, quæ in eius tranſfiguratione apparuit, cuius expoſitionis meminit hic Theophy. Aug. autem tract. 2. de gloria videtur exponere, quam ſperamus, cuius ſpes nobis data eſt, quia Verbum caro factum eſt. verior tamen expoſitio eſt, quam ſecuti ſumus in commentario, quæ eſt Baſil. in homil. de fide, Chryſoſt. & Cyril. & Theophyl. vt gloria ſit totum illud, quo Chriſtus in hoc ſæculo ſuam comprobauit diuinitatem, & ſe Dei filium eſſe mundo oſtendit, quod non ſolam tranſfigurationem, ſed omnia miracula, & geſta mirabilia. & prædicationem ipſam Chriſti complectitur, de qua etiam dictum eſt Ioan. 7. nunquā ſic locutus eſt homo) & Ioan. 6. verba vitæ æternæ habes.

*Callatio Chri-
ſti
ſic Moysē
legiſtatorē.*

ANNOTATIO XLV.

Quare Chri-
stus in scrip-
tura vnige-
nitus dicitur.

Aduertendum est in scriptura Christum dici vnigenitum, & primogenitum. Vnigenitus in hoc loco dicitur, & paulò inferius: Vnigenitus, qui est in sinu patris: & Ioan. 3. vt vnigenitum filium suum daret. Primogenitus autè Rom. 8. vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. ad Colossen. 1. qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: & iterum; qui est primogenitus ex mortuis. Catholici Doctores vtuntur hoc nomine vnigeniti contra hæreticos Arrianos, vt probent diuinitatem, & consubstantialitatem Verbi cum Patre. si enim Filius creatura esset, vnigenitus Patris non diceretur, cū multæ sunt creaturæ: hoc argumento sumpto ex vnigeniti nomine vtitur Athan. serm. 3. con. Arria. Ambr. lib. 1. de fide cap. 4. Cyril. lib. 10. thesau. cap. 4. & Hila. lib. 12. de Trinit. Arriani respondere ad hoc argumentum catholicorum conati sunt quatuor modis, vt commemorat Cyril. loco citato. Primò quidè vnigenitum dici, quia solus à Patre creatus est, cætera omnia à Patre per ipsum. hac responsione vtatur Eunomius, vt refert Basil. lib. 2. cont. eundem. sed vana esse conuincitur, quia, vt dicunt Basil. & Cyrill. vnigenitus in communi loquendi modo, non dicitur quia à solo, vel quia solus sit; sed quia ab vno vnicus natus est. Altera eorum solutio erat, dici vnigenitum ab excellentia, quia est creatura omnium suprema. hac etiam vtatur Eunomius, referente Basil. loco citato; sed refutatur. Nam quantumuis excellentissima esset, nõ excederet esse & statum creaturæ, vnde non vnigenitus, sed vnicareatus diceretur. Tertio asseuerabant isti dici vnigenitum, quia ipse solus nuncius, & Angelus consiliorum Dei est; sed hæc vana est responsio: tunc enim non vnigenitus, sed vniangelus, vel aliqua simili voce, non ad generationem pertinente appellandus erat: quia vnigeniti nomē non solū vnitatē, sed ortum indicat, quorum neutrum creaturæ cōuenit: generatio enim propria, & vera non est, nisi qui generatur, eiusdem sit substantiæ cum genitore. Quarto deniq; aiebant dici vnigenitum, quia solus ipse inter creaturas creator est. Sed neque id satis facit. hoc enim esset vnicareator, sed non vnigenitum dici. Firmum ergo manet Catholicorum argumentum, ex nomine vnigeniti diuinitatem, & consubstantialitatem Verbi cū Patre probantium; & sic verè, & propriè vnigenitus patris est, quia solus ipse filius est.

Quemadmodum Catholici Arrianos nomine vnigeniti arguebant, ita Arriani conati sunt nomine primogeniti Catholicos oppugnare. non tamen ex eis parem potuerunt reportare victoriam: Dicebant Arriani, si primogenitus est; ergo multi alij sunt, quorum iste primus est, atqui multitudo esse non potest, nisi ratione creaturarum; si ergo est primus omnium creaturarum, creatura ipse est. Huius Arrianæ perfidiæ meminit Cyril. libr. 10. Thesau. cap. 4. & adhibet tres conuenientissimas responsiones. Prima est, Christum primogenitum dici, secundum humanam natu-

Aram. ob quam fratres habet multos, quorum primus ipse dicitur, quia in ipso multi sunt in filios Dei adoptati. adhibet autem Cyril. quod etiam est Athanasij, tale documentum: Quoties in scriptura dicitur primogenitus Christus, adiungitur ibi vox aliqua, quæ indicet id secundum naturam humanam dici, vt patet in locis allegatis. Primogenitus est in multis fratribus, quia primus potestatem adoptionis filiorum dedit, & ratione humanitatis fratres habet. primogenitus ex mortuis, quia primus morte superata resurrexit, & primus carnem nostram in cælos induxit. At vnigenitus simpliciter dicitur, vt intelligamus id esse dictum tantum secundum naturam diuinam. hanc doctrinam recipiunt etiam Hilar. lib. 12. Trini. & Augu. cont. epist. Manich. cap. 37. vbi aduertit Christum secundum diuinam naturam vnigenitum, secundum humanam primogenitum dici. Altera Cyrilli solutio est etiam secundum diuinam naturam Filium Dei dici posse primogenitum, nec inde aliquid habere in suum fauorem Arrianos. Non enim nomen primogeniti habet relationem ad alios, quorum ipse primus sit, sed significat tantum ipsum primò esse natum: quod Luca 2. aperte significatur. nam Beata Virgo peperisse dicitur filium suum primogenitum, tamen nullum alium habuit filium, etiam secundum Arrianos. & Exod. 13. dicitur, Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam. Cerrè primogenitum erat, etiam ante ortum aliud; quin etiam, si nullum aliud nasceretur. Dicitur igitur potest filius primogenitus Patris, vt Deus, sicut Matris, vt homo, quia ipse primus natus est, non quod post eum alij nati, aut geniti sint. Tertio Cyril. dicit, etiam si comparationem aliorum induceret, adhuc Dei filius dici potest primogenitus, secundum diuinam naturam: nec inde inferitur esse ipsum creaturam, sed est comparatio causæ ad effectum. Vt enim dicitur Deus primus Pater, à quo omnis paternitas denominatur, & est; non tamen ipse primus paternitas creata est, sed primus dicitur, quia prima causa est reliquorum: ita filius primogenitus hominum, quia omnis filiatio ab ipso est, in eo enim adoptati sumus: non tamen sequitur, ipsum creaturam aut filium adoptionis esse, sed causam cæterarum creaturarum: Vnde quando Paulus dixit primogenitum Christum omnis creaturæ, iuxta hanc solutionem dici potest, sic dictum esse, quia per ipsum omnia creata sunt, non tamen quòd ipse creatus sit. Si enim creatura esset, non posset dici generaliter primogenitus omnis creaturæ, quia sui ipsius primogenitus non est: ita cū dicitur, in ipso condita sunt vniuersa; non conditus ipse est, quia ipse in se condi non potuit. Vnde Ambros. lib. 1. de fide, cap. 4. Primogenitus, inquit, omnis creaturæ, non primò creatus, vt & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. Ex his omnibus habemus explanationem huius nominis Vnigeniti, & qualiter ex eo Arrianorum hæresis olim conuicta sit.

Plenum

Plenum gratiæ, & veritatis.

COMMENTARIVS.

Testimonio de Verbo carne factò, & habitante in nobis, exhibitò, duos huius incarnationis effectus narrat. Nam verba hæc referuntur ad Verbum, quod caro factum est, & in nobis habitauit: vt sit sensus, plenum erat hoc Verbum, caro factum, gratiæ & veritatis: illud autem plenum in recto casu legendum est, vt communis editio græca habet: & est hebraismus. Sæpe enim apud hebræos verbū substantiuum deest, vt idem sit plenum gratiæ, ac plenum erat gratiæ. Dicitur autè plenum gratiæ & veritatis, ab effectu, & redundantia in nos, quia nobis gratiam, & veritatē communicauit. Hi duo effectus respondent duobus superius explicatis: Vita, & lux erat; gratia ad vitā, veritas ad lucem refertur. plenum ergo erat gratiæ, quia nos patri gratificauit, ab Ephes. 5. Gratificauit nos in dilecto filio suo: plenum veritatis propter doctrinā, quia viam salutis docuit, & secreta diuinitatis aperuit: quod inferius perhibetur, vnigenitus, qui est in sinu Patris, enarrauit nobis. hæc enim sententiā eadem est cum illa gratia, & veritas per Christum facta est. Plenitudo hæc redundantia, Christi fuit propria. Nemo enim hominum, alium gratum Deo potuit facere, nec veritatem Dei enarrare ex scientia & visu, sicut Christus fecit: & hæc plenitudo redundantia processit ex affluentia perfectionis, quam in se habuit Christus, non solū ratione diuinitatis, quia Deus erat; sed ratione etiam humanitatis, quæ plena fuit omnibus Dei donis, virtutibus, & gratijs, tanquam omnium hominum caput, à quo in reliqua mēbra omnis gratiæ vbertas est deriuata. Sunt autem effectus hi ad Euangelium pertinentes. Lex enim gratiam non conferebat virtute sua, nec occultam diuinitatis veritatem; sed in vmbriis indicabat: Euangelium autem Christi gratiam, & veritatem non modò continet, sed & copiosissimè præstat.

ANNOTATIO XLVI.

Vox illa plenum quid refert.

DIVERSÆ s̄ lectiones huius, nominis plenum, & secundum diuersas lectiones, variaz etiā sunt expositiones Doctorum. In græco textu, qui cōmunis nunc habetur, legitur in recto casu, & masculini generis, vnde aliqui nostro tempore connectunt cum sequentibus verbis; plenus gratiæ, & veritatis Ioannes, testimonium perhibet de ipso; vt ad Ioannem, non ad Christum referatur: sed lectio hæc probari non potest: nam paulo inferius de Verbo dicitur; de plenitudine eius omnes accepimus. Vbi alludit Euangelista ad verba, hoc in loco posita, non ergo ad Ioannem, sed ad Christum sunt referenda, vt omnes ferè referunt. Eorum autem, qui de Christo hæc legunt, aliqui cum Verbo coniungunt, quod Græcè est masculini generis λόγος & ad verbū habitauit, vt sit sensus habitauit, λόγος in nobis, plenus, gratiæ & veritatis. Illud autem vidimus gloriam, &c. per quandam parentesin dictum exponunt. Alij etiam legunt in recto, sed legunt separatim: habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: plenum enim erat Verbum hoc gratiæ & veritatis. quasi redderent hæc verba rationem gloriæ perspectæ, & diffusæ, quia plenus erat gratiæ. Sic legunt Cyrillus, lib. 1. in Ioan. cap. 17. Quare eorum, qui legunt in recto, alij sequentibus, alij antecedentibus connectunt: horum etiam qui ad Verbum, quod habitauit in nobis, referunt, quidam legunt tanquam rationem explicent præcedentium. Alij verò

Asunt, qui in casu accusandi legunt, vt coniungatur verbo vidimus, nempè: vidimus eum plenum gratiæ: quam lectionem insinuat Chrysostomus, hom. 11. alij in gignendi casu, vt referatur ad vnigeniti, nempè, vnigeniti à Patre pleni gratiæ & veritatis. sic legere videtur Theophyl. imò & Athanas. orat. ad Maximum Philosophum de diuinitate. dummodo tamen ad Verbum incarnatum referatur, siue hoc, siue illo legas modo, sensus idem ferè est. Expositionum autem varietas argumento est, non omnes textus græcos olim eandem habuisse lectionem, atque nunc extat, sensum & lectionem, quam secuti sumus, magis indicat. Continet enim hæc sententiā duas causas aduentus Verbi in carnem, vt in commentario, sequentes lectionem communem, exposuimus. In explicandis autem duobus his, & ipsorum verborum, cum præcedentibus connexionem variant recentiores, qui legitimum sensum meo iudicio non assequuntur.

ANNOTATIO XLVI.

MULTIPLEX gratiæ vbertas in Christo erat: In primis enim gratia habitualis modo plenus tanta, quanta in anima illa sanctissima recipi potuit ab ipso incarnationis instanti, illi inerat. secus autem nobis accidit: nam gratia, quæ nobis confertur, ex inimicis facit nos amicos & gratos; & illa etiam quæ data est ad suam creationem, aut Angelis, ex nõ amicis, & nõ gratia

gratis Deo, fecit gratos & amicos. Illi enim nisi cum gratia fuissent creati, amici Deo, & grati nequaquam fuissent. Kursus omnis hæc gratia indebita est, cui datur: non enim Angelo, non Adamo, nec peccatori debetur: at verò gratia Christi humanitati collata, non fecit eum gratum Deo, cum gratissimus & charissimus fuerit, propter vnionem ad Verbum, quia filius Dei ille homo erat: ex qua coniunctione ad verbum eadem in humanitatem gratia dimanabat. Quod Damasc. l. 1. de fide, ca. 22. expressit, dicens: Data est illa humanitas, propter vnionem ad Verbum, omni sapientia & gratia. gratia ergo talis Christo propria erat, & ex interiori principio deriuabatur. Erat in eo præterea gratia capitis, quia caput erat totius Ecclesiæ, & tanquam ex capite diffundebat virtutem in membra: Nemo enim alijs gratiam de condigno sicut Christus nobis promeruit. Denique in eo fuit gratia vnionis: nam humanitas illa Verbo copulata efficiebat, vt homo ille Dei filius esset: & ex hac duæ superiores procedebant. Aduerte ergo hoc in loco gratia plenum dici Verbum, non solum ratione humanitatis, propter coniunctionem ad Verbum, per quam præcipue nos Patri gratificauit, & nobis gratiam promeruit: sed etiã, quia tanquam caput, gratiam nobis qua Deo grati efficeremur, communicauit: & cum gratia simul intelligimus dona omnia spiritualia ex ea procedentia.

Christi nominibus dicitur plenum veritatis.

Psal. 84.

Plenus etiam veritatis multifariam Christus erat. Primum quia in ipso, & per ipsum, omnes Dei promissiones humano generi factæ impletæ sunt. 2. Cor. 1. Quotquot promissiones Dei sunt in illo. Est enim veritas, qua quod promissum est, completur. Psalm. 84. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi. ex misericordia promissit Deus, sed veritate promissa adimpleuit. Psalm. 88. Misericordiam meam non auferam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens.

COMMENTARIUS.

Testimonium de Verbo facta carne perhibuit Euangelista, sumpto argumento ex gloria eius, quã viderat, quasi vnigeniti à patre: nunc Ioannis Baptistæ testimonio, hoc idem confirmat, qui etiam diuinitati Christi, & effectibus aduentus ipsius, testimonium reddidit. Fuit autem cõueniens eius vti testimonio: tum quia cum idem venisset, vt testimoniũ perhiberet, dictũ est; tum quia Ioannes Baptista maximæ erat apud Iudeos auctoritatis, non quòd auctoritas illius maior esset, quàm Euangelistæ; sed quia pluris à Iudæis fiebat. propter quam causam etiam 2. Pet. 2. dicitur: Nos firmiorẽ habemus prophetici sermonem. Prophetas vocat Petrus firmiores suomet testimonio, non quod absolutè Prophetæ maioris sint firmitatis, sed quòd ab alijs, quibus persuadendum erat, fide digniores haberentur: sicut etiam Christus eodem testimonio vsus est, quãdo ipse minoris æstimabatur à populo. Dicit ergo Euangelista, Ioannes tanti habitus, testimoniũ perhibet, & clamat. In verbo clamat tria insinuantur, Vnum est, testimonium Ioannis notũ & manifestum omnibus tũc fuisse, sicut clamor ab omnibus percipitur: quasi diceret, eius testimonium non fuit in occulto, aut in obscuro, sed apertum, vt posset ab omnibus percipi, & hoc notat Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 18. Alterum est, constantia

Vox illa, clamat, tria insinuat.

stantia testificantis: fidenter enim & liberè, omni abiecta formidine, Christum prædicauit. Clamor namque est audentis, & liberè loquentis. hoc notat Chryso. hom. 12. Tertium denique allusio quædam ad prophetiam, Isa. 40. Ego vox clamantis in deserto: quasi diceret, Ioannes clamat, quia erat illa vox clamans in deserto. In Græco textu primum verbum est præsentis temporis (perhibet) secundum præteriti (clamauit) in quo nihil est mysterij, sed tempus pro tempore aliquãdo ponitur: nisi velit aliquis dicere: Ioanem dici perhibere testimonium de Christo, quia semper manet eius testimonium, etiam nunc. Quando autem additum est (& clamauit) narratur quod gestum erat, & quomodo testatus sit, nempe clamans.

ANNO TATIO XLIX.

CYRILLVS lib. 1. cap. 18. hæc verba sic antecedentibus connectit: quia dictum erat ab Euangelista vidimus gloriam eius, quia tamen vni personæ non rectè accommodatur pluralis numerus: alterũ tam nomine, quàm pietate simile citat testem, nempe Io. Baptistam. ista conexio non satis firmo nititur fundamento. nam Euangelista vtitur verbo plurali, quia suo nomine, & condiscipulorum, qui cum Christo erant, loquitur. quemadmodũ & 1. ep. 1. Quod vidimus, quod audiuius, & 2. Pet. 1. hanc, inquit, vocem audiuius de cœlo allatam cum essemus cum ipso in monte: & tamen in his locis non adiungitur aliquis alius testis. Petrus ergo & Ioannes, vt non vnum solum, sed plu-

res hæc vidisse, & audiuisse significarent, videntur verbo multitudinis. Connexio igitur hinc videtur sumenda; cum iam Verbum carnem factũ narrasset, & diuinitatẽ eius ex gloria, quã viderat, confirmasset; addidit testimonium Ioannis, tum vt veritatem tanto testimonio comprobaret, tum vt initium historiæ ab hoc testimonio sumeret. Cæteri enim Euangelistæ quæ ante baptismum gesta sunt, & quæ Ioannes ante baptismum testimonia perhibuit, scripserunt: at noster Ioannes à testimonio Ioannis post baptismum exorditur, & quæ Christus ab eo tempore vsque ad carcerem Ioannis gessit, & ab alijs Euangelistis mittuntur, describit.

Verba hæc Ioannis, superioribus connectuntur.

Hic erat, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

COMMENTARIUS.

In testificando de Christo hunc Ioannes ordinem obseruauit, vt prius veterum annunciat, postea quem venturum prædixerat, presentem velut digito demonstraret. dispositus enim populus illo testimonio, facilius hoc acceptare poterat. Prioris testimonij meminerunt tres Euangelistæ, Matth. 3. Marc. 1. Luc. cap. 3. posterius autem solus Ioannes nunc refert. Sensus est: *hic est* (ostendebat enim presentem Christum) *quem dixi*, id est, de quo prius testificatus sum; *qui post me venturus est*, id est, qui post meam prædicationem apparebit, & manifestabitur, *ante me factus est*, siue mihi præferetur, & anteponetur, erit gloria & splendor eius maior, vnde ab omnibus pluris fiet. Hoc idem Ioannes inferius, cap. 3. alijs verbis significauit, dicens; illum oportet crescere, me autem minui. Connectit autem propter antithesin illa duo aduerbia, *post me*, & *ante me*: tempore quidem post me apparebit; at gloria & honore ante me erit. subdit causam, *quia prior me erat*, seu potior & præstantior, vt potè Deus & homo. Hæc verba diuinitatem Christi indicant, illisque insinuat Ioannes gloriam Christi maiorem futuram, quàm suam; cum ipse seruus, ille autem Deus sit: & conuenit cum testimonio Euangelistæ. Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre. Quod nunc dicitur *prior me erat* cæteri Euangelistæ dixerunt (fortior me est) non solum quia in se maior est, sed etiam quia maiora faciet, nempe peccatum delebit, Dæmonem superabit, mortem destruet, mundum saluabit, diuinaque operabitur.

ANNO TATIO XLIX.

ILLVD venturum est, Græcè participium est, B quod presenti, & futuro accommodari potest, ac si dictum esset: post me veniens, ante me factus est: & in eo tempore idem alijs in locis legimus, nam Marci 1. dicitur; Venit, in presenti. Aliqui etiam Doctores legunt, qui post me venit, inter quos est Ambr. lib. 3.

de fide. cap. 3. At Cyril. & Chrysostomus, magis ad tempus referunt futurum, sed parum refert: sensus enim non variatur. Quare autem Christus post Ioannem venire, aut venturus dictus sit, non omnes modo eodem exponunt. Ambrosius proximè allegatus, & Epiphanius, hæc. 69. contra Arriomanitas, quos sequi-

sequitur Theophyl. hoc dictum exponit propter conceptionem, & ortum Christi, quæ sex mensibus post Ioan. acciderunt: hanc causam nec Chrysof. hom. 12. nec Cyril. lib. 1. cap. 19. admittunt: rû, vt dicit Chrysof. quia quo tempore loquebatur hæc Baptista, non erat venturus Christus, qui iam pridem natus fuerat: tum etiam, vt dicit Cyril. iam citatus, quia Ioannes non est productus in testem, vt Christo tempore se priorem affirmaret, propterea ipsi Cyrillo videtur contextui hoc accommodari non posse: sed hæ rationes non sunt multum efficaces, & Theophyl. soluit rationem Chrysof. Aliter ergo Chrysof. exponit, vt referatur ad baptismum & prædicationem, quia prædicatione, & manifestatio Christi, fuit post baptismum & prædicationem Ioannis: quasi dicat: qui post me manifestabitur: & hanc secuti sumus expositionem. Cyril. autem loco citato ita hæc interpretatur, *post me venturus est*, id est, qui à principio me inferior honore reputabitur, gloriosior euadet postea: refert ergo illud, post me ad honorem & dignitatem: quia Christus venturuserat à principio minor & inferior Ioanne hominum opinione, tamen gloriosior factus est postea: non est improbanda expositio hæc. illa tamen Chrysof. stomi, & verior & accommodatior censetur.

Christus quo modo dicitur ante Ioannem factus. Circa illud *ante me factus est*, aliqui hoc ad diuinam generationem referunt, & illud *factus est* exponunt, genitus est. Verbum enim Græcum vtrunque habet significationem, quam obrem sensus talis erit: qui post me venturus est secundum carnis ortum, ante me genitus est, quia filius Dei est æternus. huius expositionis meminerunt Chrysof. hom. 12. & Theophyl. & eâ hoc argumento refutant: quia verba sequentia non aptantur huic sensui, ante me genitus est, quia prior me erat: cum contra potius dicendum esset, prior me erat, quia ante me genitus est. Quare Epiph. loco citato aliter legit, nempe, qui ante me fuit. nam verbum etiam hoc significare potest, & ad deitatem refert in mundo existentem: vt sit sensus,

Et de plenitudine eius omnes accepimus.

COMMENTARIUS.

PROSEQUITUR testimonium Baptistæ, cuius verba, nõ vt superiora, quasi prius dicta, sed tanquam noua pronunciat, & illis, quæ ante baptismum dixerat, adiungit: quasi diceret; dixi prius illum esse me priorem, & præstantiorem; nunc dico etiam omnibus esse priorem. Nã de plenitudine eius nos omnes accepimus. Magna profectò cõfessio: fatetur Baptista non solum se, sed omnes præsentis, & eos, qui præcesserunt Patres de plenitudine Christi, quidquid boni in eis fuit, accepisse, quod Paulus postea confirmauit, dicēs, Bibebant de consequenti eos petra: petra autem erat Christus. quo testimonio Christum supra omnes esse palam confitetur. Huius autem explicatio sententiæ hæc est: Omnem gratiam, & donum spirituale fidelibus data, à Christo dimanasse, vt à fonte: quia ipse est, qui omnibus ante, & post se hominibus, suo aduentu omnem benedictionem à Deo obtinuit. Loquitur autem de Christo simul Deo, & homine, nõ vt de Deo tantum. solus enim Deus nõ meruit, sed homo factus. Plenitudo autem hæc, est ipsa diuinitas vnita humanitati,

qui post me venit secundum carnis natiuitatem, ante me fuit, in mundo, secundum diuinitatem. Deus enim erat æternus, & ideo fuit ante me in mundo, quamuis secundum carnem post me venit. Arriani, vt refert Ambrosio. lib. 5. de fid. cap. 9. vbi hunc locum latius examinat, amplectebantur illam lectionem: *ante me factus est*, & inde inferebant Christum etiam secundum diuinitatem creaturam esse. at expositio communior est, quam Chrysof. Cyril. Theophyl. Ambrosio. eo loco, & August. tract. 3. sequitur, vt illud: *ante me*, non tempus, non diuinitatem; sed honorem & dignitatem significet: quia Christus gloriosior & honoratior est eo habitus. & est ratio Augu. & Cyril. quia hoc producit ab Euangelista tanquam suo testimonio conforme. Nam dixerat: Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre: gloria autem hæc in hoc testimonio producto nõ exprimeretur, nisi *ante me factus est* ponatur pro mihi ante positus, & pluris quam ego habitus est, quippe qui maiorem sui splendorem sparsit. Neque tamen habent ex hoc Arriani, quod contra veritatem opponat. Si inquiras, cur in præterito locutus est, cum nondum fuisset Christus Ioanni antepositus, quando hoc proferebat: nondum enim se manifestauerat: Respondebunt Chrysof. & Cyril. per sæpè solere Prophetas præterito vti pro futuro ad rei certitudinem significandam. Alij respondent. diuina voluntate id iam fuisse determinatum, vt gloriosior futurus esset. Vtrunque verum est: facilius tamen dici potest esse hebraicum; quo præteritum pro futuro, & futurum pro præterito accipitur. Illud denique *prior me erat*, aliqui ad dignitatem & excellentiam referunt, quasi dictum sit, mihi prælatus est, quia excellentior me erat: rectius tamen dicimus his verbis non solum præstantiam, qua vt homo maior erat Christus; sed etiã ipsius diuinitatē significari: Christ⁹ enim multis nominibus erat prior Ioanne, & sic conuenit testimonium hoc, cum testimonio Euangelistæ, vidimus gloriam vt vnigeniti, seu vt Dei filij.

manitati, de qua dicitur Colof. 2. In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Est etiam gratia ex vnione diuinitatis in humanitatem deriuata, quæ vt fons quidam in ea residet, vnde in membra, quorum Christus caput est, diffunditur: propterea in Christo est plenitudo redundantia in ealios, soli Christo propria. Nemo enim alius peccati remissionem, conciliationem cum Deo, fidem, & alia mereri sibi, nec alijs potuit, nisi Christus. de qua vberrate dicitur Ephes. 1. Qui benedixit nos omni benedictione spirituum in cælestibus in Christo. Dum autem dicitur *de plenitudine eius omnes accepimus*: non autem (plenitudinem accepimus) neminem totam plenitudinē habuisse significat, sed singuli partem aliquam habuerunt: sicut dicimus, bibimus de fonte, quod longè aliud est, quam bibimus fontem. Conforme est ergo hoc Baptistæ testimonium, verbis Euangelistæ, quando dixit; plenum gratiæ & veritatis. Sicut ergo præcedentibus confirmauit, quod dixerat; vidimus gloriam vt vnigeniti à Patre, ita istis confirmat causas enarratas aduentus, plenum gratiæ, & veritatis. atque hæc est ratio, cur Euangelista ab hoc testimonio exorsus est. nam quæ dicta erant de incarnatione Verbi, hoc testimonio Ioannis Baptistæ egregiè confirmantur.

ANNOTATIO L.

Proxima verba à Ioanne Baptista fuisse prolata. CYRIL. lib. 1. c. 20. & Chrysof. hom. 23. hæc, & sequentia vsque ad alterum Ioannis Baptistæ testimonium, tanquã verba Euangelistæ legunt. tamen communis antiquorum Patrum sententia est, hæc omnia vsque ad sequens testimonium esse eiuſdem Baptistæ. In primis Athanas. li. de nat. hum. suscepta, con. Apollinarem, tanquam Io. Baptistæ recitat verba exposita: de plenitudine eius omnes accepimus. & in orat. con. Arrian. Quod ex Deo Deus est Verbum, Exclamauit, inquit, Ioanes, lex per Moysam data est, gratia autem & veritas per Christum facta est, Vtitur eodem verbo, quod de Io. Baptista vsus erat Euangelista noster: clamauit, inquit, qui post me venit, &c. vt ad eundem clamorem etiam referantur, quæ sequuntur. Basil. hom. 2. in Psalm. 28. à Io. Baptista refert dicta hæc omnia; de plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia; & Deū nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Epiph. etiam hæresi 51. *De plenitudine eius omnes accepimus* verba Baptistæ esse docet, & his vetustior Orig. tom. 5. in Ioan. omnia hæc verba vsque ad illud *enarrauit nobis* tanquam Bapti-

stæ testimonium interpretatur. idem Theoph. Inter Latinos autem Cypria. lib. de Baptismo, paulo post principium, nomine Baptistæ legit, de plenitudine omnes accepimus. Aug. item li. 5. de Baptismo cont. Donat. ca. 9. & tract. 13. in Ioan. cum igitur tantus sit Patrum consensus non ab eo discodendum, sine vrgenti vlla ratione, existimaui, præsertim quia sic contextus facilius fit, & commodior expositio. Nam Verbi incarnationem, & plenitudinem gratiæ & veritatis, quæ Euangelista narrauerat, testimonio Baptistæ cõfirmat, vt verè eū à Deo missum esse ad testimonium de luce perhibendum constet: sicq; tanti mysterij incredulos Iudeos, qui multum Ioanni deferebant, conuincat, & credentes tam insigni testimonio corroboret. Illud (er) Nonnus loco causæ exponit, nempe, nam de plenitudine eius. &c. causam enim, cur sibi sit prælatus Christus, curque eo prior, adiungit Ioannes Baptista, dicens: quia de plenitudine eius, &c. accommodatior tamen est sensus in cõmentario expositus: ijs enim, quæ prius Ioannes Baptista dixerat, adiunxit, quæ sequuntur, ideo copulanti particula vtitur.

Et gratiam pro gratia.

COMMENTARIUS.

CAVSAM adfert, cur dictum sit, de plenitudine eius nos omnes accepisse (& gratiã, inquit, omnes accepimus pro gratia) quia in ipsius Christi gratia, nos sumus omnes gratiam consecuti, & per eum grati facti Deo. idem est sensus cum illis verbis ad Rom. 5. Multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnus hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Quod ergo Paulus dicit, gratia abundauit in plures, in gratia vnus hominis Iesu Christi, hoc est, quod dicit Ioannes, gratiam pro gratia accepimus: & hanc causam esse reor, cur dictum sit, de plenitudine eius omnes accepimus. Fuit enim Christus ita Deo Patri gratus, vt sua gratia nobis meruerit, & consecutus sit gratiam. Ad Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo, ac si dicat; in gratia filij sui nos gratos effecit. hoc est gratiam pro gratia accepimus. Hic est sensus legitimus, vt magis ex sequenti annotatione constabit.

Diversa huius loci expositiones traduntur.

Superiorem sententiam Doctores diversè exponunt: quidam gratiam priorem Evangelium, posteriorem legem antiquam interpretantur, in hunc sensum: gratiam pro gratia, seu loco veteris legis accepimus Evangelium. Nec mirū videri debet, si vetus lex gratia dicitur, nam ex gratia Dei fuit data lex, & figura erat gratiæ Euāgelicæ. Hæc est Cyril. l. i. c. 21. Chrysol. hom. 13. & communis expositio, quæ tamen accommodata non videtur: quia quamvis ex dono Dei sit lex, & sit figura Evangelij; non tamen vocatur in scriptura gratia, cum semper gratia opponatur legi, ne scilicet legis virtute, gratia dari existimetur. imò in verbis proximè sequentibus, distinguitur lex contra gratiam, lex, inquit, per Moysen data est, gratia autem per Christum facta est: ergo gratia, quæ paulò ante dicta erat, non comprehendebat legem. Certè Ioannis est cõsiliū, discernere inter Christū & Moysen, Evangelium & legem; eo quòd ex Evangelio, & per Christum, sit gratia: non autè per Moysen, nec ex lege. Secūdo loco exponit Aug. tract. 3. in Ioan. vt gratia prior, sit gratia gloriæ; & posterior sit fides & dilectio, quibus vivit iustus, & operatur in Christo. & tunc est sensus, accepimus per gratiā fidei, dilectionis, & operū, gratiā gloriæ, & vitæ æternæ. Nec mirum, inquit, si vita æterna dicatur gratia, quia merces quidem est, sed fidei & dilectionis, atque operum, quæ ex gratia Dei sunt. Hæc expositio magis accedit ad verum sensum in hoc, quod vtramq; gratiam ad Evangelium refert. notat etiam Aug. illā coniunctionē, & (*gratiam pro gratia*) hunc sensum facere; de plenitudine accepimus, gratiam, & fidem, quæ per dilectionem operatur: & rursus pro hac gratia, gratiam gloriæ & retributionis: idem sentit Bern. serm. 5. de Assumpt. B. Virginis. Sed hæc annotatio non est magni momenti: tum quia particula (et) vt diximus in cõmentario, causæ loco posita est; tum quia solet etiam aliquando poni ad designanda ea, quæ in generali dicta sunt. cum enim dixisset generaliter, de plenitudine eius accepimus, docet modò, quæ sit hæc plenitudo, & gratiam pro gratia, paulò inferius adiuncturus aliud, quod etiam de plenitudine acceptum est, nempe veritatem, vt postea patebit. Ista expositio Augustini non mihi visa est conueniens, quia vita æterna, quæ pro meritis datur, rarè gratia dicitur: quod si dicta est gratia aliquando, sumitur simul cum toto merito, vt gratia Dei dicatur vita æterna, & cum ea simul sint, fides, dilectio, opera, & merces. gratia enim Dei est, hominem vocare per fidem, dilectionē, & opera, ad vitam æternā: tamen quando distinguitur vita æterna à dilectione, fide, & operibus, vt hic debet fieri, iuxta Aug. expositionē, nunquam vocatur gratia, sed merces. Tertio exponunt alij opposito modo, vt prior gratia sit fides, & dilectio; posterior verò sit vita æterna. Sitque sensus, gratiam pro gratia, id est, accipimus fidem, & dilectionem propter vitam æternā consequendam. Vt pro causam finalem significet, vt idem sit ac propter: in Au-

gustin. autem interpretatione idem significat cum præpositione (pro) longè tamen aliud est dicere, vnum propter aliud, & vnum pro alio: & huic expositioni, eadem ratio aduersatur, quæ præcedenti. Alij ex recentioribus aliter exponunt, vt gratia pro gratia idem sit, ac gratiā super gratiā, id est, omnem gratiā: vt sit sensus, omnis gratia, quæ accepta est, ab illo accepta est, sitque hebraismus quidam *תן תן*.
 Duæ vltimæ expositiones, quæ recentiorū sunt, difficile admitti possunt. Quod vt ostendam, considerare oportet, præpositioni (pro) Græcè *πρὸς* in hebræo non legi in tota scriptura sacra respondere *ל*, sed *תתן* quod latinè dicitur (pro), & sic Septuaginta verterunt illud *תתן* per *πρὸς*, dentem pro dente, oculum pro oculo, vbi Leuitici habetur *תתן*, similiter in alijs locis omnibus, quos mox citabimus. Cum igitur Ioannes tali græca præpositione sit usus, nemo debet dubitare voluisse eū ponere loco hebræe *תתן*, hæc autem in hebræo sicut in græco illi respondente, duas tantum habet significationes; vna est quod latinè dicitur, loco alterius, sicut Genes. 4. Posuit mihi Dominus semē pro Abel, id est, loco Abel occisi, dedit mihi Dominus aliū filium: vbi in hebræo est *תתן* & græcè *πρὸς*. similiter Psal. 44. Pro patribus nati sunt tibi filij; idem habetur in hebræo & græco. similiter Isaiæ 3. Pro suavi odore fetor, pro zona funiculus, pro crispanti crine caluitium, pro fascia pectorali cilicium. in his locis habetur *תתן*, & Septuaginta verterunt *πρὸς*. & vna est - - - significatio; loco vnus succedet alterū: & latina præpositio hoc idem significat. Altera est, vt idem significet, quod, propter, non vt causa finalis, sed prout dicimus ratione vnus alterum dari, sicut pro merito præmium, pro culpa poena; & denique quod dicimus, causa vnus alterum fieri aut dari, sic Roman. 12. Nulli malum pro malo. & 1. Pet. 3. Non malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: in quibus locis, hæc habetur præpositio græca. Genes. 30. Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui; multa sunt huiusmodi testimonia, vbi tam præpositio hebræa, quàm græca in hac sumuntur significatione, nullusq; est locus in scriptura tam veteri, quàm noua, vbi *תתן*, & *πρὸς* sumantur pro *ל* seu super. con- - - - stat igitur ex his, recentiorum expositiones alienas esse à cõsuetis scripturarū phrasi & modo loquendi: & in hoc duæ primæ expositiones rectè procedunt. nam præpositionē interpretantur iuxta duas istas significationes, prior quidē in priori significatione, nempe loco legis Evangelium, altera verò in posteriori: nimirum ratione dilectionis, dari gloriā, quam etiam vocis acceptionem nos sumus secuti: aliter tamen literā exponentes, nempe, vt ratione gratiæ Christi, & propter eam nobis gratia sit data. Eadem ratione expositio refellitur tertia: in præpositiones illæ non sumuntur in scriptura in ea significatione; vnde quantum ex Græco sermone licet colligere, Euan-

Euangelista vsus est Græca præpositione, sicut A dixisset *תתן תתן* latinè gratiam pro gratia, non - - - autem gratiam super gratiam. Septuaginta etiam vsi sunt. hi autè pro hebræa *תתן* posuerunt. tenendum est ergo Ioannem - - - idem voluisse significare, ac si in hebræo

Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

COMMENTARIVS.

IAM de plenitudine Christi gratiā omnes accepisse probat & discrimen inter Moysen, & Christū constituit, quod Christi proprium est, distinguendo. Moyses fuit legislator tantum, imò legis promulgator: nam per ipsum lex data est à Deo; gratia autem, & veritas per Christū facta est, & Christus vtriusque auctor est. Excedit ergo Christus Moysen, quia hic legem dedit, nec tamen auctor ipsius legis, aut factor fuit, sed per ipsum Deus, qui auctor est, dedit eam. at Christus dator gratiæ, ac veritatis, & factor est. Gratiam vocat, quā remissio peccatorum fit, qua conciliamur Deo, qua introitum habemus in æternum regnum, qua deniq; legem ipsam, & mandata implere possumus, & sine qua lex occasio peccati est: quia præcipit, neque tamen dat virtutem, qua impleri valeat præceptum. Veritatem autem appellat, qua Deus ipse, & fidei mysteria reuelantur & manifestantur. horum duorum Christus est auctor. nos enim sua gratia, & iustitia Patri gratificauit, & sic auctor est gratiæ: ipse etiam nobis Patrem, & seipsum manifestauit, viamque reuelauit perueniendi ad Deum. Nam ante aduentum Christi nemo Dei veritatem cõsecutus est, nisi propter Verbum in carne futurum, & per ipsummet Verbū. Mat. 11. Nemo nouit Patrē, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quocirca cū sit auctor veritatis, rectè dictū est suprā, plenū esse gratiæ, & veritatis, & cõsequenter omnes de eius plenitudine accepisse gratiā; quia auctor est gratiæ, & veritatis, per quam peruenitur ad gratiā. Hic attēde, legi opponi duo, gratiā, & veritatē. nam lex præcipiebat, & prohibebat ea, quæ sine gratia impleri nō poterant, nec tamen habebat virtutem, aut efficaciam donandi gratiam: Si enim tunc dabatur gratia, id non virtute legis, sed fide futuri Christi fiebat; in lege ergo non erat gratia. rursus in lege erāt tantū promissiones. vmbra & figuræ futurorum; erat absconditus Deus, quia Verbum, & Trinitas non agnoscebatur, quamvis particulari priuilegio propter futurum Christum aliquibus reuelabatur. Nec etiam fides Dei vera data est, nisi propter Christū, & per Verbum. nomine ergo legis, & gratia, & veritas excluduntur, quæ ad Christum pertinent. Vides igitur legem à gratia & veritate distingui: quod superius diximus argumento esse, non vocari legem nomine gratiæ, quādo dictum est, gratia pro gratia. Longū esset, & à nostro instituto alienū, si agere vellemus de lege, & gratia: sufficiat dixisse nūc, legis nomine omnia præcepta illa ceremonialia, iudicialia, & etiā moralia intelligi: nemini enim virtute legis totius gratia data est, nec remissio peccatorum; sed virtute Christi, qui fidem & dilectionem communicat, & certè nisi Christus suo merito, & iustitia nos Deo conciliasset, quantumcunque homo omnia impleisset præcepta iudicialia, ceremonialia & moralia, (si tamen id fieri potuisset) nunquā obtinuisset gratiam, & iustificationem à Deo; quam Christus facit, qui nobis, & omnibus iustis à mundi principio eā promeruit, & consequutus est. Appellat autem Baptista Iesum Christū, vt eum, qui Iesu nomine cognitus erat, Christum esse, & Messiam fateatur, & est elegans collatio inter duos mediatores Moysen, & Christum: ille mediator fuit Dei, & hominum, ad dandam legē, quæ nullā in se iustificandi, & saluādi virtutem habuit, sed potius occasio peccati, & mortis facta est; Christus mediator etiam est, sed vitæ æternæ, & gratiæ, & veritatis, per quæ omnia ad vitam peruenitur æternam.

Legem gratiæ & veritatis opponi.

Quomodo de
Christo dica-
tur gratiam,
& veritatem
fecisse.

CIRCA superiora verba, aliqua sunt breui-
ter consideranda. Clemens Alexan. libr. i.
pædago. cap. 7. Christum etiam legis illius au-
ctorem fuisse asserit, qui vt Deus auctor fuit
etiam veteris testamenti, ea que de causa legem
per Moysen non factam, sed datam, dictum
esse censet; quia Verbum auctor, Moyses autem
eius promulgator fuit. at Christus gratiæ au-
ctor est, & veritatis, & addit Clemens, Chri-
stum dici auctorem gratiæ, & per ipsum factâ
gratiam, quia sine ipso factum est nihil. ratio
hæc Clemen. non est ad rem; nam Christus non
sic gratiam dicitur fecisse, sicut fecit vniuersa,
vt Deus est, sine quo nihil factum est; nam hac
ratione Pater, & Spiritus sanctus gratiam pari-
ter fecerunt: hic autem est sermo de Christo
mediatore, & de opere eius proprio. nam sic
gratiæ auctor est: quia per humanitatem suam
nos redemit, nobis conciliationem, & remissi-
onem, & vitam meruit: hoc non Pater, nec Spi-
ritus sanctus per se fecerunt: quia ipsi non in-
duerunt carnem, propterea non meruit Pater,
nec Spiritus sanctus, nec Redemptores dicun-
tur; quamuis tota Trinitas gratiam ipsam, & re-
missionem, & vitam quam Christus meruit, &
obtinuit nobis, faciant & operentur: Filius er-
go vt Deus vnâ cum Patre, & Spiritu sancto
gratiam facit, tamen Christus Deus, & homo,
solus eam nobis meruit; & antequam carnem
sumeret, non solum vt Deus gratiam operaba-
tur, sed virtute meriti futuri in carne, eam da-
bat. fide enim viua apprehensus, quamuis tunc
nondum carne indutus, auctor erat gratiæ, &
omnis veritatis supernaturalis, quæ tunc reue-
labatur; imo etiam donationis ipsius legis, quæ
per Moysen data est. nam nūquam illam Deus
faceret, nec daret, nisi propter Christum. ita
est intelligenda præfens sententia, nempe de
opere proprio Christi, quia solus conciliauit
homines, & eos gratificauit Patri, redemptio-

nemque perfecit. Attende rursus, Athanasium
orat. 2. contra Arrian. veritatem vmbra oppo-
suisse, cum diceret, lex per Moysen data est,
gratia, & veritas per Iesum Christum facta
est; melior gratia, quam lex, præstantior veritas,
quam vmbra illa, hæc autem præstantia nõ
poterat per alium nisi per filium, qui sedet ad
dexteram Patris, effici. hæc Athanas. At Au-
gustinus libr. 22. contra Faust. cap. 6. veritatem
hanc exposuit, vt opponitur vmbri legis, &
promissionibus Prophetarum, sicut enim habet;
per Moysen lex data est, gratia autem per
Christum facta est, gratia scilicet, vt data indul-
gentia peccatorum, quod præceptum erat, ex
Dei dono custodiretur, veritas autem, vt abla-
ta obseruatione vmbra, quod promissum
erat, ex fide Dei præsentaretur. hæc ibi. &
in lib. 17. contra eundem cap. 6. inquit, lex per
Moysen data est, gratia, & veritas per Chri-
stum facta est; ipsa lex cum completa est, gratia,
& veritas facta est. gratia pertinet ad charita-
tis plenitudinem, veritas ad prophetiarum im-
pletionem. hæc Augustinus, ex quibus collige
veritatem esse, per quam vmbra legis illumi-
nata est, quia quæ obscurè, & in figura sub ea
continebantur, aperta sunt in Euangelio per
Christum, & rursus per quam, quæ promissa
sunt, implentur: nam Christus compleuit, &
in ipso completur, & complebitur quidquid
à Deo nobis promissum fuit per legem, & Pro-
phetas, ad nostram pertinens salutem. Omnia
hæc vera sunt. Christus enim auctor est veri-
tatis his modis, vt superius diximus: tamen hoc
in loco præcipue pro cognitione diuinorum,
& mysteriorum fidei, vt exposuimus in com-
mentario, sumitur: sicut etiam superius, quan-
do dictum est à Ioanne, plenum gratiæ, & ve-
ritatis. nam hoc Baptistæ testimonium produ-
citur à Ioanne, tanquam ijs, quæ ipse docuerat,
conforme.

*Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu Patris,
ipse enarrauit nobis.*

COM M E N T A R I V S.

CONNEXIO hæc est. A veritate, sicut & à gratia, excluderat Moysen, tan-
quam eum, qui auctor gratiæ & veritatis non fuerit; hoc posterius de veri-
tate confirmat propositis verbis: posset enim aliquis opponere, Moysen vi-
disse Deum facie ad faciem; potuit ergo veritatem Dei nobis enarrare: hoc
reijcit, dicens; *Deum nemo vidit vnquam*, non solum Moyses, sed nec vllus alius:
nemo igitur auctor veritatis esse potest, nisi is, qui rem ipsam vidit: at vnige-
nitus in sinu Patris existens vidit & nouit Deum, ipse ergo narrare potuit no-
bis Dei veritatem; & ideo præter alia accepimus de eius plenitudine etiam ve-
ritatem, & ipse auctor est eius. Ecce quomodo Baptistæ testimonium verba
comprobant Euāgelij, illa scilicet, quibus plenum gratiæ, & veritatis, vnige-
nitumque Patris Christum Ioannes confitetur. illa igitur verba, *Deum nemo vi-
dit vnquam*, enunciata sunt ad probandum, nec Moysen, nec vllum aliū po-
tuisse auctorem esse veritatis Dei, sed eum solum, qui vidit, & narrauit; hic au-
tem est Christus, qui vidit, quia in sinu est Patris, & fecit eam, quia nobis re-
uelauit,

uelauit, dum per eum, & propter eum data est, quibus à principio communi-
cata est: præcipue tamen enarrasse dicitur, quando factus homo eam perfe-
ctè aperuit, de plenitudine ergo eius accepimus gratiam, & veritatem; grati-
am quidem pro gratia sua, veritatem autem, quia per eum omnis diuina re-
uelatio facta est, & ipse eam docere venit, quia solus vidit, & nemo alius.

A N N O T A T I O LIII.

Vt intellige-
dū quod Deū
nemo vnquam
vidit.

MAGNUM Doctoribus locus hic facessit
negotium; dubitat enim qua ratione hæc
verba vera sint, *Deum nemo vidit vnquam*; cum ex
veteri testamento constet, Patriarchas & Pro-
phetas vidisse Deum. Vidit Deum Iacob, Gen.
31. Vidi, inquit, Dominum facie ad faciem. vi-
dit Moyses Deum, Exod. 33. Loquebatur, in-
quit, ad Moysen Dominus facie ad faciem. Et
Isaia 6. Vidi Dominum; multi etiam alij vidif-
se Deum leguntur. Hoc argumentum ducebantur
Manichæi, vt refert Augustinus lib. contra
Adimam. cap. 9. ad affirmandum nouum testa-
mentum esse contrarium veteri, quia in hoc
multi vidisse Deum dicti sunt, in illo verò scri-
ptum est, Deum nemo vidit vnquam; quibus
verbis patres omnes veteris testamenti com-
prehensos esse, nemo dubitat. Multifariam sa-
cri Doctores respondere, & locum hunc expli-
care studuerunt. Primo loco respondet Irenæ.
lib. 4. cap. 37. hæc verba de Patre intelligenda,
quasi dictum sit, Patrem nemo vidit vnquam.
Fuit autem in veteri testamento non solus Fi-
lius, sed etiam Pater visus, non quidem quan-
tum ad diuinitatis plenitudinem, sic enim di-
ctum est, Nō videbit me homo, & viuere; Exod.
33. sed in figuris, & vmbri exterioribus, aut
interioribus, sicut visus est à Patriarchis, &
Prophetis; nemo tamen eum vidit, nisi cui Ver-
bum reuelauit; & hoc est quod nunc dicitur,
Deum, id est, Patrem, nemo vidit vnquam, nisi
quibus filius manifestauit: ex se enim nemo, et-
iam hoc modo potuit videre Patrem. Hanc res-
ponsum sequitur August. lib. con. Adimam.
cap. 9. Secundo Hilar. lib. 5. Trinit. tenet qui-
dem hunc locum esse de Patre intelligendum,
vt sensus sit, Patrem nemo vidit vnquam; ta-
men negat Patrem in veteri testamento vlli
visum, etiam sub illis figuris, vmbri & locu-
tionibus; sed quotquot factæ sunt apparitiones
Dei in veteri testamento, sub quibuscunque
figuris, non Patris, sed Verbi fuisse affirmat:
qui enim apparuit nobis in carne, ille idem
est, qui à principio mundi Patribus varijs mo-
dis apparuit: Pater tamen nemini apparuit;
& sic illi veteres Deum vidisse dicti sunt, nem-
pe filium, at Patrem nemo eorum vidit vn-
quam, sed Vnigenitus apparens in carne nobis
de illo enarrauit. Ioan. 17. Manifestaui nomen
tuum hominibus. hoc loco sic exposito vtitur
Hilar. con. Arrianos sic ratio: inatus, in veteri
testamento Deus est visus, filius autem, non Pa-
ter tum visus est. Patrem enim nemo vnquam
vidit, ergo filius Deus est. Ista expositio fuit
Tertul. li. con. Praxeam negantem per sonarum
distinctionem, cōtra quem argumentatur Ter-
tul. Deus visus est, vt ex veteri testamento con-
stat: Deus enim inuisus est, quia nemo vidit

Deum, ergo alius est ille, qui inuisus est, & hic
est Pater, alius qui visus est tunc, & hic est fi-
lius; & connectit hæc verba Euangelij, dicens,
quia dictum fuit, vidimus gloriam eius, quasi
vnigeniti à Patre. vt inuisibilitatem Patris de-
fenderet, adiūxit. Deum nemo vidit vnquam,
& loquitur de hoc genere visionis figuralis, &
ænigmaticæ: nam de visione essentia ipsius, &
plenitudinis diuinitatis, nemo vidit neque Pa-
trem, neque filium. hanc expositionem refert
Ambrosius lib. 1. in Lucam. cap. de apparitione
Angeli sacerdoti Zachariæ. nec refutat, quam-
uis alteram adhibeat. verba Ambrosij refert,
& sequitur August. Epist. 112. de videndo Deo,
cap. 5. & 6. Tertio Epiphani. Hæref. 70. aliter re-
spondet. non enim distinguit Patrem à filio in
hoc, sed absolute prolatur affirmat, Deum ne-
mo vidit vnquam, nempe neque Patrem, ne-
que Filium, neque Spiritum sanctum. & expo-
nit hoc dupliciter. Vno modo de comprehen-
sione sua visione. nemo enim vidit Deum compre-
hendendo eum, & quantum quantum est viden-
do, sicut qui per foramen (ait ille) videt cœ-
lum, dici potest videre, & non videre; videre,
quia partem videt, non videre, quia totum non
videt; sic Deus visus, & non visus dictus est à
prioribus. Altero modo, quia nemo id quod
de Deo vidit, sua propria virtute vidit, sed di-
uina voluntate, quantum Deus, & quo modo,
& quando voluit, nec tantum Epiphani. loqui-
tur de ea visione, quæ est in figuris, vmbri, ap-
paritione, aut reuelatione prophetica; sed et-
iam de illa qua beati vident, in gloria, qui et-
iam non eum comprehendunt; sed quantum
Deus vult vident de eo. In genere ergo, loqui-
tur de visione Dei, siue sit in figuris, vt vide-
runt Propheta, siue in humanitate assumpta,
vt viderunt Apostoli, siue in essentia, vt vi-
dent beati, & viderunt Angeli. Visus est ergo
Deus olim, tamen comprehensiuè nemo vidit,
imò nec illo modo, nisi Dei voluntate, non na-
tura propriæ virtute. Idem sentit Ambrosius
loco citato super Luc. quem, vt diximus, re-
fert, & probat Augustinus, nempe Deum nemi-
nem vidisse vnquam, quantum ad diuinitatis
plenitudinem, præter filium, qui vt Deus com-
prehendit diuinitatem. Deus autem visus est
olim in specie, non in se; & videbitur beatis in
se, quantum ipse voluerit. sed nemo Deū com-
prehendit. Idem Ambrosius lib. primo de Spi-
ritu sancto, cap. primo iuxta hanc doctrinam,
in his verbis, Deum nemo vidit vnquam, om-
nem creaturam exclusam esse affirmat. Nam
nec Angeli Deum vident comprehendendo:
non tamen excluditur Spiritus sanctus, qui
Deus est vnus cum Filio, sic concordat & expo-
nit Ambrosius vt visus, & non visus sit dictus.

Quartò Chrysoft. hom. 14. & Cyril. lib. 1. in Ioan. cap. 22. respondent, hoc loco dictum esse, neminem Deum aperta visione, & per essentiam vidisse. Hanc enim nemo Prophetarum, & Patriarcharum consecutus erat: hi enim omnes dicti sunt Deum vidisse in similitudine, & specie aliqua. ita etiam respondet Gregor. Nyffe. in lib. beatitudinum super illud; Beati mundo corde: & Gregorius lib. 18. Moral. cap. 28. Atque hæc sunt quæ antiqui patres de visione Dei senserunt. Porrò quid nobis dicendum videatur, ubi aliqua prius notauerimus, explicabo.

Principio igitur memoria repetendum est, in scriptura sacra quinq; modos, quibus Deus videri dicitur, inueniri. Primus est, quo non in se, sed in operibus suis videtur. Ut enim in opere artifex aliquo modo noscitur, quatenus in eo ars eius manifestatur; sic in rebus creatis multæ Dei perfectiones cognoscuntur, ut sunt eius sapientia, prudentia, virtus, immortalitas, & æternitas, &c. & de hoc Deum videndi modo, loquitur Iob. Omnes homines vident eum, & vnusquisque intuetur procul. Et de tali visione hunc locum exponit Gregorius lib. 27. Moral. cap. 3. qui autem sic vident, procul videre dicuntur, quia Deum non in se, sed in opere vident, quod distat infinitè à Dei perfectione & natura. de hac etiam visione pronuntiat Paulus illud Roman. 1. Inuisibilia ipsius, à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. de eadem locutus est Gregorius Nyssenus libro beatitudinum in capite: Beati mundo corde. hæc visio est intellectus. Altera est, qua Deus in aliqua specie, & figura corporea videtur, siue à sensu exteriori, siue ab imaginatione videatur. Deus enim aliquando vsus est aliqua figura, in qua appareret hominibus, siue illa sit hominis, siue ignis, siue alterius corporis: & hac visione sæpe dictus est visus in scriptura veteri à Prophetis, non solum interioribus, sed etiam exterioribus oculis: sic dixit Isaias, cap. 6. Vidi Dominum sedentem; & Gen. 32. Iacob dicit, Vidi Dominum facie ad faciem. non quòd Deus in seipso, & sua natura sit visus, sed in his speciebus, quæ eum representabant. Tertia visio est, qua videtur per fidem, vel aliquod lumen spirituale reuelatum, & sine specie, & imagine vlla. Sic dixit Paulus 1. Corinthiorum 13. Videmus nunc per speciem in ænigmate. Quarta est, qua videtur per humanitatem assumptam, qui enim Christum hominem videbant, Deum dicebantur videre, qui erat vnitus illi humanitati. de hac dictum est Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum, quia Pater in me est. Si enim, qui figuras illas, in quibus apparebat Deus, videbant, dicti sunt Deum vidisse, cum illæ non essent vnitæ diuinitati: multo magis, qui videntur humanitatem illam, cui Deus ita vnitus erat, ut homo Deus, & Deus diceretur & esset homo, dicendi sunt vidisse Deum: & sic Deus dictus est apparuisse, & verbum visibile factum fuisse. de qua visione dictum est Baruch. 3. Post hæc in terris visus est, & cum homi-

Iob 36.

*Isaie 6.
Genes. 32.*

Ioan. 14.

nibus conuersatus est: quæ visio dignior, & excellentior est, quàm illa, quæ facta fuit Prophetis in illis speciebus, de qua excellentia dicitur Luc 10. Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. Quinta visio est omnium suprema, qua Deus non in imagine aliqua, non in humanitate assumpta, non in creatura, sed in suamet essentia aperte & clarè videtur, sicut homo hominem videt: & hæc intellectu fit, quia Deus spiritus est. hæc est visio beatorum, de qua dictum est Matt. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt 1. Corinthiorum 13. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. 1. Ioan. 3. Videbimus eum, sicuti est. Vbi cauenda est hæresis quorundam, cuius meminit Gregorius lib. 18. Moral. cap. 28. Qui Deum non videri in sua essentia, sed in quodam splendore suæ essentia, quæ dicitur gloria, tradebant; tamen scripturæ hunc errorem conuincunt. dicit enim Ioannes, videbimus sicuti est, & similes ei erimus. Si ergo nos similes sumus, & ipse seipsum videt in sua essentia, & nos utique videbimus eum in sua essentia; similes quidem, sed non æquales. nemo enim ipsum valet comprehendere, nec quantum in ipso cognoscibile est, assequi. Hæc sunt quinque visiones ex scriptura collectæ, & hoc est primum quod aduertendum diximus.

Alterum est, quando dictum est à Ioanne, *Deum nemo vidit vnquam*, non de primis tribus visionibus loquebatur. multi enim viderunt Deum in creaturis, multi in imaginibus, & speciebus, multi per fidem, antequam venisset in carne, nec rursus loquebatur de quarto modo: quamuis enim nunquam sit visus Deus in carne, antequam eam assumeret, tamen cum dicat *Vnigenitus enarravit vobis*, significat se non de hoc modo videndi loqui, quia cum omnibus in carne visibilis apparuisset, absque hac enarratione videbatur. Viderunt enim Deum in humanitate credentes, & increduli, quia prædictum est Isa. 40. Videbit omnis caro la larare Dei cum igitur non loquatur de illis quatuor visionibus, superest, ut de quinta sit sermo, quæ est visio Dei in essentia, & substantia propria: sic enim Deum nemo vidit vnquam, non solum comprehensuè, cum sic nec videre potuit, sed nec aperta, & clara visione. Vnde cessat locorum scripturæ oppositio, quia Deus visus dicitur modis prioribus, hic autem negatur visus aperta visione: & in hoc placet sententia Cyrilli, Chryf. & Gregor. &c. ex quo etiam sequitur, ut quando dicitur, *Deum nemo vidit vnquam*, nõ solus Pater, sed tota Trinitas intelligatur. nemo enim viderat Deum, nec Patrem, nec Filiũ, nec Spiritum sanctum, tali visione, Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, & cui Filius voluerit reuelare. nec est sermo in præsentia de Angelis, sed de hominibus: de his enim loquitur Ioannes. nec verum est, quòd aliqui affirmant, Moysen vidisse Deũ in essentia sua, quod alio

in lo-

in loco discussimus, & probauimus, & modò ob breuitatem præmittimus, quia ad propositum nostrum parum id refert. Sed dicit aliquis, quomodo igitur ista sententia sic exposita ad contextum Ioannis facit? Rectè quidem id queritur, & in tertio, quod considerandum superest, ostendetur; illud verò est, quod Ioannes ostendere intendit, Christum auctorem esse veritatis, per quam Deum cognoscimus fide in hoc seculo; & ad hoc probandum affirmat, neminem Deum vidisse: Si ergo nemo vidit, nemo potuit esse auctor doctrinæ, & veritatis Dei: quomodo enim docebit, & manifestabit, quæ non vidit? Dices audiuit ab aliquo, qui vidit, & postea ipse aperuit alijs; iam ergo iste non est auctor veritatis, nec per ipsum facta est veritas, & doctrina, sed tradita; at qui vidit, & narrauit, ipse est auctor; talis ergo est Christus, fili⁹ Dei; qui vidit Patrem, vidit Deũ aperta notitia, & ideo non ex auditu, sed quæ vidit, testatur, quæ vidit, docuit. Ioan. 3. Quod vidimus testamur, ergo per ipsum facta est veritas, & cognitio. & fideles, & doctrina Dei: Moyses verò, propheta, & Apostoli audiverunt ab eo, qui viderat, & videt, nempe Verbo, & tradiderunt alijs: propterea non sunt veritatis auctores. præterea qui vidit, perfectius, & apertius narrat, quàm qui audiuit; sic Christus enarrauit nobis sine umbris, sine figuris; sed perfectius, & distincti⁹ quæ Dei sunt, quia illa videt. ipse ergo est, per quæ facta est veritas. & quamuis Moyses Deum vidisset, & postea narraffet, adhuc nõ esset facta veritas per eum; quia videre, & dicere ab alio habuit, nempe Verbo. Verbum enim illi reuelauit; Filius tamen ex natura sua habet videre Deum, quia est in sinu Patris, vna cum eo substantia: per ipsum ergo facta est veritas.

ANNOTATIO LIV.

Quid sit, in sinu Patris esse.

Quid sit in sinu Patris esse, considerandum superest. est enim locutio metaphõrica. Arriani, ut refert Cyril. lib. 1. Ioan. cap. 22. nõ à Catholicis de consubstantialitate Filij conuincerentur, per sinum dilectionem exponebant, ut idem sit in dilectione Patris, quod in sinu Patris esse, & quod magis mirandum est, non desunt nostra arate catholicis, qui inconsideratè ita exponunt: contra quos argumentatur optimè Cyril. ex illo Ioan. 3. Deus dicitur mundum diligere, & tamen mundus non dicitur esse in sinu Patris: addamus; erant iu-

sti, & sunt, dilecti Deo, & manent in eius dilectione ut dicitur Ioan. 15. tamen non sunt in sinu. Adde adhuc; Christus ut homo est dilectissimus Patri, tamen non dicitur ut homo, esse in sinu Patris. Cyril. ergo per sinum intelligit substantiam; & esse in sinu eius, est esse eiusdem cum ipso substantia, & ab eo esse, & procedere; idem Chry. hom. 14. vbi sic inquit; Euangelista sinus meminit, quo vno verbo multa, substantia cognitionem, propinquitatem, parem Patri, cognitionem, potestatem ostendit. Non enim diuersam substantiam in sinu haberet Pater, sed nec ipse aueret, si seru⁹ esset, si ex multitudine vnus esset; in sinu domini versari: hoc namque filij est, qui multũ genitori suo fidit, neque ipso vlla parte est inferior. hæc Chrysol. non ergo est in dilectione esse, ut illi existimabant. Mihi ideo in sinu esse videtur, quia talem coniunctionem, & propinquitatem habet, ut de occultata ei sint manifesta. Quæ enim occultamus, in sinu reponimus. hæc propinquitatis, & vicinitatis non est alia, quàm identitas eiusdem naturæ, & substantia. Quis enim nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, qui est intra Deum? Sinus ergo Dei est diuinitatis arcanum, in quo est filius: vnde Sancti Patres bene contra Arrianos, hinc intulerunt filij consubstantialitatem. Sic etiam Amb. lib. de benedict. Patriarch. c. 11. & sermo. 18. explicat sinum hũc, ut sit intimum nature secretum. Annotat. autem Athan. lib. 3. de vnica Trinit. substan. dictum esse Vnigenitum in sinu esse Patris, ne per hoc, quòd caro factus est, diuisus esse credatur à Patre, cum reuera maneat, & etiam sit apud Patrem, sicut erat in principio, & semper. nec argumentum Arrianorũ vllam habet efficaciam. obijciebant enim illud Luca 16. Erat Lazarus in sinu Abraham, nõ tamen inde infertur, esse illi consubstantialẽ. Respondet Cyril. potius hunc locum nostram confirmare veritatem; nam in sinu esse Abraham, erat inter filios Abraham Lazarus esse receptum; si ergo Christus in sinu Dei est, filius Dei est, & non seruus. confirmatur expositio data; nam ex eo, quòd filius in sinu Patris est, Euangelista vult ostendere Deum vidisse, & omnia quæ Dei sunt, per seipsum nosse, non ex alterius relatione, aut manifestatione, quod non sequeretur, si esse in sinu non aliud esset, quàm in dilectione Dei esse: intra Deum ergo, & apud Deum est verbum, cum noscat omnia, quæ Dei sunt.

Et hoc est testimonium Ioannis, quãdo miserunt Iudæi ab Hiero Solymis Sacerdotes, & leuitas, ut interrogarent eũ, tu quis es?

COMMENTARIVS.

Aliud testimonium Ioannis Baptiste Euangelista describit, ut incredulos Iudæos confundat, & fideles confirmet. Fuit autem hoc testimoniũ in signe, & clarissimum, propterea multæ eius describuntur circumstantiæ. *Et hoc, inquit, est testimonium Ioannis*, id est, etiã vltra præcedens est hoc testimonium, quod modò describitur. tempus autem fuit, quando miserunt Iudæi ad eum; non enim propria motus voluntate, sed interrogatus, & inquisitus hoc

perhibuit: rursus qui miserunt, erant Iudæi de tribu Iuda, hi erant primi Iudeorum, & quibus hoc negotium maximè incubebat, cum de eorum tribu futurus esset secundum carnem Christus. Locus, unde miserunt, erat Hierusalem, quæ erat metropolis totius terræ Iudæorum. ubi residebant sacerdotes maximi, & Reges Iuda erat templum, & sacrificium, & iudices septuaginta dicti sanhedrin. Qui missi sunt, erant sacerdotes, & leuitæ, personæ ecclesiasticæ, & religiosæ, & in precio habitæ apud populum. hæc enim legatio ad religionem spectabat, ut potè tractans de impletione promissionis Dei, & complemento Prophetiarum, & de futuro non solum Rege, sed etiam summo sacerdote. Mandatum autem acceperant, qui missi fuerant, interrogandi eum, quis esset. *Tu quis es?* sunt ista verba, *tu quis es?* cōnectēda cum verbo, *interrogarent*, quasi habuerint in mādatis, ut, quis esset, interrogarēt, & studerēt. ipsius cōfessione intelligere, quifnā esset. hebraismus est solent. n. hebræi mittētes aliquē, verba quibus uti debet, exprimere. Exod. 3. Sic dices filiis Israël: qui est misit me ad vos. 4. Reg. 4. Vade in occursum eius, & dic ei rectè ne agitur circa te, & circa virum tuū? non dixit, vide an rectè agatur circa illam, & virum eius; sed utitur verbis quibus vsurus est nuntius: sic Ioā. 11. habetur. Miserunt sorores ad eum, dicentes; Ecce, quæ amas, infirmatur. multa sunt exempla huius rei; sic in hoc loco dicitur, ut interrogarent, quis est tu? multum Iudæi cōfunduntur testimonio, ad eō celebri quod ipsimet publico & communi cōfessio, à Ioanne quæsierūt; ob id tot eius circumstantiæ describuntur. loci temporis, mittentium personarum, & missarum, & mandati, ac interrogationis ipsius.

Hebræa
pbrafis.
Exod. 3.
4. Reg. 4.

ANNOTATIO LV.

Diversæ
se hoc à præcedenti
testimonio.

TH E O P H Y. hoc testimonium non esse aliud à superiori existimant, sed illud idem explicatius enarratum, quod etiam insinuare videtur Cyril lib. 1. cap. 23. idque placet ali qui bas nostro tempore. Sed aliud esse testimonium à priori sentiunt Orige. tom. 6. & Euthimi. hoc loco, & ratio ipsa comprobatur sumpta ex verbis ipsis. Nam & circumstantiæ, & ea, quæ Ioannes nunc testificatur, longè sunt diversa ab his, quæ in præcedenti testimonio relata sunt. Nam hoc testimonium non sponte sua, sed interrogatus, tu quis es? reddidit: & ideo Christum non demonstrat, dicēs, hic est, sed potius quis ipse sit. præterea ipse euangelista hoc à præcedente distinguit, dicens, & hoc est testimonium, quasi aliud adiungens ad præcedens testimonium, imo illud pronomen hoc, & illa coniunctio, et, quæ non solum copulatiua, sed etiam augmentiua est, ostendunt superaddi sequentia, ac si dictum sit: etiam hoc, quod modo describitur, testimonium est Ioannis.

Quæ de causa Iudæi miserim legatos ad Ioannem.

Aliud tamen difficilius est, quod non est silentio prætereundum, nempe, quid induxerit Iudæos, & quæ eorum fuerit intentio in hac legatione ad Ioannem mittenda. Chryl. hom. 15. in Ioan. dicit, Iudæos non esse motos opinionem, aut suspitione vlla, qua Ioannem Christum esse suspicarentur. sciebant enim non esse Christum sed odio potius, quo Christum persequebantur, & inde erat ut ægrè ferrēt, quod Ioannes sibi Christum præponeret. Veniunt ergo, & adulatione quadam eum inducere tentant, ut se Christum esse fateatur, ut hac ratione opinio Christi obscuraretur. hæc causa fuit, quæ eos mouit, ut legationem hanc ad il-

A lum mitterent. Idem Chrysol. hom. 11. Matthæon sibi constans affirmat odio in ipsum Ioannem motos esse, ut mitterent ad eum, si forte illum in sermone caperent. sciebant enim non esse Christum, cum de Leuitica esset tribu. vtraque Chrysolomi assertio improbabilis videtur: Cum enim Ioannes tantæ esset apud eos sanctitatis, non sibi tam stultè persuasissent, eum in tantum scelus induci posse, ut Christi dignitatem sibi usurparet, quod nec de viro vel mediocriter bono, & honesto credi posset. Nec Euangelista tantam eorum malitiam dissimulasset, sicut nec dolos, quibus ad Christum accesserunt, Matthæus, & alij Euangelistæ prætermiserunt. Præterea, si hoc intendissent, non erat cur alias de Helia, aut Propheta interrogationes facerent, nec tandem dixissent, quis es tu, ut responsum demus ijs, qui nos miserunt: non igitur, hæc eos causa mouit, ut ad Ioannem mitterent. Communis sententia est, hos ductos esse suspitione, & dubio, quo, an Christus esset tenebantur; maximè quia populum, & omnes ferè hæc opinionem concepisse videbāt. dicitur enim Lucæ 3. Existimante populo, & cogitantibus omnibus, ne forte esset Christus. hoc eos induxisse videtur, ut ex ore, & propria confessione ipsius, quis ipse esset, intelligere vellēt. ista est sententia Orige. tom. 7. Cyril. lib. 1. Io. cap. 7. Aug. tract. 4. Ioan. & Greg. hom. 7. in Euangelia.

ANNOTATIO LVI.

DIFFICILIVS tamè est determinare, quæ ratione fieri potuerit, ut Ioannes Christus existimaretur: siue enim hac opinione, siue ut quacun-

Quaratione
ratione fieri potuerit, ut Ioannes Christus existimaretur: siue enim hac opinione, siue ut quacun-

Genes. 49.
Michæa 5.
Isaia 35.

quacunquæ alia ratione, & causa moti Iudæi legatos miserint, id certum est, multos, an esset Christus dubitasse, & in hanc cogitationem & opinionem inductos esse, ut patet ex Lucæ testimonio citato. quod autem difficultatem facit, illud est, quia cunctis Iudæis Christum de tribu Iuda venturum, in Bethlehem nasciturum, & miracula multa facturum, notum erat; hæc enim tria per Prophetas erant prædicta Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est. & Michæa 5. Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te exibit dux, & Isa. 35. Ecce veniet, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. at Ioannem de tribu Leuitica esse, & natum in montanis Iudææ, & nullum fecisse miraculum, certum erat apud omnes. qua igitur ratione potuit hæc vel saltem dubitatio, aut suspicio in animos eorum cadere? præsertim cum iam ipsemet testimoniū de vero Christo perhibuisset, dicens; Post me veniet vir, &c. hæc forsitan induxerunt Chrysolomum in eam sententiam, quæ superius exposita est. tamen nec ipse difficultatem hanc in sua sententia euadit; nam, uti diximus, constat ex Luc. 3. populum existimasse, & omnes cogitasse, ne forte esset Christus.

Respondeo ergo tria esse, quæ animos eorum in dubium hoc inducere potuerunt. Vnum ex parte ipsius Ioannis, Alterum ex parte Christi, Tertium ex parte eorū, quæ in contrariam partem posuimus. Ex parte Ioannis aliqua erant magnifica, & insolita, quæ poterant hanc generare suspitionem. Primum fuit Natiuitas miraculo manifesto illustrata; ex matre sterili, & proeucta, & ex patre grandæuo, qui in conceptione obmutuit, & in natiuitate loquelam recepit; nomen nouum, quo nemo in eius cognatione nuncparus erat hæc omnia non obscura, sed omnibus notata fuerunt, adeo, ut in natiuitate omnes admirati proclamarent, quis putas, quæ iste erit? nulla natiuitas fuerat tam illustris illi populo ab initio mundi. Secundò vita ipsius ab ipsa eius infantia admirabilis, & supra humanas vires, visus, & vestitus qualem nemo ante ipsum habuerat ita ut diceretur, neque manducans, neque bibens; solitudo, quia in deserto degebat à pueritia: vita ergo integerrima, & supra modum omnem austeram, & ab humana conuersatione semota, eum mirabilem fecit. Tertio, eius Baptismus: baptizabat enim, quod nullus Propheta, neque Moyses fecerat, & ex Ezech. 36. nouerant tempore Christi Baptismum aquæ futurum; Effundam, inquit, super vos aquam mundam, & mundabimini ab vniuersis iniquitatibus vestris; de Baptismo dicit Aug. tract. 4. Non ad ipsum mitterent, nisi excellentia auctoritatis eius moti essent. quia ausus erat baptizare. hæc erant quæ ex parte Ioannis rem maximè faciebant probabilem. Ex parte autem veri Christi erant non nulla, quæ poterant illos tunc à vera eius cognitione auertere, & hæc magis animos eorū, ut Ioannem Christum esse arbitrarēt, impelle-

A bant. Primum, quia putabant eum esse Galilæum, & de Nazareth: ignotus enim erat ortus eius in Bethleem. propterea audiens Nathanael, illum esse Christum, dixit: à Nazareth aliquid boni potest esse? & Ioan. 7. obiecerunt Iudæi hoc idem: scrutare scripturas, quia à Galilæa Propheta non surgit. Secundò reputabatur ignobilis, & sic Marth. 13. dicebant, Nonne est hic fabri filius? Tertio eius conuersatio erat communis cum alijs hominibus; nondum enim erat miraculis illustris factus. Quarto denique conceptio, & natiuitas eius communis existimabatur. hæc sunt quæ animos eorū à vera Christi cognitione retardare poterant, & conuerrere ad Ioannem. Iam enim omnes ex eo quod Prophetarum quàm plurima signa videbant expleta, suspicabantur tempora aduentus Messis instare: eaque de causa diebus proximis nonnullos se Messiam prædicantes receperant, donec eorum fictio fuit tandem detecta: neque ad recipiendum ita faciles essent, nisi tempus Messis aduentasse cognoscerent: (quod contra Iudæos nostri temporis argumentum est maximum) tempore ergo aduentus Messis, hominem adeo mirabilem, & insolitum apparere, inducere potuit Iudæos, ut dubitarent, an Ioannes esset Messias, præsertim cum Christus, in multis inferior illo videretur. Ex parte etiam eorum quæ obstare videbantur, poterat esse aliqua veri similitudo; cum singula eorum aliquam, saltem apparentem euasionem admittant. primum illud de tribu, euaderent forte dicentes (tantis præsertim signis ex parte Ioannis concurrentibus) quod Baptista quamuis esset de tribu Leuitica & Aaron, poterat esse etiam de tribu Iuda, quia hæc tribus quandoque miscebantur. Elifabet enim quæ erat de tribu Aaron, cognata, erat Beatissima Virginis, quæ de tribu Iuda & familia David orta fuit: Vnde poterant similiter suspicari, Messiam ita futurum de tribu Iuda, ut esset etiam de tribu Leui: præsertim cum non desint doctissimi viri, qui hoc tempore in ea sint sententia, ut credāt, tempore Machabæorum non fuisse ablatum sceptrum de Iuda, sicut promissum fuerat Genes. 49. quia quamuis Machabæi ex patre orirentur à Leui, ex matre tamen ortū ducebant à Iuda. Nec difficilius eius erat se expedire ab illo loco Michææ, quo promittitur Messias in Bethlehe nasciturus: siquidem existimare poterant id de vrbe ipsa, vel de circū vicinis pagis intelligi & Ioannes in sorte Iudæ & non longè à Bethleem natus est: imo sic intellexisse videtur Herodes, qui cum audisset nouum regem natum in Bethleem, hac de causa non tantum infantes qui ipsamet ciuitate, sed illos etiam qui in finibus Bethleem nati sūt, iussit interfici. Quod tertio loco de miraculis opponebatur, euadere poterant, sperantes, quod ille esset factururus, quamuis vsque ad illud tempus, nulla fecisset. Testimonium denique quod de Christo reddidit, vel nondum ad illos peruenerat, vel ipsius modestiæ & humilitati ascribebant, quod tantam dignitatem recusaret. Quamuis ergo Iudæi odio forte

Fortè Christi, & inuidia ducti miiserint hos le- A hementer illi suspicabatur, vt credo, Ioan- garos ad Ioannem, tamen ex modo dictis, ve- nem verum esse Messiam.

Et confessus est, & non negauit.

COMMENTARIUS.

Quorsum af- firmatione et negatione utatur Ioannes.

Iob. 15. 4. Reg. 7.

RETULIT Euangelista legationem factam Ioāni à Iudæis, & eius causam: Refert modò quid Ioānes interrogatus fecerit, ac si diceret illi; missi sunt interrogare, quis esset? hic aperte significauit, & aperuit, quis esset: post hæc in sequentibus interrogata, & responsa singula describit. Est autem hebreæ phrasia ad explicandam exactam, & disertam responsionem, vt affirmati- one, & negatione. sic Iob. 15. Sapientes confitentur, & non abscondunt Patres suos. 4. Regum 7. Si tacuerimus, & noluerimus reuelare. 4. Reg. 18. Tacuit po- pulus, & non respondit. Sic nūc dicitur, confessus est, & non negauit. id est deser- tē, & constanter, aperteque respondit, & declarauit, quis esset, & interroga- tionibus satisfecit. Gregorius ad diuersa hæc retulit, homilia. 7. in Euangelia. Confessus est se non esse Christum, & non negauit, se vocem esse clamantis.

Et confessus est, quia non sum ego Christus.

HIS verbis Euangelista primam responsionem Ioannis refert, & respon- sionem referens, tacite interrogationem insinuat: Fuit autem interro- gatio; Es tu Christus? ipse autem confessus est, non sum ego Christus. Quam- uis enim Euangelista superius dixerit eos missos, vt quis esset interrogarent, non sic intelligendum est, vt hoc tantum interrogarent, sed vt quærerent, an Christus, an Helias, an Propheta esset, & quare, cum talis non esset, bapti- zaret: & tandem, quis esset. tamen Euangelista non narrat omnia, ne bis ea- dem repetantur: sat ei fuit vltimam retulisse interro- gationem, nempe missos esse, vt interrogarent, quis esset: quia hæc generalis & communis in- terrogatio, reliquas singulares comprehendit: de cæteris verò quo ordine sunt factæ describit; & hic mos est etiam scripturæ: ne enim bis eadem repe- tantur, quæ nuntius dicenda suscepit, narrantur, quando nuntiata describū- tur. Magna profectò opinio de Ioanne concepta erat: siquidem testimonium de seipso in re tanti momenti ab ipsomet quærebatur.

ANNOTATIO LVII.

CHRYSOSTOMVS hom. 15. in Ioan. primā B interrogationem generalem fuisse arbi- tratur, nempe, quis est tu? ea tamen intētionē, & animo factam, vt de Christo interrogarēt. Io- annem autem ad eorum respondiſſe intētionem dicit, hæc Chrysostomi expositio non sa- tis textui accommodata videtur: quia indignū erat tanti viri modestia, vt, cum non interro- garetur an Christus esset: ipse responderet, nō sum ego Christus. errori autem illorum ob- uiare posset, si explicaret, quis esset, sicut fecit postea, quando rogatus est quis est tu? & quæ se-

quantur, petitiones, Helias es tu? Propheta es tu? quid baptizas, si non es Christus? illos pe- tijſſe, an Christus esset, insinuant. Quinimo cum soli Christo, corda hominum penetrare, & intentioni eorum respōdere conueniat; si Ioannes id fecisset, eorum errorem cōfirmas- set: eū enim, qui etiam occulta cordis cognos- ceret, & reuelaret, multo amplius Christum esse credidissent. Existimo ergo illos primo lo- co petijſſe, an Christus esset, ob id aperte re- spondisse, non sum ego Christus, ita Heron. Isa. 40. & Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 7. affirmant.

Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Helias es tu? & dixit non sum.

COMMENTARIUS.

SECUNDO interrogatur, an sit Helias, & respondet, se non esse Heliam. & Snotanda sunt verba, audiētes enim responsum aliud ab eo, quā sperabāt, & forsan desiderabant, dicunt, quid ergo? vox est cuiusdam admirationis. mi- rati enim sunt illum se Christum esse negasse. est etiam cum illatione. infe- runt

runt enim; Si non es Christus, ergo eris Helias, ac si dicerent; tua insignis, & excellens virtus non patitur te communem esse hominem, adeo vt, si Chri- stus nou sis, saltem sis illius præcurſor illustris; ergo Helias es tu Respondit Io- annes, non sum Helias.

ANNOTATIO LIX.

Vnde Iudæi existimant Ioannem esse Heliam.

Matth. 26.

Luc. 24.

Matth. 11.

HÆC interrogatio ex duobus erroribus, & vna veritate procedebat. Prior error erat, quod Iudæi non distinguebāt duos Chri- sti aduentus, quorum scriptura mōnuit, vnū humilem ad saluandum, de quo Zachariæ 9. dictum est; Ecce rex tuus venit, & ipse pau- per: alterum gloriosum ad iudicandum, de quo Esa. 66. Ecce Dominus in igne veniet. at Iu- dæi decipiebantur, quia vnum tantum aduen- tum, & hunc gloriosum adiregnandum in ma- iestate & potestate expectabant, eos idcirco errasse docet Tertul. Apolog. cap. 21. constat etiam ex Euangelio. nam Matth. 26. cum à sum- mo sacerdote interrogaretur, an esset Chri- stus, respondit Dominus, ego sum, verum ta- men dico vobis, a modo videbitis filium ho- minis à dextris virtutis Dei, venientem in nu- bibus cæli: quasi diceret; ego, sum ne decipia- mini humilem & abiectum videntes, & propterea credētes me non esse Christum; su- perest enim mihi alius aduentus gloriosus & illustris: & quando sic venero videbitis me venientem in nubibus cæli, modò autem sic oportuit venire in humilitate & pauper- tate. hic est sensus illius loci, & alterius Lu- cæ, 24. Nos sperabamus quod ipse redemp- turus esset Israel. ex hoc priori errore procedebat posterior; cum enim vnum aduentum ex- pectarent, vnum tantum præcurſorem futu- rum credebant, & hunc Heliam, iuxta illud Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Heliam The- bitem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: errabāt ergo etiam in hoc. nam sicut duo futuri erant aduentus, ita duo futuri erant præcurſores, & sicut Helias secundum, ita primum Ioannes Baptista debuit præcede- re. de quo dixerat idē Malach. cap. 3. Ecce ego mitto Angelum meū, qui præparabit viam an- te faciem meā. Isti igitur duos cōfundētes ad- uentus, confundebāt etiā præcurſores, & vnū tantum sperabant, credentes hunc fore Heliam, qui aduentus secundi verè præcurſor est fu- turus. huius erroris arguit eos Dominus, Matth. 11. Prophetæ vsque ad Ioannem prophetaue- runt, & si vultis recipere, ipse est Helias, qui venturus est, qui habet aures audiendi, audiat. Sensus horum verborum hic est; non credebāt Iudæi Christum esse, quia Helias nondum vē- nerat, quorum errorem arguit, dicens; Helias, qui venturus est, iam venit, id est, præcurſor, qui meum hunc primum aduentum præueni- re debuit, iam venit, & hic est Ioannes. Ille Helias verus ad alterum pertinet aduentum; ob id attendat vnusquisque, ne erret; quando au- tem Ioannem vocat Heliam, non significat ipsum esse Heliam, sed vtitur sermone Iudæo- rum; dicebant Iudæi, Helias debet primus venire, & non venit, dicit Christus. Iste Heli- as, id est, iste præcurſor, quem vocatis Heli-

am, iam venit. & hic est Ioannes Baptista. hic etiam est sensus, Matth. 17. quando transfigu- ratione apparente Heliam dicunt discipuli. Quid ergo dicunt Scribæ Heliam debere pri- mum venire? quasi dicerent; Nouimus nunc te esse Messiam, quomodo Helias venit non ante, sed post te, cum Scribæ doceant debere præcedere? quos Dominus edocens, dicit; He- lias quidem venturus est, & restituet omnia: dico vobis, quia Helias iam venit, & non cog- nouerunt eum, ac si diceret, superest alter ad uentus, & ante hunc veniet Helias; ille autem Helias, qui nunc debuit præcedere: iam ven- nit, & non cognouerunt eum, hic erat Ioannes Baptista. Ecce duo illa in quibus errabant Iu- dæi. Veritas autem, ex qua diximus hanc inter- rogationem oriri; hæc est. quod tempus ad- uentus Christi proximum existimabant, in- dielque eum expectabant: quia multæ prophe- tiæ impletæ iam erant, in quibus signa aduen- tus eius data fuerant. Ex his ergo tribus, inter- rogatio procedit, si non es Christus, qui in die expectatur, eris forsan præcurſor eius He- lias? aduentum enim eius Helias præcedere debet: hi enim, vt diximus, non distinguen- tes aduentum secundum à primo, Heliam expectabant ante Christum, & ideo Ioannem interrogant si est Helias: Ad hanc interroga- tionem non solum prouocarunt eos, quæ di- cta sunt; sed quia Ioannes multum Heliam in vita austeritate, in reprehendendo populo, & in vestitu similis erat.

ANNOTATIO LIX.

DVBIVM occurrit, qua ratione Heliam ef- se Ioannem Iudæi existimare potuerunt, cum Heliam iam multò ante vixisse, Ioannem autem à triginta annis ex Patre Zacharia na- tum esse scirent. Recentiores aliqui ad hanc difficultatem soluendam Phariseos anima- rum illam de corpore in corpus transmigra- tionem credidisse affirmant. idque videtur il- lis ex Euangelio deduci. nam Mar. 6. dicebat Herodes, quem ego decollavi Ioannem, surre- xit à mortuis, & virtutes operantur in eo; & Matth. 16. Alij Heliam, alij Ieremiam, aut v- num ex Prophetis esse Christum dicebāt. Per hanc transmigrationem facile intelligitur, quomodo Ioannes potuerit esse Helias, vt ip- si putant. Sed hæc responsio nulla ratione po- test consistere: imo quamuis dāremus illis hanc transmigrationem, difficultas hæc non euacuatur. nam Heliam sciebant viuere, & nondum esse mortuum; qua ergo ratione ani- ma eius in aliud corpus transmigrare, potu- it? adde testimonium scripturæ esse contra hanc responsionem. nam Lucæ nono, dum quis esset Christus, discuteretur, quidam dice- bant, Ioannes surrexit à mortuis, quidam vē- rō, quia Helias apparuit, alij autem, quia Propheta

Matth. 17.

Phariseos nō habuisse erro- rem de trans- migratione animarum.

Propheta vnus de antiquis surrexit à mortuis. discrimen nota, de Ioanne & alijs Prophetis mortuis dixerunt eos surrexisse: at de Helia non, sed apparuisse, quia verè viuebat, & in proprio erat corpore. nō igitur per hanc transmigratiōem animarū satisfieri potest difficultati proposita. his adiungimus, falsum esse, & sine fundamento affirmari Phariseos hunc habuisse errorem. primò probatur ex scripturā ipsa, cui isti, qui sic opinantur, nituntur. Luc. 9. Matth. 14. in quibus locis aliquem Prophetam, vel etiam Ioannem iam decollatum à mortuis, surrexisse, Iudæos dixisse legimus. At longè aliud, imò contrarium est surrexisse à mortuis, & animas transmigrasse in corpora. transmigratio enim non est resurrectio, & resurrectio repugnat transmigratiōni corporum enim, quæ ceciderunt, resurrectio est, non animarum, quæ immortales sunt: si ergo proprium corpus non recipiunt, nulla ratione resurrexisse dici possunt. Secundo id etiam confirmantur, quia insignis adeo, & perniciosus error, si illis viginisset temporibus, à Domino fuisse reprehensus, & ab Euangelista descriptus, sicut Dominus arguit, & Euangelista notauit, Saducæos erroris, eo quod nō crediderint mortuorum resurrectionem; at nullibi hoc legimus factum, cum toties, & de tot vitijs arguerit eos Dominus. Adde etiam tertio, quia Actorum 23. Paulus inter Phariseos & Saducæos constitutus dixit, De resurrectione mortuorum iudicor. quo verbo Phariseis fuit, & inde magna facta est dissensio inter Phariseos & Saducæos, at si hanc transmigratio in corpora ab eis esset credita, neutris fauisset, quia transmigratio vtrique repugnat, & animarum mortalitati contra Saducæos, & corporum resurrectioni contra Phariseos. Adde etiam quarto, antiquos Doctores referentes sectas, & opiniones Phariseorum, nihil tale eis imputasse, vt patet ex Clemen. Rom. lib. 6. constit. cap. 6. & Epiqhan. hær. 16. ne facit pro hac recentiorum sententia Iosephus, qui lib. 2. de bello Iuda. cap. 7. Phariseos existimare bonorum animas in corpora transmigrare refert, nam ipsemet postea lib. 18. Antiquit. cap. 2. id declarat, dicens eos affirmare bonorum animas facile redire in corpora; vnde, quam illic vocauerat transmigratiōem: vocat, & declarat postea reditum ad corpora: & hoc consonat Euangelistis, qui dicunt Iudæos arbitratos esse Prophetas resurrexisse.

Propheta es tu? & dixit, non.

COMMENTARIUS.

POSTQUAM audierunt nec Christum, nec Heliam esse, tertiam adhibent interrogationem, an sit Propheta, & Ioannes se non esse Prophetam respondet. Deute. 18. Deus populo se Prophetam similem Moyse de medio fratrum eius suscitaturū, & in ore eius positurum verba sua promiserat. hic erat reuera Christus ipse, tamen Iudæi errantes arbitrabantur Prophetam insignem tempore Messie futurum ab eo distinctum, sicut & nunc existimant, cum autem intellexerint Ioannem non esse Heliam, interrogant, an sit Propheta

A Sine fundamento igitur ista transmigratio illis imponitur, & adhuc imposita non auferit difficultatem. vt prius diximus. Accedat Hieron. Matth. 16. tractans, quomodo illi Christum, Heliam, Ieremiā, aut vnum ex Prophetis putare potuerunt, dicit errasse eos, sicut errauit Herodes, existimans Ioannem à mortuis surrexisse, non de transmigratiōe animarū, sed de resurrectione Hieronymus locutus est: nec etiam facit pro ea sententia, hunc transmigratiōis errorem inter Iudæos modernos vigere. nam si hoc argumentum probaret aliquid etiam probaret tunc Phariseos credidisse transmigratiōem omnium bonorum & malorum, non solum in humana, sed etiam in quarumcunque corpora bestiarum: ita enim nunc Iudæi sentiunt, quod nemo tunc Phariseos affirmaret sensisse. multos etiam Iudæos nostri temporis habere errores, quos antiqui illi nec somniarunt, manifestissimum est. erit igitur iste vnus illorum.

Dicendum ergo est, Iudæos dubitasse, num Helias esset Ioannes, quia apparere posse putarunt sub specie & figura hominis illius qui Ioannes putabatur, in suo tamen vero corpore: & quamuis Ioannis esset nota natiuitas ex Zacharia, cum ipse tot annis vixisset in deserto ab omni conuersatione semotus, dubitari potuit hunc qui apparebat, non esse illum eundem, sed raptum, aut mortuum, & Heliam sub illius nomine se occultasse, & venisse, maxime quia multis annis lauerat in deserto. De his autem, qui mortui erant prophetæ, potuit eodem modo dubitari, nū aliquis in proprio corpore surrexisset, & loco Ioannis venisset: sic etiam de Christo arbitrati sunt, num Ieremias, aut vnus ex mortuis resurrexerit: non enim obseruatum est à populo, an ille esset idem, qui natus est de B. Virgine, quia hæc non omnes aduerterant, & arbitrati poterant illum non esse, sed loco eius Prophetam apparere. Quando autem Herodes Christum putauit Ioannem esse, nihil, aut partim audierat aut de Christo, nisi postquam occidit Ioannem, vnde opinari, aut dubitare poterat, si ille esset Ioannes: si enim opere humano similes fallaciæ accidere possunt, quanto magis vbi diuina virtus est, quā in Ioanne, & in Christo ipse dere videbant, poterant allucinari? præsertim cum ignotum sit quomodo apparebit Helias, quando re vera veniet.

Vnde decepti fuerint Iudæi, quæres: res à Ioanne, aut esset Helias.

Ioan. 7.

pheta ille insignis promissus à Deo; existimantes si Christus non erat, fieri nō posse, quominus vel esset Helias, vel insignis ille Propheta, vterque enim, vt illi credebant, futurus erat tempore Messie. Vnde in Græco cum articulo describitur Propheta, vt non quicumque intelligatur; sed ille à Deo promissus: cui interrogationi respondet Ioannes, se non esse Prophetam illum.

ANNOTATIO LX.

quem intellexerint Iudæi nomine Prophetæ.

CYRILLVS lib. 1. in Ioan. cap. 24. Chrysof. hom. 15. & Origen. tom. 7. exponunt, sicuti in commentario exposuimus, locū hunc at recentiores non hoc admittunt, sed per Prophetam intelligūt vnum de antiquis illis Prophetis, qui in precio & veneratione habiti sunt, sicut de Christo existimantur. Luc. 9. quia Propheta vnus de antiquis resurrexit. & Matth. 16. Alij Heliam, aut Hieremiam, aut vnum ex Prophetis antiquis, esse dicebant. Vtuntur autem argumento hoc contra datam expositionem. Nam si de illo Propheta interrogatio esset facta, postquam intellexerunt à Ioanne se talem non esse, interrogassent iterum, an esset Propheta aliquid ex antiquis. Sed hoc argumentum debile est; nam tanti faciebant Ioannem, vt si Christus non esset, non alium esse putarent, nisi aut Heliam, aut illum promissū, & insignem Prophetam, quos tempore Christi venturos sperabant, aut quia vnum ex antiquis illum futurū credebant. eaque est causa, cur postquam audierunt necesse Heliam, nec Prophetam illum, non amplius determinatam quæstionem, aut interrogationem fecerint: sed in generali, quis esset, quæsierint. qua etiam ratione postquam nouerunt non esse Heliam, nec Prophetam illum, non amplius interrogarunt, an saltē esset Propheta: maius enim aliquid & sublimius de Ioanne cogitabant. Et ne sine scripturæ testimonio videamur hanc refutare sententiam, consideranda sunt nonnulla eius loca: ex ijs enim expositio nostra magis constabit. Ioan. 6. Turbæ saturata panibus à Domino, clamauerunt. Hic est ille Propheta, qui venturus est in mundum: est enim cum articulo; igitur expectabant certum aliquem Prophetam venturum, nec Messiam hunc esse intelligebant, alioquin dixissent, hic est Messias. Adde, Ioan. 7. alij dicebant; hic est verè ille Propheta, alij hic est Christus: distinguant ergo illum Prophetam à Christo. Huic eorum errori alter erat coniunctus: nam

A Prophetam hunc promissum aliqui vnum ex antiquis futurum esse, & tūc temporis ad hoc munus obeundum resurrecturum putabant. quis autem ille esset futurus, non certo constabat, sed diuersi diuersa sentiebant: propterea Christum alij Hieremiam, alij alium ex prioribus Prophetis esse dicebant: ideoq; Luc. 7. dicitur: Propheta magnus surrexit in nobis: non autem Hieremiam. aut aliquem ex Prophetis prioribus Christum esse dicerent, nisi illo loco Deuteronomij decepti vnum eorum venturum expectarent. Ex his, loca scripturæ declarantur, & expositio data confirmatur. Quærent enim, an sit ille Propheta, quem venturum sperabant tempore Christi, quem vnū ex antiquis futurum multi credebant: & ex hoc duplici eorum errore, interrogatio procedit, nec amplius in particulari interrogant: quia præter Christum & hunc Prophetam, neminem alium insignem virum expectabant: Ioannem autem vnum eorum esse sibi persuadebant. Scio August. tract. 4. in Ioan. interrogationem hanc de Propheta in genere intellexisse: Ioannes autem negauit, ait August. quia plus, quàm Propheta erat: Prophetæ enim futurum, at ipse præsentem Christum prædicabat. Sed re vera hæc expositio satisfacere non videtur: quia Ioannem esse Prophetam nemo dubitabat, nec Ioannes ipse negasset: Negare enim quæ erant notissima, sufficeret, vt illi magis suspicarentur, quod nec verè respondisset ad priores eorum inter rogationes: quāuis autem Christus eum plusquam Prophetam, Matth. 11. asseruerit, tamen esse Prophetam nō negauit, cum dixerit: quid existis videre? Prophetam: etiam dico vobis, plusquam Prophetam. illa particula, etiam, non negandi, sed potius affirmandi, & augendi est, nempe esse Prophetam, & etiā plus quàm Prophetam. & Luc. 1. Tu puer Propheta altissimi vocaberis. probabilius ergo expositio Cyril. & Chrysof. est, & magis consonat his, quæ sequuntur in textu.

Dixerunt ergo ei, quis es, vt responsum demus ijs, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso.

COMMENTARIUS.

NON aliam particularem interrogationem Legati faciunt, quia vt diximus, tanti Ioannem faciebant, vt si Christus nō esset, alter duorum, qui circa tempora Christi venturi putabatur, futurus necessario videbatur. Cū autem neutrum esse intellexissent, generaliter percontantur, dicētes quis es? nam ab his, qui nos miserunt, vt intelligeremus, quis esses, nobis iniunctum est; nos autem, quem te esse opinabamur explicuimus, quorum cū neminem te esse responderis dic tu de te ipso, non expectata interrogatione alia particulari, quis alius præter propositos (quid dicis de te ipso?)

F

Ait, ego

Ait, ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.

QUIS ipse sit, Ioānes manifestat, & scripturæ testimonio suam confirmat confessionem, simulque illos arguit ignorantia. quasi diceret, vos quæritis, an sim Helias, an ille Propheta; quia in scriptura illos vêturos vobis legisse videmini; sed non consideratis alium præter hos superesse, qui etiā in scriptura prophetatur venturus, Isaias enim cap. 40. alium prænuñciauit præcursorē dicens, *vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini.* ego igitur sum ille, de quo scriptum est, *vox clamantis in deserto, non Helias, non Propheta ille, nō Christus, sed Christi præcursor sum.* Poterat Ioannes allegare locum Malachiæ 3. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam: quē Dominus pro ipso Ioanne citauit: maluit tamen vti testimonio Isaiæ, tum quia maior erat Propheta; tum quia conformior erat hæc eius prophetia vitæ, & prædicationi ipsius; quia ipse in deserto clamabat, sicut Isaias prædixerat; tum etiam, vt dum textum hunc adducit, Iudæos ad dirigendam viam Domini, & ad obseruandam legem, obiter exhortaretur. Testimonium Isaiæ integrum Euangelista non ponit: nec enim solent Euangelistæ referre omnia; Ioannem tamen integrum retulisse arbitror, vt ex Luc. 3. colligitur: aut si tunc non integrum retulit, id factum credo, quia scriptura illa erat Iudæis notissima. In textu autem concludit Isaias, Videbit omnis caro salutare Dei, iuxta nostram interpretationem, seu quod os Domini locutum est, aut vtrumque simul, quod ad Christum refertur. vnde hoc loco Ioannes aperte se esse Christi præcursores, & prænuñtium respondit. Expēdenda sunt verba Isaiæ, *vox clamantis* hebraismus est quasi dicat vox clamans, id est, prædicator publicè & manifestè docens, & exhortans omnes in deserto, in quo habitabat, & quo omnes, vt ipsum audirent, cōueniebant. Clem. Alexan. in exhort. ad gent. legit; vox clamans. Hieron. epist. ad Miner. & Alex. quia clamabat, ideo affirmat dictum esse, *vox clamantis.* Clamare enim etiam voci tribui solet, Apoca. 14. Audiui de cœlo vocem dicentem mihi. Exhortatio autem est, *dirigite viam Domini.* hoc est vnum ex muneribus, quæ præcursor obuiat, populum præparare, & disponere, vt venientem reciperet Christum. Est autem locutio metaphorica. vt enim via recta est breuior & facilior ad iter peragendum; sic dirigere viam, est facilem se exhibere ad recipiendum Dominum, quod erat legem, vt debuerant, obseruare, prophetias considerare, vitia omnia, quæ impedimenta sunt viæ, & causa, ne venientem reciperent, ne etiam agnoscerent, omnino abijcere: hoc erat viam Domini dirigere, & præparare, & hoc clamabat Ioannes in deserto.

ANNOTATIO LXI.

Ioannes que re vox dicitur. **B**ASILIVS hom. 2 in Psal. 28. Vox Domini super aquas, &c. ferè omnia, quæ in illo Psal. prædicta sunt de Domini voce, Ioanni Bap. accommodat, qui vox dictus est, August. ferm. 20. de sanctis, & Gregor. hom. 7. Euang. Ioannem conueniēter vocem esse dictum exponunt. Vt enim vox, quæ sonus est, verbum; & conceptum in mente absconditum manifestat, sic Ioannes verbum æternum Dei in carne absconditum manifestauit. Possumus his adiungere, dici etiam vocem, quia totū, quod erat in Ioanne, vox erat, inducens Iudæos ad poenitentiam, ad obseruationem, & fidem: si spectare velis eius natiuitatem, conuersationem, vitam, vestitum, & prædicationem; inuenies Ioannem non solum loqui, sed om-

nibus ijs & eorum singulis clamare, & ideo merito vocem clamantem appellari. Non ergo sine particulari mysterio dictus est vox, nemo enim in scriptura nec prædicator, nec propheta, nec vllus alius vox dictus est: forsitan propter ea, quæ dicta sunt. Alia etiam est huius rei causa, nempe quia præsentem Domino, ipse prædicabat, quasi dominus esset, qui per eum loqueretur, ipseque vox esset Christi per eum loquentis & se manifestantis. Quāuis, vt ego existimo, apud Elaiam non dicitur Ioannes vox, sed clamans, nam sensus hic est, vox clamantis id est, ecce vox Ioannis clamantis: quæ autem sit vox hæc exponit, parare viam Domini, &c. Quando autem Ioannes dicit, *ego vox clamantis*, sensus est, ego sum ille, de quo

de quo Isaias prædixit, vox clamantis, &c. **A**sum continent spiritualem. **L**iteralis est, dici clamantis in deserto, quia in deserto loco Iudææ prædicabat, & ad eum populus veniebat, iuxta illud Matth. 11. Quid existis videre in deserto? ita exponit Hieron. epist. ad Miner. & Alexand. Notanda sunt demum verba August. commendantis Ioannis confessionem, tract. 4. in Ioan. Nullum, inquit, tantum meritum habuit Ioannes, quam de hac humilitate, quod cum posset fallere homines, & reputari Christus, confessus est aperte se non esse Christum.

In deserto clamare quid sit.

Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis, & interrogauerunt eum, & dixerunt ei.

COMMENTARIVS.

HAEC verborum à superioribus separatio (primò enim Sacerdotes, & Leuitæ missi à Iudæis, nūc verò ante quintam interrogationem, qui missi fuerant ex Phariseis, fuisse dicuntur) aliquid particulare significat; hoc autem est: percuntationem, quæ sequitur, à Iudæis mittentibus non fuisse his legatis iniunctam, sed id tantum, vt quis esset intelligerēt; at quia, qui missi sunt, erant ex Phariseis, legis zelum præ se ferentes, se alijs omnibus in legis obseruantia antepōnētes, nec quicquam contra legem fieri permittentes; non vt Legati, sed vt supersticiosi, & ambitiosi Pharisei interrogant, quæ sequuntur: quædam enim legis transgressio Ioannis baptismus eis videbatur, si nec Christus, nec Helias, nec Propheta ille erat. Quod autem dicitur, *qui missi fuerant, erant ex Phariseis*, significat omnes missos, Phariseos fuisse: si enim aliqui eorum essent, non autem omnes, potius dicendum erat: eorum qui missi fuerant, Pharisei interrogauerunt. Rursus in eo, quod non tantum dicitur, *interrogauerunt eum*, sed additur, *& dixerunt ei*, significat Euangelista, quæ sequitur, non tantum esse interrogationem simplicem, sicut quādo, an Christus, an Helias, an Propheta esset, interrogauerunt; sed per modum cuiusdam accusationis & repræhensionis simul esse prolatum, eo, quod baptizaret, cum non esset Christus, nec Helias, nec Propheta. Habes quid significant hæc verba, *interrogauerunt eum & dixerunt ei*: nō enim dicit tantum interrogauerunt, sed addit, & dixerunt.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta?

SENSVS est, si neque, Christus, neque Helias, neque ille Propheta tu es, ergo non debes baptizare. illa enim interrogatio illatiua, *quid ergo baptizas*, sensum facit absolutum negatiuum: quasi dicerent, sine ratione baptizas, & non debes baptizare. quamuis autem talis interrogatio sensum faciat absolutum, habet tamen admittam interrogationem causæ: cur baptizet; ac si dicerent, quam causam habes baptizandi? Nam tibi baptizare, si non es vnus ex predictis, non licet. Exactiorem huius sententiæ expositionem in sequenti annotatione perlege.

ANNOTATIO LXII.

Quaratione Iudæi Ioannē reprebenderint, quod eum nō esset Christum, nec Helias, baptizaret.

QUÆRET, aliquis, vnde hæc consecutio deducatur, & cui innitatur fundamento, Si non es Christus, neque Helias, neque Propheta, non debes baptizare. Sunt duo aduertenda; vñū est, Baptismum Ioannis nouum quid fuisse, nec in lege contentum: vt enim dicit August. lib. 5. con. Donat. cap. 9. In scripturis veteris testamēti, nulli Prophete, nec vlli vn-

Aquam hominum fuit concessum alios baptizare baptismum poenitentia, nec vlla ceremoniarum veteris legis erat talis baptismus. Alterum est, prædictum esse per Prophetas, temporibus Christi futurum aquæ baptismum in remissionem peccatorum. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et Isa.

& Isa. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Syon, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris: ubi Hieronymus baptismum Christi docet prædici. Sunt etiã alia testimonia Prophetarum. Ex his Iudæi sperabant Baptismũ aquæ tempore Messie, & hæc fuit causa vna, vt notat August. loco citato. cur Ioannes venit baptizans; vt omnium nempè animos intentos faceret, ad cogitandum Domini aduentum. Iudæi ergo nõ ita perfectè scripturas de futuris mysterijs intelligentes, hunc baptismum prædictum, aut per Christum, aut per vnum eorum, quos cum Christo venturos sperabant, ministrandum existimabant: cum autem ex Ioanne audissent, nec Christum ipsum esse, neque Heliam, neque Prophetam, argumentum in sinu landi se habuisse arbitrati sunt, dicentes: cur ergo baptizas, si non es vllus horum trium? quasi dicerent: hæctenus nemini vnquam sic baptizare licuit: Baptismus enim tempore Messie futurus, aut per ipsum, aut per alterum illorum, qui venturi sunt, ministrandus est, te autem nullum eorum affirmasti, cur ergo baptizas? Ex his comprobatur, quod superius diximus, nimirum hoc in loco Prophetam, non significare Prophetam in vniuersum, nec etiam vnum ex præteritis tantum, sed illum eundem quem isti putabant promissum, Deuterono. 18. tempore Christi venturum, siue existimauerint eum ex prioribus suscitandum,

A siue alium aliquem denuo futurum. Nam si tantum locuti essent de Propheta aliquo antiquo, non consisterent hæc verba, quia nulli eorum licuit sic baptizare: quando enim dicunt, si non es Propheta, quid baptizas? significant si Propheta esset, licuisset baptizare. at non hoc de quouis Propheta etiam ex prioribus sentiebant: sciebant enim nec Isaiã, nec Hieremiã, nec vlli id vnquam licuisse: loquebantur ergo de Propheta venturo cum Christo, & Helia, ob id cum Helia Prophetam coniunxerunt. hic est verborum sensus legitimus: ex quo sequitur etiam intelligentia illius sententiæ Matthæ. 21. dixit enim Dominus. Baptismus Ioannis erat è cælo. an ex hominibus? quasi diceret, licebat illi baptizare, an non erat inuentum proprium, an Dei mandatum? non sunt autem respondere Iudæi: negare enim, quod de cælo sit, non audebant propter turbas: concedere autem noluerunt, ne statim conuincerentur illum esse verum præcursores Messie, qui per aquæ veniebat baptismum, & consequenter eum Christum esse demonstrabat. Isti enim Iudæi quamuis nescirent baptismi differentiam, & errarent non cognoscentes, quis præcursor venturus esset, tamen rectè sentiebant, credentes præcursores futurum, & aduentum Christi per aquæ baptismum dignoscendum.

Mat. 21.

Baptismus
Ioannis non
secundũ, sed
supra legem
erat.

Respondit eis Ioannes, dicens, ego baptizo vos in aqua.

COMMENTARIVS.

IOANNES causam reddit sui baptismi *Ego, inquit, baptizo vos aqua medius autem vestrum stetit, &c* id est, baptizo, quia præcursor sum Christi, qui inter vos est, nescitis eum; ipse autem est, qui venturus est. ac si clarius dixisset; rectè cogitatis baptismum futurum tempore Christi, & ad eum & eius præcursores tantum pertinere; sed non est quod me accusetis; quia si baptizo, Christus iam adest, & hunc ego præcurro, & ostendo vobis, & ipse est, qui venturus est. idem est sensus cum verbis sequentis testimonij, (vt manifestetur in I. 4. 1.) Irahel, propterea veni ego in aqua baptizans) dicit autem baptizo vos aqua, vt insinuet differentiam sui baptismi à baptismo Christi: quasi diceret, meus baptismus in aqua sola est, nec efficaciam purificandi animam habet: sed præuenit, & prænunciat illum Christi baptismum, qui erit in Spiritu sancto, qui purificabit & sanctificabit animas: non tamen adijcit illam sententiam, quã aliàs protulit; ille vos baptizabit in spiritu sancto, vt alij Euangelistæ narant: quia non ex professo assignare volebat discrimen baptismi sui, à baptismo Christi, sed causam solum reddere, quare, cum non esset neque Helias, neque Propheta, baptizaret: ad quam quæstionem sufficienter responderet; Baptizo vos aqua, quia ecce iam Christus adest, cuius sum præcursor, vos autem baptismum existimastis ad solum Christum, aut eius præcursores pertinere. dum autem dicit, *in aqua*, insinuat Baptismum Christi, qui est in Spiritu sancto sibi non vsurpare; sed solum in aqua, quia præcursor est, baptizare. ac si diceret; baptizo, quia præcursor sum, & ideo in aqua sola, nec baptismum Christi, qui est in spiritu, mihi vsurpo.

ANO

ANNOTATIO LXIII.

NON est sensus superiorum verborum, quæ aliqui putant, quod Ioannes scilicet respondeat ad accusationem: quare baptizas, si non es Christus, neque Helias, neque Propheta? sitque sensus, meus baptismus in aqua est sola, nõ aut in Spiritu sancto. Nam per hanc responsionem non satisfacere accusationi, quia nec hoc modo baptismum vlli licere, nisi Christo, aut præcursori, Iudæi putabant: nec in hoc errabant: sed est sensus, ille quem explicuimus in commentario: Hac enim de causa non adiecit sententiam illam quam ipse prius protulerat, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, vt dictum est, sed dixit, medius vestrum stetit, quem vos nescitis, ille est, qui venturus est. iuxta illorum expositionem dicendum erat, ille est, qui baptizat in aqua, & Spiritu sancto: at non dicit, nisi eum esse, qui venturus est, & eum esse Messiam, significans se esse præcursores, ideoque baptizare. Sciendum præterea Ioannis baptismum non fuisse secundum legem, quia talis baptismus nullatenus in lege continebatur, tamen non sequitur fuisse contra legem, sed supra legem, eo quod à Deo ordinatus est, quod ipsemet paulo inferius testatur, dicens: qui misit me baptizare, ille mihi dixit, propterea nulli vnquam licuit baptizare, nisi ei, qui Dei mandatum habuit, quale habuit Ioannes, qui præcursor erat Christi, & suo baptismo ad Christi disponebat baptismum. Ea etiam de causa Dominus Matth. 21. proposuit Iudæis interrogationem, *Matth. 21.* an baptismus Ioannis esset ex hominibus, an de cælo: non dixit, an ex lege, quia certa res erat, non esse secundum legem, sed ex particulari Dei mandato. ob id isti Legati opponunt cur baptizaret, cum non esset de numero eorum quibus isti estimabant licere baptizare, propter prophetiam baptismi futuri Christi. Ioannes autem respondet se esse præcursores, iuxta prophetiam Isaiæ, quamuis non sit Helias, neque ille Propheta: ille enim textu Isaiæ eos erroris conuicerat, probans futurum vnum, qui vox clamantis esset in deserto. vnde rectè Iustinus Mar. in explicat. quæstion. genti. responsi. 37. Baptismus Ioannis non dixit esse secundum, nec contra, sed supra legem. Basil. hõ. 2. in Psalm. 28. notat baptismum Ioannis prophetatum esse à Dauide, in illo verbo, *Vox Domini sup aquas*, tamen nõ est hoc omnino certum. Alij enim graues, & antiqui Doctores aliter eum explicant locum: multa dici possent, de differentia baptismi Ioannis, à baptismo Christi, & de ratione vtriusque, sed opportuniorem hæc exigunt locum, & ideo ab illis abstineo.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.

COMMENTARIVS.

VERBA hæc superioribus, vt diximus, connexa sunt, quasi in his explicetur causa, cur baptizet: sitque sensus causalis, ac si dicat; quia iam est inter vos Christus, quem ego vt præcursor ostendi, & ostendo, *Medius, inquit, vestrum stetit*, Græcè legitur in presenti stat: & sic legunt Ambrosius enarrat. Psalm. 47. & Hieron. cap. 34. Ezechiel. & Cypri. lib. 2. contra Iud. cap. 19. id est, inter vos est, conuersatur vobiscum, vt vnus ex vobis, non est in loco abscondito, nõ viuit ab hominibus separatus, vobiscum agit. Isaiæ 12. dicitur, Magnus in medio tui sanctus Israel, & ipse est Christus, ipse est Messias, & vos. cum vobiscum agat, & inter vos sit, nescitis eum, adhuc non agnoscitis, & tamen ipse est, *Qui post me venturus est qui ante me factus est*: id est, ipse est, cuius ego sum præcursor; hoc est dicere, post me venturus est, & qui mihi prælatus, & ante positus est, siue, quo ego sum multo inferior, quia ipse est Christus. Verba hæc superius explanauimus. illud verbum, *Nescitis vos*, habet quandam tacitam reprehensionem. iam enim Ioannes Christum baptizauerat, iamque de eo testimonium perhibuerat: quasi diceret inter vos est, & vos non vultis eum recipere, nec eum Christum agnoscere, & tamen ipse est, cuius ego sum præcursor, ipse est, quo ego sum inferior, quippe qui Christus verus est.

Cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.

n. 27.

QUANTO magis à legatis Iudæorum elatus fuerat, dũ Christus reputatus est, tanto se magis deprimat Ioannes; ob id dixit, ante me factus est, ille mihi est antepositus, me est superior: & ne ex collatione ista exigui reputare

tur excessus, adiunxit, adeo me superat & excedit, ut nec eius seruus ego esse dignus sim: maior est inter me & ipsum excessus, quam inter dominos temporales, & eorundem seruos, quando quidem ego nec minimus seruus, qui eius solam calceamenta, esse mereor. Egregia conclusione Ioannes responsum suum concludit, si principio interrogationis conferatur. Legati enim primo quaerunt, an sit Christus, ille concludit; nec dignus sum soluere calceamenta eius. Hic est verborum sensus.

ANNOTATIO LXIV.

Omnes Euangelistae diuersis tamē verbis hanc eandem referunt sententiam.

ADVERTENDVM autem est, alios tres Euangelistas huius sententiae meminisse, Matth. 3. Cuius inquit, non sum dignus calceamenta portare. Marc. 1. Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Luc. 3. Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, in quibus Euangelistis aliqua diuersitas, & inter se, & a Ioanne apparet: Ioannes enim vsus est numero singulari calceamenti, alij tres plurali. Praeterea Matthaeus dixit, calceamenta portare, at alij duo: & Ioanes soluere corrigiam. Praeterea Marcus addidit, procumbens soluere alij omiserunt: & secundum Graecum textum apparet alia etiam diuersitas. nam tres Euangelistae dixerunt *ἐγὼ οὐκ εἰμι* id est, non sum idoneus, & sufficiens. vnde Cypr. lib. 1. contra Iudeos, ca. 12. citans Matth. verba, legit non sum idoneus. Ioannes dixit solum *ἐγὼ οὐκ εἰμι*, id est, non sum dignus, & sic Cypria. lib. 2. cont. Iud. cap. 19. citans Ioannem legit, non sum dignus. Tamen nulla est contradictio, quia quod vnus omittit, alter solet narrare, & differentia numeri parum refert: solet enim numerus pro numero poni: tamen rei veritas haec est, hanc, quam refert Ioannes, non esse eandem historiam cum ea, quam alij narrant. Ioannes enim Baptista hanc sententiam non semel dixit, sed aliquoties repetijt, & dum praedicabat, & dum legatis hisce respondit: vnde fieri potuit, ut non semper eisdem vteretur verbis, sed aliquantulum immutatis, vt referunt Euangelistae: sensus tamen idem est. est enim figuralis modus loquendi, quo se multo inferiorem Christo manifestat. Hanc sententiam variè sacri doctores exponunt. Clemens Alex. lib. 5. Stromat. duas adhibet interpretationes. Vna est, qua ad Baptismum refert, ut sit sensus, non sum dignus tantam baptizare potestatem, nempe Christum. Vocat autem soluere corrigiam calceamenti eius, quia qui baptizat, animam exsoluit à peccatis, vt pedem à calceo: sed haec extorta valde apparet expositio. nihil enim de baptismo agitur, & licet ageretur, baptismus Ioannis non soluebat à peccatis; & quamuis solueret, Christus non habebat peccatum, ut dici posset soluere corrigiam calceamenti eius. Altera eius expositio magis est propria erat enim, ut ipse dicit, Christus in Prophetis absconditus, & in symbolis, & figuris contentus, vt pes in calceamenti conclusus, at Ioannes ipsum aperte indicat, & remotis vmbriis ostendit, soluere ergo corrigiam calceamenti eius est, Christum aperte, & disertè demonstrare, quo officio Ioannes se vocat indignum. Gregorius Nazianzenus, in oratione in sancta lumina,

Alter exponit, ut per calceamentum, eius incarnatio, & carnis assumptio, per corrigiam verò minora mysteria eius incarnationis intelligantur, sitque sensus: non sum dignus, nec valeo vel minima incarnationis eius explicare mysteria. Ambro. lib. de instit. virginis, cap. 14. paulo aliter interpretatur, ut per corrigiam calceamenti, totum mysterium incarnationis intelligat, sitque sensus mysterium incarnationis eius augustinus humanitatis, & inopis sermonis vilitate, comprehendere non possum. Grego. hom. 7. in Euang. duas adhibet expositiones. Vna est, ut per calceamentum humanitatem intelligat Verbi, soluere autem corrigiam calceamenti, sit mysterium incarnationis explicare, & comprehendere, sitque sensus Quid mirum, si ille mihi praelatus est, quem post me quidem natum considero, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo? haec expositio est eadem cum expositione Ambro. Alteram adhibet Grego. quae est etiam Ambr. lib. 3. de fid. cap. 5. vt alludat ad illud Ruth. 4. quando aliquis moriebatur sine liberis, qui magis illi consanguinitate proximus erat, loco defuncti accipiebat eius uxorem, ut suscitaret semen fratris sui: at quando erat alter minus proximus, eique prior, cui de iure incumbere, cedere volebat, ut ipsam assumeret in uxorem, soluebat sibi calceamentum, & dabat accipienti in uxorem. Cum ergo Christus sit sponsus Ecclesiae, non Ioannes, nec vllus alius; ob id nemo calceamentum Christi soluit, quia id esset, sponsum se Ecclesiae facere. Ioan. 3. qui habet sponam, sponsus est: Ioannes sponsus non est, propterea ipse dicit, non sum dignus soluere calceamenti corrigiam: ac si dicat: Ego Christi vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritò non vsurpo. Sed hoc non videtur rectè accommodari; nam qui nolebat uxorem, ipse sibi calceamentum soluebat, & dabat minus proximo accipienti eam: & si Ioannes sponsam sibi assumeret, non erat ipsius Christi calceamentum soluere; sed à Christo solutum accipere. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 6. aliter exponit, ut sit figuralis loquendi modus, significans se indignum, ut vel seruus eius sit. vnde Chrysost. ho. 11. in Matthaeum dicit; Quia dictum erat mihi praelatus est; ne ex comparatione paruus videretur excessus, subdit; non sum dignus & cetera. id est, adeo sum eo inferior, ut nec ei seruire, vel in infimis sim dignus: quod nos secuti sumus in commentario, & quantum ad praecipuum intentum, omnes expositiones conueniunt. per haec enim Ioannes ref-

Rub. 4.

nes respondet, se tantum abesse, ut Christus sit, ut nec eius praecursor esse sit dignus. Humilis quidem, sed vera confessio, ut dicit Cyril. quis enim hominum dignus esse potuit, si dignitatem omnimodam, & absolutam consideres, vni genitum Dei filium omnium creatorem digno signare, & praecursor eius fieri?

ANNOTATIO LXV.

An Christus Dominus vsus sit calceis.

RECENTIORIBVS quibusdam Christum nudipedem fuisse affirmantibus, locus hic negotium facessere videtur, quia dictum est, dignus non sum calceamenti eius soluere corrigiam: nec eorum solutiones satisfacere arbitror: quarum vna est; Ioannem, quando hoc pronunciauit, non nouisse Christum de facie, quia nondum viderat, propterea arbitratum esse calceamenta portare: quae responsio idem significat, ac si clarius diceret; deceptum esse Ioannem: quae profectò rem non auderem ego affirmare. Vbi enim testimonium tantae veritatis perhibetur, vel vnum minimum falsum magnum esse fidei, & veritatis illius detrimentum. Dicit enim ei poterat, quomodo Christum esse scis, qui nec, an calceatus sit cognouisti? Altera responsio est, hunc esse modum prouerbialem loquendi ad significandum, se non esse dignum nec in vilibus officijs Christo inferuire. Neque haec responsio satisfacit, quamuis aptior sit praecedente: quamuis enim sit, seu esse possit figuralis modus loquendi, tamen re vera in tota verborum proprietate dicebatur, quia non se sentiebat dignum calceamentum soluere Christi; & vbi de veritate tanti testimonij agebatur, nihil dictum esse debuit nec per figuram, aut prouerbium, quod non etiam in re ipsa verum esset. Saltem hoc negari non potest, si modus prouerbialis loquendi est, communè hominum vsus illius temporis fuisse calceamenta corrigijs accommodata portare, aliter apud eos communis seu prouerbialis loquendi modus non esset: quòd si verum est communestunc hominibus fuisse calceos, inferri debet etiam Christum gestasse, nam vita, & conuersatio Christi in his, quae ad victum, & vestitum pertinebant, communis fuit cum alijs, ut scriptura, & sacri Patres passim ostendunt: esse autem valde nouum & singulare sine calceis tunc incedere, ex eo constat, quòd quando Dominus misit Isaiam cap. 20. ad terrendum populum, & nouum quid, ac horribile significandum, iussit eum sine calceis incedere, & in hebraeo est *ללא נעל* quod calceatum significat, & est illud idem vocabulum, quod Exod. 3. quando dictum est Moyse, ut solueret calcea-

mentum de pedibus suis, & Deuteron. 25. quando mulier tollit calceamentum de pede fratris viri sui mortui, nolentis eam accipere in uxorem, & Septuaginta verterunt graecè *συνδάλια*. Si ergo magnum portentum erat, sine calceis incedere, profectò Christus calceatus erat, qui in exterioribus vitam communem agebat. Adde quod multa itinera Christus confecit praedicationis causa, quae erant aspera & montosa, & tempore hyemali & aestiuo, nec est credibile nudis incessisse pedibus, nec id decebat. Praeterea, quia Ioannes Baptista vsus est calceis, qui tamen asperrimam profitebatur vitam; si enim calceis vsus non esset, non diffimulassent Euangelistae id describere, qui vsque ad zonam pelliceam, eius vestitum descripserunt. Adde discipulos, & Apostolos vsus esse calceis, quod patet Act. 12. vbi nos legimus dictum Petro ab Angelo: calcea te caligas, legitur Graecè *συνδάλια*, quae, uti diximus paulò ante, pro calceis vertunt in veteri testamento Septuaginta interpretes ac si dictum esset, calcea te calceos tuos, & quamuis Hierony. dicat significare graecè caligas, tamen Euthym. & alij Graeci auctores calceos significare tradunt, non quoscunque, sed eos, qui non totum operiunt pedem, sed supernam partem relinquunt apertam: & in antiquissimis, & authenticis picturis, Apostolos & Christum esse depictos cum huiusmodi calceis videmus; quamuis si caligas habuit, satis ex eo colligitur etiam calceos habuisse. quis enim caligis sine calceis vtitur? August. etiam lib. 2. de consen. Euang. ca. 30. Apostolos non integros calceos, sed sandalia gestasse affirmat. idem dicit Beda Marc. 6. vbi ipse Euangelista refert Apostolos esse sandalijs calceatos: quòd si Matth. 10. iubentur ire sine calceamentis, oportet intelligere iuxta verbum Marci cum sandalijs, sed sine calceis, qui totum cooperiunt pedem. Tertull. Christianos sui temporis his vsos esse affirmat, non autem calceis, qui totum operiunt pedem. & probabile est tempore Christi horum vsus communem fuisse. Scio Hieronymum in epist. ad Eustoch. de custodia Virgin. Christum calceos habuisse negare, tamen mihi propter rationes dictas contraria opinio videtur probabilior: nec sine mysterio vsus est Christus sandalijs, non autem calceis. Nam hoc calceamento eius humanitatem superius diximus significari, in qua diuinitas partim aperta, partim occulta erat: humanitatis operibus velut calceamenti eam velabat, sed diuinis miraculis manifestabat.

Matth. 10. Marc. 6. Christus sandalijs vsus est.

Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

COMMENTARIVS.

CVM esset in signe, & admodum solemne testimonium hoc Ioannis, locus vbi factum sit describitur. Locus autem est Bethania, locus quidem trans Iordanem, vbi Ioannes ad se venientes populos baptizabat: quae etiam

de causa Euāgelista meminit loci, vt testimonium hoc omnibus publicum fuisse ostenderet. Locus enim ille erat publicus, vbi erat Iordanis transitus.

ANNOTATIO LXVI.

An sit legen-
dū Bethania,
an verò cum
alijs Betha-
bara?

ORIGEN. tom. 2. asserit omnia antiqua exemplaria habere Bethaniam, tamen esse mendosum locum, legendumque Bethabaram. Chrysof. homil. 16. idem notat, dicens Bethaniam non esse trans Iordanem, sed propè Hierusalem quindecim distans stadijs, at Bethabaram urbem esse trans Iordanem; hæc erat in tribu Benjamin, cuius fit mentio Iosu. 18. Hieron. lib. de locis hebraicis habet Bethabaram esse sitam trans Iordanem, vbi Ioannes Baptista baptizabat, & Christus ab eo baptizatus est: refertque tempore suo eos, qui baptizari volebant, religionis causa eo in loco baptismum suscipere. hæc sententia confirmatur ex antiquis scriptoribus, qui vnam tantum Bethaniam, & eam propè Hierusalem commemorant. Epiphanius hæc. 51. legit in Bethabara; dicit tamen in alijs exemplaribus legi in Bethania. Moderni sequuntur hanc sententiam, & legendum existimant non Bethaniam, sed Bethabaram, & aliqui eorum notant Iudæos reuertentes de Aegypto hac via & loco transisse Iordanem. in quo mysterium est aduertendū. Vbi enim consecratus est baptismus noster, eo loci sicis pedibus hinc inde aquis consistentibus transfierunt mirabiliter Iudæi, nostrum in hoc figurantes baptismum. Alijs modernis hoc non placet, sed duas affirmant Bethanias, vnam propè Hierusalem, alteram quæ sit trans Iordanem; sed opinio nullo solido consistit fundamento. Certum enim est, non esse nisi vnicam Bethaniam, sicut certum etiam est, Bethabaram esse locum, vbi Ioannes baptizabat, quæ erat trans Iordanem, & propè fluuium, quo loco erat transitus ipsius fluuij; Non est tamen parui faciendum, quod etiam antiqui Doctores confitentur, omnia exemplaria habere Bethaniam tam Græca, quàm Latina: & ita legit Cyrill. nec mihi credibile, aut probabile videtur, mendosum esse locum, qui tanta antiquitate, & tot exemplarium conformitate re-

ceptus est: vt igitur ab hac antiquitate & communitate non recedamus, & ex alia etiam parte non fingamus, nec multiplicemus loca, quæ non sunt, dico esse legendum Bethaniam; tamè hæc Bethania non est illa, quæ est propè Hierusalem, sed est eadem, quæ Bethabara, tota obscuritas ex Græco, & Latino sermone procedit, quæ non semper eam literarum distinctionem habet, quæ est apud Hebræos. Bethania, quæ est propè Hierusalem, scribitur cum Βαι, at Bethania hæc scribitur cum Βαλεφ, & significat idem, quod domus nauis, id est, locus, vbi nauicula est, qua transitur flumen, quod idem est, ac Bethabara, id est domus transitus: nisi velis Bethaniam significare illum locum, vbi propè fluuium erat nauis. & nauta habitabat, prout fieri solet, quæ erat propè Bethabaram urbem, & vocabatur Bethania cum Βαλεφ, id est, domus nauis, Latine autem & Græcè, ex defectu literarum vtranque scribunt cum alpha, & inde ambiguitas processit. Simile quid habetur Matth. 1. vbi dicitur, genuit Ieconiam, Ieconias autem genuit; idem videtur vterque Ieconias Latine & Græcè; tamen notat ibi Hieronymus esse distinctos, & in hebræo distinctis scribi literis, vnum cum י & ב in vltimo; alterum cum י & י ita nunc in præfenti accidit, & Euangelista voluit non Bethabaram, sed locum ipsum immediatum, & proprium describere, vbi gesta sunt hæc: erat enim extra urbem in loco illo Iordani proximo, vbi erat domus nauiculae transitus, & puto esse hunc legitimum sensum & lectionem. Nec obstat, quod posset aliquis obijcere, apud hebræos, ינן non significare nisi nauem magnam & maritimam, quia re vera non ita est: nam etiam paruam, & fluuialem significat. Isa. 33. Non transibit per eam nauis remigum, vbi paraphrasis Caldæa exponit, nauim piscatoriam & de tali ibi est sermo.

Idem est hoc
loco Betha-
nia & Betha-
bara?

Matth. 3.

Alter die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait.

COMMENTARIUS.

TERTIVM testimonium Ioannis refert Euāgelista, cuius tres annotat circumstantias, duas expressè, vnam tacitè: quæ tacitè insinuat, est, Ioannem sponte, & non interrogatum hoc perhibuisse testimonium, in quo à præcedenti differt, quod à legatis Iudæorum interrogatus illud perhibuit; circumstantia vna de expressis est tempus, quando hoc testimonium redditum est. *Alter die*, inquit, *die* Græcè magis exprimitur significatio ἑξ ἁπλως quasi postridie, die sequenti post diem, quo præcedens perhibuit testimonium. Altera circumstantia est, tunc Dominum venisse ad Ioannem, quem Ioannes videns testimonium perhibet de illo. Græcè in præfenti est, *videt*; Venit autem Dominus ad Ioannem, adhuc in loco, vbi solebat baptizare, manentè. Venit autem, vt occasionem perhibendi testimonium hoc Ioanni offerret, quod quidem post baptismum susceptum & eius à deserto regressum factum est.

ANNO-

ANNOTATIO LXVII.

Per diem al-
terum, se que-
tem diem si-
gnificari hoc
loco.

NON VLLI illud, quod dicitur *altera die* amplè dictum intelligunt, vt significetur die quodam post præcedens testimonium factum; quia illud ante baptismum, quod autem modò narratur, post baptismum factum esse existimant: vnde inter hoc, & illud testimonium multi dies intercesserunt: nam vt habetur Marc. 1. Statim à baptismo ductus est in desertum, vbi per dies quadraginta mansit. hoc quidem dici probabiliter potest: sed multò probabilius est etiam, post baptismum superius testimonium perhibuisse ante regressum à deserto; absens erat Christus, quando Ioannes le-

gatis Iudæorum respondit: erat enim in deserto, quo se post baptismum receperat; inde autem reuersus ad Ioannem venit, tuncque hoc redditum est testimonium; & sic in sua propria significatione vox interpretanda est *altera die* nempe à die, quando superius testimonium est perhibitum. in his enim quorum ratio certa statui non potest, securus verborum proprietas conseruatur, à qua non est recedendum, nisi graui ratione in contrarium vrgente, quæ in hac re non reperitur.

(··)

Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

COMMENTARIUS.

BAPTIZARAT Ioannes Christum; ne autem, vt cæteris, baptismum ei esse collatum populus existimaret, testimonio hoc eam omnino tollit suspicionem, cum mundi peccata eum tollere testetur. Vox *ecce* determinatam & distinctam indicat personam, de qua perhibet testimonium: quasi diceret, sæpè vobis dixi, post me venit, medius vestrum stat &c. nunc, qui sit iste, vobis digito demonstro, *ecce*. his verbis insinuat Ioannes Christum sua morte mundum à peccato liberaturum; agnum enim vocans, sacrificium mortis eius prænuñciauit, vt rectè Origen. homilia vigesima quarta in Numeros, & Chrysofomus homilia trigesima septima in Matthæum dixerunt: estque cum articulo, ecce agnus ille, cuius vnus sacrificio mundus à peccato purgatur. Agnum etiam illum dicens, insinuat Christum figuratum in lege; agni enim sanguine aspersi sunt postes Iudæorum in Aegypto, ne ab Angelo percutiente paruuli eorum occiderentur. Agnus etiam Paschalis quotannis magna pompa offerebatur. Agnus in super singulis diebus manè, & vesperè in templo sacrificabatur. Agnum præterea illum appellas, eum esse, quem Prophetæ prædixerunt, insinuat. Isaie quinquagesimo tertio: Tanquam agnus coram tondente se obmutuit; & Ieremiæ vndecimo: Ego tanquam agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: quasi diceret: ecce agnus ille in lege figuratus, & à Prophetis prænuñciatus. Agnum illum tandem vocans, eius innocentiam, & candorem significat, qui nullius peccati maculam habens, mundi maculas abluit. Hebræorum septimo: Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Græcè semel legitur *ecce*, in principio. *ecce agnus ille tollens peccatum mundi*, mundi peccata tollere dicitur; quia sanguine ipsius nostrorum peccatorum maculae deletæ & mundatæ sunt; sicut medicamento adhibito tolluntur morbi. Dum autem *mundi peccatum* dicit, non Iudæorum tantum, sed omnium hominum peccata significantur auferri, iuxta illud, 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Quod autem in singulari dicitur, *peccatum*, non minuit significationem, sed potius auget: nam tota species rei significatæ singulari numero exprimitur: sicut quando dicimus, lactuca frigida est, non hanc, aut illam, sed totam speciem significamus: dicens autem, ecce agnus ille tollens peccatum mundi, tacitè insinuat sacrificiorum omnium antiquorum insufficienciam, & inefficaciam, quæ peccata tollere non valebant. hic agnus est, qui verè tollit: quibus verbis Christum sua morte to-

Quare Ioan-
nes agnum
Dei Christum
appelles.

Isa. 53.
Ierem. 11.

1. Ioan. 2.

tius

tius mundi redemptorem esse prædicat, sicut figuratum in lege, & per Prophetas prædictum erat.

A N N O T A T I O L X I I X .

DIVERSE huic loci lecti-
ones nihil mi-
nuunt de ve-
ritate sensus.
DVBIUM non est, Græca exemplaria varia
fuisse; nam Chrysof. hom. 16. legit in plu-
rali peccata: Theoph. autem in singulari. Augu-
lib. 12. cont. Faust. cap. 30. & Ambros. lib. 3. de fi-
de, cap. 5. legunt in singulari. Orige. verò hom.
24. in Num. legit in plurali. Cypr. lib. de dupli-
ci martyr. legit in singulari. at libr. 2. cont. Iud.
ca. 15 & lib. de baptif. legit in plurali. hæc vari-
etas nihil mutat de sensu. Christi passio medi-
cina fuit, & propitiatio sufficientissima ad
mundi tollenda peccata; quorum autem non
tolluntur, ipsorum est defectus, quia sibi non
applicat medicinam; nec enim virtus medica-
menti minor est, si non applicata infirmo,
morbum non tollit. verbū. tollit seu tollens, quod
in præsentis est, perpetuam virtutem Christi
vsque in mundi finem tollentis peccata signi-
ficat, vt ait Origen. in hoc loco. nam præsentis
verbi tempore perpetuas rerum naturas, & in
deficientes earū virtutes exprimimus, vt cum
dicimus, ignis calefacit, aqua humectat, reubar-
barum purgat cholera, quod adnotauit Chryf.
homil. 17. in Ioan. quanquam & aliam esse cau-
sam existimo, nempe vt aduentum Christi ad
redemptionem mundi, in ipsius sanguine ad ef-

se insinuaret: quasi diceret; ecce, Agnus est iam
præfens, qui venit ad mundi peccata tollenda:
si enim diceret, tollet de futuro, non exprime-
ret hoc ne, an futuro aduentu id esset facturum.
Quare autem Agnus dictus sit, explicuimus in
commentario. Adde quod Clem. Alexan. lib. 1.
pædago. ca. 5. annotauit, agnum esse dictum, vt
significet Christum in omnibus assimilatum
nobis, qui etiam infans & puer factus est; pue-
ros enim agnos vocamus. Verba Clemen. hæc
sunt; Quoniam scriptura pueros & infantes
agnos vocat, Deū, qui est Verbum, qui propter
nos homo factus est, qui nobis in omnibus affi-
milari volebat, vocauit agnum Dei, filium
Dei, infantem patris: hæc Clem. In hac exposi-
tione illud placet, agnum dici Dei, vt signifi-
cetur filius Dei esse, agnus enim filium notat; sic-
ut Genes. 49. Catulus leonis dicitur, vt filius si-
gnificetur Dei, quod multi antiqui aduerterūt;
ita hic, non ouem, non bouem, sed agnum vo-
cat, vt hominem hunc filium Dei, non Patrem,
non Spiritum sanctum insinuet. Illud autem
verbum (infantem patris) latinè improprie di-
citur. æqualis enim Patri non rectè dicitur in-
fans Patris, vt Deus est.

Quare Chri-
stus dicitur si-
agnus ex Cle-
men. Alex.

Genes. 49.

Christum in
scripturis
appellatum.

2. Cor. 11.

A N N O T A T I O L X I X .

AMROS. lib. 3. de fid. cap. 5. laborat multum
contra Arrian. in reddenda ratione, cur
modo vocetur vir, & paulò superius in simili-
bus verbis non dicitur sit, nisi qui post me ven-
turus est; respondet id factum, quia illic iam
dictum erat, Verbum caro factum est, & ex præ-
cedentibus de incarnato Verbo dici; post me ve-
nit, constabat: at quia in præsentis non id præ-
cesserat, vt de verbo, ratione carnis dictū esse,

post me venit, intelligeretur; adiuncta est vox hæc
vir, sed responsio non satisfacit. nam si hæc
verba essent Euangelistæ, rectè id responderetur,
at sunt Baptistæ, & vt talia recitantur ab
Euangelistæ; quando autem dicta sunt, à Bap-
tista, absolutè dicta sunt, & non præcessit ver-
bum illud, Verbum caro factum est. hæc enim,
quæ dicit Ambros. ad contextum narrationis
pertinent, nisi velit à Baptista semper adiun-
ctam

Etam esse vocem illam, sed ab Euangelista se-
mel ommissam, semel appositam ob prædictam
causam. Sed siue apponatur, siue non, nihil ex
hoc loco habent Arriani contra nos, imò ipsi
conuincuntur verbo illo quia prior me erat, quo
eius diuinitas manifestatur.

*Et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea
veni ego in aqua baptizans.*

NE quis forsan obijceret Ioanni, quomodo illum, quem ostēderat, Chri-
stum esse sciret, quare ratione de eo tantum testimonium perhiberet;
totius rei seriem, & quo gesta sit modo, enarrat; ego, inquit, nesciebam eum, ne-
pè à principio, quando eram in deserto, & nondum aliquem baptizaueram.
Propterea autem veni baptizare, vt ille manifestaretur populo. meus enim
baptismus in aqua ad hunc finem dirigebatur, vt ille populo Israel notus fie-
ret. Non dicit, vt manifestarem eum, sed vt manifestaretur: nam non solum
testimonio Ioannis, sed voce etiam Patris, & operibus diuinitatis suæ Chri-
stus est manifestatus. Illa coniunctio *Et* communem facit causam cum po-
pulo Israel: ac si diceret; etiam ego, sicut & populus Israel, nesciebamus hunc
esse Christum, sed ego solus missus sum baptizare, vt manifestaretur popu-
lo. Dicit, *veni in aqua baptizans*; ac si diceret; non ego veni, vt peccata meo ba-
ptismo tollerem, sed vt ipsum tollentem peccata, meo baptismo notum fa-
cerem. prudenter dicit *nesciebam eum*: sicut etiam prudentissimè Deus Ioan-
nem testimonium perhibiturum Christo, vitam egisse solitariam, & remo-
tam ab omni humana conuersatione disposuit; ne quis humano affectui te-
stimonium hoc tribueret, maxime quia Christus illi secundum carnē con-
iunctus erat: propterea dicit, & repetit iterum *nesciebam eum*, id est, ego nec no-
ueram eum, ne me humano affectu ductum esse existimetis. Quando dicit
Ioannes *nesciebam eum*: non omnimodam ignorationem significat: sciebat
enim Christum esse natum, & inter homines degere: in vtero enim existens
agnouerat, quod quidem etiam in his verbis insinuatur: si enim venit bap-
tizare, vt Christus manifestaretur in Israel, sciebat ergo Christum iam adesse:
sed significat ignorationem determinatam. sicut scimus esse Regem, ante-
quam videamus, tamen cum nondum vidimus, dicimur nescire, quia quis
sit, determinatè & distinctè non nouimus. sicut quando 1. Reg. 16. missus est
Samuel à Deo ad vngendum in Regem vnum ex filiis Isai, sciebat quidem v-
num eorum vngendum, tamen nesciebat quis esset illorum, donec à Deo si-
gnum accepit; ita & Ioannes, quando egressus est de deserto; & baptizare in-
cepit; sciebat Christum esse inter homines, sciebat se venire, vt per baptismū
suum Christum manifestaret: tamen tunc nesciebat, quis esset in particu-
lari. hinc factum est, vt, antequam Christum in particulari agnosceret, quia ip-
sum iam venisse, & ipsum met suo baptismo notum futurum nouerat, sæ-
pe de ipso testimonium perhibuerit, dicendo, qui post me venit, seu ventu-
rus est, & cæt. attende, quando dicitur *nesciebam eum*, restringendum hoc est,
nempe tunc, quando baptizare primum venit: postea enim nouit. etiam an-
te signum à Deo datum. Percontabitur aliquis qua ratione suo baptismo di-
citur Ioannes manifestasse Christum? Respondeo quadrupliciter id accidisse.
Vno modo, quia Christus, dum à Ioanne baptizatur manifestatur à Patre;
hic est filius meus. Altero modo, vt nouitate baptismi Ioannis, Iudæi com-
moti tempus aduentus inminens Christi, & aquam iam illam adesse, qua
iuxta Ezech. 36. mundandi erant ab omnibus inquinamentis, & peccatis
suis, intelligerent. Tertio, vt populus per poenitentiam in baptismo prædi-
catam disponderetur; vt remoto impedimento peccatorum, Christum faci-
lius annunciatum reciperet. Quarto, Chrysof. hom. 16. vt ratione baptismi
maior fieret concursus ad Ioannem, & hac ratione eius testimonium esset
manifestius.

1. Reg. 16.

Quatuor mo-
di baptis-
Ioannis ma-
nifestatum est
Christum.

Et testi-

Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: quia vidi spiritum descendentem, quasi columbam de caelo, & mansit super eum.

PROSEQVITVR Ioanes suam narrationem; nesciebam, inquit, eum; veni ramē baptizare, vt is manifestaretur populo; in baptismo autem vidi spiritum descendentem, quasi columbam de caelo, & mansit super eum. nesciebam ego primò eum, postea missus sum baptizare, vt meo baptismo notus fieret, tandem vidi super eum spiritum descendentem in specie columbæ. Obscurum faciunt hunc contextum verba Euangelistę interposita, & testimonium perhibuit, est tamen hebraismus, mutans personas in vnico contextu. ita legimus Marc. 4. aliud, inquit, cecidit in terram bonam, & dabat fructum, &c. postea adiunxit, & dicebat, qui habet aures audiendi, audiat. sensus tamen idem est: perinde ac si non mutata persona diceret, vt manifestaretur in Israel, ego veni in aqua baptizans, & vidi spiritum descendentem, &c. hunc descensum spiritus in specie columbæ vidit Ioannes, quando Christum baptizauit, vt constat ex Matth. 3.

Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

POSSET aliquis obijcere, vidisti quidem spiritum descendentem in specie columbæ super eum, sed vnde habes illud esse signum Christi, qui venturus erat, vt tu testimonium de eo perhibeas? respondet Ioannes, & complet totam suam enarrationē, ego nesciebam eum, id est, quando ego veni baptizare, nesciebam; Deus autem qui misit me, hoc tunc mihi signum dedit, super quem, inquit, videris spiritum descendentem, & manentem, scito illum esse, qui baptizabit in Spiritu sancto, non in aqua tantum, vt tu: id est, illum esse Christum & Messiam, qui manifestandus est populo. non igitur extra rem dixi vobis me vidisse spiritum descendentem vt columbam, & manentem super eum; quia hoc est signum à Deo mihi datum, vt eum distinctè, & determinatè agnoscerem, & populo manifestarem. Attēde verba: qui misit, inquit, me baptizare, ille mihi dixit; quasi diceret; si meo baptismo datis fidem, & cum recepistis tanquam à Deo, sciatis illum eundem à quo missus sum baptizare, mihi hoc signum dedisse: si creditis baptismo, vt credidistis, credite signo dato ab eodem: si creditis mihi baptizanti, credite mihi testificanti. Quia autem turbis prius dixerat venturum eum, qui baptizaret eos in Spiritu sancto, de Christo loquens, ob id dicit nunc, ille est, qui baptizabit in Spiritu sancto.

Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

SICVT mihi à Deo prædictum, ita impletum est: vidi enim signum, & ideo testimonium perhibui, hunc esse filium Dei, & verum Christum; non dicit, vidi, & agnoui, sed vidi, & testimonium perhibui, quia signum hoc non ad cognitionem propriam Ioanni, sed vt eum populo manifestaret præcipuè datum est. Filium Dei Christum appellat, quia Patris voce in baptismo, filius Dei vocatus est.

ANNO.

An colūba, quæ supra Christi descendit, vera colūba fuit.

SPIRITVS in sua substantia nec descendit, quia vbique est, neque visus est à Ioanne, quia oculo corporeo videri non potest, sed descendere dicitur ratione signi, quia columba signum erat Spiritus sancti, & hæc descendebat: & eadem ratione visus dicitur, sicut olim Deus videri à Prophetis dictus est ratione imaginum & figurarum, quæ Deum repræsentabant: est enim metonymia, per quam signum pro signato in locutione vsurpatur. Columbam autem, quæ signum fuit Spiritus sancti, veram & realem fuisse, oculis corporeis obiectam, tunc de nouo à Deo factam, vt inferuaret creatori; non tamen à Spiritu sancto, assumptam in unitatem personæ, sicut assumpta fuit à Verbo caro, & propterea non dici Spiritum sanctum columbam, sicuti affirmamus, Verbum esse hominem, docet, Augustinus lib. 2. de Trinitate, cap. 6. & de veritate columbæ apertius in lib. de agone Christi, cap. 22. cum enim signum esset Spiritus sancti, debuit esse res vera & existens, idem docet Chrysostomus hom. 12. super Matth. & homil. 4. in Acta: addens dictum esse, quasi columbam, non quod columba vera non esset, sed ne spiritus columba esse crederetur, ob id spiritus quasi columba descendisse dictus est. Mihi non veram columbā, & viuum animal, sed figuram columbæ fuisse probabiliter dici posse videtur: sicut & quando in veteri testamento Deus sub humana figura apparebat, non verus homo ille erat, nec etiam aliæ figuræ olim exhibitæ; nec propterea falsum erat, quod significabatur. ad significationem enim satis est vera & realis repræsentatio. erat enim ibi verum corpus, & vera figura columbæ, non est autem necessaria ipsa substantia columbæ. Non nego oppositam sententiam esse valdè probabilem. Cur autem spiritus sub specie columbæ apparuerit rectè docet Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina vt columba, inquit olim ad Arcam reuersa corporei diluuij sedati nuntium attulit; eodem modo Spiritus sanctus in columbæ specie apparens repressum esse diluuium spirituale indicat. hæc Gregorius. idem Ambros. sermone 21. Cauendum verò est à tribus hæresibus, quæ huic columbæ apparitioni nituntur. Prima est antiqua asserentium Iesum, & Christum duos esse non vnum, sed Iesum purum hominem natum ex Ioseph & Maria, Christum autem esse spiritum Dei multò ante existentem, & hunc Christum tempore baptismi descendisse in specie huius columbæ in Iesum, manifestasseque ei Patrem incognitum prius, & per illum alijs, & operatum esse in eo miracula, quæ facta sunt: at tempore passionis auolasse iterum, & solum Iesum passum esse, & retur rexisse. Hæc hæresis fuit Cherinti, vt refert Epiphanius hæres. 28. & Irenæus libr. 1. cap. 25. & eadem ferè fuit Ebion. vt refert idem Epiphanius. hæres. 30. Altera hæresis fuit Arrianorum, vt refert Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 3. hi affirmabant filium Dei incarnatum, & factum hominem, negabant tamen eum Patri consub-

Probabile est. columbā non veram, sed tantum apparentem fuisse.

Quare Spiritus sanctus sub specie columbæ apparuit.

Hæreses tres vitandæ.

stantialem, ideoque dicebant in hoc descensu accepisse nouam à Spiritu sancto perfectionem, etiam secundum naturam diuinam, contra quam hæresim disputat Athanasius orat. 2. contra Arrian. ostendens sanctificationem non esse factam in Christo secundum diuinam, sed secundum humanam naturam, quod etiam hic Cyrillus ostendit. Contra primam hæresim possent quam plurima adduci, tamen locus Ioannis sufficiat, qui manifestè illos errores conuincit. Nam iam verbum caro factum erat, cum Ioannes de eo protulit testimonium, & antequam columba descenderet, dixerat, Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Tertia hæresis est eorum, qui nostro hoc tempore exemplo columbæ putant se argumentorum efficaciam euasisse; quibus nos veritatem sacræ Eucharistiæ, & præsentiam Christi contra eos irrefragabiliter probamus: dicunt enim; ecce Spiritus sanctus vbique est, nec moueri potest, tamen quia columba est signum eius, dicitur descendere, & videri, si corpus Christi est in pane, & in signo, & ratione signi dicitur manducare. Quamuis multis ista inepta similitudo refelli posset, tamen quia alienum esset à nostro instituto in hoc multum vagari, suis verbis tantum & suomet exemplo, illos conuincamus. Si Spiritus sanctus, qui vbique est, non esset præsens in columba illa, nec descendere, nec videri diceretur; ergò sic Christi corpus manducari dicitur, & tangi in specie panis, necesse est vt præsens sit in pane illo, alioquin cibus nec esse posset, nec dici.

ANNOTATIO LXXI.

DOCTORES sacri cautè legendi sunt, dum versant & opponunt vnctionem illam, de qua Dauid Psalm. 44. loquitur, dicens: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ, quod de Christo Domino dictum est (ab hac enim mirabili vnctione Christus & Messias dictus est) docent hanc vnctionem factam in baptismo, quando Spiritus sanctus super eum descendit. ita sentiunt Athanasius orat. 2. contra Arrian. vbi hanc Psalmi prophetiam impletam in baptismo dicit, & Hilar. libr. 11. de Trinitate. Hiero. 1sa. 61. vbi citat sententiam affirmantium prædictionem illius vnctionis complendam in mundi occasu: quod videtur sensisse Origenes libr. 1. contra Celsum, tamen ipse Hieronymus tenet impletam esse in baptismo, quando Spiritus sanctus descendit in specie columbæ, & probat; quia Luc. 4. postquam est baptizatus, ingressus dicitur synagogam, & legens illud Isaiæ 61. Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, dixit; hodie impleta est hæc propheta, quæ tamen eadem videtur cum illa propheta Psalm. Cæterum Damascenus librò 4. de fide; capite 6. tenet hanc vnctionem factam in ipsa incarnatione, tuncque vnctam esse humanitatem illam diuinitate, tunc impletam omni gratia Spiritus sancti, & denique completam prophetiam

Cautè legendi sunt di Paires explicantes scripturam quo Christi vnctus fuit à Deo.

Dominus Christus in incarnatione vnctus fuit.

Iam Psalms. Idem tenet Gregorius epist. 61. lib. 9. dicens, concipi de Spiritu sancto esse illud ungi, de quo Psal. loquitur. Augustinus etiam lib. quæstion. nou. & vet. testam. cap. 49. tenet in incarnatione unctum esse, unde rectè dicit Damascenus loco citato in incarnatione sua fuisse Messiam & Christum, id est, unctum. Ista sententia vera est, & tenenda. nam omnis gratia & virtus illi communicata humanitati, ex unione verbi emanauit, nullumque accreuit postea illi donum scientiæ, aut gratiæ infusæ: sed à principio incarnationis habuit Spiritum sanctum secum manentem. Sacri autem isti Doctores sic interpretandi sunt, ut unctiōnem factam in baptismo, id est, declaratam, & ab eo tempore exerceri cœptam, significant Spiritum sanctum enim suo aduentu declarauit unctiōnem antiquam, & exercendam per doctrinam, & miraculorum manifestationem; in qua unctiōne errant Iudæi putantes dici non posse Christum, sine unctiōne sensibili. quorū errorem conuincit Hieronym. Isa. 61. probans Christos dici in scriptura ob unctiōnem spiritualem. hæc etiam ratione intelligendi sunt Doctores expendentes illud verbum *manentem*

Quid sit Spiritum sanctum manere super Christum. Hieronym. enim Ezech. 35. exponit, dici manentem spiritum super Christum, quia nunquam ab eo recedit, sed omnia opera spiritus habet, quando vult, & quomodo vult; non sic in Prophetis, quia ad tempus recedere solebat spiritus, nec semper intelligentiam prophetiæ habebant. Ambros. lib. de Arca & Noe, cap. 3. dicit spiritum ideo dici manentem in Christo, quia nunquam ab illo, sicut à nobis interdum propter peccata recedit. Grego. lib. 2. moral. cap. 28. & 29. idem cum Hierony. sentit; exponit enim de iustis, seu fidelibus, quibus aliquando spiritus datur, & dantur etiam gratiæ quas gratis datas dicimus; ut prophetare, miracula facere; & alia huiusmodi, in quibus non manet, quia non quoties volunt, talia opera faciunt; sed ad tempus pro utilitate aliorum. Obijcit sibi Greg. illud Ioan. 14. apud vos manebit & in vobis erit; & respondet spiritum manere quidem in fidelibus, tamen non sicut in Christo, tum quia in Christo manet semper, & ab eo non seungitur, quia ab illo semper procedit, tum etiam quia in eo manet quantum ad omnia dona & opera gratiarum plenissimè, quæ duo nemini conueniunt: & hanc commorationem spiritus dicit datam in signum Ioanni, ut Christum cognosceret. Omnia hæc mihi videntur intelligi debere, quantum ad significationem, ut hæc columbæ comoratio significaret Spiritum sanctum esse in Christo permanentem, non autem quod de nouo tunc descenderet inuisibiliter, quantum ad aliquod donum, sed solum in signum, sicut quando à Patre dictum est; hic est Filius meus, non tunc filius factus est, ut impiè intelligebat Faustus, referente Aug. lib. 23. cont. eundem, cap. 3. sed quod iam erat. tunc significatum est: sic in descensu isto dicimus significatum esse, quod iam erat: columbæque manens est datâ Ioanni in signum, non ipsa inuisibilis permanentia. hæc enim signum non erat, cum videri non posset.

A Dubitare posset aliquis an columba hæc, non tantum à Ioanne, sed etiam à Iudæis visa sit; quia Matth. 3. dicitur; Aperti sunt cœli, & vidit spiritum; vbi nihil de alijs, sed de solo Ioanne narrat Euangelista. Chryso. hom. 16. refert aliquos affirmasse, visam esse columbam soli Ioanni, & paucis cum eo bonis & iustis. Sed contrarium tenet ipse, & verè sentiendum est, visam esse illis omnibus, qui tunc aderant, siue bonis, siue malis, sicut & vox Patris, hic est Filius meus, ad omnibus etiam fuit audita.

B Quamuis Hilar. lib. 9. Trinit. solum Ioannem audisse affirmet: quia non solum fuit hoc factum in signum Ioanni; sed ut etiam Christus alijs manifestaretur. Si enim propter solum Ioannem esset, non erat necessarium, ut superadderetur vox Patris, cum sola columba in signum Ioanni fuerit promissa. Nec præterea, ut in tanto concursu hominum signum illud acciperet, imo quia auditum est, hic est filius meus, ne turba Ioannem filium dici arbitraretur, (ut rectè notat Chryso.) columba mittitur ad Christum, & aliquanto tempore manet super eum, ut inde ipsum esse filium Dei cognosceret, & non tanquam peccatorem accessisse ad baptismum arbitraretur. Quod si Euangelista de Ioanne solo refert spiritum descendentem vidisse, non ideo cæteros prætermisit, quod non viderint, sed solius Ioannis meminit, quia soli ipsi illud signum datum est, ut cognosceret, & manifestaret Christum: quamuis enim turba audisset, & vidisset, non tamen illum esse Christum, & verum Messiam inde cognouit. Ob id testimonium perhibet Ioannes; non solum, quia vidit, sed etiam, quia sibi in signum data est columba, per quam illum esse Christum discerneret. Adde quod non omnes Iudæi tunc aderant, nec viderant columbam; ob id hæc duo testatur Ioannes, & se vidisse, & sibi à Deo signum hoc datum esse, & hac ratione se nouisse determinatè Christum ipsum.

ANNOTATIO LXXII.

PRAECIPVA huius loci difficultas est, quomodo dixerit Baptista, & ego nesciebam eum &c. Significans columbam datam ei fuisse in signum quo Christum cognosceret, quasi non cognouisset ante columbæ descensum. Cum tamen ex cap. 3. Matth. constet columbam non ante, sed post baptismum peractum descendisse, & Ioannem ante baptismum cognouisse Christum: ideo enim recusat eum baptizare, dicens; ego à te debeo baptizari. Cum ergo ante baptismum cognouerit Christum, non per columbam cognouit, siquidem illa non ante, sed post baptismum descendit. Origenes in præsentis loco respondet verbum illud *nesciebam* referendum esse ad tempus, antequam Christus in carne apparuisset; tunc enim Ioannes nesciebat eum: postquam autem in carne apparuit, nouit eum in vtero, quando Beatissima Virgo sanctam Elizabeth. visitauit, hæc responsio non potest accommodari contextui. nam Ioannes hanc ignorationem refert ad tempus, quo signum à Deo accepit, & missus est baptizare. Secunda responsio est eiusdem Orige-

An columba ab omnibus qui aderant, visa fuerit.

Orige. qui ad tempus postquam in carne apparuit, refert, asseritque; Ioanne non nouisse quidem Christum, antequam baptizaret, esse verum Christum, & Messiam; proptereaque uenienti dixisse, ego à te habeo baptizari: ignorasse tamen adhuc, an baptizaturus esset in Spiritu sancto, hoc enim intellexit, postquam Spiritus in specie columbæ super eum descendit, huic responsioni illud fauere videtur, quod dicitur; super quem videris spiritum descendentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. hoc igitur est, quod Ioannes ignorabat, & signo cognouit. Sed contra eam est, quia ante baptismum; imò etiam prius, quam vidisset Christum, id ipsum sciebat, nam dicebat turbis multo ante baptismum Matth. 3. Qui post me venturus est, fortior me est, ille vos baptizabit in Spiritu sancto: non igitur hoc ignorabat, quando Christus venit ad ipsum: quod etiam confirmatur, quia dixit; ego à te habeo baptizari, & tu venis ad me, quæ verba non solum Christum, sed etiam baptismum eius cognouisse, suoque prætulisse probant. Ego, inquit, à te habeo baptizari, quasi diceret; tuus baptizatus meo est præstantior, quia tuus in Spiritu, meus in aqua est: unde non tu à me, sed ego à te debeo baptizari. Tertio August. lib. 2. de consens. Euang. cap. 15. & lib. 5. de baptismo. Contra Donatist. cap. 13. respondet; ignorasse Ioannem, & ex descensu spiritus cognouisse Christum sic institutum baptismum, ut siue per hunc, siue per illum ministraretur, semper, qui baptizat, Christus esset: propterea, siue bonus, siue malus sit minister baptizans, baptismus est idem, & æqualis efficacit: quia baptismus est Christi, & ipse est qui baptizat. nemini enim dedit auctoritatem instituendi baptismum, sed ipse instituit, & ipsius est baptismus. & hoc nesciebat Ioannes ante descensum Spiritus, nouerat tamè prius Christum esse. acuta quidem & ingeniosa August. solutio, tamen ad huc Ioannem hoc idem nouisse probatur, si verba Euangelij etiã subtiliter examinemus. Unde enim August. colligit Ioannem non nouisse? profectò non alia ratione, nisi quia dicitur; super quem videris spiritum descendentem, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto: in eo quod dicitur, ipse est, qui baptizat, ergo ipse est baptismus, non ministrorum. Sed ex eisdem verbis colligitur etiam ante baptismum hoc nouisse, quia ante baptismum dixit, ipse est, qui baptizabit in Spiritu sancto. utrobique verba sunt eadem; ergo quod ipse ex vltimis infert, poterimus nos ex prioribus verbis etiam deducere. adde etiam quia non dictum est, ego nesciebam baptismum, sed eum, quod ad personam refertur, non ad baptismum, quod etiam facit contra expositionem secundam. Quarto loco Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 2. difficultatem euadere conatur, dicens Ioannem Christum ignorasse, quia ex suis viribus, non potuit cognoscere, sed diuina virtute & reuelatione eum nouit. quando ergo dixit, ego nesciebam, intellexit ex me, & ex mea virtute nesciebam: noueram tamen ex diuina virtute & reuelatione. Sed

obstat huic responsioni, tum quia signum datum est ei, ut illum cognosceret; tum præterea, quia solutio difficultatem non euacuat: nam si hanc reuelationem habuit ante baptismum, quomodo accepit signum cognoscendi post baptismum? iam enim cognoscenti signo non erat opus; si autem non habuit, quomodo ante baptismum dixit, ego à te habeo baptizari? Præterea: si hac ratione dixit *nesciebam eum*, etiam post descensum imò etiam modo posset dicere, nescio, quia, non sua virtute, sed diuina sciuit, & scit. Quinto loco Chryso. hom. 16. asserit, quando dicitur, *nesciebam*, referendum esse ad tempus ante baptismum; in baptismo enim nouit eum, non solum per signum exterius columbæ, baptismum iam peractum; sed etiam antequam baptizaret, per reuelationem, quando dixit, ego à te habeo baptizari. Sed non explicat Chryso. quomodo dictus sit Ioannes ignorasse Christum ante baptismum, cum in vtero cognouerit, & eum stantem in medio populi etiam ante baptismum annunciauerit. Sexto loco Beda super hoc cap. dicit Baptistam cognouisse Christum ante baptismum, tamen quia in baptismo ita perfectè cognouit, ut prior cognitio respectu posterioris, ignoratio dicatur, propterea quamuis ex priori cognitione dixerit, ego à te habeo baptizari, sed tamen nesciuisse dicit, respectu cognitionis perfectæ, quæ secuta est, quando Spiritus sanctus descendit: hæc expositio à verborum proprietate recedit. Septimo loco Neoterici multa dicunt, quidam columbam bis descendisse affirmant, semel ante baptismum, & tunc cognouit Ioannes Christum, & dixit, ego habeo à te baptizari: iterum post baptismum, & hunc posteriorem descensum describit Matheus: Ioannes autem de priori loquitur, quem nemo cæterorum Euangelistarum descripsit. Audacter tamen hi comminiscuntur quod nullus Euangelistarum scripsit, & magis scripturam ingenio suo, quam ingenium (ut par esset) scripturæ accommodant, fingentes historiam, quæ cum tanti momenti sit, mirum esset, ab Euangelistis fuisse prætermittam. Alij ex recentioribus ante baptismum cognouisse Christum affirmant, non ut Messiam, & Christum, sed ut hominem sanctum, & Saluatorem mortalium, & ea ratione dixisse, ego habeo à te baptizari. sed hoc etiam figmentum est, & difficilius creditur. quomodo enim Saluatorem cognouit, & non Christum? nam ignorare Christum esse saluatorem, seu alium à Christo saluatorem existimare, indignum erant tanto Præcurfore. Præterea verba ipsa, ego à te habeo baptizari, significant nouisse eum esse Christum, qui baptizaturus erat in Spiritu sancto. Alij denique dicunt, verbum *nesciebam*, non indicare ignoratiã, quia ante baptismum sciebat etiã determinatè Christum, sed se nescire dicit, ut eum populo manifestaret. teterùm cum absolutè dixerit Baptista, ego nesciebam illum, non video quâ ratione dici possit, quod ignorauit, ut populo manifestaret: absolutè enim dicit *nesciebam*. Pro eâ igitur

igitur difficultatis resolutione, quam ego v-
riorem credo, pauca quædam dicam.

Propositi
dij
resolutio.

Primum ignoracionem hanc referri ad
tempus, quando degens in deserto missus est
baptizare. de hoc enim tempore loquebatur,
quando dixit, *ego nesciebam eum*, vt ex verbis se-
quentibus constat: adiunxit enim, *sed qui misit*
me baptizare, dixit mihi. Alterum est quod dicitur
ignorasse eum, vti in commetario dictum est,
quia non determinatè sciebat, quis esset. non-
dum enim eum viderat, nec signa exteriora a-
liqua, vt eum distinctè posset agnoscere, audi-
erat: sciebat quidè præsentem esse, & venisse,
at inter multos homines quis determinatè ef-
fet ignorabat adhuc quando mandatum bap-
tizandi accepit. Vulgare enim est, vt inter lo-
quendum nos dicamus nescire hominem
quem non vidimus, quamuis ex nomine eius
& celebri fama illum cognoscamus. Sciebat
ergo Christum: quia missus est, vt eum mani-
festaret; ignorabat tamen, quia de facie, & de-
terminatè nondum nouerat. Tertium est hanc
ignoracionem determinatam perdurasse vs-
que ad baptismi tempus, quando Christus bap-
tizandus accessit: tunc incepit determinatè ag-
noscere illum esse Christum, prius quidem re-
uelatione interiori, sicut nouit in vtero exi-
stens; post baptismum verò signo descensus
columbæ à Deo dato, vt perfectiori illustrare-
tur agnitione: talis enim cognitio conuenie-
bat illi, qui populo testificaturus erat de Chri-
sto, vt hac ratione audientium animos facili-
us ad fidem pertraheret. Quartum maxi-
mè notandum, est signum descensus spiritus

A in specie columbæ, non fuisse datum tantum
ad cogitationem, vt nimirum agnosceret Mes-
siam, & verum Christum, sed etiam ad testi-
monium de eo reddendum, & populo mani-
festandum: ideoque etiam iam cognoscenti
superuenit: quod verba ipsius Ioannis indi-
cant. prius enim dixit: *ego nesciebam eum*:
sed vt manifestetur in Israël, propterea ego
*veni in aqua baptizans: ac si diceret, ego in de-
serto quando eum de facie non noueram, ius-
sus sum descendere, & baptizare in aqua, vt
manifestarem eum, & testimonium perhibe-
rem: postea subiunxit; ego nesciebam eum,*
B *sed qui misit me baptizare, ipse mihi dixit, su-
per quem videris spiritum &c. ipse est, qui ba-
ptizat in spiritu sancto, ac si diceret: ipse est,
de quo debes testificari, & quem manifestare
mitteris; illudque erit tempus exequendi mu-
nus tibi iniunctum: ex his concludit; ego vidi
& testimonium perhibui. Nota non dixisse, vi-
di, & agnoui, sed vidi, & testimonium perhi-
bui. significat enim signum præcipuè datum
ad testimonium perhibendum; quamuis eod-
em signo perfectius nouerit Christum, quem
se nesciuisse dicit, quando hæc iniuncta sunt
ei à Deo in deserto. Exemplum est 1. Reg. 16*

Ioan. 1

1. Reg. 16

C quando Samuel missus est Bethlehem, vt vn-
geret vnum ex filiis Isai, illum videlicet què
Deus illi ostenderet, abiit Propheta, & repul-
sis cæteris, vltimus David supererat, què cum
vidisset Samuel, cognouit illum esse quem vn-
gere debebat: sed non vnxit donec diuina vo-
ce fuit admonitus. Simile huic est quod acci-
dit hoc in loco Baptizæ.

Alter a die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo:
C O M M E N T A R I V S.

Q V A R T V M adhuc describitur testimonium Ioannis, quod dic altera, seu
postera à præcedenti exhibitum est; hoc autem non solis discipulis duo-
bus, sed publicè multis adstantibus redditum est. Si enim verba hæc, & sequē-
tia consideramus, non referuntur hi duo discipuli, tanquam ij, quibus solis
testificatum est; sed vt ij, qui præsentem erant, & audierunt loquentem Ioan-
nem multis, qui tunc aderant. inexcusabilis profectò est Iudæorum duritia,
& negligētia, qui cum pridè audissent magnificū testimonium à Ioanne de
Christo exhibitum, & tunc viderent Ioannem ab omnibus negotijs expedi-
tum, & respondere peratum, nihil prorsus ab eo de Christo quæsierunt: pro-
pterea Ioannes ipse sponte sua iterū de illo testificatur. Et notat Euthymius,
alios multos tunc adfuisse, quando hoc perhibitum est testimonium.

Et respiciens Iesum ambulatentem, dicit; Ecce agnus Dei.

C V M staret Ioannes, Christum aliquantum loco distantem, & ambulan-
tem respexit. Verbum hoc energiam habet, si diceret; fixis, & intentis o-
culis intuebatur eum, sicut solemus inspicere, quæ etiam intus attenda-
te consideramus: & sic oportebat, vt intueretur, qui fidem viuam & perfectā,
tanti mysterij intus habebat, & qui de eo tantum testimonium perhibiturus
erat. Nec sine causa illum adeò fixis oculis aspiciebat. sed ideo, ne circumstā-
tes ea re animaduersa, testimonium quod ille paulò post Christo redditurus
erat, minus certum existimarent, quasi imprudētia, vel oculorum errore de-
ceptus fuisset. Postquam autem sic intuitus est, ait; *Ecce agnus Dei*, repetens
quod prius dixerat. vt enim dicit Cyrillus libr. 2. in Ioan. cap. 4. munus do-
centis

centis est, quod adhuc non rectè intellexerunt auditores, diligenter repete-
re, quod confirmat illo Pauli ad Philip. 3. Eadem vobis dicere, tum mihi pi-
grum non est, tum vobis necessarium. in quo & constantia Ioannis in perhi-
bendo testimonio, & in docendo, & instruendo populo prudentia, maximè
lucent. Chrysoft. homil. 17. & Cyril. lib. 2. cap. 4. legunt integrum testimo-
nium. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi; at Euangelista solummodo
dicit, *Ecce Agnus Dei*, nec existimo hos Doctores ita legere, quasi velint Euan-
gelistam ea scripsisse. Non enim textus vllus habetur, in quo aliud sit scri-
ptum, præter *Ecce Agnus Dei*; sed existimo illos significare Ioannem Baptistā
integrum testimoniū reddidisse: ab Euangelista tamen prætermissa sunt vl-
tima verba, ne bis repeteret, quæ paulo superius retulerat. & quamuis ita fieri
potuerit, vt probabilius tamen credo, illa solummodo verba protulisse Ba-
ptistam, quæ ab Euangelista scripta sunt: maximè cum illa sufficiens essent
testimonium; imo nec Euangelistam in re tanti momenti omittit vllum
verbum, quia testimonia sunt omnino fideliter referenda. Cum articulo
habetur vox in græco. (Ecce agnus ille). notandum est Euangelium referre
Ioannem stantem, Christum ambulatentem; ille stabat, quia omnes ad eum
veniebant; Christus verò ambulabat, quia ad uesperascente iam die, domum
se recipiebat, prudenterque id factum est, ne alij, vt à Ioanne laudaretur, ibi mā-
nere eum suspicarentur.

*Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti
sunt Iesum.*

N ON sine fructu hoc fuit iteratum testimonium: audientes enim duo dis-
cipuli Ioannis, illum esse Agnum Dei, secuti sunt Christum; ex modo e-
nim testificandi nouerunt, Ioanni gratum fore, si ad Christum accederent.
Attende, quod si Christus staret, vti stabat Ioannes, discipuli ad eum venisse,
& ei adhæsisse, dicerentur, tamen quia Christus ambulabat, iam à loco rece-
dens, propterea secuti eum dicuntur. Chrysoft. homil. 17. dicit, ipsos secutos
esse animo sequendi eum vsque ad hospitium, vt scirent, vbi maneret; ibi e-
nim cum eo loqui volebant. hunc enim sensum indicant verba, quæ sequū-
tur; nam interroganti Domino, quid quærerent, dixerunt, vbi habitas? Horū
discipulorum docilitas, multitudinem Iudæorum adstantium, & nullam
tanto testimonio fidem adhibentium, condemnat.

Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis.

C O N V E R S V S Dominus respicit retro, eosque videt sequentes se: conuersus
est autem, aut quia ab aliquo de sequela duorū admonitus fuit, aut quia
ipse nullo docente cognouit, & voluit misericorditer eos intueri, & alloqui.
Postquam verò conuersus est, non solum diuina cognitione, sed ex vultu, &
incessu illos ad se venire intellexit, & propterea locutus eis est. Misericordiæ,
& benignitatis fuit ad eos se conuertere, antequā accederent: quo facto ean-
dem benignitatem, quam nobis impertitur, significauit, dum præuenit nos,
incepta opera nostra, necdum finita, acceptans, & complens, sicut ille Pater
Luc. 16. qui filio prodigo redeunti, antequā accederet, occurrit. quāuis autē
conuersus sit corporaliter, postquā illi secuti sunt eum, tamen sua diuina vir-
tute præuenerat, vt illi sequerentur, sicut & nos præuenit, vt etiā incipiamus.

*Quid quæritis? qui dixerunt ei. Rabbi, quod dicitur inter-
pretatum, Magister, vbi habitas?*

P R O B A B I L E est aliquantum sterisse, vt eos expectaret, & cū eis loqueretur;
Quid quæritis? interrogat humano more, non quod ignoret, sed secundū
Cyrillum; lib. 2. cap. 7. vt colloquendi principium interrogatio illa faceret;
& secuti

& secundum Chrysoft. hom. 17. amouendę verecundię, & timoris gratia: cre-
dibile enim erat eos subuereri, & formidare tantum ignotos, maximę cum
se rudes intelligerent, & tantum de illo magistri sui accepissent testimoniũ:
interrogando ergo eos sibi conciliat, & familiares, ac audentiores facit, se-
que suo eos dignari colloquio ostendit. Respondent illi; *magister ubi habitas?*
Magistrum vocant, quia ab eo discere volebant, vt notat Cyrill. lib. 2. cap. 8.
quia verò rem magni momenti scire cupiebant, locum quietum, & tempus
commodum querebant. Non enim res graues vbique sunt tractandę, nec
quouis tempore. iam enim Christus recedebat à loco, & in via erat, & iam
declinabat in vesperum dies, quærunt, *ubi habitas?* quasi dicerent, cupimus
scire nunc ab te, vbi habitas, vt mansione cognita, opportunius tecum col-
loquamur: & à te discere, vt à magistro, valeamus.

ANNOTATIO LXXIII.

CHRYSOST. hom. 17. dicit eos statim vo-
luisse interrogare, non in aliud tempus
differre: locum tamen aptum querebant, nem-
pe hospitium. Magis placet, quod dictum est,
sciebant enim horam seram esse, & dubita-
bant, ne magistro essent molesti. Iam eorum
incipit elucere fides, magistrum vocant, quem
nunquam sic vocatum audierant, dignum et-
iam fide profitentur. Est autem apud Hebręos
significationis excellentioris Rabbi, quàm ap-
ud Latinos Magister, & apud Gręcos *διδασκα-
λος*, quia est à verbo *דן* quod significat multi-
plicare, quasi homo multa scientia, & vir-
tute pręditus: propterea ab Euangelista reten-
tum est, & interpretatum Gręco sermone, nec
est verum, quod aliqui dicunt, significare i-
dem quod magister meus. putant enim illud
Iod esse affixum, quod ex imperitia hebręi ser-

Amonis procedit; Nam Iod est de nominis inte-
gritate, nec est in hoc loco affixum, quod sæpe
fit in multis nominibus, & Euangelistę autho-
ritas id probat. nam interpretatus est Magi-
strum, non autem magistrum meum. Illud
autem verbum *habitas* *αὐτὸς* significat, vbi manes,
quod ad mansionem hospitij pertinet; & eo-
dem verbo vsus est Euangelista, quando dixit
de his duobus, māsisse illo die apud Christum,
quod non habitationem, sed quandam diuer-
sionem, & hospitium importat. & hac ratio-
ne soluit Chrysoft. hom. 17. dubitationem, quę
suboriri poterat ex illo Luc. 9. Filius hominis
non habet, vbi reclinet caput suum. Christus
enim nõ habebat domum, aut diuersorium pro-
prium: & hoc dicitur à Luca: non tamen negat,
quin maneret, aut diuerneret ad domum, aut
hospitium aliquod.

Dixit eis, venite, & videte.

COMMENTARIVS.

NON indicauit Dominus intempestiuum aliquid, quod ad salutem spiri-
tualem pertinebat, sed statim allicit eos, & inuitat ad colloquium & do-
ctrinam, *venite, inquit, & videte* vbi maneam. Nulla mora in quarenda sa-
lute spiritali laudanda est: vtilitatis enim retardatio, vt probę dicit Cyrill.
lib. 2. ca. 9. detrimentum adfert semper. docemur hic, inquit Chrysoft. hom.
17. ad diuinarum rerum doctrinam, nullum tempus esse intempestiuum,
quamuis aliena domus ingredienda sit, & magnus, ac clarus vir ab obscuro
petendus, & intempestiuę. Nunquam enim huius doctrinę occasio contem-
nenda est.

*Venerunt, & viderunt, vbi maneret; & apud eum manserunt
die illo. hora autem erat quasi decima.*

INVITATI discipuli tanta Magistri benignitate venerunt cum illo, & vi-
derunt, vbi maneret, & illo die manserunt apud eum, vt autem, quantum
temporis manserint Euangelista declarat, tempus quando venerunt, descri-
psit; *erat hora quasi decima*, quod intellige à solis ortu; nam Iudęi ab ortu ad oc-
casum solis numerabāt diem, & duodecim horis, totidemq; noctem diuide-
bant: decima ergo hora ab ortu iam propę ad occasum est solis, manserunt er-
go cum Domino tota illa nocte, à decima vsque ad ortum sequentem. quid
audierint à tãto Magistro, & Domino, & tã benignę eos accipiẽte, Euangelista
nõ narrat: tamen effectus indicat: sic, n. edocti fuerunt, vt alios ad Magistrũ cõ-
disci-

discipulos trahere, & allicere procurarent. Chrysoft. hom. 17. legit causaliter
illa verba vltima, sic, *erat enim hora*, & refert ad tempus, quando Dominus di-
xit: *venite, & videte*, tanquam causa sit, cur Dominus non expresserit, vbi ha-
bitaret, sed tantum ad videndum inuitaret. Mihi videtur, si causaliter sunt
verba legenda, potius causam significare, cur manserint cum illo eo die, nẽ-
pẽ nocte, quia dies ad uesperascebat, nec tempus erat colloquendi, nisi man-
sissent illa nocte: communiter continuandi coniunctio legitur, & sic in com-
mentario exposuimus.

*Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duo-
bus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.*

VNVM discipulorum, qui secuti sunt Dominum, nomine proprio indi-
cat Euangelista, alterius tacito nomine. Causa huius rei est, quia qua ra-
tione Petrus sit vocatus, & ad Dominum venerit, describere intendebat, pro-
ptereaque non à principio nomen eius declarauit: sed postquam à Christo
edoctus est, & fratrem allicere studuit. Erat primò Andreas Ioannis discipu-
lus, magnumque magistrum, cum multo maiori commutauit, tantumque
fuit noui magistri doctrina illustratus, & delectatus, vt non priori magistro
fratrem Simonem, sed Christo Domino lucrifecerit, & quem non ad prio-
rem magistrum allexit, ad posteriorem sollicitę inuitauit, & perduxit.

ANNOTATIO LXXIV.

*Quis fuerit
comes An-
dreę, quando
apud Christũ
mansit.*

*Simon & Si-
meon, diuer-
sa significat.*

EVthimius, alterius nomen siluisse Euange-
listam affirmat, quia vel insignis non erat,
nec notus, vel quia ipsemet erat, qui hæc scri-
psit, vt dicunt aliqui. Epiphanius hæres. 51. dicit
hunc esse aut ipsum Ioanem, aut Iacobum fra-
trem, filios Zebedæi. Attende rursus duo hæc
nomina Simon, & Simeon valde esse diuersa,
tãm in significatione, quàm in Ethimologia;
Simon enim apud Hebręos *שִׁמְעוֹן* à verbo
שָׁמַע quod impinguari sig- nificat,
quasi pinguedo, aut impinguatus: &

A hoc nomen reperitur i. Paralip. 4. Simeon autę
est apud Hebręos *שִׁמְעוֹן* à verbo *שָׁמַע*
quod significat au- sculta-
re, aut obedire, quasi obediens, seu obedia-
tia, & hoc erat nomen vnus ex filijs Iacob.
Gene. 49. & illius Simeonis, Luc. 2. qui Chri-
stum infantem in vlnas accepit. Petrus autem
non hoc, sed prius nomen sortitus est, recte-
que illi conuenit: Fuit enim gratia, donis, &
prærogatiuis spiritus, valde à Christo impin-
guatus.

*Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei, in-
uenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.*

COMMENTARIVS.

DISCEDENS domo, in qua cum Christo vna manserat nocte, primum in-
uenit fratrem suum Simonem. vox illa *primum* comparisonem quan-
dam insinuat. & aliqui legunt, prior, seu primus inuenit, & Euthym. & Epi-
phan. hæres. 51. sic legunt, & tunc sensus est. Vnus illorum discipulorum, qui
Andreas dicitur, prior altero inuenit Simonem, quasi diuisi essent, & separa-
ti duò illi, & Simonem quærerent, inuenit autem eum prior frater eius An-
dreas, & inuento dicit, *inuenimus Messiam, qui dicitur Christus*. Potest etiam il-
lud primum referri ad Simonem, sitq; sensus; discedenti Andręæ à Christo
primus occurrit Simon: melior & magis proprius est prior sensus. *inuenimus*
vt notat Chrysoft. hom. 17. verbũ est animi desiderantis & expectantis Chri-
sti aduentum. cum enim iam audissent à Ioanne prius, Christum statim vę-
turum, & medium stare inter eos, desiderabant magno affectu agnoscere quis
esset, prolatum est autę hoc verbum ab Andrea cum exultatione quadam,
vt notat Euthym. Messias Latine vnctus, Gręcè Christus dicitur, & est cũ ar-
ticulo, quia multi in scriptura dicti sunt Messię propter vnctionẽ, per quan-
dam tamę excellentiam, & antonomasiã, qui promissus erat & expectabatur
Christus, dictus est ille Messias. Euangelista interpretationẽ adhibet, qui Grę-
cè Christus dicitur: retinuit autem nomen hebręum, tũ ob nominis reuerẽ-
tiam,

tiam, quia in scriptura sic appellatus est, tum propter Iudæos, qui sub hoc nomine cum intelligebant, & expectabant: vt venisse credatur ille idem qui expectabatur. in eo autem, quod voce plurali vtitur, non se solum, sed alios etiam inuenisse Christum insinuat, vt vel sic sibi à fratre fidem conciliet, aut etiam quia tanquam commune fratri inuentum bonum nunciet. Chryso. hom. 17. dicit etiam tunc adfuisse cum Andrea illum alium discipulum, qui cum eo secutus erat Christum, quamobrem rectè numero plurali locutus est, quia suo & alterius, qui aderat nomine loquebatur; sed verior est prior expositio. nam ille alius non aderat, quando Andreas inuenit fratrem.

ANNOTATIO LXXV.

De nominibus Christi Domini.

ADVERTENDUM est, Messiam nomen esse hebræum, idem significans, quod Græcè Christum, vtrumque autem idem, quod Latine vnctum. Est autem in veteri scriptura nomen commune appellatum: qui enim sacro vnguento vngebantur, Christi & Messie nomen sortiebantur. Erant autem tria genera personarum vnctione sacra vnctarum; Summi Sacerdotes, vt constat Exod. 29. Reges vt habetur 1. Reg. 10. 16. & alij in locis. Et Prophetæ alij in signis. Blisæus enim vnctus est 3. Reg. 19. Omnes hi Christi, seu Messie nomine appellabantur; per quãdam verò antonomasiam & excellentiam nomen Christi seu Messie accommodabatur Christo nostro promisso in lege, in quo omnes gentes erant benedicendæ, qui venturus à Iudæis credebatur, & expectabatur. Psal. 2. Aduersum Dominum, & aduersum Christum eius. Dani. 9. Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus. multa sunt huiusmodi testimonia, in quibus Christus per excellentiam significat verum Christum & Saluatorem. Hoc autem factum est duabus de causis, quarum prior est, quia Christus noster in se vno complectitur omnes vnctionis causas, ipse enim Rex est. Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo: ipse est summus sacerdos. Psal. 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ipse etiam est Propheta. Deuter. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, nec præter ipsum, quispiam alius fuit, qui simul haberet tres istas dignitates. Fuerunt quidem Reges, & Prophetæ, fuerunt Sacerdotes, & Prophetæ, nemo tamen simul Sacerdos, Rex, & Prophetæ, præter Christum nostrum inuenitur: ideo nomē Christi & Messie ipsi accommodatum, & vt ita dicam, appropriatum est. Posterior causa est, eius singularis vnctio: illi enim in veteri testamento vngebantur vnguento materiali, & si qui spiritali vnquento, nimirum gratia, vncti erant, quales Patriarchæ ante legem, de quibus dictum est. Psal. 104. Nolite tangere Christos meos (hoc enim loco vtuntur Basil. & Hieronym. contra Iudæos, vt probent Christos dici ab vnquento etiam spiritali) erat tamen gratia finita & infusa, qualis datur hominibus meris: At Christus noster multò aliter vnctus fuit. illa enim humanitas vnctæ est ipsa diuinitate, quæ illi vnita erat: quantum ergo superat diuinitas creaturam, tantum superat vnctio Christi cæteras vnctiones, de

Duabus de causis Domini, per excellentiam dicitur Christum.

qua vnctione dictum est, Act. 10. quomodo eum vnxit Dominus Spiritu sancto. & Isa. 61. Spiritus Domini super me. eo quod vnxit me. dicitur super me, quia diuinitas illi humanitati verè vnita erat, & per eam sanctificabatur; ideoque Psal. 44. dicitur vnctus præ participibus suis. Hanc vnctionem doctè explicat Origen. lib. 2. de princip. cap. 6. Hinc factum est, vt gratia infusa Christi sit sine mensura, & super omnes gratias, in quæ cætera dimanarunt, & damnat: propter has duas causas Christi & Messie nomen Christo Saluatori nostro accommodatum est, & velut proprium factum. Interrogabit aliquis, cur non est retentum nomen hebræum, vt diceretur Messias, sed in Græcum translatus est? appellamus enim Christum. Huius rei causa mihi ea videtur esse, vt per id significetur Christus Saluator Iudæorum & gentium, Euangeliumque esse commune omnibus. Rom. 10. Christus ad iustitiam omni credenti. hoc autem significatum est nomine hebræo Iesu, quod Domini Saluatoris proprium est, retento, & nomine hebræo altero in Græcū mutato: vt sicut nomen hebræum & græcum est, nempe Iesus Christus, sic ipse gentibus, & Iudæis Saluator agnoscatur. hac eadem de causa August. lib. de spiritu & litera, cap. 32. & Ier. 13. de verb. apost. dicit à Paulo. Rom. 8. & Galat. 4. dictum esse, Abba Pater, græce, & hebraicè. Hæc de hoc nomine. Quandoquidem autè huius nominis mentio facta est, non erit abs re totius nominis rationem exponere. Aduertendum ergo est, in nouo testamento quatuor modis Christum nominari, nempe Christum, Iesum, Christum Iesum, & Iesum Christum, de primo, nempe Christi nomine hæcenus diximus, reliqua explicanda sunt. Iesus nomen est proprium & distinctiuum Christi, sicut inter nos vnus Petrus, alter Franciscus vocatur, & vnusquisque suum nomen proprium habet, ita Christo impositum est nomen proprium IESVS. Est autem hebræum nomen, idem significans, quod Saluator. Sic enim Matth. 1. habemus ab Angelo expositum: Vocabis, inquit, nomen eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Circa quod nomen duo possent aliquis querere. Vnum, cum totius Trinitatis sit saluare, tã enim Pater, quàm Filius, & Spiritus sanctus simul, & induisè salutem efficiunt, & remittunt peccata, dant gratiam & glo-

ria. I. Ioan. 4. Omnis qui soluit Christum, ex Deo natus non est. Soluere Christum est, vnum Christum, alterum Iesum fuisse, dicere; at nos vnum, & eundem confitentur dicimus, Iesum Christum, seu Christum Iesum. Hoc etiam nomen propter Catholicos proferimus, quia per ipsum integram & perfectam fidem Christi confitemur, quamuis enim Iesus & Christus vnum & eundem significant Dei filium & hominem, tamen Iesus propter diuinitatem dicitur; non enim vnctus est, nisi ratione humanitatis, vt docet Hilarius lib. 11. Trinitat. qui ergo Iesum Christum dicit, Christum Deum & hominem confitetur: atque hæc fides est nostra, ad salutem necessaria. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. Demum dicitur Iesus Christus, & Christus Iesus: Christus Iesus propter ordinem temporis. præcessit enim lex, & promissio Euangelium & veritatem. Philip. 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Galar. 5. In Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet. Iesu enim nomen ad euangelium, Christi verò ad legem pertinet. Iesus Christus autem dicitur propter ordinem dignitatis: nam perfectius est Euangelium lege, & veritas promissione. Matth. 1. Liber generationis Iesu Christi.

Cur nomen nuerit hebræum nomen Messias, sed in græcum Christus mutauit.

Cur Iesum Christum, quandoque in verso ordine Christus Iesus dicatur.

& gloriam. Quid est, cur nomen Saluatoris imponitur tanquam proprium Christo, nempe filio Dei incarnato? Respondeo, id esse factum ad significandum verè quidem Deum salutem efficere, tamen modum eam efficiendi exhibitum esse per Christum Dei filium & hominem. Ipse enim est, qui satisfecit pro criminibus nostris, factus propitio pro mundi peccatis, 1. Ioan. 2. Ipse est qui meruit veniam, & gratiam nobis, ipse factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, & sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. Ipse mediator Dei & hominum, in quo instaurata sunt omnia, Ephes. 1. Propter hæc nomen Iesu proprium sibi obtinuit; quia hæc non communia Trinitati, sed propria opera eius sunt. Alterum est, cum non tantum sit Saluator, sed etiam iudex hominum, vt Actor. 10. Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: cur nomen potius à saluando, quàm à iudicando sumptum est, maximè quia omnes iudicabit, non autem omnes saluauit effectu, quia multi peribunt? Responderi posset, nomen à saluando impositum, quia prius venit saluare, postea iudicaturus est omnes. Rectè id respondetur, tamen nondum est perfecta responsio, nec integra causa. Dicendum ergo est, nomen acceptum à saluando, quia quamuis venturus sit iudicare, tamen non assumpsit carnem patibilem, nec factus est homo, nisi vt saluaret. Si enim non voluisset saluare, non erat cur ad iudicium faciendum indueret carnem: hoc enim carne non assumpta potuit fieri perfectissimè; ad saluandum autem & redimendum, eo modo quo saluati sumus, carnem induere oportuit. Et ideo ab hoc munere accepit nomen, quod Ioan. 3. dictum est. Non, inquit, misit Deus filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. hæc de nomine IESVS.

quare non à iudicando, sed à saluando Dominus nomen assumserit.

Cur Iesum Christum, quandoque in verso ordine Christus Iesus dicatur.

missum, & eum, qui Iesus dictus est: dicentes ergo Christum Iesum, seu Iesum Christum, fatemur Iesum, quem colimus in nouo testamento esse illum Christum, qui promissus erat. 1. Ioan. 5. Qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. & Matth. 1. De qua natus est Iesus, quia vocatur Christus, rectè ergo Ambrosius Philip. 2. adnotauit hoc nomine Iesu Christi, aduentum eius in carne esse iam completum significari. Aduersus hæreticos etiam hoc nomen proferimus, quia fuerunt olim, qui alium Iesum, alium Christum esse dicerent, vnumque passum, alterum miracula fecisse affirmarent. cuius hæresis meminerunt Tertullianus libro de carne Christi, & Irenæus libr. 3. cap. 11. contra quam dicitur, 1. Ioan. 4. Omnis qui soluit Christum, ex Deo natus non est. Soluere Christum est, vnum Christum, alterum Iesum fuisse, dicere; at nos vnum, & eundem confitentur dicimus, Iesum Christum, seu Christum Iesum. Hoc etiam nomen propter Catholicos proferimus, quia per ipsum integram & perfectam fidem Christi confitemur, quamuis enim Iesus & Christus vnum & eundem significant Dei filium & hominem, tamen Iesus propter diuinitatem dicitur; non enim vnctus est, nisi ratione humanitatis, vt docet Hilarius lib. 11. Trinitat. qui ergo Iesum Christum dicit, Christum Deum & hominem confitetur: atque hæc fides est nostra, ad salutem necessaria. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. Demum dicitur Iesus Christus, & Christus Iesus: Christus Iesus propter ordinem temporis. præcessit enim lex, & promissio Euangelium & veritatem. Philip. 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Galar. 5. In Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet. Iesu enim nomen ad euangelium, Christi verò ad legem pertinet. Iesus Christus autem dicitur propter ordinem dignitatis: nam perfectius est Euangelium lege, & veritas promissione. Matth. 1. Liber generationis Iesu Christi.

Et adduxit eum ad Iesum.

COMMENTARIVS.

DVBIVM non est, vt rectè dicit Chryso. hom. 17. Andream Simoni omnia, quæ facta sunt, & quæ à Christo audiuit, narrasse, & vsu esse verbis, quibus eum inuitaret ad Christum; at Euangelista effectum describit, alijs silentio præteritis, adduxit, inquit, eum ad Iesum: forsan quæ Andreas Simoni narrauit, siluit; ne Simonem efficacia potius persuasionis Andree, quàm Christi iam secreta, ac occulta virtute trahentis motum, & excitatum esse arbitraremur. Adduxit autem eum ad Iesum à quo perfectè instruendum sperabat, hoc fraterni animi, cognati amoris, & sinceri affectus officium est, vt in spiritualibus quàm diligentissimam curam adhibeamus, vt inuicem opitulemur: Admiranda est hoc loco profectò diuina sapientia. Simonem, qui maior Andrea futurus erat, per minorè instrui, & ad se adduci, voluit ne maior à mi-



à minori discere erubescat, & vt dignitatem Petro non ob sua merita, sed ex gratia ei datam fuisse ostenderet.

Intuitus autem eum Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephias, quod interpretatur Petrus.

NON oculis tantum corporis, sed etiam internis Dominus Petrum intuetur. qua autem de causa Dominus intuitus sit eum, sequentia explicant: occulta enim manifestat. *Tu es Simon, filius ionæ*: quem nunquam viderat, nec audierat; nomine proprio vocare. nomen Patris indicare, virtutis supernaturalis erat: intuitus ergo est eum, rursus quæ futura erant, prædicit, *vocaberis Cephias*, quod Euangelista interpretatur significare lapidem. Petrus enim Græcè, significat petram, seu lapidem Latine. quibus verbis dignitatem & prælationem Simonis super omnes Apostolos prænunciat, & primatum futurum eius in ipso nomine insinuat. Nomen antiquum eius reuelat, & nomen nouum superimponit. Vbi attende Petrum non mutasse nomen, sed antiquo superadditum esse nouum: dictus est semper Simon Petrus. in nomine antiquo conuenit cum alijs Apostolis, qui suis nominibus nominati sunt, super id verò additum est hoc nouum: vt Petrus Apostolus etiam, vt alij, esse significetur, & super apostolicam dignitatem vltra alios auctus esse primatu noscatur. nam inter Apostolos primus est dignitate & prælatione, *Tu*, inquit, *es Simon*, nomē hoc non amittes, sed vltra vocaberis Cephias. Meminit etiam Dominus nominis Patris eius, non solum, vt ex reuelatione nominis proprii, & Patris, quod occultum videbatur, fidem sibi conciliaret; sed vt se certam cognitionē habere de eo iudicaret, ne audiens Petrus tam honorificum nomen, dubitaret intra se, an fortè Christus nouerit quis ipse esset, erat enim homo inferioris conditionis, propterea dicit Dominus, noui te perfectè, tu es Simon, tu es filius Ionæ, & etiam si talis sis, vocaberis Cephias. quod nomen est Syriacum, significans non qualemcunque lapidem, sed magnum lapidem, qualis in fundamento ponitur, & hoc idem significat Græcè πέτρον. est enim nomen appellatiuum etiam Græcè, Latine autem est tantum proprium. Lapidem enim non vocamus petrum, sed petram. Ex hoc nomine, Cephias, sumimus argumentum, tempore Christi multa vocabula iam esse ex Chaldaico sermone sumpta ab Hebræis: post captiuitatem enim Babylonicam hebræa lingua suam amisit puritatem. Quod autem Ioan. vltimo, dicitur filius Ioannis, hic autem filius Ionæ, & similiter Matth. 16. nulla est contradictio. Ionas enim idem est, quod Ioannes, sed abbreviatum nomen, vt solet fieri in vulgari sermone sæpè, vbi abiecta litera, aut syllaba aliqua, idem nomen breuius pronunciamus.

Simoni nouum nomen imponitur, prior etiam vetus.

Quare Patri Simonis Christi mentio nem fecerit.

ANNOTATIO LXXVI.

DVBITATIO occurrit, an hoc in loco Christus imponat nomen Petro ita, vt ex nunc vocetur Petrus, an potius prædicat nominis impositionem, quo postea sit appellandus Petrus. Aug. lib. 2. de conf. Euang. cap. 17. & 53. & libr. 4. cap. 3. tenet, nomen hoc in loco ei esse impositum, vt ex nunc Cephias, seu Petrus sit dictus. At Cyrillus libr. 2. cap. 12. & Chrysostomus homil. 18. affirmare videntur hæc verba esse promissionem & prædictionem eorum, quæ futura erant. Hilar. cap. 19. in Matth. dicere videtur, tunc impositum, quando dictum ei est; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Contra vtranque sententiam videtur facere, quod dicitur Marc. 3. *Fecit, inquit, vt essent duodecim cum illo, & vt*

Amitteret eos prædicare, & dedit eis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia, & imposuit Simoni nomen Petrus. ad hoc respondet Augustinus loco citato. Hæc narrata à Marco per quandam recapitulationem, qua narrauit, non quod tunc temporis factum fuit, sed quod iam antea factum erat. Potest iterum opponi contra sententiam Augustini, quia dictum est de futuro, *vocaberis*; videtur igitur non tunc esse impositum nomen, sed promissum: at hæc obiectio nullius est momenti. nam Gen. dixit Deus, non vocaberis Abram, sed appellaberis Abraham; & tamen tunc nomen ei est impositum, quia tunc incepit, quod futurum erat, nec aliter potuit loqui, nisi de futuro, quasi diceret; ex nunc te vocabunt Petrum. Mihi placet

hi placet sententia Augustini, quamuis non careat probabilitate opposita sententia. Hoc tamen aduertendum, quod in commentario annotauimus, Simoni non esse mutatum nomen, sed amplificatum; nec enim dictum est; non vocaberis Simon, sed vocaberis Petrus: At Gen. 17. quando mutata sunt nomina Abraham & Saræ, vtrunque dixit Deus, non vocaberis Abram, sed appellaberis Abraham, & vxor tua non vocabitur Sarai, sed Sara.

ANNOTATIO LXXVII.

Vocatio hæc Simonis & Andreae alia est ab illa, qua postea ad Apostolum eum vocati sunt.

HÆC vocatio Andreae & Simonis distincta est ab his, quæ narratur Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5. nec in hoc vlla est controuersia inter Doctores; imo non est dicenda propriè vocatio: quamuis enim spiritu suo, & virtute Christus ad se traxerit vtrunque, sitque interior vocatio: tamen exterius non sunt vocati à Christo, sed venerunt ipsi. quæ autè nar-

rantur ab alijs Euangelistis, vocatione sunt exteriore, quando ad officium discipulorum & Apostolorum vocati sunt. & hæc propriè vocatio dicitur, cum de vocatione Apostolorum agitur. Interior enim vocatio communis est omni fideli: nemo enim potest venire ad Christum, nisi ab ipso interius tactus, & tractus; & hæc vocatio quædam est, qua vocatione nunc vocati sunt, non tamen exteriori, qua Christus eos postea ad discipulatum & apostolatam, vt firmiter ei adhererent, vocauit. Sequebantur ergo nunc Christum vt discipuli quidam, tamen non firmiter adherentes, vt postea. Controuersia præcipua ea est, an historia narrata à Matth. & Mar. de vocatione horum duorum, sit distincta ab ea, quæ Luc. 5. narratur, sed ad hunc locum eam discutere non spectat, cum constet historiam præsentem ab alijs esse, etiam nemine contradicente, diuersam.

In crastinum voluit exire in Galileam, & inuenit Philippum.

COMMENTARIUS.

ALIAM vocationem describit Euangelista eodem ferme tempore factam, *Voluit inquit, exire in Galileam*. Quæ hæc tenent narravit, in Iudæa facta sunt, at nunc placuit Christo redire in Galileam. Dicit autè *voluit exire* quia sponte, & proprio motus arbitrio, seu nulla persecutione impulsus voluit reuertitur; præterea vt quod statim narratur, non casu aliquo, sed diuino consilio & voluntate factum Euangelista subindicet, ne Philippum inuenisse, & vocasse. Dicitur autè hoc factum in crastinum, seu crastina die, ab illa nempe die, in qua Petro dixit, tu vocaberis Cephias; non autem à die, quando illi duo secuti sunt eum: nam illa nocte cum eo manserunt, die orto Andreas recessit, & inueniens Simonem, adduxit eum ad Dominum. hoc igitur die non recessit in Galileam, sed die crastina à die, quando venit ad eum Petrus: vtrum autem eodem die venerit ad Christum Petrus, quo ab Andrea inuentus est, an alio, incertum est: tamen probabilius est, eodem die venisse, & postridie Dominum in Galileam exisse. dicitur autem exire, quia relicta Iudæa ibat in Galileam, Epiph. hæc. 51. dicit illa die, qua secutus Andreas venit ad Dominum, inuenisse Simonem, sed id fieri non potuisse ex eo patet, quia illa nocte mansit cum Christo. Epiph. tamen forsàn diem ab occasu in occasum computauit.

Et dicit ei Iesus, sequere me.

VOCATIONE exteriori ad se vocat Philippum, nec tamen defuit interiori tanto maior & efficacior. quanto minus Philippus instructus erat exteriori magisterio. Nec leuitatis fuit Philippum sequi Dominum, sed efficaciam verbi Dei: non aliud audiuit Matth. vt refert ipse, ca. 9. quado relictis omnibus secutus est eum; quàm, *sequere me*. Iridebat Iulianus Apostolos, vt refert Hieron. Matth. 9. & leuitatis arguebat, quod tam citò secuti essent Christum simplici verbo vocantem; nec considerabat impius, fortius, & efficacius, omni syllogismo & ratione esse verbum Dei. Si leues fuerunt Apostoli obediendo voci diuinæ, appellet Iulianus leuem Lazarum, qui quatruiduanus surrexit vnica voce Christi. Appellet etiam leues, infirmos, & cæcos; quos verbo simplici Christus sanauit; si ergo non leuitas hæc, sed efficaciam est verbi Christi, profectò nec leues erant Apostoli, qui verbo audito, secuti sunt eum: rectius dixisset Iulianus, si nimis rebelles, & duros, & insensatos eos appellasset, qui tanto verbo credere, & obedire noluerunt, & tunc incredulos Iudæos, & se ipsum merito damnasset. Euthy. asserit Philippum vidisse illos, qui Christum sequebantur, & eo esse ipsum adductum ad fidem. Melius dicit Cyril. 11. 2. ca.

Virtus & potentia vocantis, non leuitas vocato, vñ, eos trahere ad Christum.

13. id verbi efficaciam tribuens, & bonę dispositioni Philippi, quę tamen à Deo erat. non enim Philippus à Petro, aut Andrea aliquid ex gestis intellexerat, quia breuitas temporis id impedire videtur.

Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreę & Petri.

Tres Aposto-
li de ciuita-
te Bethsaida
vocali.

Isa 9.

GALILÆVS erat Philippus, & eiusdem patrię cum Andrea & Petro, quę dicebatur Bethsaida. huius ciuitatis nequitiam exprobat Dominus, & ei valde comminatus est, Matth. 11. mitiusque fore terrę Sodomorum, quàm illi, iudicium prędixit. Vę, inquit, tibi Bethsaida, vę tibi Corozain, &c. & è medio tantę prauitatis tres Apostolos insignes eduxit, vt vbi abundauit malitia, superabundet gratia, quę non meritis proprijs vocatorum, sed vocantis benignitati tribuatur. Memorat autem Euāgelista hos esse tres de Galilęa, & Bethsaida in opprobrium Iudęorum: nemo enim ex tribu illa venit ad Dominum, ex qua nasciturus expectabatur. Primi, qui ad ipsum venerunt, & vocem eius audierunt, Galilęi fuerunt, & de ciuitate, vbi peccata abundabant: atque hac de causa adiunxit Andream & Petrum etiam de eadem esse ciuitate, vt impleri iam insinuet, quod prędictum erat per Isaiam cap. 9. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trās Iordanem Galilęa gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Terra, quę prius passa est flagellum, recepit primò misericordiam, & vbi regnauit peccatum, abundauit gratia in primis Apostolis & fidelibus. Erat Bethsaida pagus in tribu Isachar ad litus maris Galilęa inter Capharnaum & Magdalum. Apud Hebręos idem significat, quòd apud Latinos domus venationis.

Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei.

NON casu, sed studio diligenti conquisitum, vt dicit Cyril. lib. 2. cap. 14. Philippus inuenit Nathanael sibi familiarē & amicum, vt tanti thesauri inuenti participem faciat: vt enim Andreas fratrem, sic Philippus Christo lucratur amicum. Erat autem Nathanael de Cana Galilęa, vt habetur Ioan. 21. Vir in scrutandis scripturis diligentissimus, vt Chryl. hō. 19. & Cyril. l. 2. c. 14. annotant, & eodē aduētus Christi, quo Philippus tenebatur desiderio. Aliqui fratrem ipsius Philippi existimant, sed sine fundamento: si enim frater esset, non id dissimulasset Euāgelista, sicut nec dissimulauit Andream fratrem esse Petri; nec id verisimile est. nam Nathanael de Cana Galilęa Philippus de Bethsaida erat. Ex narratis, hęc omnia, non in Iudęa, sed postquam Christus in Galilęam peruenit, facta esse deducimus: nam dictum est, Christum voluisse exire in Galilęam, & iussisse Philippum sequi. & sine dubio tunc Christum euntem in Galilęam secutus est. cum autem peruenisset Canam, tunc quęsitum iuit Nathanaelem, qui erat de ciuitate illa, & inuentum ad Christum duxit, vt in sequentibus refertur.

Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetę, inuenimus Iesum, filium Ioseph à Nazareth.

ANNUNCIAT Christum venisse, & sensus est; inuenimus Messiam prędictum & promissum in lege à Moysē, & à Prophetis. & is est Iesus filius Ioseph à Nazareth; *inuenimus*: vox est annunciantis rē nouā & magni momenti ac vtilitatis sicut qui magno & insperato inuento thesauro cum gaudio alijs nunciat, eosq; participes facit. Inuenimus thesaurum, quasi non ego solus, sed & tu. & omnes qui sperabimus inuenimus, quod tanto desiderio expectatum est. Sciebat Philippus Nathanaelem virum doctū, & in scripturis versatum, propterea sic cum eo loquitur. *de quo Moyses scripsit, & propheta*: simul etiam, vt per hęc verba explicet illum eundem Messiam, qui à Iudęis expe-

dęis expectabatur, nec solum Messiam inuentum, sed quis sit, etiam enūciat: & circumstantias accumulat (vt quis sit, intelligat) nominis, parentis, ciuitatis: est, inquit, Iesus, filius Ioseph à Nazareth. vocat filium Ioseph, quoniā nōdum erat in fidei mysterijs plenē instructus: vulgò autem filius Ioseph reputabatur, & quia educatus Nazareth, Galilęus, & Nazaręus existimabatur.

Et dicit ei Nathanael, à Nazareth potest aliquid boni esse?

NAthanael peritus scripturarum, sciebat Christum vēturum de Bethleē Iudę; sicut enim Mich. 5. scriptum erat; & id Scribę & Principes Sacerdotū Herodi quęrenti responderant. Audiens autem esse à Nazareth Galilęa, obiecit non negando, sed admirando potius, & dubitando, *à Nazareth aliquid boni esse potest*; quasi diceret; à Nazareth nihil insigne, nihil egregiū speratur; quomodo ergo Christus verus de Nazareth exire potuit? Inferius Iudęi hoc idem responderunt Nicodemo. Ioan. 7. Scrutare scripturas, quia de Galilęa Propheta non surgit. Non est silentio prętereunda docta, & prudens humilitas Nathanaelis, vir doctus, in scripturis versatus, audit ab homine illiterato rem nouam, & summi momenti: scit scriptum per Prophetā, qui errare non poterat, Christum de Bethleem Iudę venturum; audit Galilęum, & de ciuitate infima, admiratur ac dubitat; non tamen omnino negat, nec exprobrat Philippo ipsum deceptum esse, idque fieri non posse, sed cum admiratione quadam, quamuis dubitando, respōdet; *à Nazareth potest esse aliquid boni*: humilitatis verbum est, sed doctę & prudentis: quia quamuis prima facie hoc contrarium prophetię videretur, reuera non erat, sed maximē conforme: nam oriundus, & ortus est in Bethleem, conceptus, & educatus in Nazareth, & vtrunq; prędictū erat per Prophetas: vt enim per Micheā dictum est futurum de Bethleē, ita futurum Nazaręum, vt habetur Matth. 2. prędictum est. nouit vir doctus & humilis rem difficilem, tamen non de genere earum, quę fieri non poterant, ob id admiratus & dubitās respondet. Multò aliter se habent hęretici, & maximē nostri temporis, statim ac vnam vculā scripturę suo iudicio intellectam, & expositam habent, contemnunt non vnum, non illiteratū hominem, sed omnes Doctores, totā antiquitatē, totā Ecclesiam. Non tale testimoniū habēt hęretici pro suis erroribus, quale habuit Nathanael cōtra ea, quę dicebat Philippus: & tamen pertinacissimē & imprudentissimē suū iudiciū Ecclesię toti pręferunt. Stulti hominis est, quod aliter, quā putat, fieri potest, contra cōmune hominū iudiciū tueri, & defendere velle. meritò à Christo Nathanael laudatus, & famę celebritatem consecutus est.

Christum Na-
zaręus di-
xit.

A N N O T A T I O LXXIIX.

Duo sensu in-
telligenda re-
sponso Na-
thanaelis.

AVG. tract. 17. superiorem sententiā duobus A terrogationis sententiā legunt, & ea videtur legitima expositio. Viro enim perito in scriptura difficultatem faciebat sermo Prophetę Christum de Bethleem futurum prędicentis, huic expositioni fauet, quod sequitur à Philippo dictum; Veni, & vide: quasi diceret; veni, & experientia cognosces veritatē, & acquiesces.

Dicit ei Philippus, veni, & vide.

C O M M E N T A R I V S.

Philippi hu-
militas &
prudencia.

NON defuit Philippo humilitas & prudentia, dum admirātī, & dubitātī Nathanaeli responderet; humilitas quidē, dum non se in ea quę nescit ingerit, sed suam ignorantiam fatetur. nesciebat tunc Philippus scripturas, adhuc difficultates soluere non valebat, ab ijs, quę nescit, abstinet. Prudētia verò, dū ad Christū, qui verus doctor erat, venire inuitat, à quo nodi solutionē accepturum Nathanaelē non dubitabat. imò subtiliter vritur illius admiratione ac dubitatione, vt eum ad Christū alliciat, quasi dicat; tu admirāris rē grandem & difficilē, *veni & vide*, faciliē te ab hac admiratione, & dubio liberabis, *veni, & vide*, aditum facilem & breuem veritatis tantę intelligendę

H

habes;

habes, *veni, & vide*, & experientia, si venis, comperies, quæ tibi nuntiaui, vera esse. Sperabat Philippus benignè recipiendum Nathanaelem à Christo, quia eius iam benignitatem & mansuetudinem erat expertus: propterea securè promittit Nathanaeli omnia, *veni, inquit, & vide*.

Vidit Iesus Nathanael venientem ad se; & dicit de eo: ecce verè Israelita, in quo dolus non est.

ALLECTVS à Philippo Nathanael venit ad Christum: aderant ibi alij quando accessit Nathanael, dum autem eum vidit venientē, ijs, qui aderāt, de eo pronūciauit, *Ecce verè Israelita, in quo dolus nō est*. hæc verba sunt à Christo prolata, quando proximus iam erat Nathanael, ita vt verba eadē audierit, non adulandi, solūmue laudandi eum gratia hæc affirmavit Dominus, sed præcipuè, vr occulta cordis eius manifestando, eum illuminaret, & ad fidem pertraheret. Dei enim solius est, quæ in corde sunt hominum, nosse: vocat eum verum Israelitam, id est; legis illius obseruatorem sicut nunc qui legem Christi obseruat, vt oportet, dicitur verus & perfectus Christianus simplicitatem verò cordis eius commēdat; *in quo, inquit, dolus non est*; tū quia vir doctus cum esset, non est vsus argutijs argumentorum contra Philippū, sed admiratur potius, & credit fieri posse, quod Philippus nūciabat, quamuis sacræ scripturæ repugnare videbatur; tum, ne circumstantes arbitrarentur illū quem doctorem nouerant calumniādi, aut contradicendi studio accessisse; tum demum, quia carere dolo virtus est maximè ad intimum pertinens cordis, & idcirco eum laudat, vt se cordis scrutatorem ostendat. alluditque ad illud Psal. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. in eo quod verus Israelita prædicatur; non imputabit ei Dominus peccatum; alterum verbum expressum est, nec est in eo dolus. Duos Paulus ad Rom. 9. Israelitas descripsit, quidam sunt secundum carnem, qui ex Abraham & Iacob secundum carnem descendūt; quidam sunt secundum spiritum, qui fidem Abraham & Iacob sequuntur veram & viam: non autem omnes, qui sunt Israelitæ secundum carnem, sunt secundum spiritū; nec contra, qui sunt secundum spiritum, omnes sunt secundum carnem. Nathanael secundum carnem, & secundum spiritum erat, ob id à Christo verè Israelita prædicatur.

Dicit ei Nathanael, unde me nosti?

MIRATUR Nathanael occulta cordis sibi reuelata ab eo, cui nec de facie notū se esse arbitratur, & cū admiratione interrogat, *unde me nosti?* Si Nathanael se talem non esse, qualem Christus pronūciauerat, cognouisset. non, vnde me nosti? sed non me nosti, respondisset. Si non desiderio Christum cognoscendi flagrasset, laudem humilibus verbis refutasset; At qui a veritatis amator erat, negare non est ausus, quod auctor veritatis affirmauerat: & quoniam humilitati studebat, id expressè non confirmavit, sed Christum cupiens cognoscere, admirationis interrogatione est vsus; in qua non negatur veritas, & dum tacitè approbatur, non læditur humilitas, simul etiā Christi cognoscendi non deseritur via, dum interrogatione responsum postulat, per quod veritatem assequendi aperitur via.

Respondit Iesus, & dixit ei, prius, quàm te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

MIRABILIS est Christi respōsio. interrogatus de modo, quo nouerit Nathanaelem, occulta ei duo manifestat, dicitque, *antequam te Philippus vocaret, cum esses* &c. id est, vidi Philippum te vocantē, & antequā te vocaret, quando tu eras sub ficu, ego te vidi: non dicit noui te; sed vidi, præsentiam diuinitatis suæ insinuās, qua cūctis adstat, & præses omnia videt. Quantū ex verbis

bis deduci potest, antequam à Philippo vocaretur, Nathanael in loco aliquo occulto sub ficu, vbi à nemine videri poterat, fuit, & probabile est, aliquid tūc notatu dignum fecisse: forsā orabat Deum, sacræ alicui meditationi incumberat, vel aliquid simile spirituale operabatur, quod Dominus insinuat, dū dicit *cum esses sub ficu vidi te*. Modus enim loquendi est, quando alicui, quid in occulto loco egerit, significare volumus, locum tantum noramus, per eum simul quid factum sit insinuantes; ita præsentem factum puto. Non respondet Dominus interrogationi eius verbis tantū, sed factis; quasi dicat, vis scire vnde te noui; scito te à me visum sub ficu, & à me visum Philippum, cum vocaret te, quādo sub ficu fuisti. quia hæc vidit, nō est ei difficile te etiā nosse, qualis sis. Perinde fuit ac si clarioribus verbis dixisset ei; Te noui qui Deus sum, qui video omnia. Cū autem dicit, *vidi te*, non solam exprimit cognitionē, sed insinuat virtutem, qua mouit, vt veniret; quasi diceret, nisi te vidissem, mea que virtute iuuissem, nunquā ad me, quāuis à Philippo vocatus, venisses. Objicies, nōne maius fuit reuelasse occulta cordis, quod factū est in principio, quàm hæc exteriora: quomodo igitur maius probatur per minus? Respondet verè ita esse, illud videlicet esse maius in se, tamen Nathanaeli non fuit maius, quia poterat suspicari Christum coniecturā humana vsum esse, vel ab alijs audisse. Solemus enim ex operibus, & vita iudicare corda, & sæpè nō fallimur. ita potuit suspicari Nathanael, se Christo fuisse notū, tamē quia nesciebat quomodo Christus cognouisset eum, maximè quia se ei esse ignotum arbitratur, miratus est. at modò audit, quæ non ex humana coniectura, nec ex alterius relatione, sed supernaturali cognitione sola nota esse poterant. Propterea hoc illi maius multo visum est, atque ea de causa Christus suam sententiam hoc secundo miraculo confirmat, seque illi magis manifestat. Greg. l. 17. Moral. c. 20. exponit, *cum esses sub ficu vidi te*; id est, cum esses sub vmbra legis, elegi te, sed hoc ad sensum spiritualem spectat.

Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel.

TANTO miraculo Nathanael persuasus in mirā Christi prorupit confessionem, *Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel*, quibus verbis non solū eū verum Messiam, & Christum expectatum affirmat, sed tria de eo pronūciat, quæ ex scripturis earum diligens scrutator didicerat; Doctorem & Magistrū vocat, quia de eo legerat prophetatum Ioel. 2. Dedit vobis doctorem iustitiæ. Filium Dei prædicat, quia legerat de eo dictum Psal. 2. Filius meus es tu: & additur articulus; *tu es ille filius Dei*, vt non quomodo cunque filium Dei, sed insignem filium super omnes, qualis futurus erat Messias, ostendat. Regem Israel appellat, quia de eo legerat Zacha. 9. Ecce Rex tuus venit. Mira profectò confessio plura, & maiora prædicat, quàm à Philippo audierat. Philippus filium Ioseph, at hic filium Dei: Philippus à Nazareth, at hic Regem Israel confitetur.

A N N O T A T I O L X X I X.

An Nathanael confessus fuerit Christum filium esse Dei naturalem.

CYRIL. l. 2. ca. 19. hæc confessionem sic exponit, vt Nathanael Christū verum Deum, & Dei filium naturalem confessus fuerit, quia sciebat ex Psal. 7. Deum scrutatorem cordium & renum. Idem sentit Tertul. lib. aduersus Praxeam, affirmans Nathanaelem confessum fuisse Christum filium Dei, sicut confessus est Petrus, huic consentire videtur Irenæ. lib. 3. cap. 11. & id probabile videtur. tamen magis mihi probatur, non tanta adhuc fide Nathanaelem imbutum fuisse, sed filium Dei vocasse Christum eo modo, quo Iudæi cōmuniter futurum Dei filium Messiam credebāt. Illi enim, quibus Trinitatis mysterium adhuc

non erat reuelatum, filium Dei credebant futurum eminenti quadam filiatione supra omnem adoptionem Angelorum & hominum; non autem distinctè intelligebant filium esse naturalem, & consubstantialem. quamuis enim in scripturis antiquis esset contentum, tamen ita occultè, vt non omnibus communiter is sensus pateret. propterea filium Dei credebant super omnes alios. non vterius procedentes. Prophetis autem, & ijs, quibus ex diuina gratia, Trinitatis, & incarnationis mysterium erat reuelatum, id notum erat. Sic existimo Nathanaelem vocasse filium Dei, quod ex sequenti confessione manifestius fit.

Si enim filium Dei nouisset, ut Petrus Matth. 16. quando dixit, Tu es filius Dei uiui, non Regem Israel, sed totius orbis Regem & Dominum proclamasset. At Nathanael communem sequens opinionem Iudæorum existimantium Regem temporalem in Israel futurum, vocat Regem Israel: his enim verbis sola confessio Christi exprimitur, ac si diceret: tu es ille Christus qui est filius Dei super omnes alios, & rex Israel. Et profecto laudanda, & miranda confessio est, quam post tot, ac tanta miracula Iudæi postea non sunt affecti, ita sentit Chryl. hom. 20. ubi

quæ diximus expressè docet, affirmans eisdem usum esse verbis cum Petro, sed non idē sensisse cum eo, quia merum hominem Christum credebat. Primordia enim fidei non fuerunt ita perfecta, sed paulatim augmentum suscipere, & in Nathanaele, & in Apollolis, ceterisque discipulis. Nec argumentum Cyril. vim habet, non enim Christum ita scrutatorē cordium credebat, ut Deum. potuit. n. existimare Deo reuelante id illi innotuisse. Nolo negare, sententiam priorem propter tantorum Patrum auctoritatem valdè esse probabilem.

Respondit Iesus, & dixit ei, quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis? maius his videbis.

COMMENTARIUS.

DOMINVS non arguit eum leuitatis; quia cito credit, sed potius commendat eius fidem & augmentum, fideique perfectionem promittit, ac sperare eum iubet: ac si diceret: pauca sunt, & parua signa, quæ vidisti, & his ita profecisti, ut tanta de me sis confessus; multò maiora videbis: inferendum reliquit, ergo maiora de me tunc confiteberis. Quibus verbis tacitè insinuat eius confessionem laudandam quidem, sed imperfectam esse; quia verum Deum ille ignorabat esse Christum: postea tamen maiora se editurum opera prænunciat, quibus suam aperiat, & comprobet diuinitatem, quibus instructus Nathanael maiora erat crediturus de Christo. Quod autem sit his maius, quod visurum Nathanaelem promittit, verbis sequentibus explicat. In his uocationibus discipulorum aduerte, consilio factum esse diuino, ut tantis paucis argumentis, & tanta facilitate hi primi venirent ad Christum, ut scilicet virtus, & diuinitas ipsius magis nota fieret. hac enim non operante interius, nec verbum Ioannis, *Ecce Agnus Dei*, Andreæ; nec verbum Andreæ Petrum; nec verbum exterius Christi Philippum; nec sermo Philippi Nathanaelem; nec Christi miraculum, eundem traxissent ad fidem.

Et dicit ei, Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.

EXPLICAT Christus, quod dixerat, maius his videbis, & sermonem conuertit ad Nathanaelem, & simul ad astantes, & dicit, videbitis Angelos mihi ministrantes, ac si diceret; hoc tibi magnum, ô Nathanael, visum est, quia dixi, vidi te sub ficu, & propterea me Regem Israel confessus es, videbis profecto non tu solus, sed & vos, qui adestis, cælum apertum, & illinc Angelos in meum ministerium descendentes, & rursus ascendentes, ut ex hoc ministerio intelligatis hunc, quem videtis hominem, Dominum esse Angelorum, & regem cælorum, & consequenter Deum esse verum. non dixit supra me, se *supra filium hominis*, ut fidem imperfectam illorum insinuaret. quasi diceret; huic, qui homo vobis videtur, Angelos ministrantes videbitis, ut in eo plus aliquid & supra hominem, nempe Dei verum filium esse cõfiteamini. Insinuat hisce verbis, se non solum apud Nathanaelem, sed & apud alios maiorem & perfectiorem fidem sibi conciliaturum, quã hactenus conciliauerit: videbitis, inquit, maiora sum opera factururus, quibus mundo me non solum hominem, sed Deum esse manifestabo. Ecclesiæ enim Euangelicæ ædificiũ, & perfectionem prædicat. Per Angelos ascendentes, & descendentes, ut latius annotatione sequenti, ministerium significat Angelorum, ut Cyril. lib. 2. cap. 21. & Chryl. hom. 20. exponunt. Cælum apertum dicit, quia Angeli illinc descendunt, & illuc ascendunt prædicantur. Vox illa germinata, *Amen amen*: certitudinem & veritatem rei insinuat: denique cõsideratione dignum est, familiare fuisse

fuisse Christo Domino, ut de se loquens, filium hominis seipsum appellet. quibus verò de causis frequens illi fuerit hæc phrasia, latè tractatur Annot. 19. c. 3.

ANNOTATIO LXXX.

AVG. li. 12. con. Faustum, ca. 26. & lib. 16. de ciui. c. 38. hunc locum latè exponit, & his verbis Christum illud, quod factum fuit in Iacob Gen. 28. insinuasse docet. Iacob enim olim super lapidem dormiens, vidit scalam à terra pertingentem vsque ad cælos, & in eius summitate Dominum incumbentem, Angelosque ascendentes, & descendentes per scalam. Eui-gilans autem vixit petram, supra quam dormierat, & erexit in titulum, ædificauitque ibi & vocauit locum domum Dei. Petra illa vnctã ipsius Christi figura fuit, supra quem Ecclesia fundata est, & quia Nathanael Christum cõfessus erat, qui illa vnctã petra significabatur, historiam illam Dominus insinuat, prædicans Ecclesiæ ædificationem, & Angelos ascendentes, & descendentes, id est, prædicatores verbũ cœlestem terrenis hominibus annunciantes. Multa alia circa hoc refert Aug. quæ potius ad explicationem loci illius Gen. quàm ad præsentem pertinent: quãuis enim illã historiã Dominus subindicare voluerit, & in se complendam docere; tamen ad literam Angelorum significare ministerium intendit, ut se Dominum Angelorum esse significet. Non tamen in hoc sistit sensus, sed etiam per hæc significat, se esse, per quem cæli ianua aperienda est: qui pacem Dei cum hominibus factururus est, ut sit communicatio iam cœlestium & terrestrium; se denique esse, qui in sua dispensatione Angelorum ministerio futurus erat, ut reuera factum est. Ecclesiam enim suam Angelis ministrantibus gubernat, ac regit. Quærent Doctores, quãdo cælum apertum, ac Angelos descendentes, & ascendentes viderint. Chryl. hom. 20. in resurrectione & ascensione id factum, & visum dicit; Angeli enim tunc visi sunt. Aliqui ex recentioribus id factum esse, tamen omissum ab Euangelistis, sicut & alia multa, affirmant. Cyril. l. 2. cap. 21. magis ad rem mihi respondere videtur, nõ ad visionem aliquã singularem hoc pertinere, sed ad totã Christi dispensationem. nam in Ecclesia gubernanda Angelorum utitur ministerio, Angelis etiam fideles suos custodit: Angeli orationes fidelium deferunt; per eos illuminationes fiunt, & multa alia à principio vsque in finem. Angelorum opera Christus facit. Angeli etiam in die iudicii descendunt, & ministrabunt. hoc est supra filium hominis, id est, hæc omnia Angeli faciunt, & faciunt in obsequium, & ministerium Christi, illa enim verba non ad illos solum sed ad omnes dirigebantur etiam futuros.

ANNOTATIO LXXXI.

AVG. tract. 7. in Ioan. de Nathanaele inuestigat, cur nõ sit in Apostolorum electus à Domino. Debet, inquit, iste esse primus inter Apostolos, & non solum primus non est, sed nec medius, nec vltimus inter duodecim. quæritur causa, quantum Dñs intimat, inuenitur. intelligere. n. debemus ipsum Nathanaelem eruditum, & peritum legis fuisse; propterea noluit eum inter discipulos ponere, quia idiotas elegit,

unde confunderet mundum. Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina eius meruerit eligi. Dominus noster volens superbiorum frangere ceruices, non quaeruit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est imperatorem. hæc Augustinus. Si ratio Aug. in vniuersum probaret, nec Paulus eligendus videretur, qui doctior multo Nathanaele erat. Recentiores moti pietate confessionis huius viri, eum esse voluit Apostolum, & hunc, quem alio nomine Bartholomæum vocamus: quod etiam Ruperto visum est. hoc persuadere nituntur, quia tanta confessio Nathanaelis dignè videbatur Apostolatu, hoc tamen argumentum inualidum est, cum constet Apostolatum nec dari propter merita, nec indignis denegari, imò potius ut ex gratuito dono Dei esse cognosceremus indignioribus quãdoq; collatus fuit: ut in Paulo, qui persecutor fuerat Ecclesiæ, videmus. Addunt argumentum aliud, quia Ioannes non nominauit vnquam Bartholomæum in suo Euangelio, videtur ergo hic Nathanael Bartholomæus esse. quod argumentum si valeret, nec Matheus, nec Simon, nec Iacobus Alphæus essent Apostoli, quia non sunt nominati à Ioanne: si enim omnia, quæ gessit Christus, Ioannes narrasset, utique Bartholomæi mentionem fecisset. Sine fundamento igitur hi se opponunt Augustino, & opinioni communi. quod enim dicunt, post Philippum in numero Apostolorum describi Bartholomæum, ex quo ipsum esse Nathanaelem colligunt, nihil probat, nam & Act. 1. dissociantur, & quamuis non dissociarentur, friuolum est argumentum. Dicunt rursus Bartholomæum nomen esse commune, quasi idem sit, quod filius Ptolomæi, quod si aliquid probaret, nec Barnabas, nec Barfabas essent nomina propria: Denique quia Ioannis vltimo inter eos, quibus apparuit Dominus, numeratur Nathanael, quasi non apparuerit etiam alijs discipulis, qui Apostoli non erant. Non habent robor rationes hæc, ad rem tam grauem, & contra communem sententiam confirmandam. plus roboris contra illorum sententiam habet, quod in nouo testamento quater ponitur Apostolorum catalogus. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 1. & nullibi mentio Nathanaelis facta, est, quod si fuisset binomius, explicassent Euangelistæ, sicut & fecerunt in Thoma, & Matthæo. maximè Ioannes, qui vltimus scripsit, & eius historiam narrauit. Quod autem ad Apostolatum vocatus non fuerit, Dei iudicio relinquamus. nulla enim ratio plena huius rei dari potest. Satis magnum beneficium accepit, quod de numero eorum fuerit, qui Christum confessi sunt, & æternum meruit lux confessionis accipere præmium; nomenque eius in Ecclesia factum est gloriosum, & illustre.



Die tertia nuptia facta sunt in Cana Galilæe: & erat mater iesu ibi. Vocatus est autem & iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater iesu ad eum Vinum non habent. Et dicit ei iesus, Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris; quodcunque dixerit vobis facite. Erant autem lapideæ hydriæ sex, posite secundum purificationem Iudeorum, capientes singula metretas binas, vel ternas. Dicit eis iesus; implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis iesus. Haurite nunc, & ferte Architriclino. & tulerunt. Vt autem gustauit Architriclino aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclino, & dicit ei, Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc ad quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum iesus in Cana Galilæe, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Post hæc descendit Capharnaum ipse & mater eius: & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat pascha Iudeorum: & ascendit iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes boues & oves & columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque & boues, & numulariorum effudit as, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit. Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est; Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudei, & dixerunt ei. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit iesus, & dixit eis. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudei. Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermone quem dixit iesus. Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem iesus non credebatur semetipsum eis: eo quod ipse nosset omnes. & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

Et die tertia nuptiæ facta sunt in Cana Galilæe.

C O M M E N T A R I V S.

INCARNATIONIS mysterio, & testimonij Baptistæ de Christo vero Messia primo capite expositis, Euangelista primum Christi miraculum, quo suam incepit manifestare gloriam, hoc secundo describit. Dies autem numerat ab ea, quæ in fine superioris capituli est signata; nimirum qua exiens in Galilæam, Philippum vocauit: atque ita tempus tempori coniungens, *Die tertia*, inquit, *facta sunt nuptiæ in Cana Galilæe*; vt prima dies sit vocationis Philippi, altera accessus Nathanaelis in Canam, & tertia quando ibidem hæ nuptiæ sunt celebratæ. Porro Cana, vt refert Hieronymus, de locis Hebraicis duplex erat; vna minor in tribu Zabulon, non longè à finibus Asser, decem miliaribus distans à Nazareth ad occidentem, & septentrionem, atque in hac nuptiæ peractæ sunt: altera Cana maior, proxima Sidoni in tribu Asser, de qua fit mentio Iosue 9. & ad huius distinctionem,

etionem, illa dicta est Cana Galilææ, nempe inferioris, quæ quoniam erat vicina Nazareth, nihil mirum matrem Domini ibidem fuisse.

A N N O T A T I O I.

*Quæ fuerit
ea dies ter-
tia, de qua
hic Ioan.*

QUAE sit hæc dies tertia, variè Doctores exponunt. Origenes tom. 9. in Ioan. quem sumus in Commentario secuti, diem tertiam à Philippi vocatione, & Christi profectioe in Galilæam numerat: hoc enim fuit vltimum tempus ab Euangelista descriptum; In crastinum, inquit, voluit exire in Galilæam; & hæc est prima & legitima expositio. Secunda est Epiphanius hæres. 51. hanc esse diem tertiam ab illa, qua duo illi discipuli voce Ioannis permoti Christo sese associauerunt. Sed contra expositionem hanc illud facere videtur, quod illa nocte manserunt duo discipuli apud Dominum, & die sequenti Andreas Petrum inueniens, adduxit ad Dominum: post vocationem autem Petri dictum est, in crastinum voluit exire in Galilæam; nec est verisimile, eadem die omnia hæc facta esse, nempe peruenisse cum Philippo in Galilæam, & à Philippo vocatum Nathanaelem, & ad Christum adductum, & denique eo ipso die nuptias esse factas. Superius autem recessimus ab ea Epiphanius opinione, qua censuit eadem die venisse duos illos ad Christum, & simul Petrum vocatum esse. Tertia expositio est recentiorum diem hanc tertiam numerari ab ea, in qua Nathanael venit ad Christum: hoc enim est tempus vltimo loco ab euangelista descriptum. Et quamuis hæc expositio probabilitate non careat, hoc tamen difficultatis habet, quod Euangelista tempus

A vocationis Philippi significasset illis verbis; In crastinum voluit exire in Galilæam, historiam autem Nathanaelis ad diem sequentem retulisset, tertiam autem diem nuptijs adscripsisset. Non enim est verisimile, quod aliqui eius interpretationis aut hores difficultate præuifa afferuerunt, eadem die Philippum vocatum, & Nathanaelem ad Dominum peruenisse. Quarta recentiorum quoque expositio est, hanc diem hebdomadis esse tertiam, quæ à Sabbatho sumebat initium, vt sit eadem, quæ apud Latinos dies Lunæ dicitur. At verò & hæc expositio difficultatem habet, quia diceret tunc Euangelista die tertia sabbati. nam quoties hebdomadis signatur, addi solet in scriptura, sabbati prima, aut secunda &c. Quinta & postrema etiam recentiorum auctorum est, tertiam hanc diem esse, ex quo in Galilæam peruenerat: sed & hic ea est difficultas, quod cum dies coeperimus numerare à fine præcedentis capituli, & hoc illi continetur, non videtur rationi consonum numerum dierum sumi ab ingressu in Galilæam; sed à tempore præcedenti capite significato, quod vero breui à loco, vbi Ioannes baptizabat, & à quo veniebat Christus, Canam Galilææ peruenerit, mirum non est, cum ea loca non multum distarent. Harum expositionum probabilissima, quæ Origenes sequitur, nobis est visa.

Et erat mater Iesu ibi.

C O M M E N T A R I V S.

*Mater Christi
hic cur hic
meminerit.*

MATREM Domini ibi adfuisse Euangelista narrat, tum vt præsentiam tantæ personæ non prætereat, tum quia in miraculo quod accidit ipsa interuenit (nam & filio defectum vini indicauit, & preces suas interposuit) tum quia in responsione Christi ad matrem doctrina non vulgaris continetur. Ex verbis autem propositis, mater Dei non vocata, nec inuitata ibi adfuisse cuiquam videri posse: & re vera vocata fuit, & vocatam esse refert Euangelista: nam verba sequentia sic habent (vocatus est autem, & Iesus, & discipuli) id est, vocatus est etiam Iesus; illa augendi particula (etiam) vocatam matrem insinuat: quod rectè aduertens Chrysostomus hom. 20. sic exponit; quemadmodum illam, ita & Iesum vocauerunt. At Euangelista præmittens matrem ibi fuisse, significare voluit matrem venisse ad nuptias primam. Solent enim ad nuptias mulieres notæ & familiares citius accedere, vt debita charitate cognatas, & familiares adiuuent, & quæ necessaria sunt ad futurum conuiuium præparent, ideoque conuiuij & nuptiarum diem præueniunt; quod & B. Virginem pro summa humilitate, & charitate fecisse, non est improbabile, ob idque dictum est, erat ibi mater iesu, quasi ad præstandum auxilium in ministerio, diem nuptiarum præuenerit. Has enim nuptias consanguineorum, ac familiarium, & notorum B. Virginis fuisse nemo dubitat.

Vocatus est etiam & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.

Christus cur
nuptijs inter
esse voluerit.

CHRISTVS ad nuptias venit, & vocatus venit; Venit autem primò propter quandam ciuilem comitatem, communem siquidem vitam in his exterioribus elegit, vt se omnibus magis affabilem exhiberet. Id elegãter annotat Chryso. hom. 20. qui non dedignatus est, inquit, formam serui accipere, lögè minus seruorum nuptijs interessè; qui cum publicanis, & peccatoribus versabatur, multò minus nuptias recusasset. Secundò venit, vt suo interuentu confirmaret, & sanctificaret nuptias, quas Deus in primo homine instituit, quod Aug. tract. 9. in Ioan. persequitur, dicens: Quòd venerit ad nuptias, confirmare voluit, quod ipse eas fecit: futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, Timoth. 4. prohibentes nubere, & dicentes, quòd malum essent nuptiæ, & Diabolus eas fecisset, hæc August. Tertiò venit præcipuè, vt haberet occasionem edendi miraculi, quo iam mundo suam diuinitatem demonstrare, & fidem hominum conciliare sibi, & confirmare inciperet, ipsorum consulens vtilitati. ita Cyril. lib. 2. cap. 22. miraculi potiùs, inquit, quod acturus erat, quàm conuiuij gratia profectus est. Adiungit & rationem, quam secundo loco ex August. attulimus. Non tam ergo propter celebritatem & apparatus nuptiarum, quàm vt lucrifaceret mortalium animas Dominus in terrestribus humanam sequebatur conuersationem; quod imitatus Paulus dicebat, I. Cor. 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerè. Inuitatus autem venit, vt modestiam, & decorum seruaret; Erat enim Christi conuersatio perurbana, & omni naturali virtute ornata, qua de causa etiam discipulos secum ad nuptias, non nisi inuitatos, adduxit.

A N N O T A T I O II.

HIC posset aliquis percunctari, cur non & Ioseph fuerit vocatus, cum Christus, eiusque mater sanctissima, & discipuli interfuerint; nec. n. verisimile est, si vocatus esset, Euangelistam id prætermisurum fuisse. Epiph. her. 78. generalem adhibet. responsonem: nam à tempore, quo Christum duodecimum annum agentem in templo cum B. Virgine inuenisse refertur, nulla deinceps mentio fit ipsius, quãuis interdum & discipulorum, & fratrum, & B. Virginis tractetur. historia: quæ omnia eò dicit esse facta, quia obierat, paulò post duodecimum ætatis Christi annum: cum igitur iam trigessimum Christus attingens annum ad nuptias inuitatus fuerit, Ioseph vocari nõ potuit, quia complures ante annos è viuis excesserat. E contrario verò graues Doctores eum etiam tempore passionis superstitem fuisse affirmat; inter quos est Cypria. de passione Domini dicens, Ioseph æquanimiter esse passum Ioannè sibi præponi, quando B. Virginem illi commendauit. in cruce Christus; quam sententiam sequitur Ambrosius Luc. 23. Mihi certè probabilius est, quod Epiph. sentit, nempe; quòd nec passionis, nec nuptiarum tempore superstes fuerit. Et verò me multum illud mouet; nullam mentionem hoc tempore eius factam esse: imò nec postea, cum tamen frequens non desuerit eius commemorandi occasio. Cetera tamen, quæ Epiph. affirmat de Iosephi ætate, & de tempore, quo nato. Seruatore nostro vixit, vt, & de primo eius sponsalicio, non probo. Locus autem hic ea tractare, aut discutere non permittit:

Ioseph nup-
tias cana non
seruauit.

A N N O T A T I O III.

DIFFICILVS est, qui ex discipulis, inter fuerint nuptijs definire. Chry. hom. 20. legit, fratres, at communiter textus etiam Græci discipulos habent; & sic exponunt Doctores. Epiph. her. 51. vnum affirmat, vt certum, alterum sub dubio relinquit. Certum putat Petrum, & Andream non interfuisse, quia postquam à Christo recesserant, ad suam redierunt piscationem, dubius autem est an Philippus, & Nathanael aut quispiam alius adfuerit; rectius mihi loqui visus esset, si nec prius, vt certum affirmasset: nam fieri potuit, vt quãuis tunc à Christo recesserint, die altera ad eum redierint, maximè quia non piscandi causa in Iudæam, vbi vocati sunt, venerant: nam in Galilæa piscatum exercebant, vnde crediderim eos vocatos esse ad nuptias. Chryl. hom. 47. in Ioan. inter inuitatos Iacobum, & Iudam numerat. Res hæc incerta est, nec affirmari aliquid constanter potest. Verisimilius est Philippum, & Nathanaelem adfuisse, eolq; discipulos Christi vocatos esse: nec tamen negauerim Andream, & Petrum, & fortè aliquem alium interfuisse, quamuis id temporis nondum isti Christo perfectè adhæserint: nuptiæ enim hæc celebratæ sunt antequam Ioannes in carcerem missus esset: quod autem Matth. 4. narratur de horum uocatione, post Ioannis vincula accidisse constat: Quod verò Amb. ser. 20. Apostolos sibi interfuisse affirmat, intellige, qui postea Apostoli fuerunt electi, qui autem, & quot fuerint, nõ explicat.

Qui discipuli
rum C. diuina
fuerint.

Et de-

Et deficiente vino.

COMMENTARIVS.

DIXIMVS nuptijs voluisse Christum adesse, vt patrãdi miraculum, & fidei conciliandæ occasionem acciperet. nunc ergo sacer Euangelista vt miraculum narret, nuptiarum textit historiam, ac cæteris præmissis ad illud describendum peruenit. Deficiente, inquit, vino, Græcè aoristus est, cum deficeret vinum, vtique ante finem conuiuij: vnde Aug. serm. 4. de tempore, nondum penitus totum vinum defecisse putat; vt sensus sit: cum vinum iam deficere incœpisset, antequam omnino deficeret, ministros fecisse certiores eos, quibus incumbere necessaria prouidere, & vocem hæc ad B. Virginem peruenisse credendum est. Neque verò immoderatum conuiuantium potum defectiois vini causam esse, sed potius paupertatem inuitantium, certo mihi persuadeo. Vbi enim Christus, cum sua matre aderant, luxum omnem & intemperantiam abfuisse dubitare nemo debet, Nec tamen imprudentiæ taxandi sunt inuitates, qui necessaria non preparauerint, vel quòd plures quàm pascere possent inuitarint; sed pauperes cum essent, quæ pro sua tenuitate potuerunt, compararunt, & quoniam nullum ex amicis non inuitatum relinquere voluerunt, prius poculis quàm officio defuerunt. His addo, euenire posse in his nuptijs, quod in alijs accidere solet; aut enim plures persone accedunt, quàm expectabantur, quãdo conuiuium instruebatur; aut ministri in distribuendo minus prouidi & fideles præsumunt; aut casu aliquo perit aliqua vini pars. pauperes autem omni euentui subito occurrere non possunt. Nec intemperantiæ ergo conuiuæ, nec imprudentiæ sunt inuitantes arguendi. Quanquam & ab hoc negotio non excludenda est diuina prouidentia, imò locum primum tenet, quæ vinum deficere conuiuis permittit vt per eum defectum Vnigenitus Dei filius, sicut & per infirmitatem Lazari, glorificaretur.

Vini defectio
vnde.

Dicit mater Iesu ad eum.

QUONIAM mater Domini defectum vini ex suggerentium ministrorum relatione perceperat, maximè cum ad sponsæ familiares foeminas id iam deferretur, instanti necessitati per filium prouidere volens, accessit, & dixit ei, quæ sequuntur. Commendanda est hoc loco misericordia B. Virginis perfecta, & opportuna misericordia quidem, qua proximorum indigentia subuenire studuit; perfecta autem, quia à nemine rogata, sed sponte ad succurrendum se exhibet efficacem. Cum enim pauper & ipsa esset, & filius nõdum Deus ab alijs crederetur, neminem ab ipsa vt pecunijs, aut filij miraculo auxiliaretur, petiisse certum est. ipsa est, quæ rogante nemine subuenire nouit: eaque est perfecta misericordia, quæ etiam petitiones & preces præuenit. Etenim tantò misericordia perfectior, quantò liberalior: tantò autè liberalior est, quantò minus rogari expectat. petitionis enim expectatio apud homines, precij quædam est acceptatio; nec perfectè misericors petitionem expectat, nisi in quantum per eam defectus ignotus ei manifestatur. Deus autem noster, si peti vult, id facit, quia petitio in nostram cedit vtilitatem, & adhuc, vt petamus, misericordiæ beneficium est: secus inter homines accidit. Fuit igitur perfecta hæc B. Virginis misericordia. Nec minus opportuna; quod plurimum in accipienda, & conferenda misericordia refert. vt enim infirmo medicina debito tempore adhibita prodest, quo præterito inutilis est; sic misericordia exhibita conuenienti tempore auxilio. est opportunè autem B. Virgo subuenire studeat, prius quàm defectus vini conuiuis innotescat: quando adhuc honori inuitantium prospici potuit, tunc mater filium alloquitur, & præsentis indigentia subuenire procurat. Existimo autem B. Virginem locum, quem inter mulieres tenebat, deseruisse & ad filium, vt quæ sequuntur loqueretur, accessisse.

Beatissime
V. Mariae mi-
sericordia per-
fecta.

Vinum

Vinum non habent.

Fides & prudentia B. Virginis.

MAGNA fides, eximia prudētia in his verbis elucet. Fides quidem, quia, ut rectē aduertit Cyril. li. 2. in Ioan. cap. 22. Omnia credidit filio possible, non ut pecunias ad emendum vinum erogat; non ut sponso & conuiuistedium, quo ob vini defectū affici poterant, verbis consolatorijs eximat, ut ineptē aliqui hæretici commentantur, sed ut sua potentia, qui filius Dei est, sit subsidio, precatur. Quamuis enim nondum Christus miracula edidisset, B. tamen Virgini eum posse quæcunque vellet, non erat ignotum, quem filium Dei verum credebat. Fides ergo magna in his verbis ostenditur. Nec minor prudentia, quàm verbis Bernar. ser. 46. super Cantica explicare possumus. *Vinum*, inquit, *non habent*, non precatur Dominū, non imperat filio, de fectum vini tantum nuntiasse contenta, cum beneficis, & ad liberalitatem propensis, ita est agendum; non enim gratia violenter exprimenda, sed proponenda occasio. hæc Bernar. prudenter ergo B. Virgo se gessit. Nec nunciat, ut ignaro; quem enim Dei filium credebat, omnia ei nota esse, non dubitabat: sed simul dum nuntiat, tacitē suam interponit intercessionem. Simile quid Ioan. 11. in illis sororibus legitur. Ecce, quem amas, infirmatur.

Et dicit ei Iesus, quid mihi & tibi est mulier?

HABEBAT Christus opera quædam communia, ut alij homines: habebat & propria, ut Redemptor erat, nempe prædicare, miracula edere, discipulos congregare, & alia huiusmodi: in illis parentibus subiectus esse, & humanos admittere affectus voluit. rogatus enim & inuitatus iure consanguinitatis & amicitia, & humanæ cōuersationis multa fecit. at in his diuinæ rātum subdebatur voluntati, nec obsequium vllum aut respectum admisit humanum, nisi quod à Patre præscriptum & mandatum habuit; quod matri, Luc. 2. significauit, dicens; In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. quasi dicit; ne miremini, si vestra facultate minimè, requisita mansi Hierosolymis, quia opus Patris mei, & ad redemptionem pertinens exercere debui, in quo humanum non specto obsequium, sed diuinam seruo Patris voluntatem. Tale opus erat præsens, quod B. Virgo petebat, cui similibus respondet verbis, *quid mihi & tibi?* Hebraismus est vsitatus, latinè dicēdum erat, quid mihi tecum? vel sine interrogatione, nihil in hoc mihi tecū, id est, opus quod petis non ex humano pendet obsequio, non iure filiationis humanæ, nec amicitia aut consanguinitatis vllius exhibendum est ratione; sed ex diuina pendet voluntate. in cæteris, quæ communia mihi cum hominibus sunt humanum seruo obsequium, quæ verò ad redemptionem pertinent, & ob quæ veni implenda, diuinum seruo præscriptum. Verba hæc instructionis sunt, quæ non indignis B. Virginem, sed propter circumstantes, & propter nos dicta suspicor, ut Christum in his, quæ Patris sunt, non humanos carnis aut sanguinis seruasse respectus intelligeremus, sed prout à Patre accepit faciendā. Potuissent enim circumstantes suspicari obsequio matris, & iure sanguinis permotum filium, opus, quod postea diuinè operatus est, patrasse, atq; in hoc similibusq; prodigijs, humanas preces, & iura hominum obseruasse. Simile quid habemus Matth. 12. volentibus enim eum quibusdam à prædicatione abducere, eaq; de causa dicentibus; Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te; respondit, quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? ac si dixisset, in his operibus, quæ ad Deum spectant, & quæ manifestationis meæ, & humanæ salutis sunt, propter quam veni; non hominum voluntatē aut humana obsequia, sed Dei respicio decretum & beneplacitum. quæ verba non propter matrem, sed propter illos, qui tunc aderant, protulit. Vnde Ioan. 11. Gratias ago, quia audisti me, scio quia semper me audis, sed propter populū, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. & Ioan. 12. cum vox Patris ad eum

ad eum facta esset (& clarificaui, & iterum clarificabo) dixit Christus, non propter me venit hæc vox. Sic in præsentī (quid mihi tecum) non propter eam, sed propter adstantes, & eos, qui audituri erant, dicta sunt: ut iam his verbis se Dei filium incipiat declarare.

ANNOTATIO IV.

Ex hoc loco Pagani & Hæretici errandi sumpturunt occasionem: Catholicis verò loquendi non ut par erat de B. Virgine

IN sacra scriptura hæc phrasī, seu loquendi modus, quid mihi & tibi, idem significat, quod latinè, quid mihi tecum? 2. Reg. 16. quid mihi, & vobis, filij Saruia? Iohe. 3. quid mihi & vobis Tyrus & Sidon. Matth. 8. quid nobis & tibi, Iesu fili Dei? Luc. 8. quid mihi & tibi, Iesu fili Dei altissimi? In hunc sensū hanc nostram sententiam graues & multi Doctores exposuerunt, quod nos etiam secuti sumus in commentario. Hinc Pagani quidem blasphemandi contra Christum, Catholicis verò nonnulli loquendi de B. Virgine, non ut par erat, Hæretici etiam errandi in fide occasione sumpturunt, quæ omnia breuiter discutienda sunt. Primo ergo loco Gentiles seu Pagani hæc verba olim Christianis opposuerunt contra Christum, quasi matrem contempserit, & iniuria affecerit, contra Dei præceptum, parentes honorare iubentis, ut refert Iusti. Mart. lib. quæst. Gent. resp. 136. Sed grauius in hoc errarunt Primò, quia hæc phrasī non est contemptus alicuius. nam Matth. 8. & Luc. 8. Dæmon dixit Christo, quid mihi & tibi? quem tamen non contemnebat, sed potius deprecabatur. Secundò ex causa adducta, nondum venit hora mea: nam diuinam declarare ordinationem, non est contemnere, sed instruere: diuinū etiam mandatum præponere voluntati hominum, non est spernere homines; sed debitum inter Deum & hominem seruare ordinem. Verbis enim his docet Christus opera huiusmodi diuinitatis non esse humanis subiecta obsequijs, sicut etiam quado Luc. 2. respondit, In ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse; non parentes contempserit, quia statim adiunxit Euangelista; & erat subditus illis, sed quod Deo Patri debebatur, exposuit. Non igitur in his verbis, quæ eundē continent sensum, contemptus vllus erit. Adde tertio, verbis, quæ sequuntur, non solum matrem non contempserit, sed honoratam fuisse conuincimus: nodum, inquit, venit hora mea: si contempserit, rationem, & causam quare tunc petita non faceret, non attulisset, & rursus spem faciendi conuenienti tempore, non dedisset: quæ tamen in prædictis verbis, ut paulo post explicabimus, insinuantur. Sed & in sequentium expositione hæc blasphemia Paganorum impietas magis conuincetur. Vnde Iusti. loco citato, & Cyril. lib. 2. cap. 23. nulla iniuria, aut contemptus hac responsione matrem affectam esse non minus rectè, quàm religiose docuerunt. Hæc de Paganis. Ad nostros veniamus.

ANNOTATIO V.

Catholicorum sententia & eorundem rationes conuincuntur.

CATHOLICI quidam Doctores verba hæc esse cuiusdā obiurgationis & reprehensionis affirmarunt. Athana. ser. 4. cont. Arrian. per hæc verba, à Christo matrem increpitam di-

Act. Augu. lib. 2. de Symb. ad Catechu. ca. 6. verba esse admonitionis seu reprehensionis dicit. Chrylost. hom. 20. esse verba indignationis contra matrem asseruit. Irenæ. lib. 3. cap. 18. dicit esse verba repulsæ: matris enim repulit petitionem. similiter & Grego. Nise. orat. in illud dictum Apostoli: Tunc erit & ipse subiectus, &c. Quamuis autem hi Doctores in his conuenire videantur; tamen non omnes eandem causam reprehensionis, siue repulsæ, siue indignationis assignant. Athanasius nullam increpationis causam expressit. Augustinus verò vnam dumtaxat explicauit, quia nempe mater id petebat, existimans se iure maternitatis id posse filio præcipere: eandem assignat Chrysol sed insuper duas addit, ut secunda ordine sit, quia intempestiuè miraculum petebat nodum enim erat aptum tempus, quando vini defectus nodū erat notus. ut tali miraculo Christus manifestaretur: tertia est, quia fortasse, inquit, aliquo humano vanæ gloriæ affectu mouebatur, per opera filij propriam apud alios gloriam quærens. Greg. Nise. primam, quæ & Augustini est, explicat causam. Irenæus autem secundam, Euthymius sequitur tertiam. Quare ex omnibus Doctoribus, affirmantibus verba hæc esse reprehensionis, increpationis, indignationis, aut repulsæ tres tantum causas colligimus.

Pro veritatis huius declaratione, sunt aliquot responsiones annotandæ. Prima est, ut Catholicos à Paganis discernamus, quamuis verba hæc essent reprehensionis, aut increpationis, non propterea censendus est Christus, matrem contempserit, aut inhonorasse. Multum enim inter reprehensionem, & contemptum interest; unde licet aliquando minoribus & inferioribus ex debita charitate reprehendere maiores & superiores: ut docet August. Epist. 119. ad Hiero. quod illo Gala. 2. probat. vbi Paulus inferior, & subditus Petro, ipsum etiam publicè reprehendit. In faciem, inquit, restiti, quia reprehensibilis erat: non tamen propterea dictus est eum contempserit, quod & ratione probat. Correctio enim charitatis est; si igitur superiores diligendi sunt charitate, ergo & corrigendi, quando ratio postulat, reuerenter tamen & humiliter. Propterea August. lib. 4. de orig. animæ, cap. 1. restitit: Si turpe est, inquit, ouibus non corrigere pastores, quanto turpius erit Prælati, & maioribus non corrigere inferiores. Admonitio ergo & reprehensio, contra parentū honorem non est, sicut nec dilectio. malitia autē & peruersitate hominum effectū est, ut correctio reputetur iniuria. propterea rectè Greg. li. 10. Mora. ca. 3. inquit, sicut boni correctionis vocem charitatis. ministerium estimat, sic peruersi contumeliā derisionis putant. Probatur igitur

igitur est contra Paganos, quamvis Christus reprehendisset matrem, ut Doctores catholici affirmant, non propterea eam contempsisse, nec contra honorem debitum parentibus aliquid egisse.

Secunda responsio, Verè non sunt reprehensionis, aut increpationis vllius verba hæc. ita expresse affirmat Iustin. expl. quæst. gen. resp. 136. Imò Augu. qui loco citato verba reprehensionis fuisse affirmavit, eadem verba iterum exponens tract. 8. in Ioan. à tali abstinuit sententia. In primis hæc phrasia, sicut contra Paganos diximus, nec contemptum, nec reprehensionem, aut indignationem semper significat. Dæmon enim non contemnens, nec indignans, nec reprehendens dixit Christo Luc. 8. & Matt. 8. quid mihi & tibi? sed potius timès, & obsecrans. At ne sine ratione & fundamento rem tanti momenti, & contra graues videamur affirmare Doctores, libet responsionem nostram ratione vigenti confirmare. Est autem hæc, quia nulla causa reprehensionis, occurrebat; sine causa autem matrem reprehensam esse nemo asseret. Iam si tres illas causas superius à Doctoribus adductas singulatim discutiamus, nullam earum inueniemus esse legitimam.

Rationis præmissio. Ea in primis causa asserbatur, quia iubere, & iure materno præcipere miraculum tentauit; at vnde isti Doctores hoc sibi persuaserint, non apparet; sed potius contrarium, nam Euangelista simplici vsus est verbo; dicit mater tesu ad eum: si iussisset, non id vti que dissimulasset Ioannes, cum ex eo penderet tota Christi responsio. præterea de tanta B. Virginis humilitate, non est præsumendum, ei præcipere voluisse quem filium Dei credebat, & cui se ancillam in Angeli annunciatione obtulerat, & confessa erat. Ad hæc ignorantia erat indigna tanta fide, quanta in ea splenduit, si existimasset in miraculis, & diuinitatis operibus Christum sibi esse subiectum. Huc accedit, quia verba sunt rogantis, & deprecantis, Vinum non habent, imò tantæ erga filium æuerentiæ, ut nec preces expresserit, ne filium ad aliquid faciendum obligare videretur. Ita affirmarunt Hilarius. lib. 3. Trin. & Ambrosius sermo. 16. in Psal. 118. versu 6. & Cyrilus. lib. 2. in Ioan. cap. 23. nempe verba hæc, Vinum non habent, rogantis esse, ac pro inde Christum rogatum à matre. Quis autem rogasse, & preces pro miraculo effudisse, vitio & non potius laudi tribuendum esse iudicet? Similiter existimare preces suas quia mater erat, multum apud filium valituras, certum & verum erat. Si enim Apostoli rogabant; & obtinebant Matth. 15. Accedentes discipuli rogabant eum. Seniores etiam Luc. 7. pro Centurione rogarunt; & sæpè legimus in Euangelio rogatum Christum fecisse miracula; cur non licuit matri, quod licuit inferioribus; & minoribus? non ergo hæc prima causa reprehensionis solida est.

Secunda ratio refellitur. Quid de secunda dicemus? intempestiuè petiisse illam asserunt. At ut quod sentio fatear hæc causa nulla est. Principio; quomodo eam intempestiuè petiuisse iudicabimus, quæ

non statim miraculum fieri, sed solam subuentionem petijt à filio; quando autem, & quomodo, non præscripsit? Secundo, quia etiam si tunc petiisset, ut subueniret, non erat vitiosa petitio, ipsa enim nec sciebat, nec scire tenebatur tempus diuina voluntate statutum; satis ei erat rem iustam, & dignam tali filio petiisse. Paulus sibi carnis stimulum rogat auferri, & rem, quæ non secundum voluntatem diuinam erat, petebat; tamen petitio eius laude fuit digna, & responsum obtinuit à Deo. Licet enim petamus aliquando ea, quæ non sunt secundum diuinam voluntatem, non sequitur petitionem ipsam esse vitiosam, quia Deus petere nos vult, quæ honesta & iusta sunt: diuino autem suo relinquit consilio, an sint concedenda nec ne, propterea Rom. 8. dicebat Paulus. Quid oremus, sicut oportet, nescimus. non tamen oratio ob id vitiosa fit. multo ergo minus in hac petitione est, quod suggerat causam reprehendendi, quandoquidem, & quod petitur, fit à Christo, & conceditur, quod rogatur.

Tertia ratio non ferenda. Vltima certè reprehensionis causa allegata, à Catholico iam proferenda non est: ex decreto enim Concil. Trid. nullum actuale peccatum, nec etiam veniale B. virginem vnquam commisisse, certissimo tenendum est. absit ergo eam vlla ambitione motam, aut vanagloria deceptam; & in hoc Chryso. probandus non est. Quanto rectius August. lib. de nat. & gra. cap. 36. quando de peccato agitur, matrem Dei propter honorem filij excipiendam censuit. Ex qua veritate euidenter sequitur, contra opiniones omnes prædictas, non esse verba reprehensionis, aut increpationis diuinæ matris. vbi enim culpa nulla est, nec reprehensio, aut increpationis locum habent. Constat ex his omnibus nulla cum sit reprehensionis causa, verba prædicta non esse reprehensionis alicuius, aut increpationis in matrem.

Tertia responsio sit. Verba eadem non sunt alicuius repulsæ, quod verbis sequentibus confirmatur: Nondum venit hora mea, si repulisset matrem, non reddidisset causam, cur statim non faceret, quia nondum hora erat, multoque minus spem faciendi, quod petebat, dedisset. Cum igitur, cur statim non faciat, exposuerit, & faciendi spem & promissionem dederit, non possunt esse verba repulsæ. Præterea, si petitio iusta est, vti probauimus, & nulla reprehensione, sed laude digna, ut potè quæ ex tanta fide & misericordia proficisceretur, non erat, quod repulsam aliquam mater pateret. Adde quod graues doctores, ob matris intercessionem Christum citius miraculum fecisse, quam facturus erat, affirmant. ita Ambrosius. ser. 16. in Psal. 118. Cyrilus. lib. 2. cap. 23. & idem Chryso. hom. 21. & ego ita existimo factum. quod qua ratione sit intelligendum, in verborum sequentium expositione declarabitur. Longè igitur abest repulsæ à verbis, quæ rem tantam à filio impetrarunt. Quarta & vltima responsio sit: Verba hæc sunt instructionis & cautelæ, & nõ propter matrem, sed propter circumstantes, & eos, qui auditori erant; ne quis

ne quis miracula hæc ob humanos respectus facienda putaret, sicut alia humana sunt: ut latius in commentario profecuti sumus: & in hoc mihi valde sententia Bern. probatur ser. 2. in Dom. prim. post Octa. Epiph. assentis, hæc Christum non propter matrem, sed propter nos protulisse. quod optimo consilio factum est, ut in hoc etiam Christus se esse Dei filium demonstraret. verba igitur hæc potius sunt ad diuinitatis demonstrationem, & ad instructionem fidei, & hoc propter alios: nullamque reprehensionem, increpationem, repulsam precum matris, sed potius honorem, & dilectionem continent.

ANNOTATIO VI.

Patris expositiones explicantur. SUPERIOREM sententiam antiqui Patres non eodem modo exponunt, ut ex supradictis constat. Sunt quippe tres expositiones. Vna Aug. tract. 8. in Ioan. alijque etiam in locis, qui phrasim illam tenent, quid mihi & tibi? id est, quid mihi tecum? tamè sic explicat: habebat quidem Christus naturam diuinam, simul & humanam, opera tamen miraculosa, quæ edebant, à diuina procedebant, eaque operabatur præcipuè ut Deus, non ut homo: sicut è contrario communia opera, ut ambulare, comedere, ceteraque humana, præcipuè faciebat, ut homo. Cum ergo B. Virgo opus peteret, quod non secundum humanam naturam, in qua Christus matrem, sed secundum diuinam, in qua Patrem tantum habebat, faciendum erat, respondet, quid mihi & tibi? id est, petis opus, quod non ut homo, in quo tecum mihi commune aliquid est, quia filius tuus sum, sed ut Deus in quo matrem te non agnosco, facturus sum. nihil mihi tecum in hoc. hæc expositio supponit vnum, nempe Beatam Virginem iure materno petiisse miraculum, ob id respondet Christus, in hoc non te matrem agnosco, quia hoc opus mihi incùbit, ut Deo, in qua natura nihil mihi tecum, non eam à te, se ab æterno à Patre accepi. Sequitur hanc expositionem Grego. lib. 8. episto. 42. Et August. quidem sic Christum respondisse miraculum ab eo fieri requisuisse putat; ideoque à filio reprehendi affirmat: quod nos in annotatione superiori graui confutauimus argumento.

Altera est expositio Greg. Nisse. orat. in dictu Apostoli; Tunc & ipse erit subiectus &c. quæ licet eandem retineat phrasim, tamen procedit de Christo etiam ut homine, & est talis; ut velit per hæc verba Christus se in his, quæ ad miracula spectant, matri subditum non esse, sicut erat in alijs: quasi dicat, quid mihi tecum? nõ in his subiectus sum tibi, ut in alijs. hæc eadè est expositio Chryso. hom. 20. & quam nos secuti sumus in commentario: relinquentes tamen alia, quæ Grego. & Chryso. adiunxerunt nempe verba esse indignationis contra matrem, quasi ambitione aliqua inductam ad petendum miraculum, ut dicebat Chryso. similiter verba esse reprehensionis, aut repulsæ, eo, quod iure materno id postulare, ut existimauit

Auctoris sententia declaratur.

Greg. Nisse. Quæ quidem cum superius improbanerimus, retinemus solum meram expositionem, nempe hæc dicta esse, ut significaret Christus suæ diuinitatis opera, nõ ex humano pendere obsequio, nec se in his vllum matris imperiũ, sed solam patris voluntatem recognoscere. & hic est sensus. quid mihi, & tibi, id est; in his nõ ab obsequio humano pèdeo, nõ ob hominũ sunt hæc facienda respectus, sed secundum patris decretum. Non sunt tamen hæc verba propter matrem dicta, sed ut superius attigi propter aliorum instructionem, ne humano obsequio hæc facienda existimarent; nec B. Virgo iure vlllo materno, aut humano id petebat, sed ut filium Dei non humanis, sed spiritualibus precibus rogabat: at ne alij iure materno, & humanis precibus id factum crederent, ob id ita respondit: & ut etiam hoc verbo diuinitatem iam tuam inciperet confirmare. hæc mihi, sic intellecta, visa est legitima expositio.

Comunis sententia propria. Tertia expositio est itidem grauium Doctorum, & quam nos sæpè publice in cõcionibus secuti sumus, & adhuc valde probabilem existimamus, quæ est Iustin. explicat. quæstion. gent. resp. 136. Epiph. hæres. 51. & 79. & Euthymij. ut talis sit sensus: nec meæ, nec tuæ curæ est prouidere de vino, non nostrum id est, sed inuitantium. Et quia hæc expositio est accommodata, & placere aliquibus potest, ut nobis placuit, & placet, & tam grauium Doctorum auctoritate fulcitur, paulò fufius eam licet explicare. In confesso est curam de vino prouidendo, ad sponsum, & eos, qui conuiuas inuitarunt; iure, & debito pertinere; non ad inuitatos; qua ratione nec ad B. Virginem, nec ad Christum, qui vocati erant, id pertinuit: ex quadam tamen misericordia, & charitate hæc suscipere curam vocati potuerunt: & non aliter est à B. Virgine suscepta. Quamvis enim diues non esset, ut pecunia posset supplere defectum, cogitauit tamen, & credidit per filium, quem omnia posse sciebat, subuenire.

Notum & illud est tempus, seu opportunitatem supplendi defectum vini, ijs, quibus iure incumbere esse, antequam inuitatis manifestum esset vinum defecisse: sic enim eorum cõsulebat honori; at opportunitas Christi ea erat, cum iam defectus esset notus, & occultari non posset. Hac enim via miraculi virtus publicabatur, & Christi diuinitas ostendebatur, & fides præsentium conciliabatur. Is enim finis erat, propter quem edenda erant miracula. B. ergo Virgo magna misericordia commota defectum vini, quasi id sibi ex debito incumbereberet, supplere volens, filium adit, & ut subueniat rogat: cui Christus respondet, quid mihi, & tibi? id est, non est meæ, nec tuæ curæ prouidere, non nobis iure incumbit hæc curæ; quasi diceret, adhuc tempus non est mihi opportunum, quia nondum est manifestus defectus: eorum est modò prouidere, qui inuitarunt, at quando mea fuerit opportunitas, non deero, proindeque addit; Nondum venit hora mea: quibus verbis matrem plurimum honorat. Quid mihi, & tibi: ac si diceret, si mihi aut tibi cura iure in-

re incumberet, iam iam prouiderem & defecum supplerem, quando adhuc reliquos later. Sed quia nec mihi, nec tibi incumbit, expectanda est opportunitas alia, & hæc erit quidem, sed modo non est. B. autem Virgo, cum nullum filius miraculum adhuc esset operatus, nesciebat qualis foret miraculorum opportunitas, nec quibus de causis filius ea esset editurus. Semper enim in fide proficiebat, propterea rectè, & laudabiliter rogat filium ut subueniat præfenti, & urgenti necessitati. Hic est horum verborum sensus iuxta expositionem horum Doctorum, & non est improbabilis: mihi magis ad litteram facere videtur expositio, quam sumus in commentario profecuti, quia illa phrasim; *quid mihi, & tibi*, hebræa est, nec in tota scriptura reperitur in sensu alio præter eum, quem diximus, quid mihi tecum? Sed de his satis, nunc diuersas hæreticorum opiniones excutiamus.

ANNOTATIO VII.

Hæreses vitanda.

CAuendæ sunt hæreses, quas verbis præsentibus hæretici tueri conati sunt. Vna est, quam refert Augustinus tract. 8. Manichæorum, qui B. Virginem, matrem esse Christi negabant: Si enim mater esset, inquit, nequaquã respondisset Christus, quid mihi & tibi? hi enim hæretici eandem phrasim obseruarunt, ac si hic dictum esset: nihil mihi tecum. Negauerunt eandem veritatem Marcion, Valentinus, & alij hæretici, sed rectè Augustinus hac eadem lectione eos erroris conuincit. nam dicitur expressè mater Iesu, est hæc insignis in hæreticis proteruita, qui cum haberent eandem Euangelij lectionem æqualis, & vnus auctoritatis, verbo expresso noluerunt credere: verbum autem obsecrum, & quod varios recipere poterat sensus, suo iudicio in deteriore partem interpretati, recipiunt. Quod argumento est, eos non veritatem, sed propriam voluntatem, & iudicium quærere, plus potuit apud eos *quid mihi, & tibi*, quod nulla ratione facit ad excludendam maternitatem, quam verbum expres-

Nondum venit hora mea.

COMMENTARIUS.

CVM verbis præcedentibus, se non humanis obsequijs miracula, & opera diuinitatis facturum, propter nostram, & circumstantium instructionem significasset; matrem tamen spe eius quod petebat consequendi, priuare noluit: imò rationem, & causam quandam tacitè, cur quod petierat, non statim faciat, reddit. *Nondum*, inquit *venit hora mea*. nondum est opportunitas mea: vbi placitum Patris aduenerit, hoc sum opus facturum. faciam ergo quod petis, sed opportuno tempore, & cum venerit hora mea. Sciendum Christum secundum suam diuinitatem, vna cum Patre ab æterno non solum instituisse, ac decreuisse omnia opera, quæ pro salute nostra in carne suscipienda facturum erat, sed & singula suis temporibus, & locis disposuisse, & ordinasse, eaque cuncta suæ humanitati susceptæ in ipso vnionis instanti reuelasse. de qua dispositione Actorum primo dicitur; Non est vestrum nosse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. hæc igitur horam suam hoc loco vocat, quia qua Deus erat, multo iam ante hoc opus facere disposuerat. Rursus suam dicit, ad significandum dominium, & potentiam diuinam, per quam

Domi-

Asum: *Erat mater Iesu tibi*, & iterum, dicit mater Iesu. Altera hæresis eorum est, qui dum B. Virginem in hoc & alijs scripturæ locis mulieris vocabulo legerent nuncupatam, temerè eius virginitatem negarunt. cuius quidem hæresis, & ipsius fundamenti meminit Origen. hom. 8. in Leuit. Existimarunt enim mulieris nomen solis corruptis tribuendum, sed quantum decipiuntur notant Origen. & Hieron. ad Galat. 4. cum nomen hoc sexus sit, sicut & foemina: addit Origen. hoc ipsum nomen ætati tribui, quæ enim est annis prouectior dicitur mulier, vt in altero sexu dicitur Vir. quod ex Gen. 3. perspicuum est. vbi Eua necdum à viro cognita, dicta est mulier, Vidit inquit mulier, quod lignum esset bonum: & dixit serpens ad mulierem: & mulier quam dedisti mihi. Quare autem Christus mulieris vocabulo vsus sit, existimo causam fuisse consuetudinem, & loquendi modum eo tempore communem. Absit enim vt ex contemptu aliquo id factum esse in animum inducamus nostrum: quandoquidem & in cruce pendens, & præ summo amore eam Ioanni commendans, dixit; Mulier ecce filius tuus. Rectè Epiphanius hæres. 79. affirmat, sic matrem Domini vocatam, quia consulere, & providere futuris voluit. Fuerunt enim quidam postea, qui B. Virginem, vt Deam venerati sunt, eique sacrificauerunt. qui certè hoc verbo conuincuntur *mulier*, quod substantiæ, & naturæ creatæ, sicut & aliæ sunt, eam fuisse probat. siue ergo Christus id intenderit, siue non, hoc sanè vocabulo tales hæretici confutantur. Nesciunt miseri medium tenere, quod quidem proprium est omnium à via, & veritate aberrantium. Illi nimium deprimebāt B. Virginem, eius virginitatem, eiusque maternitatem negantes: hi supra modum efferebant, ipsi diuinitatem tribuentes, quemadmodum & alij Christum adeò deprimebant, vt diuinitatem eius negauerint, alij eum sine modo suo iudicio extollere volentes, humanitatem non recognouerint; indignum Deo rati, quod homo factus sit. Veritas Catholica medium tenet.

Mulieris nomen est in scripturam butum.

Cur Christum matrem materem vocauerit.

Dominus est, & conditor temporum, & quando vult, operatur. nemo quidem hominum horam habet suam, nec certam potest horam eligere, in qua opus aliquod suum constituat, & disponat. At Christus Dei filius omnia, & singula tempora in sua potestate habens, certa potuit eligere momenta, quibus diuina opera pro sua voluntate certis horis, atque momenti exercebat. Hac igitur de causa horam suam dicit, *Nondum venit hora mea* in qua secundum meam æternam dispositionem, hoc opus facere decreui. Est & illud hoc loco aduertendum, Dei filium, cum omnium antequam fierent esset præsciens, in finita sua sapientia, & prudentia, ea suis operibus exequendis eligisse tempora; quæ ad fines, per talia opera intentos, consequendos, erant aptissima, maximeque opportuna. Erat autem miraculorum is finis, vt per ea se toti mundo Filium esse Dei manifestaret: quia in hac illuminatione, vniuersorum salus posita erat. Ioan. 3. Vt omnis, qui credit in eum, non pereat. Hac igitur de causa opus hoc præfens fieri debuit manifestò, non in occulto; vt nimirum homines opere tam miro cognito, eius virtutem admirati, crederent filium Dei esse. Quare vt opus hoc manifestum esset, & non humano negotio, sed diuinæ tribui posset virtuti, expectari debuit vini defectio, qua cognita, opus Christi omnes confiterentur. Hæc itaque est hora, quam Christus expectabat: hæc est hora, quæ nondum venerat, quando B. Virgo accessit. hæc est hora in æterna mente disposita, & ad Christi manifestationem opportuna, & quam ipse, vt Deus, sibi vt homini præscripserat. *Nondum igitur venit hora mea*. Non mirum si B. Virginem, quæ quidem magne fidei tunc erat, sed adhuc in filij mysterijs cognoscendis proficiens, hoc secretum latebat: quod tunc didicit à filio quem super omnes diligebat, & à quo super omnes est honorata, & exaltata. *Nondum venit hora mea*. Verbum ergo est potestatis diuinæ, quia dominus temporum eligere potuit, quæ voluit. Verbum est prudentiæ, & sapientiæ, quia conuenientia suis quæque finibus suorum operum elegit momenta. Verbum est misericordiæ, qui spem subueniendi dedit: Verbum est reuerentiæ, quia honorauit matrem, præces acceptando opportuno tempore exaudiendas: Verbum est instructionis, quia omnia ex diuino consilio & voluntate se facere docuit.

ANNOTATIO VIII.

ANTIQVI Patres aliter verba hæc hactenus à nobis exposita interpretantur, & cum præcedentibus connectunt. Triplex enim est eorum expositio. vna est Gregor. Niss. Orat in dictum illud Pauli: Tunc & ipse subiectus erit &c. legit verba hæc per interrogationem, vt sit sensus, adhuc mihi imperare vt mater vis? nondum venit hora, quando mei iuris ero? existimat enim Gregor. B. Virginem hoc miraculum Christo imperare voluisse; cui Christus respondit: se obedire illi minime teneri. Quid mihi, & tibi, adhuc mihi imperas. nondum tibi videtur hora venisse, quando mei iuris ero? venit, iam hora hæc. Iste sensus violentus est, & ni fallor, eximiam Virginis sacratissimæ perfectionem imminuit. Satis commodè, vt existimo in superioribus B. Virginem nihil hac petitione imperare voluisse ostendimus: quo iam stabilito hæc certè expositio non procedit. Reliqui Doctores verba hæc affirmatè, non per interrogationem dicta exponunt. Altera ergo expositio est communior, vt hora hæc sit passionis tempus, quæ sæpe in Euangelio hora eius dicitur. Ioan. 7. Nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Ioan. 13. Sciens quia venit hora eius. Ioan. 17. Pater venit hora; clarifica filium tuum. Erat ergo sensus cum præcedentibus, quid mihi, & tibi? hoc opus quod petis diuinitatis meæ est, in hoc non te agnosco matrem: nondum venit hora passionis meæ, quando patiar in ea natura, quam à te accepi, quando vt homo moriar, tunc te matrem recognoscam. Ita Athana. in Apolog. de fuga sua; & Augustinus tractat. 8. in Ioan. Grego. lib. 8. epist. 42. Porro hæc expositio eo nititur fundamento, quod superius referauimus; nimirum verba hæc esse reprehensionis, quasi mater opus, quod diuinitatis erat iussisset. quo fundamento sublato expositio non videtur accommodata. præterea etiam eo posito, adhuc non apparet, quæ ratione in passione agnouisse matrem dicatur. nam non solum in miraculis, quæ erant diuinitatis opera, sed nec in ipsa passione, quam vt homo subibat matrem recognouit. Nec enim in eo opere se matris voluntati subiecit, in omnibus quia operibus ad redemptionem ordinatis, siue quæ faciebat vt Deus, siue quæ faciebat, aut patiebatur, vt homo, diuinum tantummodo decretum & be-

neplacitum sequebatur, vti paulò ante diximus. Quod si dicas, B. Virgo fuit mater ratione humanitatis, in qua passus est, non verò diuinitatis, secundum quam operatus est miracula: fatemur id per quàm libenter, inde tamen non sequitur, eum in istis matrem non recognouisse, cum propter matris intercessionem hoc miraculum fecerit, quamuis factum sit secundum naturam, in qua matrem non habet. nec video quomodo sequatur, quod in passio ne matrè recognouerit, quia in natura humana passus est, quãdoquidè multa alia ante passionem etiam in eadem natura humana operatus est: nec idcirco tamen in ijs matrem recognouisse dici potuit. Quamobrem magis legitima tertia expositio videtur, quam in commentario secuti sumus, & explanauimus: quã nobiscum probat Irenæus lib. 3. cap. 18. vbi rectè hanc horam exponens, habet hæc verba: Nondum venit hora mea, dixit, expectas eam horam, quæ præcognita est à Patre. consentiunt Cyrill. lib. 2. cap. 23. Chrysof. hom. 21. & Ambro. ser. 16. in Psal. 118.

ANNOTATIO IX.

Matris precibus quid Christus concesserit.

NON est hoc loco silentio prætereundum, quod graues Doctores affirmarunt, nempe ob præces matris Christum citius hoc esse operatum miraculum, ita Ambro. Chrysof. & Cyrill. in extremo superioris annotationis à nobis citati: quod etiã comprobo, & quo sit notius explicò. Nò ita hoc intelligendũ, quasi velint dicere citius factum miraculum, quàm æterna sua dispositione decreuerit faciendum: nemo enim Catholicus id affirmare ausus est; sed fecisse citius, quàm, si non rogatus esset à matre fecisset, quàmquam & hoc sua æterna prouidentia disposuerat. præuidens enim futuram matris dignissimæ intercessionem, de-

Dicit mater eius ministris, quodcumque dixerit vobis, facite.

COMMENTARIUS.

EXimia est Beatæ Virginis misericordia, filium rogasse, vt opem ferret, factis illi non fuit; sed adhuc filium velle diuinum opus ad subueniendum facere agnoscens, ministros, vt quod illis à Christo impositum fuerit, sedulo exequantur, disponit, ne fortè sua inobedientia aliquid, quo subuentione filij priuentur, committant; eos ergo alloquens, dicit. Facite quodcumque vobis filius meus dixerit.

ANNOTATIO XI.

Quorū sum beata virgo præmonuerit ministros.

LA T E T hic, ni fallor, grande mysterium. Nam eo verbis filij potuit mater voluntatem, & propositum subueniendi percipere: quia dictum est, nondum venit hora mea. Ambro. serm. 16. in Psal. 118. ex affectu filij matrem nouisse affirmat: quod intelligendũ arbitror, verbis ipsis affectu manifestato. attamen vnde B. Virgo cognouerit Christum ad ministros se conuersurum, & arduum aliquid eis impositurum, non apparet. Si autem hæc non nouisset, vtique non eos præmonuisset, dicens; Facite quodcumque dixerit vobis. Iustin. explicat. quæst. Gent. resp. 136. hanc præsentis difficultatem, affirmat Christum dixisse matri, dic-

A creuit citius, quàm si non esset futura intercessio facere: imò quia tunc facere voluit, vt à matre rogaretur, præordinauit. Vnde cautè admodum & doctè Ambros. affirmans citius hoc propter matrem factum miraculum, adiunxit, etiam opportunum fuisse tempus hoc, quando propter matrem fecit: opportunũ profectò non esset, nisi, vt diximus, ab æterna esset mente dispositum.

ANNOTATIO X.

VITANDVS est hic error Priscillianistarum; cuius meminit Greg. hom. 10. Euangel. qui Christum fatis & cælorum constellationibus subiectum, omniaque ex necessitate fatali operari arbitrabantur, suamque hæresim his verbis; *nondum venit hora mea*, tuebantur, vt refert August. tract. 8. in Ioan. Quam cæci isti, qui quod potestatis diuine est, secūdum quã est Dominus cælorum & temporum: & quod prouidentia, qua, quæ facturus erat, prout voluit, & conuenire iudicauit, ab æterno disposuit, ad creaturas referebant: vtique in ipsa luce cæcutientes, & in ipsa via errantes. Est quoque temperandum verbum Chrysof. hom. 21. qui hunc confutans errorem, affirmavit ante statutum tempus hoc fecisse miraculum, ne fato subiectus videretur. non absolutè hoc dicendum est, vt diximus, in præcedenti annotatione: nam quando fecit, etiam statutum fuit tempus, sed vocat statutum, quo fecisset quidem, licet tardius, si matris præces interpolatæ non essent. Non est hoc Catholicis Doctoribus insolens, qui dum hæreticos inlequuntur, & vrgeant, nimio zelo & ardore currendi, transcendunt metas, & tunc quidem eorum non verba tantum, sed etiam intentio & mens consideranda sunt.

Hæresis Priscillianistarum.

D essent. Non est hoc Catholicis Doctoribus insolens, qui dum hæreticos inlequuntur, & vrgeant, nimio zelo & ardore currendi, transcendunt metas, & tunc quidem eorum non verba tantum, sed etiam intentio & mens consideranda sunt.

Ezechia ex ficis cataplasmate confecto sanauit, Isa. 38. quæ omnia ad rem facere minus videbantur: imò aliquando quæ contra rem faciebant, iubebat, vt in eo virtus diuina magis innotesceret. quod & in narratis, & multis alijsexemplis factum scriptura commemorat. Collegit ergo B. Virgo diuino lumine edocta aliquid simile nunc faciendum, vt se eundem Deum, qui illa fecerat, demonstraret. Disposuit ergo homines, vt qui Christi virtutem non nouerant, audientes quæ rei parum commoda videbantur fortasse contemnere iussa potuissent. rursum cum per ministros vinum esset distribuendum, & munus ipsorum hoc esset, ad eos se conuersurum non dubitauit, vt factum est in vitroque. nam ministris Christus imperauit, & rem, quæ ridicula, & non necessaria videbatur, iniunxit. Cùm enim vino cùm indigerent, aqua hydrias vsque ad summum

iuberet impleri; sed non aliter virtus diuina manifestanda erat. Habemus huius rei exemplũ, quanquam imperfectum 4. Reg. 5. venit Naaman leprosus ad Elisæum, vt sanaretur à lepra. Propheta rem, quæ videbatur inutilis homini imposuit: nimirum vt septies lauaretur in Iordane: quod ille contemnens, sanitatem non consequebatur. accedunt serui eius, & vt faciat iussa, exhortantur, dicentes; Pater, & si tibi rem grandem Propheta dixisset, facere debueras: obediuit ille, & diuina mundatus est virtute. B. Virgo longè sapientior & prudentior his seruis, præuenit, nec vt iubeatur, expectat, sed iussa anteuertens hortatur, & dicit, *quodcumque dixerit vobis, facite*; quodcumque etiam graue, etiam si vobis inutile visum fuerit, facere ne recusetis. Hæc est eximia & prudens misericordia, quæ ne homo in malum incidat, præuenire nouit.

B. Virginis prudentia.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex posite secundum purificationem Iudeorum.

COMMENTARIUS.

Hydria quid

Incipit Euangelista miraculum narrare, & primo loco vasa, in quibus vinum Christus miraculosè fecit, describit. Hydriæ Græcè, Latine aquales significant; id est, vasa aquæ destinata, quibus vinum infundi non solet. erant autem vasa huiusmodi sex lapidea posita, id est, quæ non circumferebantur, sed certo in loco constituta aquam continebant, ex quibus aqua minoribus vasis hauriebatur, ob idque lapideæ erant tanquam vasa capaciora. Erant autem hæ hydriæ propter ludæorum purificationem, quibus moris erat in conuiujs frequenter vti lotionibus: vasa itidem & calices frequenter purificabantur: & in hos vsus magna aquæ copia in capacioribus illis vasis reseruabatur. Hæc purificatio, cuius hoc loco fit mentio, illa est, de qua Marc. dicit Pharisaï, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro venientes, nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & aramentorum, & lectorum, hæc Mar. Harum ergo purificationum causa erant hydriæ istæ sex posite: quæ quidem purificationes non erant ex lege, sed ex seniorũ traditione. Aliæ purificationes legis erant, ab immunditia ex tactu morticinij, aut leprosi, aut ex seminis pollutione contracta & ab his non purificabantur aqua, sed ad vesperam vsque immundities hæc perdurabat. Perpende quàm sapienter & consultò Dei filius miraculum in sui manifestationem facturus, vasa aquæ destinata elegit, ne quis vinum in vasis, non autem de nouo factum fuisse, aut vini partem aliquam, quæ superfusæ aquæ saporem vini indiderit, ibi reseruata existimaret: quippe vasa aquam recipere solita, hanc tollebant suspicionem. Vasa etiam elegit capacia & magna eodem in loco fixa. hinc inde gestari infueta; vt plena vino aliunde portata nemo sibi persuaderet: atque vt copia tanta vini apertè, & sine contradictione miraculi virtutem probaret.

In quos vsus apud Iudæos habite.

Mor. 17.

Capietes singula metretas binas, vel ternas.

Magnitudinem vasorum describit, vt ex quantitate vini, miraculi vis multò magis elucescat. Capiebant singule hydriæ metretas binas vel ternas. Non est locutio hæc ambigua, quasi Euangelista in certo loquendi modo vtatur sicut nos dicere solemus, vas hoc duas, aut tres vncias capit, nescientes verè & determinatè quantum capiat. non sic loquitur Euangelista, qui mira-

culo interfuit, qui Spiritu sancto illustratus scripsit; maximè quia magnam adfert differentiam, si vna addatur, vel auferatur metreta: sed est sermo certus, non ad easdem hydrias, sed ad diuersas referendus, ita, vt aliquæ hydriæ binas, aliquæ ternas, capere dicantur.

A N N O T A T I O XII.

Metreta
quantitas.

DIFFICILE est in his mensuris certū quid statuere, propter varietatem eorum, qui hanc materiam tractant: quod tamen certius & verius esse videtur, hoc est: metretam, quæ & alio nomine cadus & battus dicitur, duodecim continere congios: congios autem sex sextarios, sextarios apud Romanos quidem viginti continebat vncias: apud Atticos verò duodeuiginti, tantus etiam erat sextarius Hebraicus, continebat igitur metreta septuagin-

ta duos sextarios, & singuli sextarij duodeuiginti vncias: ex quo facile est cuique, quantum hydriæ caperent, computare. Alij non ita sentiunt, sed metretam decem capere existimant cōgios. Sed quod prius diximus est probabilius, quanquam siue vno, siue altero modo sentias, tanta fuit vini quantitas, vt miraculum nemo inficiari possit, & hoc ad literalem sensum percipiendum satis est. nam de mensuris disputare præter institutum esset.

Dicit eis Iesus, implete hydrias aqua.

C O M M E N T A R I V S.

Christus
multis de
causis aqua
vsus est in
hoc mira-
culo.

MINISTRIS, vt hydrias aqua impleret, imperat: iam enim conuiuij maiori parte peracta, consequens erat, vt propter frequentes purificationes vasa ferè essent vacua: hac igitur de causa Christus vsq; ad summum ea impleri iubet. Et potuisset quidē Dominus nulla aqua prius infusa vino ea implere; tamen, vt certius miraculum fieret; & ministros ipsos tāti miraculi testes haberet, aquam manibus eorum infusam in vinū conuertere maluit. Rectè etiam Chrysof. hom. 26. annotat, ne vlli calūniæ locus pateret, Christus aqua vsque ad summum vasa, quæ soli aquæ deputata erant, impleri voluit. Aliam dat Irenæ. lib. 3. cap. 11. causam, cuius hæc sunt verba. Quamuis enim posset Dominus ex nullo subiacente præbere epulantibus vinum, & ex eo complere esurientes, hoc tamen non fecit. accipiēs autem eos, qui à terra essent panes, & iterum aquam faciens vinum saturauit eos, qui recubebant; & potauit eos, qui inuitati erant ad nuptias: ostendēs quoniam Deus, qui fecit cælum & terram, & iussit eam fructus facere, & constituit aquas. & dedit fontes, hic & benedictionem escæ, & gratiam potui in nouissimis temporibus per filium suum donat humano generi. hæc Iren. Nec diffiteor hanc aquam in vinum conuersionē accidisse; vt August. tract. 9. refert propter mysterium, scilicet vt legem illam insipidam, inefficacem, in suauissimum, & efficacem Euangelium, mutandam significaret. Simul enim miraculum vinum, & veritatē diuinitatis eius probare, & id, quod facturus erat, significare potuit,

Et impleuerunt eas vsque ad summum, & dicit eis Iesus,

Haurite nunc, & ferte Architriclino.

Ministrorum
obedientia.

MINISTRIS consilio B. Virginis instructi, voci Christi sine murmuratione, aut contradictione vlla obedientes, quamuis deficiente vino, & abundantè aqua, inutile, quod præcipiebatur, videri poterat; hydrias tamen sex aqua impleuerunt. Et verò Christus expressè non dixit, vt vsque ad summum implerent; tamen ipsi dicto perfectè obedientes ad summum vsque impleuerunt. Vbi ergo cognouit Dominus, impletas esse hydrias, potenti sua virtute totam illam aquam in vinum nullis verbis, nullis actibus exterioribus vsus, nulla intercedente mora, conuertit. quo etiam magis virtus eius diuina confirmabatur. iterumq; iubet ministris depromere ex vasis illis, & præfecto mensæ, cui soliti erant vinum ministrare, vt ille conuiuis distribuat: quod factum est, vt per eos miraculum diulgaretur, qui & ipsius miraculi testes erant, & quæ facta fuerant, proprijs viderant oculis. nec voluit Dominus statim rem ad sponsum deferri; sed seruato ordine conuiuij, suam potentiam manifestauit: sic enim suauius, & efficacius res hæc euulgata est.

Et tulerunt,

Et tulerunt, vt gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebāt qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei.

MINISTRIS, etiam si graue quid illis imponebatur (nam cum necdum aquam vinum factam sciret, haurire, & Architriclino tāquam vinum portare iubentur) obedierunt, quod sine diuina interius eorum corda mouente virtute, non est factum. delatum vinum Architriclinus, vt moris est, degustat: ne aliquid cōiuiis propinet indignum. miratur vini excellentiā, & nesciens quod factum erat, sed vinum ex sponsi dispositione repositum, & in finem conuiuij reseruatum arbitratus, sponsum insimuladi eum gratia, quod ordinem rectum conuiuij nō seruauerit, vocat. In primis mirāda est ministrorum obedientia. sciebant enim ministri iam vinum esse factum, id quod iussi promere ex colore & odore cognoscere potuerūt. Architriclino verò etiam miranti, & vnde hoc vinū esset, nesciēti, rem non reuelant; quod nō alia de causa eos existimo fecisse, nisi quia à Christo tantū, haurite, & ferte Architriclino, audierunt. verbumq; Christi prætergredi non sunt ausi, existimātes fortè Christum hoc operatum esse, ne vinum defecisse diulgaretur. at optimo consilio id Christus fieri voluit, fide enim maiori digni erant ministri, tanti operis testes, si non sponte sua, sed interrogati, rem totam, vti facta est, aperirent. Quantum ex verbis his licet conijcere, sponsum in conuiuium non recumbebat, sed generalem omnium habebat curam; si enim discumberet, non ab Architriclino vocatus, sed Architriclinus ad eum venisse diceretur; si autem recubisset, non vtique eum vt surgeret, & veniret, vocasset.

Hinc colligitur quod sponsum non recubebat in mensa.

Omnis homo primum bonum vinū ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.

SPONSVM Architriclinus imperitiæ insimulat, quod peracto ferè conuiuium, quando gustus qualitatem vini minus percipere est aptus, vinū optimū apponat; cum tamen omnes alij contrario faciant modo. optimū enim in principio, quando qualitas discerni valet, propinat. Cum legis verbū inebriati fuerint, huius conuiuij intemperantiam ne suspiceris, sed Euāgelista personam Architriclini, quod communiter in alijs cōiuiijs fieri solebat, referentis inducit. Multa alia describere omittit Euāgelista, quia ex narratis facile intelliguntur. Sponsum insimulatus negat, inquiritur factum, interrogantur ministri, veritas manifestatur, miraculum diulgatur, effectus consequens verbis sequentibus ostenditur.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius.

EVANGELISTA hoc primum miraculum Christi fuisse testatur, quod in Cana Galilææ factū est, quo gloriam suæ diuinitatis manifestauit. Fructus autem miraculi, imò finis præcipuus, propter quem ad nuptias venit, fides fuit: nam miraculo hoc fidem discipulorum, qui aderāt sibi conciliauit: crediderunt enim in eum discipuli eius.

A N N O T A T I O XIII.

Non fuit Iohannes sponsum in nuptijs.

INQUIRUNT aliqui, an Iohannes fuerit sponsum hic, qui à Christo fuerit à nuptijs auocatus, & virginitatem perpetuam custodierit;

& multi nostri temporis graues quidam viri id affirmant, Bedam in huius rei testimonium, imo Augustinum & Hieronymum in suis præ-

suis præfationibus in Ioannem proferentes. Si rationes & argumenta, quibus tanta veritas confirmetur quæratur, non inuenies. Bedæ autoritas totum est huius opinionis argumētum. nam Augustin. & Hieron. nihil pro hac sententia faciunt. Præfatio enim illa Augustini non est, sed potius Bedæ, cuius verbis conflata, sicut etiam illa, quæ Hieronymo tribuitur, quæ ex eiusdem Bedæ verbis, aut certè ex aliquius alterius, à Hieronymi phrasi longè distantis, composita est: vt solus Beda sit huius opinionis auctor, imo, si attentè rem, & diligenter inquirimus; contrarium August. & Hieron. sentiunt. August. enim tract. vltimo in Ioan. habet hæc verba; Sunt qui senserint, & hi quidem non contemptibiles sacri eloquij tractatores, à Christo Ioannem Apostolum plus amatum, propterea quòd neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit: hoc quidem in scripturis canonicis non euidenter apparet; verum tamen id quoque multum adiuuat congruentiam, quòd illa vita per eum significata est, vbi non erunt nuptie. hæc August. vbi duxisse uxorem, & celebrasse nuptias negat, docetque graues Doctores ita sensisse, rationemque huius veritatis congruentem adfert. August. ergo non cum Beda sensit. Præterea Hieron. lib. 1. cont. Iouini. probante Iouiniano melius esse Virginitate Matrimonium, eo argumento, quòd Christus Ecclesiæ principatum non Ioanni virgini, sed coniugato Petro commiserit: Respondet Hieron. id factum, quia tunc ætate puerili erat Ioannes: vocatus enim est viginquinque annorum. Profectò si nuptias celebrasset Ioannes, efficacius opposuisset Ioannem etiam uxorem duxisse. Præterea, si ætate puerili vocatus est, non celebrarat nuptias secundum Hieronymum. Cùm igitur hæc Bedæ opinio nullo scripturæ testimonio, nulla traditione, nec antiqui vllius Doctoris sulca sit autoritate, nunquam mihi eam potui persuadere: rem enim alioquin insignem tam diligentes antiqui tractatores non omisissent. Nec incumbit nobis partem hanc negatiuam probare: ab ijs potius qui rem grauem & notabilem affirmant, probanda erat, & quidem rationibus vrgentibus, quæ tamen nullæ sunt. Adde his cùm hoc nouum quid tunc temporis esset, vt matrimonium dissolueretur, non dato repudio, & nuptiæ hæ ab ipso Ioanne sint descriptæ, non est verisimile rem tantam, & quæ omnes tunc in admirationem adduxisset, omni ex parte ab Euangelista prætermittam fuisse. Adde etiam quòd Ioannes vocatus est multo post à Christo, iam Ioanne Baptista in carcerem coniecto, vt habetur Luc. 4. Existimo ergo solidam esse magis & veram sententiam, sponsum hunc Ioannem non fuisse, sed familiarialiquem, aut secundum carnem cognatum Christi.

Galilææ fecit, inquirere aliquis meritò posset. nam Euangelistæ verba aliquo modo in vtrumque sensum trahi possunt. Chrylost. hom. 22. refert, aliquos affuantes hoc miraculum non fuisse absolutè primum, ipse verò ante baptismum nullum fecisse certò tenet; an verò post baptismum hoc sit primum, in dubio relinquit. Aliqui recentiorum primum fuisse coram discipulis, non tamen absolutè primum: Alij primum in illo loco factum asserunt. nam Ioan. 4. in eodem loco alterum refertur, tamen absolutè primum non fuisse dicunt. Sed re vera, si loquamur de miraculis, quæ Christus in sui manifestationem operatus est, hoc primum est. omitto aduentum Magorū, & illa, quæ mirabiliter facta sunt in natiuitate eius: loquor de his, quæ suæ prædicationis initio ad diuinitatis manifestationem operatus est, quæ communiter appellatur miracula. ita tenet Ambro. ser. 19 & Theophyl. & Euangelista apertè significat, nam dicit. *Hoc initium signorū fecit in Cana*, id est. hoc quod est initium signorum omnium fecit in Cana. Exponere autem hoc fuit primū quod fecit in Cana, violentum est: nec erat cauta, cur magis primum, quod fecit in Cana, quam primum, quod in alia ciuitate fecerit, annotatum esset. Præterea quia absolutè dicitur, *et manifestauit gloriā suam*, quasi ante non manifestauerit gloriā & virtutem diuinitatis suæ miraculis: hoc est igitur primum miraculum, & initium miraculorum Christi. Rectè autem à nuptijs se incipit manifestare; vt dicit Cyril. lib. 2. cap. 26. descendit enim de cælo Dei filius, vt veluti sponsus spiritualis naturam hominis amplexus, veræ sapientiæ foetum, sponsam parere faceret.

ANNOTATIO XV.

DIFFICULTAS hoc loco se offert. an miraculum hoc eodem die à Christo sit factum quo & à Magis adoratus, & Ioanne fuit baptizatus, quamuis non eodem anno. sunt enim qui vno die, licet non eodem anno hæc tria eximia opera facta esse affirmant, vt quo die à Magis adoratus, labentibus annis, trigessimum explens baptizatus, vno post anno miraculum in nuptijs ediderit, idque Ecclesiæ auctoritate confirmant, quæ in quadam antiphona tria hæc simul vno die miracula patrata commemorat. Sed hoc ad locum Matth. 3. magis spectat, vbi de anno baptismi Christi propria est tractatio: nec nos longius discutere in præsentī statuimus. hoc solum annotare libuit, Augustinum serm. 37. de tempore. & Ambros. serm. 21. referre aliquos illo die, quo nos Epiphaniæ festum celebramus, à Magis Christum adoratum asserentes: alios verò baptismum potius illo die celebratum à Christo: alios verò miraculum hoc conuersionis aquæ in vinum, sed nec ipsi, nec August. & Ambros. eodem die tria hæc esse peracta, affirmarunt. Vetus ergo traditio non erat, tria hæc vno die, sed illo die vnum horum esse factum, quod autem illorum esset, in opinione vertari traditio igitur antiqua omnium consentiens erat, nō fuisse vniū die tria simul effecta. Propter-
ca Epi-

An fuerit hoc
primū inter
miracula
Christi.

ANNOTATIO. XIV.

AN hoc miraculum fuerit primum omnium quod Christus edidit, an potius non simpliciter primum, sed eorum, quæ in Cana

ea Epiphani. hæref. 51. expressè id negat, quamuis multa ibi alia adferre, quæ probati non possunt. hoc tamen nempè non hæc tria simul eodem die facta fuisse, antiquitati est consonum. Ecclesia autem tria hæc vna gesta esse die non affirmat, sed cùm incertum sit, quòd eorum factum sit, prudèter vniū die tria simul illa celebrat. Non ergo mihi probatur opinio, quæ præcipuè nostra ætate recepta est, vno die hæc esse opera facta, sed post baptismū diebus paucis has nuptias esse celebratas existimo, nec antiquitas Patrum, nec Ecclesia aliud vnquam docuit. Per hæc tamen negare nolumus, esse opinionem illam probabilem. Hæc in præsentī sufficiant.

ANNOTATIO XVI.

AVGVST. lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 17. dubitationem asserit propter vltima verba: *crediderunt in eum discipuli eius*, ergo inquit, ante non crediderant: si autem ante nō crediderant, non erant discipuli: quomodo igitur ante hoc miraculum dictum est, vocati sunt discipuli eius ad nuptias, si quando vocati sunt nōdum crediderant? Respondet per quandam anticipationem dictum id esse: qui enim futuri erant discipuli, vocantur discipuli, etiam antequam sint: sed hoc mihi non probatur. nam vocati sunt, qui discipuli erant; nec, quādo dictum est, *crediderunt in eum discipuli eius*, insinuare voluit, ante non credidisse, sed dicuntur credidisse, quia confirmati & aucti sunt in fide. maiorem enim fidem viso miraculo conceperunt de Christo, & firmior facta est eorum fides: quem enim hominem tantum modo putabant, diuinitatem iam habere quamdam crediderunt. Dicti autem sunt discipuli, quia ipsi aliquo modo adhæserant, ipsum audierant, & ei fidem aliquam habuerant. Testimonio enim Ioannis moti erant, vt ad eū venient Non est autem nouum sanctæ scripturæ,

A credèdi verbo vti, in ea significatione, qua diximus, nempè firmius, & amplius credere. Ioan. 4. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis: & tamè Regulus aliquo modo credebat, qui à Christo filium sanari petebat. & Ioan. 11. Si credideris, videbis gloriā Dei; & tamen iam ante Martha credebat. De hac perfectione fidei discipulorum Ambros. serm. 20. dicit. Prædicanda fides Apostolorum, qui viso vno miraculo, crediderunt in omnipotentiam Saluatoris. hæc Ambros. Non arbitror tamen tantam fuisse tunc horum fidem, vt filium Dei Christum crederent, sicut Matth. 16. Petrus credidisse, & confessus esse dicitur.

ANNOTATIO XVII.

HOC Christi miraculo antiqua hæresis con-
futatur. Seuerus enim, vnde Seueriani di-
cti, cuius meminit August. lib. de Hæref. cap. 24. & Epiphani. hæref. 45. vinum bibere prohibebat, affirmans vitæ esse sobolem Diaboli, qui in serpentem conuersus, terræ se commiscuit. Eandem hæresim tribuit Epiphani. hæref. 47. Encratis, qui discipuli Tatiani fuerunt, sed in multis à magistro descuerunt: & hac de causa forsan Hiero. Amos 1. Tatiano hanc hæresim adscribit. sed hoc Saluatoris facto conuincitur; Christus enim aquam in vinum conuertit, conuiujs propinari iussit, ipse etiam bibit; Vinum ergo creaturā Dei est, & eo vti moderatè licet. non credo hanc hæresim multos habuisse sequaces. Fuit autem viuum hoc, vt communiter creditur, rubrum, tum vt miraculum euidentius esset, tum quia illa regio vinis rubris pretiosis abundat: idemque Ecclesia videtur approbare, dum canit. Aquæ rubescunt hydriæ. Vinum hoc rubrum in scriptura, sæpe sanguis vix appellatur. Gen. 49. In sanguine vix pallium suum. Deuterono 32. Sanguinem vix biberet meracissimum, & aliàs sæpe.

Post hæc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus.

COMMENTARIVS.

Que ciuitas
fuerit Ca-
pharnaum.

CAPHARNAVM Vrbs erat eo tempore celebris, in finibus Zabulō, & Nephtalim, ad ripam maris Galilææ, centum miliaribus ad ipsius maris initio ad occidentem. in littore aduerso ad orientem erat regio Gerasenorum: erat autem frequentissimum Emporium, quòd maxima negociantium cōfluebat multitudo, dicta patria Domini, Matth. 9. quia frequenter ibi inueniebatur, & quia ad eam, relicta Nazareth, vt dicitur Matth. 4. cum matre, & fratribus se transtulit. voluit enim Dominus propter celebritatē oppidi, & propter mores eius corruptissimos ibi habitare, & suæ doctrine primitias collocare, vt, vbi vigeret infirmitas, ibidem medicus adesset. Post nuptias in hūc locum descendit. erat autem, quantum ad terræ situm, oppidum hoc, in parte inferiori, quamuis supra montem positum respectu Canæ. ob id descendisse Capharnaum dicitur, sicut quando ad superiora loca ex inferioribus proficiscebatur, ascendisse dictus est. Matthæi autem 4. & Lucæ 4. descensus quidam in Capharnaum narratur, quando eò habitationis causa descendit.

descendit. sed non huius in præsentio Ioannes meminit, sed alterius prioris, quem alij omiserunt Euangelistæ. hic enim est factus post nuptias ante carcerem Ioannis: at ille post vincula ipsius; & nunc paucis commoratus est diebus, tunc autem multis; nunc miraculum non legitur fecisse, nec publicè docuisse; tunc autè & docuit, & miracula edidit. Post nuptias ergo cum matre, & discipulis, & cognatis secundum carnem, qui fratres dicuntur, descendit Capharnaum, & ibi manserunt nō multis diebus. qua de causa huc venerit, Euangelista non narrat, nec quicquam certi possumus affirmare.

A N N O T A T I O X I I X .

CONSIDERATIONE dignum est, qui sint hi fratres Christi, & quare sic vocati sint. horum alterum ex Euangelio habemus: nam Matth. 13. quatuor numerantur, Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon: & aduerte secundum scribi Græcè, ἰακώβ, quod latinè dicendum est Ioseph. Sponsus B. Virginis aliter appellabatur, nēpe ἰωσήφ, Latinè Ioseph. hic autem Iacobus apud Matth. 10. Mar. 3. dicitur Iacobus Alphæi, & sepè vocatur Iacobus frater Domini; quia vt refert Epiph. in Anchorato, & her. 78. cū ipso educatus erat: sorores etiā in Euangelio narratur Mar. 6. Nonne sorores eius apud nos sunt? quot tamen & quæ nomina earum, Euangelium non expressit. Nicephorus tamen lib. 2. histor. cap. 3. refert Hippolytum Portuensem Apostolorum successorem Christi cognatione describentem, & descriptis quatuor prædictis fratribus, duas affirmantem fuisse sorores, vnam nomine Ester, alteram Thamar. Epiph. in Ancorato duas etiam affirmat, sed alijs appellat nominibus Mariā, & Salomen. hi sunt dicti fratres Domini.

Quare fratres Domini appellantur. Alterum autem, quare fratres domini vocentur, non ita definire facile est. Catholico vnum est certum, alterum est in controuersia; certum est non ita esse fratres, nec sorores, vt ex eadem sint matre: quia perpetuam Virginitatem B. Virginis ab Ecclesia iam olim declaratam, fideles confitentur: pro cuius defensione cōtra Heluidium Hæreticum doctè, & diffusè scripsit Illephonsus Toletanus Archiepiscopus. scripsit etiam Hieron. contra hunc hæreticum affirmantem B. Matrem virginem exitisse vsque ad Saluatoris partum, tamen postea ex Ioseph filios concepisse & peperisse. Debilia erant hæretici huius arma contra Ecclesiam. vsus est enim argumento, quia fratres Christi Euangelium appellat, & quia Christus primogenitus dicitur, & quia dictum est Matth. 1. Non cognouit eam Ioseph, donec peperit filium suum. & quia Ioan. 19. Maria mater Christi dicitur cruci astitisse: & Alij Euangelistæ referunt Mariam Iacobi, præsentē fuisse, igitur eadem est Maria Iacobi & Maria mater Christi. Hæc exactissimè soluit Hieron. & catholico cuique doctori soluere facile est, in scripturā enim non solum fratres dicuntur, qui ex eodem patre, & matre sunt, sed etiam multis alijs modis, quandoquidem cognati, & sanguine coniuncti fratres etiam dicuntur, nam Gen. 13. Lot frater Abraham dictus est, & tamen filius fratris erat: non ex patre, & matre eadem. Genes. 29. Laban frater

Vox fratres, in scriptura latè patet.

A Iacob dicitur, qui tamen erat auunculus. dicuntur etiam fratres gente, sicut Iudei omnes fratres dicuntur. Iosue 1. Transite armati ante fratres vestros. 2. Reg. 19. Fratres vestri filij Iuda. Act. 1. 22. Viri fratres & patres audite. dicuntur fratres societate, & amicitia, dicuntur fratres adoptione imo proximi omnes dicuntur fratres. plena est scriptura hac voce in multis, & varijs sumpta significationibus. Fratres ergo Christi non natura, vt ex eadem matre, & patre nati: sed cognatione, & consanguinitate dicti sunt. Quod autem Christus primogenitus dictus est, id ea ratione fit, quia ante eum nemo alius sit genitus, non quod post eum alij geniti sint: sicut etiam vt Deus primo genitus patris dicitur, at post eum non sunt alij geniti, vt supra exposuimus. Illud autem quod dictum est, donec peperit, significatum est quid non sit factum, sed non sequitur postea faciendum. nam etiam dicitur, Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos scabellum: tamen non licet inferre, ergo postquam positi fuerint, non sedebit. Illa autem argumentatio ex diuersis Euangelistis vana est; quod enim vnus omisit, alius solet narrare. quam ergo Mariam Ioānes tacuit, alij expresserunt. Opponebat Heluidius auctoritatem Tertulliani, & Victorini, quasi idem quod ipse sentirent. Hieronymus de Tertulliano non curat, quia ab Ecclesia cum Montano discessit: Victorinum autem negat vnquam quid tale sensisse. Catholicum ergo est, fratres hos non esse natura, sed cognatione, seu consanguinitate.

D Quo verò gradu consanguinitatis fuerint Christo coniuncti, Catholicorum patrum exant tres opiniones valde diuersæ. Vna est affirmantium fuisse fratres, quia erant filij Ioseph ex alia vxore. tenent enim hi Doctores Ioseph antequam B. Virginem sibi despondisset, viduum fuisse, priore vxore, ex qua quatuor illos filios, & duas filias susceperat, sepulta. Habet hæc sententia graues auctores: eam enim affirmat Hippolytus Apostolorum successor, referente Nicepho. lib. 2. histo. cap. 3. Orige. Matth. 13. Euseb. lib. 2. hist. Eccle. cap. 2. Hilar. can. 1. in Matth. Ambr. lib. de in situ. Virgi. cap. 6. & Iuper epist. ad Gala. cap. 1. Epiph. hæres. 28. 78. & in Ancorato cum alijs etiam multis. Orige. allegat Euangelium nomine Petri scriptum, & librum Iacobi, qui modò non extant, & apocryphi sunt. Sed huic sententiæ obstat auctoritas etiam grauium Doctorum, qui B. Ioseph virginem fuisse docuerunt

Qua cognatione Christo iuncti fuerint, qui fratres illius dicti sunt.

cuerunt, inter quos sunt Hieronymus con. Heluidium, & August. serm. 14. de natali Domini Bernar. sermo. 2. in missus est. Beda in Ioan. 2. & hæc est communis nunc inter Catholicos opinio: & re vera certa & legitima sententia, quam alio in loco satis probauimus. & contra prædictam sententiam est argumentum efficax. Nam Mar. 15. dicitur, iuxta crucem fuisse mulieres, nempe Mariam Iacobi minoris, & matrem Ioseph & Salome. ecce Maria dicitur Ioseph, & Iacobi mater, qui duo dicti erant Mar. 6. fratres domini. ergo non potuerunt esse filij Ioseph: nam vxor, ex qua hi Doctores volunt natos esse hos filios, mortua erat; alioqui cum despondit Beatam virginem, duas habuisset vxores, quod nemo adhuc Catholicus affirmavit. Non igitur hæc prima sententia probanda est: quam tamen graues illi auctores defenderunt, vt contra hæreticos facilius ea ratione agere possent.

Secunda sententia est asserentiū, Ioseph sponsum B. Virginis habuisse fratrem Cleophā dictū, cuius vxor dicitur Ioā. 19. Maria Cleophæ, seu Clophæ, vt alij legunt huius fuerunt filij, qui dicti sunt fratres domini. Iudei enim Christum filiū secundum carnem Ioseph existimantes, consobrinos eius illos esse arbitrabantur. Ioseph aut habuisse fratrem Cleopham confirmat Eusebi. li. 3. histo. Eccle. cap. 3. ex Aegespippo, qui temporibus fuit Apostolorū. & Epiph. hæresi 78. Hieron. con. Helui. hanc refert sententiam, sed eam argumento alio probat,

Et propè erat Pascha Iudæorū, & ascendit Iesus Hierosolymā.

C O M M E N T A R I V S .

HAEC verba causam continent, cur paucis diebus manserit Capharnaū nempe quia propè erat Pascha Iudæorum. Hebraismus est frequens, vt particula copulatiua, locū causalis obtineat, ac si dictū esset; Quia propè erat Pascha, mansit paucis diebus in loco illo. vt enim Exod. 23. & Deut. 16. habetur, ter in anno ex omni loco Iudæi Hierosolymam ascendebant adorare in templo (non enim licebat sacrificare, nisi in templo illo) nempe in solēnitatibus Pasche, Pentecostes & Tabernaculorum; sed omnium celeberrimū & quando multitudo maxima concurrebat, erat Pascha: addidit Ioannes (Iudæorum) vt Pascha illud à nostro Christianorū Paschate distinguere. Dicitur autem Iesus ascendisse Hierosolymam, quia, vt præcedenti commentario diximus, Hierusalem respectu situs Galilææ, erat in eminentiori loco. vnde proficiscentes Hierosolymis in Galilæam, dicebantur descendere: contra verò è Galilæa Hierosolymam ascendere. hac de causa Christus ascendisse dicitur. est autem hoc Pascha proximum, & primum post baptismum Christi, vt dicit Irenæ. lib. 2. cap. 39.

Et inuenit in templo vendentes oves, & boues, & columbas & numularios sedentes.

Dei à Christo, vendentes è templo expulsi sunt.

DVæ factæ sunt eiectiones à Christo, vna propè passionis suæ tempus, cuius dius meminerunt Matth. 21. Mar. 11. I. uc. 19. altera initio suæ prædicationis; hanc omiserunt Euangelistæ reliqui: Ioannes tamē eam persequitur. fuit aut illa acerbior, quæ post tot Christi prædicationes: adhuc nihil illis proficiētibus, facta est: hæc aut prior suauior. in hac verba illa protulit: Soluit è templū hoc, &

A quia nimirū Mariæ, quæ dicitur mater fratrum Domini, non dicitur Maria Cleophæ, sed Maria Alphæi. Sed hoc argumentum Hieronymi non est valde firmum: nam fieri potuit (quod aliqui recentiores dicunt) fuisse dictam Alphæi, quia filia eius erat, Cleophæ autem, quia erat eius vxor. potuit etiā fieri, vt binomius esset.

B Tertia sententia, quæ Hieronymo placet, & cōmuniter recipitur inter Theologos, est, B. Virginis forem dictam esse Mariam Cleophæ, vt dicit Hieron. siue à patre, siue à familia, siue gentilitate, siue quacunq; alia de causa hoc nomine imposito. ex hæc, & ex Alphæo nati sunt illi, qui dicti sunt fratres domini; vnde fratres domini sunt nuncupati, quia cōsobrini ex duabus nati sororibus erant. Idem tenet Ildorus lib. de vit. & obitu Sanctorum Patrum. refert & Niceph. lib. 2. cap. 3. ex Hippolyto Annam matrem B. Virginis, fuisse sororem Sotæ, quæ fuit mater Elizabeth, vnde B. Virgo & Elizabeth erant consobrinæ ex duabus sororibus, & Ioannes Baptista consobrinus secundus cum Domino, isti ergo fratres ex Maria vxore Alphæi, filia Cleophæ, sorore B. Virginis, nati sunt. Si autem dicās vxorem Cleophæ fratris Ioseph, & filiam Alphæi cum secunda sententia, id quoque probabile est: hoc tamen est certum, esse filios sororis B. virginis. Secunda ergo, & tertia sententia sunt probabiliores omnium autem probabilissima est, quæ Hieronymo probatur.

Hieronymi sententia ante plebendam.

hoc, & in tribus diebus excitabo illud quorū narratio valdè necessaria fuit, ad intelligentiam eorum, quæ secuta sunt postea; nempe Matth. 26. quando accusatus est à Iudæis, quasi dixerit; Possū destruere templū Dei, & in tribus diebus excitare illud. & Matth. 27. Vah qui destruis templū Dei, & in tribus diebus excitas illud. hæc enim Iudæi opponebāt, propter id, quod nūc dixit Christus, quando eiecit eos de templo. Iesus ergo ascendens Hierosolymam, templū adit; cū enim Deus sit, in domum suam se recipit, quia domus Dei templū dicitur. Item vt qui circa Dei cultum abusus manifesti erant, emendaret. inuenit autem ibi vendētes oues & boues, & columbas quæ sacrificanda erant, & numularios, qui minuta moneta maiorem permutāt. ementium enim & vendentium vsui permutatio hæc necessaria est, à numulo ergo numularius deriuatur, numulus autē minutum quid est, & græcum vocabulum similem habet significationem, κερμασας κέρμα apud Græcos aris minutias significat. pro necessitate igitur contrahentium, hi pecunias permutabant, lucri sui causa. neque in hoc vsura est, nec iniustitia, quando lucrum moderatum est. Templum vocat atria ipsius & porticum, vbi populus orabat, & vbi sacrificia fiebant. Vendebantur autem quæ offerenda erant in templo propter commoditatem maximè eorum, qui foris veniebāt emebant enim, quæ sacrificanda erant in eodem loco. nam Deutero. 14. mandatum legimus, vt qui longius habitarent, decimas, & primogenita quæ offerenda erant, domi venderent, eodem pretio empturi alia in loco, quem elegerit Dominus. quod malè illi inrelligentes, in templo ipso vendebant.

Et cū fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo: oues quoque, & boues & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

VNICVLOS, quibus animalia forsan ligata erant, collegit, & in formā flagelli componēs, negotiatores omnes simul, & animalia boues & oues eiecit. Græcè sic habetur (factoque flagello ex funiculis) nec hoc satis illi fuit: nam & pecunias numulariorum effudit, & mensas subuertit. quod dupliciter fieri potuit, aut quod subuertit mensas, & inde pecuniarum effusio consecuta est; vt sit sensus, mensas, subuertendo effudit æs: aut quod prius effudit æs, & postea mensas subuertit. Flagellum autem non propter animalia illa tantum abigenda factum est, sed etiam propter homines. ita Cyril. lib. 2. cap. 28. & Chryso. hom. 22. & Anacle. epist. 2. & Iuli. epist. ad orientales Episco. asserunt, & Euangelista indicare videtur. nam dicit, cū flagellum fecisset, omnes eiecit de templo. omnes eiecit, nempe vendentes oues & boues, & numularios sedentes, qui ante nominati erant. Quæ sequuntur autem legenda sunt per accumulationem; (Oues quoque & boues) id est, eiecit etiam oues & boues. Prudenter autem Christus hominibus eiectis, qui tamē semel pulsati facile rediissent, si in templo oues eorum, & boues mansissent, etiam eiecit hæc, ne redeundi relicta videretur occasio; neq; templo facile egressi essent, si eis permissum fuisset boues & oues, proprijs manibus extrahere: propterea Christus ipse eiecit; ob hanc eandem rationem & causam effudit pecunias numulariorum, vt sic eas colligerent, & abirent. ac ne iterum reponerent, etiam mensas subuertit. tunc enim malo subuenitur perfectè, quādo etiam mali occasio amputatur.

ANNOTATIO XIX.

ANACLETVS epist. 2. Sacerdotes etiam à domino propria manu expulsos de templo affirmat. confirmat idem Pius primus epist. 1. exponuntq; sacerdotes vendentes fuisse eiectos. idemque Iulius primus epist. contra orientales episcopos, pro Athanasio, asserit. hinc forsan Beda dicit sacerdotes illos animalia in sacrificium data viua conseruasse: ac illis mercatoribus, qui in templo erant, vilius vendidisse qui quidem iterū plūris alijs vendebant: quod sacerdotum peccatum, si ita est, grauissimū erat meritoq; & ipsi cum ceteris sunt expulsi de templo. hoc autē quod de sacerdotibus dicitur, in Euangelio non est expressum

Et his qui columbas vendebant dixit, auferre ista hinc.

COMMENTARIVS.

COLUMBAS non flagello eiecit, caueis enim ligneis inclusa minus commodè flagello eieci poterant; quod si incluse non erant, si tamen vsus fuisset flagello, exterritæ hinc inde per templum volassent. via commodior eas eieciendi de templo erat, si vendentes eas auferrent, ob id præcepit dicens; Auferre ista hinc. quod facillè præ timore executi sunt.

Et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.

HAEC verba generaliter omnibus eiectis dicta sunt, quibus causam, cur eieciantur, reddit: quia domum Dei, negotiationis domum fecerāt. Domus enim Dei ad ea exercenda fit, quæ ad Dei cultum & honorem pertinent, sicut & domus negotiationis humanæ, ad peragenda humana negotia: non ergo quæ vnius domus sunt, conuenienter in altera fiunt: nec enim in negotiationis domo sacrificia aut quæ cultus Dei sunt, fiunt, simili ergo ratione quæ negotiationis domus sunt, non debent in domo Dei fieri. Rectè autem dicit *nolite facere*, quasi dicat; Domus Dei nō est ad hoc facta; vos auaritia vestra, & propria voluntate, nō vllō Dei instituto ducti facitis eam talem. Rursus *domum Patris mei*, vt rectè notat Cyril. lib. 2. cap. 29. Patrem suum vocat, quia ipse est filius naturalis Dei, nos adoptionis; & patrem vocamus nostrum: ille verò suum singulari vocabulo, quia singularis est ipsius filius. Ceterum verba hæc aliquid amplius insinuant. *Domum*, inquit, *Patris mei*: quasi dicat; iure facio hoc, quia domus est patris mei. Incumbit enim filio, honori patris consulere, ipsum defendere, & tueri. Rursus, si patris mei est, mea est; quæ Patris enim sunt, filij etiam sunt. Rursus, *domum patris mei*, p. d. quæ facio, tanquā Dei filius facio, diuina virtute & potestate facio, secundum quam Dei filius sum. Hæc omnia, verbis his ad literam significata sunt, quamuis non ab illis tunc credita, nec intellecta: sed non propter illos tantum, sed propter nos dicta sunt, vt quibus causis id fecerit, noscamus: nec solum verbis diuinam virtutem professus est, sed etiam id ipsum monstrauit operibus, quibus opus erat illius verbis non credentibus, nec ea intelligentibus: & re vera fuit hæc actio diuinæ virtutis, cui nemo illorum cum tot essent, & cū tam seuerè & ignominiosè expellerentur, ausus est resistere, aut contradicere.

ANNOTATIO XX.

CONSIDERATIONE dignum est, quæ de causa hi negotiatores sint de templo eiecti: pro cuius rei declaratione aduertendum est, quod paulò superius in commentario ad notauimus. Bis à Christo eiectos esse vendentes de templo, semel in principio prædicationis, iterum propè passionis tempus. illius Iohannes nunc meminit, huius autem tres Euangelistæ meminerunt. Matt. cap. 21. Mar. 11. Luc. 19. Chryso. hom. 22. acerbiorem fuisse posteriorem eiectionem affirmat, in qua Christus protulit verba acriora, Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum. in hac verò, quæ prius facta est, verbis lenioribus vsus, dixit; *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. Multum autem inter hæc duo, domum negotiationis, & speluncam latronum, interesse docet Ambrosius. ferm. 17. in Psal. 118. ver. 3. Quare attende negotiationem, qui contractus quidam est, causa lucri, duobus modis esse vitiosam & malam: Vno quidem, quando per iniustitiam fit, nempe cum fraude, dolo, vi, precij iniquitate, similibusque vitij: tales negotiationes sic sunt vitiosæ, vt simul iniustæ, & iniquæ duobus modis sint. Altero modo, quando ex se quidem iusta dis contingit esse vitiosa. Quæ sine fraude, dolo, vi, aliavē iniustitia exercetur, tamen ratione circumstantiæ alicuius vitiosa fit, nempe quando exercetur: in loco, aut tempore, in quo fieri non debet. nec enim diebus festis, nec locis sacris negotiatio fieri decet. Simili etiam ratione quando à personis exercetur, quibus est prohibita negotiatio talis negotiatio, quamuis in se iusta sit, & quæ si debitis loco & tempore, & à personis non interdictis fieret, non esset vitiosa: efficitur tamen mala propter tales circumstantias: ad hanc etiam rationem reducitur negotiatio, quæ in se iusta est, tamen ex avaro procedit affectu. His suppositis dico, qui priorem negotiationem in templo exercebant, eos Dominus dixit domum Dei fecisse speluncam latronum, qui verò posteriorem, fecisse domum negotiationis, quod minus est graue. Augustinus tract. 10. in Ioann. existimat hos eiectos, negotiationem posteriorem exercuisse, quia rem in

se iustam faciebant vendentes, & ementes, que sine vitio extra templum vendere, & emere licebat. At quia in templo talia exercebant, vitiosè agebant, ideoque eiiciuntur. Cyrillus lib. 2. cap. 23. affirmat hos esse eieptos propter contemptum, & propter auaritiam, quod plus est, quam quod dicit Augustin. mihi certè videtur probabilius, si dicamus negotiatores hos eadem egisse, quæ fecerunt eieptos posterioribus. quibus dictum est: domum orationis fecistis speluncam latronum: non enim est verisimile in posteriori eieptione omnes negotiationes fuisse iniquas, in priori autem omnes in se iustas; sed in vtraque eieptione arbitror fuisse, qui & vno & altero modo negociabantur. Dominus tamen utrosque eiecit ea causa, quia negociabantur, vbi nefas erat negotiari: hoc namque potissimum erat, cur eiepti sunt de templo idque expressum est in priori eieptione: in posteriori verò addidit Dominus reprehensionem acriorem propter eos, qui iniquè etiam negociabantur, grauiusque in templum Dei linquebant, & ratione loci, & ratione negotiationis iniquæ & iniustæ.

ANNOTATIO XXI.

Cur Christum insigni hoc opere contra hentes è templo expulsi.
NON immerito quæri hoc loco posset, cur non verbo & doctrina Dominus vsus sit in his vitijs corrigendis, sed manum etiam tremendam ad mouerit, idque in sua manifestationis initio? Respondeo Dominum se mudo sua prædicatione manifestare venientem, torpentes, & sopitos hominum animos inuenisse: i-

A deo nouo & insolito aliquo opere, eos ad attentionem excitare oportuit: vt nouum quid, & mirandum audituri, nouo etiam, & mirabili factio attentis fierent. hoc enim opere mentes hominum multum ad ipsius verbum audiendum, & quis esset, cõsiderandum, incitate sunt. & sicut veniens in mundum, ortus sui principium tam horribili infantium cæde diuulgauit, vt dormientes Iudæi ad considerandum tempus Christi, quasi è grauiissimo somno euigilarent; sic etiam ad suæ prædicationis exordium terribili factio animos facit attentos. obduratis enim in peccatis, remedia talia sunt ad mouenda. Aliam huius rei causam adfert Cyril. lib. 2. cap. 29. hoc enim factio significare voluit Dominus auferendum illum ritum Iudæicum, & gentes vocandas ad religionem, Iudæos verò incredulos puniendos; quod flagellum significat, hæc tamen ratio magis posteriori eieptioni conuenire videtur. Tertiam assignat Chrysol. hom. 22. cum enim Iudæi opposituri essent Christo, quod sabbatum non seruaret, legemque contemneret: propterea insigni factio se Dei & templi, & consequenter cultus & religionis zelatorem ostendit; vt qui tanto periculo se exposuerit, pro templi Dei reuerentia, verisimile non esset ab eo illius cultum contempni. Adde etiam, quod ad doctrinam pertinet, abusus publicos, & qui tolerari non debent, non verbis, sed factio esse radicandos. Verba enim in abusus communibus, & temporis longinquitate inueteratis, maximè qui ex auaritia procedunt, quales hi erant, parum proficiunt.

Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me.

COMMENTARIUS.

DISCIPULI bene erga Christum affecti in bonam partem eius factum acceperunt: nam recordati sunt illius prophetiæ Dauid Psal. 68. Zelus domus tuæ comedit me; & zelo honoris Dei & tēpli ipsius, hoc quod factum est adscriperunt. Tunc enim hæc fiebant, recordati dicuntur discipuli, vt notat Cyril. lib. 2. cap. 30. non autem post resurrectionem, vt quidam recentiorum interpretantur: non enim dicuntur recordati huius facti, sed illius, quod scriptum est. Si autem post resurrectionem recordati dicerentur, id Euangelista expressisset; sicut post pauca verba expressit. Venit ergo tunc illis in mentem locus Dauid, qui zelo domus Dei illa protulit verba Psal. 68. Iudæi enim ex frequētibus scripturæ lectionibus, que in tēplo fiebāt, & synagogis multa ex scriptura didicerāt. an autem recordati sint tūc discipuli huius, verbi, quasi prædictum id sit de Christo; an verò cuiusdam zeli similis, vt sit sensus; venit illis in mentem ille zelus Dauid, quod de se dixit, Zelus domus tuæ comedit me, vt fieri solet (dum enim videmus facta alicuius, veniunt in mentem facta alterius similia) Euangelista non explicat: tamen potius existimo recordatos esse illius sententiæ, tanquam prædictæ de Christo. nam discipuli iam eum esse Christum in Prophetis & in lege promissum credebāt: & hac de causa Euangelista id annotauit. Est autem illud considerandum, Zelus comedit me. quo non solum zelus, sed etiam, quantum sit, exprimitur. Omni enim postposito periculo, quod à Sacerdotibus, & illis, quorum res agebatur, & qui tam ignominiosè expellebātur, creati poterat, Dei honorem tuetur. Magnitudo

Psal. 68. Quid sit zelus & quantum fuerit in Chri- sto.

gnitudo enim zeli in superandis periculis, & timore postponendo maximè exercetur, vt bene notat Chrysol. hom. 22. Zelus autem vehemens quoddam studium est, quæ diuini sunt honoris, procurandi, & quæ ei aduersantur, propulsandi; estque vt ignis vrens, & consumens: iuxta illud etiam Psal. 217. Tabescere me fecit zelus meus.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

IUDA EI, qui se temporalibus emolumentis priuari videbant, non considerunt zelum, sicut discipuli, nec etiam aduerterunt propriam culpam, quæ argumento illis esse debuisset, Christum rectè illa fecisse; sed cæci præ auaritia contra ipsum insurgunt, & rogant, *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* sensus hic est; quo signo nobis probas te auctoritatē habere faciendi, quæ facis? illud, *quia hæc facis*, significat idem, ac potestatem habes hæc faciendi. In illa posteriore eieptione dictum est: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem? in hac priori, quod signum ostendis, quia hæc facis? id est, quo signo probas te posse facere, seu te habere auctoritatem & potestatem faciendi talia? Negare non poterant malefacta sua, & in domo Dei tales negotiationes non rectè fieri conuicti erant: ideo responsum in ipsum faciētem dirigunt. non enim omnium est etiam malefacta corrigere, sed quorum interest, petuntque non tantum auctoritatis simplici verbo attestacionem, sed eiusdem per signum aliquod probationem. Et verbū, *Responderunt*, idem significat, quod dixerunt vt aliàs sæpe fit, non autem quod interrogati fuerint. Signum ergo poscunt in probationem auctoritatis, qua facit talia. Si sanam habuissent mentem, signum satis efficax erat in tanta multitudine, & vbi de emolumentis temporalibus agebatur, & omnes flagello tanquam serui malefactores expellebātur, neminem ausum esse resistere: nec etiam ex sacerdotibus illis, qui erant in templo, & rē videbant, cuius ipsi auctores erant, & quorum etiam res agebatur, & forsan ipsi quoque flagello eiiciebantur; sed auaritia & turbatio ex indignatione orta, excæcauit eorum mentes. Apud alios Euangelistas de posteriore eieptione tractantes, hanc responsionem Pōtifices & seniores Iudæorum fecerunt; quod hic non expressit Ioannes, sed generali vsus est verbo, *Responderunt Iudæi*. Particula illa, *ergo*, illationem significat ex priori factio, nempe eieptos cum se viderent, propterea hæc dixerunt.

ANNOTATIO XXII.

Expositio a Cyrilli.
CYRILLVS lib. 2. cap. 31. aliter exponit hæc verba, nempe Iudæos respondisse ad verbū Christi, quod dixit, *Domum Patris mei*, quasi diceret, filius Dei sum, & mihi incumbit hoc facere: ad quod Iudæi dicunt: Ostende nobis signum & miraculum aliquod, quod tu sis filius Dei. Credendum enim non est tibi, nisi hoc aliquo signo demonstraueris. Sed difficultatem patitur hæc expositio: non enim dicunt signo ostende quod filius Dei sis: sed quia hæc facis, id est, quod habeas potestatem faciendi, quæ facis. Nec puto illos tunc intellexisse, per illa verba Christum affirmasse, se esse filium Dei. Non caret tamen probabilitate expositio

A Cyril. Per signum miraculum aliquod intelligitur, sicut illud Matth. 12. Signum petis, & signum non dabitur ei. Aliqui argumentum exponunt, sed non qualecunque argumentum Iudæi petierunt, sed diuinum, quale est opus aliquod supernaturale, nam auctoritatis diuinæ illud factum esse non dubitabant. miraculum ergo tanquam signum & argumentum diuinum petebant. At re verà credituri non erant, etiam si factum fuisset, sicut nec alijs etiam factis crediderunt: & propterea illud à Christo accipere non meruerunt, vt rectè Chryostomus hom. 22. Cyrill. lib. 2. capit. 31. dixerunt.

Respondit Iesus, & dixit eis; Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

COMMENTARIUS.

PETENTIBVS signū potestatis suæ Dominus respondet: *Soluite tēplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Idem est horum verborum sensus, cū illis

Ioan. 8. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum: id est; cum me crucifixeritis, & occiditis, resurgam post tres dies, & illa mea resurrectio erit vobis signum, quo cognoscetis me esse verum Christum, & Dei filium. Hoc nunc Christus dicit, *Soluite templum hoc*, id est, occiditis me, & soluetis corpus hoc ab anima, quod ego excitabo iterum post tres dies: & tunc erit id vobis signum, quo agnoscetis potestatem meam, qua id facio. Quod dicit *Soluite*, non est precipientis, ut occidant, sed, ut bene dicit Cyril. lib. 2. ca. 2. quod ipsi facturi erant, praescientis, & permittentis: ac si diceret; scio vos occisuros me, occidite; ego tamen suscitabo me ipsum post tres dies: & talis resurrectio erit vobis signum potestatis meae, qua haec facio. quia filius Dei sum. Iterum Iudaeis signum petentibus, resurrectionem hanc in signum dedit, ut patet Matth. 12. vbi signum Ionae vocauit.

N N O T A T I O X X I I I.

Quare Christi resurrectio in signum Iudaeis data est.

CVM multa signa & miracula Christus post haec verba Iudaeis dederit, quibus se filium Dei, suamque potestatem confirmabat; cur potius resurrectionem suam a mortuis, se in signum daturum dicit? Respondeo quia omnia miracula ante mortem suam, sufficientia quidem fuerunt ad id confirmandum, tamen parum efficacia; quia pauci Iudaei conuersi sunt: & hi quidem minus perfecte, quis Christus esset, nouerunt: at resurrectionis praedicatione, multitudo magna conuersa est: & hi tunc perfecte crediderunt Christum esse Messiam verum, & filium Dei, ut patet ex Act. 2. 3. 4. 5. unde resurrectio à mortuis populos conuertit Iudaeorum, supra omnia miracula, & fidem Christi auxit, & confirmauit: incredulos autem, qui in sua obstinatione manserunt, confudit. Propterea dictum est, ut paulo ante dicebamus. Cum exaltaueritis filium hominis, cognoscetis, quia ego sum: & tunc dicit, *Excitabo tribus diebus illud*, hoc erit signum efficax modo declarans, quis sim ego.

Lazarus resurrectio quomodo nesciuit, signum diuinitatis Christi.

Quaeret iterum aliquis, nonne Lazarus surrexit post quatuor dies? & tamen resurrectio eius non fuit signum diuinitatis eius. Respondeo, Lazarum surrexisse, sed à Christo excitatum, at Christus surrexit, à nemine alio excitatus. Non enim precibus, aut virtute alterius resurgens apparuit; quod argumento fuit eum, se ipsum excitasse, quod non potuit facere, nisi Deus esset. & hoc est, quod dicitur, *excitabo illud*. Eg ero, qui me ipsum excitabo, sicut ego sum, qui alios excito. hoc miraculum nemo potuit facere homo purus. potuerunt quidem Prophetarum virtute diuina mortuos excitare, & omnia miracula, quae Christus fecit facere: at excitare se non potuerunt, quod Christus fecit; ob id hoc argumentum proprium est diuinitatis. Propter efficaciam igitur huius signi, quia de facto declarauit mundo filium se esse Dei, dictum est, *Soluite templum* &c. Est adhuc alia huius rei causa, quam docuit Athanasius. in orat. contr. Arian. in illud dictum. Quod ex Deo Deus est verbum: comminatoria existimat esse verba, quibus ruinam minatur Iudaeo-

Arum post resurrectionem suam, ut sit sensus, *Soluite templum hoc*, id est; vos studebitis soluere hoc templum corporis mei per mortem ut conseruetis hoc materiale templum vestrum: occiditis veritatem, ut conseruetis umbram; sed inanes erunt vestri conatus; imo in vestrum conuertentur caput: ego excitabo illud tribus diebus, & tunc vestrum soluetur, & destruetur. nam veritate praesente, figura cessabit. Conqueruntur isti quod eiiciantur è templo, & quaerunt, in qua potestate id faciat: peiora patientur postquam Christus suum templum ab illis solutum excitauerit, quando non solum eiiciantur, sed occidentur, & templum destruetur. haec in declarationem Athanasij dicta sint. Vtitur autem Dominus verbis allegoricis & metaphoricis templi, quia de templo agebatur, & eius occasione ad templum corporis sui transfert locutionem, ut ob hanc obscuritatem nihil illi Iudaei intelligant. Nam etiam si intellexissent, non erant credituri; quamuis autem verum sensum non intelligerent, perceperunt tamen illis verbis diuinam potestatem suam Christum profiteri, quod tunc satis fuit Christo. Est autem allegoria, seu metaphora continuata: nam soluere templum, & excitare, sunt verba communia templi materialis destructioni, & reaedificationi; similiter morti hominis & resurrectioni: solui enim homo dicitur per mortem, & excitari per resurrectionem. similiter soluitur templum, quando vastatur: excitatur, cum reaedificatur. Aduertendum denique pro intelligentia verborum, templum Christi corpus esse simul cum anima, nempe humanitatem ipsam, in qua inhabitat diuinitas, non ut in nobis per solam gratiam, sed corporaliter, id est; per realem unionem. dicitur autem solui non quidem, quod à diuinitate separatur, sed quia partes humanitatis huius nempe anima & corpus inuicem separantur per mortem, & iterum vniantur per resurrectionem: à diuinitate tamen neutra vnquam est soluta.

Humanitas Christi dicitur in templo dicitur.

Dixit

Dixerunt ergo Iudaei: quadraginta sex annis aedificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

C O M M E N T A R I V S.

MYSTERII profunditatem metaphoris, & allegorijs conclusam non intelligentes, signo illudunt, nec potestatem agnoscunt: non solum quã tam in rei veritate Christus significabat, sed nec quã tam ipsi, quã multo minor erat, percipiebãt. nam de templo materiali cum loquutũ arbitrati sunt, & negãt posse in tribus diebus ab illo reaedificari, quod quadraginta sex annis constructum fuit. multo magis negãt posse Christum se mortuum, & crucifixum, post tres dies excitare. hoc enim illo multo magis est incredulis rectè igitur Christus mysterium suum ita celauit, ut se sum aliquem apertũ reliquerit, quo possẽt illi cognoscere eum posse facere, quã faciebat. nam qui poterat templum illud materiale tribus diebus excitare, ut illi intelligebant, iure poterat peccantes contra Dei honorem, templo illo expellere. Discordia est inter auctores de annorum numero, & computatione: nam de fide, nihil ex hoc loco probatur. Euangelista enim tantũ refert, quod Iudaei responderunt, vera tamen illos respondisse, & dixisse non confirmat; sicut quando etiam refert eos dixisse Ioan. 8. Quinquaginta nondum habes, insinuantes Christi ætatem parum distare ab annis quinquaginta, quã tamen multo erat inferior. ratio ergo sola eorum est, quã ab alijs dicta sunt, non confirmatio: quapropter quamuis verum sit quadraginta sex annis aedificatum esse, tamen ex hoc loco id credere non cogimur.

A N N O T A T I O X X I V.

Circa hunc annorum numerum tria notat Augustinus.

AVGVSTINVS aliqua in hoc loco circa numerum quadagesimum sextum annotat. Primum lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 28. refert aliquos ex hoc loco probasse, Christum in hoc seculo quadraginta sex annos peregris. Sed hanc sententiam merito rejicit; tum quia vera non est, annum enim trigessimum tertium non excessit, quam rem inferius cap. 8. tractabimus; tum quia locus hic, nihil ad realem facit. Alterum notat ipse lib. 4. de Trin. cap. 5. & lib. 83. quaest. quaest. 56. & lib. 2. de doctrina Christi cap. 16. vbi numero hoc: quo templum illud aedificatum est, significari affirmat totum illud tempus, quo corpus Christi, cuius illud figura erat, in ventre matris fuit ad debitam perductum quantitatem, ut nasceretur; Nam quadraginta sex ducta in se, nempe quadragies sexies seni efficiunt ducenta septuaginta sex, qui numerus dierum conficit nouem menses, & sex dies. totidem autem diebus fuit corpus Christi in ventre B. Virginis, Haec annotatio August. veram continet doctrinam; non tamen video, qua ratione huic loco accommodetur: nec arbitror ob eam rationem templi aedificationem durasse quadraginta sex annos. Adde non fuisse continuum aedificationem: nam propter impedimenta nationum cessauit multis annis. Tempore enim Salomonis, quando nihil opus fuit ab aedificio vacare, septem annis perfectum est; at in corpore Christi perficiendo non fuit interruptio, sed in instati primo incarnationis fuit totum simul formatum quantum ad partes organicas & membra: ut rectè dicit Basil. hom. de humana Christi generatione, postea verò paula-

Atim per nouem menses ad illam peruenit quantitatem in qua nasci solent infantes. Tertium annotat ipse August. tractat. 10. in Ioan. & animaduersum ab antiquis refert, nempe hunc numerum esse in nomine Adam iuxta literas Graecas, nam Alpha vnum, Delta quatuor, iterum Alpha vnum: Mi quadraginta continent, quã omnia efficiunt quadraginta sex. Rursus in eo nomine omnes quatuor mundi partes contineri significat. nam si nomina Graeca consideres, vnaquãque littera est principium nominum significantium quatuor mundi partes, orientem, occidentem &c. sunt haec ingeniosè dicta, sed meo iudicio, praeter scripturam intentum. Libuit tamen ea annotare, ne mysterium grande videremur praetermississe.

A N N O T A T I O X X V.

DVPLEX fuit templi aedificatio; Prior facta per Salomonem, qui anno quarto, mensis secundo regni sui, inchoauit aedificium: completum autem anno vndecimo, mense septimo, vnde aedificatio durauit septem annis, & quinque mensibus, ut habetur 3. Regum 6. quod si Chrysost. homi. 22. annis viginti aedificatum fuisse affirmat, non de solius templi, sed de domus regiae simul aedificatione id intelligendum est. De hac aedificatione non est sermo in praesenti: nam templum illud fuit funditus euersum, per Nabuchodonosor, ut habetur 4. Reg. vltimo. vnde non est probanda sententia illa cuius Origenes in hoc loco mentionem facit, nempe verba haec intelligenda de illo templo, cuius aedificatio, si à tempore, quo

Templi bina fuit aedificatio.

quo per David eius preparatio fieri inceperat; exordiamur, quadraginta sex conficiuntur anni. Sed violenta expositio hæc est: nam Iudæi loquebantur de templo, quod tunc erat; hoc enim existimabant, si solueretur à Christo tribus diebus reedificandum iri: at hoc non est illud Salomonis, quod omnino erat euersum. Altera ædificatio facta est post captiuitatem Babylonicam per Zorobabel principem Iuda, sub Iosue summo Pontifice, Zacharia, & Aggæo Prophetis, ædificandi quidem facultas data est anno primo Regni Cyri, tamen incepta est ædificatio, anno eius secundo, ut habetur. 1. Eldr. 3. perfecta autem est anno nono Darij Histaspis, ut scribit Iosep. li. 11. Antiqui. cap. 4. & Euleb. lib. 8. præpara. Euang. & Hieron. Dan. 9. Ab anno autem secundo Cyri usque ad annum nonum Darij Histaspis, intercesserunt quadraginta sex anni. Contra hoc non est quod Aggæi 2. scriptum est, anno secundo Darij fundamenta posita esse, ad quod respondeat Beda fundamenta partis interio-

aristempli posita esse anno 2. Cyri, ut dicitur lib. 1. Eldr. ca. 3. partis verò exterioris, quæ continebat atrium, porticus, & gazophilatium tempore Darij anno secundo, & hoc dicitur ab Aggæo. positus enim illis fundamentis per multos annos cessauit ædificium: Artaxerxes enim sollicitatus ab inimicis ædificationem prohibuit, ut habetur lib. 1. Eldr. cap. 4. totum tamen ædificium completum est anno 9. Darij Histaspis, ut diximus quadraginta sex annorum spatio. hoc templum non fuit euersum, sed durauit annis 580. usque ad Vespasianum. fuit quidem instauratum, & valde amplificatum ab Herode primo Rege alienigena, ut habet Iosep. lib. 15. Antiqui. cap. vlt. tamen idem erat templum: nec alia censenda est ædificatio hæc, à secunda. Scio alios aliter de his scribere, sed quæ dicta sunt veriora, & certiora existimo. De hac ædificatione Iudæi in præsentia loquuntur, affirmantes: quadraginta sex annis templum illud fuisse ædificatum. Et hæc ad huius loci intelligentiam sufficiant.

Agg. 2.
Quo anno ce-
perit secun-
da templi æ-
dificatio.

Ille autem dicebat de templo corporis sui.

COM M E N T A R I V S.

IUDÆI non intellexerunt verbum Christi: illi enim de templo illo materiali verba sunt interpretati, cum tamen Christus de templo corporis sui loqueretur. Euangelista autem hoc exposuit, ne nos etiam erraremus, arbitrantes cum Iudæis locutum esse de materiali illo templo: & rursus ut ostenderet falsum testimonium, quod imposuerunt passionis tempore Matth. 26. accusantes eum, quod dixerit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Quanta hæc sit calumnia ex his verbis Ioannis apparet. non enim Christus dixit, possum destruere templum Dei; sed ad eos direxit verbum; Soluite templum hoc, nec dixit templum Dei; Sed templum hoc. Præterea de templo corporis sui Christus locutus est, & poterant intelligere, si voluissent: nam dum dixit templum hoc, certum est gestu ipso, & motu manu, non illud materiale, sed seipsum demonstrasse; verba enim magis determinata ostenduntur gestibus, & signis alloquentium, quam scriptura. Cyril. lib. 2. cap. 34. templi nomine suam significasse dicit diuinitatem; nam templum solius est Dei. unde nos templa dicimus Spiritus sancti. Sed quauis verum hoc sit, non videtur posse ex ijs verbis deduci; nam non dixit de templo suo, sed de templo corporis sui, quod verbum non exprimit corpus Christi esse templum sui ipsius. Perpende hoc in loco quantum odium Iudæi ex hoc facto contra Christum conceperint: nam & hæc verba, usque ad tempus passionis, contra ipsum corde retinuerunt.

Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.

Nec discipuli eius tunc verbum hoc intellexerunt, sed post resurrectionem, quando tertia die eum à mortuis resurrexisse viderunt, recordati sunt horum verborum, & crediderunt sermoni eius; id est, crediderunt eum hoc idem prænuntiasse, (quod postea factum est,) nempe mortem, & resurrectionem suam. Recordati ergo sunt, quia hoc dicebat, id est, verborum horum, quæ protulit nunc, & crediderunt sermoni eius, id est, crediderunt eum per ea verba prædixisse mortem, & resurrectionem suam, & vera esse quæ prius dixit. Euthym. non legit illud verbum scripturæ, nec exponit, at ceteri legunt, & legendum est: & est sensus,

sensus, crediderunt non solum sermoni Christi de sua resurrectione; sed etiam scripture, in qua & mors, & resurrectio Christi prænuntiata sunt. crediderunt enim eas scripturas in Christo verificari, & compleri. non enim sensus est, credidisse scripturam simpliciter: credebant siquidem scripturas esse veras, etiam antequam Christo adhæssissent; sed quando ipsa experientia Christum resurgentem viderunt, cognouerunt, & crediderunt, & Christum verbis illis suam mortem, resurrectionemque prænuntiasse, & scripturas talia mysteria prædicentes, in Christo finem assecutas esse. quamuis ergo Christus multa dixerit, & fecerit, quæ tunc non intelligebantur, non tamē inutilia erant. nam postea intellecta fide, & Apostolorum & nostram, in ipsum confirmarunt & auxerunt: & propterea tunc dicta, & facta sunt. Quoniam nec ea quæ à Prophetis prædicebantur, ab omnibus tunc intelligebantur, sed postea intellecta, fidem maximè roborarunt.

Cum autem esset Hierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat.

Alia narranda, quæ eodem tempore facta sunt à Christo, se Euangelista conuertit. Illo ergo tempore Paschæ multa signa fecit; quæ autem & qualia sint, non narrat: propter illa tamen multi crediderunt in nomine, seu in nomine eius, ut habetur Græcè. Locutio illa (in Pascha, in die festo) hebraica est, quod perinde est, ac si dicas, in die festo Paschæ. vocat autem diem festum Paschæ, septem dierum tempus quo festiuitas illa celebrabatur: qui modus loquendi etiam aliàs seruatus est. Ioan. 6. Erat proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Credere in nomine, seu in nomine eius, est credere ipsum esse verum Messiam, & Christum promissum: non enim qui crediderunt Ioanni, aut Prophetis, dicti sunt credidisse in nomine eorum, sed Euangelista nomine eius, Christum & Messiam esse supponens, dicit: *Crediderunt in nomine eius.* quasi dicat, ipsum esse Christum promissum crediderunt. Sicut 1. Ioan. 5. Omnis, qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. Elegit semper Christus loca publica, & præcipuas solennitates, quando multitudo magna confluxerat, ut eius prædicatio, & miracula pluribus prodesset, & aduentus ipsius multis esset manifestus, nec vlla posset ignorantia præteriri.

Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.

Verbum credendi multa in scriptura significat, tam Latino quam Græco sermone, sed quantum ad propositum nostrum pertinet, duæ sunt significationes frequenter: prior est, ut significet assentiri intellectu veritati alicui; ita dictum est supra; Ut omnes crederent per illum. & rursus, Quia dixi, videte sub ficu, credis, & alibi sapere. Altera est quando significat, committere. Rom. 3. Credita sunt eis eloquia Dei. Gala. 2. Creditum est mihi Euangeliū. 1. Tim. 1. Quod creditum est mihi. In priori significatione sumptum est in verbis præcedentibus, cum dicitur: Multi crediderunt in nomine eius: at in posteriori, in his sumitur: *Non credebat semetipsum eis.* id est, non committebat semetipsum eis: & idem est sensus, non fidebat eis, ut securè cum eis varfaretur, sicut cum discipulis, & familiaribus, & veris fidelibus; & refertur hoc ad easdem personas, ut sit sensus; Quamuis multi in eum crediderint tunc, tamen Dominus non se eis committebat, nec eis fidebat, ut securè cum eis ageret. vtitur autem nostro loquendi modo: nam cum Dei filius esset, nemo ei nocere, si ipse nollet, posset: tamen loquitur ut homo, consideratis ijs, quæ ex parte illorum erant, nam quod ad illos pertinebat, non erat eis fidendum, nec securè se committere Christus poterat. His verbis significat illorum credentium inconstantiam, quorum multi non solum retrocessuri à concepta fide, sed & Christum persecuturi erant.

Quibus non
credebat
Christum.

CVRIL. lib. 2. cap. 36. & Chrysof. hom. 23. A
hæc verba aliter exponunt; nempe nõ cre-
debat eis, quia mysteria maiora fidei, & occul-
tiora non reuelabat, propter eorum incon-
stantiam, quam præsciebat. Sed huic expositio
ni, non rectè aptatur verbū, Non credebat semetip-
sum, de se enim, non de doctrina loquebatur.
Quidā nostro seculo hoc verbum exponūt, vt
nos, sed referunt non ad eos, qui crediderunt,
sed in genere ad Iudæos, & nõ propter creden-
tes, sed propter alios verba hæc dicta censent,
vt sit sensus: Quamuis multos Christus habe-
ret credentes, tamen non propterea Iudæis fi-
debat, vt securè inter eos ageret. Sed violen-
tus est sensus; nam relatiuum *Eis*, respicit, quæ
præcesserūt proxima: at nihil de Iudæis dictū
proximè est; Sed multi crediderunt in eum signa vi-
dentes, at Iesus non credebat semetipsum eis, necesse est
igitur hæc ad credentes referre. Adde locutio
nis figuram: nam opponitur verbum verborum
illi crediderunt in nomine Christi, at Chri-
stus non credidit semetipsum eis. Adde quod
verba sequentia huic sensui accommodantur,
quia nosset omnes, &c. quæ ad occulta perti-
nent, & secreta; at Iudæos multos non credi-
diffe, & Christo infensos esse satis patebat. Nõ
igitur propter hos, sed propter credentes il-
los, quorum futurum euentum Christus scie-
bat, hæc verba sunt dicta. Et hanc nostram Eu-
thymius videtur secutus expositionem. nam
interpretans hæc verba, sic ait. Neque cre-
debat, neque tanquam legitimis
discipulis confide-
bat.

*Eò quod ipse nosset omnes, & opus ei non erat, vt quis testimo-
nium perhiberet de homine, ipse enim sciebat
quid esset in homine.*

C O M M E N T A R I V S .

CVR non eis confideret, quamuis credentibus, causam explicat Euan-
gista, dicens; quia cognoscebat Christus omnes. Aliqui legūt omnia, & v-
tramque lectionem sequitur Euthymius. Cognoscebat ergo omnes, sciebat
quibus fidendum esset, & à quibus cauendum, & hoc nõ ex alicuius testimo-
nio, quasi ab alijs notitiam hanc accepisset; sicut solent maiores & prælati ex
aliorum relatione multos cognoscere; sed Christus hac non indigebat. Ipse
enim sine alterius testimonio & relatione sciebat qualis vnusquisque esset,
& erat scientia hæc certa; quia non exteriora tantum hominum, quæ sepè fal-
lunt, sed interiora videbat. Sciebat enim quid esset in homine, quod non tantum
occulta cordis significat, sed simul quod futurum erat: quid esset in homine, nõ
solum intra eum latentia, sed quæ homo ipse facturus, & quantum in eo fi-
dendum esset, videbat. Quia ergo talem, ac tãtam omnium habebat notitiã,
nec exterioribus, nec præsentibus mouebatur: propterea non credebat se
illis. Scientia hæc erat diuinitatis Christi, sicut quod non se crederet eis, hu-
manitatis erat. Rectè ergo Cyril. lib. 2. cap. 37. annotat verbis his E-
uangelistam Christi diuinitatem significare voluisse. Adde, hoc
maximè conuenienter esse dictum, ne merum homi-
nem aliquis intelligeret, quando non se-
metipsum illis Christum cre-
diffe legeret.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

RAT autem homo ex Phariseis: Nicodemus nomine, princeps Iudæo-
rum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo
venisti magister. nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, ni-
si fuerit Deus cum eo: Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen di-
co tibi, si quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.
Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cū sit senex?
nunquid potest in ventrè matris sue iterū introire, & renasci? Respondit Iesus, Amē a-
men dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in
regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus
est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuò: Spiritus ubi vult spirat: & vo-
cem eius audis: sed nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex spi-
ritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei. Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus,
& dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras. Amen amen dico tibi, quia quod
scimus loquimur, & quod vidimus testamur: & testimonium nostrum non accipitis.
Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixerò vobis caelestia, credetis? &
nemo ascendit in calum, nisi qui descendit de calo. Filius hominis, qui est in calo. Et si-
cut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: vt
omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic enim Deus dilexit
mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat,
sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicaret
mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, iudicatur. Qui au-
tem non credit, iam iudicatus est: quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc
est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tene-
bras quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem
& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, ve-
nit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Post hæc venit Ie-
sus & discipuli eius in Iudæam terram: & illic demorabatur cum eis: & baptizabat.
Erat autem & Ioannes baptizans in Aeneon iuxta Salim: quia aquæ multe erant il-
lic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.
Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et venerūt
ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium
perhibuisti, ecce hic baptizat: & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit:
Nõ potest homo accipere quicquam: nisi fuerit ei datū de calo. Ipsi vos mihi testimonium
perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed qua missus sum ante illum. Qui
habet sponsam, sponsus est: amicus aut sponsi qui st at & audit eum, gaudio gaudet propter
vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. illum oportet crescere, me autem minui.
Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loqui-
tur qui de calo venit, super omnes est. Et quod vidit & audiuit, hoc testatur: & testi-
monium eius nemo accipit. Qui autem accepit eius testimonium, signavit, quia
Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: Non enim ad
mensuram dat Deus spiritum. Pater dirigit Filium, & omnia dedit in
manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui
autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed
ira Dei manet super eum.

NARRAN.



NARRANTVR in hoc capite duo nimirum, altissima doctrina sermo, quem cum Nicodemo Christus habuit, & in signe testimonium Ioannis Baptistæ de Christo exhibitum. Sermo autem multa fidei nostræ, & præcipua continet fundamenta, nempe de Baptismi institutionem, & necessitatem; Incarnationis mysterium, & eius causam; Christi passionem, & ipsius effectum; Trinitatis articulum, & alia adhuc pertinentia: quæ in ipsa expositione distinctè manifestantur.

Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.

COMMENTARIUS.

CONNECTIT præcedentibus sequentia, illa particula (autem) multos enim in Christum credidisse propter signa facta in Hierusalem dictum erat in fine præcedentis capitis: vnum autem eorum esse Nicodemum Euangelista insinuans, dicit, *Erat autem homo*, nempe de illorum credentium numero. Quatuor circumstantias eius describit, professionem, nomen, dignitatem, genus. Pharisæus erat professione, Nicodemus nomine, princeps dignitate Iudæus denique genere: nec casu aliquo, aut inutiliter hæc omnia notantur, sed sapienter. erant enim Pharisæi genus hominum propter sanctitatis, & veræ doctrinæ, & arctioris obseruantia opinionem, inter Iudæos in honore habiti. horum secta maxima contra Christum invidia laborabat: propterea huius professio indicatur, vt inter tot acratos persecutores & inuidos, vnum in Christum credidisse mirabile videatur. Alia de hoc Nicodemus ipse Ioannes narraturus est capite 7. hic restitit Pharisæis, Christi causam defendens & cap. 19. venit ad vngendum Christi corpus, hic est, qui nunc ad Christi doctrinam percipiendam accedit, propterea nomen eius exprimitur. Dicitur *Princeps*, vel quia publicam aliquam gerebat administrationem, vel propter nobilitatem, vel opulentiam, vel quia caput familiae, quasi vnus ex primoribus erat. hæc fuit causa cur noctu, & occultè veniret. metuebat enim vt paulo post dicemus, ac propterea Ioannes eius principatus meminit. De tribu etiam erat Iudæ, propterea Iudæorum princeps dictus. erat autem tribus hæc, quia de ipsa Christus venturus erat. studiosissima Christi aduentum inquirendi. His igitur de causis has circumstantias Euangelista descripsit. Hic sermo habitus in Galilæa aliquibus videtur, quia post Pascha in Hierusalem celebratum, vt in fine præcedentis capitis dicitur, Christum in Galilæam reuertisse, & ibi à Nicodemo eum putant fuisse conuentum: nam in fine huius historiarum narratur Christus in Iudæam venisse: sed certius est in Hierusalem habitum hoc esse colloquium, nec id, quod inferius dicitur, ad rem facit, vt ibi dicitur.

Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei.

PROPTER metum enim Iudæorum, cum esset princeps, non est ausus publice venire ad Christum, sicut etiam dicitur postea Ioan. 12. Multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter metum Iudæorum non confitebantur. & Ioan. 19. Ioseph erat discipulus Christi, occultus tamen propter metum Iudæorum, etiam hic noctu venit propter metum: Quamuis enim nodum Iudæi decretum de eiiciendis è Synagoga Christum confitentibus edidissent; tamen eos iam ipsi invidiosos, & odio in eum ferri constabat, Christum etiam confiteri, vile & contemptibile inter eos reputabatur: qua etiam de causa maxime quia Nicodemus doctor erat, eumque pudebat palam ad Christum venire noctu accessit: & hæc causam Cyril. li. 2. cap. 38. cur noctu venerit, assignat, & re

vera ea

vera ea est legitima, Recentiores non hanc rationem, sed temporis opportunitatem, vt commodius cum Christo loqueretur, existimant. sed verior est Cyrilli expositio. Nam Nicodemi tunc imperfecta erat fides: pudor ergo & timor, ipsum a publico colloquio deterruerunt. Ex vna enim parte tam manifesta signa ipsum, vt ad Christum veniret, impellebant; ex altera timor, & pudor retardabant. commisit se noctis tenebris, vt vtrique scrupulo, & timori, pudorique satisfaceret. Christum igitur sic alloquitur.

Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister.

CONFessionem suam erga Christum manifestat, & hanc sibi sufficere arbitrat. *Rabbi* vocandi casus est, o doctor, & sensus est; O doctor, seu magister mihi persuasum est te venisse, & à Deo missum esse, vt doceas veritatem: hoc est enim venisse magistrum à Deo, nempe missum esse à Deo; vt doceat doctrinam rectam, & legitimam, & secundum Deum. *Magister* nominandi casus est, & idem significat apud Latinos, quod apud Hebræos *Rabbi*. ac si dictum esset, *O magister*, scio te à Deo missum magistrum, vt doceas. phrasis est hebræa: non enim significat quod magister venerit à Deo, quasi natus sit magister, sed quod sit missus à Deo, vt magister esset, & doceret; sicut & illud Matt. 2. Vbi est, qui natus est Rex: id est, vbi natus est, qui futurus est Rex Iudæorum: non quod à natiuitate sit Rex, quamuis verè Rex esset à natiuitate, & à Deo magister venerit; tamen nec Magi tunc illud, nec Nicodemus id nunc cognoscebant. Voluit his verbis Nicodemus verum Prophetam à Deo missum confiteri, & separare ab eorum numero, de quibus dictum erat Hiere. 23. Ipsi prophetabant, & ego non loquebar ad eos: & hic sensus est, quem Nicodemus tunc sibi proposuerat. si tamen veritatem rei consideres, altiore continet hæc verba doctrinam. Venit enim Christus à Deo magister, quia ab æterno procedens à patre, totam cum substantia accepit sapientiam patris. in eo. n. omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ patris sunt, imo ipse est patris sapientia infinita. Rursus missus à patre in carnem eodem instanti, quo carnem assumpsit, omni scientia, & sapientia animam illam sibi vnitam impleuit, vt magister à Deo venerit, eodem temporis momento quo factus est homo. Præterea venit à Deo magister, quia doctrina eius non est humana, qualem philosophi, & mundi sapientes habuerunt; sed cælestis, & diuina. qualem nemo huius seculi principum cognouit, quæ homines ipsos perducit ad Deum. Denique venit magister à Deo etiam vt homo: quia non per doctrinam, & disciplinam didicit, sicut omnes Philosophi; sed per redundantiæ diuinitatis, quæ humanitati erat vnita. propter hæc verè magister venit à Deo: verum hi sensus tunc à Nicodemo non percipiebantur, sed is, quem iam exposuimus.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

SVÆ confessionis causam, & probationem adfert Nicodemus. signa enim, quæ tu facis, puta quæ in Hierusalem proximè facta erant, nemo posset facere, nisi esset Deus cum eo: id est, nisi in virtute diuina: quasi diceret, signa tua non sunt Magorum, seu arte Demonis facta: non sunt naturalis alicuius virtutis, sed diuinæ potentia, quæ per te operatur; propterea te à Deo missum, & tuam doctrinam esse ex autoritate, & mandato Dei, profiteor.

ANNOTATIO I.

Fides de lectio Nicodemi vera, imperfecta tamen fuerat.

EX verbis ipsius Nicodemi, qualis eius animus fuerit, & qua intentione ad Christum venerit, non est difficile cognoscere. Dispositio animi eius tam ex parte fidei, quam ex parte affectus erga Christum, imperfecta erat; vnde rectè Cyril. lib. 2. cap. 38. ipsum vtroque laborasse poplite affirmavit, nempe fide & dilectione: rectum enim aliquid sentiebat, sed non perfectè. Affectu etiam bono

A Christum prosequatur, sed non vt par erat. Hæc omnia sic explico; credebat Christum missum à Deo, & eius signa diuinam virtute facta fatebatur. hæc fides vera, & recta erat merum tamen hominem, non Dei filium existimabat: vt Cyril. lib. 2. cap. 39. & Chrysostr. hom. 23. asserunt, & verba ipsius indicant, *Nisi, inquit, fuerit Deus cum eo*. non quod ipse esset Deus, sed quod Deus per eum operaretur:

hoc iam ad imperfectionem fidei pertinet. Fidelis perfectè si fuisset, dicendum illi erat, Nemo potest facere hæc signa, quæ tu facis, nisi esset Deus. nondum tamen Nicodemus hoc affectus erat: fidem ergo habebat, sed claudicans rem. Affectus etiam eius erga Christum bonus erat. Si enim non amasset; non ad eum venisset; non verbis beneuolis, & honorificis salutasset, & commendasset; non ipsius amicitia, & familiaritate expetiuisset: bonus ergo affectus, sed & is imperfectus erat: nam pluris principatum, & gloriam hominum faciebat, quam Christum publicè profiteri: minus ergo Christum diligebat: quod Ioan. 12. dictum est de illis, qui metu quodam impediabantur, quo minus Christum confiterentur. Dillexerunt, inquit, magis gloriam hominum, quam Dei. propterea Chrysost. hom. 23. huius affectum frigidum fuisse testatur; Non enim ausus est propter Christum honoris, & gloriæ mundanæ subire pericula. Nec mirum erat, quia eum nondum perfectè nouerat. Ex hac animi dispositione, qua ad Christum intentione motus uenerit, facile intelligimus. Simul enim utrumque complecti uolebat, & Christi amicitiam, & mundi gloriam, & honorem: duobus simul dominis seruire, vnum colere alterum non contemnere: gratum se Christo, & Phariseis, cæterisque suæ gentis principibus esse cupiebat. quod tamen fieri non poterat. Ex dispositione imperfecta, intentio similis subsecuta est, imò & eius confessio imperfectionem dispositionis, & propositi indicat. Scimus, inquit, quia uenisti à Deo magister. Scire non querit, sed se iam scire dicit, quasi id sufficiat, nec amplius scire de Christo oporteat. magister enim cum esset, discipulum agere erubescerebat: hæc ad Christi amicitiam comparandam satis sibi esse existimans. Hæc fuit Nicodemi dispositio; eam nosse ad intelligentiam uerborum antecedentium, & subsequendum multum confert.

ANNOTATIO II.

An miracula à Christo edita, sufficienter probauerint eius diuinitatem.

CONSIDERANDA est etiam Nicodemi sententia. Nemo potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Posset enim aliquis interrogare, an signa, quæ Christus operatus est, ipsum Dei filium esse sufficienter probauerint. Materia hæc grauis & difficilis est, nec responsione vnica explicari tota potest; sed necesse est multa proponere; ut vni quæstioni plena reddatur responsio. In primis igitur dico, miracula, quæ Christus fecit, uera, et existentia fuisse. Paganis, ut refert Origen. lib. 1. con. Celsum miracula, & signa Christi prestigias, & ludificationes sensuum fuisse asserere, quasi non in ueritate, et effectu, sed in apparentia illa omnia fuerint facta: qualia multi circulatorum faciunt, quæ uerè non existunt, sed apparent. At hæc Paganorum calumnia, manifestè uana & falsa esse, conuincitur. Apparens enim esse non potuit id, quod experiebantur ipsi, erga quos talia opera fiebant. cæcus se uidere experiebatur, leprosus se munitum

A datum sentiebat, & infirmus sanatum se cognoscebat. hæc si apparentia essent, profectò nec cæcus uidisset, nec infirmus sanatus esset: at ipsi met reddentes effectibus testimonium, uera miracula fuisse comprobabant. Quæ sunt tantum circa sensuum obiecta, possunt aliquando decipere, ex sola apparentia: at quæ in ipsis ipsis fiunt, qui sentiunt, necesse est uera esse. Per visum enim apparentem nemo uideret. præterea quod quæ apparentia tantum sunt, diu non consistunt, nec omni loco, & tempore, nec omnibus apparent: at effectus mirabiles Christi diu durabant, omni loco, & tempore, & omnibus talia uidebantur, non igitur præstigia, & sensuum ludificationes fuerunt. Dico secundo, Christi miracula uirtute naturali fieri non potuisse: hoc etiam aperte ostenditur, tum quia nulla uirtus naturalis est, quæ uisum cæco à natiuitate, vel mortuo uitæ restituat; quod & Philosophi antiqui cognoscentes, à priuatione ad habitum regressum fieri posse constanter negarunt: tum quia uirtus naturalis per uirtutem effectui proportionatam operatur: at Christus contraria effectibus aliquando adhibuit. nam cæco lutum imposuit, ut visum restitueret. quod naturali ordine & proportionem, magis est aptum ad priuationem, quàm ad restitutionem uisus. Præterea uirtus naturalis in tempore agit, & per medium, & determinata est: Christus uero sine mora operabatur, & in locis distantibus à se, effectus mirabiles producebat solo uerbo. Ad hæc innumera, & multiplicia edebat miracula; cæcos illuminabat, surdis audire, infirmis mille modis ægritudinum affectibus sanitate, mortis uitam, à dæmone obsessis liberationem præstabat. uirtus naturalis hæc non potest efficere. Vana ergo, & falsa est calumnia eorum, qui temperamento Christi, & efficaciam imaginatiuam, aut constellationi cælesti hæc tribuebant. Dico tertio, uirtute Dæmonis miracula Christi fieri non potuisse, hoc est contra Paganos, & Iudæos. Paganis enim, ut refert Aug. lib. 21. ciu. cap. 8. & Orig. lib. 2. con. Celsum, magicis artibus miracula Christi tribuebant, quod etiam Iudæos in Euangelio dixisse legimus: tamen id nulla ratione fieri potuit. Quare aduerte, Dæmones multa posse facere supra humanas vires, quæ miracula uideantur, & aliquando sint. ea uero omnia dupliciter fiunt, aut in apparentia per sensuum illusionem, aut in rei ueritate: sed quæcunque huiusmodi Dæmones faciunt, ut doctè annotauit Aug. lib. 3. Trini. cap. 8. non aliter faciunt, quàm per uirtutes naturales creaturarum. quas illi norunt, & uelocissimè & occultissimè applicant, sitq; à multis infirmitatibus sanare uerè possunt, sic aqua in uinum conuertitur, sicut Magi Pharaonis aquas uerterunt in sanguinem, & alia mirabilia fecerunt. Quando autem non est uirtus aliqua creaturæ quæ effectum talem efficere ualeat, cessat omnis Dæmonis operatio, & ad sensuum illusiones se conuertit. Aliqua ex his quæ fecit Christus, si solum effectum cõsideremus, potuit & Dæmõ facere: tamè multa fecit Christus, quæ nulla Dæmonis uirtute fieri potuerunt; illa nempe, quæ uirtute naturali effici non poterant, ut mortuos suscitare, cæco à natiuitate uisum restituere. Præterea hæc, quæ Dæmon, si secundum se considerentur, facere potest, Christus fecit solo uerbo sine applicatione alicuius uirtutis naturalis. Rursus in instanti, & sine mora ulla, quod Dæmon non potest. Nullum ergo miraculum Christi potuit facere Dæmon, si modum etiam, & celeritatem, quibus Christus operabatur, spectemus. nulla ergo ratione, quæ Christus faciebat, uirtuti Dæmonis adscribi poterant, sed uirtutis diuinæ opera esse certum erat. Et hoc sufficientissimè miracula Christi probant; quod rectè & uerè Nicodemus confessus est, quamuis nondum omnia opera Christi tunc edidisset. Hinc fit, ut calumnia Iudæorum, & Paganorum, magna fuerit blasphemia contra Deum, cuius opera tribuebatur Dæmonibus. ut docet Athan. in explicat. illius: Qui blasphemauerunt in Spiritum Sanctum non remittetur, &c. Dico quarto, miracula Christi, si effectus soli considerentur, non probant eum esse Deum, aut filium Dei. Hoc dictum argumento efficaci confirmatur. nam omnia illa fieri potuerunt à Deo per Prophetam aliquem, qui solum esset homo: nam Omnipotens Deus sicut per meros homines mortuos suscitauit, & solem stare per Iosue, & per Prophetam à cursu suo retrocedere deceloneis fecit, & per martyres, & alios sanctos, imò aliquando per peccatores miranda operatus est; ita potuit etiam per quemuis hominem facere illa omnia miracula quæ Christus fecit, & quæ Deus per humanitatem sibi unitam operatus est: imò Ioan. 14. de suis fidelibus dixit; Maiora horum facient. Si igitur non aliud spectemus in miraculis Christi, quàm effectus ipsos, non probant eorum factorem esse Deum, sed tantum uirtute diuina facta esse, sicuti Nicodemus est confessus. Dico quinto, si consideremus finem, propter quem faciebat miracula, sufficientissimè probabant esse Deum, & filium Dei. Sciendum est autem, miracula diuinæ uirtutis in confirmationem fieri alicuius ueritatis, quæ humana ratione destituitur. Ut enim dicit Greg. lib. 27. mora. cap. 8. miracula sunt in defectum probationis, & sunt auxilium rationis humanæ, ut assentiat alicui ueritati, suppleatq; argumentorum defectum: sunt enim uelut sigillum Dei, ut quod affirmatur, à Deo esse credatur. Sunt autem facta miracula non ad eandem semper ueritatem confirmandam, sed ad varias & diuersas ueritates. Exod. 4. Misit Deus Moysen, ut liberaret populum de Aegypto: ad confirmandam hanc ueritatem, se uidelicet missum à Deo, ut populum educeret, miracula accepit à Deo: ut fides ei daretur. Exo. 7. misit eum ad Pharaonem, ut diceret, dimitte filios Israel: ut autem confirmaret se à Deo uenisse, ut hæc diceret, miracula edidit. 3. Reg. 18. Elias, ut Deum Israel uerum Deum ostenderet, ignem de cælo super holocaustum descendere fecit. 4. Reg. 1. Si homo, inquit, Dei sum, ignis de cælo descendat, & deuoret te, & quin-

Christi uirtute naturali fieri non potuit.

Miracula Christi ex se de considerata, probant illum esse Deum.

Quomodo demones imbecilla fingunt.

quaginta tuos: & descendit ignis. Hæc, & alia miracula probabant ea esse uera, in quorum confirmationem fiebant. Si enim illorum dicta falsa essent, & mendacia; utique diuina uirtus, non ea opera effecisset: quia nec Deus mendax est, nec mandacij testimonium perhibet. Sciendum præterea neminem Prophetarum, aut hominum, per quos diuina uirtus miracula edidit, ea fecisse in confirmationem ueritatis illius, quæ Christus miraculis suis confirmabat: nempe se esse Messiam, & filium Dei uerum. hinc est, quod miracula illorum, uel cuiuscunque alterius etiam si omnia, quæ fecit Christus, fecisset, non potuissent probare, eos esse filios Dei: quia talia miracula non erant in huius ueritatis confirmationem facta; tamen sicut illorum miracula probabant uera esse ea, in quorum probationem fiebant, ita & miracula Christi, imò multo efficacius, probabant ipsum esse filium Dei, quia in hunc finem fiebant, quem sæpè Christus expressit, ut & ipsi Iudæi intelligerent. quid per miracula probaret. Matth. 9. Ut sciatis quia filius hominis in terra habet potestatem dimittendi peccata, Tibi dico, surge. Et attende hæc uerba supponere ea quæ Iudæi dixerant; Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Respondet, ut sciatis me hanc potestatem, quæ solius Dei est, habere, esseque Deum, Tibi dico, surge. Ioan. 11. suscitaturus Lazarum conuersus ad patrem, dixit, Pater, ago tibi gratias, &c. propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Denique in doctrina sua semper se à Patre missum, & filium Dei docuit, & operibus patris se id confirmare docebat. Miracula ergo tali ratione, & propter hoc facta, sufficienter probant esse eum filium Dei, quia uirtute diuina facta esse, negari non poterat. Hac de causa illi pessimi, & astutissimi Iudæi, uidentes miraculis illis Christum probare se Dei filium, & cognoscentes, si diuina uirtute facta fuisse admitterent, conuincere se ut filium Dei confiterentur; confugerunt ad blasphemiam, ut uirtute Dæmonis facta esse affirmarent: & populum auertebant, ne eum à Deo esse crederet, nec uoluerunt illum saltem Prophetam à Deo missum asserere. Quia si semel concessissent miracula diuina uirtute facta esse, filium Dei inficiari non poterant, cum in eius rei attestationem facta fuerint. Sed iam ostendimus uirtute Dæmonis miracula talia fieri non potuisse. Nouerat demõ hanc doctrinam, qui miraculum vnum, & non admodum magnum sufficiens sibi existimauit, ut eum esse filium Dei cognosceret, si tamen in huius rei probationem esset factum. Matth. 4. Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. certus futurus, si ederet tale miraculum, diuina uirtute factum iri: Dæmon enim omnino certus erat, sua uirtute id fieri non potuisse. Concludo miracula Christi considerato fine, propter quem fiebant, sufficientissimè probasse eum esse Dei filium, & non tantum diuina uirtute, ut alios Prophetas sed propria uirtute & potestate, ut Dei filium, ea facere. Dico sexto, miracula Christi etiam in seipsis considerata

A quaginta tuos: & descendit ignis. Hæc, & alia miracula probabant ea esse uera, in quorum confirmationem fiebant. Si enim illorum dicta falsa essent, & mendacia; utique diuina uirtus, non ea opera effecisset: quia nec Deus mendax est, nec mandacij testimonium perhibet. Sciendum præterea neminem Prophetarum, aut hominum, per quos diuina uirtus miracula edidit, ea fecisse in confirmationem ueritatis illius, quæ Christus miraculis suis confirmabat: nempe se esse Messiam, & filium Dei uerum. hinc est, quod miracula illorum, uel cuiuscunque alterius etiam si omnia, quæ fecit Christus, fecisset, non potuissent probare, eos esse filios Dei: quia talia miracula non erant in huius ueritatis confirmationem facta; tamen sicut illorum miracula probabant uera esse ea, in quorum probationem fiebant, ita & miracula Christi, imò multo efficacius, probabant ipsum esse filium Dei, quia in hunc finem fiebant, quem sæpè Christus expressit, ut & ipsi Iudæi intelligerent. quid per miracula probaret. Matth. 9. Ut sciatis quia filius hominis in terra habet potestatem dimittendi peccata, Tibi dico, surge. Et attende hæc uerba supponere ea quæ Iudæi dixerant; Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Respondet, ut sciatis me hanc potestatem, quæ solius Dei est, habere, esseque Deum, Tibi dico, surge. Ioan. 11. suscitaturus Lazarum conuersus ad patrem, dixit, Pater, ago tibi gratias, &c. propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Denique in doctrina sua semper se à Patre missum, & filium Dei docuit, & operibus patris se id confirmare docebat. Miracula ergo tali ratione, & propter hoc facta, sufficienter probant esse eum filium Dei, quia uirtute diuina facta esse, negari non poterat. Hac de causa illi pessimi, & astutissimi Iudæi, uidentes miraculis illis Christum probare se Dei filium, & cognoscentes, si diuina uirtute facta fuisse admitterent, conuincere se ut filium Dei confiterentur; confugerunt ad blasphemiam, ut uirtute Dæmonis facta esse affirmarent: & populum auertebant, ne eum à Deo esse crederet, nec uoluerunt illum saltem Prophetam à Deo missum asserere. Quia si semel concessissent miracula diuina uirtute facta esse, filium Dei inficiari non poterant, cum in eius rei attestationem facta fuerint. Sed iam ostendimus uirtute Dæmonis miracula talia fieri non potuisse. Nouerat demõ hanc doctrinam, qui miraculum vnum, & non admodum magnum sufficiens sibi existimauit, ut eum esse filium Dei cognosceret, si tamen in huius rei probationem esset factum. Matth. 4. Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. certus futurus, si ederet tale miraculum, diuina uirtute factum iri: Dæmon enim omnino certus erat, sua uirtute id fieri non potuisse. Concludo miracula Christi considerato fine, propter quem fiebant, sufficientissimè probasse eum esse Dei filium, & non tantum diuina uirtute, ut alios Prophetas sed propria uirtute & potestate, ut Dei filium, ea facere. Dico sexto, miracula Christi etiam in seipsis considerata

Math. 4.

Christi miracula probant ipsum esse Messiam in lege promissum.

derata, probabant ipsum esse Messiam, & Christum promissum, suppositis his, quæ per Prophetas prædicta erant. Aduertendum est Deum in Prophetis, inter alia signa Christum aduentum agnoscendi, etiam miracula dedisse; quæ facturus erat, quod declarauit Isa. 35. Ecce Deus ueniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut ceruus claudus; & aperta erit lingua mutorum. alia in alijs prophetijs prædicta sunt diuina ipsius opera. Hæc est causa, cur Ioan. Baptista Matth. 11. mittens discipulos ut veritatem, an Christus esset, ex eius ore discerent; responsum à Christo accepit, Cæci uident, claudi ambulant, &c. quasi diceret; in me implentur, quæ Prophetæ implenda per Messiam prædixerunt. Hoc argumento Iustin. Mar. in dialogo cum Triphone utitur, ad probandum Christum uerum esse Messiam, quia nullus Propheta simul fecit omnia, quæ Christus. hic unum, ille aliud miraculum fecerunt; at simul tot, ac talia, qualia prædicta sunt, nemo. Idem Athana. de Verbi incarnatione, &

Respondit Iesus, & dixit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

COMMENTARIUS.

VENIT Nicodemus ad Christum conscientia stimulo agitated, sibi necessarium esse existimans Christum recipere, & eum confiteri, tamen conscientia satisfacere sibi videbatur, si nocte, & secreto ueniret, ac Christum doctorem à Deo missum confiteretur: nihilq; amplius faciendum credebat: hoc vno facto, in eorum numero, qui Christo adhærebant, & adhæsurus erant, se futurum esse arbitrabatur. Christus autem ipsum instruit, multoq; plura ei credenda, & facienda aperit, si conscientia suæ satisfacere, & de numero eorum, qui Christo adhærere debent, esse cuperet. Quia uero, quodam modo de sua scientia præsumebat, nec discere querebat, cum doctor esset, dominus sic respondet, ut eum suammet ignorantiam cognoscere faciat. Prius enim obscure loquitur, ut postquam ignorantia propria ei fuerit cognita, aperiat mysteria ueritatis. Respondet ergo, & est responsionis sensus. Amen amen dico tibi, id est, rem certam, & constantem tibi dico, & hæc est; nisi homo secundo nascatur, non potest videre regnum Dei: non satis est uita anteacta, necesse iam est, iterum gigni, seu nasci, si quis uult Messia promisso adhærere, & de numero Ecclesie ipsius esse, & tandem æternam salutem consequi: ne ergo securum te arbitreris hoc tuo aduentu nocturno, & hac tua confessione, denuo oportet te nasci, si regnum Dei videre cupis. Regnum Dei appellat Ecclesiam sequentium Christum. Iudæi enim tempus & statum aduentus Messie hoc nomine appellabant. Beatus qui manducabit panem in regno Dei, id est beatus qui fruetur aduentu Messia, & de numero illorum, qui eum uisuri & secuturi sunt, erit. Matth. 21. Si in digito Dei eicio demonia, profecto peruenit in uos regnum Dei. Matth. 12. Auferetur à uobis regnum Dei. Verbum autem, uideri, commune est. uideri dicuntur, qui affecuti Christi aduentum de numero fidelium eius facti sunt. Mafuetudo Saluatoris, & prudentia, est consideranda, mansuetudo, quia non exprobat Nicodemo, quod iure exprobare poterat. non enim dixit, si me à Deo magistrum, & doctorem missum confiteris, cur nocte, & occulte, & non interdiu uenis, cur nihil à me, quod discas, quæris? at mitissimus Dominus nihil horum opposuit, sed infirmitatem considerans, se ad ipsum curandum conuertit: Prudentia autem, quia sic eum instruit, ut instructione egere, eum prius cognoscere faciat. non enim

Luc. 14.

Matth. 12.

Christi prudentia et mansuetudo.

corporali eius aduentu, annotauit. & Ambro. Luc. 7. argumentum Messia, hæc dicit miracula, quia de illo solo prænuntiata fuerunt. hoc ipsum Dominus dixit Ioan. 15. Si non uenifsem, & opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: at nunc excusationem non habent de peccato suo. Opera ergo Christi, & miracula, etiam si in confirmationem quod filius Dei, & Christus erat, ea se facere non expressisset, ex Prophetarum tamen dictis, quibus Iudæi fidem, ut par erat habebant, satis superque probabat ipsum esse Christum. His responsionibus materia hæc explicata mihi uidetur, cuius explicatio multorum locorum sequentium in hoc Euangelio intelligentia utilis erit. Concludo, Nicodemum dixisse uerum, sed imperfectè. Nam miracula Christi multo plus probabant, quam ipse credebat: sed in illo iniriopredicationis Christi, id confiteri laudabile profectò fuit.

magni fit sanitas ab infirmo, suam non cognoscente infirmitatem, minusque grata ei est medici operatio: ut igitur hanc nouitatis, seu nouæ natiuitatis necessitatem persuadeat, eum ignorantia conuincit, ut sic facilius ueritatem acceptet.

ANNOTATIO III.

quatuor mysteria, superioribus uerbis subindicantur.

IN eiusdem uerbis, quatuor mysteria magni momenti Saluator insinuat, quamuis nullum eorum tunc Nicodemus perceperit. Primum est, illum statum Iudæorum esse mutandum in Euangelium: & Synagogam in Ecclesiam, ut Iudæus, qui ante fidelis erat, & fidei iustitiam obtinebat, iam non sit in eo statu securus; nec tutus, nec iustitiam consequatur, nisi mutetur in alium statum, nempe in Christum credat, & eius doctrinæ obediat. Hoc insinuat Dominus per hanc nouam natiuitatem, per quam nouus fiat homo, & ueteribus cæremonijs, sacrificijsque relictis, atque antiqua fide conuersa, affuecat nouæ doctrinæ, se subdat nouæ legi, nouum amplectatur statum fidei, qua credat præsentem, quem prius futurum credebat. Merito autem hoc dicitur Nicodemo, qui, quæ uetera erant, sibi sufficere putabat, ut Christo adhæreret. Hunc sensum faciunt illa uerba Gala. 6. In Christo neque circuncisio aliquid ualet, neque præputium, sed noua creatura. Alterum mysterium in his uerbis insinuat est, in nouo testamento homines collocandos in statu filiorum Dei: hoc enim significat, denuo nasci oportere: natiuitas quippe filiorum est. At ubi noua est natiuitas, noua etiam filiatio est. nasci ergo dum dicit oportere, indicat filios esse constituendos eos, qui regnum Dei uidere debent, quod per Euangelium factum est: hactenus enim Iudæi erant in statu seruorum: Rom. 8. non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Tertium mysterium est, ianuam cæli iam in hoc nouo statu esse aperiendam. hactenus quippe nemo eriam iustus ingressus erat regnum cælorum: at in Euangelij statu iusti decedentes purgati, admittuntur iam in regnum. hoc insinuat dicens, Nisi quis natus fuerit denuo, non potest uidere regnum Dei: si ergo nascatur, uidebit. Ecclesia enim Euangelica, regnum Dei ideo dicitur, quia ianuam cæli aperit: idem enim est regnum Dei, & regnum cælorum. Quartum est hæc omnia futura esse per Christum: oportet enim per ipsum nasci, filios fieri, uidere regnum: hoc tacite insinuat Nicodemo existimanti se partem habere cum Christo, illa sua confessione, respondens; Nisi quis renatus, &c. ac si dicat, non sunt tales qualis estu, qui partem mecum habere debent; Sed oportet eos nasci denuo, filios fieri Dei, & hi sunt, qui soli regnum Dei uidebunt. hæc omnia ad litteram sub his latent uerbis. statum enim Euangelicum significant per Christum instituentem, ueteri, in quo Nicodemus erat, abrogato, & mutato. Particula autem illa, Nisi, necessitatem denotat, ut aliter regnum Dei haberi non possit, nisi denuo nascendo. In multisq;

locis scripturæ hæc particula hanc indicat necessitatem.

ANNOTATIO IIII.

SINGULA hæc uerba explicatione indigent: Illud primum, Amen, uox est hebræa, & apud Hebræos dupliciter sumitur: uo modo, ut sit nomen substantiuum, quod uocant, significatque fidelitatem, & ueracitatem trahitur enim à uerbo אמן quod in sexta coniugatione significat credere, inde אמן pro fidelitate, & ueracitate, qua homo constans est, & uerus in dictis, & factis accipitur. sic sumit Isa. Benedicetur in Deo amen: ubi, Amen, regitur à uoce Deo: quasi dicat, in Deo fidelitatis, & ueracitatis, qui fidelis, & uerax est, Apoca. 3. Hæc dicit amen testis fidelis: id est, hæc dicit Deus, qui est ueracitas, & fidelitas. Altero modo sumitur loco aduerbij, & in duplici significatione: altera est, ut sit aduerbiu consentiendi, & confirmandi dicta alterius, quasi dicatur ita fit. ut dictum est. sic Deuterono. dicitur: Respondebit omnis populus amen: id est, ita fiat, nobis placet, & consentimus huic, quod dictu est. & ibidè. Er dicet omnis populus amen. & numero. 5. Mulier adulterij causa ad sacerdotes delata, post imprecatione recitata cogebatur respondere; Amen, id est consentio. Aliqui aduerbiu in his locis optandi esse existimant, sed potius est confirmandi & consentiendi. Altero modo sumitur, ut sit aduerbiu affirmandi, & asseuerandi, quæ homo ipse loquitur, quod Latine dicimus certè, seu uerè. Hieron. Epist. 173. ad Marcellam notat Aquilam uertisse Græcè fideliter, Septuaginta, fiat fiat: parū est in hoc discriminis. Hoc in loco, & frequenter in uerbis Domini, sumitur pro aduerbio affirmandi, quasi dicat: certum est, & uerū, quod dico. Apud Ioannem autem geminata uox hæc inuenitur, Amen Amen, quæ geminatio rem asserentem uehementer confirmat: quasi dicat, hoc est certissimum, & infalibile. Merito aut geminatio fit, quia hæc sunt profunda, & alta Dei mysteria, quæ multa affirmatione indigent, ut qui audiunt, ex magna affirmatione loquentis, rem consideratione dignam esse intelligant.

Quid significet uox illa, Amen, Amen.

Isa. 65.

Apoc. 3.

Deuter. 27.

ANNOTATIO V.

ALTERVM uerbum considerandum est illud, denuo. & uideatur duo apud Græcos significat: Vnum quod Latine dicimus, desuper, seu supernè, est enim aduerbiu; Alterum, quod Latine dicimus, iterum, seu denuo. Chrylost. utramque refert significationem Hom. 23. sequitur tamen posteriorem, quod nos in nostra uersione habemus, denuo, seu iterum.

Quid significat particula illa, denuo.

rum. Cyril. autem lib. 2. cap. 40. priorem sequitur significationem, ut sit sensus: nisi quis renatus fuerit desuper, seu supernè: tamen conuenientior est prior expositio. nam si dictum esset, Nisi quis renatus fuerit desuper, seu supernè, non respondisset Nicodemus, quomodo potest homo nasci, cum sit senex? nunquid iterato potest introire in ventrem matris? si autem audisset nasci debere desuper, nõ dixisset, debet iterato introire in ventrem matris. Argumento hoc est audisse à Domino, nisi quis de nouo, seu iterum natus sit: & probabile est, Dominum esse vsum hebræa voce **יָנִוּ** quasi secundò, nisi quis renatus fue- rit secundò, & est significantior vox, quàm Latina, & Græca. qui pluries enim nascitur, iterum nasci dici potest: at natiuitas hæc Christi, quæ est per baptismum, secunda est, nec iteratur: ob id rectius dicitur, nisi quis renatus fuerit secundò: & huic magis consonat Nicodemi responsio. Illud autem, *renatus*, magis ad sensum, quàm ad verbum trāslatum est: nam Græcè simplex est verbum, nisi quis natus, seu potius genitus fuerit. nec fuit necessarium vti illa compositione, vt diceretur renatus, nam aduerbiū, *denuo* illam habet geminationem, & in aliquibus codicibus inuenitur, nisi quis natus fuerit, & sic Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remis. cap. 30. legit.

ANNOTATIO VI.

Quid voce illa, Regnum Dei significetur.

REGNUM DEI, non omnes eodem exponunt modo. Primò quidem Chryso. hom. 23. & Euthymi. ipsummet Christum exponunt, vt sit horum verborum sensus; *Nisi quis renatus fuerit denuo* per baptismi regenerationem, non potest veram, & perfectā habere fidem. *videre igitur regnum Dei*, est fidem legitimam, & perfectam habere de Christo, quali Nicodemus nondum denuo natus caruit. Secundo loco Cyri. lib. 2. Ioan. cap. 40. coelestem beatitudinem exponit, vt sit sensus: nisi quis denuo natus fuerit, non potest esse ciuis cælestis, eodem modo exponit August. lib. 1. de peccat. mer. & remis. cap. 30. vbi citat hæresim quorundam distinguentium in hoc loco regnum Dei à vita æterna, cuius inferius mentionem nos facimus. Tertio loco Cyprian. epist. 72. ad Stephanum, quæ habetur in lib. 2. epist. 1. exponit Ecclesia Christi, vt sit sensus: nemo potest introire in Ecclesiā Christi, vnusq; de numero fieri Ecclesię huius, nisi fuerit denuo natus per baptismū, qui est ianua Ecclesię Euangelicę. hæc expositio tertiā visā est nobis legitima. his enim verbis significare volebat Christus se esse Messiam (cui nemo ad herere poterat, nec de numero fidelium eius esse, nisi denuo natus per baptismum) Ecclesiamque suam synagogę finem imposituram, quam quidem Ec-

Dixit ad eū Nicodemus, quomodo potest homo nasci cū sit senex? nunquid potest in ventre matris sua iterato introire, et renasci?

COMMENTARIUS.

NON intelligens Nicodemus generationem hæc nouam, imperfectus vtiq; & animalis, de carnali generatione verbū interpretatur, & fieri nõ posse

Aclesiam nomine regni Dei, Iudæi multo antè expectabant.

ANNOTATIO VII.

VERBIS huius sententię expositis, conexio deinceps cum præcedentibus consideranda est. Tripliciter enim Doctores coniungunt hæc verba præcedentibus. Primò Cyril. lib. 2. cap. 40. sic dicit esse conexa. Existimabat Nicodemus ad iustitiam, pietatem sibi sufficere quæ fecerat, & confessus fuerat: venit enim noctu, & Christum à Deo missum confessus est: Dominus ad hoc respondet, & responsionis sensus est iste, Non ita, vt putas, Nicodeme, pietatem, ac fidem consequeris, nec nudis verbis adipisci iustitiam poteris: non enim quicumque mihi dicit, domine, domine, sed, qui voluntatem patris mei facit, regnum cælorum possidebit: voluntas autem patris est, vt Spiritum Sanctum homo suscipiat; & in audito, nouoque modo regeneratus, cælorum ciuis efficiatur. hæc Cyril. Altero modo exponit Theophy. & cōnectit; Cum Nicodemus humilem de Christo habuerit opinionem, eum quodam modo Christus excusat, dicens; Meritò de me ita opinaris, quia nondum es denuo natus. Nemo enim de me rectam, & perfectam habebit fidem, nisi denuo natus. Chryso. Hom. 23. Cyrilli expositioni accedere videtur. Tertio loco aliqui recentiorum exponunt, vt per hæc verba respondeat Dominus Nicodemi interrogationi, quam Euangelista non expressit, sed in Christi responsione insinuauit. interrogauit autem Nicodemus, Quomodo regnum Dei consequi posset, & Dominus respondet per verba iam exposita. Et si quidem Nicodemus ea vsus est interrogatione, certè connexio verborum aperta est: nam responsio interrogationi rectè conuenit, sed quod Euangelista non dicit, velle sine vlla necessitate, aut auctoritate supplere, probandum non est. maxime cum sensus legitimus tali supplemento peruertitur. Si enim Nicodemus interrogationem hanc fecisset, iam se Christi discipulum incepisset profiteri, nec Dominus ita obscurè respondisset, nec vt suam ignorantiam cognosceret, traxisset. quæ tamen Dominus fecit, quia ille se doctrina non indigere existimauit. Nõ ergo expositio seu conexio hæc stare potest quæ non sensum scripturæ, sed scripturam suo accomodat sensui. Theophylacti etiam expositio non videtur legitima; non enim excusandus, sed potius reprehendendus erat Nicodemus. nam etiamsi denuo natus nondum esset per Baptismum, potuit, & debuit maiora profiteri de Christo. Connexio igitur seu expositio ea magis germana videtur, quam nos in commentario sumus secuti.

Quomodo hæc hristi responsio præcedentibus verbis coheret.

posse iudicat. *Quomodo, inquit, potest homo nasci, cum sit senex?* id est, postquã cõsenuit. Senex dicit quia de se loquebatur, qui senex erat, & vt rem magis repugnantem ostenderet: plus enim distat à generatione senex, quã puer. maiorem autem repugnantiam & verbis expressioribus exponit; *Potestne homo iterum introire in ventrem matris, & renasci?* quasi dicat, nõ potest iterum introire in ventrem matris, nec ergo potest iterum renasci. Renasci in Græco idẽ verbum est, quod superius, gigni, seu nasci. Quamuis Nicodemi responsio rudis admodum fuerit, dum carnaliter verbum exponit, habet tamen admistam quandam scintillam superbiæ. Non enim discere volens interrogat, quæ est ista noua generatio, sed sibi visus intellexisse, ad carnalem generationẽ sensum accommodat. Non tamen adeo superbia processit, vt verbis vsus sit negatiuis, dicendo non potest hoc fieri, non potest homo iterum nasci; sed tacitam negationem admirando adhibuit, quod modestiæ cuiusdã fuit. Has, & similes reddunt hæretici, vt rectè Chryso. hom. 23. dicit, ad mysteria fidei responsiones: suo enim captu res fidei merientes, fieri non posse existimant, & dicunt; Quomodo hoc fieri potest? quomodo Christus esse potest in sacramento realiter? quomodo Christus vna persona diuina in duplici natura est? quomodo virgo peperit; & permansit? animales homines non percipiunt, quæ sunt spiritus, & stultitia eis videntur quæ sunt summa sapientia: quia suo captu. & suo iudicio rem diuinam merientes, sententiam suam proferunt: totius Ecclesię magisterium spernentes, ideoque multo magis, quàm Nicodemus, qui nondum plenè instructus fuerat, reprehendendi.

Responsio Nicodemi nota.

Respondit Jesus, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Clementissimus Dominus Nicodemum non percepisse responsionẽ videns, eam exponit clarius; & cum causa cur verba Christi non intellexerat, ea esset, quod hanc nouam generationem futuram arbitratus sit esse carnalem: propterea talem opinionem remouet, explicans, hanc generationẽ non futuram carnalem, qualẽ Nicodemus cõceperat; nempè, vt iterum homo ex patre, & matre carnalibus gigneretur, & nasceretur, sed spiritualement, nẽpe ex aqua, & Spiritu sancto. Iterum ergo dicit, *Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit, &c.* quasi dicat; Sententiam meam videris minus intellexisse, quia de carnali generatione me loqui putasti: accipere igitur eadem responsionẽ verbis clarioribus. Nisi quis renatus fuerit non ex matre, & patre iterum, sed ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hęc sententiã præcedẽtis est expositio: occasione enim denuo nascẽdi, Nicodemus Christo fidem nõ habuerat. His autem verbis significat baptismum Euangelicum, per quem regeneratur homo in nouum hominem, & in statu filiorum Dei cõstituitur, vt hæreditatem regni Dei percipere possit. Habent autem quãdam ad testimonium Ioannis (quod Nicodemus forsan nõ ignorabat) verba hæc relationem: Nam Ioannes dixerat; Ego vos baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto. Christus ergo se esse eum confirmat, de quo Ioannes illud testimonium perhibuit. Hunc etiam baptismum necessarium esse, vt homo in Dei regnum introeat docet, quod Ioannes non expresserat.

ANNOTATIO VIII.

Patres diuersè legunt verba superiora.

QUANTVM ad verba attinet Græcè nõ est renatus, sed natus, seu genitus, vt in præcedenti sententiã, verbum autem, introire, exponit clarius; quod prius dictum est, videre. Considerandum etiam est, in Græco non legi Spiritu sancto, sed tantum Spiritu, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu*, & ita legunt a-

liqui & Græci, & Latini Doctores: inter quos sunt Gregor. Nise. orat. de Sancto Baptismate. Euthym. in præsent. Cyprian. Epist. 72. & 73. & libro 1. cont. Iudæ. capit. 12. & lib. 3. ad Quirinum cap. 25. Ambro. lib. 3. de Spir. Sancto, cap. 11. qui duplicem affert lectionem; Vnam, nisi quis renatus fuerit per aquam,

Quaeritur spiritum; Alteram, nisi quis renatus fuerit de aqua, & spiritu; in neutra autem legitur utrum sanctum. Alij verò legunt Spiritum Sanctum tam Græci, quam Latini: inter quos sunt Cyrillus lib. 2. cap. 42. Chrysol. hom. 24. Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remis. cap. 30. Greg. lib. 7. Epist. 53. hæc doctorum antiquorum varietas, & maximè Græcorum argumento est Græca exemplaria varia extitisse; in re tamen non est vlla controuersia. Omnes enim intelligunt hoc verbum de Spiritu Sancto, & ex alijs locis scripturæ, nempe ex Ioannis testimonio, & ex forma Baptismi data à Domino hunc esse Spiritum Sanctum, certum est.

A nim fumus cū illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. vides baptismum esse mortem & esse viuificationem: nā vnus corruptio, alterius est generatio; quam etiam sententiam ad Colof. 2. idem Paulus confirmat. Quia verò in baptismo fides infunditur, sacramentum illuminationis dicitur, & ratione variorum effectuum, varia nomina sortitur: tamen ratio propria ipsius, est regeneratio quædam, qua homo ex filio hominis fit filius Dei, ex seruitute peccati, & legis in filiorum libertate constituitur. Trium autem scriptura generationum hominis mentionem facit. prima est naturalis, qua homo nascitur in suo esse naturali, vt fit homo, & filius tantum hominis. plena est scriptura testimonijs huius generationis. Misera est natiuitas hæc & generatio, post peccatum parentum. Nam non nascitur homo filius hominis, quia simul etiam nascatur peccator, & filius peccatoris. Psal. 50. In iniquitatis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Duo soli homines sine peccato naturam acceperunt, qua homines essent, Adam & Eva; sed hi non sunt generati, nec nati: nam Adam de terra, Eva de costa Adæ à Deo facti sunt. Fuerunt quidem homines, sed non filij hominis; quotquot autem nati sunt postea, qui ex maris, & foeminae commixtione sunt, peccatores fuerunt, & ex illis postquam peccarunt nati sunt, B. Virgine excepta. Sed hæc consideratio alterius est loci. Secunda generatio hæc est quæ fit per baptismum, per quem deleta peccata natura hominis illa, quæ infecta erat peccato, recipit iustitiam, & sanctitatem, ac Dei filiorum adoptionem: habet tamen aliquid miserie, quia sic generatus adhuc huius mundi calamitatibus manet subiectus; adhuc mortalis & patibilis est. animarum est iste ortus potius, quam corporum, & adhuc animarum non omnino perfecta, quia peccare potest, & peccat renatus. Tertia est perfecta, & integra, ac felix, ab omni morte, & miseria libera, quæ est corporum resurrectio. Hanc enim dici regenerationem seu natiuitatem in scriptura certum est. Nam Matth. 19. dicitur; In regeneratione cum sederit filius hominis, quem locum multi, & graues Doctores de corporum resurrectione exponunt. Secundam igitur generationem dominus Nicodemo demonstrat necessariam ei, quicunque introire in regnum Dei, & tertiam generationem consequi desiderat.

ANNOTATIO X.

A BVS I sunt hoc Seruatoris loco Hæretici. Refert enim Bernardus Epist. 77. ad Hugonem extitisse quendam, qui ex hoc loco duas inferebat assertiones. Prior erat, neminem posse saluari, qui non sit ex aqua, & spiritu regeneratus, quantumvis cum contritione, & desiderio baptismi, morte præuentus, recedat. Altera, præceptum hoc, & necessitatem id temporis inceptisse, cum hæc verba Dominus protulit, & pronuntiauit Nicodemo. Sed vtraque

Triplex huius generatio.

Contra Pelagianos sentientes Regnum Dei aliud esse à vita æterna.

vtraque assertio est error contra fidem; nam Baptismus aquæ, cum in effectu non potest recipi, si in voto, & proposito recipiatur cum contritione peccatorum, sufficit ad iustitiam, & salutem. quod & concilium Trident determinauit, & declarauit. Nec etiam obligatio baptismi incepti, nisi post resurrectionem Domini, & promulgationem præcepti, de qua re non est cur in hoc loco multa dicamus; effect enim instituti terminos transilire. Satis sit hoc in loco, Dominum, non quod statim, quando hæc dicebantur, sed quod suo aduentu futurum erat, significasse. Tunc enim nondum Baptismus Christi erat institutus. sicut etiam quando Ioan. 6. dictum est; Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; non tunc obligabat, quia nondum sacramentum sui sanguinis, & corporis instituerat. Alia hæresis præcedente antiquior fugienda est, cuius meminit August. lib. 1. de pecca. mc. & remis. cap. 30. eratque Pelagianorum, qui videntes hoc in loco necessitatem baptismi etiam paruulis impositam; nemo enim exceptus est, siue adultus, siue paruulus, & sine exceptione dicitur; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. Vnde Catholici Doctores hoc loco paruulos baptizandos confirmabant (sicut & nos contra hæreticos nostri temporis confirmamus) videntes, inquam, hoc Pelagiani, & timentes, ne cogentur affirmare paruulos habere peccatum, vt verè habent, si baptismus necessarius est eis ad vitam æternam, dixerunt; aliud esse vitam æternam, aliud regnum Dei, docebantque baptismum non esse ad æternam vitam paruulis necessarium, quia sine Baptismo saluantur, & vitam consequuntur æternam, tamen non introeunt in regnum cælorum. Sed hi miserè decipiebantur: idem enim est vtrumque. & qui expellitur à regno Dei, etiam à vita excluduntur æterna. quod Matth. 25. aperte confirmat, iustis enim dicitur, percipite regnum, malis autem, ite in ignem æternum: excludi ergo à regno, mors est æterna, statimque declarat, adiungens; Ibi hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Evasio ergo conficta & falsa est, ista hæreticorum distinctio regni à vita æterna. Hac autem sententia aliquot hæreses conuincuntur. primò quorundam, qui dicti sunt Seleuciani, & Hermiani, quorum meminit August. lib. de hæres. capit. 59. vbi asserit, non in aqua eos baptizasse, in quo autem baptizarent August. non explicuit, Philaster tamen eos in igne baptizasse dicit. Decepti sunt si illo Matth. 3. Baptizabit vos in Spiritu, & igni, qui ignis referendus est ad Spiritum Sanctum, qui in eius sape super baptizatos descendit; vel ad ignem probationis, vt Doctores Catholici exponunt, quæ res suo in loco tractabitur. Secundo aliorum, qui dicti sunt Flagellates, qui in proprio sanguine flagellis extracto, baptizari oportere affirmarunt. vtrique hoc loco confutantur; Ex aqua enim, & Spiritu nasci oportet, non ex igne, non ex sanguine flagellis educto. De martyrio autem pro Christo suscepto, alia ra-

tio est longè diuersa. hoc enim supplet, & tenet locum baptismi aquæ, vt Ecclesia vniuersa semper tenuit, & declarauit, de qua re alibi est differendum. Conuincuntur etiam hoc loco Anabaptistæ, nostri temporis hæretici, qui paruulis inutilem censent esse baptismum, eosque in eo statu salutis remeio carere asserunt; propterea illos cum ad annos discretionis peruenerint, iterum baptizant; nam sine fide putant baptismum non prodesse. Sed isti hac Domini sententia coarguuntur. Nam vel excludunt ab hac Domini sententia paruulos, vel includunt; excludere non possunt, quia generaliter dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, generalis ergo sermo est omnnes comprehendens; si igitur comprehenduntur, & baptismus eis est conferendus, vt à tempore Apostolorum obseruauit Ecclesia; & ipsi Anabaptistæ baptizant; profectò renascuntur, & in regnum cælorum admittuntur. baptismus enim regeneratio est: omnis autem regeneratus intrat in regnū cælorū, sicut nō renatus excluditur. Est enim hæresis impia remedium salutis negans hominum statui, in quo innumerabiles moriuntur. si enim in lege veteri, & in statu nature, vbi multo minus gratia abudabat, nō defuit his salutis remedium; multo minus in Euangelio, vbi gratia vberior, & abundantior est, deesse debuit. Isti autem errant non intelligentes locum scripturæ; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Marci vltimo dictura esse pro adultis, quibus prædicandum erat. de his enim ibi Euangelistam loqui probant verba præcedentia, Prædicatæ Euangelium omni creaturæ; paruulis autem non prædicatur. at verba præsentia generalia sunt. Nisi quis renatus fuerit, &c. ex quibus rectè inferitur generalis affirmatiua, qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto introibit in regnum Dei.

Contra Anabaptistam.

ANNOTATIO XI.

FALSO etiam nostri temporis hæretici hunc locum interpretantur; dicunt enim non de baptismo intelligi debere, sed de renouatione, quæ fit per Spiritum Sanctum; aquam autem, & ipiritum, vnum, & idem significare affirmant. aquam verò ponit, vt exprimat effectus spiritus, qui est purgatio, & vegetatio interior. Hanc tam violentam, & extortam expositionem ideo excogitarunt. ne alterius conuincerentur erroris; asserunt enim in baptismo aquam non esse necessariam. Sed contra hæc hæresim Ecclesia vniuersalis ab Apostolorum temporibus pugnat, quæ semper in aqua baptizat; pugnant omnium Doctorum consensus; concilia generalia; figuræ baptismi, quæ in aqua elementari præcesserunt; prophetiæ multæ, quibus hæc promissa, & prædicta est aqua, pugnat ipsum nomē: nam baptizare lauare est; verba etiam scripturæ conuincunt. Ephes. 5. Lauacro aquæ in verbo vitæ lauans, inquit, Ecclesiam, & Acto. 8. Philippi factum, demonstrat, cum eunuchum aqua baptizauit. Verba denique nostra non admittunt tam violentam

Conuincit hæreticos negantes verba de baptismo aqua, intelligenda.

Quare baptismus regeneratio dicitur?

ANNOTATIO IX.

HUNC ortum nouum ex aqua, & Spiritu Sancto, Baptismū esse nemo dubitat. quod Paulus ad Tit. 3. confirmat dicens, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis. At cur baptismus regeneratio dicatur, & maximè, si circumcissioni cōferatur, quæ regeneratio non dicitur, non facile est declarare: Nā si respondeas dici regenerationem, quia homo nouus fit, nempe spiritalis, veteri statu peccatorum repudiatos videbitur tunc circumcisio dici potuisse regeneratio. nam in ea homo remissionem peccati consequatur, & de peccati seruitute in statum iustitiæ transferebatur: Aduertendum ergo est per Baptismum non solum hominem innouari, vt statu peccati abiecto nouus fiat in Christo: similiter relicta veteri lege ad nouitatem Euangelii mores componat si enim hoc tantum esset, sacramentum solius renouationis diceretur; sed habet quiddam aliud quod paulo superius breuiter attigimus, nempe, vt in statum adoptionis filiorum inducat, & homines filios Dei faciat circumcisio hæc non habebat. Omnes enim in statu seruitutis, quantumcumque iustificatos ponebat. hac de causa baptismus generatio, & natiuitas quædam est; vbi enim filiatio est, natiuitas, & generatio est, & ex hoc habet baptismus effectum illum aperiendi iānuam cælorum, & homines capaces fatiendi introitus regni Dei; Nam hæreditas filio non datur, nisi quando est in statu filiorum, tunc enim filius perfectè dicitur: filiorum autem hæreditas est. illis olim Iudæis, quia in statu seruorum erant, iānuæ regni non aperiēbatur; baptizatis verò, vt perfectis filijs aperta est: ob id Baptismus generatio quædam est, & sacramentum renouationis & simul regenerationis à Paulo dicitur. Sicut ergo in naturali generatione, generatio vnus corruptio est alterius; sic baptismus generatio cum sit, quia per eum homo fit, & nascitur filius Dei; corruptio est, nempe mors quædam veteris hominis, respectu peccati, & respectu veteris legis. moritur enim peccato, moritur & legi, quia per baptismum seruitus peccati, & onus legis ablata sunt; & hac ratione per baptismum commorimur, & consepelimur Christo. ita Rom. 6. dicit Paulus Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti e-

Roma 6.

Ientam, & temerariam expositionem, cum aperte dictum sit, Natus ex aqua, & Spiritu. Et certè mirum est, cum istimet hæretici baptismum à ratione sacramenti non excludant, quomodo negare possint, aquam necessariam; cum sacramentum sensibile quoddam signum sit, ex realiqua, & verbo consistens, nec mirum est, si aqua tantam vim habeat, nam ut instrumentum est Spiritus Sancti, in anima istam virtutem exercet, quod enim naturæ pro-

pria virtute non potest, efficit omnipotēs virtus, quæ per illam operatur, vt antiqui Patres docuerunt. nam & virga Moysis mirabilia operata est, non vtique propria, sed diuina mota virtute. Innumera sunt, quæ de baptismo tractanda essent, sed non est instituti nostri, qui senium Ioannis literalem præcipue exponere studemus, ea nunc tradere: maximè quia alio in loco abundanter discussimus, & ad alia loca scripturæ magis pertinent.

Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

COMMENTARIUS.

PROSEQVITVR explicare superiorem sententiam, quam Nicodemus nō percepit: nam carnalem generationem existimās, iterum hominē nasciturum putabat, vt bis nascatur homo. At Christus errorem illius cognoscēs exposuit hanc secundam generationē non carnalem, sed ex aqua & spiritu fieri debere; vnde consequitur, vt per hanc non iterum nascatur homo, sed spiritus, id est, non iterum humanum esse accipiat, sed spirituale quoddam. Tale enim est natum, quale est principium generationis effectiuū; quod ex homine nascitur, homo est: quod ex spiritu nascitur, spiritus est. hoc est, qd' in his verbis Dominus dicit; *Quod ex carne nascitur, caro est, quod ex spiritu spiritus est:* ac si dicat; Tu existimas me dicere, secundo hominem debere nasci carnali generatione, arbitratus & iterū debere nasci hominem, vt bis fiat homo; at cum generatio hæc secunda non sit carnalis, sed ex spiritu; non nascetur homo iterum, sed spiritus, seu non humanum esse, sed spirituale accipiet, iuxta principium generationis suæ. Carnem hoc loco appellat hominem ipsum, secundū esse naturale, & humanum, quod naturali generatione accipitur, sicut superius verbum caro factum dicitur. Vtitur autem hoc vocabulo, vt distinguat à generatione carnali, hanc per quam nascitur spiritus, seu secundum esse spirituale; & discernat esse corporeum, ab esse spirituali. qd' est per gratiam. Multum ergo à vero sensu loci huius aberrant, qui carnem hoc loco exponūt de carne peccati, cum nihil de peccato agatur: & quamuis nulum esset peccatum, verum esset, quod natum est ex carne, caro est. Propositum Christi solum est, ostendere terminum carnalis, & corporalis generationis esse similem principio; & quia principium generationis naturalis homo est; homo est qui generatur: at cum principium generationis secundæ sit spiritus, quod producitur & nascitur spiritus est: ob id non ponitur Sanctus, sed spiritus, quia id est, quod opponitur carni: non quod esse humanum per naturalem generationem productum destruat, manet enim natura hominis, sed superadditur aliud esse, aliaque vita spiritualis, & gratiæ à spiritu sancto producta. Vt enim homo viuit vita vegetatiua, seu sitiuua, & rationali, nec vna vita perit, eo quod alia vita simul sit, sed potius perficitur; ita natura humana supra vitam rationalem, & super esse humanum p' Spiritum sanctū, accipit aliam vitam diuinam, supernaturalem, incorpoream: nec tamē perit vita naturalis, sed perficitur. Hic est germanus sensus, & hæc cū superioribus connexio.

ANNOTATIO XII.

EX hac vera, & legitima declaratione soluitur facile dubitatio, quam hoc tempore aliqui proponunt, nec satis conuenienter respondere videtur, dubitatio autem est de Christo, qui natus cum sit de spiritu, videtur non caro, sed spiritus dicendus. Respondent in his verbis carnē significare carnē peccati, qua ratione Christi caro nō dicitur; verba ergo hæc non sunt de Christo, sed de peccatoribus. quæ

responsio quam à verò sensu aberret, ex commentario patet. Responsio vera est, Christum natum dici de spiritu dupliciter; Prior modus proprius est ipsi, nempe quia spiritus locum viri suppleuit; cum enim viri virtus in eius conceptione ex virgine non interfuerit, necessarium fuit Deum ipsum sua virtute & potentia supplere; & quod virtus viri operaturi erat, meliori & perfectiori modo efficeret, &

Quid nomine carnis sit intelligendum.

Quaratione Christum qui de spiritu natus est, Spiritum dicendum sit.

Auctori sententia.

re, & ita factū est: quatenus ergo Spiritus sanctus hanc virtutem viri supplebat, vsus est materia; nam ex sanguinibus Beatissimæ Virginis corpus Christi formauit, & organizauit: hac ratione Christus caro natus est; quia quamuis Spiritus fuerit principium, sic tamen erat principium, vt locum teneret humanæ virtutis in materia operantis. Posterior modus est, quia ipsam humanitatem Christi diuinitati copulauit, & etiam repleuit gratia omni spirituali, non quidem supplendo locum viri, sed vt Deus ipse agens secundum suam proprietatem: & sic verè Christus natus est spiritus, ratione huius esse, & vita gratiæ spiritualis; quia natus est de spiritu, non supplente locum viri, sed secundum suam rationem agente. Fuit ergo generatio Christi carnis, & spiritus, & virtusque principium spiritus, sed lilius locum tenens viri, huius secundum suam rationem agens, & sic Christus simul natus est caro, & spiritus, quod diuinitus Lucas significauit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi,* quæ verba duplicem concursum, duplicemque operationem Dei indicant. Aduerte duo, quæ sequuntur, quod nascetur ex te sanctum; nascetur quidem secundum carnem, quia caro erit, sed sanctum simul, quia Spiritus sanctus utroque modo operabitur in hac ineffabili generatione. Hic est sensus, & legitima solutio, & explicatio propositæ dubitationis. Cyrillus lib. 2. cap. 43. verba superiora aliter exponit; per carnem enim corpus, per spiri-

Luce. 1.

tum animam intelligit; vt sit sensus; secundum carnem, de carne nascitur, secundum animam de Spiritu sancto; quia anima est, quæ per Spiritum sanctum reformatur, secundum Deum, tamē violentus est sensus & alienus à proposito Christi. Vult enim terminum assimilari principio; vt sicut, quod ex homine nascitur, homo est, ita quod nascitur ex spiritu, spiritus sit: id est, esse & vitam quandam spiritualem habeat: non ergo sumit spiritum, vt is sit, qui dicatur nasci à parte subiecti, sed in quem nascimur à parte prædicati, & termini, quia euadit homo spiritualis ex hac generatione, quod in commentario explicuimus. Et quamuis esse gratiæ spirituale, in anima recipiatur, tamen totus homo spiritualis dicitur, nec intelligas istam similitudinem omnimodā quasi homo nascatur Spiritus sanctus, sed est similitudo qualis qualis, nempe vt sit spiritus, secundum esse inuisibile, & sanctus per ea dona, quæ Spiritus sancti sunt, quod Basilius homilia de baptismo hūc locum declarans annotauit, dicens, Quemadmodum quod secundum carnem natum est ex aliquo tale est; quale id, ex quo natum est, ita & nos necessariò ex spiritu nati, spiritus efficiamur: spiritum dico non secundum immensam illam, & humano sensui incomprehensibilem Spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in diuisione charismatum Dei per Christum vnicuique ad utilitatem facta est. Hæc Basil.

Homo quomodo ex Spiritu nascatur.

Nicodemi incredulitate medetur Christum.

Natum de Spiritu quomodo per similitudinem dicitur Spiritum.

Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo.

COMMENTARIUS.

VERBA hæc, quamuis Cyrillus, & Chrysostomus, ad sequentia referant, tamen superioribus rectius connectuntur. Concludit ergo ex superioribus verbis, nō esse in superiori sua sententia, quod admiratione tali, qualem Nicodemus præ se tulit, dignum sit: quasi dicat; non ego dixi tibi rē; quæ fieri non posset; non enim pronuntiaui vos carnali generationi denuò, sed spirituali nasci debere; non vt iterum nascatur homo, & ex sene fiat puer; sed vt nascatur, quod non erat, & accipiat, quod non habebat, nempe esse diuinum, & spirituale, secundum quod sit Dei filius. Admiratio Nicodemi ex incredulitate erat; propterea Dominus corrigens dicit, *Non mireris,* si enim ex fide magnitudinem rei admiratus esset, non esset correctus. Nam admiratio bona esset, & nos fideles rectè altitudinem mysterij huius admiramur. Admirati sunt ludæi Ioann. 6. dicentes, *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?* sed malè, quia cum infidelitate. Admirati sunt etiā illi homines dicentes, Matth. 8. *Qualis est hic, quia mare, & venti obediunt ei?* sed rectè, quia cum fide, & ex fide.

Spiritus ubi vult spirat

DIXERAT natum ex carne esse carnem, natū verò de spiritu esse Spiritū. Similitudo prior carnis ad carnem, explicatione nō indigebat; propter ea prætermissa est à Domino; posterior verò Spiritus ad Spiritū, quia non ita patebat, eam Dominus exponit, ne fortè Nicodemus Spiritui sancto simile per omnia futurum eū, qui de spiritu natus dicitur, arbitraretur, sicut caro carni similis est. Docet ergo Christus natū de spiritu Spiritum esse, simileque Spiritui, de quo natus est, non quidē per omnia. Fieri enim nō potest, vt homo Spiritum

Natum de Spiritu quomodo per similitudinem dicitur Spiritum.

Spiritu sancto, qui Deus est, omnino sit similis; sed est similitudo aliqua participata, quæ in tribus posita est. Primū est, *Spiritus ubi vult, spirat*, id est, liber est in suis operationibus, quod vult, facit, nullo retinetur impedimento, nulla premitur seruitute. Hoc alijs verbis Paulus 1. Corint. 12. explicuit. Vnus, inquit, atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult. *Sic est omnis, qui natus est de Spiritu*, habet enim libertatem quandam Spiritus, & ubi vult, spirat. 2. Corin. 3. Vbi Spiritu Domini ibi libertas. Legem implet, tentationes superat, peccata vitat, Diabolum vincit, quod bonum vult, operatur, in libertatē filiorum Dei per Spiritum sanctum euectus, à charitate Dei nunquam inuitus separatur. Talis efficitur, qui ex aqua & Spiritu sancto renascitur.

De Spiritu venati quadruplici donantur libertate.

Aduerte quadruplicem libertatem eum adipisci, qui de Spiritu per Euāgelium Christi nascitur. Prima est à seruitute legis illius Moysaycæ: nam qui sub lege illa continebantur, in seruitutis statu erant. Galat. 4. Cū essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruiētes. ab hac seruitute Christus nos liberavit per Spiritum adoptionis filiorum. vnde eodē in loco Paulus adiunxit, dicens; Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus: quoniā autem estis filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater. hæc Paulus. Spiritus ergo filij facit filios Dei, & liberat à seruitute legis illius. Altera libertas est à lege ipsa morali, quæ hominū cordibus à natura insita est: nō quod obseruantia legis huius ablata sit renatis, sicut ablatū est iugum legis illius Moysaycæ, quæ iam est abrogata; sed quod per Spiritum sanctum renatis collata sit gratia, & virtus, qua eam implere valeant: sine Spiritu enim moralis lex perfectē impleri non potest, peccato vires adimente: ideo qui de Spiritu nati non sunt, seruiunt legi, seu potius legis seruitute premuntur; nati verò de Spiritu eam implere omnino valent Spiritus gratia roborati; idcirco non sunt sub legis seruitute, sed liberi ad eam obseruandam. De hac libertate Paulus Rom. 7. loquens dicit: Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum. Tertia est libertas à seruitute peccati, & Diabolo: qui enim est in peccato diu perseuerare nō potest, quin in alia incidat, nec tētanti Diabolo valet omnino resistere: seruire ergo necesse est. hanc libertatem confert renatis Spiritus Dei, de qua Paulus Rom. 6. dicit; Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Hæc cum præcedenti coniuncta est, sicut & seruitus peccati cū seruitute legis. Quarta libertas est à seruitute corruptionis, & mortalitatis, quam Spiritus tribuit renatis, non quidem in hoc sæculo, sed in resurrectione. Rom. 8. Viuificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. de qua ibidē: Creatura, inquit, liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorū Dei. Spiritus ergo est, qui de Spiritu nascitur, & sicut hic liber est, ita & ille. In hanc libertatem per Euāgelium vocati sumus. Galat. 5. ideoque Euāgelium lex perfectæ libertatis dicitur. Iaco. 2. Euāgelium autem lex est Spiritus.

Vox Spiritus sancti quomodo audiat.

Et vocem eius audis.

Hoc est alterum, in quo qui natus est de Spiritu, similis est spiritui, de quo natus est. *Vocem*, inquit, eius audis. Spiritus in se inuisibilis & insensibilis est; vox tamē eius auditur: loquitur enim Spiritus sanctus per eos, quos inspirat. 2. Pet. 1. Spiritu, inquit, sancto inspirati locuti sunt Dei homines. Matt. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri. Act. 6. Non poterant resistere Spiritui, qui loquebatur. Qui ergo audierunt Prophetas, Apostolos, & eos, qui diuino afflati sunt Spiritu; audierunt vocem Spiritus, quāuis nō omnes perceperint vocem fuisse Spiritus, sicut omnes qui Christū audierunt, audierunt quidem vocem filij Dei, licet non omnes crediderint filium Dei fuisse. *Sic est omnis, qui natus est de Spiritu*, inuisibile est, & latet interius, nimirum

rum gratia, & dona Spiritus, quibus confors effectus est diuinæ naturæ: hæc enim corporeis oculis non videntur, opera tamen mirabilia, & diuina, quæ inde procedunt, apparent, & hominum sensibus obiecta sunt. Hoc res ipsa confirmat. videmus enim, & legimus homines rudes, ignaros, debiles, vitijs deditissimi, Spiritu renatos, euasisse sapientissimos, fortissimos, omni bonitate, & sanctitate illustres; vt ex operibus ipsis, nouæ & diuinæ mutationis, & natiuitatis internæ efficacis appareat argumentum. Vox igitur natorū de Spiritu auditur, sed quod intus est, non videtur. Loquitur autem Dominus in secunda persona, *Vocem*, inquit, *audis*, quia cum Nicodemo loquebatur, qui ex sacra scriptura sciebat, Spiritum Dei per Prophetas locutum esse.

Spiritus in renatis, se manifestat heroicis operibus.

Sed nescis, unde veniat, aut quò vadat; sic est omnis, qui natus est de Spiritu.

Hoc est tertium, in quo geniti de Spiritu, cum ipso Spiritu, de quo natus est similitudo consistit. Nemo scit quò vadat Spiritus, aut vnde veniat, quantumcumq; vocem eius audiat, id est; nemo vias, cōsilia, iudicia Spiritus sancti assequitur. Rom. 11. Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles vię eius, quis cognouit sensum Domini? aut quis cōsiliarius eius fuit? Sap. 9. Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? hoc est, quod dicitur nunc, *nescis unde veniat, aut quò vadat*. Est enim metaphora locutio. *Sic est omnis, qui natus est de Spiritu*: nam homines huius seculi, vident opera iustorum natorum de Spiritu, at vias eorum nemo nouit, nisi qui eodem Spiritu Dei agitur: cogitationes enim, desideria, fines, intentiones Spiritualium latent eos, qui Spiritum Dei non habent. 1. Cor. 3. Animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus. Act. 2. Apostoli pleni Spiritu, visi sunt Iudeis incredulis pleni musto, quia licet audirēt in eis verba, & voces Spiritus exterius, consilia tamen, iudicia, intentiones, & fines eorum non percipiebant, nescientes vnde venirent, aut quò tenderent. Insuper oculos, nati de Spiritu, reputati sunt stulti, cū essent prudētissimi; iudicati sunt scelerati, cū essent innocentissimi; existimati sunt sine honore, cū essent filij Dei; visi sunt mori, cū tamen essent in pace. Denique opera renatorum videntur quidem, nondum tamē apparet quid sunt, & quid erunt. Spiritus ergo est omnis qui natus est de Spiritu.

Sicut Spiritus sancti via & consilia, ita & renatorum de Spiritu ignorantur.

ANNOTATIO XIII.

Patres sapienter sententiam de ventis explicantes.

CYRIL. lib. 2. lap. 44. Chryso, hom. 23. Theophi: & Eutymi. & inter Latinos August. quæstio nou & vet. testa. cap. 59. aliter hunc locum interpretantur, vt per Spiritum ventus intelligatur, sitque similitudo quadam: Vt enim ventus suo impetu fertur, & sonus eius sentitur; tamen non videtur, quò vadat, & vnde veniat; sic qui natus est ex Spiritu, non videtur in se, sed in suo effectu. Si igitur ventus cū sit corporeus, non videtur nec ratione sui principij, nec ratione sui termini, sed ex sono & effectu cognoscitur; quid mirum, si hæc generatio Spiritus non videatur in se, quæ corporea non est? Placet hæc expositio nostro tempore quibusdam. At alij Doctores antiqui non de vento, sed de eodem Spiritu sancto hæc verba interpretantur, quam expositionem sequitur Hila. lib. 2. Trinit. Hierony. in Epist. ad Hedibi. quæst. 9. Ambros. lib. 2. de fid. cap. 3 & lib. 3. de Spiritu sancto cap. 11. & Augustin. tractat. 12. in Ioan. qui non solum eam tenet, sed priorem refutare contendit, eandemque probat Gregor. lib. 27. mora. cap. 13. In hac parte recentiorum aliquos miratus sum, non tam quod cum Cyril. & Chryso. de vento exponant, sed

quò sine distinctione Græcos eo modo exponere affirmant, quasi verò ea sit omnium Græcorum expositio; cū multi Græci Doctores non inferioris nominis, quàm quos ipsi in hac parte sequuntur, & de Spiritu sancto hanc sententiam exponant, & sic expositam Hæreticis opponant. In primis Athan. lib. 1. & 5. de vnica Deit. Trinita. de Spiritu sancto hæc verba interpretatur. Gregor. Nazianz. orat. 5. Theologi. Basil. lib. 5. con. Eunomi. cap. penult. Greg. Nisinn. orat. de sancto baptismo. Hi grauisimi & antiquissimi Doctores de Spiritu sancto exponunt, quorum auctoritas plurimi certè faciendū est; cui expositioni accesserunt August. Ambros. Gregor. & alij complures. Non est ergo cur illam expositionem Græcorum omnium affirmemus, imò nec cur Græcis simpliciter tribuatur, cum tot & tam graues Doctores etiam Græci de Spiritu sancto, sicut & Latini exponant. Fateor Dionysium Areopag. de cælesti hierarchia capit. 15. priorem insinuassem interpretationem. Sed antequam veniamus ad rationes quæ hanc probant expositionem, aduertendum est, ventum signum quoddam esse Spiritus sancti propter hæc tria: nimirum

Græci doctores, qui de Spiritu sancto interpretantur.

Citantur alij qui de Spiritu in sancto explicant.

nimirum motionem eius expeditam. Quo enim eum impetus naturalis impellit, illuc sine impedimento fertur; sonus etiam eius auditur, cum ipse sit inuisibilis; denique ortus, & terminus illius ignoratur. potest ergo homo renatus & vento & spiritu sancto comparari: hinc factum est, ut Doctores utroque modo presentem sententiam interpretati sint, nec tamen propter hoc sensus sit diuersus.

Auctor sequitur eorum sententiam, qui de Spiritu sancto similitudinem hanc explicant.

Quamuis autem prior expositio non sit improbabilis, accommodatior tamen nobis visa est posterior, nempe si de Spiritu sancto, non autem de vento similitudo procedat, propter rationes sequentes. Primum quidem, quia Dominus prius dixerat natum de Spiritu esse Spiritum, sicut natum de carne esse carnem; oportebat ergo probare & ostendere Spiritum esse eum, qui natus est de spiritu: quod certe non efficitur propter hoc, quod natus de Spiritu similis est vento. Obijcere enim posset Nicodemus; Tu Domine dixisti natum de Spiritu esse Spiritum, oportet te ostendere renatum esse similem Spiritui, de quo natus est non autem vento: nam de vento non nascitur, sed de Spiritu sancto. Secunda ratio, in vnica sententia breuissima, vocabulum vnum in diuersa significatione usurparetur, Spiritus, ubi vult, spirat, &c. Sic omnis qui natus est ex Spiritu; in priori parte pro vento, in posteriori pro Spiritu sancto, qui loquendi modus maximè in re obscurissima, & ad hominem, qui nec aptè intelligebat verba, non videtur satis congruens. Voces enim, ut vocant, æquiuocæ, & mul-

tarum significationum, nulla ratione sunt miscendæ in sermone, maximè ubi res tractatur difficilis, & apud eos, qui discunt, seu quos docere statuimus. Tertia, quia non solum esset amphibologia verbi, sed improprietas, quæ etiam vitiosa est in docente. Ventus enim non dicitur velle, non habet vocem; qua igitur ratione credibile est, Dominum volentem Nicodemum obscuram declarare, uti ambiguitate, & improprietate verborum? Quarta ratio, quia hoc erat potius Nicodemum in errorem inducere, cum audiret: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Putasset enim generationem esse corpoream, sicut & ventus corporeus est. Adde, quod non erat illi opus exemplo venti: nam scriptura frequenter meminit Spiritus Dei, qui per Prophetas loquebatur, & multa erat per homines operatus, erat autem Nicodemus doctor. Tandem, in Græco est cum articulo in utroque loco, qui frequentissimè solet indicare Spiritum sanctum, ut adnotat Didymus I. de Spiritu sancto. Demum cum utraque expositio ad eundem spectet sensum, illa potior est quæ inconuenientibus caret: porro in illa opus est admittere amphibologiam, improprietatem, perplexitatem, & locutionis quandam incongruentiam; horum nihil est in expositione posteriori; ipsa ergo est germana, & vera; atque ea de causa plures atque illustriores Doctores Græci & Latini eam secuti sunt, & probarunt, & sensum hunc contra hæreticos opposuerunt, Spiritus sancti diuinitatem comprobantes.

Respondit Nicodemus, & dixit ei, quomodo possunt hæc fieri?

COMMENTARIUS.

NICODEMVS rudis adhuc verba Christi non percipit, & licet verbis Christi edoctus nihil iam de generatione carnali cogitet, tamè qua ratione Spiritus effici & nasci possit non assequitur; idcirco ignarus, & admirans interrogat; *Quomodo hæc fieri possint*, ut homo fiat Spiritus, fiatque talis, qualis Spiritus dictus est esse? Prius quidem negando respondit. Quomodo fieri potest, ut nascatur homo, cum sit senex? nunc paulò capacior factus, ignorando interrogat, quasi discere cupiens.

Respondit Iesus, & dixit ei; Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?

NON malitiæ, sed ut Chrisost. homil. 25. annotat, ignorantia, & stultitiæ hominem accusat: eo maximè quod cum insignis doctor esset ab omnibus habitus, nesciret, quæ scire deberet. In Græco legitur sic: *Tu es ille magister ipsius Israelis*: id est; tu es doctor celebris in toto Israel, & apud omnes Iudæos, & hæc ignoras? Meritò doctori vitio datur ignorantia, nescire enim quæ sui muneris sunt, reprehensione dignum est, & non solum nescire, sed adhuc doctrinam non capere. bene Cyril. lib. 2. cap. 46. aduertit. Si qui apud eos doctor erat, ita rudis inuenitur, quales eius discipulos fuisse credendum est? non enim discipulus est supra magistrum suum, quamuis autem maior discipulorum ignorantia sit, tamen magistrorum maior est culpa.

ANNO.

ANNOTATIO XVI.

quære igno- ratio rege- rationis spiri- tualis in Ni- codemo re- prebèdatur.

INTERROGAT Chrysostr. hom. 25. in quo hæc generatio spiritualis cum Iudaica doctrina communicet, ut Nicodemus ignorantia vitio detur? Respondet primo, hanc generationem prædictam in prophetis. Psal. 21. Annuntiabitur Domino generatio ventura Psal. 112. Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua: promissa etiam est aqua mundans ab omni peccato, & inquinamento, Ezech. 36. Secundo, figuræ huius præcesserunt in multis miraculis, quæ per aquam facta sunt, ut in mundatione Naaman à lepra in transitu maris, & Iordanis, & alijs multis. Adde, quod Deut. 30. dicitur; Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Deum. Si igitur circumcisio spiritualis est, cur non generatio? præterea Ezech. 36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum

ponam in medio vestri, & auferam à vobis cor lapidum. Si hæc pronuntiata, sunt per aquam & Spiritum futura, cur non percipitur verbum Domini, quod non est obliquius verbis istis? Præterea in scriptura Spiritus Domini legitur per Prophetas locutus, vox audiebatur, & esse credebatur, tamè Spiritus non fuit visus; Legitur mutatio interior per Spiritum; nam Saul mutatus dicitur in alterum virum; legitur vnctio Spiritus interior; legitur homines filios Dei futuros, & alia multa, quæ si doctor scripturæ diligenter considerasset, non ita nouum visum esset ei verbum Christi; nepe nasci hominem interius spiritualè per Spiritum, & per aquam, propterea ignorantia eum arguit Dominus; & attende quomodo Nicodemum de sua scientia præfumentem Dominus deprefferit.

Amen amen dico tibi, quia, quod scimus, loquimur; & quod vidimus, testamur; & testimonium nostrum non accipitis.

COMMENTARIUS.

TRIA in Nicodemo reprehensione digna erant, ignorantia, quæ enim doctor ex lege scire debuit, nesciebat; incredulitas, quia quæ Christus asserere non est intelligentiam assecutus. Præcedentibus verbis eum ignorantia Dominus arguit, nunc incredulitatis accusat: & est sensus; Ego, quæ scio, loquor & quæ vidi, testor, id est, certissima sunt, & verissima verba mea: quia non ex auditu, non ex opinione, non ex alterius relatione, sed ex scientia, & visu dico, & loquor; & adhuc non accipitis testimonium meum, nec verbis meis creditis. Non vult præcipuè Dominus ignorantia & incredulitatis Nicodemum arguere; sed potius ut huius ignorantia & incredulitatis admonitus, fidem Dominus non habebat, & etiam si non percipiat, credat. Hac de causa testimonium suum tam mirè commendat Christus. vnde rectè Cyril. lib. 2. cap. 47. hæc verba commentens ait; Cum re ipsa rudior, quam ut posset diuina dogmata capere, longa iam consumpta oratione, Nicodemus videretur, ommissa exquisitori inuestigandi diligentia simpliciori fide, quod intelligere non poterat, recipiendum ei esse consulit, Dominus enim hominum fidem desiderans, & intendens, non vult semper omnino explicare mysteria, ne potius rei euidètia, quam verbi obediètia assensum faciat: propterea adhuc re non intellecta, ut credat, suadet. ibidè Cyril. attendamus, inquit, qui docendi potestatem accepimus, melius esse, si simpliciter fidem, quam profundiori ratione diligentius exposita neophytis tradamus. Recordari autem Nicodemus debuerat priorum verborum; Scimus quia à Deo venisti magister, credendum ergo ei erat, si magistrum à Deo confitebatur. Sciendum Christum, ut Deum omnia scire in seipso; ut hominem autè, in essentia diuina omnia quæ loquebatur mysteria, videre. Vnde quæ dicebat, optimè & perfectissimè sciebat, & videbat. Loquitur autem plurali numero, ut dicit Cyril. quia Patrem, & Spiritum sanctum in seipso habet; quasi eius testimonium non sit vnus, sed plurium, & ex visu, & ex scientia, iuxta illud Ioan. 8. Iudicium meum verum est, quia ego non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater; & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. in Nicodemo etiam cæterorum Iudæorum reprehendit incredulitatem, ideo plurali numero vsus, dicit, non accipitis.

tria in Nicodemo reprehensione digna.

Christus, fides obsequium, & Nicodemo exigebat.

M

Siterre-

Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?

TERTIO loco tarditatem ingenij Nicodemi, & Iudaeorum arguit, vt ex hoc ad fidem habendam his, quae non capiunt, inducat. Si no, inquit, creditis, quae dixi, terrena, quomodo credetis caelestia: est argumentum a maiori, negans; Si non creditis, quae faciliora sunt, nec credetis quae difficiliora. & perpende verba: nam tacite allicit Dominus ad assentiendum ijs, quae dicta sunt, spe multo maiora cognoscendi. similiter timore amittendi fidem caelestium, impellit ad habendam sibi fidem de terrenis; quasi dicat, habeo maiora & diuina, quae doceam, eorum tamen cognitione & fide priuabitur, qui dictis hactenus terrenis fidem non habuerit. Recte Chrysof. hom. 25. per terrena generationem spiritualem, quae per baptismum fit, exponit: per caelestia aeternam Filij Dei generationem a Patre, cuius comparatione generatio omnis nostra terrena est, quia finita & creata est: omnis autem creatura creatori collata, non solum terra, sed velut nihil est.

ANNOTATIO XV.

CYRIL. lib. 2. ca. 49. asserit quae dicta hactenus sunt Nicodemo, de spiritali generatione per baptismum, dici terrena; quia apta sunt hominum capacitati, respectu fidei mysteriorum aliorum, quae eleuatiore & altiora sunt; vt mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, &c. Vnde non sola filij generatio, sed multa alia mysteria significantur per verbum hoc. caelestia, & siquidem, veritatem rei spectemus, verum hoc est: si autem contextum praesentem, Chrysofomi expositio aptior videtur, vt generationi baptismi, opponat aeternam generationem filij. Qui enim generationem hanc creatam non credit, quomodo aeternam, & infinitam generationem credet? Insuper Chryf. hom. 26. refert expositionem quorundam, interpretantium, per terrena, id, quod de vento positum est exemplum: quasi dicas

si exemplum terrenum non intelligis, quomodo capies caelestia? Sed non probat Chrysof. nec nos, qui talem expositionem superius refutauimus. Augustinus tract. 12. per terrena exponit id, quod superius dictum est de templo, in capite praecedenti, & per caelestia generationem hanc spiritualem baptismi: vt sit sensus; Si non creditis, quia templum possum reaedificare deiectum, quomodo credetis, quod per Spiritum possunt homines regenerari? Sed dura expositio videtur, ad ea, quae tam remota sunt, verbum reuocare. Nostro saeculo aliqui ad aliquot parabolas ex terrenis desumptas, quas in solemnitate paschali forte docuerat, hoc verbum referunt; Sed hoc solidum non est, quia sine auctoritate affirmant, quae in Euangelio non leguntur. Rectior est ergo expositio Chry. & Cyril. quam secuti sumus.

Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis, qui est in caelo.

COMMENTARIUS.

Connexio, & sensus verborum hic est. Dixerat in superioribus quomodo credetis, si dixero caelestia; id est, non credetis, si caelestia dixero: tacite hanc incredulitatem exprobat, dicens, Caelestia mihi non credetis, cum tamen reuera nemo sit qui ea valeat, sicut ego, enarrare: Quia nemo ascendit in caelum, vt ibi videret caelestia, nisi ego, qui eram in caelo, & descendi: & propterea nemo, sicut ego, caelestia enarrare valet. Prudentissimè animu praeparat ad credenda caelestia, quae dicturus est, & confirmat ad fidem eorum, quae dicta sunt. Loquitur autem de se in tertia persona, sub nomine Filij hominis, vt vnitatem siue identitatem suae personae significet. Nam qui est Filius hominis, ille idem est Filius Dei; qui est in caelo. Hic est sensus & conexio, sed in annotationibus sequentibus magis explicabitur.

ANNOTATIO XVI.

ALITER atque aliter connectunt haec verba antiqui Doctores. Cyril. lib. 2. cap. 49. sic connectit, & explicat: Mihi non creditis, sed testes multos mecum poscitis: caelestia ergo

nunquam requiuit; non erat ergo cur Dominus se testes non habere, & sine testibus sibi credendum esse diceret. Chryf. hom. 26. aliter copulat, nempe, cum Nicodemus dixisset, Scimus quia a Deo venisti magister, sic respondet: ne arbitreris me magistrum, vt multos prophetaru, qui a terra iunt, ego autem de caelo venio, quo nullus propheta ascendit, ego illic habito. Sensus hic verus est; tamen conexio non videtur conueniens. illud enim valde remotum est, & multae sententiae iam intercesserunt. Aug. lib. 1. de pec. meri. & remis. ca. 51. aliter coniungit, & exponit. vt per verba haec ostendat modum, quo fiat generatio haec spiritualis, cumque dictum esset, quomodo possunt haec fieri respondet; Nemo ascendit in caelum, &c. id est, sic fiet generatio spiritualis, vt fiant caelestes homines ex terrenis, quod adipisci non possunt, nisi membra Christi efficiantur, vt ipse ascendat, qui descendit, quia nemo ascendit, nisi qui descendit. haec Aug. sed durus sensus videtur, & verbis difficile accomodatur. Rectior, & aptior mihi conexio vita est, quam in commentario secutus sum, vt infidelitatem caelestia non credentium arguens, ad ea credenda disponat, vt sit totus hic sensus; Caelestia non creditis, si terrena non creditis, & tamen omnium sum dignissimus, cui caelestia enarranti fidem habeatis; Quia nemo ea experientia nouit, sicut ego. Nemo, enim, in caelum ascendit, nisi qui de caelo, etiam, descendit Filius hominis, insinuans his verbis sibi maiorem deberi fidem; quam omnibus Prophetis, quibus tamen etiam caelestia loquentibus Iudaei & Nicodemus credebant ac si dicat, Caelestia creditis alijs, quorum nemo ascendit in caelum, vt ea videret, & enarraret; ego autem in caelo sum, & de caelo descendi, & quae vidi, doceo. Similis est sensus illorum verborum Ioan. ca. 1. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. His ergo verbis se Filium Dei super omnes Prophetas Christus ostendit.

Verum sensus, & apta verborum conexio.

ANNOTATIO XVII.

DIFFICILIOR est alia, quae ex eisdem verbis oritur, dubitatio: dicitur enim, Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo. Christus autem quando haec verba protulit, nondum ascenderat in caelum, quomodo ergo dicitur; Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, quasi ipse, qui descendit iam ascenderit. Ascendere enim ratione diuinitatis non potuit, ratione humanitatis nondum ascenderat; qua igitur ratione hoc verum est? Laborant retentiores in soluenda, & explananda hac difficultate. Aliqui respondent Christum ascendisse in caelum ratione humanitatis, quia ab incarnationis instanti descendit diuinam essentiam, sicut beati, & hoc est ascendisse in caelum. Sed quamuis doctrina sit vera, solutio tamen non tollit difficultatem: nam hoc in loco ponitur, tanquam prius sit ascendisse in caelum, posteriore vero descendisse. est enim sensus; ille descendit, qui prius ascendit;

Veritas superioris verborum examini natur.

at prius fuit, Deum descendisse de caelo, & fieri hominem, quam Christi animam fuisse beatam, & vidisse Deum. non igitur de eo ascensu potest hoc verbum intelligi. Adde quod improprie dicitur ascendisse in caelum, quia anima vidit Deum.

Alij hunc ascensum ratione diuinitatis exponunt; ascendere autem asserunt significare idem, quod intueri, & videre caelestia: Christus autem ratione diuinitatis vidit caelestia omnia, & hoc est ascendisse in caelum; descendit autem, quando homo factus est, at ne deseruisse, quae prius habebat, crederetur, additum est; Filius hominis, qui est in caelo. Quae expositio non admodum etiam satisfacere videtur; Nam ascendere in caelum non solum cognitionem dicit, sed praesentiam quandam, secundum quam fuit verè in caelo. Sed quia ego puto huius loci sensum longè alium esse; pro eius intelligentia sciendum est, Christum Deum & hominem, dictum esse ascendisse, & descendisse, & esse in caelo: non tamen ratione vtriusque naturae, sed cum sit vna persona in duplici natura, per communicationem idiomatum, quae vocant, recipit praedicationes vtriusque naturae. Idem, n. est Christus, qui est Deus, & qui est homo; idem qui natus ex matre in tempore, & ab aeterno ex Patre genitus; sed non ratione vnus naturae, sicut idem homo videt, & idem ambulat, sed non ratione eiusdem instrumenti vtrumque facit. Filius ergo hominis, qui Christus est, descendit de caelo, & ascendit, & est in caelo; tamen non ratione vnus, & eiusdem naturae; Dicitur quidem esse in caelo, quando haec loquebatur, ratione diuinæ naturae; dicitur descendisse de caelo, ratione diuinæ, vt principij; ratione humanæ, vt termini: Nam Deum descendisse de caelo non est aliud, quam Deum, qui in caelo est, hominem factum esse. solius enim naturae diuinæ ratione non descendit, quia vbique est ratione vero humanæ non descendit, quia non erat in caelo; ratione igitur vtriusque dicitur descendere, vt dictum est. Sed tota difficultas est in verbo, ascendit. Dico ergo hoc dictum esse propter homines, quorum nemo in caelum ascenderat, vt caelestia ibi videre, & intueri posset, quia hominum cum in terra sint, nemo in caelo esse poterat, nisi ascenderet: Christus autem non dicit se ascendisse, sed esse in caelo: & est hic sensus; Nemo ascendit in caelum, id est, nullus homo in caelo fuit, eo ascendens; nisi Filius hominis. At ne intelligeretur fuisse in caelo, quasi ipse fuerit in terra vt homo, & in caelum ascenderit, additum est, nisi Filius hominis, qui est in caelo, & de caelo descendit, ac si clarius diceret; nemo fuit in caelo, nisi Filius hominis, qui est in caelo, & de caelo descendit. at quia de hominibus loquebatur, fuisse in caelo, exposuit per verbu ascendendi, quia in caelo esse non poterat nisi ascendendo: propterea tamen de se loquens addidit; qui est in caelo ne eum ascendisse vt hominem arbitraremur; & in praesenti loquitur, vt se semper in caelo esse significet ratione diuinitatis suae. Hic est legitimus sensus. nihil enim aliud his conabatur probare verbis, quam neminem vnquam

Difficultatis solutio ex sententia Anthonii.

Offendit Dominus sibi si de habenda, quia testis est oculatum eorum, quae refert.

Diuersè verba haec explicantur, etc.

Superioribus
verbis tres
hæreses refu-
tantur.

mortalium, qui in mundo sunt, fuisse prius in cælo, & descendens postea de cælestibus visis loqueretur, præter seipsum, qui semper est in cælo, & assumpta carne descendit. His verbis tres hæreses refutantur, & tria catholica dogmata confirmantur. Primum dogma contra Nestorum pluralitatem personarum in Christo affirmantem, Nisi enim esset vnica persona, dici non posset, Filius hominis est in cælo; & hoc annotauit Cyril. li. 2. cap. 49. Alterum contra Cherintum, & alios diuinitatem Christi negantes: Si Deus non esset, eum nec descendisse, nec esse in cælo, verum esset. Tertium est contra Manichæos veram Christi humanitatem negantes: nã si vëra humanitas nõ fuisset, quomodo Filius hominis esse potuit?

ANNOTATIO XII.

Quomodo in
si in celum
ascendant,
cum inde nõ
desideriur.

ALIAM dubitationem mouet August. tra- ctatu 12. in Ioan. quomodo dictum sit, Ne- mo ascendit in celum, nisi qui descendit, cum iusti om- nes ascendant, & ascensuri sint, qui tamen de cælo non descenderunt. Respondet istos quidem ascendere, sed vt membra Christi: vnum enim corpus mysticum cum Christo faciunt, ita vt verum sit, Christum solùm ascendisse. aliquando enim in sancta scriptura Christus totum corpus mysticum significat, sed difficilis est solutio hæc: nam Christus in propria sua persona loquitur, non de mystico corpore, quod verba sequentia probant, descendit de cælo, & est in cælo: hæc enim Christo in sua persona conueniunt. Aliqui videntes hæc verba de Christi persona dicta, aliter respondent. Christum videlicet ascendisse propria virtute; iustos verò virtute alterius, nempe Christi. Sed neque hæc solutio ad rem facit quia non agitur hoc loco de ascensu iustorũ, qui futurus est per resurrectionem, nec illud verbum, ascendit, est temporis præsentis, sed præteriti, vt ex græco textu patet. Christus enim de his, quæ ante suum aduentum gesta erant, loquebatur; & verum est, neminem eorum, qui ante ipsius aduentum fuerunt, cælos ascendisse, & vidisse cæle-

Et sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

COMMENTARIUS.

Fide sibi ha-
bere persuadet,
ex eo,
quod fide il-
la, nemo po-
terit æternã
vitam ad-
ijci.

ALTERO argumento Nicodemũ ad credendum inducit; primum. n. erat quia nemo cælestia ita narrare potuit, sicut ille, qui est in cælo, & de cælo descendit; nũc adhibet secundum sumptũ ex necessitate fidei ad vitã consequendam: Et est sensus: vt Mihi credatur necessarium est: nam ego exaltandus sum, vt, qui in me credit, vitam habeat æternam: eum ergo, qui vitã æternã habere, & ab æterna morte liberari cupit, mihi credere oportet. Illa coniunctio, Et, copulat cum superiori sententiã; quasi dicat, nõ creditis mihi cælestia; & tamen ego sum in cælo, & de cælo descendi, & cælestia experiẽtia noui, & rursus ego sum exaltãdus, vt, q. credit in me, nõ pereat, sed habeat vitam æternã: ex qualitate ergo loquentis, quia de cælo sum, & ex fidei necessitate ad vitã, mihi credere debes. Dũ autem ad fidem sibi habendã hortatur, etiam

Dominus cũ
legis perito
agēs, merito
hoc scripturæ
loco vsus est.

etiam ea, quæ credenda sunt, reuelat; tale est hoc, nempe ipsum esse exaltandum, vt credentes in eum salui fiant. Vtitur autem figura ex scripturis sumpta, vt facilius Nicodemus doctrinam assequi possit, erat enim legis peritus; ex ipsa autem figura manu duci aliquo modo poterat ad fidem habendam dictis Christi: nam Moysis factõ mysterium aliquod magnũ significari, dubitare non poterat; quis enim non intelligeret, serpentẽ æneum in ligno appensum, nihil ex se ad sanãdos serpentum venenosos morsus profuisse. Deum quæ, qui mille alijs modis sanare poterat, illud præcepisse; quia magnum aliquod futurum significaret mysterium? Vt igitur vel ex hoc mirabili factõ facilius Christus quod docet, persuadeat, mortem suam, & crucifixionẽ his verbis indicat. Non solùm autem in hac figura genus mortis significatur, & fructus eius; sed etiam à quibus esset occidendus, & exaltandus, Exaltari oportet, inquit, filium hominis, à quibus, si petas, non exprimit; tamẽ figura inuuit, seu præsignauit. Moyses enim Iudæorum populum representauit, à quibus exaltatus est Christus, & crucifixus: quod Ioannis 5. Dominus apertẽ dixit: Cũ exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Historia huius facti Num. 21. habetur. Deus enim propter Iudæorum impias murmurationes & blasphemias, immisit in eos ignitos serpẽtes, quorum morsibus, postquam multa Hebræorum millia perierant, iussit serpentem æneum pro remedio erigi, quem quicumque aspicerent, ab eo liberarentur exitio: hoc mortis & crucis Christi, in salutem nostram figuram prætulit.

ANNOTATIO XIX.

Christo cur
familiarē sue
rii seipsum fi-
liũ hominis
appellare.

DIGNVM est consideratione, cur Christus seipsum filium hominis appellauerit. Respondent multis, & grauibus de causis id esse factum, quarum nonnullas in medium profecto. Prima est, vt non solùm eius Incarnatio, sed etiam Incarnationis modus significaretur. Potuisset Dei filius carnem accipere de nouo creatam, aut de iam creata partem capere, sicut Euam de Adæ corpore eduxit: quod si fecisset, homo verẽ esset, tamen non filius hominis, sicut nec Adam, nec Eua filij hominis dici possunt sed homines tantum. Filius enim hominis non est, nisi qui nascitur ex homine, vt ergo indicaret Christus se non tantum carnem accepisse, sed etiam id fecisse nascendo: ob id filius hominis dici voluit: doctrina hæc est Tertul. lib. de carne Christi, & Irenæi lib. 3. c. 21. qui Christum dictum filium hominis, & non tantum hominem affirmãt, quia natus, est, quia parentes habuit, quamuis non sit natus, aut conceptus de viro, sed de sola foemina, virtute

Vnde fratres
Christi dica-
mur.

Alterã causa est, vt hoc nomine, coniunctio, quam nobiscum habebat, exprimeretur, quia enim filius hominis est, & quidem ab Adam descendens, consecutum est, nos esse etiam secundum carnem fratres eius; nisi enim filius hominis esset: frater noster secundum carnem non esset: fratres enim sunt qui patrem aliquem communem habent, quamuis ab eo multis gradibus distent. hac de causa nos omnes fratres sumus, quia ab vno parente originem trahimus. hæc ratio & doctrina est Pauli dicentis: qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes: propter quod non confunditur eos fratres appellare, dicens; Narra- bo nomen tuum fratribus meis. sensus horum verborum est, Christum, qui sanctificat, & nos omnes, qui per eum sanctificamur, esse ab

Hebr. 2.

vno nempe communi parente Adamo, qua de causa nos omnes appellat Christus fratres, nõ autem angelos; quia hi non habent comunẽ cum Christo, secundum carnem patrem. Tertia causa est, vt hoc nomine promissiones facte patribus iam complete ostendantur: pro missum quippe fuit patribus nõ solùm Dei filium carnem accepturum, sed de semine eorum futurum. dictum enim est David; De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, & Abrahæ; In semine tuo benedicentur gentes. Quando igitur dicitur filius hominis, quod promissum fuerat, declaratur impletum.

Hoc nomine
manifestatur
impletas esse
promissiones
Patribus factas.

Quarta causa est, vt Filiationis nouæ, quam facturum venerat, signum aliquod daret; quia enim filius Dei factus est filius hominis, homo effectus est filius Dei. id docuit Paulus dicens, Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus. duo hic posteriora, respondent duobus prioribus sic; factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, factum ex muliere, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Galat. 4.

Quinta causa est, vt de se humiliter loqueretur: submissẽ enim de se loquens ait; Filius hominis descendit: subiectionem quandam habet nomẽ hoc etiam relatione ad homines, filius enim patri subiectus est: quod Christus non recusauit, Luc. 2. Erat subditus illis, homo ergo factus, subditus hominibus fuit: his de causis se filium hominis sæpius appellauit. Alii qui hebræam phrasim esse putant, quod etiam si ita esset, non vocat mysterio, cur ea phrasim frequenter sit vsus, cum posset vti prima persona, dicendo, Ego descendi, aut, Ego hoc dixi, maxime cum ea phrasim vix in tota scriptura reperiatur, vt loquẽ quis de seipso filium hominis se nomet. Hoc tamen adnotandum

Nomen hoc
subiectionẽ
& humiliã
tem denotat.

est, frequenter se appellare filium hominis, cum de se ea dicit, quæ cõueniunt ei, vt homo est. ad distinctionem eorum, quæ ei comperit, vt filius est Dei. hoc verò, & si, vt plurimum, non tamen semper feruatur: nam aliquando dicitur filius hominis etiam quando quod loquitur, ei inest vt filio Dei: cuius rei paulò superius habuimus exemplũ, filius hominis, qui est in cælo. Vbi seipsum appellat filium hominis, proferens ea quæ competunt, vt est filius Dei, esse enim in cælo tunc quãdo in terra loquebatur, ratione solius diuinitatis conueniebatur. Illud autem non est probandum, quod recentiores quidam adnotant, nimirum quando dicitur filius hominis, intelligendum esse dici filium virginis: nam homo cum sit communis generis, sexum vtrumq; complectitur. Hæc tamen adnotatio rei scienda est. nam quãuis Christus dominus ex sola virgine sine viri sit coniunctione conceptus, id non impedit quod minus dicendus sit filius David, filius Abraham: vt Matthei 1. & multis in locis scripturæ appellatus, & de illorũ semine futurus promissus est. imò, vt dixim⁹, vna ex causis, propter quas filium hominis se appellauit Christi⁹, ea est, vt filiũ Patriarcharum se esse significaret, iuxta factas illis promissiones.

ANNOTATIO XX.

CONNEXIONEM aliam horum verborũ, adducit Cyril. lib. 2. ca. 50. Cũ, inquit, causam attulerit, quare ad sublimiora sibi sermo non exeat, ad ea descendit, quæ obumbratè à Moyse facta fuerunt: non enim ignorabat potius eum figuris, quàm spiritali doctrina, ad veritatis posse cognitione deuenire: hæc Cyril. ac sic dicit: Quia Nicodemum rei spiritalis incapacem vidit, figuris vtitur corporalibus. Connexionem tamen hanc, illa particula, Et, non admittit, vt consideranti notum est. Nostro seculo nonnulli illam particulam loco causæ positam interpretantur, quasi dictũ esset: Quia exaltauit Moyses serpentem, &c. & tunc connectunt, vt, cũ dictum sit, descendisse de cælo, cur descenderit causam explicet, sitque sensus: Filius hominis, qui est in cælo descendit, quia oportet eũ exaltari sicut Moyses exaltauit serpentem, &c. non est improbabilis connexio. particulam enim copulatiuam pro causali sæpè in scriptura poni certum est, estque hebraismus frequens: connexio tamen in commentario exposita mihi magis probatur: nam illa verba superiora nõ attulit Christus, vt significaret se descendisse, sed vt fidem faceret Nicodemo, tanquam is, qui de cælo veniens cælestium sit certissimus testis. Si autem causam cur venerit connecteret, velut extra Propositum, & ex occasione quadam hæc tam nobilis sententia esset in medium allata. quod non est probabile, sed eã proposuit Christus non ex occasione, sed ex præcipuo instituto, vt Nicodemum inuitaret ad fidem, sine qua vitam æternam non posset consequi, quam regnum Dei prius appellauerat.

ANNOTATIO XXI.

NVLLA erat figura in veteri testamento, quæ omnes partes mysterij aduētus Christi

asti ita exprimeret vt hæc; propterea Dominus eam proponere voluit. Primò quidem in ipso serpente æneo Christi incarnatio, & aduentus exprimitur. Serpens enim ille apparebat, & similis erat serpenti, sed verè non erat, quia Christus sumpsit carnem, in similitudinem peccatoris, tamen re vera non erat peccator. Ad Philip. 2. In similitudinem hominum factus; non quòd non esset verus homo, vt meritus est Manichæus, sed quòd apparebat homo peccator similis alijs, cum non esset: quod Rom. 8. apertius dictum est; Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati: eius igitur incarnatio in serpente significatur, vt annotat etiam Cyril. lib. 2. cap. 50. Secundò significatur eius incarnationis modus, serpens ille igne conflatus est, ob id in Hebræo dicitur non æneus, sed ignitus, est nomen **שׂוּף** quasi igneus; sic Christus de Spiritu sancto conceptus, qui ignis dicitur. Tertiò eius mors, & passio indicantur: serpens enim ille exaltatus est in ligno, quod factum est, vt facilius, & à pluribus veneno infectis videri posset; sic Christus exaltatus est in cruce: crucifixio enim eius sæpè exaltationis vocabulo nominata est. Ioã. 12. Ego si exaltat⁹ fuero à terra. Ioã. 55. Cũ exaltaueritis filium hominis, & hanc significationem notat August. lib. 1. de pec. mer. & remit. cap. 32. Quartò exprimitur causa aduentus & mortis: ille enim serpens æneus conflatus, & exaltatus est, vt mortuorum ignitorum faucibus sanarentur; sic Christus carnem sumpsit, mori voluit propter peccata hominum, vt à peccatis homines liberarentur. Quintò exprimitur fructus: qui aspiciabant serpentem, sanabantur; qui volebant aspiciere, peribant; sic qui in Christum hominẽ crucifixum credunt, liberantur à peccatis, & vitam habent æternam, qui verò nõ credunt; pereunt. Mar. vlt. Qui crediderit salu⁹ erit, qui non crediderit condemnabitur. Sextò significatur efficacia: vnus ille serpens ad salutem multorum à varijs serpentibus fauciatorum positus est, & tam qui propè, quàm qui procul, tã qui ab vna parte, quàm qui ab altera aspiciabant, sanabantur: sic Christus vnus ad salutem omnium varijs infectorum peccatis, per fidem est constitutus. Rom. 10. Christus ad iustitiam omni credenti: & tam patres antiqui à principio mundi, quàm qui nunc, & qui futuris erũt temporibus, in hoc nomine salutem habent, Septimò morbi qualitas exprimitur: à serpente enim erant illi tacti, erant autem serpentes igniti, sic appellati, quia moru suo vehementissimum calorem corpora consumentem efficiebant; ita serpens Dæmon peccatum induxit, quod ignis est consumens spiritualia bona, & sitim rerum excitans terrenarum, Octauò qualitas ostenditur sanitatis; nam morte vitam, contrarium contrario effecit, sic per æneũ serpentẽ dedit sanitatẽ; dicit enim David Kimki, in li. radicũ, & testimonio sapientũ cõprobat, tactis morfu serpentũ, aspectũ æris candetis causam potius esse mortis. in quo miraculi vis enituit: quod enim causa mortis erat, id profuit ad salutem. Deniq; ille serpens dictus

dictus est poni in signum, vox enim Hebræa **צלב** nes signum, seu vexillũ significat: sic Christi crux vexillum est Christianorũ erectum contra acies inimicorum Dæmonum, & tale futurum vexillum prædictum est. Ila. 5. Eleuabit signum in nationibus procul. Iere. 4. Lenate signum in Syon: de hoc Luc. 1. Postus est in signum, qui contradicetur. Adde quòd præcepto Domini erectus est serpens, quia Patris voluntate verbum carnem assumpsit, & homo factus Patris præcepto, mortem crucis pro nostra salute subijsidque in huius mundi deserto, sicut & ille serpens conflatus, & erectus in deserto.

ANNOTATIO XXII.

NON est sine consideratione prætereundũ, cur Deus hanc crucis mortem, & exaltationem Christi in remedium peccati, præordinauerit, cum multis modis alijs, etiam sine morte liberare nos potuerit. sicut & potuit sine serpentis ænei exaltatione Iudæos sanare. Sacri Doctores multa hoc loco verè, & doctè dicunt, quorum aliqua breuiter in præsentia collegi. Primam huius causam Hiero. ad Gala. 3. & Dama. lib. 4. de fide cap. 12. adferunt, Nempe, vt medicina morbo responderet; Fuit lignum causa mortis, sit ergo lignum causa vitæ. Hanc causam nos dupliciter accommodare possumus; vno modo ex parte hominis, altero ex parte dæmonis, hominem seducentis: ex parte hominis, sic; Inobedientia primi hominis ruinam mundo intulit; fuit autem inobedientia hæc in ligno, quia mandatũ Dei transgressus est circa lignum; obedientia ergo hominis Christi reparauit nos, & quidem obedientia in ligno: quia præceptum Patris adimpleuit in ligno: ad Rom. 5. Per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi. at de qualitate obedientiæ ad Philippen. 2. Factus, inquit, obediens ad mortem, mortem autem crucis. repetitio hæc, non solum auget Christi obedientiam, quæ extenditur vsque ad crucem, sed etiam simul innuat fuisse obedientiam in ligno; sicut inobedientia præcessit in ligno; vt quia ille in ligno circa rem facilem non obediuit, abstinendo à domo; obedientia respondeat in ligno circa rem difficilem, vt moriatur in cruce; in quo maxime Dei potentiam admirari oportet, qui per lignum, quod erat mortis causa; attulit vitam, & multò perfectiorem ea, quàm per lignum perdidimus. Altero modo hæc eadem causa ex parte Dæmonis accommodatur proposito. Hic enim de homine victoriam in ligno, & per lignum reportauit: conueniebat ergo eum, qui iniuste in ligno vicerat, in ligno, & per lignũ iuste superari, spolijsq; priuari: quam causam Ecclesia Sancta docet, dum canit; Vt, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. In quo diuina sapientia commendatur, quia eisdem artibus, quibus hominem capere tentat Dæmon, ipse capitur, & incidit in foueam, quam fecit, vt in adinventionibus suis pereat, quod Augustin. libr. cur De-

us homo, capite 6. annotans, maximam asserit sapientiam esse, eisdem armis aduersarium vincere, quibus ipse sibi victoriam præparabat.

Alteram huius rei causam Paulus etiam docuit ad Gala. scribens, Christus, inquit, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est; Maledictus omnis qui pependit in ligno, vt in gentibus benedictio Abraham fieret in Christo Iesu. Obscura sententia, sed maxime ad rem faciẽs, & ob id declaranda. Deuter. 28. maledixerat Moyses omnibus legis illius transgressoribus. Maledictus, inquit, omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Christus veniens Iudæos & Gentes saluaturus, & in vnam Ecclesiam congregaturus, debuit ab obligatione legis illius, quæ Iudæis propria erat, liberare; vt nouum sibi populum faceret, & salutem etiam gentibus communicaret: cum autem legis illius transgressoribus maledictio inflicta esset, hoc effecit, vt in se susciperet maledictum, & liberaret nos à maledicto. Nam qui suscipit maledictum, quo non tenebatur, iure liberat à maledicto eum, qui iure tenebatur: nulla autem mors erat, propter quam lex maledictum inferret, nisi mors ligni. Deuter. 21. Maledictus omnis, qui pependit in ligno; propterea ergò Christus crucem suscepit, vt maledictum legis in se sustinens, quod re vera ad illum non pertinebat, quia innocens erat, liberaret, iureque solueret ab obligatione legis illius, vt maledictum non comprehenderet eos, qui talem legem non obseruarent: Soluta autem lege illa, gentibus & Iudæis omnibus legem vitæ communem dedit: hæc est causa, cur crucis mortem elegerit, & hic est apertus sensus verborum Pauli, quæ allegauimus. Notat autem Amb. ad Galat. 3. in illis verbis non dici Christum natum maledictum, sed factum; quia maledictio ad eum iure non perueniebat, quia innocens erat, sed sponte pro nobis suscepit, vt à legis illius maledicto liberaret in se credentes. Aug. toto lib. 14. cont. Faustum locum illum Deur. citatum à Paulo discutit, & de morte crucis intelligendum probat; non de suspensione, qua fit etiam in ligno & re vera ita est, sed ad præsens propositũ satis hæc dicta sint.

Tertiam causam Athanasius libr. de Incarnat. Verbi, & corporali eius aduentu, exponit, quo in loco hanc discutit quæstionem, nempe cur crucis mortem Christus elegerit, & quatuor adfert huius rei causas, quarum, Vna hæc est, cæteris prætermittis, vt mors Christi esset omnibus nota: cum enim resurrectio ipsius futura esset vnus ex præcipuis fidei articulis, vnumque potissimum probandẽ eius diuinitatis argumentum: mors debuit esse manifestissima, & certissima, vt nemo mortem fictam esse affirmare auderet: talis fuit crucis mors, quæ non solum notissima, sed acerbissima erat, vt tanto mirabilior esset resurrectio, quanto acerbior, & horribilior fuerat mors. Possent alię multę causæ adferri, sed

Auctor non probat communem rationem.

Quali sit horum verborum cum præcedentibus connexio.

In serpente æneo ministratio omnium carnationum, et mors Domini, aduolat.

In carnationis modum.

Passio & mors.

Causam mortis.

Fructum mortis.

Efficacia & vis huius mortis.

Morbi generis cui medebatur.

Qualitas sanitatis collata.

Cur Dominus mortem crucis pro a se elegerit.

Vt medicina morbo responderet.

Vt qui in ligno vicit, per lignum superetur.

Vt factus maledictum, & maledictio nos liberaret, Gal. 3.

Deuter. 28

Deuter. 21

Vt Christi mors magis nota fieret.

facis sit has attigisse, quæ primum locum tenere videntur, quibus addenda est hæc; Crucis mortem præter acerbitatem fuisse tunc abiectionem, & summè contemptibilem, hominibus sceleratissimis infligi solitam.

Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

COMMENTARIUS.

MIRABILIS est hæc sententia, cuius cum superioribus connexio hæc est. Cùm filium hominis, ut serpentem, in ligno exaltandum dixisset, causam huius exaltationis exponit, tacitè falsas opiniones aliquas, quæ ex verbis præcedentibus concipi poterant, remouens. Cùm enim dictum sit, *Oportet*: ne quis aut necessitati fati id adscriberet, quasi vitari non posset, aut diuinæ impotentia, quasi Deus aliter hominem saluare non valeret; aut infirmitati Christi, qui se ab aduerarijs defendere nequiret; aut culpæ ipsius, quia proprijs culpis pateretur, maximè quia crucis poena sceleratis infligi solita erat, & se ut filium hominis dixisset exaltandum; propterea hæc omnia tollens, & veram causam efficientem, ac primam aperiens, addit, *Sic enim dilexit mundum Deus*, id est, exaltandus est filius hominis, quia tantus est Dei erga homines amor, ut dederit filium suum exaltandum pro ipsorum salute: ac si clarius dicas; ô Nicodeme, dixi filium hominis oportere exaltari: ne arbitreris hanc exaltationem ratione culpæ meæ, & peccati futuram, quia exaltandum dixi, ut serpentem in ligno: nec tribuas necessitati fati alicuius, quasi id vitari non posset, quia dixi, oportet; nec impotentia diuinæ adscribas, quasi aliter saluti hominum nequiret Deus cõsulere; nec infirmitati adscribas, quasi me defendere non valeam, quia dixi me filium hominis; sed scito causam esse, quia sic Deus dilexit mundum, ut me unigenitum filium, factum filium hominis, dederit exaltandum pro mundi salute. Non igitur culpa, non necessitas, non impotentia, non infirmitas, sed Dei immensus amor causa est tanti mysterij. Hæc est connexio & sensus, ubi expressè iam mysterium aperit Trinitatis, reuelata Patris & filij persona; similiter & incarnationis, dum se, quæ filium hominis dixerat, filium unigenitum esse ostendit: causam etiam incarnationis, & mortis docet; immensum Patris amorem erga mundum; finem seu fructum, qui duplex est, ne homo pereat. id est, ut à peccato, & æterna morte eripiatur: neque hoc tantum, sed ut simul à peccato, & æterna morte liber, æternam vitam adipiscatur. Particula *ut*, secundo loco posita, limitat præcedens verbum in hunc sensum, Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret ad hoc, ut omnis qui credit in eum, non pereat. potuisset quidem Deus dare filium suum, ut mundum iudicaret, & damnaret; non autem, ut qui credit in eum, non periret: & tunc non ex dilectione, sed ex iustitia dedisse diceretur; at dare filium suum ad hoc, ut qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, ex nimia dilectione erga mundum factum est. quod sequentibus verbis exponit.

ANNOTATIO XXIII.

Verba præcedentia non Evangelistæ, sed Christi Domini sunt.

ALIQVI recentiorum hæc verba, & sequentia omnia vsque ad finem huius colloquij, non Christi, sed Evangelistæ esse dicunt, nescio quo argumento ducti; nisi quia in tertia persona fit sermo, quasi verò & præcedentia in tertia persona non sint dicta. Omnes antiqui Patres verba Christi esse dicunt, & ut talia exponunt Cyrillus libro 2. cap. 51. Chrysostomus homilia 26. Basiliius homilia in Psal-

A Cùm ergò Christus omnium peccata in se puniendâ suscepisset, supplicium tale subire legit, ut grauitas peccatorum nostrorum, pro quibus patiebatur, in eo vindicaretur.

B m. 7. ubi legit. Qui credit in me, non iudicatur. quod argumento est à Christo esse dicta, eum sentire. Ambrosius lib. 1. de poenitentia ca. 10. & 11. & magnitudo sententia, Christi verba esse probat, & maximè quia ad eundem pertinent contextum. Adde Ioannem Evangelistam non esse solitum similes sententias verbis Christi interserere, maximè quando dubium aliquod suboriri poterat, eiusne an Do-

miui

mini essent; cùm totum ipsius Evangelistæ studium fuerit in describendis sermonibus Christi. Adde etiam phrasim ipsam, & verborum altitudinem, auctorem suum indicare Christum Dominum. Magnitudinem enim amoris Patris erga mundum; causam aduentus proprii; iudicium contra non credentes, ipsius Christi erat reuelare. Fateor Athanasium videri huius fuisse sententiæ, ut non Christi, sed Evangelistæ sint verba serm. 3. contra Arianos, ubi sic habet. Ioannes item, Non enim mihi sit Deus filium suum, ut iudicaret mundum, sed ut mundus seruaretur per eum. Saluator quoque idem de seipso loquitur. Ad iudicium ego in mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. hæc Athanasius. Perpende qualiter distinguit verba Evangelistæ à verbis Saluatoris, quamuis vtraque Ioannes describat: idem sentire videtur oratione contra Arianos; Quod ex verbo Deus est verbum. tamen in oratione contra gregales Sabellij, oppositum indicat: verbum enim, sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret, ipsius Christi esse dicit.

ANNOTATIO XXIV.

Perpendit quam sit admiratio dignum, quod Deus mundum dilexerit.

DVO sunt in expositis verbis omni admiratione digna: & Deum mundum dilexisse, & sic dilexisse. per mundum autem homo hoc loco significatur, & per dilectionem non ea, qua cuncta, quæ fecit Deus diligit, sed ea qua homines, singulari quodam modo eos ad bonum supernaturale ordinans, & extollens, & od se pertrahens profectus est. Quod hac dilectione Deus mundum dilexerit, & sic dilexerit, omni admiratione digna res est. Prius caput, explicare ordiamur, fietque manifestum, si partes singulas consideremus. Deum quidem amare, & diligere non est mirabile, immo, si non diligeret, mirabile esset. Vt enim rectè Augustinus libro 15. Trinitatis capite 20. dicit, sicuti necessarium est Deum intellegere, sic etiam necessarium est amare: sicut etiam necessarium est ipsum esse, & viuere: est enim Deus natura intellectualis, cuius proprium est intelligere, & amare; cumque sit actus purus non aliquando amat, & intelligit, aliquando verò non, sed semper amat, semper intelligit, nulla enim imperfectio in Deo est, esset autem si posset amare, & aliquando non haberet in se actum amandi; semper ergo & necessarium amat. Præterea obiectum amandi bonum est, cum igitur Deus sit bonum infinitum, amor profectò tanto respondens bono erit infinitus. non hoc miramur, quod Deus amet, & quod se amet: sed quod homines, & quidem tali amore amet.

Prima admirandi causa est, quia ceterum in se omnino bonum habeat, & sit, nihilominus mundum amat.

Causa autem prima admirationis est, si quis Deus sit consideremus, quod Exodi 33. expositum aliquo modo inuenimus. Ostendam tibi, inquit, omne bonum, quod Augustinus libr. 8. Trinitatis capite 3. explicans, dicit. Tolle hoc, tolle illud, respice bonum ipsum, si potes, hoc est Deus: significat per hoc omnem rationem bonitatis in Deo esse, immo ipsum bonum esse Deum: hoc igitur est mirabile, Deum, qui

A in se habet omnem bonitatem, omnem perfectionem; omnem rationem amabilitatis, estque in se bonum, & amabile infinitum, amorem extendere extra se ad homines, quasi non haberet in se obiectum, quod totum suum infinitum amorem adæquaret. Fuit autem amor hic antiquus: Amavit enim nos ab æterno, tam vetus est amor erga homines, quam proprius amor erga se. Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: effectus quidem amoris huius in tempore fuit, tamen amor erga nos sine tempore, quod Aug. lib. 12. ciui. cap. 17. pulchrè docet, consilium scilicet Dei æternum fuisse de his, quæ futura erant, opus tamen nouum: & Cyril. lib. 1. Theſa. cap. 5. Creator, inquit, ab æterno, tamen opere apparuit in tempore; mirus profectò amor hominum vna cùm Deo æternus.

Secunda causa maioris est adhuc admirationis, si consideremus Deum sine necessitate vlla mundum dilexisse. Si enim aliter facere non posset, non ita miraremur, ad necessitatem quandam, & naturam referentes; tamen amavit mundum liberè, & sponte, cùm posset non amare, nec diligere: seipsum quidem necessariorum amat, & diligit, nec potest non amare; neque hæc est impotentia, sicut nec impotentia est non posse mori, sed magna potentia; & ex hoc amore necessario Spiritus sanctus æqualis Patri, & Filio procedit: at mundi amor necessarius illi non fuit; poterat non amare; poterat mundum non facere, & hominem factum potuit supernaturali bono non diligere: tanto ergo magis mirandum est, quod dilexerit.

Secunda admiratio, qui liberè & non necessario amat.

Tertia adhuc maior causa est, si consideremus absque vtilitate sua vlla dilexisse. Si enim ex mundi, aut hominum dilectione vel exiguum reportaret vtilitatem, etiam si necessarius amor non esset. non ita mirabilis foret; quia cogitare possemus eum propter vtilitatem dilexisse propriam. solet enim homo hominem propter propriam diligere vtilitatem: at non sic Deus fecit, amavit, & dilexit hominem ob nullum proprium suum commodum. Deus enim nulla re extra se indiget, omnem intra se sufficientiam, & perfectionem habet; creataque omnia perfectius sunt in Deo, quam in seipsis, ut docet Donyl. cap. 5. de Diuin. nomin. sicut argentum perfectius est in auro, quam in se, & nummus inferior in superiori. quod etiam Aug. serm. 4. de verb. Dom. & Anselm. in proſolo. cap. 17. docent. Nullam ergo in se à creatura, nec ab homine vtilitatem Deus capit. Irenæ. lib. 4. cap. 28. Deum dicit fecisse Abraham sibi amicum, non ob propriam, sed propter ipsius Abraham vtilitatem. Cyril. lib. 1. Theſa. cap. 6. Superflua, inquit, Deo est productio creaturarum, quantum ad Dei perfectionem pertinet, hoc enim erat Deus, antequam nos creati essemus. quod nunc etiam est, nihil ei attulimus, à nihilo adesse producti; & si ad nihilum redigeremur, nihil ei detraheremus, hæc Cyrillus. Aug. libr. 12. ciuit. cap. 17. dicit, Deum ab æterno voluntatem habuisse faciendi creaturas, at in tempore fecisse, ut ostenderet se eis non indiguisse, sed sine

Tertia, quia sine vlla sua vtilitate dilexit.

eis ab æterno omnino beatum, & perfectum exiisse. Attende hæc tria prædicta, quod Deus extra se ab æterno amauerit; quod Ipôte, & qd sine utilitate, communia esse amori, quo Deus diligit cuncta, sed amorem erga homines hunc, de quo agimus, mirabiliorem hæc eadem faciunt. Non enim satis Deo fuit amore naturali, sed etiam tanto, quantus est supernaturalis, homines diligere, cum is amor neq; necessarius, neque utilis ei esset.

Quarta, quia nulla in homine præcessit ratio, nullumque meriti, ut ob quod diligendum esset. Quarta causa admirationem auget: dilexit enim hominem nulla præcedente in homine ratione, aut merito, propter quod amaretur. Aduertenda est inter diuinum, & nostrum: amorem differentia: nostrum præcedit ratio in eo, qui amatur, propter quam diligitur: Amor enim noster inuenit, quod amet, non autem facit; at diuinus non sic: non enim inuenit in amato rationem amandi, sed ipse amabilem facit hominem, & amat. Ut enim in naturali amore, quo cuncta amauit, ut essent, nullum naturale bonum in creatura præcessit, quod amaret, sed Deus amando fecit, sic in amore supernaturali; quo diligit homines, nullum præcessit supernaturale bonum, sed Deus amando fecit. Vnde Aug. in expof. epist. ad Rom. annotat illud verbum, *Dilectus à Deo*. Non, inquit, dicitur, diligetibus Deum, sed dilectis à Deo; quia enim dilecti sunt, propterea diligentes fiunt. mirabilis est profectò in hoc amor Dei erga homines.

Quinta, quia præcesserunt demerita, quibus homo odio potius dignus factus est. Quinta mire auget præcedentem; non enim solum non inuenit Deus in homine, quod amaret bonum, aut meritum propter quod diligeret; sed inuenit malum, & demeritum, propter quod odio & poena prosequeretur: quam rationem ad Roman. 5. annotat Paulus, dicens, Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: ac si dicat: mira est in hoc Dei charitas erga homines, quod cum odio, & poena digni essent, eos dilexerit.

Sexta, quia dilexit quos præcinit in gratias fore. Sexta autem multo maior est. Si enim odio digni tantum essent homines, tamen dilecti à Deo grati futuri essent, aliqua ex parte admirationis causa cessaret; at non sic est: sed cum præcognouisset plurimos ingratos futuros tanto amore, immo maiorem eorum partem ingratam, etiam postquam amoris sui effectum experti essent, peccatum peccato accumulantes, adhuc tamen dilexit mundum, & filium pro ipsismet futuris ingratis, dedit, quod Chrysol. hom. 26. annotans dicit: Commendat Deus charitatem suam, quod pro ingratis filium dedit.

Septima, quia dilectio hæc summa cum sapientia & æquitate est coniuncta. Septima ratio admiratione excedit, quando consideramus Dei amorem, cum summa sapientia, & æquitate esse coniunctum: si enim in Deo appetitus, passiones inordinate, aut ignorantia aliqua esset, dici posset amasse ex ignorantia, quia hominum imperfectionem non nouit, aut ex passione, quæ, quod amabile non est, læpe amore dignum apparere facit, & hac ratione non esset, cur vehementer admiraremur; at non sic euenit. Summa sapientia & scientia, sine vlla ignorantia; summa æquitas, si-

A ne deordinatione passionum est, cum tanta ergo sapientia, & æquitate mundam dilexisset, prædictis omnibus existentibus, mirabilem supra omnem modum facit amorem. At obijciat aliquis, talis amor temerarius videtur. In considerati enim est amare, quod nulla amandum ratio pertuadet. Respondeo non ita esse, quamuis enim in ijs, quæ amantur nulla causa dignos diligen- inueniatur: tamen in ipso amante summa ratio est diligendi. ut enim aduertit Chrysol. hom. 7. in epist. ad Timor. infinita Dei bonitas radix est, & ratio amandi homines, omni dilectione indignos. Est enim tanta diuina bonitas, ut ipsa sola sufficiat ad rationem, & causam amandi, non expectata, nec requisita causa, ex parte eorum, qui amantur. Solemus inter homines aliquos inuenire, qui etiam ignotis, & indignis beneficiunt, de quibus affirmamus esse eos tam bonos, ac clementes, ut etiam ignotis & indignis, ipsa bonitate inducti, beneficiant; multo hoc verius de nostro Deo prædicamus; qui tam bonus est, ut inutilibus, indignis, immeritis beneficiat, eoque diligit: non hoc igitur ab ratione alienum aut stultum, sed sapientissimum potius ac rationi congruentissimum iudicandum est. Vnde rectè Paulus ad Tit. 3. hanc Dei dilectionem vocauit *χρηστότης*, quam latinè dicimus benignitatem, Apparuit, inquit, benignitas, & humanitas Saluatoris. Basiliius autem reg. breui. respons. 214. eam definit esse, qua beneficiamus ijs, qui opus habent, etiam si nulla ratio eis suppetat obtinendi. his ergo de causis mirabile est Deum dilexisset mundum.

D Alterum autem, quod mirabile esse diximus, est Deum sic dilexisset, id est tanta amoris vehementia, & conatu mundum dilexisset. illa enim particula, *Sic*, vehementia, & magnitudinem diuini amoris exprimit, quam magnitudinem ipsemet Ioannes sequentibus declarat verbis. quorum singula perpendenda sunt. Primò *Filium*, dedit, non alium hominem, non Angelum, non; mundum alteri, sed quod maius his omnibus est, Filium dedit: quod verbum annotarunt Cyril. lib. 2. cap. 51. & Chrysol. hom. 26. ex quo dono inferit Paulus ad Rom. 8. Qui proprio, inquit, Filio non percipit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cum illo non omnia nobis donauit? magnitudo amoris ex re data cognoscitur. Secundò, *suum*, non alienum; sed *suum* dedit: nos nihil damus omni ex parte nostrum, quia quæ habemus, omnia ab illo accepimus, nempe à Deo, & adhuc ipse sunt. Matth. 7. Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, nota illud (bona data). præterea filij hominum plus tui, quam patrum sunt; nam substantia filiorum alia est à substantia parentum: quamuis ergo homo filium suum det, non suum perfecte dat. At Pater æternus Filium suum dedit, suum verè, quia eiusdem est substantiæ cum ipso, ex se habet eum, non ab alio accepit: hunc suum Filium dedit ex amore. Tertio *Unigenitum*, si plures haberet, & vnum daret, non ita magnum esset, ut fuit, vnicium filium quem habet, & hunc non adoptionis, sed na-

Quomodo iustum non sit, Deum iustos & dignos diligere.

Filium Dei pro nobis exalandum dicitur, sed non postulat, ut exaltemur in cruce pro vita æterna consequenda.

Quam mirabile Deum tanto affectu & amoris constantiam dilexisset.

sed naturalem, dare. Quartò, *dedit*, non vendidit, precio à mundo accepto, non mutauit, non commutauit, sed donauit. Quintò, cui dedit, seu pro quo, intellige hominem. inauditum hoc est, ut filius pro seruo, innocens pro iniquo, iudex pro reo, creator pro creatura detur. Sextò, si suppleas ad quid dedit, intellige exaltandum: hic enim sensus est, dedit exaltandum, quis vnquam tale quid vidit, aut audiuit, aut imaginari potuit? Si dedisset, ut nobis imperaret, ut à nobis coleretur, magna esset gratia, tantum nobis Filium in Regem donare: at exaltandum in cruce, tanquam sceleratum, dare, omnes profectò limites amoris nouum, id est; cur non saltem par ratio fuit, ut omnis, qui credit, etiam exalteretur pro eo? quis hoc si factum esset, admiratus non commendaret Dei amorem, quod exaltationem à seruo posceret pro Filij exaltatione? & tamen non hoc fecit; sed Filium exaltari voluit in cruce, à nobis autem rem facillimam petijt, ut omnis qui credit in illum. Ipse quidem moritur in cruce, nos commorimur in Bap-

Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum.

COMMENTARIVS.

PER particulam, *Enim*, hac sententia causam præcedentis contineri, significatur: dictum quippe erat, Deum ex dilectione erga mundum misisse filium suum, ne mundus periret, sed haberet vitam æternam. huius sententiæ causam adfert, quia, inquit, non misit Deus filium suum ad ferendam sententiam contra mundum, sed ad saluandum eum. Insinuat Euangelista mundum iuste damnari, iustamque in eum sententiã ferri potuisse: quod si Deus ad iudicandum mundum, misisset filium, iam non ex dilectione erga mundum, sed ex iustitia dedisse dictum fuisset, quam contra eum exercere iuste decreuisset: sicque mundus perisset propter sua peccata, sine quibus nemo tunc inueniebatur. Verum non sic factum est, non enim misit filium ad ferendam damnationis sententiam, nec ad damnandum, sed ad saluandum: propterea ex dilectione datus dicitur, ne homo pereat, sed ut habeat vitam æternam. venit ergo filius Dei in mundum, non ut iudex, sed ut saluator; non ad iustitiam contra mundum exequendam, sed ad misericordiam effundendam: ideo mundus non perit, sed habet vitam æternam; ideo etiam ex dilectione Patris erga mundum, non ex iustitia contra eum missus est.

ANNOTATIO XXV.

De duplici Christi Domini aduentu.

ADVERTENDA sunt aliqua ad maiorem prædictorum explanationem. duos videlicet aduentus Christi esse, priorem, quando carnem sumpsit, & homo factus est; posteriorè, quando in vltima die veniet in gloria. Clemētissimè vtrumque Deus sic disposuit, ut prius veniret ad saluandum, & liberandum hominem à peccato, & ad dandum gratiam, ut Deo conciliatus eius posset præcepta seruare, postea autem veniret ad iudicandum, & exigendam rationem operum secundum suam iustitiam. Si prius non venisset ad redimendum, nemine inueniret, què saluaret: omnes enim erant in peccato, & digni datione: prius ergo liberat ex misericordia, & dat, ut possint recta facere, postea ex iustitia iudicaturus est; quod etiam annotauit Chrysol. hom. 27. Vnde rectè Grego. hom. 30. in Euā. Quis eius, inquit iustitiã ferret, si prius, quā nos per mansuetudinem colligeret, culpas nostras per zelum rectitudinis examinare voluisset? Aug. etiā in Psal. 17. in illud, Iudica me Domine. Da mihi, inquit, per misericordiam bonam voluntatem, & hanc postea per iustitiam iudica. Aduertendū rursus, quando Christus venit, aliquos homines iustos inuentos; Simeon iustus erat, Zachariās iustus erat, alij etiam multi: omnis tamen eorum iustitia data erat virtute aduentus ipsius ad saluandum; Si enim venturus esset ad iudicandum, & non ad redimendum, nemo ab Adam vsque ad vltimum hominem liber esset à peccato, nec iustus inuentus esset in terra. Ad-

uentus ergo eius ex misericordia ad saluandum causa est, & fuit, vt iusti inuenirentur in terra. Aduertendum insuper illud, *Vt saluetur per ipsum mundus*, comprehendere illa duo, *Non pereat, sed habeat vitam aeternam*: saluat enim mundum, cum non solum facit ne pereat homines; sed etiam vt habeat vitam aeternam. Aduertendum postremò ex Cyril. lib. 2. cap. 32. totam hanc sententiam habere quandam contrapositionem cum illa superiori, Sicut Moyses exaltauit, &c. Moyses enim fuit merus iudex, non saluator; leges imposuit, non tamen vires ad seruandum dedit: nec peccata in quibus homines inuenit deleuit; vt ergo se Christus, non vt Moysen, venisse demòstret, ne forsan Nicodemus ex illis verbis colligeret, venisse ad simplicem aliquam legem dandam, aut ad iudicandum, quia sepe in scriptura Deus ad iudicandum venturus legebatur: ob id addit, *Non misit Deus Filium, vt iudicet mundum*, missionis nomine aduentum eius per carnem significans.

ANNOTATIO XXVI.

BASILIVS homil. in Psal. 7. explicans illud, Dominus iudicat populos, annotat tribus modis verbum hoc iudicare, in scriptura vsurpari. Primo quidem modo pro actu iustitiæ, secundum quam iudex iudicat, vel probando vel reprobando, vt iudicare sit, ferre sententiam tam approbationis, quam reprobationis: sic accipitur in illo loco Psal. 7. Dominus iudicat populos. Isa. 11. Non secundum visionem oculorum iudicabit. sic Christus dicitur venturus iudicare viuos, & mortuos. secundum hanc significationem vox communis est: nam non solum iudicatur innocens, quando eius innocentia declaratur, &

Iudicare triplici acceptione sumptum in scriptura.

Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est; quia non credit in nomine unigeniti filij Dei.

COMMENTARIVS.

PROBAT præcedentē sententiā, nempe se ad iudicandum non venisse, sed ad saluandum, ne pereat homo: Nam vel credit in Christum, vel non, at neuter in hoc priori aduentu iudicatur. qui enim credit, non iudicatur, id est, non exercet Deus iustitiam suam contra eum, sed misericordiam, remittens peccata, & donans gratiam credentibus: hoc autem non est iudicare, sed misereri. Ioan. 5. Qui credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, & in iudiciū non venit, sed transit à morte in vitam: id est, quia in iudicium non venit, nec iudicatur, ideo transit de morte in vitam. Vbi aduerte gratiam primam, qua credentibus peccata remittuntur, & Deo conciliantur, & ad filiorum Dei adoptionem admittuntur, non dari ex iustitia, sed ex misericordia Dei. Nemo enim ex iustitia dignus est gratia, & venia: misericordia est, quæ remittit peccata, & dat primam gratiam, si consideremus ipsum peccatorem. nam quamuis Christus de iustitia remissionem meruerit peccatorū nostrorum, si tamen peccator seu homo ipse consideretur, ex misericordia iustificatur. credens igitur, qui ad Christum conuertitur, non iudicatur. Si quis verò non est credens, & iste non iudicatur à Christo: iam enim ille iudicatus est, seu

Prima gratia datur gratis, & sine merito recipiēti.

A liberatur ab iniusta oppressione, & quod suum est recuperat; sed iudicatur nocens, cum damnatur: iudicari enim est bonorum, & malorum. Altero modo sumitur pro quodam actu iustitiæ, vt idem sit iudicare, quod discutere, & examinare: sic Basilius exponit illud Psal. 25. Iudica me, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. hoc iudicium præcedere solet sententiam: prius enim iudex iudicat discutendo, quàm ferendo sententiā. Tertio modo sumitur pro quodam actu iustitiæ, nempe vt idē sit quod dānare, seu condēnatoriam sententiam ferre in aliquem. sic dicitur Psal. 5. Iudica eos Deus, & Ioan. 5. Qui verò mala in resurrectione iudicij, id est, dānationis: hæc ex Basilio Quantum igitur ad præsentem spectat locum, Cyril. li. 2. ca. 52. videtur de condēnatione exponere, vt sit sensus, Non misit Deus filium suum, vt condemnet mundum, ita Aug. de agone Christi, cap. 27. etiam exponit Chryso. ho. 27. generaliter sumit hoc verbum, sicut sumitur, quando in secundo aduentu venturus dicitur iudicare, vt sit sensus; Non misit filium suum in hoc priori aduentu iudicem, vt mundum iudicet; significans, quod si venisset iudex, seu ad iudicandum, nemo saluus esset, sed omnes perirent. Accommodatio tamen est prior expositio. Ex antitheto enim vno, nempe, *sed vt saluetur mundus*, deprehenditur alterum, nempe, *vt iudicet*: debet enim esse contraria vtriusque significatio. si autem accipias verbum iudicandi absolute, non sit contraria significatio: nam fieri potest, vt veniat ad iudicandum, & simul saluandum; cum in fine seculi iudicaturus sit bonos, & simul saluaturus. positum ergo est in hoc loco pro eo, quod est ferre sententiam contra mundum: certum enim erat, omnes esse peccatores, Dei gratia remota.

Iudicari hoc locum significat sententiam.

sententia lata condemnatus, & morti adiudicatus aeternæ, etiam si Christus non venisset. Explico, in Adam omnes peccauimus, nascimur omnes peccatores, Deus à principio tulit mortis sententiam contra omnes peccatores, quāuis nondum sit, contra omnes executioni mandata, misit filium, vt eos, qui crederent in eum, saluos faceret. iam aliqui credunt, aliqui non, qui credunt, à sententia lata liberantur, & ex misericordia Dei eis peccata condonantur; qui verò non credunt, Christus veniens non fert sententiam contra eos; iam enim lata est à principio. Ac si diceret Christus; Ego veniēs in mundū, inueni omnes homines sub aeternæ mortis sententia lata à Deo: veni, vt qui in me crederent, salui fierent, qui verò non, sub veteri damnatione manerēt, qui ergo credunt non iudicantur, immo à sententia damnationis lata liberantur: qui verò non credunt, à me non damnantur, nec contra eos sententiam statuo, quia iam lata est, sed ipsi volunt sub sententia, & mortis iudicio permanere. Hæc eadem inferius apertioribus verbis dicuntur; cum in huius capitis sine dicitur; Qui incredulus est filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. & cap. 5. Qui credit in me, in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam: perpēde verba, *Manet ira Dei, & transit de morte*, quasi diceret; non meo aduentu factus est filius iræ, nec sub morte: iam enim ipse homo in tali erat statu, & ego veni vt eum liberarem; non igitur missus sum, vt iudicem mundum. Hoc ad Colof. 2. Paulus optimè exposuit; Donans, inquit, vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum de creti. quod erat cōtrarium nobis. Omnes sub hoc chirographo eramus: qui crediderunt, condonationem acceperunt; qui non crediderunt, sub eo manserunt. Exemplum sit, serpens ille æneus, qui omnibus morsu serpentū tactis in se aspicientibus, erat ad salutē propositus; qui aspiciebant, sanabantur, qui secus, moriebantur. non quod serpens æneus occideret eos, sed quia ipsi iam causam mortis habebant, & remedio vti noluerunt. Hoc est, quod dicit, *Iam iudicatus est*, id est, iam sententiæ dānationis est ipse subiectus, & adiudicatus: *Quia non credit in nomine unigeniti filij Dei*, id est, quia non accipit salutis remediū, per quod ab illa sententiā mortis liberaretur. Aug. tract. 12. ponit exemplū de medico, qui omnes infirmos sanare venit; qui nolunt opera eius vti, moriuntur: non propter medicum, quasi venerit, vt illi moriantur; sed propter infirmitatem, quam ipsi contraxerunt, & per medicum sanari noluerunt. Hanc expositionem significare videtur Irenæus lib. 5. cap. 27.

Explicat quo modo non erit dens iam sit iudicatus.

Exemplo manifestatur de strina.

ANNOTATIO XXVII.

Traduntur diuerse eiusdem loci Patrum expositiones.

LOCVS expositus difficultatem multis ingessit. Aug. lib. de agone Christi cap. 27. & Hilar. in illud Psal. 1. Non resurgunt impij in iudicio, aliquos referunt his verbis deceptos, negasse diem iudicij vniuersalis futurum. dicebant enim; si credentes non iudicantur, non credentes aut iam iudicati sunt, nemo igitur superest iudicandus. Variè ad hoc sacri doctores respoderunt. Hilar. loco citato, per credentes, pios, per non credentes, impios intelligendos affirmat; horum, neutros iudicari dicit: at superesse alios medios inter impios & pios, qui credūt cū pijs, sed malè viuunt cū impijs, & hos iudicandos in vltimo iudicio affirmat: probat autem id ex sequentibus verbis; *Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum*, &c. q̄ verba censet dicta, vt qui sint iudicandi, significetur August. loco citato aliter respondet, Fateatur enim esse iudicandos non credentes, verba autem hæc, *Iam iudicatus est*, dicit more Prophetico esse dicta. Solent enim ad rei certitudinem significandam, prophetæ futura prædicere tanquam præterita: sic factum censet in præsentem; Vt enim certissima damnatio non

A credentium significetur, dicit, *Iam iudicatus*, id est, iam damnatus est. Alij doctores aliter respondent; distinguunt enim duos actus iudicandi; quorum vnus est discussionis, quo causa discutitur, & examinatur: alter est, quo facta discussione sententia fertur: iudicare igitur dupliciter contingit. aut discutendo, aut sententiam ferendo: negat ergo iudicio discussionis esse impios iudicandos in vltimo die. Nam eo ipso, quod non credunt, causa eorum iniqua est, & damnationi obnoxia; ideoque iudicati iam sunt; tamen iudicandos affirmant iudicio sententiæ, quia sententia contra eos feretur damnationis. Hæc doctrina est Basili. hom. in Psal. 1. in illud, Non resurgunt impij in iudicio. Non inquit, veniunt, vt conuincantur, sed vt ferant damnationem. Eadem est doctrina Ambrosij, serm. 20. in Psal. 118. vers. 2. vbi eadem verba Psal. 1. eodem exponit modo; & demum latius persequitur Greg. lib. 26. mora. c. 20. & forsan de hoc iudicio discussionis loquebatur Hil. quando pios, & impios iudicandos negauit. Hier. super illa verba Iere. 25. (Iudicium Domini cum gentibus) hunc locum

N cum

Comendatur
doctrina Hi-
eronymi.

cum Ioan. adducit, & exponit: dicit enim, Iudicium Domini cum gentibus, id est, infidelibus, quia non omnes æqualia habent demerita (nam non credentium quidam minus, quidam plus peccauerunt) iudicio ergo opus est, & discussione, ut quantum vniuscuiusque sit demeritum pateat; & hac ratione iudicandas dicit gentes, ut diuersis afficiantur supplicijs; at quantum ad damnationem ipsam, au damnandæ sint nec ne, iudicio non indigent. quia eo quod non credunt, iudicantur sunt; & sic Ioannē exponit. Quæ doctrina Hieronymi est vera, & per eam sunt exponendæ, & limitandæ Doctorum citatæ sententiæ. Iudicio enim discussione etiam impij sunt iudicandi, ut quanto vnusquisque sit dignus supplicio, appareat omnibus: sicut & merita piorum indigent discussione; tamen impij non indigent discussione in hoc, an damnandi sint, quia eo ipso, quod non credunt, causam damnationis habent. Chrysof. hom. 27. aliter exponit, eiusq;

Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.

COMMENTARIUS.

DECLARAT qua ratione, qui non credit iudicatus & damnatus est, hoc, inquit, est iudicium, id est, hæc est forma, & ratio, qua iudicatus, & damnatus dicitur, quia venit lux in mundum, & multi elegerunt potius in suis tenebris permanere, quam lucem recipere. erant ipsi in tenebris, proptereaque iudicati, & damnationi adscripti. lux enim non attulit tenebras, sed homines in eis inuenit: venit autem ut fugatis tenebris, vitæ lumen communicaret, quod recipere nolentes in suis potius tenebris manere elegerunt: propterea damnati iam, & iudicio adscripti dicuntur: non quod eos lux damnationi adscripserit, vel adiudicarit; sed quod ipsi met sese à damnatione eripi & lumen recipere noluerint. Christus hic lux est. Ioan. 12. Ego lux veni in mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Nota quam verè dictum sit, Christum ad saluandum venisse, non ad damnandum; nam lux venit sponte sua, nemo suo merito obtinuit, nemo sua potestate attulit aut sua diligentia inuenit, ut Chrysof. hom. 27. rectè annotat. Rursus, *Dilexerunt homines tenebras*, liberum illis erat lumen recipere, oblata est lux hominibus; at ipsi dilexerunt tenebras, nempe Dei ignorationem, & errores, in quibus erant. hæc est ratio & causa, propter quam damnatus dicitur, qui non credit.

ANNOTATIO XXVIII.

De quibus intelligenda sunt proxima verba, de fidelibus, an de infidelibus.

HILAR. in illud Psal. I. Non resurgunt impij in iudicio, hunc locum multo aliter exponit; nempe de credentibus, qui dilexerunt quidem lucem & Christum, sed magis tenebras & vitia, & hi iudicandi sunt. In hoc ergo contextu iuxta hanc expositionem, ut supra etiam meminimus, tres distinguuntur ordines: Primus piorum credentium in Christum; secundus impiorum non credentium, illi dicti sunt non iudicati, hi verò iam iudicati tertius superest ordo eorum, qui credunt cum pijs, & malè viuunt cum impijs, & hi iudicandi sunt: & hunc esse horum verborum sensum affirmat, sic exponens, *Hoc est iudicium*, id est, iudicium fiet in his, qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem; dilexerunt quidem lucem, sed magis tenebras, & hi sunt

existimo legitimam huius loci expositionem Chrysof. nempe, sicut qui homicidium committit, iam iudicatus dicitur, quia lege lata contra homicidas morti est addictus, quamuis nondum sententia iudicis lata sit; ita qui non credit, causam in se damnationis habet, & legi damnationis subiectus est, propter peccatum, quod derinetur, & propterea iudicatus dicitur: sententia tamen adhuc non est lata vique ad alterius seculi iudicium. Iudicabuntur ergo non credentes in vltimo iudicio, quia mortis sententiam à iudice latam sustinebunt, quamuis à diuina lege iam sint iudicati, & morti addicti; ob idque dicitur, qui non credit iam iudicatus est: nam duplex iudicium est, nempe legis & iudicis. Nomine autem non credentium hi intelliguntur, qui vel non credunt, vel non, ut credendum est, credunt; quare comprehenduntur hic qui fidem habent, sed mortuam sine operibus: hi enim ad Adam veterem adhuc pertinent.

B

Qua ratione infideles dilexerunt magis tenebras quam lucem.

verba sequentia accommodari non possunt: nam causa, cur magis tenebras dilexerint, affertur illa: *quia opera eorum mala erant*: esset autem causa eadem cum eo, cuius exprimitur causa; Dilexerunt vitia, quia opera eorum erant vitia, & peccata; oportet ergo per tenebras, ignorationem Dei & veritatis, intelligamus, quæ infidelitas est, quam sequi maluerunt infideles; quia opera eorum mala erant: ne autem talia opera deregerentur per veritatem, ut paulo inferius exponemus, lumen lucis huius recipere noluerunt. Addo his, nunquam in scriptura vitia & peccata tenebras vocari. Tenebræ enim in scriptura, aut Dei ignorationem, quæ infidelitas est; aut ipsum infidelem significant. 1. Pet. 1. Qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum; id est de errore, infidelitate, & Dei ignoratione. & Ephes. 5. Eratis aliquando tenebræ, id est homines sine Dei cognitione, nunquam peccata dicuntur tenebræ, sed opera tenebrarum, & etiã si peccata tenebræ dici possint, in hoc tamen loco non possunt talem habere significationem, propter causam expositam. Diligere ergo plus tenebras, quam lucem, est præponere Dei ignorationem & errorem, veritatis cognitioni, & fidei, quam Christus, lux mundum illuminans, docuit. Hic igitur locus Ioannis de infidelibus intelligitur.

Sed ex hoc difficilis suboritur dubitatio: Qua scilicet ratione infideles dici possint diligere magis tenebras, & errorem, quam veritatem. Nam nemo infidelium putat se esse in tenebris, sed veritatem existimat esse, quod credit; nec Christi doctrinam cognoscit esse lucem. Respondeo ita est. non enim locus hic sic intelligendus est, quasi infidelis cognoscat doctrinam Christi esse veram, & lucem, nolitque eam recipere: suum aut errorē cognoscat esse errorem, & velit in eo manere, sicut fit in luce, & tenebris sensibilibus. Multi enim fugiunt lucem, & tenebras eligunt, cognoscentes tenebras & lucem; non sic infidelibus fit: sed dicuntur dili-

gere tenebras magis quam lucem, quia potuerunt facile suum errorem cognoscere, & in veritatis venire notitiam; noluerunt tamen inquirere, & attendere. Sunt enim multi, qui timentes conscientia scrupulum, ne, si aliquid verum credant, prohibeatur id retinere, quod diligunt, hi veritatem nolunt inquirere, nec oblatam advertere. Eorum igitur ignoratio culpabilis est, & affectata. Scire autem dicuntur quia scire potuerunt, & debuerunt. qua ratione dicitur Ioan. 7. Et me scitis, & vnde sim scitis. cum tamen postea cap. 8. dicatur; Neque me scitis. Scire dicti sunt, quia scire potuerunt. Hoc est ergo diligere tenebras, potius quam lucem; quia potuerunt cognoscere se esse in tenebris, & lucem esse Christi doctrinam, & tamen noluerunt; ne si cognoscerent, opera, quæ diligebant, iniqua & mala esse intelligerent, & à veritate redarguerentur. Hic est sensus horum verborum. & simul sequentium, quæ cum his connexa sunt. Ita euenit Iudæis incredulis, & multis gentibus infidelibus, quæ maluerunt suis prauis operibus inhærere. & ne malè se agere à propria conscientia & ab alijs etiã conuincerentur, nec veritatis fidem inquirere, nec oblatam recipere voluerunt: Nam fides non inducit necessariò ad assensum audientes, nisi adfit voluntatis affectus inclinans intellectum. Adhuc tamen aduertendum est, multò aliter gentiles, quam Iudæos se habuisse: Gentes enim erant prius in tenebris infidelitatis, & nolentes recipere lucem fidei, manserunt in tenebris, in quibus erant: at Iudæi ante Christi aduentum non erant in tenebris, quia fidem habebant: at dum noluerunt recipere Christum, fides conuersa est in tenebras, & in eis manere voluerunt: in quas non à Christo, sed à seipsis coniecti sunt, nolentes adhærere Christo, & sententiæ damnationis rei effecti sunt: quod in sequenti annotatione magis explicatur.

Erant enim eorū mala opera: omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.

COMMENTARIUS.

REM difficilem creditu visus est sibi Christus dixisse. nam tenebræ sua natura non diliguntur, maximè lucis cplatione: priuatio enim est non esse, hoc autem per se nemo diligit; propterea causam Dominus adiungit, & explicat. qua ratione tenebræ non solum dilectæ, sed etiam magis, quam lux ipsa amatæ sint: causa ergo est, quia opera hominum mala erant: qui autem mala agit, odit lucem, & non venit ad eam: non propter ipsam lucem, sed quia lux opera mala reuelat, & manifestat, vnde argui, & reprehendi possint: odio ergo habetur lux, propter reprehensionem, quæ sequitur ex lucis effectu: sic etiam tenebræ, non propter se diliguntur, sed quia operiunt mala opera, ne videantur, & redarguantur: qui ergo mala agit, lucem odit & fugit, & tenebras diligit, neutrum propter se, sed propter mala opera quæ facit, dum ea non argui, sed celari, & occultari cupit. Verba hæc sunt similitudo lucis corporeæ ad lumen fidei, & veritatis Christi. Ut enim qui malè agit, lucem sensibilem fugit, & tenebras ne videantur quarit: sic, qui mala opera etiam

Diliguntur tenebræ, quia opera mala occultant.

iam occulta, quantum ad sensum, faciunt, fugiunt lumen veritatis internum, quod talia opera manifestat, & arguit. Qui malè agit, cum lucem odisse intellige; in quantum malè agit. nam aliqui malè agentes lucem quærunt, non, vt malum cernatur, sed quia inde lucrum, aut gloriam quærunt. Hic est sensus: Qua autem ratione hoc fit intelligendum, in annotatione præcedenti explicuimus. affectus enim hominum vitij inhærens, & ea relinquere recusans, impedit, ne intellectus fidei veritati assentiat, & mauult homo credere, quod eius malefacta excuset, quàm quod condemnet; cum re vera quod condemnat, veritas sit, quod excusat, ignorantio: quamuis autem homo ipse non intelligat, tamen potuit & habuit vnde discerneret. si malo affectu impeditus non fuisset.

ANNOTATIO XXIX.

Quæ ratione impij, quia eorum opera mala erant, non venerint ad lucem. **C**HRYSOST. hom. 27. dubitationem circa rationem positam affert, nempe, non venerunt ad lucem, sed magis dilexerunt tenebras, quia erant opera illorum mala: potius hæc ratio videtur causa, cur venirent: Nam si lux ad damnandum venisset, tunc iusta causa, cur ad lucem non venerint, allata videretur: quia opera mala erant eorum: damnari enim timebant: at cum lux ad saluandum venerit: potius causa veniendi est, quia opera eorum mala erant. Addamus exemplum, si quis diceret, Serpentem æneum multi noluerunt aspicere, quia morsu serpentum affecti erant, non rectam videretur causam assignare: quia potius causa hæc est, vt aspicerent, quia serpens ille non ad nocendum, sed ad saluandum exaltatus est. Similiter si quis diceret noluerunt venire ad medicum, quia infirmi erant, potius enim infirmitas causa est veniendi. Respondet Chrysof. non esse hæc verba intelligenda de his, qui tantum peccata, & mala opera habebant: hi namque potius ad lucem veniebant, vt sanarentur: sed de his, qui talia opera amabant, nec ab eis se auertere, sed potius perseuerare cupiebant, illorum vtilitate, aut delectatione tracti. hi sunt, qui noluerunt veritatem Euangelij recipere, ne ab ea redarguerentur, & talia opera repudiare vt improba compellarentur: ob id non dicit Dominus, qui malè egit, odit lucem, sed qui malè agit, insinuans affectum peccati potius quàm peccatum; & exemplum est non solum de præterito, sed etiam de futuro, nempe qui malè vult agere, lucem fugit, & tenebras quærit. Multi erant Gentiles, quibus ebrietas, carnis peccata, & alia iniqua placebant, quæ in sua secta erronea illis licebant: tamen Euangelica veritate damnabantur: noluerunt hi Euangelium recipere, vt rectè dicit Cyrill. libr. 2. cap. 55. ne lux Euangelica malam eis induceret conscientiam eorum, quæ placebant, & licere existimabant: Mala enim conscientia accusatrix est, & quietem perturbat, quam in suis illis operibus, quibus delectabantur, habebant. quod etiam notat Chrysof. libr. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ. Similiter lex, & veritas Christi poenas cominatur

Aternas, talium operum auctoribus. Multas enim circumstancias, & multa opera damnat Euangelium, quæ sine fide reputantur bona: Propterea homines erga hæc affecti, inhære suis opinionibus re ipsa falsis, reputatis tamen ab illis veris, maluerunt, quàm veritatem Christi recipere. Quod Christus Ioan. 7. aperte docuit, dicens, Me odit mundus, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt: hoc etiam Iudæis, de quibus ista sententia præcipue dicta est, competit: Volentes enim sua mala opera continuare, noluerunt Christum recipere, quod Ioan. 5. dicitur: Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem capitis? ambitio enim; auaritiaque eos retraxit à fide Christi recipienda. Locus igitur iste ex his, & ex illis, quæ paulò superius dicta sunt, patefactus videtur.

Mouet alteram dubitationem loco allegato Chrysof. qua ratione dictum sit, Erant opera, scilicet infidelium, mala; nam inter eos multi inuenti sunt modesti, temperati, iusti, & alijs insignes virtutibus. multa ad hoc responderet Chrysofomus, sed, quia ad loci huius intelligentiam non pertinent, relinquimus; non enim loci præsentis est discutere, an omnia opera infidelium sint peccata, an verò sint aliqua opera, quæ honesti rationem talem habeant, vt dici possint bona moraliter dabitur occasio forsan alibi hoc discutiendi. pro intelligentia autem loci huius ea disputatio necessaria non est: Nam Christus solum dicit multos non credidisse, quia opera mala eorum erant, non quod omnia opera erant mala: satis erat aliqua mala esse, quæ placebant, quæ relinquere nolentes, elegerunt in sua manere infidelitate, ne talium operum malam conscientiam ex veritatis cognitione habentes, à propria arguerentur, & perturbarentur ratione. Præterea, quia Christus non tantum loquitur de ijs, qui prius infideles erant, sed etiam de Iudæis, qui fidem habebant, & propter mala opera increduli facti sunt, sequæ in tenebras abdididerunt, vti superius diximus.

(..)

Qui autem

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

COMMENTARIVS.

Alteram partem similitudinis ponit, quæ priori opposita est. Qui mala facit opera, tenebras diligit; at verò qui bona, ad lucem venit, quia per lucem non arguuntur eius opera, sed manifestantur esse secundum Deum, siue secundum Dei legem facta. hoc autem non est arguendum, sed laude dignum, Veritatem hoc in loco, legem iustitiæ & rectitudinis vocat. Lex enim recta & iusta, veritas dicitur. Psal. 118. Lex tua veritas, & omnia mandata tua veritas. Facere ergo veritatem, est operari secundum legem iustitiæ, rectitudinis & honestatis. In Deo facta opera dicit, non quod Dei virtute opera sint facta: licet enim id verum sit, tamen ad præsentem locum non facit: sed in Deo facta opera sunt, quæ secundum Deum, & diuinæ voluntati, & legi conformia sunt. hæc enim phrasis est scripturæ, & præpositio (in) talem etiam habet significationem. 1. Corint. 7. Nubat in Domino, id est, secundum Domini voluntatē, & legem. Psal. 110. Facta in veritate & æquitate, id est, secundum veritatem. Psal. 118. Qui ambulat in lege Domini, id est, secundum legem. Lux enim opus bonum iuxta diuinum præceptum, & legem esse factum ostendit. Attende rursus non esse sensum, Qui bona facit, eum venire ad lucem, vt opera eius manifestentur esse rectè, & secundum legem Dei facta, sed est sensus; Qui bene vult operari, venit ad lucem, vt per eam cognoscat opera sua rectè, & secundum Deum esse facta: ita experientia docet eos, qui bene agere student, libenter amplecti doctrinam veritatis; per quam intelligant se rectè, & secundum Deum operari. Christi enim doctrina, quæ mala, quæue bona sint opera, & quæ secundum Dei voluntatem, quæ vero contra eandem sint, perfectè tradit: ne ergo intelligas hæc verba de operibus bonis iam factis, sed de faciendis; cum facere veritatem dicantur, qui student, & desiderant æqua iustaque facere.

ANNOTATIO XXX.

Augustinus tract. 12. illud, In deo esse facta, exponit ita, vt idem significet, ac virtute Dei esse facta, hanc enim præpositio In, habet in scriptura significationem. Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat: sunt multa huiusmodi testimonia, cõsentiunt huic expositioni multi ex recentioribus, ea tamen difficilè accommodari potest. Non enim lux quæritur veritatis, vt cognoscat homo, se Dei virtute opera facere; sed vt sciat, quomodo bene, & secundum Deum operari debeat. hoc enim est, quod Dominus significare intendit hisce verbis, ideo quæ diximus in commentario magis conueniunt: quibus Euthymius suffragatur. Idem Augustinus dignam consideratione dubitationem proponit. nam ex præcedentibus verbis deducitur, aliquos ante Christi fidem bona opera, & in Deo facta habuisse: dicuntur enim venisse ad lucem Christi, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta: difficile autem est in infidelibus, & peccatoribus hæc bona opera inuenire ante lucem Christi, & fidem eius. Multum laborat Aug. in hoc nodo soluendo, explicatius tamè eius sententia sic potest exponi. Christus lumine suæ doctrinæ illuxit peccatoribus horum aliqui ex illa doctrina nonerunt opera sua mala esse, & iniqua, sed quia diligebant

Quid veritatis nomine significetur.

Opera in Deo facta dicuntur, quæ secundum Deum sunt.

Quid Aug. intelligat per opera in Deo facta.

An inter infideles reperiantur opera in Deo facta.

Augustini sententia quantum vera sit expenditur.

non de initio operum, quanquam aliqua ex parte expositio quandam habet conformitatem cum nostra. Legimus ergo sensus horum verborum hic mihi videtur: vt sicut quando dictum est, *qui malè agit, odit lucem*, nò de præterito intelligitur, sed de eo, qui voluntatem habet malè agendi, siue perseverandi in actionibus iniquis, vel noua mala committendis; hic enim non venit ad lucem, & in apertum, ne mala manifestà habeant reprehensionem: sic nùc dicitur facere veritatè de futuro, nempe qui studet, & vult bene facere, & secundum legem rectitudinis & iustitiæ operari, venit ad lucem, vt cognoscat se rectè, & secundum Deum operari: quasi dictū esset; qui vult malè facere, fugit lucem, qui verò bene, ve-

nit potius ad lucem, vt in ea videat & cognoscat, qua ratione rectè & secundum Deum operetur. Fateor hanc voluntatem, qua quis vult æquo seruire & amplectitur lucem, esse à Deo, sed non hanc voluntatem significant opera facta in Deo, sed potius quæ post lucem acceptam sunt: illud enim præteritum non significat, quod facta sint ante lucem, vt Cyril. lib. 2. cap. 56. exponit, sed quod lucem amplectitur vt per eam, quæ operatus fuerit, rectè esse facta cognoscat. & hic est sensus horum verborum verus & legitimus. De historia Nicodemi nihil aliud euangelista narrat, quamuis verisimile sit eum aliqua respondisse: ex alijs autem locis eum credidisse habemus.

Post hæc venit Iesus, & discipuli eius in Iudæam terram.

COMMENTARIUS.

POST colloquium cum Nicodemo habitum, quod Hierosolymis contigisse credo, Iesus cum suis discipulis in territoriū aliud Iudææ se trāstulit.

ANNOTATIO XXXI.

An Nicodemus Christi Hierosolymis conuenit.
QVAE in præcedenti narratur historia, in Galilæa fuisse facta, deducunt aliqui ex his verbis: nam dicitur post hæc venisse Christum in Iudæam, ergo hæc quæ proximè dicta sunt, non fuerunt acta in Iudæa, sed in Galilæa, sed aduertendum est, non dici in Iudæam, sed, in Iudæam terram venisse, vt significetur fuisse in Iudæa, & vt existimo in Hierusalem, vbi colloquium cum Nicodemo habitum est, & inde venisse in terram, id est, territorium Iudææ: vocabulum enim Græcum in ea aliquando accipitur significatione, moueor multum ad id afferendum, quod cum à Galilæa in Iudæam venit, nunquam dictum est, in Iudæam terram, sed tantum in Iudæam, immo fere semper ascendisse dicitur, at in hoc tantum loco dictū est, in Iudæam terram, quasi ex vno in alium locū Iudææ se trāstulerit. Illud autem improbabile est, quod sine vlla auctoritate aliqui nostri temporis fingunt, post colloquiū videlicet cum Nicodemo venisse in Galilæam; & iterū ascendisse in Iudæam, vbi factum est, quod modò narratur: sed hoc nò probant; immo ex textu contrarium colligimus; nam dicitur, *Post hæc*, id est, post colloquium cum Nicodemo venit in terram Iudæam.

Et illic morabatur cum eis, & baptizabat.

COMMENTARIUS.

COMMORATVS dicitur in Iudæa terra, quia multis ibi mansit diebus, vbi sui Baptismi fecit initium. Baptizasse autem dicitur, nò quod ipse per se baptizasset: nam in capite sequenti, neminem baptizasse dicitur. hic tamen baptizasse narratur per discipulos suos: & non sine causa euangelista Christum baptizasse dicit, sed vt significaret, iam Christum exercuisse suum baptismum: si autem diceret baptizasse discipulos, Baptismum Ioannis aliquis existimaret eos cōtulisse; vt ergo significaret Christum instituisse Baptismū suum, ipsiusq; præcepto vsum eius cæpisse, quamuis per discipulos Baptismus ministraretur, Christum tamen baptizasse dicit.

ANNOTATIO XXXII.

An Christum caperit hoc loco baptizare in aqua et spiritu sancto.
CHRYSO. ho. 28. existimat, hunc baptismū, quo Christus per discipulos baptizabat, esse eundem cum Ioannis baptismo in aqua tantum, non in Spiritu, motus illo Ioan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus: at contrarium tenent Cyril. lib. 2. cap. 17. & August. tract. 5. & 13. in Ioan. & re vera ita est tenendum. Si enim esset Baptismus Ioannis, non erat, cur fieret contentio inter Iudæos, & Ioannis discipulos de

baptismo: nec erat, cur discipuli eum apud Ioannem detulissent, quod baptizaret nec Ioannes respondisset, Nemo potest accipere quicquam, nisi quod datum est desuper ei, quasi baptismum Christi suo præferens. Et ita conueniens fuit, vt proprium tunc Christum haberet Baptismum; & sic à Ioannis distinguere-tur. Locus autem Ioannis non est contra hanc veritatem: nam ibi agitur de visibili Spiritus sancti missione sub ignis specie, qualis in disci-

in discipulos venit. inuisibili enim missione in Spiritu, & per gratiam multò ante Spiritus Sanctus datus est: nam post resurrectionem & ante ascensionem dictum est; Accipite Spiritum sanctum: Baptismus ergo hic non erat Baptismus Ioannis in aqua in poenitentiam, sed in aqua, & Spiritu inuisibili per gratiam, & in nomine Christi collatus.

Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi.

COMMENTARIUS.

CEDEBAT Ioannes Christo, minor maiori, eius enim baptismum præsentem intelligēs, à Iordane recessit, vbi primùm baptizabat, qui locus erat nobilior & celebrior, & in locum minus celebrem secessit, vbi etiam erat copia aquæ, vt commodè baptismum ministrare posset. Locus autem erat Aenon iuxta Salim, nomina hæc duarum vrbiū sunt. Aenon oppidum est quatuor miliaribus distans à Sichen ciuitate, à multitudine aquarum sic dictum. nam *אנן* Aena nubem apud Hebræos significat; sed quia, vt ex Ezech. 47. constat, est alterum Aenon terminus Damasci, quod Hafer Aenon dicitur; id est, atrium Aenon, additum est ab euangelista, *iuxta Salim*, vt ab hoc distingueret oppidum, in quo Ioannes baptizabat.

ANNOTATIO XXXIII.

Salim quæ ciuitas fuerit.
HIERON. in Epist. quadam ad Euagriū, hanc Salim eam esse ciuitatem affirmat, quæ Genes. 33. dicitur Salem, & quam Iacob transiisse dicitur, quæ erat vrbs Sichimorum in terra Chanaan; nec refert, inquit, vtrum Salem, an Salim dicatur, vocalibus enim Hebræi non vtuntur, vnde facilè variari possunt. Aliqui Salem putant esse, quæ postea Hierusalem dicta est, sed Hieronymus id non recipit, Ambrosius in enarrat. Psalm. 27. ex nominum horum Aenon, & Salim significationibus, quædam mysteria contemplatur: quæ ad literalem nostram intelligentiam facere non videntur.

Et veniebant, & baptizabantur: nondum enim fuerat Ioannes missus in carcerem.

COMMENTARIUS.

ETIAM baptizante Christo adhuc Ioannes baptizat, & ad eum populi veniunt: nec à baptizando destitit, quousque in carcerem missus est. hoc enim illa particula, *Nondum*, significat, vt notat Chrysost. hom. 28. Diuino autem factum est consilio, vt incipiente Christi baptismo, Ioannis baptismus non omninò cessaret, sed expectaret carcerem, ne in Christum populi insurgerent, rati ipsius causa Ioannem non baptizare. Voluit enim Dominus id potius Herodi adscribi, ne ante tempus persecutio oriretur. Simul etiam, quia hoc suo facto Ioannes Baptismum Christi probabat, & suo excellentiorem confitebatur. Si enim à celebri loco, in quo baptizabat, non amplius baptizans recederet, existimassent omnes eum loco cessisse; quia baptizare noluit, aliter non cessurus; at dum cedit loco, & in alium minus celebrem baptizandi causa se transfert, apertè baptismum Christi approbat, & vt excellentiorem confirmat.

Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.

Discipuli Ioannis nò tam zelo virtutis, quam ambitione quadam magistri gloriam, & simul suam quærētes, dum vident plures Iudæos ad Christi, quæ ad Ioannis baptismū concurrere, & præferri baptismū eius baptismum magistri, cū Iudæis contēdunt, & quæstio orta est inter Iudæos à Christo baptizatos, & Ioannis discipulos de purificatione. i. de baptismo. Discipuli enim baptismū Ioannis nobiliorē baptismum Christi, & illū, non hūc suscipiendū esse conredebant, Iudæi verò contrariū defendebant. Rectius aut hæc verba superioribus cōnectuntur in Græco textu, in quo nò legimus. *Facta est aut*, sed

Facta est igitur, vt quod superius legimus, nempe Ioannem cessisse loco celebriori, occasionem fuisse huius contentione significaret Euangelista. Cū enim Ioannem à loco recessisse, & ad Christi baptismum plures concurrere viderent, ecce tibi statim exorta contentio. Solent aliquando hæ inter spirituales homines cōtentiones existere, misceturq; profana diuinis, quæ sunt valde periculosa, eoque magis, quo zelo virtutis occultari facilius possunt: quales etiam postea inter baptizatos à Christo nō propter baptismum, quia vnus erat, sed propter baptizantes ministros obortas lites, acriter reprehendit Paulus 1. Cor. 3. permittit autem Deus mala, vt bona eueniant. Ex hac enim contentione duo bona consecuta sunt; alterum quod ludæi confirmati sunt magis in Christi baptismo: quod enim oppugnātibus alijs, defenditur, constantius tenetur: alterum quia hac occasione egregiū, & insigne de Christo tulit Ioannes testimonium, quo & discipuli eius, & omnes alij Christo magis adhæserunt, & veritas manifestata est, quod paulò post exponemus. vnde rectè Cyrilus lib. 2. ca. 59. dicit. Hanc contentionem diuina factam dispensatione contenderim. hinc enim excitatus ad longum, & exquisitum de Christo sermonem Baptista, quanta sit inter baptismum & baptismum differentia, planè ostendit.

A N N O T A T I O X X X I V.

Quid nomine purificationis sit intelligendum.

CYRIL. lib. 2. cap. 38. aliter hunc locum exponit. per hanc enim purificationem asperiones, quæ secundum legem siebant ad purificandum intelligit: dum enim Ioannis discipuli, inquit, baptismum Ioannis illis purificat. omnibus meliorem esse contendebant. Iudæi autem non valentes se defendere à discipulis Ioannis, qui iam sublimiores quam Pharisei videbantur, & baptismum legalibus purificationibus præponebant, Christi baptismum laudibus efferre cæperunt; non quidem quia ita sentirent, & ex animo id facerent, sed ad Ioannis depressionem, vt depressis confusisq; Ioan-

nis discipulis, victores ipsi viderentur. ita exponit hunc locum Cyrillus. At Chryostomus homil. 28. contentionem hanc de ipso baptismo interpretatur, & Iudæos ex animo, Christi baptismum prætulisse affirmat. idem Euthym. & ita mihi quoque visum est in commentario. Quod autem dicitur, contentionem ortam esse de purificatione, id significat contentionem scilicet esse, vtra maior, & perfectior esset purificatio, baptismi Christi an Ioannis: de effectu autem contendunt, per hunc enim baptismi excellentia cognoscitur, vt melior is sit, qui maiorem purificandi vim habet.

Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei.

C O M M E N T A R I V S.

NON est dubiū, quin discipuli Ioannis Baptista ad ipsum venerint, postquam contra Iudæos præualere non potuerūt. existimabant enim quod Christus baptizaret, pluresq; ad eum concurrerent, agrè laturum magistrā, facturūque, aut dicturū aliquid, quo sitam opinionem fortius tueri possent: Non solum autem nihil inde consecuti sunt, sed contrarium potius eis euenit: nam magister Iudæos defendit, & contra discipulos sententiam tulit. Re vera autem quamuis sententia desiderio, & opinioni eorum tunc cōtraria fuerit, eorum tamen saluti fuit valde conueniens; Nam fidei veritatem ignorantibus manifestauit, & quod iustum erat, iniquam habentibus causam ostendit. cuius testimonium tanto certius, & credibilius erat, quanto causa hæc magis ad ipsum spectabat: de eius enim baptismo erat contentio, & in causa propria contra se humiliter quidem, sed verè iudicauit.

Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

VERBA discipulorum ad Ioannem, indignationis & irritamenti plena sunt: indignati enim Christi baptisma suo præferri, magistrum quibus modis

modis possunt, ad iracundiam & indignationem incitare conantur: perpende singula verba. Primò, *Rabbi*, magistrum vocat, vt eum hoc nomine ad ipsos tuendos, & defendendos inducant; Est enim magistri discipulorū doctrinam, & assertiones protegere, tanq̃ propria. Secūdo, *Qui erat tecum trans Iordanem*, deprimere nituntur ipso verbo Christū: nō dicunt Christum, aut saltem, quem tu Christū vocas; quia contra se tunc facere visi essent, nec dicūt; quem baptizasti, vt rectè Chryso. hom. 28. notat, ne in memoriam, Patris vocem de cælo delapsam, reducant; sed, qui tecum erat trans Iordanem, quasi vnus ex alijs, quos baptizasti. Tertio, *Cui testimonium perhibuisti*, quasi diceret; quem tu beneficio affecisti, & honore persecutus es, vt hoc verbo ad irā, velut in ingratū impellāt. Quarto, *Ecce hic baptizat*, quasi dicerent; vsurpat tuū officium, & addunt aliquid veritati, *Ecce hic, baptizat* cū re vera non ipse sed discipuli, ipsius nomine baptizarent: sed, vt irritent animum eius, dicunt. *Ecce, hic, baptizat*. Quinto, augēt rē, vt magis commoueat, *Omnes veniunt ad eum*, quasi dicerent, te derelinquunt, & ad eum conuertuntur: tua res agitur, tuo honori consulimus. hoc autem verum non erat, nō enim omnes veniebāt ad Christum: cū ad Ioannem multos venisse narratum sit. Isti nolentes cōfitentur Christi baptismum ab omnibus præferri, & fiūt præcones veritatis, quamuis non eo animo id faciant, sed vt potius sese veritati opponant.

A N N O T A T I O X X X V.

Redarguitur Donatistarū hæresis cōtra Christi baptismum.

CONVINCVNT hæc verba hæreticos antiquos, & recentiores. Fuit antiqua hæresis Donatistarum affirmantium eundem, & eiusdem esse efficaciam baptismum Ioannis, & baptismum Christi. Refert, & impugnat hanc hæresim Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani capite 34. & sequentibus, & lib. 5. de Baptis. cap. 9. & sequentibus, & alijs in locis. meminit etiam huius hæresis Cyril. lib. 2. in Ioan. capit. 57. Hi hæretici, etiam si baptismum Ioannis à baptismo Christi non distinguebant, efficaciam tamen baptismi Christi non minuebant, sed baptismū Ioannis supra modum extollebant, asserentes vtrumque peccata remississe, & in peccatorum remissionem tam à Ioanne quam à Christo propria baptisimata collata fuisse. Multo peius nostri temporis hæretici sentiunt, qui non solum vnum, & eundem in ministerio, & efficacia faciunt Christi, & Ioannis baptismum: sed neutrum remittendi peccata virtutem habuisse contendunt, in Christi baptismum blasphemates. Alii item antiqui magis debacchantes, Christi baptismum inferiorem Ioannis fecerunt baptismum, vt refert idem Cyril. lib. 2. ca. 57. quo in loco verè, & piè habet hæc verba; Videbat Spiritus gratia illuminatus euangelista, quam necessarium esset ea narrare, quibus quantum Christi baptismus Ioannis baptismum præstaret, aperiretur: perspexit non multo post aliquos futuros, qui aut nullam inter baptismum, & baptismum differentiam facerent, aut ob imperitiam, & lapsum hominum meliorem esse baptismum Ioannis putarent: causas tam turpis temeritatis euertens, ipsum Baptistam exponit, huius quæstionis fragilem nodum suis discipulis dubitantibus dissoluisse. hæc Cyril. Et re vera totus hic cōtextus has hæreses refellit, ac tollit. Si enim vnus, & idē esset baptismus, nulla erat cōtentionis causa, nec occasio, immo discipuli Io-

Conuincitur hæretici dicentes baptismum Christi inferiorem fuisse baptismum Ioannis.

Anis argumentum contra Hebræos, quod solus ab illis non posset, habuissent, quo Ioannis baptismum magnificarent, quem Christus probabat, & quo vti volebat. Præterea si equalis esset vterque efficaciam, facilè Ioannes discipulis satisfacere potuit, æqualem efficaciam significando. at non sic factum est, immo Christum prætulit, vt sponsum, vt filium Dei, & vt eum, in quem credere oportebat. Quid est, quod in differentia baptismi, differentiam tantam miscet personarum nisi vt concludat, quantum est inter sponsum, & amicum sponsi; inter filium Dei, & merum hominis filium; inter eum, in quem, & eum, per quem est credendum; tantum inter vnus, & alterius baptismum esse discriminis: Nec opus erat hac noua decisione, si discipuli, quæ magister ante dixerat, memoria retinuissent. nam prius docuerat Matth. 3. Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui post me uenturus est, fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. Si fortior est, qui post Ioannem baptizat, baptismus eius potentior, & efficacior est; si ille in aqua, hic autem baptizat in Spiritu sancto, maior est huius virtus, quam illius: Aduerſus enim Spiritus sanctus ultra aquam plus efficit, quam ipsa sola aqua. Præterea Ioannes venit præparare populum. Luc. 1. Præbis autem faciem Domini parare vias eius; ergo baptismus Ioannis præparatorius est baptismi Christi. fieri igitur non potest, vt sint vnus & idem baptismus, aut æqualis efficaciam. quod enim præparatur à præparante distinctum, & ipso est perfectius. Sunt sexcenta scripturæ loca, & antiquorum Patrum testimonia, quibus hæc hæresis conuincitur, sed quæ dicta sunt in præfenti sufficiant, in alium enim locum longiorem, & exactiorem huius veritatis discussionem mittimus.

Respon-

Respondit Joannes, & dixit, non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo.

COM MENTARIUS.

Ioannes intelligens se à discipulis Christo præferri, & vt seipsum Christo anteponeret, induci, respondet, id nulla ratione fieri debere, nec posse. Nemo, inquit, potest sibi maiorem præstatiã, & auctoritatem accipere, quàm sit ei de caelo, id est, à Deo concessa. His verbis vanos discipulorum conatus reprimit, affirmans se caelestem mensuram nec velle, nec posse excedere: & attēde, non loqui eum de hominum conatibus, & affectibus vanis. possunt enim conari mensuram datam excedere, & multi nomen Christi iam vsurpauerant; multi Prophetarum officium sibi vendicauerant, cum non essent: tamen in rei veritate, nec tales fuerunt, nec quod attentarunt cōsecuti sunt. Simile quid docuit Paulus ad Romanos 12. Sapere ad sobrietatem, & vnicui que sicut Deus diuisit mensuram fidei. Simile quid etiam Dominus respondit Pilato, Ioan. 19. Potestatem non haberes aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.

ANNOTATIO XXXV.

Ioannes de se ipso superiora verba protulit.

CRYSOS. hō. 28. hæc verba de Christo enunciata exponit, vt sit sensus; Nō posset Christus auctoritatem hanc baptizandi accipere, nec mihi anteferri; nisi id de caelo esset à Deo concessum. Cyril. lib. 2. cap. 60. de se ipso hæc verba Ioannem protulisse dicit, & conuenientior est expositio; tum quia verba sequentia huic sensui magis connectuntur; tum quia si de Christo loqueretur, non vsus esset voce, *Homo*. Non potest homo, maximè, quia in Græco sine articulo legitur, vt significetur, non de Christo sed de quouis homine loqui: nec

etiam dixisset, *Nisi datum esset ei de caelo*, cum verè Christus esset Deus, qui ex se habet quidquid habet. Verba igitur de mero sunt homine: immo habet sermo hic quandam submissionem contrariam verbis discipulorum: hi enim Ioannem efferre conantur, at ille contra, *Non potest*, inquit, *homo*, quasi dicat; Ego homo sum, vt vnus reliquorum: quod habeo, de caelo est; at Christus homo quidem est, sed ille homo, non vt vnus ex alijs, sed Dei filius est.

Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim; Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.

COM MENTARIUS.

EXPONIT mensuram sibi de caelo datam, & hanc ex verbis ipsorum discipulorū: nam ipsi dixerūt, *Cui tu testimonium perhibuisti*, assumit hoc eorū verbū dicens; vos ipsi mihi testes estis, & confirmatis me dixisse, *Non sum ego Christus*, sed eius præcursor, & qui missus sum vt præirem: quasi diceret; mensura mihi data est. nempe præcursoris officium, ego autē Christus non sum; hanc non possum excedere mensurā, nec Christo me anteponeere aut æquare. Discipuli testimoniū allegarunt, sed quod & quale esset, quia contra eorū erat intentionē, non expresserunt; at Ioānes suis verbis eos cōuincit. Vos inquit, dicitis me testimonium perhibuisse, testimoniū autē hoc est, in quo mēsurā meam aperui, & Christū ostēdi. Tacitè discipulos arguit, quasi diceret; iā ex me audieratis illum esse Christum, & me esse præcursorem; illum Dominum, me seruum, nō igitur erat cur turbarem ini, si baptizantem & ab omnibus mihi prælatum vidistis. Reprehendit etiam tacitè eos, quod se tentarent, vt aliquid diceret, aut faceret contrarium his, quæ testificatus erat, & ipsi nouerant: quasi diceret; Cum vos ipsi sciretis quid ego iam de Christo testatus sim, non erat cur ad me veniretis, sperantes contrarium aliquid dicturum.

Ioannes discipulos cōuincit proprijs eorū verbis.

Qui ha-

Qui habet sponsam, sponsus est amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.

IOANNEM ægrè laturum, quod Christus baptizaret, & plures ad eū concurrerent, quasi id sibi Christus vsurpasset, discipuli arbitrati sunt. Ioānes verò id se non ægrè ferre, nec aliquid in eo iniquum committi; sed potius quod iustum est, fieri, & se de hoc summopere gaudere, respondet. Vtitur autem similitudine corporalium rerum, quæ talis est, Sponsus, & amicus sponsi non sunt æqualis conditionis: ad sponsum sponsa pertinet; amici autem munus est, honoris gratia in sponsalitijs sponsum comitari, ipsum cum sponsa colloquentem audire, & in hoc gaudere; non autem sponsam sibi appetere. per hæc significat Christum sponsum esse Ecclesiæ, se autē amicum Christi, non sponsum. non ergò ægrè ferre debebat, neque iniustum aliquid existimare, quod plures ad Christum venirent: hoc enim erat sponsam suo sponso copulari; neq; ei inuidere oportebat: nam id esset velle sponsam sibi vsurpare; immò gaudendum erat, quod Ecclesia, quæ sponsa est, suo sponso vniretur. ad Ioannem pertinebat Christo sponso adstare ministrando, testimonium perhibendo, eum cum sponsa Ecclesia iam colloquentem, & docentem audire, & in hoc gaudere. Ambros. lib. de benedictione Patriarch. cap. 4. hanc vocem sponsi, nuptialem vocem interpretatur, qua nuptiæ celebrantur.

Hoc ergo gaudium meum impletum est.

VNDE hæc verba inferantur, pauci considerant; cum illatione tamen dicuntur, *Gaudium ergo meum impletum est*: inferuntur autē partim ex similitudine posita, partim ex verbis discipulorum: ex similitudine quidē, cum sponsus non sit Ioannes, sed amicus sponsi, sequitur ipsius esse tantum adstare, & vocem audire sponsi & in eo gaudere: ex discipulorū autem verbis, quia ipsi retulerunt Christū iam baptizare, omnes ad eū venire, quod idē est ac Christum iā sponsam Ecclesiā conuocare, cum ea colloqui, ipsi vniri. Hoc ergo audiens Ioannes, quia iam ipsi astiterat, ipsum ostendendo, eiq; præcursoris officium ministrando, infert; *Hoc ergo gaudium meum impletum est*, quasi dicat; ad me, vt ad amicū pertinet audire vocē sponsi, ei adstare, & de voce eius ad sponsam suā gaudere, iam adstiti de ipso testimonium perhibendo; vos autē mihi ipsum baptizare, ad ipsum omnes venire retulistis, hæc iam vox eius est, qua suā sponsam alloquitur: hoc vnicū supererat, quod expectabā, & quod ipsius est; non meū, qui non sum sponsus, sed eius amicus. *Gaudium ergo meum impletum est*: i. completa sunt ea, de quibus gaudere ad me spectat, tantū igitur abest vt ægrè ferā ea, quæ refertis, vt hæc sint, de quibus me cōuenit gaudere. Vocē sponsi audiuerat etiā Ioannes: nā & miracula, & prædicationē Christi, ex relatione aliorum, etiam antequam in carcerem coniectus esset, cognouit; vnde meritò impletum gaudium suum dicit. His verbis insinuat Ioannes suum officium iam iam cessare, & imminere tempus locū dandi Christo, eiq; cedendi, vt notat Chrys. hom. 28. quod verbis sequētibus magis exprimitur.

ANNOTATIO XXXVI.

De duobus sponsalijs à Filio Dei celebratis.

DUPLICIA celebrata sunt à Dei filio sponsalia: Priora cum natura humana, quam in vnitatem personæ assumpsit, vt persona Verbi sponsum, natura humana sponsa dicatur, quæ ipsi vnita Verbo inseparabiliter est. hanc diuinam vniõnem nuptias vocauit Greg. hom. 38. Euang. Intercessit autem quidam velut parnympus in his sponsalijs, Angelus Gabriel ad B. Virginem, in hoc negotio missus. Has nuptias Euangelista iam nobis celebratas aperuit, dicens, Verbum caro factum est. Posteriora sponsalia sunt quæ Christus Deus, & homo cum Ecclesia iniuit, eam in tantam euehendo

dignitatem, vt sponsa sibi esset: harum nuptiarum Paulus ad Ephes. 5. meminit, non solum celebratas iam, sed etiam à mundi principio prænuntiatas docens; Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnū; ego autem dico in Christo & Ecclesia.

Est autem magna quædam analogia ad nuptias, & sponsalia corporalia, & terrena. Nam in his vniõ corporum & animorum fit; Ecclesia autem ita vnitur Christo, vt vnum corpus mysticum cum eo faciat, & simus vnusquisque mem-

Ioannes ostendit se non ægrè ferre, sed potius gaudere quod omnes ad Christum currant.

Nuptiarū collatio cum vniõne Christi & Ecclesiæ.

membrum de membro, vt docet Paulus 1. Cor. 12. Est etiam ligamen magnum animorum, & spirituale fidei & charitatis vinculum. In his rursus fidelitas sponsi, & sponsæ magna est: Neque enim Christus Ecclesiam, neque Ecclesia Christum vnquam deseret. Est rursus proles numerosissima, quia innumeras gentes Ecclesia peperit Christo. præterea est conuiuium, quod in nuptijs fieri solet: tantumque est in his sponsalijs, vt Christus ipse sit cibus, & sanguis eius sit potus. Multa alia dici possent, sed hæc sufficiant, quia ad sensum literalem non sunt valdè necessaria. Duo tantum referam, quæ docuit Chrysostomus homil. 23. in 2. Corinth. vnum, in hoc seculo tempus esse desponsationis; nondum enim est omni ex parte vnio perfecta, qualis erit in futuro seculo. quod Dominus illa parabola decem virginum Matth. 25 significauit, Exierunt omnes obuiam

A sponso, & sponsæ, sed quæ paratæ erant, intrauerunt ad nuptias; nempe alterius seculi, & clausa est ianua. propterea non tam vir, quam sponsus Ecclesiæ dicitur Christus. Alterum longè aliter in hisce nuptijs euenire, quàm in terrenis fieri soleat. Nam in terrenis ante futurarum nuptiarum stipulationem virginitas est, post verò non manet; at in sponsione cum Christo contrarium fit: nam antequam anima Christo despondeatur, corrupta est; at Christo copulata, virginitatem consequitur spiritus. B Fuit autem hæc sponsio Christi cum Ecclesia multo ante prædicta per Prophetas; Ose. 2. Sponsabo te mihi in fide, & iustitia. & Salomonis cantica plena sunt harum nuptiarum promissionis vaticinijs. De hac loquitur Ioannes Baptista, & rectè quidem, quia ipse paranympus quidam fuit, sponsum indicans sponsæ.

Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est.

COM M E N T A R I V S.

SIMILITVDINE sponsi, & amici sponsi, Ioannes nisus est discipulis persuadere, Christum esse se præstantiorem, meritoque omnes ad eum concurrere, eiusque baptismum suo præferri: ad se autem vt ad amicum sponsi pertinere, de his gaudere, tanquam de coniunctione, & colloquio sponsi & sponsæ: idque gaudium iam esse impletum. Alia ratione id ipsum persuadet: *Oportet, inquit, me minui, & illum crescere*, quasi diceret; hætenus meum nomen celebris extitit; hætenus multi me sponsum, & Christum existimarunt: sed iam tempus est, vt veritas discernatur, vt ego cadam à nomine & opinione, quæ populus de me falsò concepit, ille autem ascendat ad nomen, quod illi debetur. Rationem huius rei hæc reddit, quia, *Qui de sursum venit, super omnes est* id est: non mirum, si ita fiat, quia de sursum venit, id est, Deus est: qui autem Deus, & homo est, super omnes nos, qui de terra sumus, est. Connectuntur verba hæc rectè superioribus, quasi dicat: ex quo meum gaudium impletum est, oportet illum crescere; Quamdiu enim non loquebatur sponsæ, non prædicabat, non baptizabat, occultus erat, & minor videbatur; at posteaquam loqui ad sponsam per opera, & prædicationem incipit, quod quidem ad meum gaudium, vt ad amicum pertinebat, & quod ego summo desiderio expectabam: crescet nomen eius apud omnes, & qui maior visus sum, minor videbor, vt veritas postulat. His verbis, vt rectè annotat Chrysost. hom. 28. consolatur discipulos, & eorum animos ad futura disponit: nam multò celebriorem adhuc Christum fore prædicat, in dies nomen eius illustrius, suumque obscurius futurum. *Minui, & crescere*, non ad Christum, nec ad Ioanem propriè pertinet, sed ratione opinionis aliorum: vnde rectè dicit, *super omnes est* non de futuro, sed de præsentis loquitur: quia semper Christus super omnes est, etiam quando minor videbatur: & est argumentum efficax, quasi dicat; super omnes cum sit, iustum est, nomen eius super omnes celebrari.

A N N O T A T I O XXXVII.

Defenditur Christi diuinitas contra Arianos. **C**YRILLVS lib. 2. cap. 64. rectè hunc locum exponit, & discutit contra Arianos. Aduerte autem Græcam vocem, *πάρτωρ*, ambiguam esse; nam & generis masculini, & neutri esse potest, super omnes, & super omnia. Cyrillus in neutro genere accipit; vt sit sensus, Super omnia, seu super omnes res est; & ita Arianis intelligere etiam videbantur. ne autem illo verbo, *De sursum venit*, diuinitatem Christi fateri cogerentur, respondebant illam particulam, de sursum, non exponendam quasi de Patris substantia processerit, sed quod de celo

caelo venerit. Cui responsioni Cyrillus aduersatur dicens: Si non aliud illa significaret particula, non rectè diceretur super omnia, seu super omnes, esse creaturas; nam & Angelus potuit sic de caelo descendere, tamen non super omnes esse diceretur: igitur diuinitas vera per talem particulam exprimitur, vt de sursum sit, quia de patris substantia verus Deus procedens, nostram in terra assumpsit naturam. Multis alijs Cyrillus veram hoc verbo diuinitatem Christi significari comprobat. Et certè si Ioannis propositum consideraremus, particula id significat, quod maximè sequens sententia confirmat, nempe super omnes est: quod autem addit Cyrillus, particulam id significare, de caelo, id est, de Patris substan-

tia; puto non ex tali particula, nec ex eo quod sequitur rectè deduci. nam etiam si Pater carnem assumpsisset, verum esset dicere, quod de sursum, & super omnes est. satis igitur fuit hoc verbo diuinitatem Christi significari, qui, *De sursum*, dicitur venisse, quia Deus est, cuius sedes cælum est: nec adhuc concluditur ex sola particula, nisi ratione verbi adiuncti: non enim super omnes diceretur esse, nisi, qui de sursum venire dicitur, Deus esse significaretur. Euthy. præter hanc alteram adhibet expositionem. *Super omnes est*, id est, nullo indiget, & sic neque meo indiget testimonio, & ea est expositio Chrysost. homil. 29. tamen, quæ dicta sunt magis probantur.

Qui est de terrâ, de terrâ est, & de terra loquitur: qui de caelo venit, super omnes est; & quod vidit, & audiuit, hoc testatur.

COM M E N T A R I V S.

Doctrina talis est, qualis magister illum.

CHRISTM sibi anteposuerat præcedentibus verbis, his autem doctrinam simul, & personam, & sibi, & omnibus antefert. & est sensus, Qui principium habet de terrâ, seu qui de terra factus est, de terra est, id est, non erigitur, nec in maiorem præstantiam extollitur, quàm conueniat ijs, qui de terra sunt, & doctrina eius etiam de terrâ est; id est, non est altior, quàm ea, quæ de terrenis principijs deduci potest. Nam vnusquisque ex his, quæ percipit, & sibi sunt cognita, sumit cognitionem; At qui de caelo venit, id est, qui naturæ est superioris, & diuinæ; ille super omnes est: sicut caelo nihil est altius, sublimior etiam est doctrina eius quia quæ vidit, & audiuit; ea testatur, & refert: cum igitur de caelo veniat, cælestia, quæ vidit, & audiuit, narrabit: Duo illa verba priora, etiam si repetitio quædam videatur, tamen non eundem sensum efficiunt, sed respondent duobus sequentibus; *Qui est de terrâ*, respondet ei, *Qui de caelo venit*, quod autem repetitur, *De terra est*, respōdet ei; *Super omnes est*, vt sit sensus; Qui originem, & naturam habet terrenam, de terra est; id est, non confertur nisi terrenis, & inter ea habet suam præstantiam; at qui de caelo venit, id est, naturæ diuinæ, & cælestis; hic super omnes est, & non inter eos, qui de terra sunt, sed inter, & super omnes habet suam præstantiam. Ioan. 8. hoc idem Dominus dixit, Vos de deorsum estis: ego de supernis sum. Doctrinam autem, & scientiam sequitur naturam, terrenus de terrenis; cælestis & diuinæ naturæ magister, de diuinis loquetur: nam quilibet, quæ sibi cognata sunt cognoscit. Ferè similis est sententia verbis superioribus Christi. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de caelo. His autem duobus, *Quæ vidit, & audiuit*, insinuat Christum filium Dei à Patre procedentem, qui videre dicitur, quia verè suam, quæ Patris est, essentiam videt; audire autem quia essentiam & scientiam habet à Patre: propterea sæpè Christus dicit in sequentibus, quæ loquitur, se audisse à Patre, vt inferius explicabimus. Cyrillus lib. 2. cap. 67. hos duos sensus expressos esse dicit, qui scientia visu & auditu efficitur. hoc tamen in Christo locum non habet, ideo accommodari est, quod diximus. Christus autem venisse de caelo dicitur, quia naturæ diuinæ est, & carnem sumpsit. venire enim est carnem sumere. Nec dicitur, de caelo est; sicut dicitur homo de terra esse; sed, *De caelo venit*, ne ex caelorum substantia intelligatur, sicut homo ex terra; sed venit de caelo, quia naturæ diuinæ est, quæ cælum inhabitat: de terra autem esse, est; naturam habere terrenam, & corpoream. qualis est homo, qui terrenam loquitur: quia quamuis multa, quæ Dei sunt, proprio intellectu assequatur, terram tamen non excedit, quia ex principijs terrenis tota eius cognitio deducitur, nempe ex motu, mutatione, & alijs, quæ terræ communia sunt; nec enim

nec enim sermo est de fide, & cognitione reuelata: quam homo non habet ex se, nisi edoctus ab eo, qui de caelo venit. Per hæc ergo verba Ioānes, & Christum, & doctrinam eius sibi, & omnibus anteponit; tacite discipulos exhortans, vt se ad eum audiendum, qui caelestia vidit, & testatur, conuertant.

Et testimonium eius nemo accipit.

CVM doctrinam Christi commendauerit tamquam caelestem, & diuinam, incredulos nunc miratus arguit, quasi dicat; de caelo venit, caelestium est oculatus testis; & tamen nemo accipit testimonium eius; nemo credit ei. Verba hæc paucitatem credentium illius temporis significant. nemo, inquit credit: credebant quidem tunc iam aliqui, tamē collatione eorum, qui tanto testi credere debuerant, nemo dicitur credidisse. quod autem aliqui crediderint, statim manifestat. Vnde rectè Cyril. lib. 2. cap. 68. His, inquit, verbis concutiens quasi caput Baptista, & pedes manibus cædens, incredulitatem hominum magnam admiratur. hoc idem dixerat Christus Nicodemo superius: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Fuit autem prudēs Euangelistæ consiliū in hoc, quod post ea, quæ ipse facta narrauit, aut post ea, quæ Christū dixisse retulit, adiungit Ioannis testimonium, quasi ea cōfirmans contra incredulos Iudæos.

Qui autem accepit eius testimonium, signauit quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.

INCREDULITATEM Iudæorum arguēs, & credentium paucitatem verbis præcedentibus admirans, quanti referat, ei credidisse nunc docet. Qui, inquit, testimonium accepit, & ei credidit, signauit, quia Deus est verax; id est, ipsa fide, quam habuit, velut sigillo quodam suo, Deum esse veracem confirmauit; sicut cum quis narrat ea, quæ ipse solus vidit, si quis dictis eius fidem habeat, ipsa credulitas est signum, & sigillum quoddam, quo qui credit, confirmat se reputare eum veracem; si enim talem non iudicasset, fidem eius dictis nō habuisset. Fides ergo, & credulitas audientis, velut sigillum est, quo confirmat loquentem esse veracem: sic qui credidit Christo, ipsa fide Deum veracem confitetur. Ad iungit causam, quia, Quem misit Deus, verba Dei loquitur, qui igitur ei credit, non meri hominis, sed Dei verbis fidem adhibet. A contrario autem si argumentum deducas, crimen incredulorum comperies: nempe, qui non credit ei, mendacem facit Deum, quia verbis eius non credit. nam quem misit Deus, verba Dei loquitur. Vtrumque Ioannes Euangelista i. ep. ca. 5. exposuit, vbi totus hic explicatur locus: Qui credit, inquit, in filium Dei, habet testimonium Dei in se; qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.

ANNOTATIO IIXL.

IN declarationem superiorū verborum aduertere oportet, quod nisi Christus sufficientissimis testimonijs se à Deo missum, filiumque Dei esse, & Dei verba loqui ostendisset; quamuis re vera ipse Deus esset, qui ei non credidisset, non propterea Deum mendacem fecisset: at cum miraculis, & diuinè patris operibus, & scripturarum testimonijs, suam diuinitatem probauerit, & se esse filium missum à Deo, doctrinamque suam Dei esse confirmauerit; rectè sequitur, vt qui ei non credit, Deum mendacem faciat, quia verbis eius, quæ eius fuisse potuit & debuit credere, non habuit fidem. Attende rursus non esse dictum, mendacem Deum existimat, aut opinatur, aut dicit; sed facit: quia non tam assensu, quam opere increduli Iudæi Deum mendacem fecerūt. Quia si vnusquisq; interrogatus esset; tu credis Deum esse mendacem? respondisset: nullate-

Miratur Ioannes, quod tot, ac tanti Christi testimonijs fides non habeatur.

Fides credentis testatur veracem esse qui loquitur.

1. Ioan. 3.

Quomodo qui Christo credit, fide sua testatur Deum esse veracem.

ANUS, immò veracem credo; adiunxisset tamen; sed ego Christum non esse missum à Deo, nec filium Dei, nec verba eius Dei esse verba credo: talia incredulus diceret, qui licet mente Deum veracem crederet, tamen opere ipso mendacem faceret, dum re ipsa verbis eius non haberet fidem, quæ Dei esse verba & potuit, & debuit intelligere. propterea dictum est mendacem facere Deum. potuisset quidem Ioānes Baptista hoc quod nos deduximus, expressè dicere; nam audierant Iudæi vocem Patris de caelo, miracula Christus ediderat, doctrinam sparserat suam, tamen quia adhuc nō compleuerat Christus sui testimonium perhibere, propterea noluit hoc exprimere. At Ioānes Euangelista id apertè enuntiauit, de eo, qui testimonio eius perfecto non credit, affirmans; mendacem facit Deum, quia non credit, contentus est Baptista de his, qui crediderunt, affirmare,

affirmare, qui credidit Christi verbis, signauit, quia Deus verax est. fides enim credentis sigillum est, confirmans Dei veracitatem. vt hoc etiam argumento discipulos ad credendum Christo inducat. Rationem autem, propter quam qui credit signauit Deum esse veracem, eam dicit esse, quia qui missus est à Deo, verba Dei loquitur; ergo qui ei credit, verbis Dei credit. Ambros. in exposi. Rom. 3. siue auctor illorum commentariorum, aliter exponit: inquit enim sic; Deus verax est, quia misit Christum sicut promisit, & sic vincit, cum iudicatur quia dedit, quod daturus negabatur: dum enim non creditur ei, mendax iudicatur. Hæc doctrina vera est, sed ad sensum præsentem non facit, quia sermo est de his, qui Christi verbis non credunt, qui alia etiam de causa præter eam, quam ponit Ambrosius, Deum mendacem facere dicuntur. Cyril. lib. 12. Thesau. capit. 15. ex his verbis Christum Deum esse inferat. Qui, inquit, dictis Christi credit, Deum veracem signat, ergo Christus Deus est. Hæc deductio re vera legitima est, vt etiam ipsemet lib. 2. Ioann. cap. 69. exponit. Nam missio

est diuina processio; missus enim à Deo dictus est, Christus, quia de Patre procedens, homo factus est: vnde si à Patre missus est, vnus est, cum ipso substantiæ, & sic Pater in eo est; & verba eius, verba Dei sunt. Hæc omnia verè deducuntur, & sensus verus est, quem misit ille. verba Dei loquitur, quia ipse Deus est, & verba eius verba Dei sunt. Tamen quia præterius hæreticus respondere posset, vt verba Dei loquatur, sicut est missus à Deo ad docendum, licet Deus non sit. Moyses enim verba Dei loquebatur, & si quis ei fidem non habuisset, mendacem Deum fecisset, tamen Deus non erat: propterea hæc verba, vt proterius quoque conuincant, sunt cum superioribus connectenda, quia de caelo est, & quæ vidit, testatur. Hæc diuinitatis sunt argumentū missus ergo est, sed vt Deus, & Dei filius, & verba Dei loquitur, non vt Moyses, qui quæ Deus præcipiebat loquebatur; sed quia ipse est Deus, qui loquitur. Hic est huius loci sensus, in quo mirè Ioannes Christi doctrinam commendat, & quanti sit momenti, fidem ei habere manifestat.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.]

COMMENTARIVS.

DIXERAT, quem misit Deus, hoc verbū intelligens filium Dei nunc causam dicti sui reddit. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, ac si dicat, dixi misisse Deum, nempe filium, qui de caelo venit, & super omnes est: nō. n. dat Deus ad mensuram, nec beneficia limitata impertit hominibus, siquidē filium suum, qui super omnes est, dedit eis. Spiritum, bona spiritualia significare, quorum auctor est Spiritus sanctus, certum est ex Matth. 6. Quanto, inquit, magis Pater vester dabit Spiritum bonum petentibus se. quando ergo, bona tribuit spiritualia, & ad vitam ac salutē eternā pertinētia, dicitur Spiritum dare. Ad mensuram autem Deus dat Spiritum, quando gratiam, fidem, & alia dona hominibus infundit, quæ finita sunt; at quando filium suum dedit, non ad mensuram dedit. donum enim hoc infinitum est, de quo dono, sequenti capite dicitur; Si scires donum Dei. Hic est sensus verborum, & connectuntur rectè cum superioribus: Dictum enim est de caelo venisse, & missum esse à Deo, nempe Dei filium: rectè ergo sequitur, quia non ad mensuram Deus dat Spiritum, sed sicut ipse infinitus, & omnem excedens mensuram est, ita & donum eius infinitum & absque mensura est. Alijs verbis hanc sententiam docuit Paulus dicens; Deus, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatē suam; qua dilexit nos, cōiuuificauit nos Christo. Diuitē in misericordia vocat, quia dedit filium, vt nos viuereamus: hoc idem est non dare ad mensuram Spiritum. Obserua quæ etiā obseruandū superius annotauimus, hoc Ioānis testimoniū verbis Christi ad Nicodemū esse cōforme, & propterea Euangelista, post illam Nicodemi historiam, facit huius mentionē. Est autē iste loquendi modus metaphoricus: dicitur enim, ad mensuram dare, qui velut mensurando finitū aliquid impertit, quod Deus nō fecit; qui ex inexhausto suæ diuinitatis thesauro, infinitū nobis donum liberalissimè largitus est.

ANNOTATIO XXXIX.

CYRIL. lib. 1. cap. 72. Chrylost. hom. 29. Euthym. & alij multi, hæc verba de Christo, & quidem ratione diuinitatis exponunt: ac si dictum esset; non dat Deus ipse ad mensuram spiritum filio: dedit enim ei Deus; totam

Spiritus operationem, dum suammet communicauit substantiam. Aliqui nostro tempore de Christo etiam, sed ratione humanitatis explicant; non enim Christo homini, Deus dedit dona Spiritus cum mensura, vt

Missio filii donum fuit sine mensura

Ephes. 2

Diuersa superiorum verborum expositiones.

sanctis hominibus, sed totam plenitudinem donorū, ut nullum ei desit, & in tota perfectione, quantam potuit natura humana capere. Alij non de Christo exponunt, sed absolute dicta putant, quasi dictum sit; non est limitata manus Domini, sed maius, ac maius dare potest: & connectunt sic; ut Ioannes reddat rationem, cur Christus sit maior ipso: Non, inquit, mensurata est diuina potentia; potest enim adhuc maiorem committere. Sed hæc expositiones violentæ videntur, veram quidem doctrinam continent, sed ad locum præsentem non faciunt, nec est lectio, seu interpretatio Cyril. & Chryf. cõformis textus: nullus enim textus habet, dat ei Spiritū, sed absolute dat Spiritū pro

pterea duę priores expositiones non sunt: multū probabiles; tertia verò non rectè connectitur præcedentibus, nec sequentibus: ideo quam in commentario posui expositionem, legitimam & propriam esse arbitror. Potest etiam alia expositio adferri; Dixerat generaliter, & sine exceptione, qui accipit testimonium eius, tacite indicans verbum Christi commune futurum omnibus Iudæis, & gentibus; ideo huius causam exponens inquit, Non enim dat Deus spiritum ad mensuram, omnibus enim verbum salutis in Christo est propositum & pro omnibus saluandis missus est. hanc expositionem adiunxi, quia sequentibus, & antecedentibus rectè consonat & connectitur.

Auctor dicit aliam interpretationem.

Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.

COMMENTARIUS.

CLARIUS explicat, quomodo non ad mensuram Deus det spiritum, Pater, inquit, diligit filium, & omnia dedit in manu eius, id est, in dilecto filio suo posuit omnium hominum salutem. Perpende quantum donū, & quomodo non ad mensuram dat Deus: nam filium suum dilectissimum dedit nobis in saluatorem, & redemptorem, non vnus aut alterius, sed omnium. Attende dictum esse, *Pater diligit filium*; tum ut præstantiam & magnitudinem doni magis explicet: dedit enim Pater filium suum, eumque sibi dilectissimum; tum ut ex amore datum esse filium significet; iuxta id, quod dominus Nicodemus dixit; Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret, quo etiam doni excellētia augetur. mensuram ergo omnem excedunt; tum quòd Pater, filium dederit; tum quòd filium, quem sine mensura diligit; tum etiam, quòd ex dilectione erga nos; demum quòd ad omnium generalem salutem. Hæc phrasia, *Dedit omnia Pater in manu*, significat omnium redemptionem & salutem, & quæ ad hæc spectant, in filio, non ut Deo solum, sed ut Deo & homine Christo (ut talis enim redemptor est) posita esse. sic dicitur Ioan. 13. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. & Ioann. 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. & Matth. 11. Omnia tradita sunt mihi à Patre meo.

ANNOTATIO XL.

Dna Cyriilli interpretatio nes proponitur.

CYRILL. lib. 2. capit. 33. dupliciter superiora verba exponit, vno modo, ut sit sermo ratione diuinitatis, nempe, Omnia quæ habet Pater, dedit filio, ut omnia significant essentialia Patris: quasi dicat; omnia, quæ patris substantiæ sunt, dedit filio: altero modo, ut ratione humanitatis Christus dicatur accepisse omnia, id est, virtutem, & potestatem super omnem creaturam; ut dominium, quod habet Pater, & ipse filius, qua ratione est Deus, communicauerit sibi, ut homini. Sed neutra expositio mihi videtur conueniens, prior defendi non potest. Non enim dicitur, Omnia quæ Pater habet, dedit filio, sic enim possent ad substantialia Patris verba referrī; sed dicitur, *Dedit in manu eius*, id est, in potestate eius. substantialia autem Patris, non sunt sub potestate filij, igitur, *Omnia*, ad substantialia Patris referri non possunt; sed necesse est, ut referantur ad creaturas, quæ sunt sub diuina potestate: & tunc verum est Patrem dedisse omnem creaturam sub potestate filij, ut Deus est. Nam communicas ei essentiam simul dominium, & po-

testatem, quam ipse habet, dedit filio. At non hoc ad rem nostram facit: nam sermo est de filio in carne, sub cuius potestate omnia data sunt. Posterior expositio vera doctrina est; habuit enim Christus, etiam ut homo, à diuinitate suæ humanitati collatum dominium, & potestatem super omnem creaturam in terra, & in cælo. tamen non hoc est, quod hæc verba prætendunt. Loquitur enim Ioannes de hominibus, & ijs quæ ad eorum salutem pertinent; propter quæ Deus filium suum dedit. Nec obstat illa generalis particula, *omnia*; nam ex materia subiecta declaranda est. Ioan. 17. etiam dicitur, *Ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* illud Omne, non omnem creaturam significat, sed omnem hominem saluandum. Similiter dedit potestatem omnis carnis. Locutio est de opere redemptionis, quod totum Christo à Patre commissum est. Recentiores verba superiora aliter connectere, & exponere videntur, tamen, quæ data est expositio, legitima censenda est.

Qui

Qui credit in filium, habet vitam æternam.

COMMENTARIUS.

EFFECTVM aduentus Christi, quæ illis verbis; *Pater dedit ei omnia in manu*, significauerat, his verbis exponit: & respondent hæc verba illis Christi, *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, ut tota sententia hæc, *Pater diligit filiū, & omnia dedit in manu eius: qui credit in filiū, habet vitam æternam*, consonet illi sententiæ Domini, *Sic Deus dilexit mundū, ut filium suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Circa literam attende, qui credit in filium, habere dicitur vitam æternam; nō quod statim ac credit, vitam æternam habeat; sed est tempus pro tempore, habebit scilicet vitam æternam suo tempore, quando à seculo recesserit. Aliqui recurrunt ad gratiam, quæ est vita æterna inchoata, sed non est id necessarium, nisi dicamus habere vitam æternam, quia per gratiam ius habet ad eam possidendam.

Qui incredulus est filio, non videbit vitam.

NON saluat filius nisi credentes in se: Qui ergo non credit, non videbit vitam. Rectè dicitur, *Non videbit*, ne si dictum esset non videt, spes videndi dari censeretur; at non videbit, priuat etiam spe futuri. Vnde rectè Chrysof. hom. 30. hoc annotans, id, inquit, verbū posuit; *Non videbit vitam*, ut denotaret perpetuitatem. Quamuis autem intelligi debeat eadem vita æterna, tamen generalior est sermo, *Non videbit vitam*, quia nec in hoc sæculo vitam spiritualem gratiæ, nec in futuro æternam videbit. Est autem hebraismus, videre & experiri, & consequi, quod in bonum, & in malum aliquando accipitur: in bonum sumitur vitam videre pro eo, quod est frui vita æterna. 1. Pet. 3. Qui vult vitam, & dies videre bonos, id est, frui diebus bonis: in malum, Ioan. 8. Mortem non videbit in æternum, id est, æternam non experietur mortem. Cypri. lib. 2. contra Iudæos capit. 27. legit eodem modo partem vtramque sic; Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui dicto audiens, non est in filium, non habet vitam. At Græcè sic legimus; *Non videbit vitam*, & ea est legitima, & germana lectio. Forfan id dictum est, ut magis à vita remoueri incredulum Ioannes significaret, qui non solum non habebit, sed nec videbit vitam: plus est habere, quàm videre; at nec quod minus est, incredulus assequetur.

Videre in bonū, & in malum sumitur in scriptura.

Sed ira Dei manet super eum.

NON tantum incredulus vitam non videbit, sed etiam iudicium damnationis subibit. etiam hæc verba, *incredulus filio nō videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, respondent illis Domini, *Qui non credit, iam iudicatus est*, ut etiam Chrysof. hom. 30. annotat. propterea non dicitur, *Qui non credit eum iram Dei incurrere*, quasi ante sub ea non sit, sed manere sub ira, & damnatione, sub qua priuserat, quia iam iudicatus est. Christus enim adueniens, homines peccato obnoxios, & iræ filios inuenit: qui crediderunt, à peccato & ira, ad vitam æternam liberati sunt; non credentes verò, manent sub peccato, & ira Dei veteri, à quibus non liberantur. non ergo solum vitam non videbunt, sed manent in suo peccato, & iræ Dei subiecti, quia damnationis lege tenentur, & in ea permanent. hoc Paulus Ephes. 2. docuit. Erasmus, inquit natura sicut & cæteri filij iræ, Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Ecce eramus omnes filij iræ: eramus mortui peccatis: qui igitur in Christo per viuam fidem non viuificantur, non solum vita priuantur; ne eam consequantur, sed manent sub peccato, & sub ira Dei.

Patres diuer-
sismodis locū
huic explicās

AM BRO. lib. 1. de pēnitentia cap. 11. Ira, inquit, Dei manet super eum, quod manet, vti que iam cēpit, & ex delicto aliquo cēpit, quia ante non credidit: vbi ergo quis credit, ira Dei discedit, vita autem accedit, hęc Ambr. Et rectē perpendit vim verbi, manet, sed in hoc non placet eius expositio; quia non credidisse Christo, existimat esse peccatum, propter quod qui non credit, dicitur manere sub ira: atnō sic est, nam antequam fides prędicetur, homo in peccato est, & irę obnoxius; immō, vt dicit Paulus: Nascimur filij irę, & in peccato: antequam igitur accedat peccatum infidelitatis, homo filius est irę, & peccato infectus, propter quod ira Dei dignus est. Cyp. lib. 2. con. Iudę. ca. 27. legit in futuro, manebit, & ita videtur legere Cyril. li. 2. cap. 75. at textus noster habet in pręsenti, & rector est lectio, vt significetur iam etiam in hoc sęculo iram Dei esse contra non credentem. Dicitur autem, Manet super eum, vt significetur peccatorem non posse, nec vires ha-

bere liberandi se ab ira Dei. Est enim super eum quasi in loco eminentiori, quo non potest peruenire ad eam repellendam, quia inferior est, quod etiam Chryf. hom. 30. annotat, dicens: Non dicitur ira manet in eo, sed super eum, hoc est, nunquam ab eo discedet.

Notanda sunt duo: prius est, totum hoc Ioannis testimonium esse conforme prędicationi Christi factę ad Nicodemum, propterea que Euangelistę narrasse, vt apud incredulos Iudęos, qui Ioanni multum deterebant, Christi doctrina tam alta & profunda confirmaretur. Alterum est, discipulos Ioannis a suo magistro mysteria fidei altissima audisse, nempe Christi diuinitatem, & incarnationem, redemptionem, fidei in eum necessitatem, fructum aduentus Christi, & fidei in eum: vt his tantis illustrati mysterijs, a nimio amore & sequela sui, illos auerteret & ad Christum sequendum, & confitendum omninō conuerteret. Hęc in caput tertium dicta sunt.

CAPVT QVARTVM.



VT ergo cognouit IESVS, quia audierunt Pharisęi, quod IESVS plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes (quanquam IESVS non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudęam, & abiit iterum in Galilęam: oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samarię, quę dicitur Sychar, iuxta pradium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. IESVS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat autem quasi sexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Damihī bibere. Discipuli autem eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudęus cum sis, bibere a me potes, quę sum mulier Samaritana? non enim contuntur Iudęi Samaritanis. Respondit IESVS, & dixit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Damihī bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit IESVS, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquę salientis in vitam aeternam. Dicit ad eum mulieri: Domine da mihi hanc aquam: vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit ei: Non habeo virum. Dicit ei IESVS: Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes non est tuus vir. Hoc verę dixisti. Dicit ei mulier Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Dicit ei IESVS: Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudęis est. Sed veniet hora, & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate: nam

& Pater tales querit qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Dicit ei IESVS: Ego sum qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid queris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & vidite hominem, qui dixit mihi omnia quęcunque feci: nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & metis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia alba sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & cōgregat fructum in vitam aeternam & vt qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quęcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verę saluator mundi. Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilęam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilęam, exceperunt eum Galilęi, cum omnia vidissent quę fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilęa, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret a Iudęa in Galilęam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuus. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuus. Et credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudęa in Galilęam.

O 4

Vt ergo

Ut ergo cognouit Iesus, quod audierunt Pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam.

C O M M E N T A R I V S.

Persequitur historiam Euāgelista, & posteaquam discipulos Ioānis apud magistrum cōquestos esse de baptismo Christi, & quod plures baptizaret narravit, refert nunc baptismi eius famam etiā ad Phariseos, qui erant Hierosolymis peruenisse: fama autem rei veritatem superabat: nā Christus non baptizabat, sed discipuli eius: solent tamē res in ore narrantiū augeri, & multiplicari. Delatū autē esse ad Phariseos, Christum p se baptizare, insinuat Ioānis parenthesis, *Quamquā ipse nō baptizaret*, quasi diceret; nō est res, uti se habuit, relata. ut ergo nouit Dominus iā huius rei notitiā ad Phariseos peruenisse, à Iudæa recessit. Pharisei dicuntur audiuisse, at Dominus cognouisse, quia illi ex nuncijs, & hominū relatione; at Christus sine nūcio, qui omnia etiā anteq̄ fierent nouerat, intellexit. Reliquit Iudæā amputās inuidiā Phariseorum, & tempori opportuno passionem suam reseruās, ut dicit Cyrillus lib. 2. cap. 76. Quamuis enim suę diuinitatis potētia omnia aduersantia repellere potuisset; tamen se quoque esse hominē, suamque veram humanitatē in multis demonstrare voluit, ut nos etiam suo instrueret exēplo, qui aliquando aliorum furori, & indignationi locum dare debemus. Hęc autē inuidia Phariseorum, quod plures baptizaret quam Ioannes, non erat ex zelo, & amore erga Ioannem, quem etiam odio prosequerentur, & Herodi tradidit, ut patet Matth. 17. sed ex propriæ laudis amore. Se enim minoris haberi equo animo ferre non poterant: si ergo Ioannem prosequerentur, cum pauciores baptizaret, timendum erat eos multo peiora contra Christum, qui plures baptizabat, & cuius nomen celebrius reddebatur, facturos: propterea reliquit Iudæam; hoc tamen in sequenti commentario magis explicabitur.

A N N O T A T I O I.

DVBI V M in illo verbo, *quamquam Iesus non baptizaret*, occurrit: nam Ioannes ipsum baptizaturum prædixisse videtur Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto. Tertul. libro de Baptif. ad hoc respondet dicens; Ecce Dominus venit, & nō tinxit: legimus enim, & tamen is non tingebat, verū discipuli eius: quasi verò ipsum suis manibus non tincturū Ioannes prædicasset. non utique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communj, sicut est v.g. Imperator posuit edictum, aut Præfectus fuit: ibi cecidit, nunquid ipse proponit, nunquid ipse cædit: semper is dicitur facere, cui præministratur; ita erit accipiendū verbū Ioannis Baptif. ipse vos tinget, pro eo, quod est per ipsum, vel in ipsū tingemini. hęc Tertul. & rectē respondet: siue. n. per hunc, siue per illum ministraretur baptismus, baptismus est Christi, & ipse est, qui baptizat, ceteri sunt ministri. Hac ratione utitur Paulus 1. Cor. 3. ad probandum ministrorū differentiā, siue in Sacramentis, siue in doctrina ministranda, non inducere varietatem aliquā in suscipientibus, quasi qui baptizatus est, aut credit per vnū, melior propterea sit eo, qui baptizatur, aut credit per alterum. Sunt enim vnus

A Christi oēs ministri, fides, & baptismus eius sunt. Hac etiam ratione vsus est Iape Aug. cōtra eos, qui hæreticos rebaptizandos existimabant. Si enim Christi baptismus est, ipse est qui baptizat, siue bonus, siue malus sit minister, baptismus nō vitatur. Christus enim est qui baptizat. non ergo baptizabat, quia suis manibus proprijs nō conferebat baptismum, tamen verē baptizabat, quia qui baptizabant, ministri eius erant.

Sed percontabitur non immeritō aliquis, cur Christus noluit per se baptizare. Cyril. li. 2. in Ioannem cap. 17. respondet id factum, ut vel ex hoc meliorem suum esse baptismum confirmaret, quam erat baptismus Ioannis. Ioannes enim per seipsum baptizabat, Christus non per se, sed per discipulos, tamen plures ad Christum veniunt. Adde & in hoc Ioannis baptismus parum efficax ostendebatur, qui non nisi per ipsum Ioannem conferri potuit. His alias adiungere possumus rationes, cum enim in nomine Christi baptismus conferendus esset, ut per eum nomen Christi celebre fieret, magis hoc per alios, quā per eundem Christum faciendum videbatur. Rursus, quia si per se baptizaret, minister forsitan crederetur baptif-

baptifmi, ut ceteris, ut ipse baptismi cognosceret auctor, nō per se, sed per alios in eius nomine conferri voluit. Hęc ratio est Augustini tractatu 5. in Ioannem. Chrysol. hom. 28. aliam dat huius causam; nimirum quia hic baptismus non erat proprius Christi, sed Ioānis, non autem erat expediens, ut per se Ioannis baptismum exhiberet: sed superius annotatione 27. hanc opinionem reiecit; existimat enim Christi baptismū illum fuisse eundem, qui Ioannis erat. At maiorem difficultatem auctoritas Gregorij Nazian. nobis inge-

Arit: nā in orat. in sancta lumina, Christum postquam à Ioanne baptizatus est. eundē Ioannem baptizasse affirmare videtur. Aug. autē Epist. 108. adhuc amplius dicit, nempe Apostolos à Christo ipso prius baptizatos, ad alios baptizandos esse missos: & loquitur de hoc baptifmo, de quo dicitur, quod plures baptizabat, Respondeo vtramque doctrinam Gregorij & Augustini esse probabilem, nec locus hic obstat. Nam intelligi debet, Christum communiter, & vulgò non baptizasse per se, sed per discipulos.

Et abiit iterum in Galilæam.

C O M M E N T A R I V S.

RELICTA Iudæa abiisse iterū dicitur in Galilæam. particula, *iterū* secundum hunc in Galilæam regressum esse ex his, quos Ioānes describit, insinuat. Prior enim est, quando cū Philippo post Andree, & Petri vocationē à Iudæa venit in Canam Galilææ. tempore autem Paschatis in Iudæam reuersus, eiecit vendentes de templo, miracula fecit, eumque Nicodemus Hierosolymis cōuenit: post hæc in alium Iudææ locum migrans baptizabat per discipulos, Ioanne baptizante in AENON, ibique mansit vsq; ad Ioannis vincula, quando in carcerem traditus ab Herode in Galilæa fuit; tūc cognoscēs ad Phariseos delatum esse, se plures baptizare, quam Ioannem, in Galilæam iterum abiit; & hic est secundus regressus.

A N N O T A T I O II.

Cur Christus, Ioāne in carcerem coniecto, in Galilæam recessit.

DE hoc secundo regressu Matt. 4. Mar. 1. Luc. B. 4. facta est mentio. Hi enim tres Euangelistæ dicunt, cum Ioannes traditus esset; nempe in carcerem coniectus, tunc reuersum esse in Galilæam, quamuis noster Ioannes de Baptif. vinculis nihil dixerit; sed tantum narrat, cum cognouisset Dominus Phariseos audisse eum plures discipulos facere, abiisse in Galilæam, tunc autem iam erat traditus Ioannes, & inuidia Phariseorum manifestata: nam non tantum odium Herodis, quod à Ioanne reprehenderetur, causa fuit, ut Ioannes traderetur, sed etiam inuidia Phariseorū, ut Matth. 17. patet, ac propterea traditus Ioannes dicitur, nempe à Phariseis Herodi, sine quorum auctoritate non esset ausus tantum virum apprehendere. Ex hoc eorum facto inuidia in Christum acrior detegebatur, cū plures baptizaret, & celebrior iā fieret; propterea rectē dictum est superius, cum audierunt Pharisei,

quod plures baptizaret, tunc Christum recessisse: nam ex inuidia contra Ioannem, maior cōtra Christum futura certo timebatur, ut re vera factum fuit. Ista est historię veritas, ex qua liquet ceteros Euangelistas prætermisisse, quę Ioannes inter priorem, & hunc regressum posteriorem in Galilæam narravit; & ab hoc posteriori historiam texuisse: rectē autem Lucas addidit; In virtute Spiritus in Galilæam regressum esse Dominum, quod verbum Ioannes omisit. Reuertebatur enim, ut in Galilæa initium suę publicę p̄dicationis faceret, sicut prædictum erat, quod Matthæus cap. 4. significauit dicens; Recessit in Galilæam, & relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit in ciuitate Capharnaū, in finibus Zabulō, & Nephtalim. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetā. Quòd autem in hoc regressu etiā per Nazareth trāserit, & eā reliquerit paulò inferius in hoc capite Ioannes significat.

Oportebat autem eum transire per Samariam.

C O M M E N T A R I V S.

SAMARIA regio est inter Iudæam, & Galilæam sita, ut refert Iosephus li. 3. de bello cap. 2. cum igitur Christus, in Iudæam profectus, in Galilæam transire destinasset, rectē dicitur transeundum ei esse per regionem Samariam. Cyril. lib. 2. cap. 77. & Chrysol. hom. 30. illud verbum *Oportebat*, cōsiderant: ne enim Iudæi conqueri possent, quod ad gentes docēdas iret, qui ad Israel missus esset, *Oportebat*, inquit, quasi diceret itineris necessitas id postulabat, ut illic iret. Transiens autem conuenienter virtutem suam exeruit, ut Sol quocunque proficiscitur illuminat.

Que fuerit, & unde dicitur Samaria. SAMARIA nomen est Prouinciæ, atque etiam ciuitatis cuiusdam sic appellatæ. de prouincia Samarię frequens est in scriptura mentio. 3. & 4. li. Reg. quæ totam tribum Ephraim & mediam Manassem continebat: erat partim campestris, partim montuosa, habens aquas supra modum dulces. Aliqui Samariam dictam à Filio Chanaam Samaręo, Gen. 10. putant: id incertum est. Erat etiam nomen ciuitatis, quam, vt habetur 3. Reg. 16. Amri rex Israel ædificauit super montem emptum à quo dam dicto Somer, nomen autem antiqui Domini imposuit ciuitati Somer, inde Samaria

dicta. Regia sedes erat Regnũ Israel, postquã decem tribus à Iuda recesserunt, & totius prouinciæ caput, ac metropolis. Isa. 7. caput Ephraim Samaria. Euerſa est ab Hircano funditus: sed restituta ab Herode Antipatro, & uocata Sebaste, vt refert Ioseph. lib. 15. Antiq. ca. 11. Hier. in Epitaphio Paulæ ibi condita ossa Elisæi, Abdia, & Ioannis Baptistæ affirmat. tẽpore Christi extabat ciuitas, modò autem nullam ibi habitationem superesse ferunt; hoc in loco non pro ciuitate, sed pro ipsa prouinciã sumitur, quando dicitur Christum per Samariam transiisse.

Venit ergo in ciuitatem Samarię, quæ dicitur Sichar.

COMMENTARIUS.

ERAT vrbs Samarię inter alias nominata Sichar. veniens ergo in Galileã per Samariam, ad hanc diuertit urbem, quæ in via posita erat, vt particula. Ergo, hæc esse in medio itinere positã insinuet, quasi venientibus è Iudæa in Galilæam ista ciuitas media occurreret.

ANNOTATIO IV.

Que fuerit ciuitas Sichar, siue Sichen. SICHAR, vt notat Hieronymus in Epitaphio Paulæ, proprio vocabulo Sichen dicta erat; at Christi tempore corruptum erat, & dicebatur Sichar, vulgari autem vocabulo vsus est Euangelista. Sita erat in confinibus tribus Ephraim, prope montes dictos Hebal, & Garasim: qui alio nomine Iosue 20. dicitur mons Ephraim, eratque monti huic adeo proxima Sichar, vt in monte sita, in eodem loco Iosue dicta sit: à Sebaste seu Samaria vrbe duodecim, ab Hierusalem triginta miliaribus distabat. Fuit hæc ciuitas ab Abimelech Iudic. 9. euerſa, etiã sale super eã disperso. instaurata tamen à Ieroboam, 3 Regum 12. primo rege Israel, & caput regni Israel ab eo constituta: ibi enim habitauit ipse, & quo tempore Alexander venit in Iudæam. erat Metropolis Samarorum, vt refert Ioseph. lib. 11. Antiquitat. Multa memoranda in hac ciuitate Sichen facta scriptura vetus narrat: cum enim Abraham Dei iussu ex Mesopotamia in terra Chanaam

venisset, primùm venit Sichen, ibique primò altare ædificauit Domino, & terræ illius promissionem accepit: vt habetur Gen. 12. & 13. Iacob etiam reuertens ex Mesopotamia cũ vxoribus, & filijs in Sichen fixit tabernaculum, & ibi emit partẽ agri, à filijs Emor, Genes. 33. Ibi Dina corrupta est filio à regis Sichen, & facta est occisio magna à filijs Iacob, Genes. 34. Sichen constituta asylum, & refugium fugitiuis, Ios. 20. Ibi decem tribus propter stulticia Roboam recesserunt à Iuda 3. Reg. 12. Ossa Ioseph in Sichẽ sepulta sunt, vt habetur Ios. vlt. Hier. de locis Hebr. eandem dicit Sichen, & Salem. vnde sequitur Melchisedech typum Christi, etiam huius vrbs Regem fuisse. profectò vrbs satis celebris, multo celebrior propter hoc Christi miraculum facta est. temporibus Hieronymi vastata erat, & iuxta eam ædificata ciuitas dicta Mamertha, & postea Neapolis. Hæc est Sichar, in quam Christus uenisse narratur.

Juxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo, erat autem ibi fons Iacob.

COMMENTARIUS.

HISTORIA nota est Gen. 33. Iacob reuertens è Mesopotamiã venit Sichẽ, & ibi ab Emor Filijs partem agri centum emit agnis: quando autem mortuus est in Aegypto præter duplicem hæreditatis sortem hanc agri partẽ dedit Ioseph. Gen. 48. & dicebatur prædium Iacob, prope hoc prædium erat sita Sichar. Erat autem ibi fons Iacob, nempe prope, aut intra prædiũ. Fons Iacob, quia à Iacob extructus erat. extra Sichein fons hic erat, duplici, vt fertur, arcus iactu distans, in eo prædio Ioseph ossa sunt sepulta.

Iesus

Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.

FATIGATVS Dominus ex itinere, quod pedes confecerat, sedit supra fontem. illud sic, Chrysoſt. hom. 30. exponit non in sella, nõ in loco honoratiori; sed in terra, vt contingit. Alij exponunt, id est, sic fatigatus vt erat. mihi videtur potius causã insinuare, sedebat, sic, id est, propterea sedit. videtur enim poni loco dictionis Hebrę, יָדָו, seu, יָדָו: dicitur autem supra fontem, id est prope fontem, est dictio hebręa, וְיָדָו. Fatigatus ergo erat, & propterea, iuxta fontem sedit: hoc enim est proprium iter agētium, vt cum defessi sunt, sedeant, & refrigerij causa ad fontem quiescant: hoc Dominus noster fecit.

Hora autem erat quasi sexta.

IVDAEI dies in duodecim horas, & noctes in totidem diuidebãt, vnde hora quasi sexta prope meridiem fuisse significat. Aliqui dictionẽ, autẽ, pro causali interpretãtur, vt causam hæc verba contineãt, quòd fatigatus sedit. nam multo tempore iter fecerat, & æstus solis feruebat. melius tamen legitur, si sit continuãdi dictione, & historie prosecutio: quasi dicat, & hora quasi sexta, vt causam contineat eorum, quæ sequuntur. mulier enim venit aquã haurire, & discipuli cibos emere, quia hora instabat prandij.

Venit autem mulier de Samaria haurire aquam.

PRVDENTER Dominus Samaritanã lucraturus ad fidem, opportunitatẽ captat; quando & necessitas cõtinui potus eam trahit ad fontẽ, & Christi defatigatio colloquẽdi præbet occasionem, nemoq; adstat, qui possit impedire colloquium. Felix Samaritanæ necessitas, quæ eam pertrahit ad salutem, & diues paupertas, quæ per se cogit, vt faciat, q̃ per ministros fieri solet: sed nisi fatigatus Christus sederet expectãns, nullam mulieri vtilitatem suam ad fontẽ adferret aduentus. Temporales necessitates, & indigentia, solent saluti consequendæ dare occasionẽ, quãdo diuina misericordia, vt peccatorẽ conuertat, illis vti disponit. Videtur venisse casu, sed qui omnia dispensat, mentẽ illius arcano ducebat impulsu, vt tũc veniret, quãdo fons vite Christus ibi esset præsens. Hoc exemplo videmus actiones humanas à Deo dirigi, quæ proponimus agenda ita disponente, vt plerumque aliud agentes, incidamus in ea. quorum nulla erat cogitatio. Rebecca ueniebat ad fontem, nõ vt ibi Abraham inueniret seruũ, qui vt ipsam hero suo desponderet venerat, sed vt aquã ouibus potandis hauriret, & quamuis casu venisse sit visã, disponente Deo ueniebat, & quem nesciebat, in hunc ignara incidit, Gen. 24. Venerat Rachel ad fontem, non vt futurum sponsum Iacob inueniret, sed vt paternas oues adquaret, verũ Deo suo cõsilio omnia ordinabat, Gen. 29. Et purpurissa illa, Act. 16. in sacellum, quod iuxta flumen erat, paternæ religionis gratia uenerat, de Paulo & Barnaba Apostolis prorsus nescia, & tamen salutem disponente Domino per ipsos inuenit. quæ enim salutis nostrę sunt, sepe nõ bis inscijs à Domino disponuntur. Rectè ergo Cyril. lib. 2. cap. 80. dicit Dominum fecisse admodum iacentis retia, vt passeret capiat.

Dicit ei Iesus, da mihi bibere.

Stiebat Dominus corporales. n. nostras induit passiones, & qui sine carne poterat nos saluos facere, voluit tamẽ ppter nos fieri homo; quiq; ne sitiret. impedire, & sitientẽ se, sine alterius ministerio potuit satiare, ppter mulieris salutẽ eius auxilio dignatus est indigere. Da, inquit. mihi bibere. vox est deprecãtis, & q̃ imperare potuit Angelis, vilẽ adulterã, & infidelẽ mulierẽ rogat. adeo enim hominum diligit salutem, vt quod nostra summoperẽ interest, quodque omnibus modis iubere potest, etiam precibus flagitet.

Discipu.

Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent.

Si discipuli adfuisſent, non per ſe, ſed per eos aquam petiſſet; at hi in ciuitatem, quæ prope erat, ut cibos ad manducandum emerent, abierant; ea de cauſa ipſemet aquam à muliere petit. Verba hæc cauſam exprimunt, cur mulieri dixit, da mihi bibere. *Discipuli enim abierant*, quaſi diceret, cauſa cur loqueretur cum muliere erat, quia discipuli præſentes non aderant. Humana cauſa eſt, quæ exterius apparebat, tamẽ diuina, & altior latebat ratio: nam & Dominus ipſos voluit abfuiſſe diſcipulos, ut colloquij occaſionẽ acciperet, & per id mulierem traheret ad fidem. Ieiunus autem cum eſſet, nec vlllos cibos ſumpſiſſet, bibere petijt. nõ re vera ut biberet, qui nec per multum temporis poſtea bibit, nec oblatos à diſcipulis cibos accèpit; ſed ut fermone iã ſuo, mulieris mentem inciperet illuminare. Attendẽ diſcipulos abiſſe ad emendũ non ad mendicandũ.

Dicit ergo ei mulier illa Samaritana.

ILLA particula, *Ergo*, illationem quãdam denotat, & inſinuat aliquid præter ſimplicem reſponſionẽ. Nam ſepẽ dicitur, *Dixit ei mulier, dicit ei Ieſus*, & nõ opponitur talis particula; quod argumento eſt, eam hoc loco aliquid innuere, & ita eſt. Duo enim indicat; alterum relationem ad ſuperiora verba quia mulier nihil Chriſto dixiſſet, niſi ille ab ea bibere petiſſet; quaſi dicat; cauſa quod mulier ei ſit locuta, ea eſt, quia Chriſtus bibere petijt. alterũ relationem ad ſequentia: verba enim, quæ ſequuntur, quãdam inſimulationem cõtinent, cuius cauſa eſt Chriſti petitio: ut ſit ſenſus; petijt Chriſtus bibere, & propterea mulier eũ reprehẽdere, & inſimulare eſt auſa: Nec dicitur tantũ: *Dicit illa mulier*; ſed, *illa mulier Samaritana*, quia niſi Samaritana eſſet, nõ reprehẽdiſſet; ac ſi clariũ dictũ eſſet; mulier illa, quia Samaritana erat, & quia Chriſtus ab ea bibere petijt, verba ſequentia, quæ inſimulationis ſunt, protulit. Hic eſt legitimus ſenſus; perpende autem humilitatem, & patientiam Chriſti, in vnus foeminæ pauperculæ ſalute quærenda.

Quomodo tu, Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?

ORDERANT, & contẽnebant Iudæi Samaritanos ut idololâtras, qui cũ veſto Deo idola adorarent, commerciumq; eorum abhorrebant: mulier ergo hoc exprobrat ei, contemptumq; communem ſuæ gẽtis in Chriſtum retorquet, dicens: Vos Iudæi, commercium nobiſcum refugitis omne, quomodo tu, Iudæus cũ ſis, modò petis bibere à me, quæ ſum Samaritana: intelligebat mulier non eſſe commercium, ſi parum aquæ ſitienti porrigeret, ſed hac occaſione obiicit ei Iudæorum aduerſum gentem ſuam comunẽ auerſionem; & hic eſt ſenſus legitimus.

ANNOTATIO V.

Superiora verba ſunt ne exprobratio an reprehendiſſent.

VERBA eſſe corrigentis Chryſoſt. homil. 30. exiſtimat, quaſi mulier eum correxerit, quia arbitrabatur non licuiſſe Chriſto, quem Iudæum exiſtimabat, commercium vllum cũ Samaritana habere: ac propterea corrigentis ſunt verba; Quomodo tu, cum ſis Iudæus, à me, quæ ſum Samaritana, bibere petis, faciſque quod tibi non licet? Cyrilus lib. 2. cap. 81. verba putat eſſe dubitantis, quærentiſque cauſam: Cur, cum ſit Iudæus, cũ Samaritana conuerſetur? tamen conformior

mihi videtur data expoſitio; quamuis enim dictio illa, *quomodo*, in ſcriptura vtrumque ſenſum, & alios etiam admittat; in præſenti tamen potiũs vox eſt exprobratiſ, uti diximus, & adhuc inferius magis explicabitur. Mulier autem hæc Chriſtum Iudæum nouit; tum ex loquela, tum ex habitu, ut dicit Chryſo. hom. 30. ſicut & Petrus ex loquela Galilæus agnitus eſt, Matth. 26. quamuis enim hebraicẽ omnes loquerentur, tamen ſermonis prolatio, nationes etiam eodem idiomate vtentes diſtinguit.

ſtinguit: Ex habitu, ut dicit etiam Cyril. lib. 2. cap. 80. nam Num. 15. præcepit Deus Iudæis, ut in palliorum angulis ſimbrias facerent, & hyacinthinas vittas apponerent, quas cum viderent, mandatorum Domini recordarentur: adde etiam, ut ab alijs diſtinguerentur nationibus. Vt enim animam fide, corpus circumſiſione ſic etiam exteriori habitu eos ſignauit ut ſuos. hac ergo ratione mulier nouit Chriſtum Iudæum eſſe.

Non enim contuntur Iudæi Samaritanis.

COMMENTARIVS.

NON ſunt verba Euangeliftæ, ut aliqui volunt; ſed mulieris cauſam ſue exprobrationis exponẽtis: quaſi diceret; quomodo tu Iudæus petis à Samaritana? nam vos Iudæi refugitis commercium noſtrum, non dignamini nobiſcum tractare, & propterea dicit, *Iudæi nõ contuntur Samaritanis*, quaſi dicat; vos eſtis qui nos refugitis, nos contemnitis: non autem dixit, non contuntur Samaritani Iudæis, cauſam auerſionis animi in Iudæos reiiciens. Conti autem non eſt vox Latina vſitata, idem tamẽ ſignificat, quod communicare, ſeu habere commercium.

ANNOTATIO VI.

Patres diuerſis modis ſuperiora verba intelligunt.

CHRYSOSTOMVS hom. 30. hoc propterea dictum putat, *Non contuntur Iudæi Samaritanis*, ut peccatum in Chriſtum reiiceret: quaſi ipſius ſit culpa, quod couteretur cum Samaritana, ſed expoſitio data rectior eſt: cuius argumentum id eſt, quod diſcipuli abierant in ciuitatem, ut emerent cibos, nec illi vendere, nec iſti emere reuerunt. non enim hoc commercium cenſebatur, quod neque mulier ignorabat; ſed voluit Chriſto Iudæorum arrogantiam, qua Samaritanos contemnere videbantur, exprobare, quamuis Iudæi zelo religionis id facerent: Nec exprobratione contenta, etiam aquam petitam negat. Chryſoſt. hom. 30. dubium proponit, quæ ratio ne petierit Chriſtus bibere ab ea, cum lex non permitteret: Refert ſolutionem quandam, nempe petiſſe, quia negaturam ſciebat. hanc reiicit, ideo inquit, minus petere oportebat, qui enim alios inducit ad præuaricandum, ipſe magis peccat. Reſpondet aut Chryſoſtomus, quod iam tunc huiusmodi præuaricari obſeruatiões nihil referrebat. Sed iſta ſolutio non videtur ſatisfacere: Nam lex adhuc non ceſſauerat. ſi ergo lege id erat prohibitum, referebat profecto non præuaricari eam. Cyril. lib. 2. cap. 80. exactius exponit, nempe legem ſolum prohibuiſſe tactum immundi; tamen Iudæos ſuperſtitioſos multum extendiſſe, & dilataſſe has prohibitiones, & multa miſcuiſſe ſuperſtitioſe; tale autem erat hoc; nõ ergo erat contra legem, & ita re vera eſt: Si enim contra legem eſſet aquam bibere datam à Samaritana, multò magis eſſet contra legem cibos ab illis emere. Commercia, & foedera prohibuerat Deus cum infidelibus; tamen non erat com-

mercium, ſi emerent cibum, aut acciperet potum, dum iter per eorum fines facere contingebat. Nam multi inter infideles tunc negotiorum cauſa commorabantur; tamen non erat contra legem, ſi aliquid emerent, aut acciperent ab eis. Verũ quantum ad locum præſentem ſpectat, ne hac extenſione, quam Iudæi ſuperſtitioſe fecerant, ſermo eſt; ſed quia ex odio ſingulari contra Samaritanos abſtinebant etiam à multis, in quibus, ab alijs infidelibus, non ſe ſeparabant. Summo perẽ enim Samaritanos, & contemnebant, & deteſtabantur ſuper alios omnes infideles, propter cauſas, quas ſtatim adiungemus: Chriſtus autem, & diſcipuli, qui hoc odio eos non proſequebantur, quando maximẽ ſine aliorum ſcandalo fieri poterat, hæc non curabant, ut potẽ non ex lege, ſed ex particulari, & proprio profecta odio, & obid Dominus bibere petijt; at mulier exprobrans, hunc contemptum, & horrorem Iudæorum in Samaritanos, hæc reſpondit.

ANNOTATIO VII.

SAMARITANORVM origo ex lib. 4. Reg. cap. 17. deducitur. Regio hæc antẽ captiuitatem per Regem Aſſyriæ factã, à tribubus decẽ habitabitur. Ieroboam enim primus Rex decem tribuum in Samaria ſedem collocauit; translatis autem decem tribubus, ne regio illa inculta periret, miſit Rex Aſſyriæ gentiles, qui eam colerent, & ut dicit Epiph. hæ. 8. in fine, dicebantur Chutei, & ſic vocat eos Ieſephus. Cũ autem iſti gentiles Deos patrios adoraret, veri Dei ſpreto cultu, immiſit Deus leones in eam regionem, à quibus lacerabantur incolę; eamq; ob cauſam Salmanaſar Iudæorum ſacerdotes miſit, qui eos ritum legis Moſaicæ docerent, tanquam id eſſet contra lacerantes beſtias remedium, eaque ratione plaga ceſſauit, hinc factum eſt Samaritanos illos cultum Iudæorum admiſiſſe, tamen ſimul ſuorum Deorum ſuperſtitionem retinuiſſe, ut partim Gentiles, partim Iudæi fuerint. Seducti ſunt poſtea varijs errorib; à quodam, qui à Iudæis ad ipſos tranſfugit, ut habet Epiph. hæ. 9. & Hierony. Dialog. contra Luciferianos. Hoſ etiam decepit poſtea Simon Magus Act. 8. Iſti ſimul idola, & Deum Iſrael colebant. præterea receperunt tantũ quinq; libros Moyſis, ut dicit Origenes tom. 4. in Ioannem, circumſione vtentur, Meſſiam expectabant, quæ Moyſes docuit: cum hiſ tamen, & ritus gentium exercebant: propterea Samaritani ſicuti inter nos hæretici reputa-

Auſtoris ſententia.

reputabantur à Iudæis, adeo vt Iudæi in aliquem conuicium iactare volentes, Samaritanum appellare soliti essent, vt aorat Hieron. Epist. ad Algas. quæst. 7. & ex scriptura patet nam conuicij causa Christum vocarunt Samaritanum, eratque summum inter eos odium. Eo etiam factum est, vt quâdo Iudæis permisum fuit reedificare templum, noluerint Samaritanos, tanquam Ethnicos admittere in consortium. Quamuis autem ex vtraque parte esset mutuum odium, tamen Iudæi præcipuè auerfabantur Samaritanos, eosque despiciebant, vt transgressores legis, & idololâtras.

Ob quas causas Iudæi de Samaritanis dignabantur
Fuerunt autem multæ causæ, cur Iudæi tanto Samaritanos odio prosequerentur: Prima, quia oriundi erant ab Assyrijs, à quibus durissima seruitute oppressi fuerant. Secunda, quia Samaritani possidebant regionem ad Iudæorum hæreditatem pertinentem. Tertia, quia Samaritani Deos alienos colebant, & ceremonijs Moyseis gentium ritus miscebant. Quarta, quia solis quinque libris Moysis receptis, cæteros reijciebant. Quinta, quia postquam Iudæi reedificare cœperunt templum, Samaritani nõ admissi ab eis ad ædificiũ, omni vi conati sunt illud opus impedire, vt habetur lib. 1. Eldr. cap. 4. Sexta, quia sacrificabant extra templum in môtè Garisim, vbi etiam ædificauerant templum, & sacerdotes instituerant, & sacrificia, vt refert Iosephus lib. 11. Anti. c. 7. & 8. vnde extitit inter eos & de templi præstantia disceptatio; adeo vt delata fuerit ad regem Aegypti, qui adiudicauit sententiam Iudæis vt refert Iosephus lib. 13. Antiquit. cap. 4. quæ cõtentio etiam tẽpore Christi perseverabat. Septima, quia erant scandalum quoddam Iudæis: nam quicumque ob vio-

lationem legis Moysæ, aut propter alia flagitia non poterant tũd in Iudæa viuere, transfugebant ad Samaritanos: & hac fiducia audacius legem violabant, vt refert Ioseph. lib. 11. Antiquitat. Octaua, quia modò Iudæos, modò Assyrios se esse profitebantur: quando enim erant res Iudæorum prosperæ, Iudæos se esse fatebantur. Vnde, vt refert Ioseph. lib. 11. Antiqui cap. vltimo, cum viderent Alexandrum Magnum beneficentia vti erga Iudæos, se esse Iudæos dixerunt: at è contrariò, quando Antiochus Epiphanes Iudæos insectabatur, atque eorum legem, & religionem delere conabatur, se Iudæos negarunt, vt idem Ioseph. lib. 12. Antiquit. perhibet. His de causis Iudæi summo odio Samaritanos prosequabantur; & tamen, vt diuina virtus, & misericordia splendeat, Christus adueniens magis istis, quàm Iudæis acceptus fuit. Biduo enim magnam eorum multitudinem conuertit miraculo vnus scõminis Samaritanæ, & solo verbo: præterea cum decem leprosos mundassèt, vnus gratus inuentus est, & hic erat Samaritanus. Rursus in illa parabola incidentis in latrones, Samaritanus erat, qui misericordiam fecit cum illo. Primo anno post passionem Domini Philippo prædicante, conuersa est Samaria, & recepit verbum Dei tantiq; sunt æstimati, vt Petrus & Ioannes ad eos confirmandos venerint Act. 8. vt qui longè erant, Prius accesserint ad Christum, quàm, qui propè, & qui peiores erant, meliores multo facti sint, vt gratia, & Dei virtus cognoscatur. Hinc patet verborum sensus, Non contumetur Iudæi Samaritanis; propter causas enim prædictas non erat commercium inter eos, sed ista scõmina plus æ quo rigida, etiam aquæ modicum sitienti porrigere, commercium reputabat.

Respondit Iesus, & dixi ei, si scires donũ Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.

COMMENTARIUS.

RESPONSIONIS sensus hic est, Si scires donum Dei, nempe filium propriũ datum à Deo, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: & est cum articulo, donum illud insigne, & magnificum. Et rursum si simul scires, qui sum ego, qui peto à te aquam ad bibendum, nempe me esse Dei filium, qui veni, vt omnis, qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam; profectò tu potius à me peteres, & ego nõ negarem vt tu negasti mihi; sed darem tibi aquam perfectiorem, nempe aquam viuam. Hæc verba deductionem quandam, & consecutionem habent; nimirum; si hæc duo intelligeres, tu peteres ab eo; & rursus, si peteres ab eo ille daret tibi aquam viuam: sunt igitur duæ consecutiones, & vtraque est explicanda. Prior cõtinetur duo; si scires donum Dei, & simul quis est, qui dicit tibi; ex his duobus sequitur; tu peteres ab eo, sic autem declaratur. Si mulier nouisset donum Dei, suum filium dantis, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam; Christum autem non nouisset; quis esset, non petiisset ab eo quicquam. Nã etiam si illud nouisset; tamẽ Christum non cognoscēs, sed arbitrans Iudæũ esse, non erat cur aquam viuam ab eo petiisset; è cõtrario autem, si nouisset Christũ esse filiũ Dei, tamẽ non nouisset datũ à Deo, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam; nõ esset adhuc causa petere aquam viuam;

Uno proponitur Samaritanæ cognitiuæ necessaria vt aquam viuam peteret.

viuam: sicut nec in die iudicij mali Christum videntes, & quis esset cognoscentes, petent; at si vtrunque cognouisset, Christũ scilicet filium Dei esse, & rursus venisse, vt omnis, qui credit in eum, nõ pereat, sed vitam habeat æternam, nõ vt iudicem, sed vt saluatorem: tunc petiisset profectò salutem. Vt si quis infirmus cognosceret aliquem esse medicinæ peritum, simul etiam exercere officium medici; profectò peteret sanari ab eo. Attende præterea, si donum Dei hoc cognosceret datum, nõ vt Iudæus solum, sed vt omnis homo etiam infidelis Gentilis, & Samaritanus, qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam; sciret etiam omnem hominem periculo, & damnationi æternæ mortis subiectum, & propterea donum hoc esse à Deo datum; rectè sequitur quod peteret sibi salutem à Christo, qui est is, qui datus est, & venit, vt omnis saluetur per ipsum.

Et supradicta uosset Samaritanæ, peteret & acciperet Spiritum Dei.

Hinc sequitur declaratio posterioris consecutionis; Si petiisset, ille daret, quia non venit, vt iudicet mundũ, sed vt saluet, nõ vt mortificet, sed vt uiuificet. Aqua uiua spiritum sanctum significat; qui per Christum dandus erat credentibus in eum, quod inferius Ioan. 7. exponitur, Qui credit, inquit, in me, flumina aquæ uiuæ de ventre eius fluent. hoc autem dixit de spiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum. Breuiter ergo sensus est; Si fide perciperes, me esse Dei filium, qui venit, vt omnes saluem, qui in mortis sunt dãnatione, tu peteres à me salutem, & daretur tibi. Illa particula, *forsitan*, Græcè est, *ἄν*, & est affirmatiua, Latinè utique, & habetur in vtroque loco, utique petiisset, & utique daret: at interpres in vno loco vertit, & per modum dubitantis, *forsitan*, vt liberum arbitrium hominis significaret, quod ita petit, vt possit non petere: & ad exprimendam promptitudinem ex parte Dei dantis, remouit dubitationem. Sed hæc ad textum non pertinent.

Connexio autem huius sententiæ cum præcedentibus est consideranda. Samaritana prætexens Iudæorum in Samaritanos detestationem & auersionem, aquam Christo negauit, cui Christus appositè respõdet, Si intelligeres iam non esse istam separationem Iudæorum, & Samaritanorum, & Gentilium; sed vnum communem redemptorem, & saluatorem, in quo nec est distinctio Iudæi, & Samaritani, & Gentilis, sed omnes in vna fide, & religione iam sunt consociati: non prætexeres profectò causam hanc, quod Iudæi non communicant Samaritanis; immo tu ipsa à me, quem Iudæum appellasti, & verè secundum carnem sum, peteres, nec communicare refugeres. Ego autem quia saluator omnium sum, & neminem excludo siue Iudæum, siue Samaritanum, darem tibi aquam viuam, quam peteres, si me cognosceres: nec facerem sicut tu, quẽ negasti propter hæc Iudæorum, & Samaritanorum distinctionem. Hæc nondum percipiebat Samaritana perfectè, tamẽ verborum magnitudine alliciebatur ad fidem, & ad maiora de Christo concipienda, quàm prius conceperat, quam Iudæum, vt vnum ex cæteris, reputauerat. Loquitur autem de se in tertia persona, quia linguæ hebræe phrasim est, & habet etiam admixtam modestiam, & grauitatem talis locutio. hic sensus literalis legitimus est

ANNOTATIO IIX.

Paruè interpretationes adduntur.

QVAMVIS expositionem in commentario explicatam legitimam esse exitimẽ, tamen alias doctorum illustrium expositiones nõ narrare prætermittã, si fortè lectori aliqua earum magis placeat. Aug. tract. 15. Ioan. hoc donum, Spiritum Sanctum interpretatur, vt sit lenius; Si scires Deum tam magnum donũ hominibus præparasse, qualis est Spiritus sanctus, & scires me esse, per quem hoc donum communicandum est; tu ab eo petiisses, & dedisset tibi illud donum. Hęc expositio est etiã Magni Athan. li. de incarn. Christi Cyril. li. 2. c. 82. Per donũ hoc, ipsa dona spiritus sancti intelligit, ac si dicat, Si scires magnitudinẽ donorũ, quæ præparauit Deus hominibus, & me esse datorẽ, tu petisses, & dedisset tibi talia dona. Mihi magis probatur nostra expositio: nã, si per donum, aut Spiritum sanctum, aut dona eius exponamus, hic sensus nõ coheret rectè sequentibus verbis. nã dicitur; daret tibi aquam viuam, quam certè distinctam esse indicat, ab hoc dono Dei, aliàs enim dixisset, dedisset tibi donũ hoc. Non ergo Spiritus sanctus intelligitur per hoc donũ, de quo dicitur; *Si scires donum Dei*; neque gratia seu dona ipsius: in vtraque enim expositione aqua uiua & donũ hoc, vnum & idem si-

dem significant, cum tamen aliud donum, aliud aqua hæc significare videantur. Sensus ergo est; *Si scires donum Dei*, nempe filium Dei datum à Patre, ut omnis qui credit &c. & simul scires me esse hoc donum, peteres à me, & ego darem tibi aquam viuam, nempe Spiritum sanctum, per quem vitam haberes. Præterea, quamuis Spiritus sanctus sit donum datum hominibus, est tamen donum ex dono; nam nisi datus esset filius, nec datus esset Spiritus sanctus. Dominus ergo potius de dono hoc primo, & radice omnium donorum loquitur infideli mulieri; prior enim est articulus hic, & causa alterius. Confirmo ex illo Ioan. 7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aqua viua; hoc autem dixit de Spiritu, quæ accepturi erant credentes in eum. Illud, *Qui credit in me*, dicitur nunc, *Si scires donum Dei*. &c. id est, si crederes in me; hoc autem est credere vni-genitum datum à Patre, & Christum esse illum vni-genitum; statim sequeretur donatio Spiritus sancti, qui est hæc aqua viua. Aliqui nostræ ætatis auctores per hoc donum exponunt beneficium, quo Dominus afficiebat ipsam Samaritanam, quod eam ad se conuerteret, & eam ad fidem dignaretur attrahere. sed hæc expositio non videtur ad rem facere, Christum autem donum esse nemo dubitat. datus enim gratiæ est, à Patre pro nostra salute. Ioan. 3. Ut filium suum vni-genitum daret. Isa. 7. Nobis natus, nobis datus. nat^o nobis vt homo, datus vt Deus, quando enim filium dedit in carne, nobis donauit: Spiritus sancti autem donum est nobis datum ratione gratiæ, & aliorum donorum: tamen particulari quadam ratione dicitur donum, quia à Patre & Filio voluntate, & amore procedit; de qua re non est hic locus proprius tractandi.

ANNOTATIO IX.

Quid nomine aquæ viuæ sit intelligendum.

NON conuenit inter antiquos Patres in expositione huius aquæ viuæ. Sunt enim in quatuor sententias diuisi. Prima est Cypria. Epist. 63. & Ambro. ser. 31. hanc aquam viuam baptismi aquam interpretantium, quæ aqua virtutem habet animas vitæ restituendi. quam expositione Aug. li. 2. cõtra Crescon. Gramm. cap. 13. & 14. illud Ioan. 7. Flumina aquæ viuæ de ventre eius fluent, edisserens, tacitis eius auctoribus non recipit. Vtitur autem August. argumento hoc. Quia non omnes, qui baptismum recipiunt, viuificantur: baptismus enim ab aliquibus malè accipitur, nec eo viuificantur; at hanc, quam Christus promittit, aquam viuam, nemo accipit, qui nõ viuificetur. quid quid sit de argumento, expositio non videtur accommodata huic loco. nam si Samaritana tunc sciuisset donum Dei, & quis esset, qui secum loquebatur, utique aquam viuam accepisset, nec tamen baptizata tunc esset. Non nego baptismum esse aquam viuam, qui viuificandi vim habet eos, qui, vt oportet, eum recipiunt. sed de hoc non est sermo præsens. Secunda expositio est Origenis tomo 13. in Ioan. & Basilius hom. in Psal. 28. & Theodoret. in Psal. 1. qui hanc aquam viuam, sacram doctrinam

interpretantur, quæ in Euangelio continentur: quam expositionem eodem argumento posset Augustinus refutare, quia multi sacra doctrina imbuti peccatis mortui sunt. Quo non obstante, verum est in scriptura sacra hæc doctrinam aquam salutis appellari: Eccl. 15. Aqua sapientiæ saluari potauit eum. At neq; hæc expositio accommodata satis huic loco videtur. nam scientiam hanc habenti, promittitur aqua viua. *Si scires*, inquit, *daret tibi aquam viuam*, distinguitur ergo aqua hæc à scientia, & cognitione. Tertia expositio est Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 82. & 85. qui gratiam Spiritus sancti, quæ animæ viuificantur, hanc viuam aquam esse affirmat. quæ expositio, non videtur plenè explicare totum contextum, in quo de aqua hac fit sermo, nec magnitudinem promissionis, nec gratiæ virtutem, & efficaciam: non tamen in totum rei jcienda expositio est, vt paulo inferius declarabitur. Est ergo quarta expositio. Athana. lib. de incarna. Christi. Basil. hom. in Psal. 45. in illud, Fluminis in petrus lætificat. Chryso. hom. 30. Hieron. in illud Isa. 55. Sitientes venite ad aquas. & Aug. tract. 15. in Ioan. qui hanc viuam aquam ipsam Spiritum sanctum interpretantur, quæ etiam expositio est Ambro. lib. 1. de Spiritu sancto c. 19. & 30.

In huius difficultatis resolutionem, verba hæc, & sequentia sunt consideranda. Dicitur enim, *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. aquæ ergo sunt duæ, Prior quæ viua dicitur, & quam daturum se Christus promittit, & hæc fit in eo, qui accipit fons. Altera est aqua, quæ ab hac aqua, & fonte emanat, & salit in vitam æternam. Aqua ergo viua, quæ fons fit in accipiente Spiritus sancti est; aqua verò, quæ à fonte hoc fluit & emanat, significat gratiam, & dona Spiritus sancti, quæ participatio quædam sunt ipsius, ideoque aquæ etiam & viuæ dicuntur. Hæc duo distinguit Paulus Rom. 5. Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Charitas*, inquit, *diffusa est*, hæc est aqua manas & fluens, *Per Spiritum sanctum, qui datus est*, hic est fons aquæ viuæ. Similiter etiam Ioan. 7. *Flumina aquæ viuæ fluent*, aqua hæc viua Spiritus sanctus est: subiungitur enim hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant. rursus *Flumina*, hæc sunt gratia, hæc dona Spiritus Sancti, & sic Athana. 99. ad Antiochum, q. 113. per flumina, dona interpretatus est Spiritus sancti, simul ergo complectamur tertiam & quartam expositionem, & sensus perfectus erit. Aqua enim hæc viua, Spiritus sanctus est, qui fit in accipientibus fons aquæ, nempe gratiæ, & donorum, ac virtutum mirabilium. Vnde Ambro. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 19. & 20. vtramque visus est coniungere: nam modò Spiritum sanctum, modò gratiam, interpretatur hanc aquam. Nõ solù ergo hæc expositio accommodatur hisce verbis, sed perfectè significat magnitudinè promissionis, & huius aquæ excellentiam. datur enim ipsemet Spiritus sanctus, qui inhabitat, & manet in ipsis credentibus. Rursus

Auctor reseruit dubium

etiam conuenit cum multis scripturis, in quibus Spiritus sanctus aquæ effusæ comparatur. Ioel. 2. Effundam de Spiritu meo Tit. 3. Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Item est proprior similitudo; nam vt aqua lauat fordes corporis, tanquam efficiens causa, & munditiem tanquam formam inducit; sic Spiritus sanctus lauat animas, efficitq; in eis munditiæ, quæ eius gratia est. Concludamus ergo aquam hanc viuam, de aqua hic in propositis verbis loquitur, esse Spiritum sanctum. Hæc enim vt sequentibus verbis dicitur, fit in accipientibus fons gratiæ & donorum, quæ etiam aquæ dicuntur, quia participatio quædam sunt Spiritus sancti, & per ea homo spiritalis efficitur. Duæ ergo sunt aquæ; Altera Spiritus sanctus ipse, qui & aqua, & fons aquæ dicitur: Altera est gratia & effectus Spiritus sancti, quibus anima munda, decora, & spiritalis efficitur: & vtriusque fit mentio in hoc colloquio. Aqua autem viua promissa in præsentia sententia, ipse est Spiritus sanctus, qui fons & principium est gratiarum omnium. Quare autem aqua, & viua dictus fit, in annotatione sequenti exponitur.

ANNOTATIO X.

Tres similitudines aquæ cum Spiritu sancto

POSTEA quàm aquam viuam Spiritum sanctum esse ostendimus, cur aquæ illique viuæ comparetur declarandum est. Aquæ confertur propter tres similitudines, quarum prima est: Sicut aqua fordes & maculas corporum eluit; sic Spiritus sanctus fordes animarum, quæ sunt peccata, & multo magis animas maculant & deformant, quàm quæcunque fordes, aut maculæ corpora. De hac lotio ne dicitur Isa. 4. Si abluerit Dominus fordes filiarum Syon, & sanguinem Hierusalem lauerit de medio eius, in Spiritu iudicij & ardoris. vbi Basil. & Hier. hunc Spiritum, interpretantur Spiritum S. iuxta illud Luc. 3. Baptizabit vos in Spiritu sancto & igne.

Prima similitudinis quatuor sunt à se similitudines.

Ne quis tamen existimet esse perfectam similitudinem, nosse oportet in hac abluitione quatuor differentias esse inter abluitionem, quæ fit a aqua, & eam, quæ fit Spiritu sancto. Prima est, aqua ita lauat corpora, vt fordes, ac maculas tantum auferat; non tamen ipsis corporibus nouam aliquam munditiem imprimat præter eam, quam in seipsis habebant: Sit exemplum; lauatur vas terreum sordidum, aqua fordes auferat: at vas terreum in suamet terrea munditie manet. Non sic Spiritus sanctus lauat animas: postea verò quam peccata, & ipsorum fordes eluit, manet anima in sua munditie naturali à peccatis munda, sed vltra hanc, imprimit munditiem quandam multo præstantiorem ea, quæ prius erat: nam infundit gratiam, quæ est participatio quædam diuinitatis, per quam, vt dicitur 2. Pet. 1. Efficitur homo diuinæ confors naturæ. Velut si aqua non solùm fordes à vase terreo remoueret, sed simul inauraret. hoc significat illis verbis Psal. 50. Lauabis me, & super niuè dealabor. quid est super niuem de-

albari? quid enim niue candidius est? utique significat supra naturalem munditiæ animas accipere à Spiritu sancto candorè multo maiorem, & perfectiorem, ac puriorem niuè. Secunda differentia est, aqua quidem lauat corpus, sed non efficit pulchrum, & decorum: Si enim homo deformis est, quantumcunq; lauetur, mundari quidem potest, sed non decorari, ac pulcher fieri; at Spiritus sanctus ita lauat animas, vt pulchras ac nitidas efficiat. Sunt quidem animæ in sua substantia pulchræ; & cunctis visibilibus pulchriores; at pulchritudo à Spiritu sancto indita, multò maior est, quàm tota pulchritudo earum naturalis, tantaq; est vt à Deo admetur, iuxta illud Psal. 4. Concupiuit Rex speciem tuam, quod Hieronymus de spiritali animarum pulchritudine, quæ per gratiã Spiritus sancti fit, exponit. De hac gemina venustate, nempe naturali, & quæ à Spiritu sancto confertur, intelligitur illud Cant. 1. Ecce pulchra es amica mea; ecce tu pulchra. bis pulchra dicitur; quia anima in sua substantia pulchra, multò maiorem à Spiritu sancto accipit pulchritudinè. Tertia differentia est: Aqua lauat, sed corrumpit, debilitat, destruit, & consumit. Videmus enim vestes, dum abluuntur, mundari quidè, sed consumi. aquæ enim qualitates corruptiuæ sunt: at Spiritus Sanctus non sic se habet, sed lauat & roborat animas, maioresq; vires accedunt, quo magis lauantur: quod Paulus sentiens Philip. 4. dixit, Omnia possum in eo, qui me confortat. Quarta differentia est, aqua lauat, sed non manet in corpore loto, sed recedit vana cum sordibus; at Spiritus sanctus lauat animas, & permanet. Ioan. 14. de Spiritu sancto dicitur; Apud vos manebit, & in vobis erit: Est autè mirabilis modus, quo Spiritus sanctus est in his, quos ipse lauat. Non enim est tantum præsentiam quandam, sicuti Deus dicitur esse in omnibus; sed per quandam veluti vniõnè, & assistentiam, quæ in hoc seculo cognosci perfectè non potest, iuxta quam dicitur habitare in homine, & hominem templum esse Spiritus sancti. 1. Corin. 6. vt quod magis est. opera hominis ei tribuantur. Matth. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. & Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis. & 1. Thessa. 2. Qui operatur in vobis, qui credidistis. Lauat ergo Spiritus sanctus animas, & in hoc similitudinè habet cum aqua, quæ lauat corpora; sed in ea similitudine prædictæ quatuor differentiarum obseruantur.

Secunda similitudo, propter quam aquæ comparatur, ea est, quia sicut aqua fecundam facit terram, & arbores: easq; facit fructificas; sic Spiritus sanctus facit fecundas animas, vt fructificent. de hisce fructibus Spiritus sancti, habetur Gala. 5. Fructus, inquit, spiritus est: caritas, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, &c. Est item similitudo: vt enim aqua multiplices fructus efficit, sic & Spiritus sanctus. 1. Corin. 12. Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem Spiritus; & rursus, Hæc omnia operatur vnus atque idem spi-

dem Spiritus, diuidens singulis. Adhæc vt aqua vna varijs plantis, herbis, cæterisque inferuit, diuerfos fructus, multiplices flores, coloribus, & odoribus, & figuris iuxta cuiusque naturam distinctos efficit; sic Spiritus sanctus miro modo diuersis, & aliquando contrarijs complexionibus, & cõditionibus hominum naturalibus se accommodat. Sunt enim homines aliqui vehementes, aliqui temperati, alij solitudini dediti, alij conuersationem hominum amantes, alij seueri, alij placidi, milleq; modis differentes, & tamen omnes iusti, & sancti, eodemque ducti, & nutriti sunt Spiritu sancto.

Aduerte tamen, in hac similitudine, esse quoque quatuor differentias. Prima est, aqua siccis arbores reuiuiscere nõ facit, nec sterilem terram fœcundat; at Spiritus sanctus animas mortuas peccato, vitæ reddit, impartiturq; vitam quandam cælestem & diuinam, perfectio rem ad ea, qua naturaliter viuunt, de qua vita dicitur Coloss. 3. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. & Galat. 2. Viuo ego iam non ego, viuunt autem in me Christum. Est autem superior & excellentior vita hæc naturali vita, qua viuunt anima, cum sit alterius ordinis superioris. Hanc autem vitam Spiritum sanctum efficere docet Dominus Ioan. 6. Spiritus est, qui viuificat: & in symbolo confitemur, Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem. Facit etiam idem Spiritus animas fœcundas, ferentes copiosum fructum vitæ æternæ. Ioan. 15. Qui manet in me, hic fert fructum multum. Secunda differentia est. Aqua fœcundat terram, & arbores, & cætera ad fructus producendos, ad quos earum virtus naturalis se extendit. Vitem enim vt faciat uvas, sic vt producat ficus, & sic in singulis: at Spiritus sanctus animam fœcundat, vt faciat fructus supra totam suam virtutem naturalem. Nec enim intellectus credere, nec voluntas Deum, vt oportet diligere, nec homo virtutum actus perficere, nec virtus humana opera ea quæ miracula dicuntur efficere possent, nisi Spiritus sanctus fœcundaret. 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Tertia differentia est. Aqua non mutat fructus arborum; nec enim facit arborem producentem fructus malos & lechiferos, ferre bonos & saluriferos; nec si aqua est fructuum amarorum, fructus dulces profert. At Spiritus sanctus hanc miram efficit mutationem; vt qui prius fructificabant morti, vt dicitur Rom. 7. fructificent Deo: & qui prius opera digna æterna poena faciebant, postea digna æterna vita faciunt: et qui prius ambitiosi, auari, superbi, et moribus efferti vivebant. euadant humiles, liberales, mansueti, cæterisque virtutibus insignes, mutenturq; in alios viros: quam mutationem prædixit Ista cap. 15. Vitulus, inquit et vsus palcentur simul, & cartuli leonum requiescēt, & leo vt bos comedet paleas, quem locum Eulebi. lib. 7. de demonst. Euang. cap. 9. de gentium moribus efferis, in alios longè contrarios, eosq; optimos per Euangelium conuersis exponit. Quam mirabi-

lem mutationem Orige. lib. 2. contra Celsum, affirmat, vnum esse ex potissimis argumentis nostram religionem esse veram, & à Spiritu sancto datam probantibus. Quarta differentia est. Aqua fructus edere facit arbores, non solum ijs naturales, sed etiam limitatius, nimirum singulas singulos. Ficus enim ficus, & vitis uvas, & cætera hõs, aut illos fructus ferunt. At Spiritus sanctus singulas animas innumeros ferre fructus facit. implet enim vnam hominis animam multis donis, virtutibus, & gratijs, ex quibus opera & actus varij, & differentes inter sese, omnes tamen egregij & diuini procedunt. Spiritus sanctus ergo aquæ similitudinem habet in eo, quod fœcundat. in hac tamen fœcunditate quatuor vti diximus existunt discrimina.

Tertia tandem similitudo; propter quam Spiritus sanctus aquæ confertur; ea est; quod aqua extinguat sitim: similiter & Spiritus sanctus. hoc tamen paulo inferius explicabitur, vbi sedandæ sitis sit expressa mētio à Domino. Hac autem omnia accommodantur gratiæ à Spiritu sancto emananti: ipsa enim etiam aquæ similitudinem habet, sed secundario, cum per eam Spiritus sanctus efficiat omnia, quæ dicta sunt.

ANNOTATIO XI.

CVR autem Spiritus sanctus viua aqua dicitur sit, superest exponendum. Sunt autem huius tres causæ. Prima, quia vitam habet in se ipso, qua viuunt, immò ipsa vita diuina est: viuunt enim eum Patre, & Filio, & omnes tres vna & eadem vita sunt, sicut vna essentia, & substantia. Altera est ab effectu, quia vitæ auctor est: ipse nanque viuificat animas nostras, quæ peccato mortuæ erant: ipse etiam viuificabit corpora nostra mortalia. Roma. 8. Viuificabit mortalia corpora nostra, propter spiritum eius inhabitantem in nobis. Hæ duæ causæ sunt, propter quas Spiritus sanctus viuus, & vita dicitur: at non propter quas viua aquæ confertur. Nam non omne quod viuunt, aquæ viua simile est. ideirco adiungitur tertia causa, quæ sumitur ex August. tract. 15. in Ioan. vbi aquam viua eam appellari dicit, quæ ita fluit, vt suo sit coniuncta principio, a quo ortum habet: aquam autem mortuam vocari quæ diuisa, & interrupta est à suo fonte. iuxta hoc Spiritus sanctus aquæ viua rectè comparatur. ita enim in animas fidelium descendit, vt à suo principio nunquam seiungatur, cum maneat, à Patre & filio procedens, in vnitatem eiusdem naturæ, & substantiæ nunquam diuisus: sicque nobiscum vnitur, vt nihilominus apud Patrem, & Filium perpetuò perseueret.

Possimus etiam gratiam ipsam Spiritus sancti, sicut aquæ, ita & viua conferre, nõ quod ipsa sit in se viuens, cum non sit substantia per se subsistens ied quid animæ inhærens: non quod viuificet, quasi auctor, & causa vitæ; sed quia est velut forma ipsa, quæ viuuntur secundum spiritum. hac ratione Cyrillus li. 2. cap. 82. gratiam spiritus viua appellat, quasi viuificantem. Et quia suo etiam principio est coniu-

De tertia
similitudine
que cum
spiritu sancto

Spiritus
est in
vna causa
vna aqua
dicitur.

Gratia est
spiritus
sicut viua
quæ, completur.

coniuncta, nosque coniunctos efficit. pendet enim semper à Spiritu sancto, & per eam Spiritus in nobis inhabitat, & nobiscum vnitur, & nos coniungimur ipsi. 1. Corint. 6. Membra vestra templum Spiritus sancti. Non solum nos gratia coniungit Spiritui sancto, qui est bonorum spiritualium & gratuitorum principium, vt dicunt, appropriationis, sed toti

Trinitati, quæ est principium efficiens. Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: & Christo ipsi Deo & homini, qui principium est meritorium, qui sua morte, & passione Patri nos conciliauit, & gratificauit. 1. Cor. 12. Vos estis corpus Christi. Gratia ergo viua aquæ similis est.

Dicit ei Mulier, Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam.

COMMENTARIVS.

NON intellexit verbum Christi mulier; nam aquam viuam, quæ Christus promittebat, esse materialem de terra emanantem arbitrabatur, id eò obiecit; puteus hic profundus est, nec habes in quo haurias; vnde ergo habes aquam hanc viuam? id est, ex hoc puteo ista aqua esse non potest, quia profundus est, & non habes, quo haurias; alius ergo locus est, vbi hanc aquam te habere oportet, dic vnde hauries, & manifesta hunc locum. Quæuis mulier verbu Christi nõ intellexerit, tamẽ affectus eius iã mutabatur, & intellectus illuminabatur, diuinaque virtus paulatim, & suauiter operabatur. Quæ enim Iudæum vocauerat, cuiq; veluti insultauerat, iam Dominum vocat, nec verbum contemnit irridendo, præsertim cum aquam ab ea prius petijisset; aut reiiciendo, vt incredibile, sed dubitando, & ignorando opponit. Vnde habes aquam hæc, quia non video quomodo de hoc puteo tu possis haurire. Non intulit ergo nõ habes aquam, sed intulit, vnde habes ergo aquam? & hæc illatio continet duas enūciationes; prior est illatiua, ac sic dixisset: Ergo ex alio loco, vel aliunde necesse est te habere aquam hanc: altera est interrogatio quædam, quasi diceret; Quis locus hic est? totum hoc vna connexiuit sententia; vnde habes ergo aquam?

Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

DVo obiecit mulier verbis Christi aquam viuam promittētis: vñ de loco, vnde eã haberet, quia de illo puteo haurire non poterat, q̄ præcedētib; verbis fecit; alterum his verbis proponit, & sensus est; Si tu habes aquam hanc viuam, quæ promittis, maior es quã Iacob: nã hic dedit nobis puteum hunc: nec meliorem aquam habuisse eum credibile est, cum ipsemet de hac biberit, & filij eius, & pecora; si habuisset meliorem, nõ vtique ipse, & filij bibissent de hac aqua: Si tu ergo habes aquam hanc viuam, maior es quã Iacob. Hæc verba non protulit affirmatiuè, quia difficile ei videbatur, quæ Iudæum vñ ex cæteris opinata est, præponere Iacob ipsi nec tamen inficiando protulit dicēs; Tu nõ es maior; sed vsa est interrogatione. Iã enim lumine diuino tacta, maiorem de Christo incipiebat opinionem cõcipere, quàm prius habebat. Sed dicit aliquis, vnde infert hæc verba: *Nunquid tu maior es?* Respondeo; Christus dum dixit, *Tu petijisses, & ille daret tibi aquam viuam*, significauit aquam suam esse, multo perfectiorem, quàm illa erat: nisi enim perfectior esset, non esset dictu; *Tu petijisses*; nam mulier abundantem ex eo puteo aquam habebat, nec erat, cur peteret, nisi aquam illam promissam, multo præstantiorem intelligeret: propterea facta obiectione de loco, quia hæc aqua nec ex illo, nec ex alio puteo hauriri posse videbatur; alteram erga personam promittentẽ facit obiectionem, quia esset tunc maior, quàm Iacob; vt sit integer sensus; Nec scio vnde habeas, nec qua ratione habere possis intelligo: Nam si haberes, esset profectò tu maior quàm Iacob, qd̄ credibile non videtur; nõ ergo aquam hanc viuam dare potes. hæc mulier absolutè non protulit, sed interrogatione, & dubitatione vsa est, quia etsi difficile, tamen non impossibile iudicauit. q̄

Samaritana
quàm se
dicens
gessit.

Quorsum Sa-
maritana Ia-
cob patrem
etiam suum
dicat.

sanè iam lumen diuinum efficiebat in eius mentè. Attende rursus mulieris prudentiam, quia rem non impossibilem iudicabat, spe quadam iam impulsa aquam hanc habendi, Iudæam se quodam modo profitetur; hac ratione Christū, vt ei aquā daret, inducens. Iacob enim patrē quoq; suum vocat, quasi diceret; ego etiam sum Iudæa, vt tu, & ambo communem habemus patrē, & cui exprobrauerat prius, *Tu Iudæus cum sis*, eum iam reueretur, & se eodem nomine nobilitat. iam enim sp̄e, lumine affecta diuino concipiebat, sed imperfectè, citò in magnam fidem, spem, & charitatem à Christo extollenda. Cyril. lib. 2. cap. 84. verba connectit, vt prioribus verbis existimauerit Christum magicis artibus aquam ex puteo sine hydria extracturum; hanc tamē opinionem posterioribus his verbis correxit: tamen sensus hic difficile ac commodatur, idcirco expositio allata probabilior est.

Respondit Iesus, & dixit ei, omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

COGNOUIT mulier ex Christi verbis, aquam ab eo promissam excellentiorem esse ea, quam ipsa ex puteo hauriebat; excellentiā tamen, & præstantiam eius nōdum perfectè assequabatur; elementarem enim aquam esse existimabat, & nondum certa omninò erat, Christum aquam, quam promittebat, dare posse. Prosequitur ergo Christus in his duobus mentem illius illustrare. Hoc posterius efficit verbo assertionis geminato, nēpe, *Aqua, quam ego dabo ei, & iterum, Aqua, quam ego dabo ei*, quasi diceret, ne dubites, o mulier, me hanc habere, & dare posse aquā, ego dabo, in mea est potestate, mihiq; eā dare incumbit. Prius autem facit discrimen magnum inter has aquas assignando, quod quidem est triplex. Primum verba proposita continēt, quorū sensus est: Aqua putei huius nō extinguit perfectè sitim: nam qui eam bibit, eū sitire iterum necesse est; aqua verò, quā ego dabo, & quā ego promisi tibi, sitim aufert omnem; nam qui eam biberit, non sitiet in æternum. Perpende Christi artificium, allicit enim mulierem ad credendam, desiderandam, & petendam aquam promissam, per hoc, quod sitim expellit in æternum, vt mulier, quæ quotidiano labore hauriendi aquā putei, propter sitim frequentem, premebatur; spe à tanto onere se liberandi, facilem se ad credendum, & quærendum, quod promittebatur, exhiberet. Hoc est vnum discrimen, quo aqua à Christo promissæ præstantia declaratur, quoque eam non materialem, elementarē esse insinuatur. taciteq; Christus se maiorem, quàm Iacob significat. mulierique consentit dicenti, es tu maior quàm Iacob? Aqua hæc sitim in æternum extinguens, Spiritus sanctus est credentibus in Christum datus, qui omnē sitim & animæ, & corporis aufert, vt in annotatione sequenti explicatur.

ANNOTATIO XII.

Quomodo ve-
rum sit, quod
non sitiet in
æternum, qui
bibit ex hac
Christi aqua.

EXPLICATIONE indiget, quod dicitur, aquam hanc, nempe Spiritum sanctū, sitim in æternum extinguere: id enim annotatione decima promissimus in hoc loco tractandum. Aduertendum igitur est, sitim duplicem esse; alteram, quæ corporis est, & aqua materiali sedatur; alteram, quæ est animæ: desideria enim & concupiscentiæ, sitis quædam sunt. Si loquamur de siti corporis, est quædam similitudo aquæ naturalis, cum aqua viua Spiritus sancti, qui etiam, sicut & aqua elementaris, solet corporis extinguere sitim, immò & famem. Legimus enim, & audiimus nonnullos viros hoc spiritu plenos, ita esse in æternam con-

templationem raptos; vt nec sitim, nec famem, immò nec incommoda grauiam corporis sentirent, & per multos dies ieiunii absque cibo & potu perseuerabant, quodque mirabilius est, fastidirent cibum, & potum, sicut fastidire solent, qui saturi, & cibo, ac potu repleti sunt. Nec incredibile hoc videri debet. Si enim circa res temporales, & caducas amor nimius, aut lætitia, aut reliquæ vehementes passionēs, id efficiunt; vt homo per multum temporis nec sitiat, nec fameat: quanto magis Spiritus sanctus per gratiam suam, id operabitur? Interest tamen, quod eorum qui affectibus hisce famem & sitim non sentiunt, corporeæ

poreæ vires debilitantur, potu, & cibo deficientibus; at Spiritus sanctus roborat, & vires sustentat, ne homo succumbat, sed integer, & fortis perseueret. Exemplo id comprobatur Eliæ, qui semel pane & aqua refectus, fortis quadraginta dierum iter ieiunus confecit. multa exempla virorum insigniū huiusmodi habemus. Videre enim licet homines delicatos, infirmos, debiles, vel minima incommoda corporis ferre non valentes superueniente Spiritu robustos, expeditos, agiles, faciliè que corpori sunt grauiam supportantes, euadere. Hoc tamē non semper efficit Spiritus sanctus, sed quādo, & quantum, & quibus cum vult. Est ergo similitudo quædam aquæ viuæ cum aqua elementari, etiam quantum ad sitim corporalem. Quānis autem Spiritus sanctus sitim corporis, & famem ijs, quos replet, auferat, non id ita efficit, vt non amplius sitiant, & fameat. Nam & illi viri, de quibus dictum est, iterum eisdem passionibus subduntur, & Elias ipse famem & sitim passus est: & Christus caput nostrum, post ieiunium quadraginta dierum esuriit; cum in hoc seculo sitis hæc à sanctis per Spiritum sanctum non ita remouetur, quin iterum sitiant: quod igitur Dominus promittit, de futuro seculo intelligere oportet. Sitim enim in æternum aufert, quia huius vitæ modico transactō, resurgent virtute Spiritus sancti illi, quos ipse prius potauerat, omnino incorrupti, nec in æternum sitient, nec alijs passionibus, & miserijs subiecti erunt. Hoc non facit aqua elementaris: non enim sitim in æternum aufert, sed resurgent, qui Spiritum sanctum non biberunt, sitientes in æternum. Aqua ergo hæc viua Spiritus sancti, dicitur auferre sitim in æternum ad modum medicamenti, quod febricitati porrigitur, ad febrim & sitim expellendam; quod non tunc facit, quando accipitur, sed intervallo temporis factō; ita hæc aqua viua, sitim in æternum auferre dicitur. Loquitur autem Dominus de siti corporis, vt doctè dicit Augusti, tract. 5. in Ioann. & sic est huiusmodi sententia intelligenda præmissis alijs, quæ recentiores imaginantur.

Extinguit
aquam
sitim animæ.

Quantum autem ad sitim animæ attinet, etiam Spiritus sanctus virtutem habet eam extinguendi, sed non modo, sed, vt diximus de

siti corporis, in futuro seculo; quando nimirum omne desiderium implebitur; quando totus hominis appetitus satiabitur; & fiet illud, quod prædictum est Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua: & quod promissum est à Domino Matt. 5. Quoniam ipsi saturabuntur. In hoc autem seculo hæc sitis non omnino extinguitur, immò quædam augetur per Spiritum sanctum. Iusti enim & sancti, quo Dei gratia, & Spiritu sancto magis implentur, eo vehementius Deum desiderant, ipsique seruire, & inhærere concupiscunt, iuxta illud Eccl. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient: iustorum enim est sitire, & esurire semper iustitiam. Sitis autem desideriorum & affectuum prauorum, quæ superbos, ambitiosos, carnales, auaros, ceterosque operarios iniquitatis vexat; extinguitur per aquam hanc Spiritus sancti, cuius virtus ad eam etiā in hoc seculo potenter operatur, vt iustis & sanctis, quæ prius placebant, & cupiebant, summo opere displiceant, sicutque molesta, quæ dulcia videbantur ante huius aquæ potum. Neque tamen hæc sitis ita perfectè in hoc seculo remouetur, quin aliqui motus, & leues affectus prauis insurgant, cum & iusti venialiter peccent. Sitis etiam illa concupiscentiæ carnalis, quæ militat contra Spiritum, non penitus aufertur: Paulus enim ad Roman. 7. Sentio, inquit, in membris meis legem repugnantem legi mentis. At per aquam hanc sit, vt vel minuatur; vel vires accrescant, quibus facilius feratur, nec valeat iam victoriam de Spiritu reportare. Dixi autem minuatur; vel facilius feratur, quia per gratiam aliquando verè motus hic concupiscentiæ minuitur; aliquando, & si non minuitur, augentur vires, vt facilius feratur: sicut qui dat vini potum ferentis pondus, non minuit pondus, sed facilius portatur, & leuius videtur viribus auctis ex vini potu. Hæc in hoc seculo fiunt, vbi luctandum, pugnandum, & laborandum est pro iustitia, at in futuro omnis sitis depelletur in æternū, virtute huius aquæ viuæ haustæ: illic satietas sine fastidio, illi quies æterna, illic quod nunc dicitur e-

ueniet; qui biberit ex hac aqua nunc, non sitiet, tunc, in æternum.

Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

COMMENTARIUS.

PRæcedentem sententiā auget, sensus talis est; Non solum qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, nō sitiet in æternū; sed etiā hæc aqua fiet in eo, qui biberit, fons aquæ salientis, id est, salire facientis eum in vitam æternam. tāta erit huius aquæ virtus in bibente, vt suo impetu eū impellat, & extollat in vitam æternam, & ex mortali, & corruptibili, ac terreno; faciat immortalē, incorruptibilem, & cælestem: Hoc efficit Spiritus sanctus, qui fons est in credentibus in Christum, tantæ virtutis, vt eos in cælū perducatur, & à corporis etiam morte in vitā æternā resurgere faciat. Rom. 8. Suscitabit corpora vestra mortalia, propter inhabitantē Spiritum in vobis. Hisce verbis alia duo discrimina ultra primum, quod in superiori sententiā expositū est, inter aquas

quem habes, non est tuum, quasi reliqui quique fuerint sui; & ita communiter exponunt Doctores, & id probat Athanasius loco citato dicens; Hæc mulier viros iuxta Samaritanorum legem quinque habuit, mortuique iam erant, postea verò scortabatur, nemo siquidem cum ea, ut cum uxore legitima, cohabitare volebat. illa verò cum concupiscentiam suam refrænare non posset, clam apud se habuit, cum quo consuetudinem habebat, & non erat hic manifestus, aut legitimus maritus, sed eum secum occultè habebat. hæc Athan. Siue autem lex Samaritanorum fuerit talis, ut ultra quinque habere non licuerit, siue talis lex non fuerit, hoc certum est, illam quinque matrimonium contraxisse, virosque legitimos habuisse quinque, sextus autem adulter erat. Probabile quidem est, quod Athanasius dicit: Si enim licuisset cum pluribus coniungi, forsitan adulterum non quæsiuisset: argumentum tamen est magnæ incontinentiæ in muliere, quæ tot erat copulata viris, & tamen non legitimum habebat virum. Consideranda est Christi prudentia, peccata Samaritanæ detecturus, noluit suos adesse discipulos: sic enim sunt corrigenda occulta peccata, ut peccantis fama, & opinio non lædatur, quando vtrumque simul fieri potest, hoc nos Dominus præsentis docuit exemplo.

ANNOTATIO XV.

Contra Tertullianum se-
cundas nuptias damnantem.

HOC loco abusus est Tertul. lib. de Monogamia ad probandum secundas nuptias esse damnosas, & solam monogamiam lice-

re, quia Dominus hunc, quem post quinque habebat, hominem, non esse maritum contendit. tamen sententia hæretica est, & in hoc Tertul. à Catholica veritate recessit; unde Hiero. lib. de scriptor. Eccle. illum librum contra Ecclesiam scriptum esse censet. locus autem hic non solum pro eo non facit; sed etiam contrarius illi est: nam Dominus dum asserit hunc non esse virum eius, tamen quinque habuisse, probat non solum secundas, sed etiam quintas nuptias; aliter non solum hic sextus, sed nec quatuor alij viri eius fuissent. Est quoque Basil. in epist. ad Amphilocho. can. 4. ubi videtur quartas, & quintas, & vteriores nuptias damnasse, nec matrimonia censuisse, sic intelligendus; esse quidem matrimonia, tamen argumentum esse incontinentiæ contrahentis nisi aliqua particularis adsit causa: nam secundum fidem Catholicam non est determinatus numerus nuptiarum. Quod si Patres poenitentiam imponebant bigamis, & trigamis, id propter incontinentiam, quam præ se ferebant, factum erat; tamen non separabant eos quasi matrimonia non fuissent, nec locus hic contrarium probat, immò pro veritate facit: nam quintas probat Dominus nuptias. quod si sextus non vir dicitur, vel ob id est, quia, ut dicit Athanasius, prohibitum erat lege Samaritanorum sextas celebrare nuptias; vel quod probabilius est, quia non eas celebrauerat cum hoc sexto. contingit enim sæpe viduas aliquas habere in adulterum, nolletamen habere in virum.

Dicit ei mulier, Domine video, quia Propheta es tu.

COMMENTARIUS.

VERA Christum narrasse, simulque se peccasse fatetur, *Video, inquit, quia Propheta es tu*, non dicit simpliciter, *Propheta es tu*, sed, *Video quia Propheta es tu*, id est, ex ipso effectu, & opere cognosco te esse Prophetam: nam occulta mea verè manifesta. In eo ergo, quod dicit, *Video te esse Prophetam*, suum adulterium fatetur. Illud, *Quia*, est dictio, non causam, sed declarationem denotans. Sæpe enim loco quod, interpres vitur, quia, Mulier ista, ei quem secreta, & occulta scire experiebatur, contradicere, suumque negare peccatum non est ausa. expressis tamen verbis confiteri pudor forsitan impediabat; modestè veritatem aperit, dicentis verba confirmans. Vti autem simplicibus verbis parum visum ei est; propterea duo simul effecit, & veritatem est confessa, & veritatis auctorem affecit honore. Non solum vera dicis respondit, sed Domine, tu es Propheta, qui vera dixisti, & ex Spiritu diuino locutus es. Magnū salutis est argumētum correctionem acceperat, & veritatem submissè recognoscere: sicut è contrariò correctionem contemneret, damnationis est indicium, uti Salomon Eccle. 21. Odisse, inquit, correctionem, vestigium est peccatoris; id est, qui odit, nec vult corrigi, peccato suo vult inhærere: vides iam mulierem magis atque magis interius proficere.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

CONTENTIO erat cōmunis inter Iudæos, & Samaritanos de loco, in quo Deo vero Israel sacrificandum erat: non enim omni in loco sacrificare licebat.

cebat. præcepit enim Dominus Deut. 12. dicens: Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, primogenita bouum, & ouium. hoc erat præceptum Domini. Iudæi ergo locum adorationis, id est, sacrificij, templū Hierosolymitanum affirmabant esse: & id verum erat, ubi Salomon, & reges sacrificia Deo accepta obtulerunt, & ubi erant summi Sacerdotes; at Samaritani, ut superius retulimus, ex Iosepho libr. 11. Antiquitat. capit. 7. in monte Garisin, loco totius Samariæ eminentissimo propè Sichar templum ædificauerunt, in quo Deo Israël sacrificia offerebant, & cum esse locum, quem Dominus elegerat, iuxta illud Deuter. 12. cum Iudæis contendebant, eratque controuersia cōtinua, & permolesta inter eos, & valde communis, vter locus esset adorationis. Adorationem hoc in loco, oblationem, & sacrificium appellat, ut ex loco allegato Deuterono. constat. Mulier ergo hæc Prophetam credens esse Christum, resolutionem huius controuersie petit, siue quia desiderio hoc sciendi tenebatur; siue quia scrupulo aliquo agebatur; ne forsitan, ubi non oportebat, Deo sacrificium offerret; siue forsitan, ut colloquium de sua incontinentia inceptum interrumpere, propositis hisce, quæ ad Prophetam sibi pertinere visa sunt. Sæpe enim accidit, quando aliquid non admodum libenter audimus, aliquam solemus excitare diuersam quæstionem, de qua dum fit sermo, quod erat auditui minus gratum, relinquatur. Erat adhuc mulier imperfecta, & propria errata audire, & multum in ea materia morari, ut imperfectis euenire solet, molestum duxit. Samaritanorum etiam partes agens, controuersiam communem, & celebrem proponit; & in proponendo suam auget, & firmat causam, cōtrariam verò debilitat: hoc enim humanum est artificium. *Patres, inquit, nostri adorauerunt in monte hoc*, quasi dicat, nos habemus magnam causam, ut in templo hoc adoremus, quia patres nostri adorauerunt in hoc monte, ubi est nostrum templum; *Et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*, quasi diceret; vos sola vestra opinione, patrum auctoritate non fulti, dicitis in templo Hierosolymitano adorandum. Patres vocat Abraham, Isaac, & Iacob, primos Iudæorum patres, quasi hoc argumento suas probans partes, & Iudæorum causam deprimens, quod patres suos non imitentur.

ANNOTATIO XVI.

Mons Garisin ob multa celebris.

CHRYSO. homil. 31. refert sui temporis traditionem fuisse. illum esse montem, in quo Abraham filium suum Isaac sacrificare erat paratus. Est etiam iste mons, in quo, ut patet ex Deut. 37. benedictiones datæ sunt seruantibus legem, ut etiam dicit Cyri. li. 2. ca. 80. & in quo Iacob rediens cum filijs ex Mesopotamia, Donum adorauit, ut dicitur Genes. 31. erat enim locus, & mons celebris dictus Garisin. Hæc ratione suam tutatur mulier causam, nec altius de Christo sentit, quam quod sit merus homo, propheta tamen. Nam eum cæteris coniungens, *Vos, inquit, dicitis*, forsitan id fecit, ut hæc ratione eum ad respondendum, & difficultatem soluendam induceret, quasi causæ vtriusque communi consulturus. Neque enim mihi probatur, quod dicit Cyrill. lib. 2. cap. 90. eam Samaritanorum more gloriari, & Iudæorum arrogantiam deprimere voluisse: sed existimo eam sciendi causam quæsiuisset, & argumentum pro sua parte soluendum; propoluisse; nimirum, quia Patres adorauerunt in eo monte: Iudæi autem non videbantur ei, pro sua causa talem habere probationem. Hoc mihi persuadet id, quod sequitur; nam cum Christum non respondisse videret, ad tempus Messie refert negotium: ille, inquit, edisseret nobis omnia: fieri potest mulierem credidisse Messiam, quem venturum putabat, Samaritanorum opinioni consensurum.

Dicit ei Iesus, mulier crede mihi, quia veniet hora, quando nec in monte hoc, neq; in Hierosolymis adorabitis Patrem.

COMMENTARIUS.

MULTA respondet Dominus ad propositam sibi mulieris interrogacionem. Primò omnium sibi fidem haberi à muliere petit, *Crede, inquit, mihi*, sine hac enim, ut rectè Chryso. ho. 32. notat, diuina mysteria percipi non possunt. *Crede, inquit, mihi*, nec iniustum petit, qui enim occulta manifestauerat, & Pro-

Quorsum Samaritana de adoratione misceat sermonem.

Fidem sibi haberi postulat, & conditionem super adorationem, ortam, breui sermone prædicat.

pheta credebatur, veritatem etiam in his, de quibus interrogabatur, & respō. debat eum scire, credendum erat. petit etiam sibi credendum, ut quæ dicit certissima esse, & verissima affirmet: quādo enim aliquid narrantes, mihi credite, dicimus, rem esse veram confirmamus. Rursus quia mulier causam suam patrū auctoritate defendebat, Christus sola suorum dictorum auctoritate, sine alterius testimonio credi volebat, propterea fidem postulat: ac si dicat; tu me maiorem Iacob propter aquam viuā quā petis iudicasti, crede ergo mihi, si credis Iacob & patribus. Hæc tria vnicō illo verbo insinuantur. respondet ergo ad interrogationem primò illam contētionem cessaturam, & è medio tollendam: nec enim in illo loco, nec in Hierosolymitano templo adorandus erit Deus. His verbis quæ de futuro sunt; *Veniet, inquit, hora,* (quamuis enim Græcè verbum sit præsens, tamen id sæpè etiam pro futuro ponitur, & sic habet versio communis:) prædicat vtrumque cultum, & Samaritanorum & Iudæorum tollendum, & hac ratione cessabit contentio: At ne putaret cultum & adorationem omninò cessaturam, inquit, *Adorabitis Patrem,* ut sit sensus; *Veniet hora,* quando adorabitis Patrem: erit quidem cultus Dei, sed non qualis in hoc vestro, & in illo Iudæorum tēplo: quia vterque cultus cessabit, & nouus quidam multo perfectior succedet: hanc perfectionem huius cultus insinuat illud verbum, *Patrem.* ut enim dicit Cyrill. lib. 2. cap. 91. dum Patrem vocat, ad filium erigit considerationem, & ita est: nam in Christiano cultu non absolutè Deus adoratur, sed etiam distinctè Pater, Filius, Spiritus sanctus, & tres adoramus in vna Deitate personas; quod nec Iudæus, nec Samaritanus fecit. Rursus adoramus Christiani Deū, & Patrem, quia sumus in statu adoptionis filiorum, & clamamus, Abba Pater. & edocti à Christo inuocamus; Pater noster qui es in coelis. Hæc ergo perfecta adoratio de medio tollet, & Samaritanorum ritum, & Iudæorum cultum.

ANNOTATIO XVII.

Locum est
Christum de
Samaritano-
rum, & om-
nium gentiū
falsa adora-
tione.

ATTENDE per Samaritanorum adorationem etiam intelligi gentium omnium idolatriam: hi enim quamuis Deum Israel adorarent, tamen idololatræ erant, & more idolatrarum viuēbant. cessare ergo debuit & idolatria, & Iudæorum cultus in Christi Euāgelio, ut prophetautum est Mich. 1. Omnia idola eius ponam in perditionem. Isa 2. Eleuabitur Dominus solus, & idola penitus conterentur. De Iudæorum cultu auferendo dicitur, Psalm. 39. Sacrificium, & oblationem noluiisti, aures autem perfecisti mihi, tunc dixi, ecce venio. & Isai. 1. Quid mihi multitudinem victimarū vestrarum? Aduertendum adhuc est, non solum prædictis his verbis. Christus significare voluisse vtrumque cultum cessaturum; sed etiam, ut diximus, nouam hanc religionem, & adorationem Euangelicam, & adhuc etiam tertium quoddam, nempe amplitudinem huius religionis, & cultus, ut non in vno loco, & prouincia; sed in toto orbe adoratio, & sacrificium essent Deo exhibenda: non ut in Iudaismo, & Samaritano illo cultu, qui vno certo concludebatur loco: ac si dictum esset; non iam restringetur in hunc, aut ad illum locum adorationis Dei; sed per totum orbem diffundetur, & hac ratione cessabit omnis talis contentio. Hunc locum ita exposuit Basil. li. 2. de Baptif. cap. 8. Potestatem, inquit, dedit Dominus adorandi in omni loco, vbi dixit, nec Hieroso-

Alymis, neque in monte isto adorabitis Patrem: dilatat, & deducit orationem Dei ab arcto Hierusalem ambitu, in omnem totius orbis locum. hæc Basilus, explicans locum Pauli; Volo viros in omni loco orare, exponitque non hoc intelligi de omni loco etiam immundo & indecenti, qui humanis sunt vsibus necessarij; sed de eo, qui ad id deputatus fuerit; Paulumque id tantum voluisse significare docet, quod Dominus in his verbis significauit; Dei cultum non esse restringendum ad vnam ciuitatem, aut locum determinatum, & hic sensus est horum verborum; quamuis simul etiam alia duo, quæ dicta sunt, eisdem verbis exprimantur. Consonat huic illud Malach. 1. Nō est, inquit, mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Deus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: & magnum est nomen meum in gentibus. Hæc tria his verbis prædicuntur, Iudæorum sacrificia cessatura, gentium Idolatriam tollendam, & conuertendam in veri Dei cultum, & oblationem mundam; & hæc non vno in loco coarctanda, sed in totum orbem à solis ortu, vsque ad occasum dilatanda.

Vbi que Deo
sacrificandi
prædicat.

Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus.

COMMENTARIVS.

Secundò respondet Dominus, præfertque cultum Iudæorum Samaritanorum ritum: ne enim mulier illa, parem esse vtriusque & Iudæi, & Samaritani causam, cum vtriusque remouendus esset cultus, arbitraretur, adiunxit secundum responsum. Cultus Iudæorum, quem suum vocat, *Nos,* dicens, quia secundum carnem Iudæus erat, multo est præstantior vestro. & causam huius apponit: Iudæus adorat quod scit, Samaritanus autem, quod nescit; id est Iudæorum cultus ex fide vera est, quia vnicum credit esse Deum, sicuti verè est: Samaritanorum autem cultus ex infidelitate, & errore, ac ignorantia est, quia non habet veram de Deo fidem. Quamuis enim Deum Israël, Deum esse credat; tamen cum eo multos recipit Deos; qui autem Deum vnicum non credit, rectam fidem non habet, & Deum ignorare dicitur, quia verè de Deo non sentit. præstat ergo Iudæorum cultus, cultui Samaritanorum, sicut fides infidelitati, & veritas præstat errori. His verbis duo insinuat Dominus; alterum est, Iudæos in contentione illa proposita, veram & rectam causam tueri: in templo enim Hierosolymitano, verus erat cultus: vnde ille locus probandus est, non autem vbi cultus erat falsus. Alterum est, vtrumque quidem cessaturum, tamen non eadem de causa: nam cultus ille Samaritanorum, & Gentium idololatria ablata est, quia mala, & falsa, & impia. at Iudæorum cultus, non ut falsus, non ut malus, qui tunc verus, & sanctus erat; sed ut imperfectus, & ut figura & umbra, adueniente perfecta veritate, ut paulò inferius dicemus.

Quia salus ex Iudæis est.

PROBAT Christus Iudæos veram Dei cognitionem habere; quia salus ex Iudæis est; id est, promissiones salutis per Messiam futuræ Iudæis factæ sunt, & ex ipsis in alios sunt diffundendæ: Christus enim de eis secundum carnem venturus est, qui omnium est Saluator, prædicatores veritatis, & legis Euāgelicæ, & complementi prophetiarum annunciatores per orbem mittendi, ex ipsis sunt. Isa. 1. De Syon exibat lex, & verbum Dei de Hierusalem. in ipsis igitur vera est Dei cognitio.

ANNOTATIO XVIII.

De qua salu-
te loquitur
Dominus.

CYRILL. lib. 2. cap. 92. salutem hanc Christum exponit. Chryf. hom. 32. Christum & veritatem etiam Euāgelicam, & dogmata aliqua si quæ vera gentes habuerunt, interpretatur; sed legitimus sensus is est; ut & Christum salutis auctorem, & Euāgelicam doctrinam, & legem, & promissiones, ex ipsis esse dicantur, quia omnia hæc ipsis sunt prædicta, ipsis sunt promissa, & per eum, qui ex eorum venit carne, impleta. Quod autem se Christus adorantibus coniungat: non est cur Arianus se contra nos aliquid habere existimet; Si enim ut homo mortuus est, ut homo etiam orauit: ita si-

militer uti homo suammet adorauit diuinitatem. Latè hoc Cyril. lib. 2. ca. 92. profequitur. Hoc ex loco Ariani Filiū minorem Patre probabant, ut refert idem Cyril. & Ambr. lib. 5. de fide cap. 3. sed hic locus aperte ostendit sermonem esse de Filio, ratione humanitatis; nam, inquit, *Nos adoramus,* nempe nos Iudæi; at Christus secundum solam carnem Iudæus erat, non secundum diuinitatem. addit Ambr. in sequentibus verbis non esse dictum, adorabimus, sed *Adorabunt,* ut se ab hac adoratione, quatenus Deus est, excludat; quod etiam lib. 5. de fide, cap. 3. notat idem Ambrosius.

Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.

COMMENTARIVS.

TERTIÒ respondet Dominus, & exponit qualis sit ista adoratio futura, quæ erit remotis illis mōtis, & tēpli Hierosolymitani cultib⁹. Est autē illa particula, *Sed,* diuersitatis; quasi diceret; Non adorabitis in mōte hoc, nec Hierosolymis, sed adoratio erit in Spiritu, & veritate. hic est cōtextus; Cum autem

prius dixerit *Veniet hora*, tamen non exprefferit, an proxima hæc hora, an distans, & longinqua esset, repetit idem verbum, & adiunxit, *Nunc est*, ac si dicat, dixi, *Veniet hora*, nunc autem addo, iam est hæc hora. paulatim enim procedit reuelare mysteria: & prudenter non addidit tunc illud, *Et nunc est*, ne Samaritana audiens montis cultum remouendū, turbaretur nimis, propterea futuro vsus est tempore; at nunc de vera adoratione loquens, addit, *Nunc est*, vtrunq; tamen verbum, *Venit*, & illud, & hoc, in Græco præsens est, *Venit*, sed quod sæpe futuri vim habet. Orig. homi. 13. dat causam quãdam, cur addatur, *Et nunc est*, & non prius additum fuit, potius tamen ad sensum spiritualem, quàm ad literalem pertinet. Attende, verbū, *Veri*, inquit, *adoratores adorabunt*, insinuat multos adhuc adoratores remansuros, qui post Christi aduentum non sic adorabunt, tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus; tamen non erunt neq; hi, neque illi veri adoratores; sed, ij solum, qui in spiritu, & veritate adorabunt. Iudæi ergo, qui olim veri adoratores erant, sacrificijs, & oblationibus, & ceremonijs à Deo institutis, adhuc in eis perseuerantes post Christi aduentum, non veri, sed falsi, & impij sunt adoratores.

Quid sit in spiritu, & veritate adorare.

Supereft explicare, quæ sit hæc adoratio, quæ futura nunc dicitur in spiritu, & veritate. Si autem contextum obseruamus, duo hæc opponuntur duobus illis, nempe adorationi Samaritanorum, & adorationi Iudæorum; nam dicitur, *Nec in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitur, sed in spiritu & veritate*, quæ si hæc duo, duobus illis opponat, ex sensu igitur illorum, explicatio horum dependet. Adoratio in primis Samaritanorum erat in falsitate, & ignorãtia; adorabant enim, quod nesciebant, quia de Deo non rectè sentiebant; erit ergo adoratio exposita, quæ est in veritate, quando rectè, & verè de Deo sentientes adoramus. Iudæi autem adorantes quod sciebant, in veritate adorabant, & adoratio erat eorum in rebus corporalibus, quæ erant vmbra, & figuræ futurorum. Omnia enim illa animalium sacrificia, ceremoniæ, & ritus, instituta erant à Deo, & data illis, tanquam futurorum figuræ, & signa: tale fuit templum illud, & omnis cultus illorum exterior; Erit ergo opposita adoratio, quæ non in corporalibus figuris, & vmbis futurorum fit, sed in spiritu, id est, in Spiritu sancti gratia, fide, charitate, & actibus, ac operibus ex his precedentibus: & hæc est adoratio in spiritu, quando non corporeas res, vmbas, & figuras offerimus, nec in his seruimus Deo, sed in actibus virtutum, qui ex Spiritu sancti gratia procedunt. Et hæc est adoratio Euangelica, quod in annotatione sequenti fusius explicabitur. Ista expositio est Ambrosij libr. 3. de Spiritu sancto cap. 12. & Cyril. lib. 2. ca. 93. spiritum enim contra figuras, & veritatem contra falsa dogmata distinguit: & eandem Hilar. tenet libr. 3. Trinit. Ambr. tamen magis eam explicat, & probat.

ANNOTATIO XIX.

Contra impugnationes Ecclesiasticas & ritus & ceremonias.

FALLUNTUR hoc loco nostra tempestate hæretici, vt & olim falsi sunt. In primis recentiores, quia adorandus Deus in spiritu est, ideo omnes ceremonias, & ritus Ecclesiasticos tollunt, & sola conscientie mundicia, adorandum Deum existimant: cæterum erant grauius, non intelligentes quid per Spiritum hoc in loco sit intelligendum. Nam ipsi absolute Spiritum interpretantur, vt à corpore distinguitur, & actum animæ tantum spirituale significat: si autem hæc est adoratio in spiritu, certè quando Paulus ad Ephes. 3. adorabat dicens; Huius rei gratia genua flecto ad Patrem, in spiritu non adorabat: genuum enim flectio corporis est, non animæ; nec etiam adoratio erat in spiritu, illa Petri Act. 9. quando submittebat genua; genua orauit; nec illa confessio erit in spiritu, de qua dicitur Rom. 10. Ore confitendo fit ad salutem: nec erat illa manuum impo-

nitio, in spiritu sancto Act. 3. vbi dicitur; Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum: nec prædicatio Pauli erat in spiritu, quia corporea res erat.

Nō igitur adoratio in spiritu excludit actus corporis: nam 1. Cor. 12. operationes Spiritus varias distinguit Paulus, quæ corporeæ sunt; vt interpretatio sermonum, opera virtutum, genera linguarum, gratia sanitarum. & ad Roman. 12. siue ministerium in ministrando, qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in simplicitate, & multa alia ibi numerata. 1. Corint. 14. psallam spiritu, psallam mente: quæ omnia in spiritu sunt, & fiunt, & multa corporalia opera Paulus exhibuit in Euangelio prædicando, de quibus dicit ad Roman. 1. Testis est mihi Deus, cui seruiuo in spiritu meo in Euangelio. Concludamus ergo non excludi opera externa per adora-

adorationem Spiritus, quando ea fiunt, & procedunt ex interiori Spiritu, fide, dilectione, & gratia. Eleemosynæ ergo, peregrinatio, ieiunium, & reliqua, quæ ex fide, dilectione, poenitentia procedunt, in spiritu fiunt. & in spiritu adoramus, & seruimus Deo, quãdo hæc sic facimus.

Quid de anti-
qua Iudæorum
adoratione
sublatum sit.

Iudæus olim etiam seruiebat in spiritu, quando ex fide, & gratia, & dilectione similia faciebat opera; nec hæc adoratio ablata, sed perfecta est in Euangelio, vbi perfectior fides, copiosior gratia, maiora dilectionis argumenta sunt. Sic Prophetæ, & multi iusti adorauerunt, & seruierunt tunc Deo. Quandam autem adorationem Iudæus particularem habebat, à Deo illi ad tempus datam; nempe sacrificia quædam animalium, & cæremonias quædam exteriores, non quidem data, & instituta. quasi actus exteriores, & interiori virtute procedentes; sed vt essent signa, & figuræ futurorum mysteriorum: non enim Deus iussit illi populo, vt faceret holocausta, & victimas, & cæteras cæremonias, quasi ea fidei, dilectionis, & interiorum virtutum actus essent: quamuis, qui ea fide, & dilectione exhibuissent, rectè, & in spiritu facere dicti fuissent; sed vt essent figuræ eorum, quæ per Christum futura erant, & in hoc Iudæorum cultus à Gentium cultu differebat: Non enim gentes, illa holocausta & ritus faciebant, quasi futurorum signa, sed quia gratia Dijs suis existimabant. Iudæus non sic habuit à Deo mandatum; nec enim illa à Deo instituta sunt, quia placebant in se, sed vt figura eorum, quæ ei placebant; quibus aduentibus illa celsarunt, hæc erat adoratio in figuris corporeis, & materialibus, videlicet in animalibus, in templo illo vnico, in tot ceremonijs. hæc omnia abstulit Euangelium, manetque adoratio in spiritu, non in illis figuris corporeis. Quod si in Euangelio sunt opera exteriora, sunt & cæremonia aliquæ, non sunt quasi figura; nec ea fiunt, vt in figuris Deum colamus; sed quatenus sunt actus quidam exteriores interioris fidei, dilectionis, cæterarumque virtutum. Genua ergo flectimus, quia actus est interioris humilitatis; castigamus corpus cum Paulo ieiunijs, & flagellis, quia actus sunt poenitentia spiritualis. Vt enim pecunia, quæ datur pauperi, exterior res est; tamen ipsius erogatio est in spiritu, quia ex misericordia procedit; sic etiam exteriora sunt multa, erga quæ opera virtutis interioris exercemus, & ad spiritum propterea referuntur. Ceremonijs etiam vtimur, quia actus sunt reuerentia erga Deum, atque etiam ad excitandam mentis deuotionem, & ad rerum spiritualium, quas tractamus, aliquam expressionem ordinantur. hæc enim omnia ad spiritum pertinent. Sed de ceremonijs plura tractare instituti nostri præsentis non est. Multum ergo errant hæretici, non intelligentes quid sit in spiritu operari, seruire, adorare; & confundunt Iudæicam illam adorationem cum ea, quæ est ex spiritu non distinguentes vnum ab altero.

Quantum ad literam attinet Hebraismus

A est, adorare in spiritu; nam solet Hebræus apponere præpositionem effectiuo casui, percutiam in gladio, viuit homo in pane, id est, gladio percutiam; pane viuit; sic adorare in veritate, adorare in spiritu, id est, spiritu, & veritate. Hoc autem est rectè, & verè sentientes de Deo ea facere, quæ ex diuina Spiritus sancti gratia, & dilectione procedunt. Neque ab hac adoratione remouentur sacramenta nostra, & sacrificium, sed vmbra, & figuræ illæ corporeæ; maximè cum nostra sacramenta causæ sint; & instrumenta Spiritus sancti, ad spiritum hunc, & gratiam conferendam; sacrificium verò nostrum non vmbra, non figuram; sed ipsam in se veritatem habet.

B Ex hac vera expositione conuincitur etiam aliorum hæresis, quæ non solum nostris temporibus, sed etiam olim viguit. Massiliani enim eam habuerunt, vt refert Augu. in sermone contr. Arianos, & Donatistas, & meminit idem August. Epist. 50. ad Bonifacium. Vnum enim templorum negabant, quia dictum est; *Nec in monte hoc adorabitur, nec Hierosolymis*. Errabant autem isti locum non intelligentes, his enim verbis Dominus significare voluit, ritum illum, & cultum in falsitate, & figuris cessaturum, nec adorationem esse restringendam ad vnum locum determinatum, quale templum, & mons ille erat; sed diffundendum per totum orbem, & quod figuræ illæ finem habituræ essent, & ita est. Nos enim non habemus templa, vt figuram futuri, sicut Iudæi; sed vt locum decentem, & honorificum, in quem conueniat multitudo, & vt oportet, ministeria diuina peragantur: quæ profecto summa cum reuerentia tractanda sunt, & non vbique locorum. neque etiam habemus templa vt Samaritani, existimantes Deum loco circumscribi, & determinari, qui vbique est, sed, vt diximus, vt locum Deo dicatum, in quo reuerenter diuina tractantur mysteria, quæ in spiritu fiunt, quæuis exteriora sint. Cum enim simus homines, loco, & tempore conclusi, indigemus, vt modo nostro Deo seruiamus, locis & temporibus determinatis. Sanè si templa non essent, diuinæ voluntati conformia, non ita acriter Paulus, 1. Cor. 11. reprehenderet eos, qui minus decenter in eis operabantur, dicens, Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Cessauit ergo templum illud vnicum & determinatum, figura & vmbra futurorum, & propterea restrictio illa ablata est; sed non prohibita sunt templa, vt loca, in quibus diuina mysteria decenter, & reuerenter tractentur, & propterea multa in toto orbe sunt, vbi cultus verus Dei est; & hac ratione etiam post Christum ascensum, Petrus, & Ioannes, Act. 3. ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Exiit, & alia hæresis antiqua circa eadem verba, de qua sequenti annotatione differendum est.

ANNOTATIO XX.

Quamuis, quæ in commentario expositio allata est, sit vera, & legitima; tamen, vt reuerentius intelligatur, & discutiatur, Patrum antiquorum

quorum alias expositiones referre oportet. nā ex eis etiam quantum Hæretici nostri temporis, quos in præcedenti annotatione impugnavimus, decipiantur, manifestius apparebit.

Primo loco Athanasius episto. ad Serapionem; Quod Spiritus sanctus non sit creatura; prope finem, per spiritum, Spiritum sanctum, per veritatem, filium Dei intelligit: adoratio ergo in spiritu, & veritate erit, adorare Patrem in Filio, & Filium in Spiritu sancto, quod est totam Trinitatem Patrem, Filium & Spiritum sanctum adorare; ut hæc duo Spiritus, & veritas, sint ex parte obiecti adorationis, eius scilicet quod adoratur, sitque tota Trinitas: cuius expositionis meminit etiam Ambros. libr. 3. de Spiritu sancto, capit. 12. & probat, sed difficile est hæc accommodare huic contextui.

Secundo loco idem Athanas. quæstio. ad Antio. quæst. 60. aliter exponit, ubi posita interrogatione qui sint adoratores in spiritu, & veritate respondet. Hi sunt, qui in desertis montibus, & qui in speluncis, & cavernis terræ habitabant, qui citra congregationem Ecclesiæ, per bona opera Dei, spiritu illuminati, in spiritu, & veritate adorant Deum, & Patrem, qui in cælis est, qui irreprehensibiliter viuunt, & Deum simul religiose, & reuerenter adorantes, omni pietate, & honestate virtutum relucet, nec opus habent Ecclesia, aut loco huic rei destinato; sed ipsi semetiplos tēpla faciunt, quouis loco bonis operibus, & ubique Deum placant. hæc Atha. Hæc expositio aprior est, quam præcedens; non enim spiritum & veritatem interpretatur, pro his qui adorantur, Filio & Spiritu sancto, sed pro principio ex parte adorantis, ut ex spiritu & veritate, adoratio procedat, quod conforme est nostræ expositioni. Tamen in eo, hæc expositio non placet, quia non videtur restringenda ad eos solos, qui in montibus degunt. Apostoli enim inter homines viuebant, & tamen in spiritu, & veritate adorabant, & eos, qui in templis adorant, etiam in spiritu & veritate adorare certum est.

Tres Basilij
expositiones
proponuntur.

Tertio loco Basil. li. de Spiritu sancto ca. 26. tres dat expositiones. Prima est, ut per spiritum, ipsum Spiritum sanctum intelligamus, qui dicitur & habet rationē loci, & tēpli, in quo adoratur, & qui in spiritu adoratur, velut in loco sancto adoratur. Altera est, ut teneat rationem principij, sitque nobis non per subsistentiam suā, sed per gratiam, quæ nostram insufficientiam complet, & facit ut idonei simus ad adorandū; & in hoc cum Ambros. & Cyrill. ut paulò post dicemus, conuenit. Tertia est, ut per spiritum & veritatem, Filium, & Spiritum sanctum intelligamus; in veritate enim, id est, filio adoratur Pater, qui est in Filio, ut in imagine suaviua, & filius adoratur in spiritu, qui est ei coniunctus, ut lux cum imagine, ut sit visibilis. denique adoratio Trinitatis est adoratio Patris in spiritu & veritate, uti Athanasius dicebat.

Quarto loco Origen. libr. 1. Periarchon cap. 1. & libr. 6. contr. Celsum, magis ad sensum accedens, Veritatem exponit, ut distinguatur à figuris; Spiritum autem, ut distinguatur à cor-

poribus: Adorabant enim in sacrificijs corporalibus, & figuris, illi; at nos in spiritu, non in corporalibus illis sacrificijs; in veritate, non in figuris. Vnde secundum Origen. nec Iudæus adorabat in veritate, nec in spiritu; sicut nec Samaritanus, quia in corporibus, & figuris adorabant. Eadem est expositio Chrysof. hom. 32. & Euthimij, ut adoratio hæc sit in conscientia, candoreque cordis, non in corporibus, & figuris; spiritum ergo corpori, veritatem figuræ opponunt. At cum in adoratione Iudæum Dominus à Samaritano distinxerit, quia vnus nescit, alter scit quod adoratur, non videtur posse expositio accommodari, quia nullam distinctionem facit vtriusque, quæ tamen facienda est. Non enim Iudæus relinquitur nisi propter figuras; Samaritanus autem, propter errorem. Spiritus ergo opponitur corporeis figuris, veritas autem falsis dogmatibus.

Propterea quinto loco est expositio Cyrill. libr. 2. capi. 93. Is veritatem intelligit eam, quæ contra falsa dogmata fidei est; Spiritum autem, qui contra umbras, & figuras illas corporales legis; ut idem sit, Adorare in spiritu & veritate, ac adorare in vera fide & gratia, seu dilectione exclusis erroribus, & figuris corporeis. Hanc tenet Ambros. loco proximè citato. Per Spiritum enim gratiam Spiritus sancti exponit: ut per veritatem rectam, & veram scientiam, seu cognitionem Dei, nec discrepat ab hac Hilar. libr. 2. Trini. per veritatem enim hæc, scientiam; & per Spiritum, Spiritus sancti gratiam intelligit. Nec refert exponere Spiritum sanctum, aut Spiritus sancti gratiam; licet enim in spiritu sancto dicamus aliquid facere, ut 1. Cori. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. semper eius gratia, & donum intelligitur, ratione cuius dicitur in nobis esse. Hanc expositionem tecuti sumus in commentario, ut veritas contra falsa dogmata, Spiritus contra corporeas figuras illas, & umbras dicta esse intelligantur: quæ expositio magis consonat contextui, & proposito loquentis Domini, qui & falsitatem Samaritanorum dogmatum, & Iudæorum umbrat, & figuras à suo cultu futuro repellendas, statuit significare. Ab hoc cultu igitur, nemo sacrorum doctorum opera exteriora, & ceremonias, ex interiori spiritu proficiscentes excludit, quod nostri hæretici faciunt; sed omnia opera, etiam exteriora, quæ ex interiori spiritu fiunt, ad eundem pertinere Spiritum sacri Doctores semper senserunt.

Hoc etiam loco, sicut & multis alijs, abutebantur hæretici Ariani probantes Spiritum sanctum minorem Patre, quia in ipso adoramus Patrem, quibus doctè responderet Ambros. libr. 3. de Spiritu sancto, capit. 12. quamuis enim admitteremus de Spiritu sancto hæc verba intelligenda, ut esset sensus; In spiritu sancto adoramus, nihil haberent Ariani, quod verè obiectarent. nam locutio hæc causam infert ut in spiritu sancto adoratio fiat, id est, per ipsum: Sicut omnia esse condita in Filio, non facit eum minorem quia causam per quam

Vera
veritas
reprehensibilis

facta sunt significamus. iuxta legitimam expositionem solutio aperta est, de ipsius enim Spiritus sancti dono intelligenda sunt verba, quod illis Rom. 1. confirmatur verbis, Cui seruiuo in spiritu meo; si Spiritum sanctum ip-

sum, & non ipsius donum intelligeret Paulus, non addidisset, illud, meo; & tamen hæc verba in eodem dicta sunt sensu, in quo illa Pauli: Adorare, enim, in spiritu, & seruire Deo in spiritu, idem sunt.

Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

COMMENTARIVS.

CVR adoratores veri in spiritu, & veritate adoraturi sint, causam subdit. Quia Pater vos quærit. illud, Nam, &, id est, ac etenim, seu namque; locū habens vnus causalis dictionis. Cyril. lib. 2. cap. 93. interpretatur sic; quærit adoratores tales, id est, isti grati sunt ei. Aliqui exponunt, Tales vult adoratores, id est, ex diuina voluntate id procedit, ut adoratio hæc sit futura in spiritu, & veritate; tamen sensus legitimus hic mihi videtur; Pater tales quærit adoratores, id est, isti tales sunt proportionati, & conuenientes adoratores: nam quod sequitur, causa est, cur Pater hos quærere dicatur, nimirum, quia spiritus Deus est, ut statim exponemus, sicuti dicimus, princeps habet seruos, quales postulat officij dignitas; ita nūc dicitur, tales postulat, seu quærit Pater sui adoratores.

Spiritus est Deus; & eos, qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.

CVR Pater tales postulet, seu quærat adoratores rationem adiungit. Quia Deus Spiritus, & incorporeus est, adoratores igitur, non in corporalibus, & rebus materialibus, sed in spiritu, & veritate, quæ etiā spiritualia sunt, oportet adorare; ut sit proportio inter adoratum, & adorationem, & qualis qui adoratur, talis sit etiam adoratio. Spiritus hoc in loco, vox cōmunis est Trinitati, naturam, non personam certā significans, ut dicit Athana. lib. de cōmuni essentia Patris, Filij, & Spiritus sancti: estque constructio hæc; Deus enim, quia incorporeus, & immaterialis est, Spiritus dicitur: per hoc significatur actiones & operationes hominis exteriores, nisi ex spiritu procedant, fide, dilectione, gratia; Deo nō esse gratam adorationem: at si ex eis procedat; spiritualis adoratio sunt. Non ergo illa antiqua, & corporea sacrificia iam placent, quæ tunc exhibita erant, & placebant, quia figura futurorum erāt: hoc iam ablato, & illa cessarunt; placent tamen ieiunia, eleemosynæ, peregrinationes, & similia, quæ ex Spiritu Dei gratia, fide, & dilectione procedunt: sic enim spiritualia sunt in suo principio, & radice seu causa, & quandam cum Deo habent proportionem, qui Spiritus est.

Quia Deus Spiritus est, in spiritu & veritate est adorandus.

Percuntabitur aliquis, ex eo quod Deus Spiritus est, sequitur quod in spiritu adorandus est; tamen non sequitur, quod in veritate. Respōdeo Dominū probare præcipuè voluisse hanc adorationem in spiritu: nam adoratio in veritate non indiget probatione. Si enim in adoratione falsitas est, adoratio mala est, & Deo non conueniens, quāuis etiā aliquo modo sequatur: nā qui adoratur spiritu, cum spiritus sit Deus, verior est ista adoratio; cum Deū Spiritum confitetur, qui in spiritu adoratur, & in spiritu censet adorandum.

Dicit ei mulier, scio quia Messias venit, qui dicitur Christus, cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia.

Mulier verba Christi non assequens, solutā suā quæstionē non putauit; Midcirco ad aduentum Messie contentionis sententiā refert: Scio, inquit, quia venit Messias, id est, Messia venturum scio; ille cū venerit, omnia nobis declarabit, & omnē remouebit contentionem: Illud, Venit, quis præsens sit, vim tamē futuri habet: illud, Quia, declarationis est, scio quia veniet, aut scio

uenturum: nam Samaritani quinque libros Moysis recipiētes, Christum vēturum credebāt: in eis enim libris eius promissio cōtinetur, iuxta illud Ioā. 5. Si crederetis Moysi, crederetis & mihi. etenim ille de me scripsit. Illud autē *Qui dicitur Christus*, vox est Euāgelistæ, interpretantis verbum Hebrēū *Mefias* enim apud Hebrēos, idem quod apud Græcos Christus significat. sperabat autem Christum legem, & doctrinam expositurū, vt doctorem insignē; & in hoc rectē sentiebat. quāuis aliter multo docturus esset, quā ipsa putabat. Habebat Samaritana Christum docentem, & anuntiantem, & non agnoscebat, aliquam tamen percipit ex Christi præsēntia motionem; nam mota est desiderio aduentus Christi, immō dura dicit, annuntiabit nobis, præsēntē sit etiam quodammodo se eum visuram: & verò nō est deceptus intellectus nec suo desiderio affectus frustratus est.

Dicit ei Iesus. Ego sum qui loquor tecum.

Quod Iudæis instanter petēribus: Si tu es Christus, dic nobis palam, iustē negauit, mulieri infimæ conditionis, & adulteræ, & Samaritanæ misericorditer concessit: iustē quidem tū illis negatum est, quia iam ex operibus mirandis, & ex ipsius verbis sepē repetitis, id potuerāt cognoscere; nec voluntate credendi, sed persequendi quærebant: at hæc nec miracula viderat, nec audierat doctrinam, eum à quo instrueretur desiderabat; verū tamen nō digna erat tanti reuelatione mysterij; nisi diuina misericordia, qua; quib⁹ vult miseretur, nec hominum expectat merita, præuenisset. *Ego*, inquit, sū Christus *qui loquor tecū*, sed nec ad verbum hoc exterius tam cito illa crederet; nisi in mentem eius omnipotentis virtus intraret, simul enim aures verbo exteriori ferit, & animæ eius mētem, & affectum cælesti lumine, & dono spiritali imbuit, vt quod exterius audiebat, interius perciperet, & crederet.

Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.

Interrumpit historiā Euāgelista, vt id, quod post dicta Christi euenit, narret. Cum muliere hæc verba Christo loquēte discipuli redeuntes è ciuitate, vbi cibos emerant, superuenerunt. qui quamuis quid diceret, non audierunt; tamen eū Samaritanæ loqui percipere, & cognoscere potuerunt: & propterea mirati sunt, quod cum muliere loqueretur. Non mirantur discipuli cum muliere colloqui Christum, quasi aliquid sinistram cogitarēt; sed quia insolitum erat Christo loqui cum mulieribus, præter eas, quæ coniunctæ sanguine sibi erant, aut notæ. Nec hactenus Christum ignotis cum mulieribus maximè remotis arbitris loquentem viderant, propterea que mirati sunt tãquam nouum quiddam, insolitum, & insperatum.

A N N O T A T I O XXI.

Quid potissimum discipuli mirati fuerint. **C**YPR. I. lib. de singularitate clericorum, A isto loco vtitur, vt confortium cū mulieribus à clericis vitandum esse probet; eius verba sunt hæc. Et vt de Apostolis breuiter probet, quantum eis fluxa familiaritas potuit dispicere, qui compulsi sunt, & de ipso Domino loquente cum foemina dubitare, nisi eos malefatis notitia probata compesceret, sicut Euāgelista refert dicens: Inter hæc venerunt discipuli eius, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur; nemo tamen dixit illi, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? hæc Cypri. qui nostræ expositioni accedere videtur. Cyril. lib. 2. c. 97. & Chryl. hom. 3. affirmant, miratos esse discipulos humanitatem Saluatoris incredibilem, quod cum tali muliere loqueretur, quæ Samaritana, & vilis erat: non tamen

aliquid sinistram cogitasse. Et hoc posterius verum est: tamen admirationis causa magis ea mihi videtur, quàm cum Cypriano attuli. illa enim Cyrilli & Chrysoft. locum haberet expositio, si cum articulo legeretur. Cum muliere illa: at non sic dicitur, sed, *cum muliere*: vt sit sensus; Miratos fuisse, quod cum ignota, & sola loqueretur muliere. Ex circumstantiis enim loci, & temporis etiam admiratio pensanda est. Est quoque exemplum Saluatoris prudens pro his, quibus ex officio incumbit, vt cum mulieribus colloquantur, ipsarum saluti consulentes, vt in loco publico, & patenti, vt omnis sinistra suspicio tolleretur, sermo cum illis habebatur.

Nemo

Nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

C O M M E N T A R I V S.

PROPRIVM est admiratiū aliquem effectū, scire velle causam, & rationē eius, & propterea vtūtur interrogationibus: at discipuli admirati quidem sunt cum muliere colloquium; sed causam prædomini reuerentia nō quæruunt scire: propterea nec interrogant, quid quæris ab ea? aut quid loqueris? Nō enim omnis, qui loquitur cum aliquo, aliquid ab eo quærit: propter ea dicitur, *Quid quæris, aut quid loqueris?* neutrum discipuli scire quæruunt, sed in magistri voluntatem omnia referunt. Rectē Cyril. lib. 2. cap. 98. mirari nos debere admonet humanitatem Christi, qui cum muliere loquebatur: discipulorum quoque prudentiam, qui nihil hac de re interrogandum esse, nō ignorabant. Hoc loco vtitur Basil. in reg. fusius disputatis c. 48. contra curiosos; qui quæ ad eos scire non pertinent, sollicitè scire quæruunt, à quâ curiositate discipuli se continuerunt: nihil enim horum scire ad ipsos attinebat.

Hoc loco vtitur Basilium contra curiosos.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus.

PERSEQVITVR interruptam Samaritanæ historiā. Mulier igitur illa auditō verbo Domini, & fidem tãti mysterij concipiēs, relicta hydria abiit ad suos in ciuitatem, & annūciat, quod factum est, multum murata ab illa, quæ erat in principio: quæ enim nec parū aque, vt biberet, Christo propinare voluit, iam propter eum & hydriam relinquit, & funem. & cui toties venire ad fontē, etiam vt sibi aquam hauriret, graue erat; iã redire ad ciuitatē, & iterum ad fontē, vbi Christus manserat, reuerti, non laborē, sed requiē reputabat. Mirabilis est verbi Domini mente & affectu concepti efficacia, quæ corda saxea emollit, & incredulorum mentes, & peccatorum voluntates, ad se potenter, & citò cōuertit. Illa dictio illationis, *Ergo*, significat quod præcessit, causam esse sequentis sententiæ: ac si diceret, quia audiuit à Christo quod ipse esset Messias: propterea relicta hydria abiit. Causa autem, propter quā mulier hæc in ciuitatē abierit, ea est, vt ciues suos tãti boni participes faceret, vt & ipsi viderent, & crederent in Christum. dubium enim non est, quin qui mouit cor eius vt crederet, simul & ad alios conuocandos impulerit. quod rectē Cyrillus lib. 2. cap. 99. annotat dicens, charitate, quæ virtutū optima est, accessit bonum, quod ei contigit, cæteris quoque cursu præbere studebat: nec mirum, occultius enim Christus secum loquebatur, dicēs, gratis accepistis, gratis date. Non ergo imitandus ille seruus, qui talentum obruit, sed multiplicanda sunt quæ accepimus, quod probè nobilis illa mulier fecit, quæ Samaritanis omnibus quæ accepit, proposuit. hæc Cyrillus. Abiit autē cito, ne si moram faceret, Christus recederet: nam videns discipulos venisse de ciuitate, arbitrata est, cibos emisit, ibique saltem commoraturum tantisper, donec cibum caperet, & forsan, hydriam reliquit in vsum ipsius, & discipulorum: & ne iusto diutius tanto bono ciues priuaret, si prius domum hydriam reportaret. Temporalia enim contemnens, præponit diuina & cælestia: quæ autem suis ciuibus prædicauit, sequuntur.

Samaritana charitate magis accersit suos ciues.

Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci, nunquid ipse est Christus?

PRVIDENTER Samaritanos suos ad Christi fidem trahere studet: non statim Christū adesse prædicat, vt rectē Cyril. li. 2. ca. 100. aduertit, ne à suis, quibus mores eius cogniti erāt, in insaniam potius esse cōuersa putaretur; sed primò miraculum narrat; & sic eos ad fidem disponit: Ne autē fides ei negaretur, si tan-

tur, si tantū, quod factum erat, narraret, ad experiētiā eos inuitat, *Venite*, inquit, & *videte hominem*, confidebat enim si ad Christum veniret, eum doctrinā, & potentia suā verbo illos conuersurum, vti factum est: cumque crederet ipsa Christum esse, eos ad probandum inuitat, an Christus sit. Non enim sibi tantum auctoritatis ausa est arrogare, vt doceret, & Christum esse affirmaret; quod nō ex in credulitate, sed ex humilitate fuit, qua illos fidem tanti mysterij consequi sua narratione indignam se iudicauit. Nec dicit ite, & videte: sed, *Venite*, vt credibilia faciat, quae affirmat: se etiam cum eis venturam pollicetur, simul etiam, quia fidem, & feruorem ex Christi verbis cōceptum, non facile remittebat; sed ad eum, à quo tanto est affecta beneficio, iterum redire gestiebat, oblitaq; sitis & famis, parem magistro vicem reddebat.

Magna Diuinae gratiae virum, & efficaciam.

Mira virtus gratiae haec est, vt indoctam, & incapacē, & peccatricem faminam, tā citō in veritatis Christi cōuertat apostolā, et fiat Christi p̄dicatrix, ad eumq; trahat multos, cui paulo pri⁹, ad bibendū aquā negauerat. Existimo, quāuis Euangelista in generali describat eius p̄dicationē, tamen mulierē omnia sigillatim narrasse suis ciuibus, nempe qualiter ei dictum sit: quinq; habuisti viros, & hunc non esse suū, nec suo honori pepercit, vt nomē Christi celebraret, sicut Paulus, qui, vt Dei misericordiā magnificaret, antea cōtē vitae suae mala, quae contra Christū fecit, aperuit, & simul etiā, vt suis prodesset: vno ergo momēto, & fidem cōcepit, & magnos progressus in ea fecit. Euangelistam enim omisisse aliqua certum est: nā mulier suis indicauit locum, vbi erat Christus, & alia multa distinctius; aliter nō venisēt Samaritani, nisi locum scirent, & spem inueniendi eum conciperent ex his, quae à muliere audierant. Nec est mentita, dicens, *Dixit mihi omnia, quaecumq; feci*; sunt enim modi communes loquendi hyperbolici: dixit enim Christus, quae p̄cipuē in vita fecerat, licet non omnia sigillatim.

Exierunt ergo de Ciuitate, & veniebant ad eum.

ILLA dictio illationis *Ergo*, vt superius etiam annotauimus, p̄cedētem sententiam causam esse sequētis insinuat: ac si diceret; propter mulieris dictum exierunt Samaritani, vt venirent ad Christum, fidē dictis eius habentes: nā ipsa dixit, *Venite & videte*, propterea exierunt illi, & veniebant, vt viderent. Qui sua virtute mulierem impulit, vt relicta hydria ad ciues suos inuitandos, & ducendos abiret, etiam illos, vt venirent, & fidem mulieri haberent, commouit. Et verō digna est omni laude Samaritanorum facilitas, qui vno vilis mulieris dicto tantam fidem tribuerūt, vt relictis omnibus, extra ciuitatem ad videndum Christum conuolarent, & quē sui non receperūt alienigenae & extranei amplecterentur.

Interea rogabant eum discipuli dicentes, Rabbi manduca.

Ruocatur ad discipulorum historiam; dum Samaritana abiit, suosq; cōuocat populares: discipuli ignari eius, quod factū, & quod futurū erat; nempe citō fideliū magnam futurā messē, cibis emptis vesci cupiētes, rogant magistrum, vt manducet. In eo, quod rogasse dicuntur, (quod amoris fuit vehementis erga Christum) eum manducare nolle cognouerūt; Nō enim aliter rogassent eum: Cū enim Christus citō venturos Samaritanos p̄nosceret, quamuis ex itinere fatigatus, nullam tamen corporis rationē habuit, vt populi saluti consulere, distulitque corporalem suam refectiōnem, vt locū spiritali populorum pastui relinqueret: magnum p̄latis exemplū p̄bens, & discipulis, qui orbis erant futuri magistri, vt dicit Cyrillus

libr. 2. cap. 105.

Ille autem

Ille autem dixit eis; ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

ROGANTIBVS discipulis, vt cibo corporali se reficeret, cur non id tūc faciat, respondet. est autē causa, quia alius instabat cibus, nēpe animarū cōuersio, qui anteferebatur est oblatō illi cibo, quem vt sumeret, rogabant: illū autē cibum discipuli ignorabāt: nō enim Samaritanos iam iā veniētes ad Dominum, & multos ex eis, propter mulieris verbum credentes videbāt; & propterea rogabant. Illud, *Quem vos nescitis*, causam quandam habet implicitā, ac si dictum esset, quia nescitis, quid proximē futurum est; propterea rogatis me, vt manducem, nō rogaturi, si quod ego scio iā iam adesse, sciretis. Mihi haec verba insinuare videntur, Dominū discipulis significasse, vt ipsi māduccarent, ipse tamen cibo abstinuit, & propterea illum rogabant, vt manducaret; at ipse respōdet, *Ego cibum habeo manducare*, quasi diceret; Vos sine me māduccate, ego enim cibū alium expecto: Solus enim dominus ieiunare, discipulorumque lassitudini, & fami consulens, disciplinā rigorem in se exercere volebat, quāuis nemo sine ipso escas acceptauit. Quantum animarum cōuersiōnem appetat, & ea delectetur Christus, indicat, dum illam cibum vocat, cibo corporis p̄ferendum; hunc enim differre, non illum voluit. Vera est doctrina Greg. in libros Regū lib. 6. cap. 3. exponentis dictum illud Samuelis ad Isai patrem Dauid, Mittite, & adducite eum: neque enim discubemus priusquam ille veniat. Inquit Greg. cū Spiritualia instāt negotia, exteriora differantur, quia cum magna mentis quiete disponenda sunt.

Dicebant ergo discipuli ad inuicem, nunquid aliquis attulit ei manducare?

Nihil vltra cibum corporalem altius discipuli cogitantes, verbum Christi non intellexerunt: sed verba de eo, quem cogitabant, & appetebant cibo, & interpretati sunt, & inter se dicunt, *Nūquid attulit ei aliquis māduccare?* quasi cibū non caperet, quia iā allato sibi cibo ab aliquo, refectus esset. Valde depressa haec erat cogitatio: nam si de cibo corporali dictum esse putarūt, saltem an ministerio Angelorum cibus allatus ei esset, sicut cum Helia factum est, interrogare debuerunt; at non hoc inter se quærunt, sed an dū in ciuitatem ipsi abierant, aliquis homo cibum ei attulerit. Erant enim discipuli adhuc rudes, & spiritualium nondū satis capaces. Nec verba adhuc Christi rectē perpēderunt: nō qui dixit, māduccauit, sed, *Cibum habeo manducare*, quae verba non p̄teritum, sed futurū potiū, & iam iā p̄sens significant, nec manducasse, sed citō manducaturum exprimunt. Haec etiam verba indicant solū Dominum à cibo abstinere voluisse, discipulos verō ad manducandū inuitasse, aliter ratio ista nō procederet, *Nūquid attulit aliquis ei māduccare?* nā haec causa soli Christo conueniebat, si enim attulit ei aliquis cibum, sol⁹ ipse nō indigebat cibo; discipuli verō ieiuni cum essent, cibo reficiendi erant. Tenē dū ergo est, Dominum eos ad vescendum induxisse, ipsum tamen abstinere decreuisse. Verba etiam sequentia id ipsum probant. in quibus de proprio cibo loquitur, & causam propter quam edere noluerit, affert: ipse igitur solus abstinere statuerat, quamuis sciret discipulos cibum non aliter accepturos, quā si etiam ipse manducaret, aut eum cibo iam esse refectum, eis cōstaret.

Dicit eis Iesus, meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.

NON intelligētibus discipulis cibū hunc, propter quem illū corporale differēbat, apertis verbis manifestat. *Meus*, inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, et opus ei⁹ perficere. hic est cibus, quē me habere dixi, & p̄pter quē à cibo hoc vestro nūc abstineo: cibus hic corporalis cōmunis est, &

est & meus, & vester, & hominū: at hic alius mihi est peculiaris. Grecè illud *Vt perficiam* notā habet copulādi, ac si diceret. meus cibus est facere voluntatē eius, qui misit me, & perficiam opus eius. sicq; legit Au. li. 83. qq. q. 64. nēpe cū particula copulādi idē est sēsus, siue hoc, siue illo legas modo. hęc enim duo facere patris mittentis voluntatem, & opus eius perficere, cibum suā Christus appellat. His verbis non negat se vti cibo corporali debere, sed huic esse cibū spiritualē pręferendū; nec venisse in mundum propter cibū corporalem, sed per hunc, qui est voluntatem facere eius, qui misit eum, & opus eius perficere.

Quid sit facere voluntatē Patris, & quid opus eius perficere.

Duo supersunt nunc exponenda. nēpe quid sit facere voluntatē eius, qui misit eū & quod est hoc opus perficiendum. Sciendum ergo salutē hominū quę cōsistit in liberatione à peccato, & morte ęterna, & recōciliatione cum Deo, & vitę ęternę cōsecutione esse volitam & simul factam à Deo ipse est, qui voluit hominē saluū facere: ipse est, qui id fecit. de volūtate dicitur. Tim. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. de salutis effectu 1. Tim. 4. Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omniū hominū. plena est scriptura huiusmodi testimonijs. Salus ergo hominū voluntas Dei est, & opus Dei est; volūtas quidem, quia saluare voluit; opus vero, quia salutem effecit. nisi autem Deus salutem voluisset, & operatus esset, nemo saluus esset. Nulla enim creatura potuit homini salutē conferre: propterea opus Dei hoc est, & dicitur. Hanc volūtatem, & hoc opus, Deus sic est executus: filium enim suum misit in mūdum, vt homo fieret, & homini facto mandauit, & cōmisit, vt eam voluntatē, & opus hoc impleret, & exequeretur: quod Christus Dominus fecit, tū per manifestationē veritatis Dei factam hominibus prędicatione, & operibus miraculorū, quibus trahebat ad fidem, & veram Dei cognitionem; tum per instructionem, quia docuit, quę facienda ad salutem erant, instituēdo legem gratię, & sacramētorum; tū demum per redemptionē. quia pro omniū peccatis satisfecit, & hac satisfactio ne sua, nos liberauit à peccato & morte, & cōciliauit Patri, & vitā nobis meruit ęternā, quantum est ex se. Deus igitur est causa prima, qui nostrā voluit salutem, & eam effecit; Christus vt homo, est, per quē hanc suā impleuit voluntatē, & opus hoc executus est: quod docuit egregiē Paulus ad Ephe. 1. Qui prędestinauit nos, inquit, in adoptionem, filiorum per Iesum Christū, in ipsum secundum propositum volūtatis suę, in laudē glorię gratię suę, in qua glorificauit nos in dilecto filio suo. in quo habemus redemptionē per sanguinem eius. hęc Paulus. Deus ergo est, qui sua voluntate proposuit saluare Deus est, qui in adoptionem filiorū prędestinauit; Deus est, qui glorificat & gratificat nos; sed hęc in dilecto filio suo executus est, in ei⁹ sanguine nos liberauit, nos redemit; suā veritatē, & viā ad se perueniendi omnibus aperuit.

His suppositis facillē est, nunc hęc duo verba exponere. Christus voluntatē Patris facere dicitur, quia ea fecit, ad quę faciēda eū misit; nēpe vt homines ad Dei cognitionem traheret doctrina, & miraculis, & vt reliqua omnia ad salutē hominis pertinētia exhiberet. propter hęc enim venit, & missus est, & propterea dicit, *Vt faciam voluntatē eius, qui misit me*; ac si dicat; vt faciā ea, quę qui misit me, vult me facere, & ad quę faciēda me misit. Dicitur etiam perficere opus Patris, quia salutē nostram operatus est, quę appellatur opus Dei, quia Deus est, qui salutem operatus est, & fecit; at Christus vt homo, est, per quem Deus eam fecit. Pręterea quia Deus re vera in cœpit solus salutem operari, initium enim salutis fuit filium Dei hominem fieri; hoc autem opus solus Deus fecit. solus Deus est, qui misit filium, & carni copulauit; filius autem homo factus salutem inceptam perfecit, id est, per ipsum Deus salutem perfecit. Hęc in annotationibus sequentibus copiosius declarabuntur, & exponentur.

Christum quo modo opus Patris perfecit.

Voluntas in scripturis triariam sum ptā.

NON eodem modo verba superiora Doctores exponunt, ideoque sciendum est: Voluntatem in scriptura multimodis sumi; tamen pręcipuē trifariam; Primò significat ipsam potentiam, & facultatem animę, qua volumus, aut nolumus. Sic dicitur 1. Corin. 6. Qui statuit in corde suo firmiter non habens necessitatem, potestatem autem habens suę voluntatis. Secundo modo, significat facultatis ipsius actum; per quem nolle, aut velle dicimur. Roman. 10. Voluntas cordis mei, & obsecratio. Matth. 18. Non est voluntas apud Patrem vestrum, id est, non vult Pater vester. Tertio modo significat id ipsum, quod volumus, seu nolumus, quod obiectum voluntatis appellant; quę enim volumus, etiam voluntatem appellamus. Matth. 6. Fiat voluntas tua, id est, fiat id, quod vis. & Matth. 11. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, id est, quę vult Pater meus: & de hac voluntate hic loquimur. Nam voluntatem, qua Deus vult, & actum, quo vult, nemo potest facere; sunt enim ipse Deus. Christus igitur voluntatem eius, qui eum misit, facere dicitur, quis id facit, & fecit, quod vult is, qui eum misit.

Christum aliter vt Deum, & aliter vt homo Patris voluntatem fecit.

Sciendum rursus Christum posse considerari, & vt filius Dei est, ratione suę diuinitatis; & vt homo, ratione suę humanitatis; & vtroque modo Patris fecisse, & facere dicitur voluntatem. Sed magna est inter vtunque modum differentia: nam vt Deus est, facit omnia, quę vult Pater facere, & vult quęcumque Pater vult. Cū enim vna sit vtiusque essentia, potentia, & voluntas, & intellectus quęcumque Pater intelligit, vult, facit, hęc eadem etiam & filius, indiuisibiliter, & inseparabiliter intelligit, vult, & facit, quia cū vnica sit voluntas, vnica potentia, vnica essentia; vnica vtiusque & indiuisus est actus. de hac voluntate dicitur Ioan. 8. Quę placita sunt ei, facio semper; vt exponit Aug. tract. 40. Et Ioan. 5. Quęcumque ille facit, hęc similiter & filius facit. De hac voluntate, qua prout Deus est, Christus vult facere, & facit quęcumque Pater vult, & facit, pręsentem locum exponit Origen. to. 15. in Ioan. & eandem expositionem refert Cyrill. libr. 2. cap. 105. sed re vera hęc expositio verbis accommodari non potest. Nam loquitur Christus de se, vt homo est; cū dicitur, *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, & certum est non dici, missum, nisi quia homo factus est: vt homo ergo dicitur voluntatem mittentis facere. Pręterea, quia facere voluntatem Patris, non est cibus filij, vt Deus est, sicut nec cibus est Patris facere, quod vult filius. cibus enim perficit comedentem; at facere, quę vult, non ponit perfectiōnem in Deo, sed in rebus factis: aliter Deus esset perfectior, quia mundum creauit. Non ergo hic loquitur Christus de se, vt Deus est, sed de se, vt homo est: sic enim & voluit humana voluntate, quę voluit Pater, & fecit; sed non eodem modo sicut voluit, & fecit, vt Deus. vt homo enim habebat voluntatem creatam sicut & animam:

humanitas enim ipsius creatura erat in tempore facta; propterea multa voluit Deus, quę Christus humana sua voluntate nō voluit, nec fecit; nam Deus voluit creare mundum & creauit; at Christus vt homo nec voluit, nec creauit, quia nondum erat humanitas illa facta, quę postea conformauit se diuinę voluntati; tamen prius nec voluerat, nec fecerat. multa etiam voluit & fecit Deus, antequam homo fieret, quę vt homo, nec voluit tunc, nec fecit. Cū igitur hic sermo sit de Christo, vt homo est, & hic dicitur facere voluntatem Patris, non debemus intelligere generaliter dictum esse facere voluntatem Patris, quia omnia, quęcumque voluit Pater & fecit, eadem Christus homo voluerit, & fecerit. nam hoc habet, vt Deus est, non autem vt homo. Interpretandum igitur hoc est: Christum facere voluntatem mittentis, quia facit, & fecit, quę Deus voluit per ipsum facere; sicut homo dicitur facere voluntatem Dei, non quod faciat, quęcumque vult Deus, sed quia quod faciat, quęcumque vult Deus ipsum facere. Voluit autem Pater Christum prędicare, homines illuminare, & ad Deum conuertere, vitam in salutem hominum exponere, & alia, quę per Christum ad salutem nostram facta sunt: hęc Christus dum exequitur, voluntatem dicitur Patris facere: & sic Cyril. & Chrysostom. ho. 33. & Euthy. exponunt, vt paulò post ostendemus. Rectē autem hęc expositio contextui connectitur: nam vnum ex his, quę Pater voluit Christum facere, & propter quę misit eū, erat, vt euangelizaret, & veritatem sui aduentus prędicaret. Matth. 4. Alijs, inquit, ciuitatibus oportet me euangelizare, quia ad hoc missus sum; & dum hoc fecit, voluntatem eius, qui misit eum, fecit. Cū igitur tempus esset hoc exhibendi; quia Samaritani veniebant audituri Euangelium, propterea dicit: *cibus meus est facere voluntatem eius, qui misit me*, id est, prędicare verbum, ad quod missus sum.

De Christa homine intelligendum est, quod faciat voluntatem patris.

ANNOTATIO XXII.

QVOD autem opus sit hoc perficiendum diuersè Doctores interpretantur. Origen. diuersę Patrum sententię de opere sus est filius Dei in carnem. Obijcit autem si per Christum bi Origen. Si Christus venit ad perficiendum perficiendo. opus Dei, id est, hominem, ergo Deus fecit opus suum imperfectum, quod perfici postea oportuit per Christum. Respondet suę obiectioni. Deum quidem hominem perfectum fecisse, ipse tamen ad imperfectum sese reduxit suo peccato, & ided missus est Christus, vt opus hoc peccato imperfectum perficeret. Ista doctrina vera est in hoc, quod asserit Deum hominem fecisse perfectum, non solum naturalibus, sed etiam donis gratuitis gratię, & virtutum; quod Salomon eccles. 7. docuit, Fecit, inquit, Deus hominem rectum, nec in hoc sequendus est Clemens Alexandr. libr. 6. Stromat. qui docuit hominem creatum non esse

esse perfectum, sed solum aptum ad perfectionem habendam. quod si de perfectione vltima, quæ est in beatitudine, loqueretur, verum esset. de hoc tamen non est locus amplius verendi; satis sit doctrinam Origenis in hoc verum esse, sed non rectè accommodari. Si enim in proprietate verbi permaneamus, non dicendus esset, *ut perficiam opus eius, sed ut reficiam; leu reparem opus eius*: Non enim quod primò perfectum erat, & à perfectione decedit, dicitur perfici, sed refici, & reparari. propterea Christus restaurasse, reconciliasse, reparasse dicitur in scriptura. Nò igitur obiectioni suæ ipsemet perfectè satisfacit. Præterea Dominus hoc opus declarauit, nec tamen per illud hominem interpretatus est, vbi verò habemus Christi declarationem non est cur ad nostros recurramus sensus. Ioann. 17. Ego te clarificauit super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam. profectò si quis hoc loco hominem interpretaretur, violenta esset nimis interpretatio: nec igitur in præsentia sententia homo intelligendus est esse hoc opus. Adde obiectionem, quam contra se Origenes mouit, non habere multum roboris; non enim sequitur; opus hoc nunc perficitur, ergò ante erat imperfectum: nam non solum perfici dicitur, quod ex imperfecto fit perfectum, sed quod ex perfecto fit perfectius: & iusti qui in hoc seculo perfecti sunt, perficiuntur indies, & tandem gloria superueniente perficientur. Rursus quantum sequeretur esse imperfectum opus, quod perfici dicitur, non est cur reformidemus cõcedere opus aliquod à Deo vna actione imperfectum produci, alia tamen actione ab eodem perficiendum: nam prima die mundus imperfectus est creatus, sequentibus autem ab eodem Deo est perfectus, quia sic voluit: Angeli etiam creati sunt à Deo, sed non habentes totam perfectionem, quia arbitrij flexibilis erant, postea tamen ab ipsemet perfecti, diuina sapientia omnia disponente prout vult. Quamuis ergo hominem imperfectum creasset, sine gratia, quod fieri potuit, non erat inconueniens: nam postea cum ipsemet perfecit, semper tamen, quod sit, aliquo modo perfectum est, in eo, quod sit. Hæc dixerim huius occasione obiectionis, ad nostram verò expositionem id facit, per opus hoc non esse hominem intelligendum. Aliqui hoc opus legem antiquam interpretantur, quæ opus Dei est, & hanc Christus impleuit; iuxta illud, Non veni soluere legem, sed adimplere. Matth. 5. sed nec hæc expositio verbis hisce accommodari potest: longè enim aliud est perficere legem, ac implere legem: id perficitur, quod erat, & postea manet; at lex illa non manet, sed abolita est; non ergo perfici dici potest. Aliter Chrysostr. homil. 33. & Cyrill. libr. 2. capit. 105. & Euthymius exponunt; idem enim interpretantur per hæc duo significari, nempe perficere opus, & facere voluntatem patris; hoc autem est hominis salus. Hæc expositio vera quidem est, sed aliquanto confusa, indigetque explanatione aliqua.

A Aduertendum igitur, opus hoc Dei esse. *Hominem saluum opus Christi fecit.* minimum salutem, quæ consistit in satisfactione pro omnium peccatis, & conciliatione cū Deo; Hanc quantum est ex se Christus perfecit suis actionibus, & operibus, quæ in carne fecit: quæ opera, dupliciter considerantur. Vno modo in quantum erant iniuncta à Patre Christo homini. nam voluit Pater Christum prædicare, miracula facere, pati, mori, & alia omnia, quæ ad salutem ordinata erant, & sic Christus hæc exequens dicebatur facere voluntatem Patris, quia ea faciebat, quæ Pater voluit eum facere. **B** Altero modo in quantum hæc erant effectiua salutis hominum; nam his operibus satisfacerebat, reconciliabat hominem Deo, soluebat precium nostrorum peccatorum, homines à Dæmonis, & mortis vinculo liberabat; & hac ratione per hæc dicebatur perficere salutem, & opus Dei. eadem ergo sunt actiones, & actus, quibus faciebat Dei voluntatem, & per faciebat opus Dei; tamen non eadem ratione, sed quatenus erant ex voluntate Patris, dicebatur facere voluntatem Patris; quatenus erant efficietes salutem, dicebatur perficere opus Dei. Et quamuis opus hoc sit volitum à Patre, & efficiendo nostram salutem, faciebat id, quod volebat Pater, tamen semper actio ipsa habet has duas considerationes, & ad voluntatem Patris, & ad opus, quod sit per eam, & ratione vnius dicitur per eam voluntas Patris fieri, ratione alterius dicitur perfici opus Patris. Rectè autem vtrumque coniungitur; si enim tantum diceretur voluntatem Patris facere: non significaretur actus eius efficacis fuisse salutis faciendæ; si diceretur autem tantum; perficere opus eius, non constaret esse secundum voluntatem Patris. Vtrumque ergo rectè coniungitur. Esse autem hæc duo distincta manifestum fiet, si consideremus actiones Apostolorum, & sanctorum Doctorum. Apostoli prædicarunt, annuntiarunt mundo veritatem, vitam exposuerunt pro Christo; isti fecerunt voluntatem Dei mittentis; tamen non perfecerunt salutem hominum; nec opus Dei, quia ipsi non fuerunt causa salutis, sed notam fecerunt salutem mundo: at Christus non solum fecit voluntatem Patris, sed per hæc eadem effecit nostram salutem; propterea ipse dicitur vtrumque fecisse; cū & voluntatem Patris fecit, & opus ipsius perfecit, quantum ex se est. Hoc dico, quia si salutem non omnis homo consequitur, id non est, quod salutis remedium, & salus in se non sit facta; sed quod non applicatur huic vel illi eorum vitio. Ut qui liberavit, & dedit precium pro omnibus seruis liberandis vnius ciuitatis, libertatem perfecit; quod si quis velit in seruitute manere, id non facit quin liberatio ex se non sit iam facta. Hic est sensus horum verborum.

ANNOTATIO XXIV.

QVA autem ratione cibum suum hæc Christus appellet, exponendum superest. Duplicem esse cibum, vnum corporis, alterum animæ per quandam similitudinem, & analogiam.

analogiam ad corporis cibum, multa loca scripturæ testantur, & sancti Doctores passim tradunt, nec est cur in hoc confirmando immoremur. Cū igitur cibum spiritualis animæ per similitudinem ad cibum corporis dicatur, hæc similitudo est consideranda. Est autem multiplex; prima sicut cibum corporis delectat appetitum, quando præsens est, & absens excitat desiderium & famem; ita etiam cibum spiritualis mentem & animam delectat sumpit, & quando non habetur desideratur; Vt autem cibum corporis vocamus res has corporales, quæ comeduntur, & digeruntur: sic res sacræ, & diuina mysteria cibi sunt spirituales animæ. quæ consideratione, & affectu velut comeduntur, & intus assumuntur. Non enim tractamus nunc de cibo animæ respectu naturalium obiectorum, quæ per scientias humanas habentur; cibi quidem & isti sunt: sed quantum ad locum præsentem spectat, loquimur de rebus ad Spiritum, & salutem spiritualem ordinatis, quæ animam reficiunt, sicut cibum corpus.

Est igitur prima similitudo in delectatione, & desiderio, de quo Psalm. 18. dicitur. Iustitiæ Domini recte, lætificantes corda, & iudicia Domini vera, dulciora super mel, & fauim. in qua delectatione, & gustu, magnum est vtriusque cibi discrimen. quod annotat Greg. ho. 36. Euan. Res enim corporales quæ magis comeduntur, tanto maius generant sui fastidium, & satietatem: at res spirituales quo magis eduntur, maius excitant sui desiderium, & appetitum. Altera similitudo est, cibum corporalis sustentat, & conseruat vitam corporis: cibo enim spreto deficit vita corporalis; ita etiam cibum spiritualis vitam spiritualem conseruat. Iustus enim, si negligenter viuunt, nec curat mentem & affectum spiritualibus reficere cibis, non perseuerat; sed cadit à iustitia, tentationibus peccatorum superatus.

Tertia; cibum corporalis vires reficit, confortat, & auget, cibum animæ hoc idem facit respectu virium animæ. Spiritualium enim exercitio anima robustior fit, & fortior, ad perfecti operandum, & ad superanda maiora pericula. hanc similitudinem ponit Basil. Isai. 1. in illa verba, Ieiunia vestra odiuit anima mea.

Quarta similitudo, Cibum corporis ad debitam perducit quantitatem, & staturam: nisi enim pueri cibo vterentur, at nimis modico, non crederent, nec ad mensuram staturæ debitæ peruenirent; sic frequenter cibi spirituales, animam perficiunt, & ex imperfecto, euadit homo perfectus. Sunt enim in Spiritu sua certa argumenta, & staturæ: cū sit status incipientium, profitentium & perfectorum. ut ergo cibum corporis delectat, conseruat, roborat, perficit; ita etiam cibum animæ hæc eadem operatur; & propter hanc similitudinem & analogiam, cibum vterque vocatur.

At ne occasione similitudinè erremus, considerandæ sunt dissimilitudines, quarum prima est; Cibum corporis vitam supponit: mortuis enim cibi non profunt, immo nec omnibus viuus: nam vita aliquando in ea dispositio-

Ane est, ut cibum non solum non profit, sed aliquando ob sitat cibum animæ non talis est; nam viuus semper prodest, & mortuo vitam dat. Loquor autem de morte animæ, quæ per peccatum fit, quæ hoc cibo reparatur, & reuiuificatur: nam penitentia panis quidam est spiritualis, teste Dauid. Psalm. 41. Fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte; hæc suscitant iacentem animam à morte peccati in vitam gratiæ. Secunda; Cibum quidem corporis vitam conseruat, ut diximus, tamen quantumcumque conseruet, non præseruat à morte; siue enim multum, siue parum comedamus, tandem moriendum nobis est; at cibum spiritualis conseruat vitam spiritualem gratiæ, & à morte in æternum præseruat: cū iusti cibum huc non spernentes, durent in gratia, nec eam vnquam amittant, etiam si corpore moriantur. Tertia; Cibum corporis auget, perducitque ad certam mensuram, tamen non semper: nam posteaquã ad certum terminum corpus perduxit, cessat augmentum, & continuatur nutritio, ut quod auctum est, conseruetur; at non sic cibum spiritualis se habet; sed in hoc sæculo auget, & nutrit, quia iustus semper fit iustior, nec est status determinatus viatori, in quo proficere nõ possit; tanta est amplitudo & largitas iustitiæ nobis per Christum data, ut sanctus adhuc magis sanctificari, & iustus adhuc magis iustificari valeat: ita ut status cibi huius, quando nutrit, & non augebit, sit in æterna beatitudine, quando iusti non amplius iustiores fient, sed iustitiæ suæ præmio fruuntur. Ex quo quarta dissimilitudo sequitur: Cibi enim corporis cessant in hoc sæculo; nam in altero non est manducare, nec bibere; at cibum spiritualis non cessat; immò tunc perfectissimè habetur: de quo cibo dicitur Luc. 12. Faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quinta tandem est; quia cibi hi corporales non faciunt vitam æternam, immò multis occasionem dant eam perdendi, & contrahendi mortem æternam; at cibum spiritualis dat, & ducit in vitam æternam. Magna igitur est vtriusque cibi in tanta similitudine differentia & dissimilitudo, ut ex dictis apparet.

C Quomodo Christus duo hæc cibum esse dicat.

His igitur suppositis, ne frustra dicta esse videatur, oportet explicare, qua ratione hæc duo voluntatem Patris facere, & opus eius perficere cibum, & suum Christus appellet, nõ enim omnes similitudines, quæ in nobis locum habent, veras esse in Christo existimandum est. In primis cibum corporalis, & spiritualis dicebatur conseruare vitam vtramque, quia cibo non sumpto, vita vtraque perit: hæc in Christo similitudo locum non habet. opera enim Christi non conseruabant gratiam humanitatis eius, quasi gratia non esset, si talia non fierent. non sic certè est, quia gratia animæ Christi procedebat ex vnione ad verbum, quæ indissolubilis erat diuino decreto, & beneplacito, vnde opera non conseruabant gratiam; sed potius gratia, & vita spiritualis conseruabat; & causa erat operum. Ut enim aliàs dicemus, Christus, ut homo, propter vnionem ad Verbum, peccare non poterat. Dicebatur deinde cibum

quatuor si similitudines inter cibum corporis, & cibum animæ.

Quomodo Christus duo hæc cibum esse dicat.

de cibis vterque vires tam animæ, quam corporis roborare, reficere, & augere. hoc in Christo non apparet, qui robustior non fiebat per actus, quos continuo meritorios, & spirituales, implens voluntatem Patris faciebat, qui ab instanti incarnationis, vsque ad vltimum mortis fuit gigas viam suam currens, nec cibo vires hæc spirituales refecit, aut auxit. Rursus cibum vterque dicebatur perficere, & augmentum præbere: at in Christo aliter euenit, cum per opera, gratia ipsius animæ nullum susceperit augmentum; semper æquè perfectus, & æquè Deo gratus ab instanti incarnationis. Quod si dictus est creuisse scientia, & sapientia, id fuit, quantum ad offensionem, quia quotidie magis ac magis quid intus esset, manifestabat, quæ alibi tractandum est. Opera quidem & actus eius merita erant nostræ redemptionis, vt idè multis modis mereretur; tamen perfectioni eius augmentum non attulerunt.

Superest igitur vna similitudo ex predictis, nempe delectationem, & desiderium asserere, & hoc ita est. Cibus enim suum vocat Patris voluntatem facere, nos saluare, nos redimere: quia sicut appetitus corporis maximè cibum desiderat, & eo habito delectatur; ita Christus desiderabat diuinam voluntatem complere, nostram salutem operari, & id faciens maximè delectabatur: de quo iustu dixit: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobis.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quattuor menses sunt, & messis venit? ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia alba sunt iam ad messem.

COMMENTARIUS.

Cvidam tacitæ obiectioni respondet. nam posset dici non esse tunc tēpus perficiendi hoc opus Patris mittentis. Si enim tempus adesset, sanè quidem cibum corporis esse differendum non diffiteretur, vt operi huic vacaretur; propterea adiunxit Dominus hæc verba, quasi diceret. Cibus meus præcipuus est vacare operi mittentis me: hoc autem est tempus, & adest hora vacandi huic operi: vtiturque metaphora, conuersionem hominum ad fidem messem appellans, quod etiam alias fecit Luc. 10. Messis quidem multa, operarij verò pauci. & est sensus; Messis hæc mea, quæ opus est Patris; non est sicut messis frugum; nam hæc quattuor mensibus distat; at mea tamen ecce adest; *Leuate enim oculos vestros, & videte regiones; quia alba sunt ad messem.*

Metaphorica locutione hanc significat Samaritanorum iam iam venturum propinquam conuersionem. Habet adhuc ista sententia argumentum quoddam, quo Christus se iure à cibo illo abstinere probat; quasi dicat, Nonne vos dicitis, id est, curam vos geritis de messe materiali, multo tempore priusquam veniat: nam dicitis, post quattuor menses veniet. iure ergo potiori curam geram ego non distantis, sed iam iam imminentis messis spiritualis. discipuli enim, vt fieri solet, paulò antè dum iam pullulantia semina viderent, dixerant post menses quattuor erit messis. propterea Dominus hoc eorum verbum assumens argumentatur, se æquiori iure non absentes, sed præsentis messes considerare. Quibus etiam verbis eos exhortatur, & inducit ad opus hoc, vt qui considerant de longinquo cibum corporis, considerent etiam proximum cibum animæ; insinuans gentium iam aduentare conuersionem: similiter & populorum, ad quam ipsi erant mittendi. Metaphora autem

Nonne illa que his verbis subinducuntur.

Acum. & ita Chrysofost. homil. 33. exponit hanc similitudinem. Maximas ergo tenemur illi gratias agere, & ei inseruire, qui, cū tam acerbum esset redemptionis opus, nihilominus tanto, tamque vehementi gustu appetebatur à Christo, vt cibum appellaret, omni corporis sui cibo præferendum, non negat Christus cibum corporis sibi esse sumendum, & esse hanc voluntatem Patris, vt comederet; sed postponendum hunc cibo illi, nec se propter istum, sed propter illum venisse. Habes qua de causa cibum vocet, sed quare suum adiunxit, percontabitur aliquis? Dico, quia perficere opus Dei, quod est salutem hominum facere, solius fuit Christi; qui solus redemptor est. propterea dictum est Isa. 63. Torcular calcaui solus, quæ verba Hieron. ibidem, & Atha. quæst. ad Antioch. quæst. 110. exponunt; quia nec homo, nec angelus sufficiens fuit salutem facere: propterea dictus est solus calcauisti torcular. Hoc idem his verbis nunc dicitur; Meus cibus est perficere opus eius. Facere autem voluntatem Dei, commune est multis, vt à principio diximus, omnes enim voluntatem Dei facere tenemur; tamen facere voluntatem eius, qui misit eum, solius est Christi, qui solus à Patre missus est; vt faciens eius voluntatem, perficiat humanam salutem: propterea dicitur.

Cum est; meus cibus est, &c.

autem vtitur ista, quia sermo erat de cibo, qui ex futura messe pendet. & si, vti diximus, tanta cura de cibo corporis geritur, vt tam distans messis consideretur; multo magis messis, ex qua cibus est spiritualis, consideranda est, cū sit iam præsens. Illa autem locutio, *Adhuc quattuor menses sunt, & messis venit,* est phrasis Hebræa pro eo, quod Latine dicimus; post menses quattuor erit messis. Similis phrasis habetur Genesis 40. Tres adhuc dies sunt, & recordabitur Pharao ministerij tui; & iterum; Tres adhuc sunt, & auferet Pharao caput tuum, & Ionæ 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Hic est sensus horum verborum, & cum præcedentibus connexio.

ANNOTATIO XXV.

MULTI, ex his verbis tempus, in quo hæc Samaritanorum conuersio facta est, colligentes, asserunt ad finem mensis Martij fuisse, quia post quattuor menses messis fit; quæ secundum hanc computationem in mense Iulio fieri deberet. Tamen in contrarium duo obstant, vnum est, quia in Palæstina regione multo citius, nempe ad finem Maij metitur. Alterum est scripturæ testimonium: nam vt ex Exodi 34. & Leui. 33. deducitur, messis erat inter Pascha, & Pentecostem, quod non fieri mense Iulio, sed Maio compertum est. ex quo sequitur hanc historiam ad finem Ianuarij potius actam esse, decem fere mensibus postquam Dominus

Aiecit in Hierusalem de templo ementes & vendentes, tempore Paschatis, quando fuit cū Nicodemo factum colloquium, post quod Christus in terram Iudæam baptizare profectus est, & ibi vsque ad hoc tempus commoratus, & hæc sequentibus magis consonant. Cyrilli, lib. 2. cap. 106. ineunte verè hoc factum esse dicit; tamen quando initium hoc veris sit, non expressit: non enim idem est initium veris in omnibus regionibus; sed tardius aut citius vario regionum situ: si autem situm Palæstinæ consideramus, inuenientur certa esse, quæ dicta sunt.

Quo mense euenierint, quæ hic referuntur.

Et, qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam.

COMMENTARIUS.

Induxerat verbis præcedentibus discipulorum animos, ad hanc hominum messem considerandam, nunc etiam ad metendum inuitat. Futuri enim erant operarij & messores mundi. Allicit ergo eos magno & insolito præmio proposito, quod multum differt à præmio, & mercede messorum temporalium. nam qui temporalia semina metunt, mercedem accipiunt, & laboris stipendiū, fructus tamen sibi non congregant, sed domino; operarij enim fructus non percipiunt, sed Dominus. præterea qui congregant fructus, sibi quidè recedunt in horrea, sed ibi non permanent, quia vsu consumuntur, nec durat gaudium, quod ex illis processit. gaudent quidem dum congregant, dum habent in horreis, tamen eis consumptis gaudium cessat; at non sic est in messe spirituali, sed qui metit, habet mercedem; quia pro labore præmium habet à Deo. Rursus præter mercedem sibi ipsi congregat, quia fructus cedunt in magnam vtilitatem messorum: fructus autem sunt homines conuersi, & salui, opera & labore prædicantium, & Apostolorum: cedunt autem in vtilitatem vltra mercedem essentialem, quia non tantum gaudet vllus homo fruge, etiam copiosissima temporalis percepta, quantum gaudent Apostoli, & Prædicatores in æterna gloria ijs, qui opera sua, & labore conuersi salui sunt. Præterea fructus hic non reponitur in horreo consumendus, sed in vita æterna, vt gaudium fructus duret etiam in æternum. iure ergo propter hanc messem cibus corporalis differtur. Hæc verba non propter se, sed propter discipulos Dominus protulit. ipse enim mercede hac non indigebat, qui ab instanti incarnationis erat beatus, & ex vnione ad verbum omnis ei gloria debebatur. discipulis hoc conueniebat, quos tanto præmio ad messem orbis iam iam aduentantem disponebat, & eorum animos alliciebat. De gaudio metentium collecto fructu argumentum magnum habemus, ex verbo Domini Luc. 15. Gaudium est in cælo coram Angelis super vno peccatore penitentiam agentem.

Quid inter Christi operarios, & reliquos messores interfuit.

te; igitur maius gaudium de æterna eius salute erit: nam si gaudent Angeli, & illi, quorum opera non factus est fructus, quanto magis gaudebunt, quorum opera, labore, & sudore peccatores conuersi sunt, & salutem sunt adepti. De mercede habemus Dani. 12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt.

Vt, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

Differentiam aliam constituit inter messem spiritualementem, & materialem: in hac enim sæpe accidit, vt vnus seminet, alius autem metat, & qui seminat, non gaudeat fructu, sed solùm, qui metit; at in hac messe non ita fit, est quidem vnus, qui seminat; alius, qui metit, tamen vterque gaudet eodem eodem fructu. Patriarchæ, & Prophetæ, qui prima fidei principia labore, & sudore iactarunt, sunt velut seminatores; Apostoli, qui populos per Patriarchas, & Prophetas dispositos ad Christum conuerterunt, sunt velut messores, tamen fructu, nempe salute conuersorum, tam hi, quàm illi gaudent. Hęc particula, *vt*, non causam, sed consequentiam significat, quod sæpe in scriptura fit, & postea annotabimus, vt sit sensus; Congregat fructum in vitam æternam, ex quo sequitur, vt, & qui seminat, & qui metit, simul fructu gaudeat. si enim fructus consumeretur, gauderet solus mentes, at cum maneat in æternam vitam, nõ solus messor, sed sator etiam fructu tali in æterna vita gaudebunt. Hęc sententia in sequentibus verbis magis explicabitur: nam quæ sequuntur, ad eam pertinet.

In hoc enim est, verbum verum quia alius est, qui seminat, alius est, qui metit, ego misi vos metere, quod vos non laborastis, alij laborauerunt & vos in labores eorum introistis.

Prouerbio vulgari vti dicitur Christum, & illud exponit.

Prouerbiũ erat apud Iudæos; vnus seminat, & alius metit; quo significabatur sæpe vnum esse, qui laborat, alterũ verò, qui laboris gaudet fructu. Cũ autem Dominus de hac messe locutus fuerit, quæ est in hominum conuersione, & differentiam à messe materiali constituerit, quod in illa, simul qui seminat, & qui metit, gaudet, & his verbis vnum esse metentem, alium seminantem indicauerat; hoc nunc exponit, & prouerbiũ refert, & declarat, & est sensus. Prouerbiũ illud, vnus est, qui seminat, alter, qui metit, in hoc verũ est, quia reuera vnus est, qui metit, alter qui seminat; nempe quantum ad personarum multitudinem. In eo quod dicit, *in hoc est verum*, significat non in omnibus esse verum: nam in hoc, quod vnus laborat, & alius laboris fructu gaudet, nõ est verum; quia, qui seminat, & qui metit messem hanc spiritualementem, simul gaudent. in materiali messe in vtroque verũ est prouerbiũ, quomodo autem verum sit exponit: nam, *Ego vos misi metere, quod vos non laborastis*, nec seminastis: Patriarchæ enim, & Prophetæ, qui prima fidei initia plantarunt, & populos ex infidelitate conuerterunt, fuerunt vt seminatores; at Apostoli missi ad conuersionem horum, ad Christum recipiendum, & in eum credendum, vt messores, qui metunt aliorum semina; iam enim Iudæi ex Prophetarum, & Patriarcharum doctrina, & prædicatione credebant in Deum, sperabant in Christum, quæ futura erant mysteria in figuris, & vmbis confitebantur. omnia hæc, vt semina, & germina erant, messis erat in venturo Christo futura, vt in ipsum crederent, & eum reciperent. Missi sunt Apostoli ad hanc velut messem, propterea dicitur *Alius est, qui metit, alius qui seminat*; & in hoc verum est prouerbiũ, quia differentes sunt personæ seminantis, & metentis; sed non in eo verum, quod vnus laborat, alter fructu gaudet. quia in hac messe vterque fructu gaudet. Et reuera ita fuit: populus enim dispositus prophetijs, figuris, lege, & alijs, quæ primi illi iactarunt, & posuerunt, faciliorem habuit viam ad fidem Christi recipiendam; ex quo fit, vt sæpe Euangelistæ testimonio Prophetarum, & legis in confirmationem eorum, quæ prædicauerunt sint vsi; ita hunc locum Iren. li. 4. ca. 40. latè, & doctè exponit, & Greg. lib. 9. mor. cap. 16.

Notat

Notat Aug. serm. 42. de sanctis hanc messem Iudæos tantum significasse; in his enim seminatum erat, & conuersio eorum, vt messis fuit; quia iam per Patriarchas, & Prophetas populus ille dispositus erat; at respectu gentium Apostoli seminatores fuerunt. nulla enim fidei dispositio, immò & errorum, ac infidelitatis tenebræ, & morum corruptela, ac peruersitas erant; in his laborarunt & seminarunt. Et hoc verum est, eaque ratione Irenæ. lib. 4. cap. 41. exponit verbum illud Pauli 1. Cor. 5. vbi se plus quam omnes laborasse dicit, quia missus est ad gentes, in quibus nulla dispositio fidei præcessit; sed prorsus legem Dei, & Deum ignorabant, missus est seminare simul, & metere, & seminare quidem in terra, non solùm vbi semen Dei iactum non erat, sed quæ pessimis, & contrarijs seminibus, & arbutis plena erat. Attende circa verba præterita hæc, *Misi vos, introistis*, significare iam inceptam messem per eos, quia iam in Christi nomine baptizauerant; tamen perfecta messis Iudæorum cõpleta est, post Domini ascensionem. Rectè autem Dominus messem vocat, vt vnam, & eandem fidem esse ostendat Patriarcharum, prophetarum, & Euangelicæ; eundemque Deum, & veteris & noui testamenti auctorem; & se esse eundem Christum, qui à prophetis prænunciatus, promissus, & figuratus erat. Non est autem villo modo probanda doctrina Orige. tom. 13. hunc locum sic exponentis: Angelos corpora hominum formare, & animos introducere, vt fiant homines, & hos dici labores aliorum, in quos & Apostoli introierunt; sed falsa est hæc doctrina, & à sensu Ioannis aliena.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcunq; feci.

Ad historiam Samaritanorum persequendam reuertitur Euangelista, & multos ex eis credidisse narrat: propter testimonium mulieris affirmantis Christum sibi omnia quæcunq; fecisset, aperuisse. Et attende hos credidisse antequam ad Christum accessissent, & credidisse dicuntur, non solùm mulierem vera narraffe; sed etiam credidisse in eum, id est, crediderunt illum esse verum Christum, & Messiam. Laudanda est profectò horum in credendo promptitudo & facilitas, qui antequam ad Christum accederent, fidem derunt, etiam plus credentes, quam mulier illa prædicabat. hæc enim non affirmavit omnino Christum esse, sed, Venite, & videte, inquit, an Christus sit; at hi sine mora crediderunt ipsum esse. sed magis est miranda, & commendanda Christi virtus, & efficacia, qui antequam videretur, & priusquam suæ doctrinæ verbum diffunderet, eorum corda conuertit: qui antequam supra orientem ascendat, efficacia sui splendoris mundum incipit illuminare. More hebræorum repetit eadem verba, quæ mulier dicebat, *Dixit mihi omnia, quæcunq; feci*; Latine potius diceretur; testimonium perhibentis, Christum dixisse ei omnia, quæcunq; fecerat.

Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret, & mansit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter sermonem eius.

Rogatur Dominus à Samaritanis & ibi duos manet dies, & exaudit preces, quarum, vt fieret, ipse auctor erat: nisi enim diuina virtute eorũ corda mouisset, & pedes claudi ad veniendum, & lingua ad rogandũ muta extitisset. Multo plures crediderunt propter verbum, & sermonem eius, nepe Christi, quàm crediderant propter mulieris verbum; iam enim Soli fulgentissimo appropinquauerant: & quod tam multiplex sermo, & tam multa, ac insolita miracula apud hebræos non fecerant; simplex verbum in Samaritanis effecit, nullo alio miraculo edito: miracula enim propter infidelitatem

R 4

tatem

Apostoli vni spectu Iudæorum messorum, gentium vero etiam seminatores fuerunt.

tatem fiunt; vbi ergo tantam fidem solo sermone inuenit, miracula non erant necessaria; in quo eorum fides magis etiam commendatur. Illa particula, *Ergo*, illationem quandam denotat: nam dictum est; Exierunt è ciuitate ad illū: venerunt igitur, quia exierunt.

Et mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuiimus, & scimus, quia hic est verè saluator mundi.

Qui Samaritanorum credentium dixerint hæc verba,

Verba sunt hæc non omnium Samaritanorum credentium, sed eorum, qui antequam accederent, propter verbum mulieris crediderant, cum autem accessissent, & Christum ipsum audissent, confortati & confirmati in fide, dicebant mulieri; iam non credimus propter verbum tuum, quasi dicerent; prius credidimus propter tuum sermonem, sed nunc maius habemus testimonium credēdi, quàm tuum: non indigemus minori, vbi adest maius. His verbis significant se, quamuis nunquam propter Samaritanam credidissent, propter verbum Christi, quod audierunt, credituros. Quid autem credant exprimunt: Credimus hunc esse verum mundi saluatorem. Illustris est profectò confessio omnia complectens, *Hic est verè saluator mundi*: fortis, & constans fides est, quæ non indiget miraculo, sed probatione relicta, verbo simplici Christi fidem integram præbet. *Audiuiimus*, inquit, quia fides ex auditu, *Scimus*, autem, vt fortem, & certam, & omni dubio liberam fidem se dedisse ostendant: vtuntur verbo scientiæ, tamen fides erat; quia, quod credebant, non dum videbant, hominem enim solum videbant, sed mundi saluatorem credebant. Illud verbum, *Loquelam*, non loquacitatem significat, vt aliquando verbum Græcum *λαλία* sonat, sed ponitur pro λόγος, id est, propter sermonem. Bis repetita particula, *Quia*, non causam, sed declarationem infert. posita autem est vtrobique loco, quod in scientijs, & opinionibus humanis sæpe accidit, vt alicui veritati assentiamus, moti vna, aut altera ratione probabili; at postea rationibus, & argumentis fortioribus accedentibus, ita roboratur assensus, vt iam non ex priori illa ratione dependeat, sic etiam multi initium credendi habuerunt ex miraculo aliquo; at postea lumine diuino à Deo ita sunt illustrati, vt non iam ex miraculi efficacia eorum fides: sed ex luminis virtute perseueret, & hæc perfectior, & purior est fides, quæ minus vtitur ratione, aut argumento credendi; quod istis Samaritanis concessum est.

Post duos autem dies exijt inde, & abiit in Galilæam.

Completis duobus diebus, quibus propter preces Samaritanorum in ciuitate illa prædicans, & conuersionem eorum ad fidem adiuuans, manserat, prosequitur iter inceptum: nam ex Iudæa recesserat, vt in Galilæam veniret, ex itineris autem necessitate, quia Samaria media erat, per eam transferat: profecto igitur negotio, cuius causa commoratus fuerat, & iter inceptum distulerat, viam in Galilæam prosequitur. Quæ autem Christus Samaritanis prædicauerit, & locutus fuerit, Euangelista silet, fructum mansionis eius, & prædicationis in tanta conuersione significasse contentus; nec est cur, quæ ipse tacuit sciens, nos, quæ nescimus, humanis discursibus, amplificemus, aut inquiramus.

Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet.

Quam hæc verba connexionem habeant, ex alijs est Euangelistis explicandum. huius regressus in Galilæam ex Iudæa meminuit Matth. cap. 4. & refert relicta ciuitate Nazareth venisse in Capharnaum. hoc nunc Ioannes subin-

subindicauit. *Abijt*, inquit, *in Galilæam*: & quia ciuitatem suam Nazareth relinquit ad eam non diuertens, propterea dicitur, *Testimonium perhibuit quia in patria sua Propheta honorem non habet*. quasi diceret, abiit in Galilæam, & in Nazareth patriam non diuertit, sed in vltiorem locum transiuit; quia in patria sua Propheta honorem non habet, id est, propter eorum infidelitatem: sciebat enim eos non credituros ei. Nam prouerbum commune in eis est verificatum, in patria Propheta honorem non habet; quod prouerbum ipsemet Dominus de eisdem pronuntiauit; non quod Dominus honorem ex eis quæreret; sed propter fidem, quæ eis erat ad salutem necessaria. *Exactior declaratio huius loci ex annotatione sequenti habetur.*

ANNO TATIO XXVI.

Patres diuini modis hæc interpretantur verba.

AVGVS. tract. 116. sic continuat hæc verba, quasi sint dicta Samaritanorum collatione: duobus enim diebus mansit apud Samaritanos, & multi crediderunt, & venit in Galilæam, quam patriam vocat, & mansit ibi biduum: tamen credentes non inuenit, & sic testimonium perhibuit, quod in sua patria Propheta honorem non habet. violenta videtur expositio: nam verba non Galilæam, sed propriam patriam significant. Chrysoft. hom. 34. duplex patriæ solum Christi numerat: alterum, in quo carnè sumpsit, & hoc erat Nazareth: alterum, in quo diutius commoratus est, & hoc Capharnaum erat, dicit ergo Chrysoft. non de Nazareth dictum hoc esse, Nemo Propheta in patria honorem habet, sed de Capharnaū, ad hæc enim Dominus in hoc regressu non diuertit, in Nazareth verò potius receptum esse affirmat honorificè. Cyrill. autem libr. 2. cap. 113. de Nazareth hoc dictum esse asserit: quæ patria Christi, quia ibi nutritus erat: reputabatur: ad hanc enim Dominus nunc non diuertit, sed aliò viam direxit: & re vera hæc expositio probabilior est: nam habemus testimonium Matth. 4. qui post Ioannis vincula regressum hunc eundem à Iudæa in Galilæam narrans, dicit reliquisse Nazareth; præterea Lucæ 4. & Matth. 13. legimus de Nazareth dictū esse, Nemo Propheta in patria sua honorem habet. hoc igitur in loco, eadem Nazareth intelligenda est: tamen est attendendum, quando à Ioanne dicitur, Dominū testimonium perhibuisse, Prophetam in patria sua honorem non habere, sic intelligendum esse, quod Dominus noluit ire in ciuitatem suam Nazareth: & causam hanc

Aesse à Domino tunc expressam; quia Propheta honorem non habet in patria sua. ac si diceret, propter incredulitatem eorum, quam futuram sciebat, noluit eò diuertere: & hoc prouerbio vtens Dominus tunc pertransiuit: postea Dominus iterum hoc prouerbio vsus est; nam post hanc historiam aliquanto intercedente tempore iuit Nazareth, nolensque signa in ea facere, quæ uis rogatus, dixit: Nemo in patria Propheta honorem habet, & hæc narrat Luc. 4. & Matth. 13. Est autem cautè attendendum, quod quamuis idem sit regressus à Iudæa in Galilæam; cuius meminerunt Matth. 4. Mar. 1. & Luc. 4. cum hoc, quem refert Ioannes; tamen historia, quæ refert Lucas, & coniunxit cum hoc regressu, fuit postea, & per anticipationem narrauit, nempe qualiter fuit in Nazareth, & ea quæ tunc acciderunt; vt rectè annotauit August. lib. 2. de consent. Euang. capit. 42. at in hoc regressu non diuertit ad Nazareth, sed eam reliquit, vt dicit Matth. postea verò post aliquod tempus, venit Nazareth, & factum est, quod narrat Lucas, & Marcus, tuncque dixit ipsemet Nazareis, Propheta in patria sua honorem non habet; at nunc non ipsis Nazareis id dixit, sed de Nazareis id testatus est discipulis suis, quasi reddens causam, quod ad Nazareth non diuertit. Scio aliquos aliter dicere; sed hæc mihi sententia probabilior visa est; sensus autem literalis illius, *Ipse testimonium perhibuit, quod in patria Propheta honorem non habet*, hic est, Ipse Dominus dicto, & facto suo confirmauit prouerbij illius communis veritatem: Nemo Propheta in patria sua honorem habet.

Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo, & ipsi enim venerant ad diem festum.

COMMENTARIVS.

Honorificè à Galilæis excipitur; nam ipsi venerunt ad diē festū Paschæ in Hierusale, & testes oculati fuerūt, & doctrinæ, & signorū, quæ tunc operatus est, & quomodo è tēplo eiecit vendētes. propter signa igitur hæc, quæ viderant tūc, venientem nunc excipiunt cū honore. Multū in hoc Samaritanorū fides commendatur, cum enim nullum vidissent signū, non solū exceperūt, sed in eum crediderunt; at hi propter signa exceperunt eum; tamen an in eum credi

Samaritanorum fides commendatur.

crediderint; non exprimitur: Iudæi verò etiam in multis signis, nec crediderunt, nec exceperunt, sed eum persequebantur. Qui Galilæi sint isti, non describit Ioannes in particulari, sed eos esse dicit, ad quos primò regrediens diuertit.

Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum.

ILLA particula, *Ergo*, si rectè percipitur, sententiæ sensum valdè illustrat: nã illationem tacitam insinuat, & est sensus; Quia patriã propriã reliquit, nec ad eam diuertere voluit, propterea venit in Cana, quæ erat proxima Nazareth, locus enim ad diuertendum illo die commodior non erat, tum quia vicinus, tum quia notus ibi ex miraculo, & ex familiaribus, & consanguineis ibi commorantibus erat. Adiecit autem miraculum, vt ab altera Cana distingueret, quæ longius aberat à patria. Fieri etiam potest non solum propter distinctionem positum esse illud, *Vbi fecit aquam vinum*, sed etiam, vt significaret ibi esse iam fidei iacta semina aliqua, ad quæ augenda, etiam nouo miraculo accedere voluit.

Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

MIRACVLVM describit, quod in Cana Dominus operatus est. *Erat*, inquit, *quidam Regulus*, Capharnaum, cui erat filius, & hic infirmabatur. *Regulus* dicitur, non quasi rex paruus, sed vt Hiero. Isai. 65. exponit, quasi regius, seu de aula regis, siue palatinus. Chryf. verò hom. 34. siue quod regio esset genere, siue quod aliqua principatus dignitate fungeretur. Interpret noster legisse videtur, βασιλικός; propterea vertit Regulum; at Hieronymus & alij legunt, βασιλικός; propterea vertunt aulicum palatinum, aut de genere regio, aut ministrum Herodis, siue Cæsaris. Hieronymus loco citato videtur eum gentilem esse affirmare, sicut erat Cæturio, & Chananea; immo Chryf. refert aliquos existimantes esse illum Centurionem, de quo Matth. 8. facta est mentio, quãuis id ipse non prober: alij Iudæum affirmant. Origen. tom. 15. in Ioan. incertum esse asserit, quis iste, & qualis fuerit; certius tamen arbitror fuisse Iudæum; id ipsum enim indicant Saluatoris verba, *Nisi signa, & prodigia videritis, nõ creditis*: nam verba sunt Iudæorum infidelitatem, & duritiem exprobrantis. Hoc tamen certum est ipsum nobilem, & diuitem fuisse, habebat enim seruos, & familiam numerosam, vt ex verbis sequentibus patet. Hinc deduci potest, quã parui momenti sit apud Deum nobilitas, & diuitiæ, quando deest fides, & Dei gratia. Ecce hic regi, & diues, sed modicæ fidei, quis, & qualis fuerit ignoratur.

Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius; incipiebat enim mori.

CVM audiret Regulus Christum venisse iam in Galilæã, egressus à patria Capharnaum venit ad eum, & rogat, vt descenderet, & secum veniret, & filium eius sanaret, erat enim morti proximus. Quãtum ad litteram attinet, aduertendum est, verbum, *Descenderet*: erat enim locus, ubi Christus erat, nẽpe Cana in situ eminentiori, quàm Capharnaum; hæc enim magis erat maritima, & propterea inferior, quamuis esset in monte posita. veniens ergo à Cana in Capharnaum, descendere dicebatur. Illud autem, *incipiebat mori*, græcè ad verbum habetur, futurus erat mori, id est, erat iam desperatus à medicis, morti proximus; & est particula, *Enim*, qua causam insinuat, quasi diceret, *Venit ad Christum, & rogabat, vt descenderet ipse ad sanandum, quia iam nulla ars medicinæ illi prodesse poterat, sed erat lethalis morbus, hac de causã à Christo petebat illum sanari.*

Quantum ad sensum spectat, iam Christus, & ex miraculo factò in Cana, & ex ijs

ex ijs, quæ tempore Paschæ fecerat in Hierusalẽ, celebris erat, & magna polle-
re virtute credebatur. Fama igitur aduentus eius facilè ad loca vicina diffun-
debatur, quãdo aliquò perueniebat; vnde Regulus existens Capharnaum,
potuit audire facilè, venisse eum in Cana, quæ non multum distabat, maxi-
mè quia necessitas diligẽtiores facit homines, in inquirẽdis ijs, à quibus auxi-
lium sperant. Rogabat autẽ, vt descenderet secũ Christus: forsã nobilitas, &
diuitiæ eũ audacè ad id petendũ faciebant, seu quod probabile est, amor vehe-
mens filij, quem in tanto periculo positum videbat: nã quo vehementius ali-
quid desideramus, & appetimus, eo confidentiores, & audaciores ad ea, qui-
bus obtinere, & consequi id possumus, efficimur. Finem aliquã hunc habuisse
Regulum affirmat Greg. hom. 20. Euang. nec id negari potest, nisi enim cre-
didisset Christũ sanare posse etiãsi filius morti esset proximus, & desperatus,
vtique ad eũ non venisset, nec rogasset, vt descenderet. sed valdè parua, & de-
bilis erat; quod ex aliquibus deducitur; Primò, vt dicit Gregorius, quia presen-
tiam eius rogat, quasi absens sanare non posset; Secundò id colligit Chry. ho.
34. quia veniente Christo in Galilæam accessit; si enim perfecte credidisset, in-
tãto filij periculò Iudæã petere nõ neglexisset; quod si timuerat, ne Christus
è Iudæa non venisset, adhuc hoc ex imperfecta fide erat; Tertiò colligit idem
Chryf. quia ob incredibilem filiorum amorem, non modò, quibus confidit,
medicis, sed & quoslibet compellare parentes solent, ne quid in aduersã fili-
orum valitudine omittant, & hac de causã ad Christum venit. Alia sunt ar-
gumenta imperfectæ huius fidei, quæ ex sequentibus verbisprehenduntur.

Dixit ergo Iesus ad eum, nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.

VERBA sunt hæc reprehensionis parvæ fidei, & incredulitatis huius Regu-
li: & illa particula, *Ergo*, superiorem sententiam causam reprehensionis
continere denotat, quasi diceret Euangelista; quia accedens ad Christum de-
bilẽ fidẽ, & cũ multa infidelitate coniunctã ostendit: propterea audire meru-
it verba hæc à Christo, quæ sequuntur reprehensionis. *Dixit ergo Iesus ad eũ,*
ac si clarius dictum esset; parũ credidit, ergo dignus reprehensionẽ audire fuit
Est autem sensus: Vos non creditis, nisi signa, & prodigia videritis; id est, prius
vultis videre signa, & prodigia, quam credere; parum hoc est, non sufficiunt vo-
bis multa signa facta ad credendum, sed adhuc signorum, & prodigiorũ abun-
dantiã queritis ad credendum. Reprehenditur Regulus, quia audierat multa
Christum fecisse, quæ sufficere debuerant, vt crederet Christum perfectè sa-
nare posse, & tamen non credebat, quod non illius solum, sed Iudæorum vi-
tium commune erat: propterea numero vitur plurali, quandam insinuatio-
nem ad Samaritanos faciens, qui sine miraculis crediderant.

Sciendum Christi miracula fuisse opera quædam misericordiæ, quibus ho-
minum infirmitatibus subueniebat: simul etiam argumenta fidei, quibus su-
am diuinitatem probans eos ad sui fidem conuertere studebat, quod etiam ad
opus misericordiæ pertinet; immò eo maius opus, quo maior est infirmitas
animæ, maximè infidelitas, quàm corporis. Quamuis autem miracula Chri-
sti vtrumque in se complectebatur, tamen sic erat dispositũ, vt miracula præ-
cipuè propter fidem fierent; quod si corporibus Christus medebatur, eò ten-
debat, vt animas sanaret, & ad fidem alliceret: eaq; de causã nunc etiam factũ
est, vt roganti Regulo filij sanitatem, ipse Dominus ad eius infidelitatem re-
mouendam, & fidem perfectam inducendam prius se conuerteret. Sollicitus
erat pater de infirmitate filij, & venit ad medicum, ignarus se maiorem pati
infirmitatem; medicus salutis ita rogatẽm patrem pro filio exaudit, vt ad eius
infirmitatem, quæ maior erat, neque tamen ab ea liberari rogabat, se mi-
sericorditer conuerteret: ad has enim infirmitates sanandas
potius venerat, & ob eas miracula erant faciendã, &
corporum ægritudines tollendã.

Qua ratione
Regulum re-
probandi me-
ritò potuit,
quis sine mi-
raculis non
credidit.

DIFFICILIS hoc loco occurrit difficul-
tas: quia scilicet ratione Dominus Regulum
hunc reprehendit, quod sine miraculis non cre-
dat in eum. cum tamen ipsemet doceat, &
fateatur, Iudæos non habituros peccatum non
credentes ei, si non fecisset miracula. Ioannis
10. Si non facio, inquit, opera Patris mei, no-
lite mihi credere. & Ioan. 15. Si non venissem,
& opera non fecissem, quæ nemo alius fecit,
peccatum non haberent. Non igitur dignus
reprehensione videtur Regulus, si ad creden-
dum miracula expectet. Præterea, quia per Pro-
phetas Christum miracula facturum multa præ-
dictum erat, idque in signum quoddam, ut eum
agnoscerent, Deus dedit. quod ex multis locis
constat. estque insignis locus ille Isai. 35. Deus
inquit, veniet & saluabit nos; tunc aperientur
oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt;
tunc saliet velut ceruus claudus, & aperta erit
lingua mutorum; non igitur Iudæi obliga-
ti videbantur credere Christum esse, nisi mira-
acula viderent.

Quare po-
sitionibus o-
stendit pec-
casse Iudæos,
qui Christo
non crede-
bant, etiam
ante eius mi-
racula.

Huius difficultatis resolutio necessaria est,
verum ut non solum huius loci, sed aliorum
multorum intelligentiam habeamus, nonnulla
oportebit opponere. Primum est; Iudæi, qui
certam noticiam habuerunt testimonij Ioan-
nis Baptistæ de Christo perhibiti, tenebantur
sub graui peccato credere eum esse Christum,
quem Ioannes ostendebat, & non credentes
lethale peccatum committebant. hoc superius
in capi. 1. annotationibus tractauimus, & fa-
cile probatur illo Ioan. 1. Fuit homo missus
à Deo, hic venit, ut testimonium perhiberet de
lumine, si à Deo missus est in testimonium, pro-
fectò dignus erat fide, & sufficientem à Deo
accepit auctoritatem, ut ei crederetur, aliter
vanum esset eius testimonium.

Secundum est: etiam secluso hoc testimonio,
prædicatio Christi sola sine miraculis obli-
gabat Iudæos sub graui peccato ad creden-
dum. hoc ex Ioan. 15. verbis probatur. Si non
venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non
haberent, nunc autem excusationem non ha-
bent de peccato suo; igitur prædicatio, & ser-
mo Christi obligabat eos ad credendum, &
non credentes peccabant. Ratio autem huius
est; nam Christus verus Deus, & homo, quan-
do prædicabat, & sermonem suæ doctrinæ dif-
fundebat, non solum exterius aures, & sensus
mouebat, sed diuino motu interius corda ex-
citabat, ita ut, qui vellent, possent credere; nec
eis deerat auxilium necessarium, nisi libero

A suo repugnassent arbitrio. Et hæc est vna in-
ter alias causa, quod Dominus Samaritanos
sine miraculis conuertit, & discipulos, seu cre-
dentes in eum aliquos, ante miracula habuit,
ut sermonem, atque prædicationem iufficien-
tem fuisse ad credendum ostenderet: & quod
defectus non credendi non ex parte sua, sed ex
Iudæorum malitia proueniebat, constaret;
qui non solam doctrinam, sed etiam multa, &
magna miracula habuerunt.

Tertium est, quod Iudæi audito Ioanniste-
stimonio, aut sermone Christi etiam ante mi-
racula, quæ de ipso prædicta erant non creden-
tes, non excusabantur à peccato, ea de causa,
quia nondum Christus illa miracula opera-
tus fuerat: Nam tanto iam testimonio acce-
pto expectare debebant, quæ supererant etiam
facienda, & ut credere debuerunt Iohanni, &
Christo ipsi prædicanti, ipsum esse Messiam,
simul credere debebant facturum omnia, quæ
per Prophetas prædicta erant: quo dicto re-
spondetur ad argumentum superius factum. Er-
rant quidem prædicta miracula in scriptu-
ris, sed non erant expectanda ut crederent;
sed tanto testimonio statim habenda erat fi-
des, & expectanda ea, quæ impleta nondum
erant, aliter ad credendum expectanda essent
mors, & resurrectio, quia & hæc prædicta
erant de vero Messia, hoc ex ipso facto compro-
batur; nam Lucæ 3. Iudæorum populus credi-
dit Ioannem esse Messiam, & tamen miracu-
lum non fecerat; & Actor. 3. duos paulo ante in
Messiam receperant, & tamen illi nihil opera-
ti fuerant: quo facto ipsimet Iudæi testimo-
nium contra se perhibuerunt, non posse à pecca-
to excusari, non credentes, quia nondum mi-
racula, aut nondum omnia, quæ erant prædi-
cta, fecerat.

Quartum sit, quamuis à principio peccarunt,
non credentes in eum post Ioannis testimo-
nium, & post prædicationem Christi; longè ta-
men maius, & grauius peccatum fuit, postquàm
Dominus apertis miraculis doctrinam suam
confirmauit non credere: hæc enim erant ar-
gumenta diuina, & Dei sigillum Christum ve-
rum ostendentia, & hoc est peccatum infideli-
tatis toties à Christo redargutæ. In presenti au-
tem Regulus hic non tam reprehenditur,
quod ante signa non crediderit; sed etiam
quod post multa signa iam facta, adhuc non cre-
dat, velut prodigia, & noua alia maiora signa
expectans, cum quæ facta audierat, illi suffice-
re debuerint.

*Dicit ei Regulus, Domine descende priusquam moriatur
filius meus.*

COMMENTARIUS.

Regulus totus amore erga filium nimio præpeditus, Verbum fidei non per-
cipit, sed suam fidei debilitatem ostendit: videns enim Christum moran-
di causam necesse, dum eum, & Iudæos infidelitatis arguit; sollicitat, ut citò des-
cendat,

cedat, ne interim filius eius moriatur, quasi, si moreretur iam amplius à
Christo sanari non posset: hoc enim verba eius insinuant; quod etiam an-
notat Chry. hom. 34. Nimius appetitus rerum terrenarum, verbum fidei
multum impedire hoc factum Reguli probat.

Dicit ei Iesus, vade, filius tuus viuit.

Clementissimus humanæ salutis medicus, oblatum medicamentum vi-
dens nihil profecisse, alterum adhibet, & quem reprehensione non sa-
nauit, beneficio conuertit, exemplumque; ijs, qui salutis animarum gerunt
curam, præbet, ut multis, ac varijs modis homines alliciant, & quod vna,
aut altera via non sunt consecuti, alijs certè rationibus obtinere conten-
dant. *Vade*, inquit, *viuit filius tuus*, non est opus me descendere, vade tu, & ut
credas me absentem posse sanare, *Filius tuus viuit*, id est, sanus est hoc signi-
ficat hæc locutio, *Filius tuus viuit*, id est non morietur, ut tu times, sed vitâ
fruitur, & incolumis est. Perpende sapientiam Christi, si descendisset, & sa-
nasset, adhuc Reguli fides infirma mansisset: credidisset enim sua præsentia
illum sanasse, neque tamen potuisse absentem sanare: porro, si non sanasset,
nec descendisset, quam conceperat fidem, amisisset. Sanat ergo, ne modicam
quam habebat fidem amittat, non autem descendit, ut fides eius perficiatur,
credatque; etiam absentem sanare potuisse, & hac via & morbo filij, & Patris
infidelitati medetur.

Ex hac declaratione facilis est solutio cuiusdam dubitationis, quam
Chry. hom. 34. mouet, nempe quare Centurioni Matt. 8. non petenti respõ-
dit; Ego veniam, & curabo eum. Regulo autem huic roganti, ut descende-
ret, non annuit, Respondet, quia ille perfectus erat in fide, & credebat etiam
posse absentem sanare; at hic infirmus erat in fide, & absentem sanare posse
non credebat. Vera solutio est, quam & nos exposuimus, quia hac ratione
fidem huius perficiebat, illa autem fidei perfectionem in Centurione exer-
cebat, & ut alijs in exemplum nota esset faciebat. Greg. hom. 28. Euan. cau-
sam dat moralem: ut scilicet nobis det exemplum in benefaciendo debere
considerare Dei imaginem in homine, cui benefacimus, ut propter Deum
benefaciamus. Sunt multi, qui nobilitate, aut diuitijs, aut dignitate homi-
num mouentur, ut pro eis aliqua operentur; at Dominus hæc negligens
noluit ire cum eo; ne, quia Regulus erat, id facere videretur.

Quare Chri-
stus, qui ad
Centurio-
nem venit,
ad Reguli
domum
venire no-
luerit.

Credidit homo sermone, quem dixit ei Iesus, & ibat.

NON in eum credidisse dicitur, quia necdum fidem conceperat, ipsum esse
verè Christum, sed credidit sermone eius, & fidem hanc opere demõ-
strauit: nam non amplius rogans ut descenderet, ibat & reuertebatur Ca-
pharnaum. Aduertendum est pro loci huius intelligentia, hunc Regulum
credidisse quidem sermone Christi, quod vera narraret; non tamen, quod
ipse causa esset sanitatis, & sanum fecisset tali verbo filium, sed quasi annun-
tiasset salutem filij, & incolumitatem futuram: ut solemus dicere de infir-
mo; erit saluus, non morietur; ita hoc Christi verbum Regulus intellexit, què
enim hominem sanctum existimabat, dignum fide iudicauit; tamen non-
dum intellexerat, Christum suâ virtute tunc sanasse filium, hoc enim po-
stea intellexit, & cum intelligeret, verè credidit. Ad modum medici Chri-
stus dominus se habuit, qui medicamentum porrigit infirmo, quò non sta-
tim, sed tempore suo morbus recedat; tale hoc fuit Christi verbum respectu
morbi infidelitatis Reguli, non subito infirmitatem fidei sanauit, sed con-
tinenti tempore, quando nimirum iam à Christo recesserat; & id pruden-
tissimè factum est, ne, ut humanæ gratiæ ei agerentur, miraculum fa-
ctum esse aliquis existimaret, propterea voluit Regulo ab-
senti miraculum notum esse.

Quid Re-
gulus de
Christo cre-
diderit.

Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius uiueret.

VT Regulum à solitudine de filij periculo liberarent, & tanti gaudij citius participem facerent, & ne amplius Christum secum descendere procuraret, serui occurrunt ei, antequam ipse Capharnaum peruenisset, & filium bene iam valere nuntiant: cum enim serui sine mora sanitate filij cognita iter caperent ad eum, antequam Capharnaum accederet, peruenerunt; vt eodem planè tempore & Regulus è Cana, & serui è Capharnaum egressi fuerint hero obuiam ituri.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit?

RECORDATVS verbi Domini Regulus, nec planè tunc intelligens, quare ratione filius viuere diceretur; an quod futurus esset incolumis, an quod ipse tunc sanitatem effecisset, vt hoc cognoscat, quærit, qua hora sanitatem filius recuperauerit. Particula illa, *Ergo*, consecutionem indicat, quasi horam quærat, qua Christus ei dixit; Viuit filius tuus, propter hoc enim verbum sanitatis recuperatæ horam inquisiuit.

Et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris: cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, filius tuus uiuit.

HORAM septimam respondent fuisse, in qua ab infirmitate liberatus est, ex hoc cognouit hanc eandem horam fuisse, in qua Christus dixerat, *Viuit filius tuus*. Hic etiam particula, *Ergo*, consecutionem significat, nempe eandem esse horam, in qua Christus dixit, *Viuit filius*, & in qua filius sanus factus est, ex seruorum responsione cognouit. Hora septima est à Solis ortu: nam diem, vt diximus, Hebræi in duodecim æquales horas, & noctem in totidem diuidebant: hora ergo septima erat prima hora post meridiem. Græcè legimus, cognouit ergo pater, quia in illa hora, in qua dixit ei Iesus, & est hebraismus pro eo quod dicimus, cognouit pater, quod in illa hora dixit ei Iesus, interpretens sensum considerauit.

Et credidit ipse, & domus eius tota.

ILLA particula illationis præcedens, *Cognouit ergo*, non sola verba exposita, sed etiam hæc continet, vt sit sensus; Ex illa seruorum responsione consecutum est, vt cognosceret eandem esse horam sanitatis receptæ, & verbi Christi prolati, & id cognoscens crederet ipse, nec solus ipse, sed simul tota domus. Credidisse intellige in Christum: nam cognouerunt virtute eius sanitatem esse restitutam filio, & ex miraculo crediderunt illi omnes ipsum verum esse Christum. Vide quanti referat fides, & boni mores maiorum; facile enim inferiores sequuntur. conuerso patre familias tota simul conuersa est eius familia. Non est silentio prætereundum quantum mundi homines decipiantur in iudicio rerum. quis nos credidisset, quando filium Reguli infirmantem vsque ad mortem vidisset, malè actum esse cum filio, & cum Patre? quis non eos infelices reputasset, & tamen talis infirmitas magnam attulit domui toti fœlicitatem. Nam occasione eius & fidem pater cum tota domo recepit, & filius simul sanitatem. saepe Dominus hæc temporalia mala permittit, vt maiora bona accumularet. voluit autem filium familias, sic dimittere in infirmitate, & iam à medicis desperatum relinqui, vt idcirco ad Christum veniret pater, ab eoque & quod medici non præstiterant, & quod plus indigebat, consequeretur. Infirmatur ergo filius vsque ad mortem diuino consilio, vt occasio potioris salutis fieret familiae vniuersæ.

Decipiuntur homines in rebus dijudicandis.

Hoc ite-

Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.

NON hoc secundum Christi miraculum Euangelista esse affirmat, sed hoc esse secundum, quod fecit cum à Iudæa reuerteretur in Galilæam; duos regressus significans, & in vtroque duo miracula facta. Regrediens à baptismo fecit, miraculum conuersionis aquæ in vinum: regrediens modo à festo Paschatis, quando multum in Iudæa immoratus fuerat, hoc miraculum facit secundum. Sunt enim duæ illæ aduertendæ particule, *Iterum*, &, *Secundum*. *Iterum* ad regressum refertur, *secundum* autem, ad signum, vt sit sensus; Hoc secundum signum fecit Iesus in Galilæa, cum secundo reuerteretur à Iudæa. ex quo loco sanè colligitur hunc secundum esse regressum, vt superius affirmauimus contra aliquos: nisi enim esset secundus, non erat cur Euangelista diceret, *Iterum*. volens autem parem numerum, & miraculorum, & regressuum facere, propterea dixit, *Hoc iterum secundum*. Multa iam miracula fecerat in Hierusalem, nunc autem, quæ regrediens fecit in Galilæa numerantur; quo loco, quod superius annotatione sexta & vigesima diximus, confirmatur, non esse ingressum in Nazareth, illamque historiam Luc. 4. de Nazaræis esse narratam per anticipationem; nam ibi dicitur, Quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua; at in hoc regressu nondum illa facta erant in Capharnaum. hoc enim est secundum miraculū, non in Cana, sed in Galilæa factum; cum non dicitur, quod fecit in Cana, sed quod fecit absolutè, reuertens nimirum ex Iudæa in Galilæam. Adiunxit autem hoc verbum Euangelista, vt significaret hanc historiam, esse gestam ante omnia miracula, quæ cæteri Euangelistæ facta esse in Galilæa describunt.

CAPVT QVINTVM.



DOST hæc erat dies festus Iudæorum: & ascendit IESVS Hierosolymam. Est autem Hierosolymis cerobatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethesda, quing. porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacung. detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset IESVS iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei IESVS: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis, Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum, Quis est ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. IESVS enim declinauit à turba constitutus in loco. Postea inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nuntiavit Iudæis, quia IESVS esset, qui fecit eum sanum. Propterea persequerantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. IESVS autem respondit

respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis querebant eum iudei interficere; quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, equalem se faciens Deo. Respondit itaque IESVS, & dixit eis, Amen amen dico vobis, non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quae ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitatur mortuos, & uiuificat: sic & Filius quos vult, uiuificat: Neque enim pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam aeternam & in iudicium non venit, sed transiet a morte in vitam. Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint uiuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia Filius Hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei; & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Non possum ego a me ipso facere quicquam. Sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est: quia non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Si ergo testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed haec dico, ut vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius oanne. Opera enim quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: Et illa sunt, quae testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quae a solo Deo est, non quaritis? Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

Post

Post hac erat dies festus Iudaeorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.

COMMENTARIVS.

MIRACVLVM in hoc capite describitur; cuius occasione Iudaeorum calumniā passus Christus, insignem contra eos habuit sermonē. Primo loco Euangelista tempus, & locum miraculi narrat, *Posthac*, inquit, quae in superiori capite dicta sunt, *Dies festus iudaeorum*, id est, Pascha omnium festorum celeberrimum erat, & Dominus, qui in Galilaea tunc erat, ascendit Hierosalem ad hoc festum celebrandum: Tribus enim temporibus in anno ex omni loco Iudaei Hierosolymam ascendebant ad adorandum in templo, & vnum horum erat Pascha. Ascendere dicitur, quia, uti saepe diximus, e Galilaea in Iudaeam ratione situs eminentioris ascensus dicebatur. Tempus igitur, quando, quae sequuntur, gesta sunt, Pascha erat; locus autem Hierosolyma: quando autem audis, *Posthac*, non intelligas, quasi nihil aliud sit a Christo in Galilaea gestum, praeter Reguli miraculum: nam hoc medio tempore multa fecit Christus, quae alij narrant Euangelistae in Galilaea fecisse. Miracula enim edidit, discipulos vocauit, sermonem habuit illum in monte: post haec igitur, accedente tempore Paschatis, venit Hierosalem. Recte Ioannes hoc caput superiori connectit, ut ex collatione Samaritanorum, qui sine miraculo crediderunt, & domus Reguli, quae vno est opere conuersa; Iudaeorum malitia & obstinatio manifestetur; qui multo maiori miraculo, non solum non sunt conuersi, sed potius contra Christum, tanquam contra transgressorem legis, inuecti, ut annotauit Cyril. lib. 2. cap. 122. ut inde cognoscās quam iusto Dei iudicio sunt a Deo repulsi, & puniti.

ANNOTATIO I.

quod festum fuerit, cuius meminit Ioannes hoc loco.

CVM multa sint Iudaeorum festa, de quibus omnibus dicemus cap. 7. nec hoc in loco quod illorum fuerit praescribatur: varia est sententia Doctorum de hoc festo. Cyril. l. 2. ca. 123. Chry. hom. 35. festum fuisse Pentecostes existimant, quod proximum fuit Paschati illi, quando e templo eiecit Dominus vendentes, ut retulit Ioannes in cap. secundo. Irenaeus autem l. 2. cap. 39. Pascha hoc opinatur fuisse sequens illud, quando eiecit sunt vendentes; Et certe, si consideramus omnia, quae gesta sunt a Christo, postquam eiecit vendentes, difficillimum est inuenire, quomodo hoc festum sit Pentecostes, quod tali Paschati proximum erat. Et, ut omitamus ea solum, quae Ioannes describit, & fieri non posse, ut sit festum hoc Pentecostes, facile comperiemus. In primis post eiectos vendentes celebratum est colloquium illud cum Nicodemo; post id egressus est Dominus in Iudaeam terram, & baptizabat, & ibi dicitur commoratus, non autem diceretur commoratus, nisi multis ibi mansisset diebus, & constaret usque ad vincula Ioannis eum mansisse; postea Iudaeorum furorē declinans, reuertitur in Galilaeam, transit per Samariam, & tunc dicitur, quattuor menses sunt, & messis venit. Hoc profecto verum esse non posset, si ista omnia post illud Pascha, & ante Pentecosten acta sunt: nam messis erat ante Pentecosten, & tunc esset tempus messis, non, autem

quattuor distaret mensibus, venit postea in Galilaeam, & Reguli filium sanauit. omnia haec post Pascha, quo eiecit vendentes facta sunt; at fieri omnino non poterant ante proximum festum Pentecostes. Praeterea Dominus e Iudaea propter Phariseorum furorē recessit in Galilaeam. probabile est ergo aliquot diebus abesse voluisse, quod si ita esset, ut Cyril. dicit, decem, aut duodecim dierum spatium solum esset, quod profecto non erat furori illorum locum dare. Tenendum igitur est cum Irenaeo, fuisse Pascha sequens post illud, quo sunt vendentes eiecti, ut vno anno gesta sint omnia praedicta, & quae etiam alij euangelistae narrant in Galilaea post hunc regressum a Iudaea in Galilaeam facta. Quod si Cyrillus & Chrysost. festum pentecostes hoc fuisse asseruissent, non illud proximum post Pascha, quo eiecti sunt vendentes, sed post aliud sequens Pascha, verisimilior esset eorum sententia. Sed tunc non facile cum alijs euangelistis concordia fieret. Probabilior est igitur Irenaei sententia, esse hoc festum Paschatis, quod Ioannes non explicuit, quia cum locutus fuisset de praecedenti Paschate, & multa narrauerit, & dixerit, quae non nisi longi temporis spatio fieri poterant, satis se explicuisse arbitrabatur, si diceret, *Erat dies festus Iudaeorum*, maxime quia hoc erat festum omnium celeberrimum, & primum.

Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethesda quinque porticus habens.

C O M M E N T A R I V S.

Locum determinatum miraculi ostendit. Multæ piscinæ erant in Hierusalē diuersa nomina sortitæ, vt vna ab altera in sermone discerneretur, vna erat hæc, quæ ad aliarum distinctionem hebraicè appellabatur Bethesda, (seu, vt alij legunt, Bethsaida; vocat Ioānes hanc piscinam probaticā, id est pecualem, hoc enim dicitur apud Græcos *προβατικὴ*, quasi pecualis siue ouilis, à *πρόβατον*, quod significat ouem, piscina autem; nō quia pisces habuerit dicitur: nam etiam si non haberent, dicebātur piscine, Græcè *κολυμβήθρα*, quasi natatorius locus, erant autem circum circa porticus quinque, propter pauperū, & infirmorum commoditatem, qui gratia sanitatis consequendæ illuc se recipiebāt. Exactiorem declarationē huius loci ex sequēti annotatione require.

A N N O T A T I O I I.

Quid Probatica significet.

DVO hoc in loco consideranda occurrunt. Primum circa vocabulum probatica, alterum circa Bethesda. Recentiores illud Probatica non cum Piscina coniungunt, vt lectio nostra habet, sed per se legunt sic; Est Hierosolymis apud probaticam, seu in probatica; Græcè enim in datiuo cum præpositione legitur, & exponunt piscinam hanc fuisse apud probaticam, id est, forum pecuarium, aut domum, seu receptaculum, in quo oues, & pecudes in sacrificium conseruabantur; at antiquiores non sic legunt, sed in recto, vt probatica piscina legitur. sic Cyril. li. 2. c. 122. Chryl. hom. 35. Theophy. exponunt. & Hiero. lib. de locis hebraicis etiam legit in recto, sensus autem in vtraque lectione idē est. Piscina enim hæc Probatica dicitur, quia apud probaticum siue forū, siue receptaculum erat, quamuis Hier. loco citato dicat eam dictam probaticam, quia carnes pecudum sacrificandæ ibi lauabantur; Dicit etiam potest Probatica, non quia carnes lauabantur, nec quia prope forum, aut receptaculum pecudum erat; sed quia erat ad portam, quæ dicebatur pecudum. Vna enim portarum erat Hierosolymis, per quam solam greges introducebantur, & dicebatur porta gregis, seu porta ouis: vnde piscina dicta est probatica, quia ad portam ouis, sita erat. Siue ergo hoc siue illo modo legas, aut interpreteris, parum sensus variatur, & parum etiam ad rem præcipuam, quæ narratur, facit.

quomodo legendum sit Bethesda, an Bethsaida.

Alterum est de nomine Hebraico: nam duplex lectio habetur, Bethesda, & ita Cyril. & Chryl. si verè interpretes traducunt, legunt. at Hieronymus legit Bethesda. Euthymius legit Bethesda, & simul negat esse legendum Bethesda, recentioribus lectio Hieronymi placet. Varia autem est vtriusque vocabuli apud Hebræos significatio; nam Bethesda significat

A domum effusionis, componitur enim à *בית* quod domum significat, & *שפך* quod significat effusionem, quasi domus effusionis. Hebræi enim domum vocant locum omnem, in quo recipitur aliquid. dicta ergo est hæc piscina domus effusionis, seu de cursus aquarum, quia aquæ pluuiæ confluunt in eam: siue, vt aliqui volunt, quia aquæ templi ad vsum sacrificiorum, & aliorum per canales è templo in hunc locum effluunt. **B** Bethesda autem non eodem modo exponitur, quia nec eodem modo, seu non eisdem litteris in Hebræo scribitur. Quidam legunt *בית שפך* quod in Chaldæo significat misericordiam, quasi Bethesda, id est, domus misericordiarum, quia in ea domini misericordia in sanando exercebatur, Euthymius quantum ex eius traductione apparet (nam vertit domum piscationis) legit cum *בית שפך* quod significat venationē, inde Bethesda, id est, domus venationis, & sic vocabatur patria Petri, & Andree. Mihi lectio antiqua Græcorum posse retineri videtur, vt legamus Bethesda; tamen non est interpretanda vox, vt Euthymius exponit, nempe Domus venationis, nec piscationis; nam tunc scriberetur in Hebræo cum *בית*, & esset nomen patriæ Petri; sed scribi debet cum *בית* Samech, & idem tunc significat cum Bethesda, id est, domum effusionis; nam venit etiam ab *בית* quod effusionem significat; tamen amittitur illud *שפך*, vt fieri sæpè solet, & propter Græcam pronuntiationem sumitur illud iod, & pronuntiamus Bethesda, pro Bethesda. in conuersione enim Hebraicorum nominum propriorum litteræ sæpè amittuntur, & aliæ assumuntur, vt idiomati accommodentur alieno.

In his

In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

C O M M E N T A R I V S.

VSVM porticum dictarum narrat; erant enim gratia eorum, qui spe recuperandæ sanitatis ad piscinam confluebant: quorum quatuor describit genera. Erant languidi, nempe ægroti, qui febribus, aut morbo aliquo laborabant, hi languentes dicuntur; erant cæci, claudi, aridi, id est, qui manum, aut membrum aliquod virtute destitutum habebant; hoc enim significat nomen Græcum *ἄρῆτος*, id est, aridus, cui membrum non deest, sed virtute est destitutum: & sic Matth. 12. dicitur, Habens manum aridam id est, virtute destitutam. sic etiam brachium totū, aut crura, aut aliqua pars corporis arida esse potest. hi aridi dicuntur. denique omnis infirmitas corporis, seu membrorū defectus, etiam quibus ars, & natura subuenire non poterant, in hac piscina sanabantur, quod diuinæ virtutis solius esse potuit.

Quatuor a languentium genera referuntur.

Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua.

Historiam prosequitur. Angelus descendebat certo quodam tempore & aquam mouebat. Græcè non habetur, *Domini*, sed ad declarationem id appositum videtur, aut forsan erat in textu, & quia apertum erat esse angelū Domini. ablatum est, quasi non esset Euangelistæ. siue legatur, siue non, sensus idem est. similiter Græcè nō habetur, *Autem*, sed particula causalis (enim) vt hæc sententia causam reddat superioris. Multitudo magna infirmorum illic erat, quia angelus descendebat, & aquam mouebat, & sanabatur primò ingrediens. hac de causa multi concurrebant, quisque spe suæ sanitatis allectus. Illud autem, *Secundum tempus*, idem est, ac certo, & determinato tempore descendebat: non enim erat vis illa sanandi perpetua, sed certo tempore angelus descendebat, & aqua mota ab eo tunc sanabatur ingrediens. Hoc tempus incertum fuit, cum hora certa futuri motus, vt Chrysof. homil. 35. annotat, non fuerit. an autem semel in anno, an sæpius, incertum est; non est improbabile id aliquoties in anno factum fuisse: & forsan festis maximè solemnibus, quando ludæi vndique ad templum concurrebant. Cyril. lib. 2. cap. 125. semel in anno, idque in festo pentecostes factum affirmant, quod probabilius iudico, tamen nihil certè statuere possumus. nam de hoc miraculo, & de hac piscina, nullus extat scripturæ locus, præter hunc Ioannis, ex quo solo huius rei cognitio requirenda est.

Non constat quo tempore descendere Angelum.

Et qui primus descendisset in piscinam, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.

MOTA ab Angelo aqua, qui primus descendebat, sanabatur à quacunque detinebatur infirmitate, siue cæcus, siue claudus, siue multis simul laboraret infirmitatibus, extemplo ac in aquam piscinæ descendebat, sanus erat, nec tunc alius sanabatur: Vnus enim duntaxat, isque primus, singulis his temporibus sanitatem recuperabat. Hanc historiam Ioannes præmisit, vt Christi miraculum exponeret. Cyrill. lib. 2. cap. 125. plures Angelos videtur affirmare descendere solitos, & aquam mouere; tamen intelligendus est non quod ad vnam motionem multi descenderent: nam Euangelista singulari vtitur numero; sed loquitur Cyrill. de multis motionibus factis, propterea Angelos pluraliter appellat, quia non semper vnum, & eundem ad hoc officium missum esse existimat, quamuis etiam hoc incertum sit, ex Euangelista vnum, & eundem esse, qui certis temporibus descendebat, probabilius deducimus.

Reijciuntur
Anabaptij
non recipien-
tes historia
hanc.

Horum ratio
mes soluitur.

ANABAPTISTAE nostri temporis hære-
tici historiam hanc languidi apud pro-
baticam piscinam non recipiunt, commentum
quoddam esse dicentes: tum quia huius pisci-
næ quinque porticus habentis nulla in vete-
ri testamento fit mentio, tum quia Iosephus
Hebraicarum antiquitatum diligens scriptor
nihil de ea scribit, nec rem tanta dignam me-
moriam scriptor suorum amator prætermisisset;
demum quia 2. Paralip. 4. victimæ in con-
chis ad hoc à Salomone constructis lauaban-
tur in templo, nec opus erat in hac lauari pisci-
na. Sed argumenta hæc futilia sunt, & nul-
lius roboris ad negandam historiam ab Eccle-
sia perpetuo receptam, & ab antiquissimis
Doctõribus suis commentarijs, & scriptis il-
lustratam. Quamuis autem in scriptura vete-
ri nihil de hac piscina aperte dictum sit; non
tamen propterea negatum sit; non enim om-
nium, quæ in Hierusalem facta sunt, scriptura
vetus meminit, piscina namque ista à prin-
cipio quando facta est, non erat adhuc memo-
rabilis, quia nec tunc miraculum incepit, nec
quinque illis porticibus, quæ propter mira-
culum constructæ sunt, adornata erat. Hoc
enim aliquanto post tempore factum esse cre-
dibile est, quamuis ignoretur, quando mira-
culum hoc inceperit, & qua ratione. Vetus-
ior ergo scriptura silentio eam, ut aliâ multa,
propterea pertransiuit. Ridelum autem est
Iosephum præponere Ioanni Euangelistæ;
quasi hoc Iosephus scripisset, & non Ioannes,
verum esset, quia verò Ioannes & non Iose-
phus scripsit, propterea falsum. Quamuis au-
tem Iosephus suorum amator fuerit, inimi-
cus tamen nominis Christiani erat, & ea, quæ
in fauorem Christianorum cedebant li-
bens dissimulabat; tale hoc est. Si piscinæ il-
lud miraculum narrasset, veritas miraculi
Christi videbatur ei confirmari; maluit autem
Iudæus infidelis, & perfidus aliquid populi
honorificum cum detrimento Christiani no-
minis occultare, quàm dum aliqua ex parte
suum magnificat populum, Christi veritatem
probare. Nec hoc est solùm, multa enim nu-
meratu digna tacuit eadem de causâ; nec enim
Herodis illius facti meminit, quando tot in-
fantes occidit; nec aduentus Magorum; nec
complurium aliorum, quæ apud eius gentem
diuinè Christi sunt gessit. Vanum igitur, & futi-
le est argumentum hæreticorum. Illud autem
de lotione victimarum in piscina, affirmavit
Hieronymus de locis Hebraicis, & grauissi-
mi nostro sæculo auctores defendunt, affir-
mantès bis victimas lauari prius in piscina,
quando multum immundæ erant; iterum per-
fectis in conchis. Sed siue hoc sit, siue non, hi-
storia neganda non est; ad Doctõrum enim
opinionem pertinet, quod lauarentur victi-
mæ; at veritas piscinæ Euangelij est historia.
Si quod sentiam in hac parte licet dicere pro-
babile mihi est quod aliqui recentiorum af-
firmant; nempe victimas non in piscina hac
locas, sed in conchis illis: cum autem esset in-

Agens aquarum copia ex mari illo æneo, & ex
conchis, & innumeris purificationibus intra
templum, necesse erat aquam hanc aliquibus
subterraneis vijs, & aquæ ductibus effluere
& in hunc usum erat hæc piscina ad radices
montis, in quo templum erat fundatum, sita:
in quam omnis hæc aquarum copia per fistu-
las, & aquæ ductus occultos, seu subterraneos,
influebat. quam sententiam Aristæus vetustis-
simus auctor tenet in libro de septuaginta in-
terpretibus. & Hieronymus eodem forsitan debet
intelligi modo, quando affirmavit victimas
lauari in piscina, eaque de causa aquas rubras
apparuisse: non quod eo in loco, sed quod
aquis illius piscinæ lauarentur: nam postquam
in templo lauabantur carnes, aquæ omnes in
piscinam illam emittebantur.

ANNOTATIO IV.

EST præterea considerandum, qua virtute
aquæ hæc sanabant: nam, qui ingrediebatur
primus, *A quacunque detinebatur infirmitas, & saluus fie-
bat.* Chrysost. homil. 35. respondet, Angelum de-
scendentem aquæ motu sanandæ virtutem tri-
buisse, non quod motus ille sanitatem face-
ret: erat enim velut signum quoddam delcen-
sus Angeli, & virtutis in aquis iam existen-
tis ad sanandum, ut dicit Cyrillus, libr. 2. cap. 125.
Hæc responsio vera est: Angeli enim boni non
propria, sed diuina virtute miracula faciunt,
& per eos Dominus sæpe ea operatur: & est
doctrina Gregor. hom. 34. distinguentis Ange-
lorum officia ex scripturis, & affirmantis eos
Virtutes appellari, per quos Deus omnipotens
miracula operari dignatus est. Angeli mali,
sed Dæmonia operantur quidem magna, &
mirabilia, sed applicando virtutes naturales
ut docet August. li. 3. de Trin. cap. 8. & quæ non
possunt virtutes creaturarum naturalium at-
tingere circa rerum immutationem, non fa-
ciunt: at boni Angeli diuina virtute operati-
tur, & transmutant res supra omnem virtutem
creaturarum naturalium. Angelus igitur hic,
diuina virtute, per aquas illas, tanquam per
quoddam diuinæ virtutis instrumentum, san-
abat; ut enim 4. Reg. 5. aquæ Iordanis virtu-
tem sanandi à lepra per Eliazum tanquam Dei
ministrum acceperunt; ita & aquæ virtutem
habebant instrumentalem, per quam Ange-
lus sanabat. Vnde rectè Ambros. lib. 1. de Spiri-
sancto, capit. 7. dicit, Angelum hunc per aquas
has sanantem, figuram extitisse Spiritus san-
cti per aquas baptismi animæ sanitatem con-
ferentis, & libr. 2. de sacramentis capit. 3. pisci-
nam hanc baptismo conferent: de qua re paulò
inferius aliquid dicemus.

Ex his, ut mihi videtur, deducitur, non esse
recipiendâ, quæ aliqui nostro tempore in hac
parte affirmant; nempe virtutem hanc aquæ
inditam, à ligno iacente in fundo huius pisci-
næ, ex quo postea crux Domini est fabricata;
Angelus autem reuerentia ligni huius indu-
ctus, descendebat de cælo, & mouebat aquam. A-
lij non à ligno, sed à victimis: & hostijs lacris,
quæ ibi lauabantur, hanc esse virtutem asse-
runt.

Vnde piji-
na virtutum
sanandi ibi
buit.

Reijciuntur
hæc de lig-
no, quod a-
que piscine
virtutem san-
andi præ-
stabat.

A vt bene docuit Amb. lib. 2. de Sacram. cap. 2. fi-
gura aduentus Domini nostri Iesu Christi:
qui sanaturus erat humanam generationem,
ipse est Angelus testamenti descendens, & mo-
uens piscinam aquarum, quia in hunc mun-
dum passurus venit, & per passionem suam; &
mortem humanum genus infirmum sanatu-
rus, hoc est quod miraculum præfigurabat, &
idcirco vnicus sanabatur: nam in vno homi-
ne infirmo melius totum humanum genus re-
præsentatur; quàm in multis, ad exprimendam
morbi vniuersitatem, & vnitatem. Omnes enim
peccati morbo laborabant, omnes sub eadem
mortis damnatione tenebantur. hac eadem de
causa Luc. 19. in illa parabola de eo qui incidit
in latrones, à quibus vulneratus, & spoliatus est,
vnus tantum homo, non multi repræsentantur.
hac etiam de causa 3. Reg. 17. ad vnicum filium
viduæ fuscitandum mittitur Elias, & 4. Reg. 5. vnus
Naaman sanatur ab Elisæo: hæc enim omnia propter
figuram fiebant, ad instructionem futurorum:
hæc igitur causa est, cur vnus solus sanaretur
in piscina. Amb. loco citato alteram assignat
causam huius rei; ut in eo ostendatur, quantum
maior futura erat gratia Baptismi supra vetus
testamentum: in eo enim vnus, in hoc omnes
sanantur. Eandem causam Cyril. lib. 2. cap. 125.
assignat, dicens legem illam veterem, vni soli
populo datam, propterea vnus ad hoc significandum
sanabatur. sed causa prior legitima est, ex qua
sequitur solutio alterius difficultatis, nempe, quare
Christus Dominus vnus solum sanauit; ea autem est,
ut hoc facto significaret se esse illum eundem Deum,
qui prius sanauerat, & eum, qui tali miraculo præ-
figuratus erat, & qui humanum genus sanare
de cælo veniebat. Maxime autem humanum
genus in hoc paralytico figurabatur, & ex-
primebatur, propterea forsitan Dominus hunc
sanandum e-

ANNOTATIO V.

INQVIRENDVM superest, quare vnus tan-
tum in illa piscina sanabatur? in cuius reso-
lutionem sciendum, diuina miracula fuisse o-
pera potentie, misericordie, & sapientie. Po-
tentie quidem, quia virtutem omnem natura-
lem, & creatam superabat; Misericordie, quia
humanis defectibus per ea subueniebat: san-
abantur enim infirmi, illuminabantur cæci,
& alia huiusmodi per ea fiebant, Sapientie autem,
quia sæpe per ea homines instruebantur cir-
ca diuina mysteria, & quæ futura erant, in eis
figurabantur: quod docet August. tract. 44. de
Verb. Domini. igitur, quatenus erant opera
potentie, intellectum ad fidem inducebant;
quatenus verò erant opera misericordie, af-
fectum hominum ad credendum alliciebant;
nam fides etiam ex voluntate pendet; quate-
nus verò erant opera sapientie, hominè in di-
uinis rebus instruebant. Si miracula fuissent
tantum opera potentie, mirari deberemus, cur
vnus solus sanaretur, cum eadem facilitate to-
ta multitudo sanari potuisset. Si tantum essent
opera misericordie, admirationis quoque esset
causa, cur tantæ misericordie Deus vnus ab
infirmitate liberaret: at quia erant simul ope-
ra sapientie, non est, cur ita miremur, sed my-
sterium potius nobis per hoc significatû in-
quiramus. Erat enim hoc piscinæ miraculû,

quare vnus
solum sanauit
ex tota
genti sa-
pienter re-
cipiebat.

A vt bene docuit Amb. lib. 2. de Sacram. cap. 2. fi-
gura aduentus Domini nostri Iesu Christi:
qui sanaturus erat humanam generationem,
ipse est Angelus testamenti descendens, & mo-
uens piscinam aquarum, quia in hunc mun-
dum passurus venit, & per passionem suam; &
mortem humanum genus infirmum sanatu-
rus, hoc est quod miraculum præfigurabat, &
idcirco vnicus sanabatur: nam in vno homi-
ne infirmo melius totum humanum genus re-
præsentatur; quàm in multis, ad exprimendam
morbi vniuersitatem, & vnitatem. Omnes enim
peccati morbo laborabant, omnes sub eadem
mortis damnatione tenebantur. hac eadem de
causa Luc. 19. in illa parabola de eo qui incidit
in latrones, à quibus vulneratus, & spoliatus est,
vnus tantum homo, non multi repræsentantur.
hac etiam de causa 3. Reg. 17. ad vnicum filium
viduæ fuscitandum mittitur Elias, & 4. Reg. 5. vnus
Naaman sanatur ab Elisæo: hæc enim omnia propter
figuram fiebant, ad instructionem futurorum:
hæc igitur causa est, cur vnus solus sanaretur
in piscina. Amb. loco citato alteram assignat
causam huius rei; ut in eo ostendatur, quantum
maior futura erat gratia Baptismi supra vetus
testamentum: in eo enim vnus, in hoc omnes
sanantur. Eandem causam Cyril. lib. 2. cap. 125.
assignat, dicens legem illam veterem, vni soli
populo datam, propterea vnus ad hoc significandum
sanabatur. sed causa prior legitima est, ex qua
sequitur solutio alterius difficultatis, nempe, quare
Christus Dominus vnus solum sanauit; ea autem est,
ut hoc facto significaret se esse illum eundem Deum,
qui prius sanauerat, & eum, qui tali miraculo præ-
figuratus erat, & qui humanum genus sanare
de cælo veniebat. Maxime autem humanum
genus in hoc paralytico figurabatur, & ex-
primebatur, propterea forsitan Dominus hunc
sanandum e-

Languidi
patientia
commen-
datur.

*Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos ha-
bens in infirmitate sua.*

COMMENTARIVS.

Is narratis, quæ ad miraculi intelligentiam necessaria videbantur, ipsum
miraculum describit, & à persona, cuius gratia gestum est, incipit. Inter
aliõs multos, qui sanitatis recipiendæ gratia ibi expectabant, vnus erat æ-
gritudine triginta octo annorum laborans. Græcè non habetur, Sua, sed
habens in infirmitate; ad sensum parum refert, siue apponatur, siue dema-
tur. Mira profectò huius languidi tolerantia, qui ut Chrysost. homil. 35.
annotat, totum hoc tempus expectabat, & cum incredibilis esset multitu-
do, & se posteriorem relictum esset expertus, tamen à spe futuri præteritis
non territus est: in quo Iudæorum dura corda deprehenduntur, qui ho-
minem auxilio destitutum per tot annos aliquem, qui eum, ut in piscinam
citius descenderet, iuaret, non adhibuerunt. Ipsius etiam languidi sum-
ma paupertas probatur, qui nec pecuniam, qua hominem in adiutorem
per breue tempus conduceret, haberet. Si enim habuisset, credibile
non est sanitati eam voluisse præferre. Rectè in hoc homine totum
humanum genus post peccatum figuratur, quod diuturno peccati morbo
laborans,

laborans, neminem, qui ad sanandum adiunaret, suo precio potuit comparare; sed infirmus, inops, & pauper tam diu iacuerit, donec sine precio villo dato, filius Dei homo factus venit, qui eum sanauit; de qua paupertate & inopia dictum est, Psal. 48. Non dabit Deo placationem suam, & precium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum. Quem locum exponit in hunc sensum Basil. in homil. in eundem Psalmum.

Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei.

QUEM naturæ virtus, & humanum auxilium destituerat, in hunc diuina bonitas oculos suæ misericordiæ conuertit, & potentia eius infinita non destituit. Venit Christus, postquam Hierosolymam ascendit, in locum hunc: vidit oculis corporeis & interioribus suæ misericordiæ iacentem infirmum; cognouit, quem nihil latet, tempus infirmitatis esse diuturnum, & ad eum se conuertit sanandum. estq; causalis locutio, vt sit sensus, Quia vidit iacentem sine ope vlla, & infirmitate antiqua laborantem, & virtute destitutum, propterea, *Dicit ei*, Accedit, & loquitur, vt sanet: sensus est facilis, *Multum tempus haberet*, nempe in infirmitate, quamuis phrasis non sit latina, sed græca parum refert dummodo sensus habeatur.

Vis sanus fieri?

*Quare Christi
sui infirmum
interrogat an
velis sanari.*

DOMINVS, non quia dubitaret de languidi voluntate, interrogauit; sed, vt eius arbitrium aliquo modo excitaret, & ad recipiendum tantum beneficium disponderet, dum enim sanitatem in memoriam reducit, desiderium excitat in eius voluntate, & in propriæ impotentia, & inopiæ cognitionem inducit intellectum; quod etiam consecutum est, nam desiderium, & impotentiam suam statim ad hanc interrogationem confessus est languidus. Hac etiam interrogatione nobis Dominus significat, se arbitrio hominis libero vt in salute conferenda: saluat quidē & iustificat Dominus homines indigētes, & impotētes, sed volētes: & quia gratia ipsius est etiā velle, propterea hoc ipsum excitat nunc hac sua interrogatione: non autem petit ab infirmo aliquid supra captū eius: nec enim dixit: Vis vt te sanem? quia nondum de Christo tantam ille habebat opinionem, & notitiam; sed, vis sanari: vt rectē Chryf. hon. 35. annotat, vbi aliam causam huius dominicæ interrogationis adfert, nempe interrogasse propter nos, vt ex responsione infirmi eius tolerantiam cognosceremus, qui tot annis illic perseuerabat. Etiam mihi hæc causa placet, propter nos scilicet dictum id esse, non verò vt tolerantia infirmi sola cognoscatur; sed vt ex ipsius ore impotentia, & infirmitatis grauitas, & antiquitas ostendatur: & ex hoc resultet notitia magnitudinis miraculi, & hac ratione magis fides confirmetur. Propter infirmum ergo, & propter nos hac est vsus Dominus interrogatione. Cyril. lib. 2. cap. 124. tres causas affert, cur Dominus interrogauerit, quæ cum his, quæ dictæ sunt magna ex parte conueniunt.

Respondit ei languidus; Domine hominem non habeo, vt: cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dum enim venio ego, alius ante me descendit.

PRUDENTER profectò languidus respondet: nouit enim Dominum non interrogasse an sanari vellet, quod de eius voluntate dubitaret: an erat notissima, nec interrogatione tali opuserat; propterea non dicit, volo Domine, sed ex quo interrogatio illa principio pcederet, animaduertit, & in id dirigit responsum: Visa est autem illi interrogatio, ex quadam animi commiseratione pcedere, quia Christus illi condoluit. Solemus enim ex animi quibusdā affectibus interrogationes aliquas formare, quæ non eò fiunt, vt interrogantes sciamus, cum ei,

*Interrogatio
mua quam
doq; non
vt sciam?
sed vt ani
mi affectus?*

cum ea, quæ interrogamus, sint manifesta; sed potius vt animi affectus exprimamus. sic Gen. 3. Interrogauit Dominus Adam, Vbi es? & Genes. 4. dixit ad Caim, Vbi est Abel frater tuus? vt indignationem contra eos manifestaret. & Deut. 32. Vbi sunt Dijeorum, in quibus habebant fiduciam? est interrogatio exprobrationis cuiusdam Ioan. 8. Vbi sunt qui te accusabant? est animi beneuoli, & liberare volentis. Sunt multæ huiusmodi interrogationes, quæ non fiunt, vt id, quod significatur, responsum habeat, quasi dubium sit, sed alia significant. Non solum interrogationes animum, & affectum loquentis exprimunt, sed insuper aliqua alia denotant, sicut in eisdem patet exemplis positis. Vbi est frater tuus? significat, tu putas te posse à me abscondi, arbitratus es me mortis, & occasionis fratris nescium? at deceptus es. non ergo animi indignationem, sed etiam scientiam facti significant. similiter Adam, vbi es? non petit vt explicet, vbi sit, sed vt causam fateatur, propter quam se absconderit: idcirco Adam respondit; nudus eram, & abscondi me; quæ responsio non esset ad rem, si interrogatio illa non significaret aliud, quàm quod in verbis exprimitur. Ita nunc languidus, ex hac Christi interrogatione duo intellexit, vnum est sibi esse dictum, Vis sanus esse? ac si dictum esset, saepe te huc venientem vidi, cur nondum sanus es? quæ enim sibi nota sunt, facile is putat alijs esse etiam manifesta. huic respondet causam exponens, & dicit, *Hominem non habeo*, quasi diceret, causam mihi videris interrogare, cur tanto tempore nondum sanitatem sim consecutus, scito eam esse, quia hominem non habeo, qui mihi sit auxilio, solus enim ad piscinam primus peruenire non valeo. Alterum, quod languidus concepit ex huiusmodi interrogatione, fuit quædam Christi commiseratio, qua sibi ille condolere videbatur, & propterea Dominum verbo honorifico vtens appellat, multisq; verbis miseriam suam exponit, vt Christum, quem merum hominem existimabat, alliciat, & inducat ad auxilium ferendum & hoc rectē Cyril. annotauit lib. 2. c. 125. dicens, Ex hac interrogatione languidum spem concepisse futurum sibi Christum vtilem, vt in piscinam citius alio descenderet. Est autem aduertendum huic languido vires non omninò defuisse: nam dicit, *Dum ego venio, alius ante me descendit*, ergo sine homine poterat venire & se mouere; tamen non poterat illo motu citius alijs peruenire, ideò nunquam potuit sanitatem consequi. Tale est hominis arbitrium in peccato, cuius languidus hic figuram gerit: non est omnino extinctum, aut ita debilitatum, vt nullum bonum, & honestum opus facere sine gratia possit: nam morale aliquod bonum operari potest, etiam post peccatum: quod Orig. tract. 35. in Matt. probat ostendens infideles aliquid boni honesti facere posse viribus arbitrij; tamen non tale, vt possit ad salutem, & liberationem à peccato peruenire, nisi adiuuante, & sanante diuina gratia, de qua re alibi diffusius egimus, nec locus hic maiorem patitur tractationem.

Dicit ei Iesus, surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Languido suam impotentiam confitenti, & auxilium Christi desideranti, Dominus mirabiliter confert sanitatem, & tribus verbis vtitur, *surge*, inquit, hoc verbo sanat, & vires perfectas languido confert: quas vt cognoscat. At quia surgendo sanitatis receptæ perfectionem cognoscere non poterat, vt tollat grabatū suum imperat, vt sic quantas vno instanti vires acceperit, experiatur; & gloria sanantis manifesta sit omnibus, per quā hominum fidem, quæ ad salutem erat eis necessaria conciliet. Hac. n. de causa iubet, vt ambulet, & tollens grabatū per ciuitatem incedat, vt ipso facto præco, seu prædicator tanti miraculi fiat, & adhuc viriū receptorum illustrius sit argumentū, quæ tantæ erant, vt qui ad piscinam non poterat citius alio infirmo peruenire, & homine indigebat, qui ipsi esset auxilio, iā in momento, ita fortis euaserit; vt ipse alijs auxilio esse posset: & non solum ambulare, sed simul lectū, & grabatū per se ipsum valeret portare. Cætera in annotatione require. Grabatū nomen est Græcū, significans lectū, in quo iacent infirmi.

*Languidus
duo-
bus respon-
dit, quæ ex
Christi ver-
bis intel-
lexit.*

A N N O T A T I O VI.

IN exactiorem sententiæ superioris explanationem aliqua sunt annotanda. Primum est, verba Christi non fuisse humana tantum; sed diuina simul, cum enim Christus homo simul, & Deus esset, ipsius verba erant, & hominis pariter, & Dei. vt hominis erant, exprimebant mentis ipsius conceptum, id quod nostris verbis, & locutionibus est etiam commune; quæ enim mentem concipimus, & quæ fieri volumus, verbo exteriori aperimus; at vt erant Dei verba, non solum hoc, sed etiam virtutem quandam efficiendi; quod significabant, habebant; quando id Christo placebat: verbo enim significabat, quod fieri volebat, & verbo eodem, vt instrumento efficacissimo eadem faciebat, non quod eo indigeret, qui sola voluntate cuncta poterat facere, sed, vt se esse, qui illa faceret, nobis significaret.

Multa ex hoc sequuntur: primum est, Verbum Christi, à verbo nostro differre plurimum; nostrum est expressiuum eorum, quæ in mente habemus, & quæ fieri, seu facere volumus; tamen eorundem non est effectiuum; at Christi simul significatiuum, & simul effectiuum, quando ita volebat, erat. Alterum est, cum nostrum verbum sit tantum significatiuum, non loquimur, nec sermonem dirigimus, nisi ad ea, quæ sunt aliquomodo significationis capacia: nemo enim cum lapidibus, cum aquis, cum insensibilibus loquitur, dum suis vtitur verbis: at cum Christi verbum esset etiam effectiuum, rectè loquitur etiam cum insensibilibus, & significationis non capacibus, quia in eis, quod verbo exprimit, verbi virtute operatur, & efficit. Hac ratione ventis, & mari imperauit, & obedierunt ei, & imperauit febri, & recessit. Verbo vsus est significatiuo propter nos, vt eum esse, qui ea faciebat, intelligeremus, tamen verbi efficacia, & potentia propter ipsa insensibilia fuit. Tertium est verbum Christi erga homines, quando ipse vult, non indiget probationibus, quia non solum mentem suam explicat; sed simul audientium mentem illuminandi, & affectum mouendi, inclinandi que vim, & efficaciam habet; Viuus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior gladio ancipiti. hac ratione vnico verbo, quando ita id fieri voluit hominum corda ad se conuertit. Quartum est, homines non rectè posse præcipere alijs ea, quæ nequeunt facere, vanum enim est præceptum eius, qui alicui præcipit id, quod facere non potest; at Christus potuit iure præcipere, quæ homines suis viribus facere non potuerunt; nam verbo vires addebat, vt, quod præcipiebat, etiam facile & suauiter fieri posset. hac de causa iussit Deus multa homini, quæ post peccatum non potuit sui arbitrij viribus facere, tamen eas dedit vires, & gratiæ robur, vt iugum, & præceptum leue, & suaue fieret.

Hæc applicemus omnia verbis, & senten-

tia præsentis. Si tantum ad verborum significationem respiciamus, quid difficilius, immo quid omnino id fieri non posse certius, & manifestius, quam paralytico seu languido, qui ad piscinam propinquam accedere vix poterat, præcipere. Surge, tolle grabatum, & ambula: potius visus esset illudere infirmo; at, si consideramus diuini Verbi efficaciam, non solum difficile, sed potius facile fuit. dum enim surgere iubet, ipsum omnino sanat, vt surgere, & tollere grabatum, & ambulare facile, & suauiter posset. Simile quid annotauit Gregor. hom. 9. in Ezech. vbi Dominus iussit Prophetæ surgere. qui re vera non poterat: Ita enim loquitur Gregorius. Iacenti Prophetæ Deus iussit, vt surgeret, sed omnino surgere non posset, nisi in hunc omnipotentis Spiritus intrasset. hoc idem nunc dicere nos possumus. Languido Christus iussit, vt surgeret, tolleret grabatum & ambularet, sed hic nec surgere omnino posset, nisi diuina verbi eum virtus perfectè simul sanasset.

Alterum hoc loco annotandum est: Christi fidem ad salutem æternam consequendam necessariam tunc etiam fuisse, qua de causa Christus opera sua multum omnibus nota esse studebat: non quærens gloriam suam, nec propriam vtilitatem, sed nostram, quia ipsum nosse, & in eum credere nobis erat necessarium: sic enim æternus Pater humani generis salutem disposuit. Hac igitur de causa, & infirmo iubet, vt surgat, vt cognita sanitate in auctorem credat sanitatis; & eadem de causa iubet, vt portans grabatum per mediam incedat ciuitatem; erat enim infirmus maximè omnibus notus propter diuturnam suam infirmitatem, & impotentiam, vt omnibus miraculum notum fieret; & forsitan propterea Dominus hunc sanandum elegit, cuius infirmitas magis cognita, sanitate acceptæ illustrius fieret argumentum; idcirco enim, vt paulò inferius dicemus, Sabbato id factum est, vt omnium oculis, & mentes factum hoc ad se conuerteret, cum omnes in Sabbato non licere onus portare scirent. Factus est ergo languidus velut Apostolus quidam, per vias publicas gloriam Christi tanti miraculi auctoris non verbo, sed facto diuulgans. Irenæ. li. 2. cap. 42. & Aug. tract. 20. dicit, Dominum præcepisse huic infirmo, vt in domum suam abiret, id potius pertinet ad historiam Paralytici, de quo habetur Mat. 9. quæ ab hac præsentis diuersa est, hoc tamen ex discursu probabili humano, non ex lectione Euangelica habetur. Legimus enim tantum dictum Ambula, & postea, Et ambulabat. quare ibi etiam Irenæ. hunc hominem paralyticum esse existimat, & fieri potuit; tamen ex Euang. non conitat: id etiam affirmat Chryf. hom. 36. & Amb. li. 4. de fid. ca. 3. & Hil. lib. 7. de Trin. qui omnes vocant paralyticum.

Et statim

Et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatum suum, & ambulabat.

C O M M E N T A R I V S.

VERBA Christi superiora duo continebant, & efficaciam ad sanandum, & simul præceptum ad operandum: nam iussit languido tria facere; propterea Euangelista effectum vtriusque verborum describit, *Statim*, inquit, *sanus factus est*, hoc autem est, quæ parte verba effectiua erant, languidus etiam sanus factus obediuit in omnibus, quæ ei sunt præcepta: surrexit, tulit grabatum, & ambulauit. Tam subita mutatio diuinam affuisse virtutem conuincit, propterea Euangelista celeritatem annotat dicens, *Statim sanus factus est*, nec timuit languidus Iudæorum calumnias, nec se legem transgredi, dum Sabbato portat onus, arbitratus est tanti auctoris præcepto securus.

Erat autem Sabbatum in die illo, dicebāt ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

TEMPUS quando miraculū factum est Euangelista describit: nam ex temporis occasione, quia Sabbatum erat, calumniandi ansam Iudæi acceperunt: sciebat Dominus futuram calumniam, tamen eam permittit, nec impedire voluit; nam occasio facta est errorem eorum confutandi, veram doctrinam docendi, & miraculum hoc amplius euulgandi; quibus & virtus, & innocentia Christi apud homines illustrior, & manifestior efficeretur. *Dicebant ergo*, hæc particula illationem ex præcedenti sententia adfert. Sabbatū erat, & propterea Iudæi hominem illū insimulabant dicentes, *Sabbatum est, non licet tibi grabatum, nec onus vllū tollere, non absolutè dicunt, Non licet tibi grabatum portare, sed causam, cur non liceat, exprimunt: Sabbatum, inquit, est, & propterea non licet tibi hoc, eum transgressionis diuini mandati accusantes: Erat enim magna apud eos Sabbati ex diuino mandato obseruantia.*

A N N O T A T I O VII.

LACTANTIUS lib. 7. cap. 14. nomen Sabbati originem ab Hebræo trahere existimat, nempe à שבת quod septem significat, inde Sabbatū, quasi dies septimus dicitur. Sed hoc ex ignorantia Hebræi sermonis dictum videtur: nam שבת quod significat septem, scribitur cum א, at Sabbatum cum תaph. Plutarchus in Simposiacis sentire videtur nomen Sabbati à verbo Græco σαβᾶν, quod tripudare more bacchantium significat, trahere originem; eò quod eò die ad largius bibendum Iudæi se inuitarent. Sed vera etymologia est à verbo שבת quod quiescere significat, deriuari, eò quod septima die Deus quieuit; vacauitq; ab operè

Respondit eis, Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula.

C O M M E N T A R I V S.

DOCTA profectò responsio ista est, qua languidus ille, cur in Sabbato porter onus importunis percussationibus satisfacit, & est sensus; Ego non spontè, ac propria voluntate motus hoc facio, sed iussus ab eo, qui me sanū fecit, & qui

qui tantam habuit virtutem, vt metam inueterato, & incurabili morbo laborantem celerrimè, & perfectè sanaret, visus mihi est dignus, cui in omnibus obedirem. Vt enim diuina virtute sanauit, credidi diuina etiam virtute hoc præcepiisse, & sicut sanitatem, ita & mandatum tanquam à Deo accepi. Vera iste languidus dicebat, & sufficientem causam, si Iudæi scaperent, exponeret: erat enim opus, & mandatum diuinum, & sicuti opus diuinum experiebatur in sanitate recipienda; ita etiam obedire tenebatur mandato diuino in his, quæ ei iniungebantur; rectèque indicauit, se non esse Sabbati transgressorem, qui diuinis obediebat mandatis, & laudandus certè in hoc maxime est languidus, qui nihil timens, quamuis seuera valde contra Sabbati transgressores poena esset sancita, mandantis præcepto acquieuit. Hic mihi sensus videtur litteralis.

ANNOTATIO VIII.

Interpretationes alie quot proponuntur.

CYRIL. lib. 2. cap. 128. exponit in hunc modum; A quo sanitatem recepi, hoc mihi iniunctum est, potiusque ei obedire debui, quam Sabbatum seruare: nam ille, nisi Deus esset, hanc sanitatem non dedisset. Sed hæc expositio non mihi eo probatur, quia nondum languidus diuinitatis Christi fidem habebat, nec an Christus is esset, nec nomen eius sciebat, adde etiam, quia per opus Sabbatum non soluebatur; vt paulò post dicemus. August. tract. 19. sic exponit; A quo tantum accepi beneficium, debui eius seruare præceptum. Sed nec hoc videtur probandum, quia non propter beneficium etiam maximum: diuinum est negligendum præceptum. Mihi data expositio legitima videtur; vt homo hic se hac ratione defendat, vt cum virtute diuina sit opus factum, A iure optimo existimauerit eadem virtute sibi tale factum præceptum; non quod Deum esse crediderit, sed quod diuina virtute vtrumque fecerit; & re vera quod diuina virtute præcipitur, non est contra præceptum: nam diuinum præceptum est, Non occides; at si diuina virtute præciperetur alicui, vt aliò occideret, non ageret contra præceptum tale. Eadem ratione, quamuis onus portare non liceret Sabbato; tamen, si diuina virtute id præciperetur alicui, contra præceptum non ageret; immò, si non portaret, diuini mandati esset transgressor. Habuit autem languidus iustam causam existimandi, sibi diuina virtute talia mandari, quia per illum mandata sunt, cuius diuinam in sanitate recepta experiebatur virtutem, & potestatem.

Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum & ambula?

COMMENTARIUS.

PARTICULA, Ergo, ex præcedentibus inferri, quæ sequuntur, significat, cum dixisset, qui me sanum fecit, ille mihi dixit, propterea Iudæi interrogant: *Quis est ille homo, qui hoc dixit.* Iudæorum nequitia non potuit occultari, nec intus contineri, sed foras erumpit. Languidus enim non dixit, Ille homo, qui me sanum fecit, sed, *Qui me sanum fecit*, non ausus est determinare, an homo dicendus esset, qui tanta virtute pollebat, magnum aliquid concipiens quod certum erat, protulit, dicens, *Qui me sanum fecit*, at inuidi, & calumnia pleni Iudæi, quod eis non constabat, affirmarunt, dicentes, *Quis est ille homo*, Adhuc magis malitia dilatatur. sciebant sanitatem mirabiliter eum recepisse; non enim negare poterant, omnibus namque cognitus erat propter tanti temporis longitudinem infirmus ille, qui repente sanus apparebat, quod ipsi met confirmant: non enim dicunt; Nemo te sanum fecit, tu hæc fingis, sed tacentes admittunt verè sanum esse factum, & præ inuidia non interrogant; Quis est ille; qui te sanum fecit: sed, *Quis est ille homo, qui tibi dixit, tolle grabatum tuum?* cum multo magis illud esset inquirendum, quis esset, qui tanta virtute vti potuit: sed non hoc calumniandi ansam, sed illud, *Qui dixit, tolle grabatum*, dabat: propterea vnum, non alterum inquirunt: ex quo intentio eorum peruersa manifesta fit. Calumniam quærebant, non Dei honorem, & gloriam; si enim hoc eos mouisset, vtique quis esset, qui sanauit, interrogassent, vt diuinam virtutem, & potentiam in eo recognoscerent.

Is autem

Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.

VM dicit Euangelista illum hominem nesciuisse; quis cum fecisset sanum, insinuat, quod interrogantibus responderit, se nescire: causam autem, cur nescierit, subiūxit Ioannes; nam Christus, cum primum miraculum fecit, à loco illo, in quo erat multitudo, se subduxit; nec tempus concessit, vt agnosci posset; tum ne propter gloriam hominum id fecisse videretur; tum, vt dicit Cyril. vt interim Iudæorum furor efferuesceret. Erat autem in loco illo magna multitudo & infirmorum, & eorum, qui vt tempus descensus Angeli expectarent, illuc concurrerant.

ANNOTATIO IX.

MAGNUM est argumentum, non zelo, sed odio Iudæos motos esse ad inquirendum quis esset: si enim zelus eos mouit, cur non contra languidum tanquam Sabbati præuaricatore inuecti sunt? cur non eum reprehenderunt malè fecisse, dum illius dictis obediuit: maxime, vt dicit Chrysostr. hom. 36. quia languidus erat, qui verè videbatur contra legem illam agere qui onus portabat, non qui iussit; cur non ab incepto auertuntur? hæc si Iudæi fecissent, Euangelista fidelissimus non tacuisset: at illi solam calumniam in Christum quærebant: Tum enim sanasse hominem non dubitabant, tamen expectarunt, donec plenior huiusce notitiam essent assecuti, in quo ad huc est aliud malitiæ eorum potens argumentum. Si enim legis Dei zelo inducti essent, cur non diligentiam adhibuerunt, vt inquireret, quis is esset? cur non iniunxerunt languido, vt quis esset, quæreret, & indagaret? siue enim quia tanti miraculi auctor, siue quia legis violator erat, inquirere eum oportebat. hanc tamen diligentiam non adhibuerunt; malebant enim miraculi auctorem, quem Christum opinabantur, occultari, ne ex tanto opere illustris euadere apud populum, quam transgressionis accusare, cuius eum non sperabant conuincere posse. At Dominus non permisit se latere, qui per miraculum fidem populorum augere cupiebat; voluitque se à calumnia falsa eorum defendere, ne huiusmodi mendacijs deceptus populus, de eo, non vt par erat, sentiret.

Postea inuenit eum Iesus in Templo, & dixit illi.

COMMENTARIUS.

NON casu Dominus inuenit eum, quem nec casu inter multos elegerat ad sanandum; sed ex animi proposito eum conuenit, vt & ipsius spirituali consulat salutem, cuique corporis sanitatem apud piscinam contulerat, animæ salutem in templo præstaret. Rursus vt per eum se auctorem miraculi esse Iudæi apertè cognoscerent, & nominis eius notitia reuelaretur. Laudandus est languidus, qui tanto beneficio accepto, ad Dei templum confugerat; Non enim dubitabat à Deo hoc totum prouenisse, & forsitan ab ipso Deo petebat, vt quis esset, qui eum sanum fecerat, manifestaret. Sed qui cum inuenit in templo, diuina sua virtute ad templum, in quo inueniretur, attraxit. voluit autem Christus in templo manifestare se esse, qui sanum illum fecerat; vt ostenderet non dæmonis virtute, sed Dei veri, cuius erat illud templum, se fecisse miraculum; nec se solum auctorem miraculi manifestat, sed simul salutis consultorem: dixit enim illi, quod in sequenti sententia explicatur.

Ecce sanus factus es.

OPTIMI Medici est à contracto morbo infirmum liberare, & simul ne iterum incidat præseruare. Hoc Dominus mirabili doctrina exhibet, sanitate enim præstita documentum præseruandi tradit. Primo loco beneficium acceptum in memoriam reducit, *Ecce, inquit, sanus factus es*: illa particula, *Ecce*, multa indicat. primò quidem magnitudinem beneficii, *Ecce*, quasi diceret; à tam diuturno, & desperato morbo, quo laborabas, sanus factus es. Secundò mirum modum, quo sanatus es, quasi diceret; ecce modo inexpectato, & inaudito, ac insolito sanitatem consecutus es. Tertio continuam memoriam beneficii, quasi dicat, *Ecce sanus factus es*, id est; attende, & memoria perpetua con-

Christum vero hoc verbo multa in sano subindicit, quibus in posterum recepta tueatur sanitatem.

tua conferua, ne vnquam excidat te sanum factum esse. Quartò cautelam, quasi dicat, *Ecce sanus factus est*, aduerte te sanum factum, sed sic, vt iterum possis ægrotare, & sanitatem amittere; propterea esto cautus nec dicit, Ego te sanum feci, vt notat Chrysof. hom. 37. ne exprobrare beneficium videretur. sed tacitè insinuat. *Ecce factus es sanus*, non tu sanitatem fecisti, nec procurasti, nec merito tuo consecutus es; tu scis, tu vidisti, à quo eam acceperis. Hæc omnia proponit, quia horum consideratio documentum est, quod valdè prodest ad sanitatem tuendam, & disponit ad secundum documentum, quod sequitur.

Iam noli peccare.

Christus hoc verbo significat languidum habentem in peccato durasse. & modo ab illo liberum eius gratia euasisse.

ALTERVM documentum sanitatis tuendæ tradit, dum causam morbi præcedentis aperit, ac si diceret; infirmitas tua grauis, & vetus fuit ex peccato: hoc enim causa fuit infirmitatis à qua liberatus es, cognita ergo causa, facilius est præseruatio. Caue, inquit, ne iterum pecces; ne peccatum redeat ad te; ad quod multum prodest documentum primum, si in memoria semper retinueris, qua ratione factus sis sanus; & à quanta miseria, quam propter peccatum cõtraxisti, sis liberatus. Duo his verbis insinuatur; in eo enim quod dicitur, *Iam noli peccare*, significatur hunc hominem non solum peccasse, sed peccatum continuasse in eoq; perseuerasse, propterea & infirmitatem contraxit, & tandiu in ea durauit. illa particula, *Iam*, hoc exprimit, quasi dictum esset; hucusque peccasti, iam, id est, deinceps, postquam sanus factus es, muta vitam, ne amplius peccare velis. Alterum, quod hic insinuatur est, liberatum esse etiam à peccato animæ languidum, sicut prius fuerat à morbo corporis, *Iam noli peccare*, quasi dicat; liber es à peccato, in quo hactenus fuisti, noli iterum relabi, & in id, in quo fuisti hucusque recidere. Et aduerte nouo se miraculo Christum manifestantem; nam occultissimam causam infirmitatis huius hominis reuelat, quem & à culpa liberat, quod sanè maius fuit, quàm à morbo corporis sanasse.

Ne deterius tibi aliquid contingat.

TERTIVM documentum præseruationis est; si iterum peccaueris, si peccatū repetieris: scio nõ priorem morbum, sed multo peiorem te contraturum. Si igitur primum documentum sanitatis tuendæ non prodest, nempe recordatio accepti beneficii tanti, hoc cape; illud amoris, hoc timoris est. Et attende verbum, *Tibi contingat*, licet non statim venerit, tamen quando minus expectaueris, quando magis tibi tutus videberis, veniet peius hoc, & deterius, quàm prius. Hoc etiam annotauit ex hoc loco Basil. lib. mora. reg. ii. cap. i. solet Deus in suis peccatis perseuerantes punire, dum minus timent. quod Matth. 24. dicitur: Sicut, inquit, in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis: sicut erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, & nuptii tradentes vsque ad eum diem, in quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium. Hæc sunt, quæ Dominus huic languido in sui manifestatione dixit; quia verò sunt verba foecundissima, & doctrinæ plena, in sequenti annotatione sunt fusius explicanda.

A N N O T A T I O X.

Peccatū causam fuit, ob quam languidus iste tandem ægrotauit.

MVLTA sunt in expositis verbis considerata, quorum primum illud est, causam infirmitatis huius languidi peccatum fuisse, qui perseuerante, etiam infirmitas perseuerauit & protracta est, donec venit ille medicus, quo & causam cognoscere, & simul eam potuit remouere: hoc enim insinuatur illis verbis, *Iam noli peccare*; quasi diceret. Quia peccasti, & hacten⁹ in peccato persististi, morbus hic à te contractus, durauit, ablata est cau-

sa, ablati est morbus; ne igitur repetas causam, ne in peiora incidas. In veritatis huius explicationem aduertendum est, corporis infirmitates, quamuis non semper ex peccatis proueniant, sed ex alijs causis; tamen certum est, sæpe etiam ex peccatis procedere, quod hæc verba probat. Causas alias, propter quas infirmitates veniant, in alium locum differimus tractandas; in præsentem autem solum considerabimus, quæ ex peccatis sunt. Si igitur scripturas,

Infirmitates corporis proueniunt ex peccatis.

scripturas, & sacros Doctores diligenter inspiciamus, inueniemus tripliciter infirmitatem ex peccato, seu ratione peccati prouenire.

Primo modo infirmitas est ex peccato, nimirum, quando naturalis causa infirmitatis est aliqua, quæ verè est peccatum, sicut qui ex nimia potatione, ex frequenti ebrietate morbum contrahit; hic morbus ex peccato dicitur esse; quia causa morbi est actio quædam, quæ verè est peccatum: sicut etiam quando ex incontinentia incidit aliquis in morbos, quales solet tale vitium inducere. De hac ægritudine habemus exemplum 2. reg. 13. in Ammon, qui præ nimio amore erga sororem vitioso, & inordinato in ægritudinem incidit; & de huiusce infirmitatibus meminit Basil. in regul. fusius disputatus cap. 55. & Chrysof. hom. 37. in hunc locum. Altero modo infirmitas est ex peccato, quando non quidem est ex actione aliqua, quæ naturaliter morbum inducat, sed est propter peccatum, quia nimirum aliquod commisit peccatum homo, propter quod Deus infirmitate corporis illum castigat. Exemplum est Num. 12. Maria soror Moysis propter murmuracionem lepra percussa est; murmuratio non facit lepram, sicut ebrietas morbum, sed propter illam à Deo lepra immissa est, sic etiã 1. Cor. 11. Inter vos inquit, multi infirmi, & dormiunt multi. hæc infirmitates, & multorum funera non ex peccato, sed propter peccatum erant.

Tertiò modo fieri potest, vt simul sit infirmitas ex peccato, & propter peccatum, quando Deus infirmitate punit illud peccatum, ex quo infirmitas effecta est: non enim semper mala pœnæ sunt ex Dei vindicta, & ira. Quando igitur propter peccatum infirmitas est, siue sit ex peccato, siue non, dicimus propriè infirmitatem esse ex peccato, seu peccatum causam esse infirmitatis.

Quadrupliciter contingit, vt Deus propter peccata infirmitates immittat.

Quod autem Deus propter peccatum immittat infirmitates corporis quadrupliciter contingit. vno modo propter correctionem, & emendationem peccantis, vt infirmitate correctus ad Deum conuertatur, & respiciat. Psalm. 15. Multiplicatę sunt infirmitates eorū, postea accelerauerūt. 1. Cor. 11. Dū iudicamur a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Altero modo in purgationem; sæpè enim remissa culpa manet reatus pœnæ temporalis, manent & reliquiæ peccati: Deus ergo infligit pœnas, & afflictiones corporis ad purgationem perfectam. talem fuisse Lazari illius pauperis infirmitatem. Luc. 16. probat Chrysof. hom. 1. ad populum Antiochenum; purgatus enim est in hoc sæculo, vt purus inueniretur in altero. hac ratione Iustinus quæst. genti. resp. 79. Iosiam iustum Regem, quia non obediuit voci Prophetæ. 2. Paralip. 30. vulneratum dicit in bello, & obiisse, vt in hoc sæculo purgaretur. quod dicimus enim de pœnis peccatorum remissorum, dicimus etiam de leuibus, & venialibus peccatis, quæ sæpè à Deo purgantur, hinc infirmitatibus. Tertio modo sunt in cautelam peccati, ne ho-

mo incidat in ipsum. sunt enim quandoq; corporis morbi velut medicina à peccatis præseruans, & hoc sine à Deo interdum infliguntur. talis fuit infirmitas Ezechie, qui Isa. 38. dicitur infirmatus vsq; ad mortem. vbi causam Hieronymus annotauit, ne post incredibiles triumphos eleuaretur, & peccaret. Talem fuisse Pauli infirmitatem, quando 2. Cor. 12. dicit. Datus est mihi stimulus carnis meæ, ne magnitudo reuelationum extollat me; docent Hieronymus in epist. ad Eustochium de cust. virginat. & Chrysof. hom. 6. de laudibus Pauli; exponentes stimulum illum fuisse carnis infirmitatem. & Basil. in regul. fusius disput. cap. 55. hinc hanc ægritationem Pauli medicinam fuisse à peccato præseruantem. Quarto modo sunt pœna punitiua peccati: solet enim Deus aliquando incipere in hoc mundo punire peccata corporis infirmitatibus, & continuare in altero sæculo æternis pœnis; vt docet Greg. lib. 15. mor. cap. 29. quamuis incipiat autem Deus hoc in seculo punire, & vlcisci; tamen misericordia est, quia dum incipit in hoc sæculo, peccatorem monet, vt, antequam vterius procedat, conuertatur: at non contuerso pœna est iam & vindicta. Talem fuisse inauditum, & horrendum illum morbum Herodis infantium occisoris docet Eusebius li. 7. Hist. cap. 8. Similis etiam fuit morbus Antiochi 2. Mach. 9. & Ioram 2. Paralip. 21. & nunc infanilibus, & grauibus morbis aliquos Deum punire probabile est. His omnibus modis infirmitas est propter peccatum, siue ex peccato, siue non ex peccato sit; nempe in correxionem, purgationem, cautelam, & vltionem. Huius languidi infirmitatem propter peccatum fuisse certum est, non quidem in cautelam futuri, nec in purgationem, sed in correctionem, vt à peccato emendaretur, & in quendam punitiorem temporalem; quia quamdiu culpa durauit, protracta est pœna; an tamen ex peccato fuerit cõtracta, nimirum ex aliqua actio ne vitiosa, ebrietate, aut alio simili vitio, incertum est. Non mirum ergo, si triginta octo anni in infirmitate elapsi erant, nec si à Medicis sanitatem non obtinuit: Quis enim de manu corripientis Dei liberare, & eripere potuit, causa correctionis durante? propterea in tantam redactus est paupertatem, vt non haberet, quod homini erogaret in pretium auxilij, quo in piscinam mitteretur, nec ab vlllo misericordiã cõsequeretur, qui id ministraret; quia, quando Deus decreuit castigare, media omnia, qui bus possit homo euadere, efficacia non sunt.

Alterum in his verbis considerandum est; hanc totam triginta octo annorum afflictionem, & infirmitatem non fuisse satisfactoriam culpæ ab ipso languido commissæ: quia quam diu homo in peccato manet, etiam si omnes mundi pœnas patiat, non satisfaciet pro culpa, necesse ei est ex diuina gratia, & misericordia culpam remitti. Christus solus est, qui pro omnium culpis pœnam passus est satisfactoriam: propterea, vt rectè annotauit Chrysof. hom. 37. non dictum est ei: ecce iam latis fecisti pro peccatis tuis, ecce iam dignus es

Diuturna languidi infirmus non fuit satisfactoria

nus es, qui sanitatem recipias, sed, *Ecce sanus factus es*, non ex te, nec propter te, sed ab alio, & propter alium, nō merito, & satisfactione tua, sed alterius gratia.

Teratū peccatum grauius.

Tertium in his verbis considerandum est: dum dicitur, *Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*, insinuari, si peccatum repetierit tale tunc peccatum grauius futurum. Non enim aliter deterius contingeret: grauior enim poena culpæ grauiori debetur: quod & Basil. in lib. moral. reg. 11. cap. 2. ex hoc loco annotauit, & ita est re vera. Est enim certa doctrina, peccatum sequens cæteris paribus esse grauius, propter maiorem ingrati animi erga Deum significationem: post peccatum enim expectat Deus ad poenitentiam ex magna misericordia, quando ergo iterum peccat idē repetendo, aut simile committēdo peccatum,

grauior est culpa, quo qui peccat Dei misericordia ad poenitentiam expectantis & inuitantis magis abutitur; & multo grauius est, si præcedentis peccati obtinuerat remissionem, & iterum peccet; & adhuc grauius, si admonitus & correctus à Deo respicit: nam & ipsa correctio Dei est beneficium. Si ergo languidus peccatum repetiisset, grauius fuisset, quia à Deo expectatus, correctus, sanatus, remissionem consecutus, & admonitus ne iterū peccaret; nihilominus peccatum commisisset. propterea grauiori multo dignus erat poena, ut rectè dictū sit, *Noli peccare, ne deterius cōtingat tibi*, quasi diceret: quia culpa tunc grauior multo erit, & ad maiorem iram, & vindictam, Dei iustitiam contra te prouocabis. Multa alia in his verbis considerari possent, sed dicta ad explanationem satis esse videntur.

Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

COM M E N T A R I V S.

COGNOUIT languidus suæ sanitatis auctorem, & eum Iudæis prius, quis esset qui eum sanum fecerat quærentibus, manifestat; non malo animo, nec sinistra voluntate, ut merito Cyril. lib. 2. cap. 131. & Chrysof. hom. 37. & Aug. tract. 17. dixerunt. non enim credibile est tanto beneficio à Christo affectū anima, & corpore sanatum, tam mira admonitione edoctum, tanto timore terrefactum, tam graue peccatum, sine mora, cōtra tam magnificū benefactorem nemine urgente commisisse. Cyril. dicit hoc motum proposito abiisse, ut medicum ostenderet, si quis fortè illorum sanitate indiguisset. Chrysof. verò, ut tanquam gratus, auctorem beneficii profiteretur. Quod autem non pessimo consilio id fecerit, Euangelista insinuat, dicens, *Nūtiatur Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum*, non autem dixit, qui iussit me onus portare, ut benè Chrysof. hom. 37. notat: hoc enim quærebant Iudæi accusantes; at hic annuntiat, qui fecit eum sanum, ut auctor sanitatis tātus non lateat. Hoc enim ex Christi Domini inspiratione fecit, ut & miraculo tanto fides conciliaretur, & occasio miræ doctrinæ euulgandæ daretur.

Propterea persequerantur Iudæi Iesum, quia hac faciebat in Sabbato.

MALIS, & peruersis animis, etiam bona fiunt malorum occasio: quod enim rectissimo consilio fecit languidus, quod re vera eis ad fidē in Christum potuit prodesse, in persequendi occasionem, & causam, Iudæorum peruersitas conuertit. & cum amare, venerari, credereque deberent, quia sanum hominem fecerat, persecuti sint, quia in Sabbato sanum fecit: plusque potuit temporis circumstantia ad persequendum, quàm tantum opus ad sequendum Christum eos inducere sua iniquitate & malitia excæcatis, quæ eos ad calumniandum Saluatorem impellebat. Illud autem, *Hæc*, in plurali numero dictum insinuat, non ad hoc factum solum, sed etiam ad alia referri: nam in Sabbato multa similia fecit Dominus. Verbum est Euangelistæ generale Iudæi, inquit, persequerantur Dominum, quia ista nempe hoc, & alia miracula in Sabbato faciebat: insinuat enim Euangelista ante hoc miraculum alia etiam facta fuisse à Christo in Sabbato; quæ ab alijs Euangelistis narrantur, & talibus ad persecutionem Iudæi inflammati sunt.

A N N O T A T I O XI.

LO C I huius intelligentia postulat, ut aliquid breuiter de Sabbati obseruantia consideremus; & an Christus Sabbati præceptum fuerit transgressus, ut Iudæi falso sunt calum-

Iudæi & veteris Christi imputant, quod miracula in Sabbato faciens, illud soluat.

calumniati, & cur ea opera in Sabbato fecerit, explanemus. Sunt igitur aliqua aduertenda: primum illud est, Iudæos, & postea hæreticos in eo quod miracula Christus Sabbato fecerit; fuisse scandalizatos, eumque legem violare iudicârunt. de Iudæis ex Euangelio id constat, Luc. 13. Archifynagogus ille indignatus dixit; Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, non in die Sabbati. Ioann. 19. Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit: & hoc ipso loco idem habemus. De hæreticis refert Tertul. lib. 4. contra Marcionem, Marcionistas Patrem Christi, esse alium à Deo veteris testamenti, hoc argumento inter alia probasse, quia Christus sabbatum non seruauit. Alterum aduertendum est, diem septimum, qui Sabbatum, id est, requies dicitur, multis de causis à Iudæi obseruari & sanctificari Deum voluisse, quarum aliquot à sacris Doctoribus annotatas adiungo. Vna est Athanas. orat. in illud: Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, ut Iudæi memores essent creationis, quia sex diebus creauit Deus vniuersa, & septimo vacauit, & per hanc frequentem memoriam in veri Dei fide, & cognitione conseruarentur, & perseuerarent; hæc causa deducitur ex Exod. 20. Memento, inquit, ut diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies opera tua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.

Quare Sabbatum iam celebre fuerit apud Iudæos.

Secunda causa est Cyrill. libr. 4. in Ioan. cap. 51. & Ambros. Epist. 72. ad Irenæ. ut esset figura æternæ quietis; hæc enim esset perfectum Sabbatum, ab omni labore liberum: exponuntque hi Doctores omnia illa, à quibus in Sabbato hoc abstinendum erat, ea significare, figuramque eorum esse, quæ in æterna gloria sunt: sequitur autem requies illa huius seculi labores, sicut Sabbatum reliquos dies, quibus operatus est Deus. Tertia est Augusti. libr. 4. super Genes. ad litteram capi. 10. ut esset figura quietis illius, quæ aliquando futura erat, Christi in sepulchro: nam integro die sabbati Christi corpus fuit in sepulchro, primus & tertius integri non fuerunt, sed per sinedochen quandam computantur. Quarta est Gregor. Nissen. libr. contr. Iudæos cap. de Sabbato, quia illi Iudæi erant valdè negotiationibus dediti temporalibus, & lucris, in quibus fiunt innumera fraudes; voluit igitur Deus diem eligere, in quo ab omnibus his vacarent, & minorem peccandi occasionem haberent, Deoque & ipsius legi liberius attenderent, & hunc elegit, in quo ipse vacasse dicitur. Quinta causa delumitur ex Deut. 5. ut illius tam insignis beneficii, quo populus ab Aegyptiaca liberatus est seruitute, memor semper esset. dicitur enim ibi, Memento quod seruiueris in Aegypto, & eduxit te Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi, ut obseruares diem sabbati. Hæc, & alia ex scripturis, & doctoribus sacris deducuntur, quæ

ad præfens institutum sufficiunt, ex quibus constat præceptū sabbati, ex parte morale, ex parte ceremoniale esse, qua ratione enim, ut Deo vacaret, ut memores tantorū beneficiorum essent, institutum erat, ad mores pertinebat: qua ratione verò dies septima potius, quàm secunda, aut tertia, aut alia instituta est, hoc potius ad figurā & ceteroniam quandam pertinebat.

Tertium in hoc loco aduertendum est, Sabbatum illud Iudæorum quantum ad ceremoniale, & diei septimæ obseruantiam Christo adueniente per Euangelium cessasse, & translatum esse in diem octauum, qui Dominicus dicitur, in quo Christus Dominus & redemptor noster resurrexit: quam cessationem multo ante Prophetæ prædixerant; & inter alia testimonia illud est Isai. 1. Neomeniam, & sabbatum, & alias festiuitates non feram, quod in loco Hieronym. sabbati, & veteris illius legis cessationem prædictam annotat. de qua re sunt etiam alia multa testimonia. Huius autē cessationis multas causas doctores sacri afferunt. Prima est Athanasij orat. in illud: Omnia tradita sunt mihi à Patre meo; in cuius declarationem sciendum est duo insignia, & maxima opera Deum erga humanum genus exhibuisse, creationis nempe, & recreationis; Creationis, quia creauit vniuersa, & homini subiecit cuncta sensibilia: Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Recreationis, quia hominem per peccatum depressum, & in summam miseriam, & æternam mortis seruitutem redactū reparauit, liberauit, & saluum fecit per redemptionis gratiam; & quæ suo verbo creauit, eodem verbo carne sumpta recreauit. Ex quo fit, ut duæ sint velut humani generis ætates, vna creationis, quæ, à mundi incepit principio, & velut terminata est in Christo. altera incepit in Christo domino, duratura vsque ad seculi consummationem. ad illam ætatem celebratio illius beneficii pertinebat; at Euangelium celebrat recreationem, in quo initium accepit. propterea diem sanctificat Dominicum abiecto sabbato; non quod pereat memoria illius beneficii, sed quod significet iam illam ætatem cōpletam, & nouam multo perfectiorem aduenisse. Hæc est ratio, & causa ab Athanasio allata, & confirmat doctrinam illo Psal. 11. Annuntiabitur Domino generatio ventura; annuntiabunt cæli iustitiam eius populo, quem fecit Dominus. Illi ergo creatorem in sabbato, at nos redemptorem iam in die Dominica profiteamur. Addit secundo loco Athanasius subtilem considerationem, nempe in obseruantia eiusdem Sabbati significatam esse cessationem ipsius; iubebat enim ab opere cessare, insinuans eam habituram finem, & aliam obseruantiam venturam; & propterea Euangelium non retinuit sabbati obseruantiam, quia Euangelium non cessabit: non enim sicuti legi successit Euangelium, ita Euangelio succedet alia lex, aut aliud Euangelium, ut doctè annotauit Cyrill. libr. 10. in Ioan. capit. 25. sed status iste mutabitur in æternū statū gloriæ. Hæc igitur est alia causa, & secunda ordine ex eodem Athanasio, cur sublaturum cessauit.

cessauerit, & ab Euangelio non sit continuatum; quia scilicet in eo cessatio eiusdem legis, & ipsiusmet sabbati significatur aduentu noui Euangelij, quod in Euangelio locum non habet. Tertia causa est, quia cum illud sabbatum esset figura mortis Christi, & quietis in sepulchro, adueniente veritate cessare debuit, sicut & circumcisio, & alia, ob eandem causam non continuatur cum die Dominica eius obseruantia: quia sabbatum seruare, est Christum nondum mortuum profiteri. dominicam autem diem sanctificare, est eius resurrectionem venerari: hæc verò duo repugnant. Hæc causa est Gregor. libr. 11. Epist. 3. vbi contra quosdam inuehitur, qui cum die dominica, sabbatum seruabāt, dicitque eos Antichristum imitari, qui simulans se mori, & resurgere, dominicum diem faciet seruari, & vt Iudæos attrahat, simul sabbatum retinebit. Quartā causa est, quia illud sabbatum erat etiam in memoriā ab Aegyptiaca seruitute liberationis, qui fuit illi populo particularis, & totius humanæ redemptionis figura: cum igitur iam non sit illius populi distinctio, sed vna ecclesia in qua non est distinctio Iudæi, & Græci, non est cur particulare illius populi beneficium celebretur. hoc enim est profiteri adhuc non esse vnam Ecclesiam, in qua Gentium, & Iudæorum non sit distinctio: item non esse lapidem angularem vtraque faciente vnum, & maceriem diuisionis dissoluentem. Dies igitur Dominicus celebratur, in quo facta est vniuersalis gentium, & Iudæorum liberatio, cuius illa Aegyptiaca erat figura, & in qua celebratur recreatio, quæ secū habet memoriā creationis coniunctam. his de causis sabbatum cessauit in Euangelio, omissis alijs multis, quæ dici adhuc in hac parte possent.

Quæ opera in Sabbato erāt prohibita.

Quartum hoc loco aduertendum est, per præceptum obseruantie Sabbati, vt apparet Exod. 20. 31. & Deutero. 5. non omnia opera exteriora fuisse prohibita, sed seruilia, qualia sunt artium mechanicarum, & negotiationes, vt dicit Irenæ. li. 4. cap. 19. & quæ ad ministerium, & seruitutem pertinent, per seruos, & ancillas fieri solita; quæ omnia seruilia dicuntur; non tamen omnia exteriora hæc opera in Sabbato cessasse manifestè patet. quatuor enim genera operum non cessabant, nec prohibita erant: primò quidem opera diuina virtute facta in sabbato fiebant: quod probat Epiphani. hæres. 66. in catalogo dogmatum Manichæi ex Iosue 6. Præcepit ibi Dominus, vt septem diebus muros Hierico circumambularent, & septimo muri corruerunt. apertum est sabbatum vnum esse dierum, in quo circū muros ambulārent, nec tamen obseruantiam sabbati sunt transgressi. Præterea 4. Reg. 4. Eliseus mortuum suscitauit ipsum tangendo, ipsi septies incumbendo, nec legem esse transgressus in tactu mortis. Et Tertull. libr. 4. cont. Marc. id in Sabbato factum dicit, nec violauit Sabbatum, quia opus erat diuina virtute factum. Secundo loco non erant prohibita opera exteriora, quæ in cultum, & religionem Dei fiebant, quod Epiphani. probat Exod. 25. 27.

A candelabrum enim septem habebat lucernas, & singulis diebus in templo accendebantur, oportebat ergo in sabbato accendi, nec tamen soluebatur: & re vera extra templum, nec lucernam licebat accendere in sabbato. Ministri etiam alia opera in templo faciebant, quibus non violabatur sabbatum, quia in cultum Dei erant, quod Matth. 12. dicit Dominus: Non legistis quia sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt? occidebant enim animalia ad sacrificium, & alia ministeria exercebant. Tertio loco opera, quæ ad sanitatem corporis necessaria sunt, non erāt prohibita, qualia quæ medicinæ sunt, & quæ ad vitam necessaria, vt Tertullia. libr. 4. contra Marci. & Irenæus libr. 4. capit. 19. docent, non solum quæ ad ipsos homines, sed etiam quæ ad iumenta eorum pertinebant, quod Dominus Luc. 6. quando manum aridam sanauit, ostendit dicens: Si licet Sabbatis benefacere, an malè? & Luc. 13. Vnusquisque vestrum sabbato non soluit bonum suum, & asinum à præsepio, & ducit ad aquam? per hoc excusauit Dominus discipulos vellentescas ad manducandum in sabbatis quia non habebant, quo vescerentur, quo confirmauit exemplo Dauid, qui panes propositionis in necessitate manducauit, quibus vesci solis licebat sacerdotibus. Cum enim ista præcepta fuerint diuina quidē, sed positiua, non erāt seruanda contra præcepta naturalia, qua de causa 1. Machab. 2. decreuerunt Iudæi contra inuasores etiam in sabbato bellare in sui defensionem, quam rationem Tertull. li. 4. cont. Marcio. & Iren. li. 4. c. 20. annotarunt. Quarto loco, quæ ad animā pertinebant, vt dicit Tertull. loco citato, etiam si corporalia erant, non prohibebantur in sabbato; qualis erat circumcisio, quæ etiam fiebat in sabbato, vt habetur Ioann. 7. & ad hoc etiam referuntur sacrificia, & victimæ pro populo; nam animalia ducebantur ad templum, & portabantur necessaria ad oblationes, & victimas. Liqueet ergo illam sabbati obseruantiam, non remouisse omnia opera exteriora, & corporalia, etiam si aliquid ministerium habere viderentur.

F His igitur expositis, facile est duas propositas difficultates soluere. Vnā erat, an Dominus sabbatum seruauerit? & dicendum est, seruasse quidem, nec per omnia illa miracula, quæ in sabbatis operatus est, vnquam soluisse. In hac assertionem rationibus confirmatur. Primò, quia non erant seruilia opera, sed diuina virtute facta; si Iosue, & Eliseus sabbatum non sunt transgressi, quia opera illa diuina facta fuerunt virtute, multo minùs Christus Dominus sabbatum soluit, cuius opera multò diuiniore erant. Secundò erant opera religionis ad cultū Dei maximè pertinentia: erant enim argumeta diuinitatis, & veritatis fidei, & ad manifestandam Dei promissionem, & hominū fidem conciliandā. Ioan. 11. Infirmus hæc non est ad mortē, sed vt glorificetur filius Dei per eā. Ioan. 9. Vt manifestentur opera Dei in illo. Tertio erant opera sanitatis & medicinæ, si autē licebat medico in sabbato manū ab-

Ex dicto
An Christi
Sabbatum
soluisse.

scindere propter sanitatē; cur non licuit Christo sanam facere? etsi opera mechanica licita erant propter sanitatem eandem, qualia opera Pharmacopolæ, & Chirurghi faciunt, cur non Christo licuit verbo modico, luto & salina sanitatem mirabiliter operari? Quarto erant opera ad salutem animæ ordinata, efficaciora quam victimæ, & holocausta illa. Ioan. 16. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti, opera autem hæc erant, per quæ hæc cognitio parabatur. Nulla ergo ratione opera hæc erant prohibita, immò multis modis ab illa prohibitionem excepta. In hac parte autem non est recipienda doctrina Iustini, quæstion. Gentil. respons. 28. qui hac via respondet, Christum legem non fuisse transgressum, quia iam in Christi baptismo lex illa abrogata erat; nemo autem legis transgressor dicitur, quando iam lex vim non habet, sed doctrina hæc contra communem Doctorum sententiam est, qui non tunc, sed post passionem, & resurrectionem cessasse legem asserunt; de qua re alibi est dicendum. Vera responsio est, quam iam explicuimus, videlicet, quod etiam si lex tunc in sua viguisset obseruantia, opera tamen illa Christi non erant contra legem propter quatuor illas causas allegatas. Ex his facile est locum Ioannis præsentem exponere. languidus enim hic non violauit sabbatum, dum onus portauit, vt rectè Epiphanius loco citato dicit. erat enim maximè ad cultum Dei pertinens opus: nam

A per id diuina virtus maximè elucebat. si enim distulisset, & die sequenti post sabbatum onus portasset; non visus esset in momento tantas vires post tam diuturnum morbum recepisse; vt ergo notum esset breuissimo momento, non solum sanum factum esse, sed tantum roboris accepisse, propterea statim grabatum portare iussus est: si autem Sabbatum non esset, non tam omnium in se oculos conuertisset, nec opus Dei manifestum foret. Erat ergo ad Dei cultum, & virtutis eius manifestationem, vt statim, & Sabbato id fieret. Et in hoc conuincuntur malitiæ illi accusatores, nam admittentes sanum illum factum fuisse, quia omnibus notissima infirmitas erat, diuina virtute factum negare non poterant; nec igitur inficiari debuerunt illud esse opus ad Dei gloriam, & cultum, & consequenter non erat prohibitum in sabbato. Falsò ergo & malitiosè dixerunt, Non licet tibi tollere grabatum, cum sciuisent diuinæ virtutis opus illud esse.

C Altera difficultas etiam soluitur, cur Dominus sabbato ea voluerit opera facere, cum potuisset alijs diebus. Ex eisdem dictis responsio elicitur, nempe, vt in hoc Christus sua opera esse diuina monstraret, per quæ Sabbatum non soluebatur. Rursus, vt dicit Irenæus loco citato, vt errorem eorum confunderet, docens talia opera non esse prohibita, præterea, vt animos hominum considerationem magis interesset; sed hæc in expositione sequentium perfectius explanabuntur.

Cur Christum in Sabbato opera illa faciebat, quæ poterant in alijs diebus præstari.

Iesus autem respondit eis, pater meus vsque modo operatur, & ego operor.

COMMENTARIVS.

H Is verbis Iudæos à languido, quis eum sanum fecisset: admonitos, ad Christum venisse, eumque, quod sabbatum violasset in simulasse, Euāgelista insinuat. quibus Dominus respondit rationem afferens, cur sabbatum non violauerit. & est sensus; Sicut Pater meus operatur etiam in sabbato, ita etiam ego operor: ille non soluit, nec violat sabbatum, nec ego. Deum patrem operari dicit, vsque modo, id est, etiam in sabbato propter conseruationem, & gubernationem mundi, & rerum productiones: conseruat enim, gubernat mundum, ipsius opera sunt generationes, & rerum productiones etiam in Sabbato; & sic exponunt hanc operationem Cyril. lib. 2. cap. 133. & Greg. Nazianz. orat. 4. Theolo. & Chrysoft. hom. 37. Nonnulla his verbis indicantur; vnum est, quod annotat Cyrill. loco citato, nempe hoc Christum dixisse in sabbato, quod ex illo verbo probat, vsque modo, seu, vsq; nunc operatur Pater, quod aliter non haberet vim, & efficaciam, nisi illud, modo, significaret Sabbatum; ex quo patet eadem die peracta esse hæc omnia, & miraculum, & inuentionem languidi in templo, & simul hanc Iudæorum accusationem. Alterum est, quod notat Chrysoft. hom. 37. his verbis significari æqualitatem quandā dignitatis cum Patre, aliter non procederet similitudo argumenti, Si Pater operatur, & ego operor, nisi æqualis esset vterque. Tertium est, verba hæc efficaciam accusationis Iudæorum totam destruire; nam accusatio eorum tota nititur in mandato Exodi, vbi Dominus sabbatum obseruari iussit, quia Deus sex diebus creauit omnia, septimo quieuit; propterea ab operibus quiescendum in sabbato. Ad hoc Christus tacitè respondens dicit, Deum non simpliciter quieuisse. nam nunc etiam operatur, in mundo enim multa

operatur; in mundo enim multa operatur: quiescere igitur dictus est, non quod ab omni opere vacauerit, nunc enim in sabbato multa operatur, nec sabbatum suum violat. *ita*, inquit, & ego operor, qui etiam Deus sum, nec propterea sabbatum violare sum dicendus. Cetera lege in annotatione.

A N N O T A T I O . X I I .

Verborum sensus magis examinatur.

CYRIL. li. 2. c. 133. hanc sententiam aliter exponit, vt sit sensus causalis: nempe, quia Pater meus operatur, ego etiam operor, seu propterea operor: non ergo est, cur me accusetis, sicut nec patrem accusare potestis. cum enim Pater per me operetur, si Pater operatur, etiam ego operor. est autem vera doctrina, cum enim sit vnus, & eiusdem substantiæ, & potentia Pater & Filius, si Pater operatur, Filius etiam operabitur: nam eadem est operatio vtriusque sicut eadem essentia, & potentia: nec enim pater sine filio potest operari. Opera autem hæc Christi miraculosa erant, ratione suæ diuinitatis, in qua vnum est cum Patre; propterea operante patre, operatur filius, & est expositio conueniens. Hanc videtur secutus Athanasius, serm. de Deipara, annotans indiuisam Patris, & filij operationem in his verbis significari. & serm. 3. cont. Arrian. annotat illo verbo vsque nunc, seu, vsque modo, significari filium æternaliter in patre esse: nam vsque nunc indicat semper cum eo esse. Ceterum, quamuis id verum sit, tamen verba hæc solum hoc probant; filium à principio, quo Pater operari incepit, cum eo etiam operari vsque nunc; vti enim Pater à principio operari incepit, & vsque modo non cessat, sic & filius: si enim dictum esset, Pater, vsque nunc est, & ego sum, tunc æternam coexistentiam significasset; at hoc in loco de operatione exteriori sermo est. Siue ergo in causali sensu, siue secundum similitudinem verba exponas, idem est fere sensus, eadem doctrina. accommodatior tamen est expositio commen-

A tarij, quæ non ex causa, sed ex similitudine procedit.

Aduertendum autem est in hoc loco, sæpe Christus, de Sabbatho, accusatum transgressionis huius vatriè respondisse: nam aliquando se defendit, quia erant opera pietatis, quæ in Sabbatho non erant prohibita. Luc. 14. Cuius, inquit, vestrum bos, aut asinus in puteum cadet, & non continuo extrahet illum in die etiam sabbati? & tamen non per hoc efficitur transgressor: multo ergo minus, qui homines liberat. aliquando, quia erant opera necessitatis cuiusdam. Matth. 12. vbi allegauit illud de Dauid, qui comedit panes propositionis: sic discipuli ex necessitate vellebant spicas in Sabbatho. aliquando, quia erant in cultum, & religionem Dei. Matth. 12. de sacerdotibus, qui in templo soluant Sabbathum. Hæc omnes erant humanæ responsiones, quibus se hominem defendebant, & Iudæorum errorem confutabat circa intelligentiam illius præcepti. At hoc in loco præcipuam defensionem exponit ratione suæ diuinitatis, cuius opera non violant sabbatum. ceteri ergo Euangelistæ rationes humanitatis describunt; at noster Ioannes, quod diuinitatis eius est. Obijciat aliquis his verbis Christum defendere quidem opus suum, quo sanauit in sabbato; at illi accusabant, quod onus portaret languidus ex mandato Christi. Respondeo ad vnum opus omnia pertinere: nam quod illud oneris tulerit, erat effectus operis Christi, per sanitatem receptam illud in eo operabatur, vnde ad diuinam referebatur virtutem.

Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.

C O M M E N T A R I V S .

VERBA sunt Euangelistæ narrantis; quid ex hac Christi sententia, & defensione consecutum sit. nempe audientes Iudæos responsionem, non solum à persecutione non cessasse, sed potius nouam anam, & quidem acris persequendi Christum accepisse: nam vltra Sabbathi præuaricationem opponerant, quod se æqualem Deo faceret, & patrem haberet Deum, non quocunque modo, sed ipsi æqualem. Verba hæc significant Iudæos eum occidere propter sabbati violationem quæsiuisse; at noua hac oblata causa multo magis, vt id perpetrarent, inflammatos esse. Dum enim dicitur, *Propterea magis quærebant interficere*, significare videtur etiam prius quæsiuisse interficere. Illa autem particula, *Ergo*, infert ex præcedenti sententia, illationem, quam iterum verbis expressioribus significat, dicens; *Quia patrem suum dicebat Deum, & ne quis arbitraretur patrem suum dixisse Deum, quasi ipse adoptionis filius fuerit, adiunxit; dixisse Deum se habere patrem sibi æqualem.*

ANNO-

A N N O T A T I O X I I I .

Christus a peris verbis facit se Dei Filium, & Patri æqualem esse.

NVLLAM sanè Iudæi habent excusationem, quod Christus, non sit apertè locutus. Ecce ipsi quærent interficere, quia fatentur eum affirmasse, se Patrem habere Deum sibi æqualem: & profectò verum est: nam illa verba, vti iam diximus, *Pater vsque nunc operatur, & ego operor*, non aliud significant. illatio enim hæc, Si Deus operatur, & non propterea soluit Sabbathum, ita ego; nullius esset efficaciam, nisi æqualitate supposita. Cumque veritas cognita eos à persecutione retrahere debuisset; ardentius propter eorum malitiam, & perversum animum sunt inflammati. Vtuntur sacri Doctores hoc fortissimo testimonio contra Arianos, qui minorem Patre Filium affirmarunt, & aduertunt, hæc verba non esse nomine Iudæorum relata, sed esse Euangelistæ

Afferentis, quia Christus patrem suum dicebat Deum sibi æqualem; idcirco Iudæos quæsiuisse eum interficere: ergo verè id dicebat Christus. Ita annotarunt Hilar. libr. 7. de Trinit. & Ambro. lib. 2. de fide cap. 4. Iudæi autem hoc dictum verè intellexerunt in illis verbis, *Pater meus operatur vsque modo, & ego operor*. vnde rectè Aug. tract. 17. dicit, interfectores Christi intellexisse, Arrianos autem nullatenus. Duplex ergo est testimonium contra Arrianos; & verbum Christi, & verbum Euangelistæ narrantis, causam, propter quam illi persecuti sunt Christum, suæ cum æterno Patre æqualitatis significationem fuisse.

Respondit itaque Iesus, & dixit eis, amen amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem.

C O M M E N T A R I V S .

PARTICVLA, *Itaque*, sequentis cum præcedenti sententia connexionem indicat: videns enim Christus Iudæos indignatos, & eum interficere volentes propter eius factum, & dictum, nimirum quia Sabbathum soluere illis videbatur, & quod Patrem suum dicebat Deum, respondit; & prius facti. scilicet Sabbathi solutionis reddit rationem, calumniamque repellit hac proposita sententia. Cuius sensus est, *Amen amen dico vobis*, id est, rem certissimam, & verissimam asseuero, & vobis annuncio; nihil facio, quod non faciat Pater meus, & ab eo accipio, & habeo, quicquid ego Filius facio, qui ergo me transgressionis accusat, eiusdem transgressionis Patrem insimulat. Aduerte, Filium à se nihil facere, nisi quod viderit Patrem facientem, non aliud significare, quàm quicquid Filius facit, non solum facere, sed simul etiam Patrem facere, & à Patre habere illud ipsum, quod facit: vna enim est operatio Patris, & Filij, Filius tamen eam habet à Patre; creat enim Pater, creat Filius simul, vna est vtriusque creatio; Filius tamè habet à Patre, quod creat. idè est in cæteris actionibus. Ne autem putaret aliquis Filium esse velut instrumentum Patris addit, *Nisi quod viderit Patrem facientem*: operatur cum Patre, & à Patre, videns tamen & sciens, quod operatur, sicut & Pater; ita enim ad calumniam de Sabbatho respondet, vt diuinitatis suæ simul doctrinam non deserat. immò, vt Hilar. libr. 7. Trinit. docet hisce verbis confirmat, & auget dicens; non solum quod facit Pater, sed non possum aliud facere, quàm quod Pater facit, ab eoque accipio, quod facio. exactiorem explanationem in annotationibus habes.

A N N O T A T I O X I V .

Quid sit à semetipso aliud facere, aut dicere.

DVAE in his verbis difficultates occurrunt: nempe & sensus eorum, & cum superioribus connexio. Quantum ad sensum atinet, sciendum est à semetipso aliquid facere, aut dicere, in scriptura idem significare, ac auctoritate & potestate propria, non ex alterius instinctu, suggestionem, aut virtute illud facere, aut dicere. Ita Ioan. 11. sumitur, quando de Caipha dicitur; Non à semetipso hoc di-

xit; nam ex Spiritus sancti instinctu, & suggestionem locutus erat. similiter & Ioann. 18. A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? & Ioann. 15. Sicut palme non potest fructum facere à semetipso, id est, non potest propria virtute fructum producere. Filius ergo Dei non à se facit, quia virtute Patris facit, non solum hoc, sed nihil facit, nisi quod videt Patrem facientem, quia non solus facit, quæ facit, sed

cit, sed simul cum Patre. duo enim hæc hisce verbis significantur. Filius Dei igitur non à semetiplo, neque solus ut deus est, operatur, quia omnia, quæ facit, potentia, & virtute, quam à Patre ab æterno accepit, operatur, & vna cum ipso Patre operatur; quia vna est virtusque operatio Patris, & Filij indiuidua sicut vna est virtus, & potentia. Hoc igitur est, quod nunc dicitur, *Filius non potest à se facere quicquam*. Non est autem hæc impotentia, sed summa potentia: sicut non posse mori, non posse corrumpi, & annihilari, omnipotentia est, quia nihil est, quod possit ei nocere. ita similiter non posse à se facere quicquam, non est impotentia, sed summa potentia, quia id non aliud est, quam eandem, & vnam habere potentiam cum Patre. ut nihil fieri possit ab vno, quod pariter non sit ab altero; & sic à Patre procedere, & accipere, ut totam eius virtutem, & omnipotentiam habeat, per quam sit ei æqualis, & inseparabilis: quod doctè Ambros. sermo. 20. in Psalm. 118. ver. 4. annotauit dicens: Non possum ego à me ipso facere quicquam. nonnulli hæretici solebant hinc facere questiones, quasi infirmus esset Filius, qui à se nihil faceret; quasi secundum diuinitatem quoque subditus. & paterno subiectus imperio. nec aduertunt, quod hoc quoque magis potestatis diuinæ vnitas comprobatur, quo putant inter Patrem, & Filium esse distantiam potestatis: nihil à se facit Filius. quia per vnitatem operationis, nec Filius sine Patre facit, neque sine Filio Pater. hæc Ambrosius. Quare autem dictum sit; Non potest facere ex semetiplo Filius quicquam, statim exponit, *Nisi, inquit, quod viderit Patrem facientem*, illa particula *Nisi*, non ex exceptiua; tunc enim sensus esset omnino falsus, *Non potest facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, id est, hoc, quod viderit Patrem facientem, potest seipso facere. non sic est intelligendum hoc, sed particula hæc sensum facit, ac si legeremus particulam aduersatiuam *Sed*: huius enim loco sæpè ponitur; ac dictum esset, *Non potest facere à se quicquam, sed quod viderit Patrem facientem*, id est, facit semper, quod videt Patrem facientem. Hæc verba significant duo illa propter quæ non à semetiplo facit; duo enim verba sunt. *Viderit* & *facientem*, quæ continent duas enunciationes: facit enim, quod Pater facit; in quo solitudo excluditur, non enim sine Patre facit Filius; & facit, quod videt facientem; quia ab eo accipit virtutem faciendi. nam quando dicimus, facio, quod video aliquem facere, significat quandam communicationem faciendi ab eo, quem facere videmus. Quia igitur Filius facit illud idem, quod Pater, sed virtutem faciendi accipit à Patre; propterea dicitur facere, quod videt Patrem facere; & hoc est non à semetiplo facere. Et ne alia Patris actionem, aliam Filij intelligas, dicitur, quod videt Patrem facientem, non autem quod videt fecisse. Et rursus dicitur, *quod*; ut vnum idemque intelligas, opus fieri simul à Patre, & Filio. Aliquid etiam particulare indicat in eo, quod dicitur, *Nisi viderit*: nam ea-

ratione dictum est, quia ipse est verbum, & scientia cognoscens omnia quæ sunt Patris: & propterea non dixit, non potest facere, nisi quod Pater facit, sed quod viderit Patrem facere. Facit ergo omnia, quæ viderit Patrem facere quia facit omnia, ut verbum omnia Patris videns, & per quod omnia Pater fecit. hic est sensus horum verborum.

Connexio autem hæc est. Accusauerant Iudæi Christum, quod Sabbatum non seruaret, defenderat se verbis illis; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, æqualitatem cum Patre significans; inde noua accusatio exorta est, quod se æqualem Deo faceret; propter verba illa, *Pater meus operatur, & ego operor*: his accusationibus respondet. quantum enim ex Euangelistæ verbis deduci potest, Iudæi aliqua verba protulerunt, ad quæ respondisse dicit Christum, quod si non verbo, saltem corde in Christum inuecti sunt, propter hæc duo. ad calumniam Sabbati primò respondet, quamuis in ipsa responsione etiam insinuet æqualitatem cum Deo Patre; tamen non ita expressè, sicut in sequentibus verbis. nam quæuis nihil se facere possederit; nisi quod viderit Patrem facientem: non idcirco sequi videbatur, se esse æqualem: quia ad æqualitatem necesse erat non tantum hoc, sed etiam omnia, quæ Pater facit, videre, & facere. hoc verbis sequentibus efficit, quamuis re vera hisce verbis æqualitas etiam & processio Filij à Patre in vnitatem essentia, & potentia significantur.

ANNOTATIO XV.

CYRILL. lib. 2. cap. 135. & Chryso. hom. 37. r. 2. Superiori ratione humanitatis superiores sententiam interpretantur: consentiunt recentiorum aliqui, idque confirmant; tum quia si de diuinitate interpretemur, erit nimis subtilis interpretatio, quod etiam Cyrillus dicit; tum quia si Christus de diuinitate locutus esset; Iudæi non intellexissent, hæc expositio non videtur satis accommodata, nec argumenta vllius sunt ponderis. Quamuis enim Christus ut homo nihil faceret, nisi quod sciret Patrem velle (in hunc enim sensum isti verba præsentia exponunt); is tamen sensus non conuenit cum verbis propositis. Dicendum enim erat (Filius non facit, nisi quod viderit Patrem volentem) at dicitur, *Nisi quod viderit Patrem facientem*, quo significatur non sola conformitas operationis Christi cum Dei Patris voluntate; sed vnitas etiam operationis; ut quod facit Filius, simul etiam faciat Pater. quod non est nisi ratione diuinitatis: non enim orabat Pater, non ambulabat, non denique ieiunabat; quamuis hæc omnia Christus faceret, videns & sciens Patrem eavelle. Miracula vero & opera diuinæ virtutis, quæ faciebat Filius, hæc verè faciebat Pater, quæ vna est virtusque virtus, sicut vna essentia. de his dictum est, nihil facit Filius, nisi quod viderit Patrem facientem. Adde non esse dictum (nihil facit) sed, *Nihil potest facere*, ad significandam necessitatem vnus & indiuiduæ operationis precedentis ex vna, & indiuidua virtute & essentia.

Quod

Quod si subtilis est interpretatio, altitudo materiz id postulabat: loquebatur enim Christus de sua diuinitate: iam enim inceperat de ea loqui, idque Iudæi intellexerant. Si autem hæc non perceperunt, multa alia etiam dixit Christus, quæ nec illi intellexerunt, at non propterea dicta non sunt. Non enim propter Iudæos tantum, sed etiam propter nos loquebatur Christus. Adde graues & multos doctores antiquos, ipsum etiam Cyrillum de diuinitate interpretatos esse, ut paulo inferius dicemus.

Quamquam alij nostri seculi, de diuinitate nobiscum interpretantur; illud autem, *Non potest à se facere quicquam*, sic exponunt, non potest solus facere quicquam: quæ expositio vera non est: nam si id significaret, *Non à se posse facere*, Pater etiam diceretur, non à se posse facere, quia etiam non solus facit, sed cum Filio; at nemo sanè doctus id concedet: Pater enim à se operatur, sicut à se est; Filius à Patre operatur, sicut à Patre etiam est: Pater enim Deus est; Filius autem Deus idem, sed de Deo, quia essentiam & virtutem, qua est, & operatur cum Patre, habet à Patre: concludo ergo, Filium dici non posse quicquam facere à se, nisi quod viderit Patrem facientem, non propter concordiam voluntatis humanæ ad diuinam, ut Cyrill. & Chryso. interpretantur: sed per vnitatem operationis precedentis ab vnitate substantia, & virtutis: & propter processionem Filij à Patre. Sic ergo calumniam Sabbati Christus repellit, uti diximus in commentario, ut simul diuinitatem suam confirmet, quam verbis paulò antè prolatis significauerat dicēs; *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. immò id ipsum declarat docens, sic operari cum Patre, ut à Patre id accipiat; quamuis æqualitatem cum Patre expressius ostendat sequenti sententia: Hæc est legitima expositio, ex qua sequitur rectè Gregor. Nazianz. orat. 4. Theolog. ex his verbis collegisse, eandem esse Patris, & Filij auctoritatem; verè etiam ex eisdem verbis Basil. in Apologia de sua discessione, quæ est epist. 141. intulisse, eandem esse naturam, & substantiam vtriusque: doctè etiam Hilar. lib. 7. & 8. de Trinit. & Aug. tractat. 20. ex eisdem verbis processionem filij à Patre docuisse, & tandem Ambros. libr. 4. de fid. cap. 2. errorem Arrianorum ex eisdem conuicisse. Arriani enim dicebant, si Filius non facit, nisi quod videt Patrem facientem, ergo minor est Patre, quia discit ab eo. Hoc idem refert Greg. Nazianz. orat. 4. Theol. at ex eisdem

verbis confutantur. Non enim dicitur filius similia facere ijs, quæ facit Pater, sed illud idem, quod facit Pater. Non enim vnum mundum fecit Pater, & hunc videns, alium fecit filius; sed vnum, & eundem fecit Pater, & fecit filius: non ergo hoc est discere facere, sed vna cum patre à Patre procedendo facere.

Multa alia in hæc verba annotat Ambrosius. Hoc tamen nos annotamus, ut non esse probandam lectionem aliquorum recentiorum doceamus legentium: Non potest facere filius nisi viderit patrem facientem, quæ lectio meo iudicio Arriana est: omnes Græci, & Latini doctores sacri legunt, ut verè est legendum, *Nisi quod viderit Patrem facientem*. Illo etià verbo, *Viderit*, insinuat filium Verbum esse Patris, omnia Patris cognoscens, & non casu, sed ex eadem scientia cum patre operans. Ex his colligimus, verba hæc non humilitatis, ut Cyrill. & Chryso. locis citatis exponunt, sed maiestatis, & diuinitatis, sicut & superiora esse. nam Filium Patri consubstantiali, vnus & eiusdem potentia, & virtutis ab eo procedentem exprimit. Est autem consideranda egregia doctrina Athanasij sermone 4. cont. Arrianos, ubi docet, cur Christus his locutionibus in sua exprimenda diuinitate sit vsus. Non possum facere à me ipso quicquam, & omnia tradita sunt mihi à Patre, & quæcunque sunt istius generis sententia. Ne quis, inquit, videns filium habere omnia, quæ Pater habet ex indiscreta similitudine eorum, quæ habentur, Sabelliano more deceptus; impiè sentiat, existimetque; Filium Patrem esse; ea de causa hoc verbum prolatum est; Datum est mihi; Accepi, Traditum est, & alia huiusmodi, nulla alia de causa, quam vt ostenderet se Patrem non esse, sed patris Verbum, & æternum Filium, qui quidem ob similitudinem Patris, quæcunque Pater habet, perpetuò habet; verum quia Filius est, ideo ex Patre perpetuò habet, quæcunque habet. Quod autem hæc voces, Datum est, Traditum, & alia similia, non diminuunt Deitatem Filij; sed potius ostendant eum planè Filium; potes vel ex ipsis verbis intelligere. Si enim omnia illi tradita sunt, primum quidem aliis diuersisque est ab his omnibus, quæ accipit: cum enim omnium sit hæres, intelligendū est solū illum esse Patris Filium, suumque proprium ratione substantia. Hæc, & alia Athan. his etiam verbis idem probare possumus. Si enim hæc minuerent Deitatem, non dictum esset, quod sequitur; *Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit.*

Quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit.

COMENTARIVS.

Postquam accusationem transgressionis Sabbati repressit verbis præcedentibus, posterius aggreditur, & dicti sui reddit causam; Aequalitatem cum patre ex operibus comprobans, dixerat, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, hoc confirmat, & declarat: confirmat quidem dicens, omnia quæ facit Pater, similiter facit & filius; si igitur Pater operatur, etià fili' operatur, &

si Pater

Superiorum verborum sensum ex dictis deducitur.

Qualiter per vnam virtutem procedunt

Quaratione de Christo deo verborum sensum ostendit.

Quorundam recentiorum lectio reijcitur.

Declarat
Christum, eadem
potentia
& maiestate
qua Pater fa-
cit, se etiam
facere omnia.

si Pater operatur in Sabbato, & vsque modo, etiam filius. Declarat autem, quia prius non dictum erat expresse, omnia quae facit Pater, facit Filius; at modo dicitur generaliter omnia cum Patre facere. Praeterea prius non expresse rat modum, potuissetque aliquis dicere, sicut & Arriani dixerunt, Pater ut causa principalis, filius ut minister, operatur: at hoc remouens dicit, *Similiter facit*, id est, eadem potentia, eadem virtute, & maiestate operatur Filius, quae Pater. hoc enim aduerbium, *Similiter*, non tantum copulam, sed etiam aequalitatem significat, ut eadem virtute, & maiestate operentur. Nec huic obstat, quod Pater à se, Filius à patre habet potentiam, & essentiam; nam eadem est in utroque; propterea sicut idem est Deus, ita eadem dignitate, & auctoritate operantur. In quo etiam conuincuntur Arriani, nam non dicitur, quaecunque operatur pater, similia operatur filius, sed haec similiter operatur filius, ut notat Aug. tract. 18. eadem enim operatio idem opus est vtriusque. Conuincuntur hac etiam generalitate, *Quaecunque facit Pater, facit similiter & Filius*: Nam si filius à patre esset factus, iam non quaecunque facit Pater, faceret filius, cum idem seipsum facere non possit. Apertè igitur Arrianorum ignorantia ostenditur, qui his verbis utebantur contra nostram Catholicam veritatem, dicentes filium facere omnia, quae Pater facit, sicut ministrum; ut refert Athana. in disputatione cum Arrio, in concil. Nic. cum manifestè dictum sit, omnia similiter facit, & vniuersitas illa, & particula, *Similiter*, conuincunt ministrum, & creaturam non esse; sed verum Deum vnius potentiae cum Patre. Pro exactiori superiorum & etiam sequentium sententiarum intelligentia aduertendum est, Christum perfectam diuinitatem & aequalitatem cum patre id eo tam apertis & multiplicatis verbis ostendere, ne propter carnem assumptam aliquid de eius maiestate perdidisse alicui videretur. quod ita non est. Sic enim homo factus est, ut eandem essentiam, & aequalem virtutem habeat cum Patre, à quo procedit. Aduerte filium omnia operari, quae Pater operatur, tamen non omnia filius operatur per carnem, de qua materia legenda est annotatio vigesima.

Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quae ipse facit.

DVo haec in hac responsione posteriori Dominus dixit; vnum est, filium non facere, nisi ea, quae videt Patrem facientem. Alterum est, omnia quae facit Pater, filium etiam facere. hoc secundum primo non videbatur connecti: nam ex eo quod filius non potest facere, nisi quod viderit patrem facientem, solum sequitur, non facere, nisi quae Pater facit; omnia autem facere, quae facit pater, non deducitur. Diceret enim aliquis, patrem non ei ostendere omnia quae facit, sed aliqua. propterea Dominus haec verba subiungit, & causam reddit, cur dictum sit, *Omnia, quae facit Pater, Filius similiter facit*, & haec causam insinuat particula, *Enim. Pater*, inquit, *diligit filium, & omnia, quae facit, ei demonstrat*, & nihil celat eum ex omnibus, quae facit, propterea filius omnia facit, quae Pater. Verbis apertioribus idem declaro. Dixi vobis me nihil facere, nisi quod video patrem facere, & dixi omnia, quae facit pater, me etiam facere, nemo existimet me non omnia facere, quae pater facit, quasi non omnia quae pater facit, videam: non enim sic est: nam Pater diligit filium, & ideo nihil ei occultat, sed omnia demonstrat, quae ipse facit: & sic filius omnia facit, quae Pater facit. Hic est sensus & connexio cum superioribus. Dicitur autem pater demonstrare filio omnia quae facit, quia cognitionem, quam habet filius, pater dat: communicat enim pater filio scientiam cum essentia; & hoc est demonstrare: sicut filium discere, seu videre facientem patrem est accipere cognitionem à patre. Ita explicant August. tract. 21. & Cyrill. libr. 2. cap. 137. Huius demonstrationis vniuersalis Dominus argumentum sumit ex amore; non quod amor causa sit, cur pater demonstraret filio omnia quae facit: nam naturae diuinae est patrem generare filium, & omnia ei nota facere, sicut naturale est etiam ipsi patri cognoscere omnia: nec habet pater omnia

Concludit
Christus se omnia facere,
quae Pater facit.

omnia cognoscere, quia diligit se; sed est argumentum ab humano modo sumptum, respectu hominum illorum, qui se amant. hi enim mutuo sibi omnia communicant, nihil sibi occultant, & cum re vera Pater summè diligit filium, utitur hoc argumento ut signo, & probatione propter nos: non autem quod causa sit, cur omnia demonstrat. Est ergo amor hic non causa rei, sed causa cognitionis nostrae: nam per hunc probat rudibus, & incapacibus, patrem omnia demonstrare filio. quod autem pater diligit filium, non indigebat probatione: nam ex terminis ipsis nota videtur: inter patrem enim, & filium naturalis amor est. Maiorem huius sententiae explanationem ex sequenti annotatione require, ideo autem utitur hoc argumento dilectionis paternae, ne propter carnem assumptam aliquis existimaret minus diligere à patre, ideoque non omnia ei manifestare, quae ipse Pater facit.

A N N O T A T I O XVI.

De connexio-
ne horum ver-
borum cum su-
perioribus.

CYRILLVS libr. 2. cap. 136. aliter connectit verba superius exposita. Illud enim, *Pater diligit filium*, eò referendum censet, ut Dominus probet, se non esse Sabbati transgressorem; sitque hoc nouum aliud argumentum; si enim transgressor esset legis paternae, non utique diligeretur à Patre, quoniam Pater non diligeret filium legem Patris contemnentem: cum autem Pater diligit filium, argumentum est, se non esse legis paternae transgressorem. Sed haec expositio, & connexio contextui vix accommodari potest: nam causam continent haec verba eorum, quae proximè dicta erant à Domino, nempe, *Nihil facit filius nisi quod videt patrem facientem, & omnia, quae pater facit, filius facit*. his continuo causa annectitur: *Pater enim diligit filium*. Non ergo haec ad transgressionem pertinent, nisi remotè, quia ex eis etiam conlequitur non esse sabbati transgressorem; tamen immediatus, & proximus sensus is non est, sed qui ad immediatè praecedentia refertur. Hanc autem Cyrilli connexionem non esse legitimam etiam verbum sequens probat. *Omnia demonstrat ei*: quorum nullam connexionem Cyril. adfert, sed tantum verba exponit, & expositio vera est; tamen non applicatur contextui, propterea quae in commentario diximus, legitima est cenlui. Caeteri expositores parum de connexionem horum verborum dixerunt. Et sanè aduertendum est, quod supra etiam diximus, haec omnia dici de Christo Deo & homine, sed ratione diuinitatis; ne propter carnem diuinitas illius aliquid minus habere videatur.

Aeternitas
cunctas tempo-
rum differen-
tias simul co-
prehendit.

Aliqua occurrunt dubia, & difficultates in hac superiori sententia, quae facilem habent solutionem, si vnum hoc aduertamus; nempe aeternitatem omne tempus comprehendere. Quod enim aeternum est, fuit, est, & erit. & excedit omne tempus, ante, & post: vnde sit, ut quae aeterna sunt, omnibus differentiis temporum explicemus, prout ratio locutionis postulat: nam in praesentibus rebus aeternum exprimimus tempore praesentis, in futuris autem futuro; in praeteritis praeterito; cum tamen aeternus sit supra omne tempus. sic solemus dicere. Deus cognoscit nostras cogitationes; & de praeteritis hominibus loquimur, cognouit eorum cogitationes; & de futuris,

A cognoscet eorum cogitationes. Non est haec differentia in Deo, qui ab aeterno, & semper, & simul omnia cognoscit; sed cum illa aeterna cognitio non sit transiens, sed manens, & toto tempore, & ultra existens, pro rerum indigentia, de quibus loquimur, varijs temporum differentiis exprimitur: hoc tamen semper intelligentes, ut quando dicimus cognoscere, non negemus cognouisse, quando dicimus cogniturum, non negemus ab aeterno iam nouisse; quando dicimus nouisse, non negemus etiam cognoscere.

B Praeterea ad exprimendam permanentiam aeternam actus diuini, qui non transit, solemus uti tempore praesentis. dicimus enim, Pater generat filium, non quod modò generet & ante non; sed quod perpetua sit, & perfecta semper filij generatio; Pater diligit filium, non quod ante non dilexerit, sed quia ab aeterno perpetuo diligit. Haec duo sunt valde annotanda prosequentibus; & pro praesentibus verbis. Dicitur nunc, *Pater demonstrat filio, quae facit*, non quod ab aeterno non demonstrauerit, antequam fierent omnia, sed quia actus ille semper est, nunquam transit, nec transibit. Rursus dicitur, *Demonstrat ei*, quia loquitur de praecedentibus, *omnia quae facit*, propterea accommodat verbum praesens, *demonstrat*, & sicut de ipso parte dicimus, cognoscit, quae facit, ita etiam demonstrat filio non quod tunc tantum cognoscat Pater, & non ante demonstrauerit, sed nunc etiam, & ante; at quia de re loquitur praesentis, verba accommodat secundum tempus.

D Cessat ergo dubitatio Augu. tract. 19. quando, inquit, demonstrat, an quando facta sunt, an antequam fiant? Respondeo enim sicut Pater cognoscit, quae facit, quando fiunt, quando facta sunt, antequam fiant, & semper; sic etiam filio demonstrat semper, & incessanter, quia ab aeterno est demonstratio, quando essentiam communicauit. Ad hanc autem perpetuitatem significandam, utitur tempore praesentis: quod magis est perpetuitatis, & aeternitatis expressiuum. Eadem ratione soluitur dubium de primo verbo, *Diligit filium*, plus enim in hoc exprimitur, quam si dictum esset, dilexit, aut diliget; aeterna enim, & continua dilectio explicatur potius praesentis verbo. Eadem

Ex dictis non
nullae soluntur
dubitatio-
nes.

ratione soluitur dubium circa præcedentem sententiam; Non potest filius facere, nisi quod viderit patrem facientem, viderit, futuri est, ac iam vidit ab æterno filius, quæ facienda erant à patre; sed accommodat verbum æternitatis rebus, de quibus loquitur; quidquid faciet pater, vide-

bit filius; quidquid fecit, vidit; quidquid facit, videt; tamen actus est vnus, & hic æternus. Hac doctrina soluuntur difficultates, quæ in verbis sequentibus aliquos molestant, vbi res eadem magis explanabitur.

Et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

COM MENTARIVS.

HAEC in confirmationem, & quãdam probationem dicta sunt: ne enim aliquis opponeret sic; Hactenus nõ sumus experti te facere omnia, quæ pater facit, cum opera Dei multo sint maiora; quàm quæ hactenus tu fecisti; propterea adiungit, *Maiora his demonstrabit*, & non tantum similia ijs, quæ facta sunt, sed multo maiora, ita vt vos in admirationem rapiant. Quæ autem sint hæc maiora, statim explicat, nempe miracula magna magis potentia diuinæ expressiua. Plus enim mortuum suscitare, quàm paralyticum sanare fuit, vt post dicemus. Illa particula, *ut*, non causam, sed consecutionem indicat, quoniam hæc opera facta non sunt eo fine, vt in admirationem illos induceret, sed vt ad fidem traheret: est igitur consecutio, erunt tanta opera, vt vos in admirationem inducant: estque exaggeratio, erunt opera tam insignia, vt incredulos, & persecutores nolentes admirari faciant: quo etiam verbo incredulitatem eorum perseverantiam prædicat. His etiam verbis calumniam Sabbati repellit: non enim diligeret Pater filium, nec maiora opera demonstraret, si transgressor esset legis eius: at non sic est: nam demonstrabit ei maiora.

Futurum est. pus præteritum vt præsens non excludit.

Dubium tamen occurrit, qua ratione dictum sit, *Demonstrabit opera*, futurum enim videtur præsentem ignorantiam indicare. At non ita est, & facile ex annotatione præcedenti respondemus: actum æternum varijs exprimi temporum differetijs, prout rebus, de quibus agitur, accommodatur: & quia de futuris operibus sermo est, vtitur futuro, *Demonstrabit*, non quod ante, & ab æterno non demonstrauerit, sed quod semper, ante, nunc, & in futurum perpetua sit cognitio. Non est hoc nouum in scriptura, nam Ioan. 16. dicitur de Spiritu sancto: *Quæcunque audiet, loquetur, & de meo accipiet, & certum est ab æterno audisse, & accepisse; ita nunc dicitur, Demonstrabit*, non ergo est, cur exponamus hæc verba de Christo homine, vt exposuit Aug. tract. 21. hanc vocem veritatis: nam difficultas nulla est, vt apparet. & rursus de Christo etiam homine non potest intelligi; nam à principio incarnationis omnia ei demonstrauit Pater, quæ futura erant, propterea Augustinus recurrit ad corpus mysticum Christi, ratione cuius dicta censet hæc verba, sed violenta est expositio. Nos eundem sermonem continuamus de Christo, qua ratione Filius Dei erat, sicuti dictum est, & nobiscum de diuinitate Cyrill. li. 2. cap. 138. exponit.

Sicut enim Pater suscitatur mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat.

QUAE sint hæc maiora, quæ Pater demonstrabit filio, exponit, causam reddens; cur dictum sit, maiora demonstrabit; *Nam sicut mortuos suscitatur, & viuificat, sic etiam filius quos vult, supple mortuos, viuificat.* & attende quã cautè Dominus loquatur; ne propter futurum illud demonstrabit, aliquam imperfectionem vllus suspicaretur. in probatione vtitur verbo præsentis significante perpetuitatem. *Sicut Pater suscitatur, & viuificat*, id est, potestatem habet viuificandi; *sic & Filius*. Probat Christus se omnia facere, quæ pater facit, & patrem omnia, quæ facit, demonstrare filio, per opera Dei maiora. Si enim facit, & ostendit filio, quæ maiora sunt, & quæ propria sunt Dei: consequens est demonstrare omnia: vnum autem opus est mortuos suscitare, & viuificare, hoc facit Pater, hoc idem facit Filius: & aduerte similitudinem: *Sicut Pa-*

ter mor-

ter mortuos viuificat. non vnum, aut alterum; sed qui viuificantur, omnes ab ipso viuificantur: sic & filius. Et ne intelligeremus suscitasse, seu viuificasse filium mortuos, sicut & propheta aliquando suscitarunt, propterea addit, *Quos vult*, quandoquidem solius Dei est, viuificare quos vult, & propterea sicut pater, ita & ipse viuificat. Rectè igitur Chryso. hom. 37. notat hoc verbum, *Quos vult*, æqualem potestatem filij cum patre significare propria enim virtute, & voluntate facit, sicut & pater. & vtitur verbo præsentis, quæ locutio indefinita est, omne tempus respiciens, vt idem notat Chryso. quandoquidem; Pater suscitatur, aut viuificatur, etiam similiter Filius vnà cum Patre suscitatur, & viuificatur. Non mirum ergo si dictum est, Maiora demonstrabit: nam maiora faciet pater, maiora etiam faciet filius, qui vnà cum patre semper operatur, etiam in carne existens.

ANNOTATIO XVII.

Viuificare quadrifariam sumptum in scriptura.

AT TENDENDA est autem verborum generalis significatio, & viuificatio. Viuificandi enim verbum in scriptura quatuor habet significata. Primò quidem, viuificare est vitam dare ijs, qui prius eam non habuerunt. Iob. 33. Spiritus, inquit, Dei fecit me, spiraculum Omnipotentis viuificauit me. Secundò, viuificare est eos, qui prius vivebant, & mortui sunt, ad vitam reuocare. Rom. 4. Qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt. siue vt iterum moriatur, sicut viuificatus est Lazarus, siue vt iterum non moriantur; sicut viuificabuntur omnes in die iudicij, siue resurgent ad gloriam, siue ad pœnam. Est ergo generalis significatio, vt viuificare sit vitam post mortem impartiri. Tertio, viuificare est de morte naturali ad vitam gloriosam, & beatam suscitare. Ro. 8. Viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis. Ad hæc vitam non resurgunt omnes, sed iusti & sancti, in quibus est Spiritus Dei. Quarto, viuificare est, de morte spirituali peccati ad vitam gratiæ reuocare. Gala. 3. Si data esset lex, quæ posset, viuificare. cum hæc ita sint, & Deus viuificet omnibus modis expositis, in præsentis tamen sententia, accipitur secundo modo. Sic omnes in ultimo die viuificandi sunt; sic autè illi die diuina virtute multi à mortuis reuocati sunt.

Quorundam ad didit Domini, viuificat, non erat cur adderetur, viuificat, qui eum suscitatur, viuificatur. Respondeo in scriptura frequentissimè verbum suscitari hoc idem significare, quod reuocari de morte ad vitam, tamè non est hæc significatio perpetua, nam aliquando dicuntur mortui suscitari, etiam si ad vitam in corpore non reuocentur. 1. Reg. 28. dixit Samuel: Quare inquietasti me, vt suscitaretur; & iterum, dixit mulier. Quem suscitabo tibi; & iterum, suscita mihi Samuelem. non ergo super uacaneum est verbum additum, sed vt expressius significaretur virtus Patris, qui sic mortuos suscitatur, vt etiã viuificet. Nec repetitum est verbum suscitandi, quãdo dictum est, sic & Filius quos vult, scilicet mortuos, viuificat, quia viuificare mortuos, idem significat, quod suscitare, & viuificare.

Cur de solo filio dicatur quos vult viuificat, cum dicendum videretur, sicut Pater suscitatur mortuos, & viuificatur, sic & Filius suscitatur mortuos, & viuificatur? Ultra ea quæ diximus in commentario, duas huius rei causas adiungimus, pro prioris explicatione sunt aliqua adnotanda. Primò, hæc sententia, *Viuificat quos vult*, insinuat potestatem generalè omnes mortuos suscitandi, nemo enim dici potest suscitare mortuos, quos vult, nisi is, qui potestatem habet suscitandi omnes: vnde fit, vt hoc verbum significet potestatem æqualem filij cum Patre, vt in commentario adnotauimus. Secundò, hæc eadem sententia indicat restrictionem quandam respectu actus viuificandi: qui enim dicitur viuificare quos vult, quamuis potestatem habeat omnes suscitandi, eam non in omnes exercere significatur, sed in aliquos, quos pro suo arbitrio elegit viuificandos. Rom. 10. Cui vult miseretur, & quem vult indurat. Tertio Christus potestatem habebat omnes mortuos suscitandi eandem cū Patre, in die ultimo, Ad omnes quãdo veniet iudicare. 1. Cor. 15. sicut in moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur: in hoc tamen seculo non est vltus ea potestate in omnes, sed in aliquos, quod voluit suscitare in diuinitatis, & potentia suæ ostensionem. His tribus suppositis ad id, quod interrogatum est, respondeo, de Patre dictum esse absolute, *Suscitatur & viuificatur mortuos*, quia potestatem habet omnes suscitandi; at de Christo adiectum est, *Quos vult*, quia vltra potestatem generalem, quam habet vt Deus cum Patre, in hoc seculo existens in carne, & per carnem aliquos suscitauit, quos ipse voluit, & suscitandos elegit in diuinitatis propriæ argumentum & manifestationem: hoc enim est vnum ex operibus; de quibus paulo ante dixerat, *Pater vobis omnia demonstrabit vt vos miremini*, mortuorum namque viuificat in magnam Iudæis excitauit admirationem; non ergo hæc sententia est tantum intelligenda de extremo iudicio, quando omnes suscitandi sunt, & viuificandi per Christum, vt vult Aug. tractat. 21. non enim dicendum erat, *Quos vult viuificat*, sed absolute *Viuificat*, sed etiã de ea, quæ facta est per eum in hoc seculo, de qua dictum est Ioann. 11. Infirmus hæc non est ad mortem, sed vt glorificetur Filius Dei per eam.

Cur de solo filio dicatur quos vult viuificat.

AN N O T A T I O XVIII.
IN T E R R O G A B I T non immeritò aliquis; Cur Filius dictus est viuificare, quos vult,

eam. quamvis recte etiam deducitur: si quos voluit, suscitavit, posse mortuos omnes suscitare, ut dictum est supra. Sensus ergo sententiae huius Evangelicæ est: Filius vivificat, quia eandem habet cum Patre potestatem; quos autem vult, vivificat, quia in aliquos à se electos potestate hac utetur per carnem suam suscitando. Hęc est prior causa, cur Filius sit dictus quos vult vivificare. Posterior est, ut significetur Filius non solum per voluntatem divinam, quam habet eandem cum Patre; sed etiam per voluntatem humanam mortuos

A posse vivificare. Christus enim, qui est Filius Dei in carne existens, potestate divinitatis, quos volebat ut Deus cum Patre, & quos volebat ut homo suscitabat, & vivificabat: ideo dictus est vivificare quos vult, quia propriam habebat, voluntatem ultra eam, quam habebat ut Deus communem cum Patre, & secundum eam etiam voluntatem poterat uti divina potentia ad suscitandum, quos volebat, & in die ultimo utetur ad vivificandum omnes.

Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.

COMMENTARIUS.

Hoc est alterum opus, quod Pater demonstrabit Filio in carne existenti ultra mortuorum vivificationem, nempe iudicium generale omnium hominum: Filius enim in carne iudicabit omnes homines. Est enim Christus Dei Filius & homo constitutus iudex à Patre vivorum, & mortuorum; exercebitque hoc iudicium in humanitate, & per humanitatem suam: quia visibiliter ut homo feret sententiam in omnes bonos, & malos, & iudicium proprium est Christo, qui solus est homo; non Patri qui naturam humanam non suscepit: ideoque dicitur neminem iudicaturus per se, sed per Filium in carne. illud, *Omne*, refertur ad personas, nempe dedit omne iudicium, id est, omnium iudicium: ita enim esse intelligendum, indicat quod præcessit, *Non iudicat quenquam*, id est, neminem iudicat, quia omnium iudicium dedit Filio. hic est sensus huius sententiae. Cōnexionem autem particula causalis, *Enim*, ostendit, causam enim hæc sententiae præcedentis continet; nimirum quia omne iudicium Pater dedit filio, inde est ut Filius quos vult vivificet, & potestatem habeat mortuos suscitandi. Ratio enim iudicij postulat eos qui iudicandi sunt ad se trahere, & vocare; cum ergo Filius in carne, & per carnem iudicaturus sit omnes; consequitur eum posse per carnem mortuos, quos vult vivificare, habere potestatem suscitandi omnes iudicandos. Verum hæc in annotationibus exactius explanantur.

ANNOTATIO XIX.

Quomodo verum si quod Pater dedit Filio omne iudicium.

DVAE occurrunt graves difficultates. Prima est, qua ratione sit intelligendum, Patrem dedisse Filio omne iudicium. Sunt enim sacri Doctores dissentientes; quidam primo loco, de potestate iudicandi, quam Pater ab æterno Filio cum essentia dedit, hæc verba interpretantur: quam interpretationem secuti sunt Hilar. libr. 7. Trinit. Ambros. libr. 2. de fide cap. 4. Chrysost. hom. 38. Alij secundo loco, de potestate data humanitati Christi, quam ut homo accepit à Patre, quia factus est iudex omnium, intelligendam censent: in hac sententia sunt Cyprian. libr. 2. contr. Iudæos cap. 28. & libr. 3. ad Quiri. cap. 33. & Augustinus tractat. 21. in Ioan. adeoque hæc sententia ab Augustino probatur, ut libr. 1. Trinit. ca. 13. non solum eam amplectatur, sed priorem sustineri non posse contendat. Idque duobus inter alia argumentis efficit. Primum quidem, quia dictum est, *Pater non iudicat quenquam*, non ergo de iudicio ratione divinitatis intelligere id possumus. nam Pater etiam iudicat omnes cum Filio, est enim commune toti Trinitati iudici-

B um. Secundo, quia dictum est dedisse Filio iudicium hoc, non ergo ut Deo, quia sic habebat iam hanc potestatem. hæc sunt ex Augusti. Tertio loco est sententia Cyril. libr. 2. cap. 140. qui cum Augustino ratione humanitatis interpretatur; tamen in hoc differt; quod Augustinus de potestate interpretatur, quæ humanitati est data distincta à potestate divina, quam habet communem cum Patre; at Cyrillus non sic, sed de potestate divina, quam humanitas accepit per unionem divinitatis, quævis Augustinus non ita distinctè hanc potestatem ultra divinam in Christo fateatur. Secundum Cyrillum ergo humanitas accipiens divinitatem, accepit etiam potestatem iudicandi, & per eam iudicaturus est Christus homo vivos, & mortuos. Convenit ergo Cyrillus cum prima sententia; qua de potestate divina, & ratione divinitatis hæc verba intelligit; cum secunda autem, quia acceptam hanc potestatem dicit à Christo ratione humanitatis. Hæc sunt, quæ Patres senserunt.

Pro hu-

Duplex iudicandi potestas in Christo.

Pro huius difficultatis explanatione advertente, Christum duplicem habere potestatem iudicandi: unam ut Deus est, & ratione divinitatis suæ, alteram, ut homo est. Si de priori loquamur, sicut Christus unam & eandem habuit cum Patre essentiam, ita unam & eandem potestatem iudicis. Deus enim ratione divinitatis suæ iudex est omnium supremus, & ipsius est absolute iudicare omnes. Hoc tamen iudicium, quod commune est Patri & Filio, & Spiritui sancto, quamvis unum & idem sit, quia ab una potestate procedit: tamen aliter per Filium, aliter per Patrem & Spiritum sanctum exercetur. Filius enim quia humanam naturam sibi soli unitam habet, hoc iudicium exercet per eam, tanquam per instrumentum coniunctum. Pater verò & Spiritus sanctus idem exercent iudicium per humanitatem, sed tanquam per instrumentum separatum, quia humanitas non est illis unita. Una ergo est potestas Patris, et Filij, & Spiritus sancti, unum etiam iudicium, & actus iudicandi per humanitatem: sed hoc iudicium exercetur à Filio per humanitatem, tanquam per sibi unitam, & in qua subsistit: à Patre verò, & Spiritu sancto per eandem, sed tanquam per eam, quæ ipsis non est unita: sicut etiam quando suscitabat mortuos Christus ut Deus, simul cum Patre, & Spiritu sancto, unica quidem erat potestas, unica operatio, & per humanitatem exercita: tamen à Filio aliter, quam à Patre, & Spiritu sancto, propter unionem humanitatis solam cum Filio. Si igitur de hac loquamur potestate, et iudicio, Pater dedit Filio ut Deo potestatem ab æterno, quando genuit: dedit ut homini potestatem hanc in tempore, quando univit divinitatem humanitati, hoc tamen est discriminis, quod solus Pater dedit Filio ut Deo potestatem hæc, quia solus genuit eum: at non solus dedit potestatem humanitati: quia non solus ipse, sed tota Trinitas univit divinitatem humanitati: tribuitur tamen Patri, quia ipse est primus principium. Si de hac potestate, et iudicio interpretemur sententiam propositam cum prima, et tertia sententia superioribus: tunc dicimus patrem dictum esse non iudicare quenquam, non quod non habeat potestatem eandem cum Filio, vel quod non iudicet cum Filio: sed quod potestas per humanitatem, quæ soli filio unita est, exercenda est: nam Filius in carne, et per carnem sibi unitam iudicat, Pater verò extra carnem et per carnem non sibi copulatam. Hæc de potestate, quam Christus, ut Deus habuit dicta sunt.

De iudicio via Christi potestate, ut homo est.

Alteram habuit iudicandi potestatem, ut homo, quam Aug. docere videtur, et scholastici Doctores verè docent. sicut enim humanitas Christi præter scientiam divinam, quam habuit ex diæte sibi unita, accepit scientiam infusam, qua ut homo sciebat sic præter potestatem iudicandi communem cum Patre, habuit potestatem propriam humanitati collatam, quam utique non habuisset, nisi Deus esset: hæc autem est secundata, & velut subalternata divinæ potestati, & per hanc iudicabit, & exercebit iudicium: non

quod sint distincta iudicia, sed unum, quod respectu potestatis humanæ Christi, est eius proprium, respectu potestatis divinæ est commune cum Patre, quantum ad substantiam actus ipsius: quantum ad modum verò, quia per carnem coniunctam sibi iudicat, est etiam proprium Christi. Augustinus ergo de hac potestate locum hunc intelligere videtur, & est sententia probabilis, ita tamen ut sententia Patrum citata non sint improbables censendæ. nam, & contextui accommodantur, nec repugnant doctrinæ Augustini: immò simul sunt hæc duæ potestates; nec argumenta Augustini adeo sunt efficacia, ut solvi non possint. Ad primum enim respondeo; Patrem dictum non iudicare quenquam, non quod non iudicet, sed quod non exercent iudicium per seipsum, sed per humanitatem non sibi copulatam: Filius autem iudicat per seipsum, nimirum per humanitatem sibi unitam, sed eadem potestate divina. Ad secundum dico, sicut Pater dat Filio essentiam, & Filius accipit, nec propterea Filius accipit, quod non habebat, nec minor est Patre; ita etiam dat potestatem, & filius eam accipit unam cum essentia. Idem dicendum est de operatione: Filius enim ut Deus accipit operationem, & iudicium à Patre; sicut etiam quod dicitur creare habet à Patre. Denique ita oportet intelligere Filium accepisse iudicium à Patre, ut nulla ratione iudex esset, nisi etiam Deus esset, iudicabitque ut Deus, & homo simul, siue id faciat per potestatem solam divinam, siue simul per potestatem creatam. Hæc est vera doctrina, & accommodata verbis propositis.

ANNOTATIO XX.

ALTERA non minus gravis difficultas circa eandem sententiam occurrit, nempe: cur sicut dictum est, *Pater non iudicat quenquam*, non etiam dicitur, *Pater non vivificat quenquam*? Nam sicut iudicabit omnes per Christum, ita per eundem suscitabit, & vivificabit omnes. Quod si non dictum est, non suscitatur quenquam, sed Pater suscitatur, sic & Filius; cur etiam non sic dictum est, sicut Pater iudicat, sic Filius, aut sic, Pater omne iudicium dedit Filio, absque eo, quod diceretur, Pater non iudicat quemquam; quod igitur est discrimen hoc inter vivificationem mortuorum, & iudicium futurum hominum?

Advertenda est doctrina, quæ pro responsione, & intelligentia multorum, quæ dicta sunt, & inferius dicetur proderit. Quidquid facit Pater, facit etiam Filius existens in carne; sed non omne id efficit per carnem seu per humanitatem. Filius quidem in carne est eiusdem substantiæ cum Patre: non enim est in seipso mutatus, vel diminutus per carnis assumptionem. Si ergo eiusdem substantiæ est cum Patre, eiusdem erit virtutis, & potentiae, & omnia quæ facit Pater, simul etiam facit Filius, non tamen omnia hæc facit Filius per carnem. Creat enim Pater animas modò hominum, & Filius in carne simul cum Patre creat; sed

Cur non dicitur, Pater non vivificat, sicut dicitur, non iudicat quemquam.

Non omnia quæ Christus in carne operatur, facit per mediū carnem.

non per humanitatem tanquā per instrumentum; sed sola diuinitate sua. Concurrunt modò Pater cum omnibus causis inferioribus tanquam causa prima eas conseruans, eis cooperans: concurrunt Filius in carne existens etiam ad idem opus, tamen non per carnem ea facit; sed per solam diuinitatis potentiam. non ergo omnia quæ facit Filius in carne, facit per ipsam carnem: & vt vno verbo dicam: Filius in carne habet omnipotentiam Patris, non tamen omnia opera huius potentia per carnem exercet. Attende rursus, mortuorum viuificationem, & iudicium hominum generale, Filium facturum in carne, & per carnem. Ea enim videtur, vt instrumentò ad viuificandum, & iudicandum. Est autem inter vtramque operationem discrimen: quamuis enim Filius Dei in vltimo die omnes mortuos viuificabit in carne, & per carnem; tamen non omnes absolute, quotquot viuificati sunt, per ipsum in carne, aut per carnem viuificati sunt. Antequam enim carnem acciperet, multi sunt suscitati, & viuificati per potentiam diuinitatis, quos & viuificauit filius vnā cum Patre, sed non in carne, nec per carnem, quam nondum susceperat. modò etiam ante diem iudicij post eius aduentum sunt multi suscitati per Apostolos, & viros sanctos, multos quos filius in carne suscitauit vnā cum Patre per potentiam dei: tamen non per carnem: quia non est vsus

A carne, vt instrumento eos suscitandi; Quos verò ipse in hoc sæculo suscitauit, his in carne, & per carnem suscitauit. Propter hoc ergo non est dictum, Pater non suscitatur quemquam, quia Pater suscitatur, & suscitauit multos vnā cum Filio, etiam nondum in carne existente & postquam est in carne, suscitatur simul cum ipso, & non per carnem: in die verò vltimo iudicij, omnes suscitabit Filius in carne, & per carnem, vt diximus. Iudicium verò hominum die extremo totum faciet filius in carne, & per carnem: quia hætenus neminem sic Deus iudicauit etiam ante carnem assumptam, nec etiam iudicabit vsque ad illud tempus: Omne enim iudicium reueruatum est filio in carne, & per carnem. hac igitur de causa dictum est, *Pater non iudicat quemquam*, quotquot enim sunt, fuerunt, & erunt, subesse debent iudicio visibili Filij in carne, & per carnem; neque ante illum diem, vllus sic est iudicatus: ideo Pater non iudicat quemquam. Denique vt breui sermone totam concludamus responsionem: Filius habet potentiam viuificandi & potentiam iudicandi paternam, & hanc quidem exercebit per carnem sibi unitam, illam verò non, sed partim ante carnem, partim in carne. partim per carnem ante vltimum diem, ideoque dictum est, *Pater non iudicat quemquam*, non autem dictum est, *Pater non suscitatur quemquam*.

Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

COMMENTARIVS.

SENTENTIA hæc refertur ad duas præcedentes, nempe viuificationem mortuorum, & iudicium generale hominum, quæ Pater dedit, & demonstrat Filio. causa autem finalis adducitur, & ea est, vt filius Dei latens in natura illa agnoscat, & agnitus ab omnibus honorificetur, sicut Pater honoratur; nempe honorificetur vt Deus, adoretur vt Deus. quamuis enim in natura sit humana, non desijt esse Deus Patri æqualis, & consubstantialis; tamē non est ab omnibus cognitus, ideo nec honorificatus. propterea habuit seu exercuit aliqua diuinitatis opera per carnem; vt diuinitas ibi latens manifestaretur, crederetur, & honorificaretur. Opus autem, quo ab omnibus cognoscendus, & honorificandus est, præter viuificationem mortuorū, maximè hoc iudiciū futurum est, quando nimirum omnis caro ad eum veniet, & ipsi incuruabitur omne genu: quando mali, & qui infideles extiterunt, etiam nolentes credent, & contrimiscunt, & diuinitatem eius confitebuntur. Propterea ergo datum est ei omne iudicium, in carne. Potest etiam exponi de honore exhibendo etiam ante iudicium, vt sit sensus secundum Chrysoft. hom. 38. Dedit omne iudicium filio, vt omnes saltem metu futuri iudicij, per Christum ipsum honorificent tanquam Deum: quos enim beneficia non alliciunt, timor poenæ attrahit; potius dicamus totum hoc verbo completi.

ANNOTATIO XXI.

AVTEBANTVR hoc loco Sabelliani, qui Patrem à Filio non distinguētes in vnam confundebant vtriusque personam. Dicebant ex hoc loco id colligi, Si honorificandus est Filius sicut Pater, ergo Filius est Pater. Responderet doctè Chrysoft. ho. 38. potius distinctio ex his verbis colligitur. Si honorificandus est filius, sicut honorificatur pater, igitur filius non

est pater: honorare enim filium honore patris, quasi ipse sit pater, hoc est, confundere patrem, & filium, non autem honorificare filium, sicut honorificatur pater.

Peruertebant etiam locum hunc Arriani referente Cyril. lib. 2. cap. 141. illud, *Sicut, asseriebant non esse aduerbium æqualitatis, sed similitudinis: nam Matth. 5. dicitur, Estote misericordes,*

miseriordes, sicut pater vester misericors est, vbi non æqualitas, sed similitudo notatur. Respondet Cyril. rectè docens quando aduerbium hoc inter ea quæ sunt diuersi generis ponitur: tunc similitudinem, non æqualitatem significare: sicut dicimus, argentum splendet, sicut Sol: at quando inter ea, quæ sunt eiusdem generis, tunc æqualitatem denotare: sicut dicimus, venerandus est Paulus: sicut Ioannes, id est, æquali est veneratione

honorandus. Pater igitur, & filius eum eiuſdem sint generis, quando dicimus filium venerandum sicut patrem, adorationis æqualitatem significamus. Nec ergo aduerbium hoc identitatem personarum contra Sabellium, nec similitudinem adorationis, sed æqualitatem, & identitatem honoris & adorationis indicat, cum vnica adoratione totam Trinitatem adoremus.

Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.

COMMENTARIVS.

NON solum pater filiū honorificari vult, sicut ipse honorificatur; sed eius honorem ita necessarium, & debitum constituit; vt qui filium nō honorificet, nec etiam patrem honorificet. Si autem nō honorare filiū Dei in carne, est patrem non honorare, & negare honorem filio, est negare honorem Patri; sequitur, vt qui contumelia afficit filium, afficiat etiam contumelia patrem. Perpende quanti criminis Christus Iudæos reos faciat, qui eum transgressorem legis reputabāt. Aduerte in illis verbis, *Qui misit illum*, tacita causa redditur, cur, qui non honorat filium, nō honorat patrem, nempe, quia ipse misit illum. Missio duo innuit; vnum est processio à Patre, alterum est carnis assumptio: non enim filius patrem mittere dicitur, quia à filio non procedit pater; sed pater filium; quia ab ipso patre procedit. nec satis est processio hæc æterna, sed præterea est terminus exterior, nempe carnis assumptio. Idem est ergo dicere, *Qui misit illum*, ac si dictum esset; quia sic homo factus est, vt à patre procedat ipsi consubstantialis, propterea in carne adorandus est adoratione æquali, quia æqualis à Patre procedit.

Ex hac doctrina soluitur dubitatio; Deus misit prophetas; non tamen honorificandi erant prophetae, sicut Deus, sed vt legati à Deo; & qui non honorificabat vt legatos, nec Deum honorificabat; at non satis est sic honorificare Christum, sed additur, sicut Patrem; & qui sic non honorificat, nec Patrem honorificat, quia missus est, non vt prophetae missi sunt, sed vt procedēs filius à patre. propterea enim dictum est, *Non honorificat patrem, qui misit illum*, & non dicitur, *Non honorificat Deum, qui misit illum*. Attende rursus dictum esse, *Qui misit illum*, quia antequam mitteretur, ignotus erat: nō ergo mirum, si nō honorificatus est vt filius Dei; at quando missus est; iam manifestatus est: propterea honorificandus est in carne, tanquam Dei filius, ipsi patri æqualis, & consubstantialis.

Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam.

PROSEQVITVR Dominus eandem materiam de viuificatione, & iudicio: cum enim ipse sit qui viuificandi habet potestatem, & ipse sit iudicaturus omnes, ostendit, quale iudicium subibunt honorificantes eum, & credentes, dicens hos vitam æternam habituros. Sermo hic est de æterna vita, in qua resurgent iusti. Nec obstat, quod verbo præsentis temporis vitur, *Habet vitam æternam*, sæpè enim tempus pro tempore ponitur; sicut etiā superius dicitur, *Suscitat Pater mortuos; & tamē de præsentis non suscitatur, sed est sensus; ipsius est suscitare mortuos: sic dicitur credens habere vitam æternam, quia ius habet, & ipse est, qui viuificandus est.*

Sunt autem duo in verbis annotanda. Vnum est, nouam sententiam à Domino proferri de necessitate, & efficacia credendi in eum: qui enim credunt, viuifi-

Aliter honorificandus filius missus quam propheta etiam missus à Deo.

Duo in his verbis notanda.

viuificandi sunt in hoc iudicio, propterea noua utitur asseueratione, *Amen amen dico vobis*. Alterum est, fidē in eum duobus expositam esse verbis; vnum est, *Qui audit verbum meum*, hoc cōmune erat credulis, & incredulis, & necessarium ad fidem, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. secundum distinguens credentes ab incredulis. *Et credit ei, qui misit me*, non dicitur, qui credit in me. Non propter rationem Chryf. hom. 38. & Euthym. quia si sic locutus esset, gloriari videretur, quę ratio solida non est: nam Ioan. 7. dicitur, *Qui credit in me, flumina aquę viuę de ventre eius fluent*; sed quia hęc locutio explicat magis qualis sit futura fides hęc credentium; nam qui credit ei, qui misit Christum, credit in mittentem, & in missum, & in hoc significatur Trinitatis mysterium: credit etiam Christum esse missum, in quo incarnationis mysteriū indicatur: & his articulis fides Christi maximē definitur, nimirum vt credamus eum esse Dei filium, patri consubstantialem, & hominem propter nos factum. Nec excluditur ab hac fide dilectio, & opera ipsius; sed Christus de fundamento ipso, quod tunc nondū iactum erat, agebat; hoc autem fides est in eum. Si autem dilectio exclusa esset, non diceret idem Ioannes 1. Cano. 3. Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus.

Et in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam.

CAUSAM, cur credens vitam æternam sit habiturus, reddit: hęc enim particula, *Et*, sepē apud Hebręos vim causalis obtinet, quia, inquit, *Non venit in iudicium*; id est, nō indicatur secundum ea, quę commisit; nam per fidem in Christum viam remittuntur ei commissa: *sed de morte, corporis*, in qua est, *transit ad vitam*, beatam. Non credentes autem veniunt in iudicium, quia pro peccatis damnationi iam sunt deputati, nec per fidem Christi liberati sunt, quia ea caruerunt: hi de morte corporis transeunt in mortē æternę damnationis: quamuis enim ad vitam corporalē resurgant, potius vita talis mors est. In Græco, *Venit*, est præsens temporis, *Transit*, præteriti, sed vim habet vtrumque futuri. Cum enim Hebręus sermo non habeat præsens, sed præteritum, & hoc sepē pro futuro, & præsenti vsurpetur; facile tempus pro tempore in Græca locutione secundum phrasim Hebręam sumitur. Chrysof. hom. 38. & Cyril. lib. 2. cap. 142. hanc expositionem sequuntur.

A N N O T A T I O XXII.

Nonnullę
Patrum ex-
positiones.

AVGV T. tract. 22. aliter hęc exponit verba, vt qui credit dicatur nō venire in iudicium, quia in vltimo die non subibit damnationis iudicium, & in hoc conformis est nostra expositio. At transiisse de morte ad vitam dicitur, quia de peccato ad vitam gratię sit translatus, iuxta illud 1. Ioann. 3. Translati sumus de morte ad vitam, tamen rectius cum Chrysof. & Cyril. expositum est, vt de morte corporis, & vita æterna hęc intelligamus; & totum, vt diximus, sub futuro tempore legamus, *Non veniet in iudicium, sed transibit de morte in*

A vitam. Et quamuis sit verbum præteriti, idem est sensus: nam transiisse de morte ad vitam dicitur, quia deputatus est iam, vt de morte corporis transeat ad æternam vitam, quamuis nondum sit mortuus: & idem est sensus Ioannis in illis verbis allegatis. Translati sumus de morte ad vitam; quia status credentium is est, vt de morte ad vitam æternam sint suscitandi: nam iste totus contextus de morte corporis est, & de resurrectione à tali morte; nec est, quod admittamus amphibologiam in eodem contextu.

Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.

C O M M E N T A R I V S.

CONFIRMAT eum, qui audit, & credit verbum eius in vitā transire posse à morte, explicādo se tantę virtutis esse, vt voce possit mortuos suscitare: & ne rebus futuris, & distantibus videatur præsentia probare, inquit, *Amen amen dico vobis venit hora, & nunc est*, id est, citissimē, & hoc tēpore fiet, vt mortui audiant vocē filij Dei, & audientes viuēt. hoc dicit propter mortuos, quos

voce

voce sua erat suscitaturus; propterea nō vniuersaliter loquitur omnes mortui, sed mortui audient: & non dicitur, qui credent, sed, *Qui audierint*. Est Hebraismus, id est, ad quos peruenerit virtus vocis filij Dei, perueniet autem, ad quos ipse voluerit, illique viuent: ita hunc locum exponit Chrysof. hom. 38. & Euthym. Qui ergo tantam potestatem habet, non mirum si dicat, & faciat, vt qui credunt, transcant de morte ad vitam. Et attēde dici vocem filij Dei, quia vox, non vt meri hominis, sed vt Dei filij, tantam habebat efficaciam. Dicit autem tempus venisse iam, & adesse; quia prædicatio verbi incepta erat per ipsum, & continuanda per Apostolos.

A N N O T A T I O XXIII.

Cyriillus tres
proponit su-
perioris sen-
tentię expo-
sitiones.

CYRIL. lib. 2. cap. 142. tres refert superioris sententię expositiones. Vna est, vt de mortuis morte peccati intelligamus, qui prædicatione verbi Christi ad gratię vitam reuocati sunt, quę sententia est August. lib. 20. ciui. cap. 6. & serm. 64. de verb. domini, et tract. 22. Altera est, quam nos cum Chrysof. & Euthym. secuti sumus; vt verba hęc de mortuis iam iam per Christum excitandis, ad vitamque reuocandis exponantur. Has duas ipse Cyril. dicit, exquisitas non esse, propterea adfert tertiam, quę talis est; vt priora verba, *Mortui audient vocem filij Dei*, procedant de vltimo iudicio, quando omnes resurgēt boni, & mali: posteriora autem, *Qui audierint, viuent*; de his, quibus verbum prædicandum erat: qui enim crediderint viuēt, quia vitam æternam habebunt.

At ista expositio, quam exquisitam Cyrilus arbitrat, meo iudicio graues difficultates patitur. primò quidem, quia dicitur, *venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei*; si de vltimo iudicio sermo esset, non adderetur, *Nunc est*; non enim solet Dominus talem particulam adiungere, nisi quando de rebus proximis loquitur. Præterea quia paulò inferius agens de iudicio vltimo, non vltus est tali pericula; *Hora venit, & nunc est*, vt re vera distingueret hanc sententiam ab illa; hęc enim de proximis rebus, illa de distantibus est. Deindē, quia locutio esset nimis impropria, & violenta, *Mortui audient vocem filij Dei, & qui au-*

A *diert, viuent*, si referamus ad distinctas voces, & ad distincta subiecta, vt refert; Cyril. nam priorem sententiam ad mortuos, & vocem vltimi iudicij refert; posteriorem verò, ad viuentes in peccato & audientes verbum fidei, cum tamen locutio de eisdem loquatur mortuis, & de eadem voce.

Propterea probabilior est Chrysof. expositio: qui ad eisdem mortuos, & ad eandem vocem refert; qui audierunt enim mortui vocem Christi, surrexerunt. dicti autem sunt audisse vocem, quia virtus vocis Christi ad eos peruenit operando resurrectionem. Voce enim, vt diuinitatis instrumento vltus est, quando & Lazarum, & alios suscitauit mortuos. Hanc secuti sumus, & ea legitima videtur; cum tertia violenta sit, & magis spiritalis, quam literalis. nā si de credentibus esset sermo, non dictum esset, *Audient mortui, & qui audierint viuent*, cum paulò ante dictum sit, non satis esse audire, sed simul credere: at quia de his, qui vocis efficacia suscitati sunt, loquebatur, propterea dicitur, *Qui audierint*: Propterea, quia dicitur, *Audierint vocem filij Dei*, vt suam propriam vocem significaret, qua suscitauit mortuos, non autem verbum prædicationis Apostolorum: nam de mortuis agitur corporaliter, & de suscitandis: non ergo ad mortem spiritua-lem, & vitam hęc referenda sunt: variaretur enim sententia, & à scopo intento esset recessus.

Alia Chry-
sof. expositio, quam
sequitur An-
thor.

Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.

C O M M E N T A R I V S.

CAUSAM adfert, quare, qui audierint vocem Filij, viuent, cum mortui sint. Et sensus est, *Quia, sicut pater habet vitam in semetipso, & propterea mortuos suscitauit, ita etiam dedit filio vitam habere in semetipso*, propterea poterit etiam mortuos suscitare. habere vitam in semetipso est, non participatam vitam habere, nec dependentem vitam ab alio, vt Cyril. lib. 2. cap. 144. & Aug. tract. 22. exponunt, sicut sol lumen dicitur habere in se respectu eorum, quę illuminantur ab eo; & ignis calorem in se collatione eorum, quę ab eo calefiunt; causa ergo prima vitę, quę alijs dat fidem, & ipsa non recipit vitam ab alia vita pendentem, dicitur habere vitam in semetipso; talis est Pater, talis est Filius, qui eandem vitam habet, quam pater.

Rectē Chrysof. hom. 38. ex hoc loco concludit contra Arianos, necesse esse, fateri filium eiusdem esse vitę cum Patre, nec aliam habere differentiam, quam

Ex his bene
inferitur filij
habere ean-
dem vitam cum
Patre.

quam quod vnus est pater, alter filius; tamen omnia præter hæc esse eadem in vtroque; si enim alia vita esset filij, tuñc dependens esset, & participata à vita patris, iamque non haberet vitam in semetipso, sicut habet pater. His verbis probat non solum se ad vitam mortuos reuocare posse, vt Lazarum & alios, sed ad æternam vitam, sicut & pater potest: quia habet vitam in semetipso, & his verbis confirmat illam sententiam, qua perhibuit credentes in se transituros de morte in æternam vitam.

Nō idem est vitam in se metipso & à semetipso habere. Attende autem longè aliud esse habere vitam in semetipso, & habere vitam à semetipso. Filius habet vitam in semetipso, sed non habet à semetipso, sed à patre, quod his verbis insinuat. Si enim, *Pater dat filio habere vitam in semetipso*, ergo filius habet à Patre hanc vitam: habet ergo in semetipso, & non ab alio vitam receperunt; non in semetipsis, quia ab alio pendet; nō à se, quia lumen à sole in corporibus receptum pendet à sole ipso; sic omnis vita, & esse creatum pendet à suprema causa, quæ Deus est; Deus à nemine dependet: vnde vita eius, quæ vna est, & prima, nullò alio eger, propterea in semetipso Deus est, & viuuit.

ANNOTATIO XXIV.

Diversa Patrum explanationes proponuntur.

DISCORDES videntur antiqui Doctores in huius expositione sententiæ, & re vera sunt; sed non est tanta discordia, quantam aliqui existimant. Aug. tract. 22. & Chrysof. ho. 38. hæc verba Christo vt Deo conuenire putant. Cyrillus autem lib. 2. cap. 144. vt homini, & ratione humanitatis assumptæ; sed qua ratione hæc dicantur attentè est considerandum; Non enim negat Cyril. Christi, vt Dei esse vitam in semetipso habere, hoc enim nemo Catholicus inficias ibit, nec in hoc discordat ab August. sed dicit, hæc verba, *Pater dedit Filio habere vitam in semetipso*, conuenire Christo ratione humanitatis, quia humanitas est, quæ recipit diuinitatem filij vitam habentis in semetipso. Christus ergo, vt homo dicitur habere vitam in semetipso quia habet sibi vnium filium viuentem in semetipso: & hac ratione pater dedit homini vitam habere in semetipso; quia dedit Filium suum, vt vniretur humanitati. propterea Cyril. dicit Patrem in incarnatione dedisse Christo homini, vt vitam in semetipso haberet. hæc est vera Cyrilli sententia. At August. aliter sentit, nempe ratiōne diuinitatis suæ filium dici à Patre habere vitam in semetipso, quam Pater dedit, quando ab æterno genuit; non ergo est differentia inter Doctores hos, vitam hanc esse diuinitatis

sed qua ratione Pater dicatur dedisse filio: & vtraque expositio est vera doctrina, & verbis aptari conuenienter potest; tamen secuti sumus Augustini, & Chryf. expositionem. Fate-mur quidem Christum Deum, & hominem esse, qui loquitur hæc omnia, sed modò aliqua profert ratione humanitatis, modò aliqua ratione diuinitatis, quia Deus simul, & homo est. qua ratione Deus est, inquit, se habere vitam in semetipso, sicut habet Pater: & hanc datam ei esse à Patre. Nam, vt Deus est, ab æterno vitam habet à Patre: vt homo ergo, & vt Deus accepit à Patre habere vitam in semetipso: vt homo, per vnionem ad verbum in tempore: vt Deus, per naturalem generationem ab æterno. Vtroque igitur modo exponere possumus, & vtrumque sensum verba admittunt. at locutio magis propria est, si procedat, vt Deus est; quia sic à solo patre vitam habet: vt autem homo est, non à solo patre, sed à tota Trinitate: nam tota Trinitas humanitati communicauit, & vniuit filij personam. Cum igitur verba hæc de patre procedant, *Dedit, inquit, Pater Filio habere vitam*, in eo sensu exponi debent, qui soli conuenit Patri: quandoquidem exponi in eo sensu rectè, & aptè verba possunt.

Et potestatem dedit ei iudicium facere.

COMMENTARIUS.

SI diligenter superiora verba consideremus; duæ sunt assertiones in confirmationem eius veritatis: (Qui audit verbum meum, & credit ei, habet vitam æternam) vna assertio est, in iudicium non venit; altera transit à morte ad vitam. Vt hanc secundam assertionem exponeret, & confirmaret, adiunxit, quæ hætenus dicta sunt: quibus ostendit, se posse viuificare, & à morte ad vitam reuocare. His verò verbis præsentibus priorem assertionem cōfirmat, quod in iudicium non venit. Vt totus horum verborum sensus breuibus expositus verbis hic sit: *Credentes in me non venient in iudicium condemnationis, sed à morte in vitam reuocabuntur æternam. possum autem hæc ego facere:*

facere: nam potestatem habeo viuificandi; quia vitam habeo in memetipso, sicut pater, & potestatem habeo iudicandi; quia ego sum ante cuius tribunal omnes sunt iudicandi. Hic est contextus legitimus:

Attende, si iudicandi nuda potestas cōsideretur, à patre ab æterno, vt Deus, eam accepit. Vnam enim cū Patre, & Spiritu sancto potestatem habet supremam iudicandi, & per eā iudicabit de facto viuos, & mortuos: at non de hac in præsentis sermo est, sed de potestate iudicandi visibiliter, & corporaliter humanitati communicata. nam Christus vt iudex visibiliter apparebit, & viuos & mortuos iudicabit: propterea non sola nuda, & absoluta potestas Dei hoc loco consideratur: sed vt per humanitatem exercenda est, vt sit sensus; Dedit potestatem iudicandi, nempe vt per humanitatem suam iudicium sensibile exerceret, & in humanitate sua fieret iudex omnium. de hac materia diffusius egimus supra in annotatione 19. Hoc loco iudicium generaliter sumitur, quo & mali damnantur, & boni probantur, in vltimo illo die.

Quia filius hominis est.

CONnectuntur verba hæc immediatè præcedentibus. *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*, causam enim continet, cur Deus iudicè cōstituerit, *Quia*, inquit, *filius hominis est*, quasi dicat, homines voluit Deus per hominem iudicare, & sicut per hominem saluauit hominē, ita etiam per hominem eundem iudicabit. Sicut enim diuina misericordia multū commendatur in hoc, quod per hominem homines saluauit, & non solum salutē, sed etiam honorem deperditum recuperauit (maximè enim honorificū naturæ humanæ fuit, vt in ea victor Dæmon vinceretur) sic iustitia Dei valdè iustificatur in eo, quod homo iudicat hominem, & non quicunq; sed ille idē, qui vitam exposuit pro homine, vt condemnatio malorum omnino iusta appareat. quis enim iustissimam sententiam negabit eam, quam contra peccatores is proferet, qui in cruce suum sanguinem pro eorum salute fudit? vt ergo Deus est, vitam habet in semetipso, & supremam potestatem cum patre, quā per humanitatem exercebit, quia filius hominis est, accepta etiam potestate humana, vltra diuinam. Sic enim visibili iudicio omnes iudicabit.

ANNOTATIO XXV.

Diversa doctorum interpretationes.

VERBA præcedentia variè à Doctoribus connectuntur; & communiter varia est eorum expositio. Primo loco Chrysof. homi. 38. cum sequentibus coniungit, *Quia filius hominis est, nolite mirari*, vt sit sensus; Nolite mirari cum me hominem videatis, & audiatis, me vitam in meipso, & potestatem habere iudicandi. Multum mouit Chrysofostomus ad hanc sententiam à superiori separandam, hæresis Pauli Samosatensis, Christum merum hominem affirmantis. ne ergo occasionem arriperet confirmandi hæresim suam, si audisset, *Dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*; sic enim ipse Paulus legebat, propterea hæc verba Chrysofostomus separauit, & sequentibus coniunxit. Sed hoc certè non est magni momenti; nam nihil aliud haberet ille ex his, præter quam, quod homo Christus esset, & hoc verum est; at esse simul Deum multa alia verba conuincunt, immò etiam hæc eadem. nam, si homo hic, Deus non esset, potestatem iudicandi non acciperet; nam potestas hæc Dei est & accepisse dicitur, vt homo. quia per humanitatem exercenda sensibilibiter est. Secundo loco Cyril. l. 2. ca. 144. in alio extremo est, connectit enim cum superioribus, sed non solum cum immediatè præcedentibus, sed cum an-

teriori etiam sententia, nempe. *Dedit vitam habere in semetipso, & dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*: nam vt homo per vnionem vtrūque accepit, & vitam hanc, & potestatem, vt in annotatione præcedenti declarauimus, & vt diximus, est expositio probabilis. Tertio loco August. tracta. 22. cum superioribus copulat, sed cum immediatè præcedentibus, *Dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*; & hoc secuti sumus in commentario, & legitimus hic videtur sensus: nam iudicium hoc per humanitatem exercendum erat, & vt homo, iudex viuorum, & mortuorum est. propterea causa est, qua iudicium facere datum ei est, quia hominis filius est; at vitam in semetipso habet, non quia homo est. Propterea rectè Augu. cum immediatè præcedentibus connectit: idem tamen Christus est, qui vitam habet, & potestatem iudicandi habet; illud, vt Deus, hoc particulari modo, ratione exercitij sensibilis, vt homo.

Hoc loco aduerte hanc potestatem, quam, quia homo est, Christus sibi esse datam dicit, secundum Cyrillum non esse aliam, quam eam, quæ ei ab æterno est à patre; sed data homini dicitur, quando coniunctum cum humanitate facta est. quomodo autem data sit, sequens

quens verbum explicat. *Dedit*, inquit, *potestatem iudicium facere*, id est, dedit, vt iudicet visibiliter, & sensibiliter mundum, vnde potestas æterna est; sed temporaliter in vnione data est ad iudicandum. Recentiores de potestate communicata humanitati Christi, quæ est alia à diuina, & tamen subordinata, intelligunt; &

A vera est doctrina; sed locus hic etiam de ipsa met potestate diuina, quam Christus per humanitatem exercebit, intelligitur conuenienter: potestas enim humanitati inhærens, velut instrumentum quoddam est diuinæ, & æternæ potestatis. legenda sunt, quæ scripsimus in annotatione 19. superiori.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.

COMMENTARIUS.

Dixerat iudicij potestatem sibi datam à patre; at quia audiētium cordibus verbum hoc incredibile visum est, vel forsan, dum hæc audirent, gestu aliquo exteriori, vt incredibile, refutârunt, adiūxit, *Nolite mirari hoc*, id est, ne vobis hoc incredibile videatur, quia non solū hæc mihi data est potestas, sed veniet profectò tempus, quando iudicium hoc fiet; nam omnes mortui audient vocem filij Dei, & procedent, seu prodibunt ex sepulchris, & resurgent, sed non eodem modo omnes: qui enim bona egerunt, resurgent in vitam æternam, qui verò mala, resurgēt in damnationem. Hic est sensus horum verborum; illud enim procedere in resurrectionem cōmune est omnibus mortuis, sicut & commune est audire vocem filij Dei. Hieron. Epist. ad Pamachi. contra errores Ioannis Hierosolymitani. Audient, inquit, auribus, & procedēt pedibus, at resurrectio vitæ bonis, resurrectio damnationis, & æternæ mortis propria est malis. Hoc loco vita non pro vita sumitur, quæ morti corporali contraria est; hac enim ratione omnes resurgent in vitam: nā nemo resurgit, nisi iterum viuat; Sed sumitur pro vita beata, & gloriosa, vita namq; damnatorum mors potius est, vt rectè Aug. lib. 6. ciui. cap. 12. dicit, quod etiam superius annotauimus. Dicit autem, *Audient vocem filij Dei*, quia diuina virtute suscitandi sunt mortui; & hæc vox est illa, de qua 1. Thessa. 4. ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo; & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Ita hanc vocem exponit Cyrillus libr. 2. cap. 145. quamuis enim sit Archangeli, est tamen ex iussu, & præcepto Dei, & diuinæ eius potentia instrumentum. Ex his patet, quod supra dictum est, credentes scilicet non venire in iudicium, sed de morte in vitam transire. Qui autē dicantur credentes, qui non damnantur, sed vitam habent æternam, exponit nunc Dominus; nimirum non qui solam habent fidem, vt hæretici commentantur; sed qui bona egerunt, qui fidei, charitatis opera coniunxerunt. Et non addidit; Venit hora, & nunc est, sicuti prius dixerat, quia hæc resurrectio non erat breui futura.

ANNOTATIO XXVI.

CYRILL. lib. 2. cap. 145. verbum, *Nolite mirari hoc*, refert ad miraculum languidi, vt sit sensus. *Nolite mirari me languidum hunc sanasse*, quia multo adhuc maiora sum facturus. Sed non videtur hoc aptari posse conuenienter: non enim illi mirabantur tale factum, sed potius accusabant, & arguebant; & præterea quia multæ sententiæ intercesserunt, iam in verbis Christi; rectius August. tract. 22. ad præcedentia immediatè refert de potestate iudicij sibi data, & forsan aptior erit expositio, si ad vtrumque referatur, nempe ad pote-

B statem iudicij, & ad potestatem viuificandi mortuos, & reuocandi in æternam vitam: hæc enim duo continuè contextu dicta sunt, & quæ sequuntur, ad hæc duo referuntur: nam, *Audient, inquit, vocem filij Dei, & procedent in resurrectionem*, hæc est potestas suscitandi; *qui bona egerunt*, ad vitam, *qui verò mala*, ad damnationem, hæc est potestas iudicij. His etiam verbis declarat, quare ratione illud superius verbum sit intelligendum, *quos vult, viuificat*: si enim de vita æterna exponamus, quos vult viuificat; vult eos viuificare, qui bona egerunt; si verò exponamus de viuifi-

viuificatione illa miraculosa; non pro meritis eorū, sed pro sua absoluta suscitabit volūtate.

ANNOTATIO XXVII.

*Infantes sō
parebunt ne
in iudicio:*

ADVERTENDA est generalis sententia: *Omnes, qui in monumentis sunt*, prodibunt in resurrectionem; infantes enim, & præmaturè etiam in matris vteris mortui, surgent; vt Iustinus quæst. Gentil. resp. 13. & August. lib. 22. Ciui. cap. 13. asserunt, & est communis Catholicorum sententia, & probat Augustin. illo 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur; surgent autem, vt Iustinus dicit, ratione præditi, seu rationis vsum habentes; & secundum Augustin. in ea corporis magnitudine, qua; si vixissent; habituri essent: an tamen in iudicio apparebunt, non ita vt prius, certum est. Greg. Nisse. in orat. de infantibus præmaturè abreptis disputat, & inclinare in eam sententiam videtur, vt in iudicio non sint comparaturi; tamen August. lib. 3. hypogno. & epist. 107. ad Vitalem, & alij in locis tenet, ad iudicium venturos esse, & propter peccatum, quod ab Adam contraxerunt, damnationis sententiam subituros; & ea est vera sententia. In hoc tamen non est probandus August. lib. 5. cont. Iul. cap. 8. quod sentit eos torquendos, cuius contrarium tenet Greg. Nazianz. in Orat. in sanct. Baptif. & Gregor. Nissen. loco citato, eaque est communissima sententia. hæc enim poena ijs infligenda est, qui mala opera egerunt. Quod

si dicas, cur Dominus nihil de ijs in verbis præsentibus locutus est: nam distinxit eos, qui mala egerunt; & qui bona fecerunt, dico id esse factum, quia de ijs, qui credituri erant in eum, aut fidem eius non recepturi. loquebatur, quos iudicio damnationis terrere, & beneficio resurrectionis vitæ allicere intendebat; tamen omnes generali sententia conclusit, qui in monumentis sunt, suscitandos. Mortuos corporaliter significat illo verbo, *Qui in monumentis sunt*, ne de morte animæ, quæ per peccatum est, intelligeremus. quamuis re vera non omnes mortui sunt in monumentis, sed ab eo, quod frequentius est, generalem usurpat locutionem: Hæc diffusè tractare non est instituti nostri, quamuis aliqua de resurrectione in cap. 11. adferemus.

Vnum tamen hic non est præmittendum, cur Dominus de hoc iudicio futuro faciat mentionem, quando se Dei filium esse, & verum Christum manifestat? Respondeo id merito factum esse, nam Iudæi multum errabant, aduentum vnum Christi, & hunc gloriosum tanquam regis, & iudicis expectantes, ideoque in humilitatem eius præsentem impingebant: propterea Dominus admonet se iterum venturum, & facturum iudicium hoc, nec modò esse tempus iudicandi: tamen horam hanc certissimè venturam. latius hæc explicauimus capite primo, Ioannis Baptistæ testimonium secundum exponentes, propterea nunc satis sit attigisse.

*Cur Christus
futuri iudicij
meminit,
quando se
filium Dei esse
manifestas.*

Non possum ego à me ipso facere quicquam, sicut audio, iudico.

COMMENTARIUS.

DIXERAT sibi iudicium datum, & re vera iudicaturum omnes secundum opera illorum, & hoc quia filius hominis est. His verbis tacitæ obiectio- ni respondet. posset enim aliquis obijcere, iudicium hoc, & discretio esse non potest: quomodo enim homo omnium opera hominum noscere, & discernere poterit, vt proferat certum iudicium? Respondet, *Ego à me ipso non possum facere quicquam*, id est, non vt homo tantum facio, quæ facio; sed, vt filius Dei, vnus cum patre naturæ, non humana scientia, aut potentia sola vtor, sed simul diuina. *Sicut audio, iudico*: Christus audiebat vt Deus, quia scientiam humanam habebat à diuinitate communicatam; iudicabat ergo, sicut audiebat, & non à seipso solo, non ergo ignorare aliquid poterat, quo iudicium minus rectum ferretur.

ANNOTATIO XXVIII.

*Superior sen-
tentia de Chri-
sto Deo, &
homine vera
est.*

VERBA hæc, & secundum diuinam, & secundum humanam naturam in Christo vera sunt. ipse enim, vt Dei filius est, nihil à semetipso facit, sed sicut audit, iudicat; quia omnia quæ facit, omneque iudicium à Patre habet, à quo ab æterno essentiam, & sapientiam accepit. Audire enim, est à Patre scientiam accipere. non aliam, sed eandem omnino, quæ patris est. Et hæc sententia in hoc sensu est eadem cum superiori. Non potest Filius facere à semetipso quicquam nisi quod viderit patrem facientem. in quo sensu exponitur ab

Ambr. Serm. 20. in Psalm. 118. versic. 4. & August. tract. 22. Chrylost. hom. 38. & Cyrill. libr. 2. cap. 146. Potest etiam intelligi de ipso Christo vt homo est, ipse enim nihil à se facere potest, quia quidquid fecit Christus, non solus homo facit, sed simul Deus; & quæ scit, audit, quia scientia eius humana à diuina procedit, & ipse est conformis, & in hoc sensu exponit etiam Cyrillus loco citato. Hiero. lib. 2. aduersus Pelagianos dicit Ecclesiam hæc verba intelligere dicta à Christo ratione humanitatis assumptæ, & est accommodata expositio;

nam verba hæc connexa sunt immediatè præcedentibus, in quibus quia hominis Filius est, se iudicium habere, & iudicaturum dixerat: in quo iudicio nunc dicit se non à semetipso operaturum, sed, quæ audit, iudicaturum. Loquitur ergo de se, vt homo etiam est, sicut & vt homo, etiam iudicaturus est. Resolutio huius difficultatis hæc mihi videtur, vt simul vtramque expositionem coniungamus: Christus enim potestate diuina & humana, & scientia diuina & humana iudicabat, & vtraque erat à Patre. Cyrill. autem quamuis interpretetur de Christo, vt homine etiam, tamen alterum sequitur sensum, & alteram connexionis rationem. Sensus eius, & connexio est, vt se legis obseruatorem ostendat contra Iudeorum superiorem calumniam, Ego, inquit, sicut audio, iudico, id est, secundum sensum verû legis iudico, & *A me ipso non facio quicquam*, nihil ei contrarium facio: nam Christus licere pietatis opera in sabbato facere, nec esse hoc contra legem, sed secundum legem iudicabat, & hoc verum erat iudicium, vt paulo inferius dicitur, sicut igitur audiebat in lege, iudicabat. Iste sensus, & connexio violenta mihi videntur:

A tur: nec enim cohærent sententiæ, vt ordo verborum postulat, & verborum significatio multum distrahitur. Ipsemet Cyrillus etiam exponit verba ratione diuinitatis, & aliter connectit: in quo Chrysofost. consentit, sed cum iam superius, sensum hunc explicauerimus, & ab his verbis præsentibus alienum ostenderimus, non est, quod in connexionem recitanda immoremur. Aliqui illa verba, *Sicut audio iudico*, hunc sensum interpretantur, quasi dicatur: non ad libitum, & indiscretè, sed pro meritis causæ profero iudicium, ideo iustum est. Sed hæc expositio non facit ad sensum, nec ad propositum præsens: nam hæc verba respondent præcedentibus. *A me ipso non facio quicquam, sicut audio, iudico*, quasi dictum sit, non facio à me, quia sicut audio, iudico: id est, non ex mea scientia sola, sed ex diuina accipio omnia, vt iudicem: neque hæc verba reddunt causam, cur iudicium sit iustum: nam hoc sequitur postea, vbi altera causa adfertur iustitiæ: sed respondent tacitæ obiectioni, vt in commentario expositum est, vt ostendat nihil se posse latere, & ex hac parte iudicium non impediri.

Et iudicium meum iustum est, quia non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.

COMMENTARIUS.

A lteri tacitæ respondet obiectioni, cum dici possit; Si, vt homo iudicaturus est omnes, iudicium rectum non est; nam humana voluntas non potest ita iustitiam, & æquitatem in tot hominum causis, quâuis omnia homo cognosceret, amplecti. Exclusa igitur obiectione prioris scientiæ, quia falli non potest, excludit hæc etiam obiectionem iniquitatis; & dicit iudicium meum etiam iustum erit; nam non quero voluntatem meam, id est, non facio secundum humanam solam voluntatem, sed secundum diuinam, in qua iniustitia esse non potest. Hæc phrasis; *Non quero voluntatem meam, sed eius, qui misit me*, significat se operari secundum humanam voluntatem, ita tamen, vt diuinæ sit conformis, & quæ faciebat, non ea ratione facere, quia vt homo volebat, seu vt humanæ suæ voluntati satisfaceret; sed propter diuinam voluntatem, & beneplacitum; non quod haberet voluntatem aliquam à diuina discordem, cui nolebat satisfacere, sed quod omnia, quæ volebat, & faciebat; ideo volebat, & faciebat, quia erant secundum diuinam voluntatem. Loquitur vt homo, & de humana voluntate, & actibus eius; vt homo autem voluntatis, actus, & opera, beneplacito diuino conformabat; & sic volebat, & operabatur vt homo, vt cognoscebat, se vt Deum velle. Ad patrem autem refert, vt se non solum Dei filium, sed vnam cum Patre, & eandem habere, vt Deus est, voluntatem ostendat.

Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.

P ræclara diuinitatis suæ mysteria Christus Iudæis aperuerat; vt in superiorum expositione verborum videre licet: nunc propter eorū incredulitatē suę doctrine veritatem testimonijs nititur confirmare: & quia illos paratā in mente obiectionem habere cernebat, nempe, Tu de te ipso loqueris, nullū sententiæ testem, aut argumentū adfers, non credimus tibi, nec verū reputamus, quod tu loqueris: præuenit Christus vel hoc ipso etiam se Deum ostendens, qui

qui mētes occultas cernebat, & dicit, *Si ego perhibeo testimonium de me ipso, nec aliud adfero, quàm humanam dicentis auctoritatem, Testimonium meum non est verum*. Intelligenda est sic sententiā, quasi diceret, si ego solus de me perhibeo testimonium, testimonium meū non est verū. ille de se ipso testimonium solus perhibet, qui dicta sua non aliquo argumento, nec probatione confirmat: qui enim de se loquitur, & argumentis efficacibus, quæ dicit, probat, non de semetipso testimonium solus perhibet: argumenta enim, & ratio simul testimonium perhibent. Similiter qui secum aliquem testem producit, non de se ipso solus testatur. Dicitur autem testimonium, quod de semetipso aliquis solus perhibet, non esse verum, non quod in se verum esse non possit; sed quod fide dignum non sit, nec acceptandum, vt verum. Et sic Athan. exponit hoc verbum in orat. contra gregales Sabellij. Verum enim, fide dignum exponit, Attēde Christum loqui vt hominem: testimonium autem perhibere solum de se, non esse aliud, quàm humana tantum dicta proferre, & non aliquo argumento confirmare, quàm sola humana auctoritate loquentis. Erit ergo sensus huius sententiæ; Si ego de me ipso testimonium perhibeo, nec alio argumento, aut testimonio, quæ affirmavi, probō, quàm his verbis exterioribus, quæ protuli, aut rationibus solis humanis, solaq; auctoritate mea exteriori, quæ apparet; testimonium meum non est legitimum, nec dignum fide, nec verum reputandum, quāuis re vera verum sit; at non sic est, quia non solus ego de me testor, sed diuinis argumentis vtor, operibus nempe, & signis diuinitatis. Hic est sensus: nec est contrariū illud Ioan. 8. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est: nam loquebatur, vt Deus, qui non humanis verbis, sed diuinis factis de se testabatur. Hæc in annotatione magis explicantur.

ANNOTATIO XXIX.

Diverse Patrum expositiones super verum iustum.

C YRILL. libr. 2. cap. 147. hanc superiorem sententiā nempe, *Testimonium meum non est verum*, sic exponit, vt dicta sit per quandam inuenientiam, vt aliquando solet fieri, ac si diceret: Sit sanè, vt vos dicitis, si non alia profero, testimonia. Verba Cyrilli sunt hæc: Scio vos dicturos: Tu de te ipso testimonium perhibes, & ideo testimonium tuum verum non est, nec molestè fero hæc verba, quippe quæ per ignorantiam subditis: neque volo propter testimonium meum vos mihi credere, alius est, qui de me testimonium perhibet. hæc Cyrill. Chrysofostomus porrò homi. 39. & Euthym. aliter interpretantur, vt sit sensus: *Non est verū*, id est; vobis non reputatur verum: videbat enim mentes eorum dicentes, & obijcientes, Testimonium de te ipso perhibes, testimonium tuum non est verum: propterea præuenit eos, & quod mente conceperant, aperuit: non ergo dicit non esse verum; sed, quod illi in sua mente habebant, ostendit. sed hæc expositiones non omnem tollunt difficultatem: nam quæ Chrysofostomi est, verbis accommodari non potest: Non enim dicit, quia de me ipso testimonium perhibeo, propterea testimonium meum non est verum, tunc enim posset exponi, non reputatur à vobis verum: sed dicitur, *Si perhibeo de me ipso testimonium, testimonium meum non est verum*, quod minus conuenienter exponitur, non reputatur verum. Adde hæc verba, quâuis occasione forsan internæ cogitationis, & obiectionis illorum dicta sint; tamen Christus est, qui suo nomine ea profert, & asseuerat. Cyrilli autem expositio aptior videtur, tamen adhuc patitur difficultatem. Tertia

In Christi operibus & vera humanitas & vera diuinitas elucebant.

A duerte igitur opera Christi esse & diuinā & humanā; cum enim homo esset; & Deus: quædam humana, quædam diuina opera exercebat, sicut autem humana opera erant argumentum, & probatio naturæ humanæ, & eum esse verum hominem; ita & diuina opera erant argumenta, eum esse verum Deum, quando igitur in illa humana natura opera diuinitatis faciebat, diuinitas quæ erat in eo, perhibebat testimoniū de homine, quod erat verus Deus; quando autem ille de se loquebatur verbis diuinitatis humanis, dicens se esse Deum & Dei filium, tunc de se perhibebat testimonium, quia humanis verbis solis testabatur de se; at quando simul operabatur, vt Deus; iam non solus homo reddebat testimonium, sed Deus in illo, & per illum operans. hoc est ergo quod dicit; Si ego vt homo, de me ipso tantum testimonium perhibeo, id est, non vtor ad meam diuinitatem probandam alijs argumentis & probationibus, quam verbis & operationibus humanis; testimonium meum non est fide dignū, nec verum reputandum: at non sic est, quia alius etiam reddit testimonium: vtor enim operibus diuinis; & diuinitas, quæ in me est, mirandis signis de hoc homine, qui apparet, testatur esse Deum. Iam ergo non solus ego vt homo, verbis testimonium perhibeo, sed

etiam Deus in me manens suis operibus id testatur; propterea testimonium meum & verba, quæ de me loquor, omni fide digna, & verissima sunt, quia Deus operibus suis, & ego homo verbis meis, testimonium perhibemus. In hoc sensu dictum est illud Ioannis 8. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. Ista est expositio ad mentem Athanasij, & Ambrosij, & ea est legitima, & conformis illi sententiæ, Ioann. 10. Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere, Si autem facio, si non vultis mihi credere, operibus credite; id est, si non alia argumenta habeo diuinitatis meæ, quam vobis prædico,

Alius est, qui testimonium perhibet de me.

COMMENTARIUS.

Cum dixisset: Si solus de me testimonium perhibeo, testimonium verum non est, adiungit alium etiam esse, qui testimonium perhibet de ipso, hic alius est pater. In cuius explicationem sciendum, Christum in unitate suæ personæ duas habere naturas, diuinam & humanam, duoque operationum genera, vnum secundum diuinum, alterum secundum humanam, sed magnum est vtriusque discrimen: Nam sicut natura diuina non sibi erat propria, sed cum patre communis, quæ secundum eam operabatur; non Christi solius, sed patris simul opera erant: quædo enim mortuos suscitabat, infirmos sanabat, aliaque huiusmodi edebat miracula, quia secundum naturam diuinam primario ea efficiebat, erant & sua, & patris simul opera; tamen quia natura humana sibi propria erat, quia non personæ patris, sed suæ tantum erat unita: quæ secundum eam faciebat, sua erant opera propria, ut quædo incedebat, fatigabatur, sitiebat, orabat, similiaque opera hominis exercebat: opera hæc hominis, non erant testimonium diuinitatis suæ, sed illa priora, quæ erant diuinitatis: quæ quoniam & sibi, ut Deus erat, & patri erant communia. hinc factum est, ut ea modo patri, modo sibi ratione suæ personæ attribueret: aliquando enim patrem dicebat de eo testimonium facere, & operari quæ faciebat: aliquando vero ipsum et ratione diuinæ suæ personæ, propter naturam eandem cum patre, dicebat de se, ut homine, ferre testimonium, & operari mira illa opera, ut eadem se habere cum patre naturam, & non solum hominem esse ostenderet. Ex hac doctrina, sententia præsens manifesta est; Cum enim ut homo dixisset; Si ego tantum testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Ad dit alium etiam esse, qui simul testimonium ferret, nempe patrem ipsum: quia ratione diuinæ naturæ edebat miracula, diuinitatis testimonium perhibentia. cum autem sibi potuisset etiam adscribere hæc opera, & testimonium; tamen patri tribuit, ut alium testem esse confirmet: nam pater distincta erat persona: & sic sunt duo testes, nempe ipse cum patre. *Alius*, ergo patrem significat, cum quo ipse etiam ut Deus de homine testimonium perhibet: & sic non solus ipse, sed vna cum patre testimonium perhibuit. Hic est sensus huius sententiæ.

ANNOTATIO XXX.

CHRYSOST. ho. 37. & Euthy. hunc alium esse Ioannem Baptistam interpretantur: sed non videtur legitima interpretatio; non enim Christus sibi præponeret Ioannem Baptistam; cum enim dixisset, Si ego, ut homo, testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum non est, non adiecit, *Alius est*, qui testificatur, nempe Ioannes baptista; diuinitatis ergo testimonium esse oportet, quod profert. Præterea non sibi coniungeret Baptistam dicendo, *Alius*, nempe à me testimonium perhibet, sed Patrem

ipsum, qui alius dicitur: maxime, quia quæ sequuntur non coherent huic sensui, sed magis contradicunt. Nam testimonium Ioannis adfert potius ad hominem argumentando, quia ipsi eo viderant. Rectius Athanas. libr. 2. de unitate Trinitatis, per alium Patrem interpretatur, adnotatque dictum esse alium Patrem propter distinctionem personalem Filij. eandem interpretationem complectitur Cyrillus libr. 2. cap. 147. His consensu incommentario.

Et scio, quia verum est testimonium eius, quod perhibet de me.

COMMENTARIUS.

SENSVS est; alius est, qui mecum testificatur de me, *Et scio, quia verum est testimonium eius*, id est, ego etiam testificor. & illius probo testimonium, ut non ego solus, sed duo scimus. Idem est sensus cum illis Ioan. 8. Si ego iudico, iudicium mecum verum est, quia non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater: & non ex opinione, sed ex scientia testor.

Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati.

Antequam hoc testimonium, quod alius de ipso perhibet, producat, sententiam suam eorumdem Iudæorum facto comprobat, ac si dicat; Vosmet mihi testimonium quodam modo accumulastis: Nam, *Misistis ad Ioannem*, ut eius testimonium inquireretis, ille autem, *Perhibuit testimonium veritati*, id est, respondit veritatem, nempe negando se esse Christum, & mecum ipsum esse confitendo. Attende verborum energiam, ut Chrys. hom. 39. aduertit, *Vos*, inquit, *misistis*, id est, vos iudicatis Ioannem dignum fide, & idoneum testem. Adde etiam; à vobis ipsis inducti estis ire, non ego misi vos ad eum, sed vos ipsi ire, seu mittere voluistis: ille autem, quem vos elegistis, verum testimonium perhibuit, dicendo non sum ego Christus, medius vestrum stat, quem vos nescitis, ipse est: non igitur est, cur iudicetis me solum testimonium de me proferre, nec cur illud repellatis.

Ego autem testimonium ab homine non accipio, sed hac dico, ut vos salui sitis.

NE hoc testimonium putarent esse, propter quod dictum erat, *Alius est, qui testimonium perhibet de me*, propterea dicit, *Ego autem non accipio ab homine testimonium*, id est, non hæc narro, quasi velim Ioannis testimonio meam tueri sententiam; non indigeo vllius hominis testimonio: quod si hæc de Ioanne dixi, id propter vos ipsos facio, ut salui sitis, id est, ut vestrismet factis doctrinam meam confirmem, & impellam vos ad veritatem cognoscendam, & recipendam, per quam salutem consequamini: nam quæ vos voluntate vestra elegistis, ut de Christo perhiberet testimonium, ille ipse testatus est veritatem, nempe me esse Christum. Non hoc expressè dicit Dominus, sed tacitè; nam sciebant Iudæi, de quo Ioannes testimonium perhibuerat, & hoc verbo amplius significauit, quam si diceret, testimonium perhibuit de me; dicens enim testimonium perhibuit veritati, insinuat non solum testimonium perhibuisse de ipso, sed adhuc verum fuisse testimonium eius, sequere verum esse Christum.

Attende autem hæc verba, *Hæc dico*, non solum referri ad superiora, nempe ne putetis hæc de Ioanne me narrasse, quod velim uti eius testimonio, sed etiam ad inferiora, & sequentia, quibus commendat Ioannem, præmittit tamen se non hæc dicere, quod eius caperet testimonium. Superius, capite primo explicui mus Ioannis testimonium non fuisse Christo necessarium, sed à Deo missum esse propter Iudæorum incredulitatem, & imbecillitatem: sufficientissima enim testimonia Christi habuit propter ipsum, propterea dicit superius, *Vos misistis*, quasi diceret, Ego non remisi vos ad Ioannem, & nunc dicit, *Ego non accipio testimonium ab homine*, quo verbo insinuat tacitè se esse Deum, dum generaliter testimonio hominis indigere se negat: Nec hoc est contra ea, quæ inferi dicitur de Apostolis, qui testimonium reddiderunt de Christo iam ad celos ascendente: nam præsens sermo est de testimonio Christi præsentis, & suam doctrinam confirmantis: præterea Apostoli testimonium reddiderunt per miracula, quæ non hominis, sed

nis, sed Dei erant testimonium: at Ioannes nullum signum tale fecit. Hoc factis probat verba illa *Alius est, qui testimonium perhibet*, non de Ioanne intelligenda, quod adhuc in sequentibus magis confirmatur.

Ille erat lucerna ardens, & lucens.

HAEC, uti diximus in superiorum explicatione, connectuntur cum ijs verbis, *Hac dico, ut salui sitis*. Laudat enim Ioanem, & arguit Iudæos licet hæc omnia non propter se, ut ipsius testimonio se tueri velit, dicit; sed propter ipsos Iudæos, ut ipsorum dictis & factis conuicti, veritatē salutis recipiant. Laudat ergo Ioannem, & idoneum testimoniū fuisse confirmat: ne autem dū dixit, *Vos misistis ad Ioannem*, aliquis arbitraretur Dominum dicere, Ioannem testem dignum fide non absolutē fuisse, sed respectu eorū, qui talem putabant: propterea adiunxit non ex opinione Iudæorum tantum, sed verē fuisse Ioannem testem dignū omni fide. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens*, ac si diceret, Rectē quidē fecistis in eo, quod Ioannem vobis testem elegistis; Erat enim lucerna ardens, & lucens: id est, omnia habens, quæ ad sibi aliorum fidē cōparandam necessaria sunt, eratque testis omni dignus fide, omniq; exceptione superior.

Expedit autem
hor verba
hæc, quæ de
Ioanne dicuntur.

Notanda sunt verba: in hoc enim, quod dicitur, *Erat lucerna*, insinuat mandatum, seu missum esse Ioannē: lucerna enim instrumentum quoddam est, quo utimur, ut luceat alijs; sic Ioannes venit, ut veritatem alijs, tanquam Dei minister indicaret, Lucerna etiam, ut dicit Cyril. l. 3. c. 1. ab alio lumen accipit: accenditur enim lucerna: sic Ioannes à Christo lumen recepit, idem notat Ambrosius sermo. 14. in Psal. 118. versic. 1. Lucerna præterea, ut dicit Euthy. sole adueniente cessat; sic Ioannes Christo iam prædicante suo testimonio finem imposuit. Est autem cum articulo, lucerna illa, ut rectē dicit Cyril. ut ad prophetiā reuocaret Iudæos. Psal. 131. Paravi lucernam Christo meo. Ioannes erat lucerna hæc. Aug. etiam tract. 23. hanc sic interpretatur prophetiā: dicitur, *Ardens & lucens*, ardens in se, quia veritatem sciebat, cui erat testimoniū perhibiturus; lucens, quia alijs veritatis huius erat idoneus, & fide dignus prædicator: lucet enim qui veritatem alijs sufficienter demonstrat. potest enim aliquis scire veritatē; sed alijs non satis ut oportet, eam demonstrat; nec argumenta habet sufficientia ad persuadendū: talis lucerna ardens est, sed non lucens: non sic Ioannes, sed Christum nouit, ac manifestauit, & fide dignus Christi fuit index ac testis, lumenque tale ac tantum emisit; ut potuerint Iudæi videre si voluissent. Greg. hom. 11. in Ezech. sic exponit. *Erat lucerna ardens*, per celeste desiderium, *Lucens*, per verbum: illud ergo ad vitam, hoc ad doctrinam refert Gregorius, & id rectē dicitur: & tam hoc, quàm illud Ioannes habuit. Arsit in se per sanctimoniam morū, & scientiam; luxit alijs per manifestationem doctrinæ & mirum exemplum vitæ. Hæc sunt, quæ dignum fide efficiunt testimonium.

Vos autem voluistis exultare ad horam in luce eius.

Confirmat lucernam hanc illuxisse, & lumen veritatis emisisse. *Voluistis*, inquit, *exultare in luce eius*: nam à principio dignum fide iudicastis, & ut hominem à Deo missum recepistis: lucebat ergo ille; sed *ad horam*, & breui tempore id fecistis. quo verbo arguit, & insinuat Iudæos, quod Ioanni non crederint. Ille ardebat, & lucebat, & vos lumen recepistis eius; sed citò vestra inconstantia eum repulistis. Misistis ad eum, ut ad fide dignum testem, ut inquireretis de Christo; at postquam respondit, eius testimonium spreuistis.

A N N O T A T I O XXXI.

Superiorem sententiā diuersis modis Patres exponunt.

CYRILL. lib. 3. cap. 1. superiora verba aliter exponit; nam ad baptismum refert, dicens: Mirati Ioannem in principio lucem eius hoc modo accendistis, sed postea nec ipsi ab eo baptizati & baptizari cæteros prohibentes,

Ad hoc usque; insaniam delapsi estis, ut Dei nuncium increparetis; misistis enim ad eum, qui dicerent, quid ergo baptizati? hæc Cyrillus. sed expositio prior, quam sequitur Chrysolomus. homil. 39. est conuenientior; nam de testimonio,

monio, quod de Christo perhibuit, sermo hic est. Ex his verbis Domini liquet dignos reprehensione fuisse Iudæos, quod Ioannes testimonio non crederint, eosque peccasse grauiter, dum tantæ luci non adhibuerunt fidem. Cyril. hæc verba affirmat insinuare Ioannem in figura legis contentum; ut enim illud verbum, erat ille *Lucerna*, reuocat ad Prophetiam Psal. 131. ita & hoc verbum, *Ardens, & lucens*, reuocat ad figuram Leuitici 14. Lucerna enim in tabernaculo lucens Ioannem significabat. ipse Cyrillus diffusè figuram hanc explicat.

Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.

C O M M E N T A R I V S.

CVR se testimonio Ioannis ex parte sua non indigere, nec eum in testem producere dixerit, causam exponit; quia, *Habeo*, inquit, *testimonium maius Ioanne*, id est, maioris auctoritatis, quàm sit Ioannis testimonium. Et hæc verba connectuntur illis; Vos misistis ad Ioannem; ac si dictum esset, vos uti testimonio Ioannis voluistis, Ego autem non produco testimonium hoc, habeo enim testimonium maius. Quod autem dicitur, *Maius Ioanne*, intelligendū est, maius testimonio Ioannis: nam testimonium testimonio, non personam personæ comparat.

Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.

EXPONIT, quod sit testimonium maius testimonio Ioannis: & verborum hic est sensus: *Opera quæ facio, ipsa perhibent de me testimonium*, intellige maius, quàm sit Ioannis testimonium, & ne opera, quæ, ut homo faciebat, existimaret aliquis ea esse testimoniū dicit, *Quæ mihi Pater dedit, ut ea perficiam*, iu, est, Ea opera dico de me testimoniū perhibere maius Ioannis testimonio, quæ facio ut Deus, quæ operor per potentiam diuinam à Patre acceptam, cuius aut rei testimonium hæc opera perhibent: nimirum, me esse à Patre missum. Verba sunt consideranda, *Opera*, inquit, *quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea*, hæc sunt opera diuinitatis, quæ virtute, & potētia faciebat, quæ à Patre sibi data est. perficienda dicit, loquens ut homo, cui Pater iniunxit, ut ea opera faceret: & simul potentiam dedit, per quam faceret: nempe per diuinitatē vnitā illi humanitati. At ne quis existimaret se tantū ex cōmissione aliqua hæc opera facere, adiunxit, *Opera, quæ ego facio*, id est, non tantū accepi à Patre opera, sed simul ego opera hæc facio, quia Deus sum: non quod alia sint opera, quæ dedit pater, alia quæ ipse facit, sunt enim eadē: sed quod à Patre accepit ut homo, propter vniōnem, & ipsemet facit, quia ut Deus eandem cum Patre diuinitatē, & naturam habet. Percontaberis, quis est, qui perhibet hoc testimonium? & quis est de quo perhibetur? opera. n. testimonium ipsum sunt. Respondeo ipsemet Christus, ut Deus est, perhibet de se ut homine testimoniū, per opera quæ facit supra hominē, nempe miracula, quæ sunt opera Dei. ac si dicat, si nihil apparet in me nisi humanum, esset qui de me testaretur homo, at cum opera per hanc humanitatē faciam, quæ Dei sunt, testimoniū reddo me esse Deum, qui in hac lateo humanitate, & quia hæc, quæ facio, ut Deus, communia sunt etiam Patri. Pater vnā cum filio reddunt testimoniū, ut non vnus, sed duo sint testimonium ferentes, sed de vno, nempe de filio homine factō. quod autem testantur id est, esse scilicet filium Dei à patre missum, qui in illa est humanitate, nec merum esse hominem, qui apparet, sed simul filium Dei.

A N N O T A T I O XXXII.

quæ non dicitur opera sua testari, quod equalis sit.

CHRYS. hō. 39. potuisset, inquit, dicere Christus, testimonium perhibent de me, quod equalis sim Patri, at noluit: sed minus expressit, quia misit me Pater, quia hoc pro-

phetatum erat: & quia, si hoc semel esset admissum, conuequebatur etiam admittendum eum esse æqualem Patri. Dices, qua ratione opera hæc erant maius testimonium Ioannis

Patri, sed quod ab eo missus sit.

Ioannis testimonio? Si enim Ioannes à Deo missus est, & opera etiam à Deo procedunt, æqualis auctoritatis esse videntur. Dico si constitisset, & manifestum esset Ioannem à Deo missum, & testimonium eius à Deo esse, utique æqualis esset auctoritatis: nam difficultas credendi ex eo procedit, quia obscurum est, an à Deo quæ dicuntur & proponuntur, procedant: Si enim nobis, & omnibus constaret Deum esse, qui per homines docet, quæ fidei sunt, omnes crederent, quia Deum men-

tiri non posse certum est: miracula autem fiunt, ut quæ dicuntur, esse Dei credantur. Illud ergo, quod magis probat virtutem diuinam, maius testimonium, & efficacius est. Ioannes ergo à Deo missus erat: tamen non ita certum erat hominibus eum esse à Deo, uti erant opera mira, quæ fecit Christus; propterea maius fuit testimonium ex his operibus sumptum, quam testimonium Ioannis, tantam certitudinem, quod à Deo esset, non habentis.

Et, qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.

COMMENTARIUS.

Dixit alium esse, qui de eo testimonium perhibet, & his expositis, quæ occasione Ioannis dicta sunt, quis sit hic alius, qui testimonium perhibet, explicat. *Pater*, inquit, *qui misit me, testimonium perhibuit de me.* hoc testimonium est illud in Baptismo redditum, quando vox de cælo audita est Patris dicentis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et attendenda est particula, *Et*, quæ dictio est accumulans, ac si diceret: etiam Pater perhibuit testimonium de me: accumulatur autem hoc Patris testimonium, non Ioannis testimonio; sed testimonio, quod ipsemet Christus, ut Deus, de se reddebat ut homine per opera diuinitatis: ut sit sensus, Operibus meis, quæ Patris diuinitate facio, testimonium perhibeo de me, qui homo foris appareo, quod sim filius à Patre missus: & Pater etiam meus testimonium perhibuit iam de me, quando sua voce hoc idem declarauit, me esse suum filium.

ANNOTATIO XXXIII.

De quo Patris testimonio Christum loquatur.

VERBA hæc graues Doctores superioribus connectunt, & non de Patris testimonio apud Iordanem exhibitò; sed de testimonio Patris per eademmet opera, quæ Christus faciebat exponunt, ut sit hic sensus; *Opera que ego facio, testimonium perhibent de me; & simul etiam Pater, qui misit me, testimonium perhibet mecum per eadem opera, ut simul sit Pater mecum testis de me, sicut etiam mecum operatur.* Hanc connexionem, & expositionem adferunt. Hilar. lib. 9. Trinit. Aug. tract. 23 & videtur etiam idem sentire Cyrillus li. 3. cap. 2. at illud verbum, *perhibuit*, duriusculè accommodatur: dicendum enim erat, Pater testimonium perhibet de me, sicut dictum est: *Opera que facio, testimonium perhibent.* Chryl. ho. 39. & Euthym. de testimonio Patris apud Ior-

danem, quando Christus baptizatus est, interpretantur: hoc enim fuit proprium Patris testimonium; & hanc interpretationem sumus in commentario secuti: tum quia planior est, & verbis accommodatur: tum quia sequentibus optimè connectitur, in quorum expositione hæc interpretatio magis confirmabitur. Aliqui hoc tempore de testimonio per Prophetas & scripturas cæteras veteres exhibitò exponunt: scriptura enim illa tota testimonium Christi est, quæ si attendissent Iudæi illi, profectò instructi fuissent, ut Christum agnoscerent. Non est improbabilis expositio, tamen difficultatem patitur hanc, nam hoc testimonium non magis est Patris, quam Filij, & Spiritus S. ipsius, qui locutus est per prophetas. Media igitur expositio legitima visa est.

Neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia, quem misit ille, huic vos non creditis.

COMMENTARIUS.

Notandum est huius loci sensus, in cuius gratiam sciendum ex Deut. 18. & Exod. 20. populum Iudæorum quando ei in deserto legem Deus dedit præ timore, & terrore sonitus, & lampadum ignis procul stetit, nec ausum esse ad Deum accedere, ob idque petijisse mediatorè aliquem, quem se audire polliciti sunt; quorū verba, cum referret Moyses Domino, respondit se acceptare pactum, & vocem populi, promisitque se locuturum per mediatorem quendam; ea lege ut si eum non audirent, ultionè de eis sumeret. Moysis verba sunt

ba sunt hæc: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, ut petisti in Oreb, quando conieci congregata est, atque dixisti; ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar; & ait Dominus mihi, bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponā verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Hoc fuit pactum inter Deum, & illum populū. hic Propheta suscitandus, per quem Deus verbū locuturus erat populo, Christus erat, quem audire populus recepit sub pœna diuinæ ultionis, ne Deus eis loqueretur amplius sub specie illa horribili lampadū, & tonitruum, & buccinæ. Ex hac historia totus pendet huius loci sensus, & cōnexio. Cum Patrē testimonium reddidisse de eo dixisset, arguit eos ut immemores, & cōtemptores pacti, quod pepigerunt cum Deo in monte Oreb, & dicit: Vos, *Eius vocem non audistis, nec speciem eius vidistis.* Alludit ad verba, quæ tunc populus dixit, nempe, vocem eius non audiam & ignem hunc non videbo; sensus ergo est, obtinistis, quæ per partes vestros olim præ timore petijstis: non enim vocē horribilem Patris audistis, neque speciem terribilem eius vidistis, verbum tamen & pactum eius, ad quod vos obligastis, non seruatis: acceptastis quidem pactum eius, nempe vos audituros, quem ille miserit Prophetam de gente vestra; at verbum & pactum eius non manet in vobis, quia quod pepigistis, implere non vultis: ecce enim ego sum, quem ille misit, & vos non mihi creditis, nec auditis me sicut promisistis. Quibus verbis apertè se esse Messiam Christum significat, & diuinam ultionem propter eorum incredulitatē ex Dei pacto, tacitè comminatur. Hic est legitimus sensus, à quo reliquæ expositiones multum recesserunt, cui sensui maximè consentit, quod sequitur, Scrutamini scripturas &c. hæc enim sententia ad veterem illam historiam pertinet.

ANNOTATIO XXXIV.

Patris diuinitate explicatio.

SENTENTIA superior variè exponitur à Doctoribus propter eius obscuritatem Hilar. lib. 9. de Trin. hanc sententiam ad totam superiorem refert; nempe, Propterea vocem eius non audistis, nec speciem vidistis, nec verbum eius manet in vobis, quia mihi non creditis, quasi dictum sit: Si mihi crederetis, vocem Patris audiretis, & speciem videretis: qui enim videt me, videt & Patrem; similiter, qui audit me, audit & patrem, & verbum patris in eo manet. Chryl. homil. 39. & Cyril. lib. 3. ca. 3. exponunt, Velle Dominum probare, & confundere Iudæos se de cognitione Dei gloriantes, quod Patrem, verè non cognoscant; & sic interpretantur: *Vocem eius non audistis, nec speciem vidistis*, quia Deus spiritualis est, nec vocem aut speciem habet propriam, sicut habet homo, per quam cognoscatur: nam vox illa, aut species, quam audierunt, & viderunt Prophetæ, propria non erant Dei, sed signa quædam, & propterea dicitur: *Vocem eius non audistis unquam.* Mihi quamuis ita sit verè, Deum non habuisse vocem, aut speciem, potius videtur Dominum noluisse negare, quæ in scripturis recepta erant: nouam enim calumniæ occasionem daret: in scriptura autem vox & facies seu species Dei leguntur, quamuis propria non sint, & sit Deus visus, & auditus dicitur sæpè. Athana. serm. 4. contra Arrianos verbum refert ad Christum, qui est Verbum patris, &

adicit rectè coniungi cum specie, & forma Dei, quia ipse est imago, & character viuus Patris tunc ad sensum literalem hæc sic accommodatur. Vos vocem Dei non audistis, nec formam vidistis, & cum supereffet vobis modus vnus, ut in me, qui sum Verbum patris, & imago eius substantiæ, qui que videt me, videt Patrem, crederetis; hunc modum contemnit, & non creditis mihi: propterea Patris cognitionem non habetis, & diuina noticia priuati estis. Aug. contra Adimantum capi. 9. exponit, *Vocem non audistis*, quia non credidistis, quando dictum est Ioan. 17. Et clarificauit, & iterum clarificabo. *Neque speciem vidistis*, quia Pater speciè non habet. tamen hoc non potest accommodari, quia quando hæc loquebatur, nondum erat prolata illa vox Patris. Aliqui ad vocem in baptismo referunt, quam isti existentes in Hierusalem non audierant: quod Hil. lib. 9. Trin. insinuat; sed nec hoc facile aptatur verbis: nam dicitur, *Non audistis unquam*, quod aduerbium, non ad vnā vocem, sed generaliter ad omnes refertur. Hæc sunt, quæ sentiunt Doctores: iudicium lectoribus relinquo; mihi legitima videtur expositio in commentario posita. Speciem Dei vocat eam, in qua apparebat: & vocem, verba, quæ sentiebantur, Exo. 20. & Deut. 18. constat.

Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

COMMENTARIUS.

TESTIMONIO operum, & paterno accumulatur etiã scripturas sacras. Vos, inquit, scrutamini, & inquiritis scripturas, quia putatis in obseruatiã earum vitam positam æternam; & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & tamen vos non vultis venire ad me, ut hanc vitam habeatis. Malitiam eorum arguit, significans eos proprio scripturarum studio conuictos esse de veritate Christi, præ malitia tamen nolle eum recipere, nec in ipsum credere, quamuis per Christum vita hæc æterna consequenda esset. Ex hoc loco constat Iudæos scripturas de Christo inquisuisse, quãuis anjmo calumniãdi, earumque lectione conuictos de veritate Christi (non enim testimonijs tot, ac tantis, quod respondere possent, inuenire poterant) non volebant adhuc obstinati credere in eum, nec ipsum confiteri, etsi scirent in Christo vero, & promisso positam vitam hanc æternam, quam ex scripturarum obseruantia se habituros esse arbitrabantur. hoc significat illud verbum, *Et non vultis venire ad me*, quasi causa sit voluntatis malitia, nõ autem quod scripturarũ testimonium non iudicauerint veritatem eis. Scripturæ dicuntur testimonium perhibere de Christo, non solum quia promissus est in scripturis Christus; sed quia ex signis, & circumstantijs multis in scriptura expressus agnoscere potuerunt Iudæi illum esse Christum promissum. Hoc est, quod dicitur, *Testimonium perhibent de me*, & dum generali vtitur scripturarum vocabulo, & legem, & Prophetas significat; tota enim scriptura plena est testimonijs Christi.

ANNOTATIO XXXV.

Diverse expositiones superiorũ verborum.

SENTENTIA hæc duplicem habet sensum. Sex ambiguitatẽ verbi Græci & latini, *Scrutamini*: nam legi potest per modum imperandi, & exhortandi, ut Christus eos impellat ad studium scripturarum, quia ipsæ testimonium præbent de Christo, & in hoc sensu interpretantur Chryl. hom. 40. immo Athanas. in quadam epist. quæ est in fine voluminis operum. & Basil. li. de Bapt. ca. 4. & Euthy. & est communis interpretatio. Cyril. verò lib. 3. cap. 4. quamuis afferat eam esse tritam, & communem expositionem, tamen non sequitur, sed exponit verbum per modum iudicandi, id est, inquiritis, & legitis scripturas. & cum illæ testimonium perhibeant vobis de me, non vultis credere, quantumuis existimetis vitam æternam positam in earum obseruatiã, & per Christum hanc vitam obtinendam.

Hæc expositio verbis ita accommodatur, ut prior vix possit aptari; nam si per modum exhortandi dicta essent hæc verba, dicendum potius erat, *Inquirite scripturas*, in quibus putatis vitam habere, & venietis ad me, ut vitam habeatis; cum autem dicitur, *Non vultis venire ad me*, indicatur illos scrutari iam scriptu-

ras, & cum testimonium perhibeant de Christo, nolle tamen eos ad ipsum venire, à quo vitam æternam haberent, si venirent. Illud, *Et*, finem, non solum consequentiam significat; ut sit sensus, *Non vultis venire ad me*, tanquam ad Messiam, ut per me vitam hanc consequamini. Non est solus Chryl. in hac interpretatione; cum & Irenæus. li. 4. c. 23. hoc verbum, *Scrutamini*, non per exhortandi, sed iudicandi modum interpretetur; Hunc enim locum citans in capitulis illius principio, & loca veteris scripturæ aliquot enarrans, subiunxit hæc verba; *Inquirat hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus, in quo deficit princeps. his verbis Irenæus significat verba Ioannis, modò iudicandi esse prolata, sicuti etiam Cyril. legit. Euthy. censet illam particulam, Et, Et ille testimonium perhibent, &c. abundare, nam legenda est sententia quantum ad sensum sine tali particula. immò Irenæus lib. 4. cap. 23. legit hanc sententiam sine tali particula; at non video cur abundet, nec cur omittenda sit; sensus enim lucidior est cum tali particula.*

Clarita.

Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

COMMENTARIUS.

NE verba illa, *Nõ vultis venire ad me, ut vitam habeatis*, ex ambitione, & humana alicuius gloriæ appetentia prolata esse existimarent, ut forsitan iam illi corde conceperant; hanc falsam Dominus remouet suspicionem, & causam cur dicta sint, veram exponit: *Non*, inquit, *claritatem ab hominibus accipio*, id est, humanam gloriam nihili facio, humanas laudes, & honores propter me ipsum non curo, nec eas accepto, vnde quæ dixi, *Non vultis ad me venire*, non quia à vobis magni fieri & laudari cupiã dixi; sed quia noui vos non habere vitam, quæ est dilectio Dei, & ut hanc acciperetis: propter vestram ergo vtilitatem locutus sum hæc, nõ autem propter me; ego enim hominibus non indigeo, sed propter salutem ipsorum eos quæro. Verbum, *Claritatem*, apud Græcos δόξα est, modò interpretes vertit gloriam, modò claritatem: paulò enim inferius vertit gloriam, tamen idem est semper vocabulum Græcum, & eadem significatio.

ANNOTATIO XXXVI.

Varijs modis exponitur superior sententia.

PRIOREM partem sententiæ Chryso. hom. 40. & Cyrill. lib. 3. cap. 5. exponunt, & connectunt, sicut in commentario dictum est, & est legitimus sensus, & connexio; posteriorem partem non connectunt quidem eodem modo, nec exponunt. Chrystostomus enim & Euthy. hæc verba dicta censent, ut argueret, & reprehenderet eos, qui zelo Dei, & tanquam Deum diligentes, Christum persequi videri volebant: contra quos dicit; *Noui vos, quod dilectionem Dei nõ habeatis, nec ex eius amore me persequamini*; cum Deus tot testimonijs

me ab se missum esse confirmauerit. Erit ergo sensus hic; *Non hæc dixi, ut quæram hominum gloriam, sed ut vos arguam, quod, quæ facitis, non ex dilectione Dei faciatis. Non sic Cyrill. exponit, sed sensus secundum eum iste est; Non hæc dixi propter humanam gloriam, sed ut cognoscatis dilectionem Dei non esse in vobis, qua priuati. quomodo poteritis ad me, qui filius sum Dei venire? facilius sensus, & connexio nobis videtur, quam in commentario explicuimus.*

Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

COMMENTARIUS.

EOS dilectionem Dei non habere, nec propter Dei amorem opera sua facere, his verbis satis declarat Dominus, *Ego veni in nomine Patris mei, & non me accepistis*, nec credidistis mihi. Venire in nomine Patris, nõ est tantũ missum esse à Patre; sed ita missum, ut testimonia efficacissima, & argumẽta sufficientissima suæ missionis haberet. *Veni*, inquit, *in nomine Patris, & non accepistis*, non quia non ego fecerim omnia ea, ex quibus me à Patre missum cognosceretis; sed quia nolulistis: ergo vos nõ habetis dilectionem Patris, nec ex Dei amore facitis, quæ facitis. Præterea, si alius venerit, ut re vera veniet, in nomine suo, non à Deo missus, sed à sua propria malitia inductus, eum recipietis; si autem amor Dei in vobis esset, non deberetis hunc recipere; si igitur, quem misit Deus, non recipitis, quem non misit recipitis, nõ est dilectio Dei in vobis.

Attende, cum Dominus ad defectum dilectionis Dei illos, quod eum non receperint, reducit; insinuat non ex ignorantia probabili ea facere, sed ex errore grauissimo, & inexcusabili, aut ex scientia: nam Christum vel nouerunt, aut vnde facillè noscere possent, habuerunt: illum autem, quem recepturi erant, non esse à Deo, similiter habituri erant, vnde assequi possent. Noluit autem Dominus expressè dicere alium venturum, sed tacitè: *Si*, inquit, *alius venerit*, quibus verbis comminatur poenam Iudæis, in spiritũ erroris tradendos esse, ut tanquam Christum recipiant eum, qui verè Antichristus erit, quia verum non receperunt.

Quid sit in nomine Patris venisse.

DV o hoc loco consideranda occurrunt. **A** num est circa illud verbum, *In nomine Patris mei*. Athanasius enim de unitate Deitate Trinitatis libr. 2. & 5. exponit hoc verbum sic, vt Christus dictus sit in nomine Patris venisse, quia Deus erat, sicut & Pater, nomenque Dei utriusque commune. Erit ergo sensus, Veni in nomine Patris mei, non solum missus, sed ita missus, vt Deus essem, nomen idem cum Patre commune habens, quod ex operibus communibus cum Patre demonstrat; nam eadem operatus est, quæ & Pater, & hac ratione intelligitur illud Psalm. 117. Benedictus qui venit in nomine Domini. & inde vrget Atha. Arria. Si venit in nomine Patris, ergo habuit nomen commune cum Patre, non illud proprium, nepe vt Pater esset, sic enim confusio personarum ferret; sed id nomen, quia Pater Deus est, si ergo nomen habet idem quod Pater, ergo & essentiam, & naturam. Et re vera hic est sensus legitimus. Venit enim, *In nomine Patris*, quod non tantum missus esse à Deo, vt Prophetæ missi sunt, significat, sed venisse tãquam filium Dei naturam eandem habentem, & nomen cum Patre, sicut & opera eadem; propterea non dicitur, missus sum à Deo, sed, *Veni in nomine Patris*, quod nemo Prophetarum, etiam eorum, qui à Deo missi sunt, de se protulit nec affirmavit. nec Arriani proterui hinc euadebant, quando dicebant, quia Patris auctoritate, & à Deo missus erat, id esse dictum; non tamen quod Deus esset idem cum Patre, quia responso non soluit argumeti efficaciam; plus enim est in nomine Patris venisse, maxime adiunctis etiam, quæ præcesserunt, Omnia, quæ facit Pater, facit & filius, venit enim cum eadem virtute, & potentia Patris. Eodem modo cum Athana. exponit Hilar. li. 9. de Trinit.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non queritis?

C O M M E N T A R I V S .

CA V S A M infidelitatis eorum aperit, eisq; tanquam sapientissimus & cle- mentissimus Medicus eam manifestat, cum quadam insimulatione, vt si fortè causa cognita, & aperta, resipiscant, & ad Medicum confugiant. Simile mihi hoc videtur ac si infirmus graui, & diuturna ægritudine laborans, multis, & efficacibus remedijs sanitatis acceptis, tamen adhuc à mala quadã consuetudine, quæ causa morbi est, nolens recedere in Medicum culpam rejiciat, & dicat, nullum hætenus remedium efficax adhibuisti, iam enim sanus essem si adhibuisses; contra quem Medicus iustè, & miseranter insurgat dicens; quomodo tu potes sanari, qui à praua hac consuetudine, à qua morbũ contraxisti, non recedis? ita nunc Dominus, quia incredulitatis causam Iudæi in corde suo in Christum reuocabant, quasi non crederent, quia se nondum Christum esse verum probauerat, nec vnde id credere possent, ostendit; propterea in eos inuehitur, postquam iam testimonia suæ veritatis narrauit, & eos arguit dicens, *Quomodo credere potestis, qui gloriam propriam queritis, non Dei? non ego sum in causa, qui efficacissima credendi iam adhibui argumeta, sed vos, qui ab ambitione vestra, quæ cæcitatibus vestræ causa est, nõ abstinetis.* Hic est sensus, & connexio verborum.

Adhuc

Adhuc tamen sunt verba explicanda. Gloriam ab inuicem accipere, est nomen sanctitatis & doctrinæ, ac virtutis ab hominibus querere: non tã studiosum, & doctum, & virtute præditum esse, quàm talem ab hominibus reputari; qui autem plus studet verè virtutem, & doctrinam amplecti, quàm ab hominibus talis videri, hic gloriam quæ à Deo est querit; nam apud Deum gloriam habet, qui talis est; non autem qui talis tãtum reputatur. plurius ergo isti faciebant tales ab inuicem haberi, quàm tales apud Deum esse; ideo dicti sunt accipere gloriam ab hominibus, & non querere gloriam, quæ est à Deo. Qui verè virtutem, & legis obseruantiam, & iustitiam habet, iste testimonium, & nomen suum habet ab ipso Deo, & propterea dicitur gloria hæc à Deo esse; quia Deus est, qui præclaram habet cognitionem de homine, quando verè iustus est, & qui auctor est veræ virtutis, & iustitiæ, cui non incumbentes, non querunt gloriam, quæ à Deo est. vno verbo sensus est, Hi plus apparere tales hominibus volebant, quàm verè, & coram Deo esse.

Sciendum est Iudæos videri voluisse sapientes, ac prudentes, & legis obseruatores apud alios: nimium autem opinionis suæ minui reputabãt, si à Christo discerent, & eius discipuli fierent, quem literas nunquam didicisse credebant: minus legis obseruatores ab alijs haberi timebant, si Christum sequerentur, qui legis rigorem seruare non videbatur: elegerunt ergo potius non credere, nec eum confiteri; idcirco ambitio excoecauit eos, & magno fuit impedimento, ne crederent, & ad Christum venirent: passiones enim animi vitiosæ, & affectus inordinati sæpè excoecant, & detinent mentem, ne veritatem noscat atq; etiam ne cognitã exterius profiteatur. Hil. 1. 9. de Trin. aliter hanc legit sententiam, nempe, *Quomodo potestis credere, qui honorem ab hominibus accipitis, & honorem eius, qui solus Deus est, non queritis?* & tunc sensus est; eos plurius fecisse gloriam, & honorem proprium, apud homines, quàm honorem Dei veri: id est, plus ipsos ab alijs honorari, quàm honorare Deum verum.

A N N O T A T I O X X X V I I I .

Quæ ratione ambitio, quæ in voluntate residet, fidem iuste dicitur impediat.

DV B I T A R E non immeritò aliquis posset, qua ratione, cum fides sit intellectus, ambitio autem voluntatis, impedimentum hæc esse possit credendi, & causa Iudæis his fuerit incredulitatis erga Christum. Sciendum; veritates, quibus per intellectum assentimus, in duplici esse differentia; quædam habent sufficientem sui ostensionem, aut probationem, & hæc sunt, quæ aut tam claræ, & evidentes sunt, vt per se pateant, quas Philosophi vocant propositiones per se notas; aut habent probationes, & argumenta, quæ necessariò concludunt, & conuincunt, quales sunt veritates scientiarum, quæ etiam si per se ipsas, & solè propostæ non innotescant intellectui, tamen si ratio, & argumentum accedat, ita fiunt manifestæ, vt intellectus repugnare non valeat: aliæ sunt veritates, quæ nec per se ita sunt notæ, vt intellectus per se solus valeat assentiri, nec habent probationes ita necessarias, vt intellectus dissentire non possit; tamen habent aliquam probationem inducentem, & inclinante intellectum ad assentiendum, & hæc sunt veritates, de quibus dicimur habere opinionem: eis enim assentimus, non quod necessariam probationem habeant; sed quod probatio sit rationabilis, & inductiua intellectus, sed non conuincens. In illis veritatibus prioribus intellectus non indiget auxilio voluntatis, nam siue homo velit, siue nolit, dissentire non valet: in posterioribus autem sæpè indiget auxi-

Alio voluntatis, quæ ipsamet inducat ad assensum, & suppleat, quod probationi deest. Hinc fit, vt quando bene affecti sumus erga aliquem, facilius credamus, quæ dicit, etiam si rationibus non ita urgentibus vtatur: quos autem odio habemus, non facile eorum dicta recipimus: quamuis rationes forsitan, & probationes urgentiores habeant, quando neutra sunt necessaria: nam voluntas inducit intellectum, vt illis assentiatur, nõ autem istis. Hæc omnia sunt ex Philosophia sumpta, nec est cur diffusius hæc tractemus, sed proposito nostro applicanda sunt.

Veritates fidei nostræ non sunt prioris generis: non enim sunt per se manifestæ, nec demonstrationibus, aut probationibus necessarijs fides procedit: quod Basil. hom. in Psalm. 115. docuit dicens: Fides non per rationales methodos, nec per Geometricas necessitates animum ad assensum trahit; sed per actionem virtutis. hæc Basil. Sunt ergo posterioris generis, non quod probationibus illis innitatur fides, sed quod non ita eius veritates pateant intellectui, vt nisi voluntas adiuet, solus ipse valeat assentiri. habet quidem fides probationes pro his, qui nondum credunt; tamen neque hæc necessaria sunt, sicut demonstrationes scientiarum: nec qui credunt, propter eas credunt, sed propter lumẽ fidei à Deo infusum intellectum inclinante ad assensum, ita vt non sufficiat, nisi voluntas concurrat simul, vt vclit homo credere:

Quid sit gloriam ab inuicem querere.

Ex ambitione cæcitas Iudæorum orta.

Veritates fidei quomodo à voluntate iuuentur.

deret: nec etiam probationes non credenti suffiunt; nisi adhuc intellectus illuminetur, & voluntas etiam accedat, quod non facit, nisi etiam adiuta à Deo. hac ratione fit, ut fides sit meritatoria, quia libertate non priuatur, cui dum credit, hominis voluntas innititur, iuxta illud 2. Corint. 10. Captiuantes intellectum in obsequium fidei. Captiuat voluntas intellectum, quia inducit, ut credat ea, quorum non habet necessariam probationem. Si igitur ita est, uti re vera est, vitia voluntatis & animi affectus multum possunt contra fidem: nam voluntatem auertunt ab affectu pio captiuante intellectum; idcirco quando vitia, & passiones contrariæ sunt ijs, quæ fidei sunt, impediunt ad recipiendam fidem, & impediunt ad receptam deserendam: quod exemplis simul, & auctoritate sanctorum illustrabimus.

Corrupti mo-
ves impediunt
fidem, & in
receptam ex-
cellunt.

Greg. Nise. Orat. 3. de resurrectione, Qui sibi, inquit, concilij sunt turpissimarum & foedissimarum actionum, quibus graues poenas meriti sunt, odio iudicij tollunt resurrectionem, & pro eo quod cupiunt & optant, varias cogitationes sibi fingunt. hac Grego. Vides hos nolentes credere corporum resurrectionem (viuebant enim pessime) timentesque iudicij seueritatem in resurrectione, idcirco inducti sunt ut potius non crederent resurrectionem, ut à timore se liberarent, & licenter vitijs indulgerent. Aug. l. 21. Ciui. c. 18. nonnullos dicit eternitatem poenarum inferni negasse, ut suis perditis moribus hanc polliceantur impunitatem. Ambr. lib. 1. de poenit. ca. 15. Nouatianum amissi Episcopatus dolore ab Ecclesia discessisse refert Chryl. hom. 7. in Ioã. Paulum Samosatensem amore foemina cuiusdam à fide apostatasse dicit; quod permultis nostri temporis hæreticis euenit: vitijs enim carnis tracti à fide Catholica recesserunt, ut sibi licere carnis indulgentiam, quam concupiebant, persuaderent, quam Catholica fides damnabat. Greg. lib. 20. Mora. cap. 12. Auaritiam aliquos retinere dicit, ne ad fidem conuertantur. quod hodie etiam experimur: malunt enim multi in suis hæresibus hære, quàm ad veritatem Catholicam reuertuntur, Ecclesiarum bona temporalia, quæ iniquè rapuerunt, restituere. Vitia enim detinent intellectum in errore sibi conformi, & à con-

traria auertunt veritate. Hoc etiam fuit, quod olim idololatrias homines fecit, & in idololatrias retinuit, quod Athanas. in orat. contra Idololatrias docuit. & Greg. Nazian. in orat. ad Nestesium, cuius hæc sunt verba, Stulti idololatri cultores, qui hoc vitijs vestris subsidium excogitastis, ut flagitiosos, mendaces, sicarios, versutos, & flexuosos, periuros, raptos, cincedos, adulteros, prædicones vobis deos fingeretis; nec eo contenti, vitijs etiam ipsi sacra instituitis. alios nimirum atque alios alijs, alijsque sceleribus flagitijque nobiles, & præpotentes diuinis honoribus afficientes; ex quo illud efficitur, ut non solum impunitum maneat quoduis crimen, sed etiam laudabile, atque honestum habeatur velut Deo, qui id coluit. gratum & iucundum. hæc Grego. quorum magna pars in nostri temporis hæreticis vera esse cernitur, quod maxime dolendum est. Sexcenta sunt huiusmodi testimonia, sed proditorum declaratione, & confirmatione hæc sufficient.

Facile est ex his soluere propositam difficultatem. est quidem intellectus credere, sed cum lumen fidei non adeo veritates credendas manifestet, & earum probationes non ita sint necessariae, ut intellectum conuincant. sicut à scientificis demonstrationibus conuincitur, fit, ut voluntatis actus ipsius, inquam, electio sit ad fidem necessaria, quam nec ipsa voluntas habet sine auxilio gratiæ. Vitia ergo, & passiones exorbitatis voluntatis, auertunt; & impediunt intellectum à veritate. Videbatur istis Iudæis, si Christum admitteret, fore, ut eo in precio non haberentur; in quo prius habebantur: non etiam eam doctrinæ & sanctitatis opinionem conseruaturus, quam sibi apud vulgus comparauerant, & quamuis verè decepti hoc essent, tamen ita sibi persuaserant. propterea noluerunt fidem habere Christo, malentes sibi persuadere Christum non esse, ne sibi id persuasi, quæ cupiebant, amitterent. Ambitio ergo eorum, & vana gloria detinuit intellectum, ne tantæ doctrinæ, tantis Christi probationibus assensum præberet. Fecit hoc idem auaritia, ne scilicet lucra, quæ ex oblationibus adueniebant ipsis, amitterent, ut in parabola vineæ Matth. 21. ostenditur, tamen hoc in loco ambitionis mentio facta est.

Ex diffi-
cultate
respondet.

Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

COMMENTARIUS.

ABSTVLIT Christus hætenus Iudæis defensionem vnam, qua se tuebantur, ne ipsi crederent; & ut ipsum persequerentur, nempe zelum Dei, & dilectionem eius: ostenditque dilectionem Dei non esse in eis, nec ad hanc eos posse confugere; sed potius ambitionem, & humanæ gloriæ cupiditatem causam esse, quam diuinæ dilectioni anteferebant. nunc alteram remouet defensionem, conuertitque in ipsos; tuebantur enim se Moysè, quasi eius præcepta, & verba obseruarent, eaque causa Christo contradicerent. Contra hanc eorundem defensionem dicit Dominus; ne putetis me accusaturum vos apud patrem, quasi mihi soli increduli fueritis: nam Moyses ipse, quæ vos tuemini, in quo speratis, ipse vos accusat iã tanquàm eos, qui etiã ipsi sitis increduli, & infideles: nõ ergo

ergo est, quod vos Moysè tueamini. Phrasis est frequens, non quod accusaturus non sit; sed quod non solus, sed cum Moysè. Mar. 9. Quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me; id est, nõ me solum suscipit, sed etiam eum, qui misit me. & Matth. 10. Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. & 1. Corint. 13. Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum; id est, non soli vos estis, qui loquimini, non ego solus laboraui, sed gratia simul. Et habet verbum præsens energiam, *Accusat*, quasi iam ipse vos accusat. Accusare Moysen non est aliud, quàm peccatum Iudæorum, quod incredulitate contra Moysen commiserunt, eos dignos damnatione coram Dei iudicio facere. Hac etiam ratione Christus accusabit malos, quia peccata contra fidem, & legem Christi, eos dignos damnatione facient; non autem dicuntur accusare, quasi peccata ad iudicem deferant, ut solet in humanis fieri accusationibus.

Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

CVR Moyses eos accuset, explicat. quia Moysi non habebant fidem, & simul hoc exponit, & probat, quasi dicat, Moysi non creditis, quod eo argumento probo; quia si ei crederetis, mihi etiam fidem adhiberetis; nam ille de me scripsit. Si igitur mihi non creditis, de quo ille scripsit, iam scriptis, & verbis eius increduli estis, & hac ratione vos accusat Moyses. illud, *Forsitan*, Græcis est frequens particula expletiva, & vim potius affirmandi habet, ut aliàs diximus; propterea multi antiqui Doctores sine tali particula hanc legunt sententiam, nempe Irenæus lib. 4. cap. 3. & Cyprianus lib. 1. contra Iudæos cap. 18. & August. hom. 45. de Verbis Domini.

ANNOTATIO XXXIX

Expenditur
sensu
vniuersum
verborum.

Deuter. 18.

MOYSES scripsisse dicitur non obiter, & præter propositum, sed magno consilio, & ex suscepti operis præcipuo instituto. Augustin. libr. 16. cont. Faust. capi. 22. dicit omnia propter Christum Moysen scripsisse, propterea que non esse dictum. Et de me ille scripsit, sed *De me ille scripsit*: nihil enim scripsit, quod non ratione Christi scriptum sit. Multa de Christo Moyses scripsit in Pentateucho, tamen locus vnus, quem sacri Doctores interpretantur à Christo esse nunc intellectum, est ille Deute. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum. ita Cyprian. lib. 1. con. Iudæ. cap. 18. Ambros. ad Colos. 1. & August. libr. 16. cont. Faust. cap. 22. & Cyrill. libr. 3. capi. 9. affirmant, quem locum diffusè Cyrillus discutit; tamen ita hoc intellige, ut simul etiam alia om-

nia non prætermittentur. Irenæus lib. 4. cap. 3. exponit; *Si crederetis*, inquit, *illi, & mihi crederetis*, quia, inquit, sermones illius mei sunt. sed magis ad sensum est, si exponamus, sicut ipsemet Dominus exposuit, quia de Christo scripsit. Sunt quidem sermones Moysi, sermones Dei, & filij Dei, qui per eum loquebatur; sed sunt etiam sermones de verbo & Christo, quia de eo dicti sunt; & hoc est, quod nunc dicitur. nam verba illa, *De me enim scripsit*, causam explicant, cur, si crederent illi, crederent etiam Christo; non autem satis erat sermones fuisse Dei, & Christi tanquam loquentis per Moysen. nisi etiam sermones tractarent de eodem Christo, ut per eos credere Iudæi in Christum possent.

Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

COMMENTARIUS.

CONcludit causam incredulitatis erga Christum, quia Moysi non credebant. Si, inquit, Moysi scriptis non creditis, nec meis verbis credetis. Argumentum est à maiori negatiuè, non absolutè. sed secundum opinionem illorum. illi enim pluris faciebant Moysen, quàm Christum, si ergo Moysi quem tanti faciebant, & tamen scriptis eius tam antiquis, & tanta veneratione habitis, fidem non habebant; nec Christo, nec verbis eius nouis, quem parui faciebant, fidem habere poterant. Moysi, & scriptis permanentibus & antiquis verba noua, quæ transeunt, & se, qui minoris habebatur opponit.

Iudeorum de-
fensiones e-
uerit Domi-
ni.

AT T E N D E egregium Domini in hoc colloquio artificium; aufert enim duas eorum defensiones, utrisque veras causas infidelitatis eorum annectendo; nam defendere se poterant zelo, & dilectione Dei; huic opposuit, Dilectionem Dei non habetis in vobis: non est ergo hæc causa cur non credatis mihi; sed potius causa est ambitio vestra contra Dei dilectionem. Iterum defendere se poterant legis Mosaicæ obferuantia, cæterum opponit dicens, Moysem accusaturum eos; non ergo est hæc causa, sed potius contraria, quia Moyse non crederent: eorum igitur ambitio, & incredulitas verbis Moyse, eiusque scripturæ, causa erant, cur Christo non crederent. Et vltima respondent principio: Accusabant ut legis

Mosaicæ transgressorem, quod Sabbatum non custodiret; concludit autem Dominus eos esse transgressores, & incredulos legi, & Moyse. hic est sensus. Sed dubium est, quomodo hi Iudæi Moyse scriptis non credidisse dicantur. Respondeo non esse hoc intelligendum, quasi cognoscerent Christum esse illum eundem, de quo Moyse locutus erat, & non reciperent, eò quod putarent Moysem non vera locutum; sed dicuntur non credere Moyse, quia poterunt facile ex illius scriptis illum verum esse Christum cognoscere, & noluerunt attendere, odio contra Christum & malitia impediti. hac ratione igitur dicuntur non credidisse Moyse. Ignorantia enim nimis crassa, immò affectata à peccato infidelitatis non separatur.

C A P V T S E X T V M.



DOST hæc abiit IESVS trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur: Subiit ergo in montem IESVS: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudeorum. Cum subleuasset ergo oculos IESVS, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo IESVS, Facite homines discumbere. Erat autem fennum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo IESVS panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines, cum vidisset quod IESVS fecerat signum, dicebant, Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. IESVS ergo cum cognouisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebra iam facta erant: & non venerat ad eos IESVS: Mare autem vento magno flante exurgebat. Cum remigassent ergo, quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident iesum ambulans super mare, & proximum nauis fieri: & timuerunt. Ille autem dicit eis, Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. Altera die turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, &

vna, & quia non introisset cum discipulis suis IESVS in nauim, sed soli discipuli eius abissent: alia vero sepe ruenerunt naues à Tyberia de iuxta locum, ubi manducauerant panem, gratias agentes Deo. Cum ergo vidisset turba, quia IESVS non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum, quærentes iesum. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando hæc venisti? Respondit eis IESVS, & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit IESVS, & dixit eis, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit. Dixerunt ergo ei, Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis IESVS: Amen amen dico vobis, non Moyse dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis IESVS: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est enim voluntas eius, qui misit me Patris; ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: & dicebant, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi? Respondit ergo IESVS, & dixit eis: Nolite murmurare inuicem: nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis IESVS, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem IESVS apud semetipsum, quia

murmura-

murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio IESVS, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Ex hoc, multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant, Dixit ergo IESVS ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ aeternæ habes: & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Respondit eis Iesus, Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem. hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis.

COMMENTARIUS.

DESCRIBIT Ioannes miraculum Christi, & sermonem miraculi occasione habitum. Miraculum alij Euangelistæ narrarunt, sermonem verò omiserunt; eaque ratione à Ioanne narrantus suscipitur, cuius præcipuum institutum est verba ipsius Christi describere, quæ cæteri Euangelistæ siluerunt; quod si miraculum ab alijs narratum, quod moris eius non est, repetit, id propter sermonem factum est, ut dicit Chryl. hom. 41. occasione enim miraculi sermonem hunc insignem habuit Dominus. Adde etiam hoc miraculum, ipsius sermonis sensum valde illustrare, ut in sequentibus constabit, quamquam etiam in eo narrando, quæ alij omiserunt, enuntiat. Tempora ergo distinguens, inquit, *Post hæc*, quæ in capite superiori facta sunt, *Abiit Iesus trans mare Galilææ*, quod alio nomine dicitur, mare, *Tyberiadis*.

Quando et quo hæc facta sint.

Quando, *Post hæc* dicitur, non oportet intelligere, quæ in hoc capite narrantur continuò esse facta post languidi sanationem: nam hæc, uti iam diximus, in Hierusalem fuit facta tempore Paschatis, aut secundum Cyrillum tempore pentecostes, at hoc miraculum, uti Ioannes paulo post docet, gestum est prope sequens Pascha: multi ergo intercesserunt mentes inter miraculum superius, & hoc, quod modò refertur: quo tempore multa miracula fecit Dominus in Galilæa; sermonemque habuit illum celebrem in monte; duodecim elegit Apostolos; Ioannes occisus est; fama miraculorum Christi ad Herodem peruenit: denique ea omnia gesta sunt, quæ narrant Euangelistæ vsque ad miraculum quinque panum, cuius Matthæus capite 14. Marcus capite 6. Lucas capite 9. meminerunt, quæ noster Euangelista, ut pote diligenter ab alijs relata prætermisit, verba, & sermones Christi præcipuè memoriæ tradere, conatus. Sic ergo intelligendæ sunt particulæ, *Post hæc*, *Abiisse autem dicit Ioannes*, sed qua occasione abierit

filet, at

*filet, at alij Euangelistæ expresserunt; nam Matth. 14. dicitur occiso Ioanne Baptista audisse Herodem famam Iesu, & dixisse pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis. cum autem hoc audisset Dominus, secessit cum discipulis suis in desertum locum Bethsaida, quod Ioannes nunc dicit, *Abiit trans mare Galilææ*. Quamuis autem Matthæus post prædicta verba describat occisionem Ioannis, non narrat eam, quasi tunc, sed iam multò ante factam: sicuti etiam alij Euangelistæ: quando ergo dicit Dominum audisse hæc, & secessisse, referendum est, ut tunc secesserit, quando nouit Herodem miraculorum eius habuisse notitiam, & quæsiuisse videre eum. nisi dicamus, quod quamuis mors Ioannis multò ante acciderit, quàm fama miraculorū Christi ad Herodem peruenisset, tamen utrūque simul relatum est Christo, nempe & Ioann. occisum, & Herodem famam Christi audisse, ut sentit Euthym. Matth. 14. & Beda Marc. 6. & Luc. 9. abiit ergo sæuitiæ tyranni cedens, hominem se in hoc verum demonstrans. Marcus cap. 6. aliam etiam expressit causam, nempe, ut pusillum cum discipulis quiesceret, venientibus enim discipulis ex prædicatione, & narrantibus quæ egerant, dixit, Venite in desertum locum, & quiescite pusillum: erant enim, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant, hæc Marcus. Mare Galilææ est, quod alio nomine dicitur Tyberiadis, à ciuitate celebri ad littus eius adiacente, & etiã alio nomine dicitur lacus Genezareth. Cætera in annotatione require.*

ANNOTATIO I.

Christum his panes multiplicauit, ut urbas satia ret.

Miraculum hoc quando factum fuerit.

BIS Dominus miraculum multiplicationis panum fecit; Primò quidem, quando Ioannes narrat, & hoc idem descriperunt, Matthæus cap. 14. Marcus ca. 6. Lucas cap. 9. ita docent August. tract. 24. Chrylost. hom. 41. & est consensus communis. Secundò, quando ex se ptem panibus & paucis pisciculis turbas refecit, & hoc posterius gestum est, cuius solùm Matthæus cap. 15. & Marc. cap. 8. meminerunt. ad prius ergo reuertamur, quod nunc describitur. August. lib. 2. de consen. Euang. cap. 45. & Chrylost. hom. 59. in Matt. & Hieronymus Matth. 14. hoc miraculum post cædem Ioannis ab Herode factum putant; nam Matth. 14. dicitur; Postquam occisus est Ioannes, accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt, & venientes nunciauerunt Iesu, quòd cum audisset Iesus, secessit in nauicula in desertum locum: tamen hæc sententia habet magnam difficultatem: nam cum constet ex Ioanne miraculum hoc prope Pascha celebratum, consequeretur, mortem Ioannis factam esse illo ipso tempore, cuius contrarium Ecclesia celebrat; nam mense Augusti decolatio Ioannis peragitur, quod si attentè Marcum c. 6. & Lucam cap. 9. legimus non est difficile inuenire, non eo tempore Dominum abiisse in locum, vbi hoc fecit miraculum: nam narrat Dominum Apostolos ad prædicandum misisse, & eodem tempore Herodem famam Iesu audientem dixisse; Ioannes Baptista surrexit à mortuis; & cum hæc narrasset, statim tractat, & describit Ioannis cædem. Apertum est autem non narrasse, ut id temporis factam; nam prius dixerat Herodes, Ioannem surrexisse à mortuis, ergo antequam Herodes hoc protulisset, iam erat Ioannes occisus. Narrat ergo historiam cædis velut ex occasione quadam, non quod tunc facta esset; continuans autem historiam dicit, reuersos esse Apostolos,

A & narrasse omnia, quæ egerant, & docuerant, tunc ait Dominus, Venite seorsum in desertum locum. Ex his manifestum profectò est, hoc miraculum factum post missionem Apostolorum, & Apostolos missos fuisse etiam post Ioannis occisionem; antequam ad Herodem fama Christi perueniret. Hoc autem medio tempore, dum Apostoli mittuntur, Herodes audiuit Christi famam: reuersis igitur Apostolis, & renunciato ad Christum, quod Herodes dixerat de illo; abiit cum discipulis in desertum. Ex Marco igitur, & Luca apertè deducemus historiam occisionis Ioannis narratam, non ut tunc factam nam prius Herodem de Christo pronunciaffe referunt, Surrexit Ioannes à mortuis. Erat ergo iam occisus Ioannes; sed verborum illorum occasione historiam multo ante gestam narrat: quando ergo dicit Matthæus discipulos Ioannis, postquam sepelierunt eum, venisse, & nunciaffe Iesu, & cum audisset Iesus, secessisse in locum desertum, intelligere oportet, cum Euthymio, uti diximus in commentario, non tunc venisse, cum primò sepelierunt; sed post aliquod tempus, & simul Christo & occisionem, & verba Herodis multò post cædem de Christo prolata renunciaffe. Dici etiam potest verbum illud Matthæi (quod cum audisset) referendum esse ad historiam præcipuè institutam; nempe cum audisset, quæ Herodes dixerat, audiens famam eius, non autem ad ea, quæ narrarunt discipuli de morte Ioannis: ex Marco enim, & Luca, & Ecclesiæ traditione in festi celebritate, habemus non continuo post Ioannis occisionem hoc miraculum fuisse.

ANNOTATIO II.

CVM Ioannes noster Christum trans mare Galilææ abiisse dicat, vbi peractum esse

Quomodo co-
cordes sint
Euangelista
circa banc
Domini pro-
fectionem.

Quod sit
quale mare
Galilææ.

Bethsaida si-
tu.

esse miraculum hoc narrat, difficultas ex alijs
oritur Euangelistis: Nam Matthæus cap. 14. &
Marcus cap. 6. in desertum locum abiisse di-
cunt. Nec hoc tantam facit difficultatem,
quantam Lucæ testimonium, qui cap. 9. re-
fert abiisse in locum desertum, qui est Bethsai-
da: at Bethsaida est circa mare, seu lacum, ve-
nientibus è Iudæa sita; qua igitur ratione di-
citur Christus abiisse trans mare, vbi celebra-
tum est miraculum istud? immò inter Mar-
cum & Lucam videtur quædam repugnantia:
nam secundum Lucam dicitur abiisse in lo-
cum desertum Bethsaidæ, vbi miraculum fecit;
at secundum Marcum completo miraculo
coëgit discipulos, vt ascenderent nauiculam,
& præcederent eum trans fretum ad Bethsai-
dam.

Pro huius difficultatis resolutione, sunt
nonnulla consideranda. Primum est mare Ga-
lilææ esse lacum quandam iuxta regionem Ga-
lilææ, per quam transit Iordanis fluuius, qui
terræ sanctæ orientalis est terminus, habetque
secundum Iosephum libr. 3. de bello Iudaico
ca. 18. centum stadiorum longitudinem, qua-
draginta latitudinem; quamuis Aegæsius
libr. 5. cap. 26. longitudinem centum quadra-
ginta stadiorum esse affirmet: octo autem sta-
dia miliare Italicum efficiunt. Dicitur au-
tè Mare iuxta Hebræorum morem, qui con-
gregationes aquarum siue salis, siue dulces
sint, vocant mare; quod annotauit Hieron. in
tradit. Hebra. in Gen. in principio, & ex Gen.
1. habetur, Congregationes, inquit, aquarum
appellauit maria. Nomina diuersa habet à lo-
cis prope ripam sitis; dicitur enim mare Ga-
lilææ, quia iuxta regionem hanc lacus iste est;
Tyberiadis verò, à ciuitate celebri in princi-
pio eius sita. hæc olim, vt dicit Hier. Ezech. 47.
dicta est Chinereth, siue Chineroth, quæ Io-
sue 19. vocatur Chenareth, vnde etiam mare
Chrineret dicitur, Num. 34. & Iosu. 11. sed de-
structam, Herodes in honorem Tyberij Cæsaris
reparauit, & nomen imposuit Tyberiadis.
dicitur etiam stagnum Genezareth, siue Ge-
nesar, à terra quadam continente sic appella-
ta; quæ ad littus eius adiacet, cuius regionis
latitudo est viginti stadiorum, & longitudo
triginta secundum Iosephum loco allegato,
in qua regione ipse Iosephus Capharnaum si-
tam asserit; nam à fontis nomine ciuitas sic
appellata, ex quo fit vt Chinereth nõ sit idem,
quod Genesar, seu Genezareth, cum hoc sit
regionis nomen, illud autem Ciuitatis, vt ex
Hieronymo diximus. Nisi etiam dicere veli-
mus Tyberiadem non esse eandem, quæ olim
dicebatur Chinereth, esseque nomen regio-
nis idem cum Genesar, seu nomen esse vrbis,
& regionis citra lacum ad littus Galilææ.

Alterum annotandum est, Bethsaidam, quæ
erat Apostolorum patria, sitam esse inter Ty-
beriadem, & Capharnaum: erat autem Caphar-
naum in fine lacus ad ripam citra ipsum lacum
venientibus à Iudæa & Galilæa; non enim ne-
cessarium his erat transfretare, vt venirent
Capharnaum, sed ad ripam regionis Galilææ
sita erat. In lacus autem principio erat Tybe-

rias ex opposita parte, ita tamen, vt propter
curuitatem, & sinum quendam lacus, iter bre-
uius, & commodius esset nauigatio, sed non
necessaria: nam ascendendo per ripam iter
terrestre confici poterat ad Tyberiadem ve-
nientibus ex Iudæa, & Galilæa, quamuis Ior-
danis fluuius per pontem transiri debuerit.
Inter Tyberiadem ergo, & Capharnaum, in
sinu & curuitate hac erat Bethsaida ciuitas
Apostolorum, non multum à Capharnaum
distans. Aliqui recentiorum alteram Bethsai-
dam ex aduersa parte lacus dicunt, hancque
esse, quam Philippus Tetrarcha in vrbis spe-
ciem ampliauit, nomenque Iuliadis à Iulia
filia Cæsaris nuncupauit, vt refert Iosephus
lib. 18. Antiqu. cap. 3. & eius meminit Plinius
libr. 5. cap. 15. & hac distinctione Euangeli-
starum loca in concordiam adducunt, vt Lu-
cas de Bethsaida ultra lacum meminert, in
cuius desertum abiit Iesus, & miraculum fecit,
& huius deserti mentionem faciant Matthæus,
& Lucas; at miraculo facto iterum transfreta-
se in Bethsaidam dicatur, nempe eam, quæ A-
postolorum patria erat. Sed quia apud anti-
quos, & graues auctores non inuenitur hæc
distinctio Bethsaidæ, non probo hanc respon-
sionem; & quamuis esset vera distinctio, non
satisfacit propositis difficultatibus: aliter res-
pondent nonnulli nostro sæculo, sed vera & le-
gitima responsio hæc est, quam peritus loco-
rum facillè acceptabit.

Antequam igitur perueniatur Tyberiadem, Vera diff.
est Capharnaum: proficiscentibus autem erat
ad ripam Bethsaida Apostolorum patria, & su-
perius versus Tyberiadem antequam ad eam,
& ad pontem Iordanis perueniretur, erat lo-
cus desertus Bethsaidæ. huc Dominus nauigauit:
nam quamuis pedes venire potuisset, tamen
commodior erat, & breuior via nauigio propter
curuitatem, & sinum stagni. & ascendit ad
locum desertum relicta Bethsaidam, cuius locus
ille erat inter Bethsaidam, & Tyberiadem situs,
et ibi miraculum perfectum est; eoque peracto
iussit discipulos transfretare versus Bethsaidam
ipsam, ipse autem in eo loco mansit. poterat
quidem iter confici pedibus, sed propter sinum,
vt diximus, erat facillior via per aquam. Et hac
ratione concordia multorum habetur: nam Apostoli
facillè relicto Domino abierunt: existimârunt
enim peditem venire voluisse, quia non multum
distabat: turba etiam sequi eum pedibus potuit,
quia via patebat & terra, & aqua, & hinc
patet intelligentia huius loci. Quando enim
Ioanes dixit, Abiit trans mare, illa dictio, Trans,
nõ significat ripam oppositam stagno, sed ripam
ex eadè parte; tamen sinu interiacente stagni,
ad quem per aquam transitus facilis erat: patet
etiam intelligentia Luc. 9. non enim dicitur,
In desertum qui est Bethsaida, sed qui est
Bethsaidæ, ad eam enim ciuitatem pertinebat,
sicut loca vrbium circumuicina: nec erat ex
opposita parte ripæ supra Tyberiadem; hac
enim ratione turbæ sequi pedibus non possent,
longumque esset iter, adeo vt vix, quæ
Euangelistæ dicunt, fieri possent: patet etiam
ratio

ratio, quare Ioannes dicat nunc mare Galilææ,
quod est Tyberiadis; nempe vt insinuet
locum miraculi, qui fuit supra Bethsaidam
patriam Apostolorum in deserto loco ver-

A sus Tyberiadem, in quem nauicula peruenit
Christus, propter sinum, & veluti dor-
sum lacus, quod transfretasse di-
citur.

Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant sig-
na, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.

C O M M E N T A R I V S.

Narraturus Euangelista miraculum, quo magna hominum multitudo
ning; panibus satiata est: qua ratione hæc multitudo, & vnde cõuen-
rit præmittit; ne si nulla mentio fieret vnde hæc tanta multitudo in deserto
comparuerit, aliquis hæsitaret: simul etiã causam adiungit, quæ tantã mul-
titudinem in desertum locum, Christum sequi permouerit. Videbant, enim,
signa, quæ faciebat super ijs, qui infirmabantur, hac de causa ex oppidis circum-
uicinis multi ad eum confluebant, pars vt sanaretur à suis infirmitatibus,
pars vt infirmos, & ægrotos ipsos deferret; pars etiam, vt credi facillè potest,
vt viderent mira opera Christi. Vtilitate enim corporis magis, quàm animæ
ista multitudo concurrebat; quod Euangelista non dissimulauit, causam
multitudinis congregatæ exprimens.

A N N O T A T I O I I I.

Christi mira-
acula, tribus
de causis, in
utilitate ho-
minum facta.

ATTENDE omnia miracula Christi in tol-
lendis humanis miserijs, & morbis de-
pellendis fere gesta esse, quod optimo consi-
lio factum est, cuius tres possumus assignare
causas: vna est ratione fidei conciliandæ, vt
enim in 38. annotatione præcedentis capituli
diximus, fides non solum ex intellectu, sed ex
voluntate etiam pendet; cum enim necessariis
non habeat demonstrationes, opus est volun-
tatis affectu intellectum inclinantis ad assen-
sum; in fidei ergo prædicatione necesse est, &
intellectum illustrare docendo, & volunta-
tem efficere inducèdo: multum autem ad hoc
prodest utilitas propria addiscentis, & audi-
tis: facile enim persuademus ijs, quod bene-
uolos habemus, beneuoli autem beneficijs fi-
unt. hac igitur ratione Dominus noster bene-
ficijs, quorum ea magna sunt quæ ad vitam, &
sanitatem conducunt, attrahebat eorum affe-
ctum, vt verbum doctrinæ facillius intellectu

imprimeret. Altera huius causa est, vt finem
sui aduentus sensibilibus effectibus ostende-
ret: venerat n. è cælo animæ morbos, & mor-
tem peccati expellere: idcirco sanandis cor-
porum ægrotudinibus, & mortuis suscitandis
id significauit; vt Medicus animorum, tam in
signis & nouus corporum Medicus, esse cog-
nosceretur: præterea corpora etiam suo tamen
tempore, nempe vltima resurrectione perfe-
cturus erat, velut ergo quoddam signum eius,
quod futurum erat, hæc miracula præmisit.
Tertia causa est, vt principium aduentus sui, &
iam mundo manifestaret: non enim ex iusti-
tia, sed ex summa misericordia venerat redi-
mere, propterea eam misericordiam his exte-
rioribus operibus explicabat. at Iudæi esse-
ctum misericordie considerantes, nec oculos
mentis ad potentiam sanantis, vt diuinitatem
eius crederent, attollentes, hac utilitate sola
exteriori permoti, ipsum sequebantur.

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum dis-
cipulis suis.

C O M M E N T A R I V S.

Mittit Euangelista, quod alij narrant, Matth. 14. & Mar. 6. ascenderunt in
nauiculam ipse cum discipulis, & abierunt in locum desertum seorsum,
& viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ci-
uitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Ex annotatione secunda fa-
cillè intelligitur, qua ratione potuerit illa multitudo pedestris cõcurrere ad
locum, in quæ Iesus transfretauerat: nam transfretatio, erat non totius latu-
dinis lacus, sed sinus cuiusdam. Illi ergo pedites peruenerunt, immò præuene-
runt; nauicula enim non multum itineris cõficebat, quia forsitan nec ventus se-
cundus erat, nec multum remigando laborabant, vnde illi potuerunt puenire,
si non oēs, saltem magna pars. Dominus autem è nauicula egressus, montem
cum discipulis ascendit, adhuc multitudine conflente. Notanda est illa par-
ticula

ticula illatiua, Ergo, insinuat Ioannes causam, cur montem ascēderit. Cū enim multa turba præuenisset eum, essetq; in loco, vbi è nauī descendit, & adhuc multi confluerēt: vt paululum cum discipulis quiesceret. & reliquā turbam venientem expectaret, sanaturus ægrotos, & eos oēs cibaturus; mōtem hac de causa solus cum discipulis ascendit. Ex hoc loco etiam probari potest Dominum non trās fretasse in oppositā stagni ripam: sic enim nō potuissent illi, qui ipsum sequebantur, quando nauim ascendit, maximè cum multi infirmi essent, illo eodem die peruenire ad locum, in quē Dominus transfretauit: poterant quidem pedestres eum sequi, & ad Tyberiadem peruenire, vbi per pontem Iordanis transitus patebat; sed non tam breui spatio temporis id fieret, præsertim tanta multitudine existente, & vti diximus, infirmis multis, quibus non ita citò transcurrere facile erat: locus igitur erat citra Tyberiadem.

Erat autem proximum Pascha dies festus Iudaorum.

TEMPVS describit miraculi edēdi, nempe prope Pascha Iudaorum, festū celeberrimum. Vides ex hoc loco Ioannem annū fere integrum silētio præterisse: nam historia de languido tempore Paschatis gesta fuit, vti diximus, modò autem sequens pascha proximū esse dicitur. hoc anno multa gesta sunt à Christo, quæ alij narrarunt Euangelistæ: est autem hoc pascha tertijanni prædicationis Christi, hoc enim miraculū gestū est instāte iā anno tertio, & est hoc pascha secundum à celebratione nuptiarum; vnde probabile est, quod August. sermo. 1. de Epiphania dixit, Hoc miraculum panū esse celebratum eodem die, quo nuptiæ, sed non eodem anno. Cyril. 1.3. ca. 11. existimat hoc festum esse tabernaculorum dictum scenophegia, quod mense Septembri celebrabatur; sed huic opinioni duo obstant; Vnum est verbum Euangelistæ expressum; dicit enim Pascha fuisse proximū, quod nulla ratione illi festo valet accommodari. Cyrillus quidem non legit Pascha, propter ea verisimile est eam asseruisse sententiā: tamē omnes alij Doctores, & Græci, & Latini codices id legūt; qua lectiōne admissa sententia Cyrilli sustineri non potest. Alterum est, quia cū ipse historiam languidi tempore pente costes gestam affirmet, immò etiam si Paschate fuisset facta, tam breue tempus erat ad festum tabernaculorum, vt non possent ea esse gesta, quæ alij narant Euangelistæ.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum.

MULTA præmittit Ioannes, quæ alij Euangelistæ referūt: Primò Matthæus, & Marcus dicunt exiisse, id est, à montis secreto ad turbas vidēdas prodijisse. Secundò addunt tactum esse misericordiæ affectu. Tertio causam Marcus assignat, quia erant velut oues non habentes pastorem. Quarto dicit Lucas illum excepisse eos placidè, & humaniter obuiam processisse. Quintò Marc⁹ refert, cœpisse eos docere multa. Sextò addit Lucas de regno Dei. Septimò Matthæus, & Lucas addunt ægrotos, & qui curatione indigebant, sanasse. Octauò secundum Matthæum, & Marcum; Erat hora tarda, & dies inclinabat, accesseruntque discipuli dicentes, dimitte illos, vt euntes in vicos, & villas proximas emant cibos sibi; quos manducēt. Nonò secundum Matthæum, & Marcum, dicit Iesus, date illis vos manducare. Decimò secundum Marcum respondent, Euntes ememus panes ducentis denarijs, & dabimus eis. Vndecimò, quod Ioannes nunc refert; *Cum subleuasset oculos, et vidisset maximam multitudinem, ad Philippum conuersus ipsum interrogat; iā enim dōcuerat, iam miracula ediderat, infirmos sanauerat, nunc animū ad corporalē refectiōnem illorum applicans, oculos subleuat, vt multitudinē cibandam maximam videat, non solis corporeis oculis, sed etiam interiori*

bus ad

bus ad miserendum. Illa particula Ergo, insinuat causam præcedentem ab alijs narratam Euangelistis: tractārat enim iam cum discipulis de cibo præbēdo, responderant discipuli maximam esse multitudinē, vt ducētorum denariorum precio cib⁹ illis, pro vel singulis modicus cōparari non posset; iamq; vt inquirerent, quot panes ibi essent, iusserat; hac de causa subleuāt oculos, multitudinem cōtemplans, vt ei prouideat: & nota verba, *Multitudo maxima venit ad eum*, dignum censuit ijs consulere, qui ad illum venerant; quamuis enim propria traxerit eos utilitas, tamen animo beneuolo ad eum conuenerant, nec tam in horum merito, quā benignitate, & misericordia sua propria inducebatur ad subueniendum.

Vnde ememus panes, vt manducent hi?

AD Philippum conuersus interrogat, qua ratione comparari pecuniæ possint ad cibos emendos pro multitudine cibanda. Hic est sensus, *Vnde ememus*, id est, qua via pecunias, seu pretium inueniemus, quo cibos emamus? Percontabitur aliquis, quare ad Philippū potius, quā ad alios cōuersus est, vt hoc interroget? Pro cuius intelligentia sciendum, Dominū, vt paulo ante ex alijs Euangelistis retulimus, cum alijs etiam discipulis hoc idem tractasse; nam dixit, Date vos illis manducare. Rursus iussit, vt quot panes haberēt, inquirerent, quod totum optimo est factum consilio; erant enim discipuli soliti de victu, & vestitu, cū pauperes essent, nec haberēt vnde sibi id cōpararent, nisi ex eleēmosynis, & plus nimio huic curæ indulgebāt, minūsq; Christi prouidentie & potentie, quā par erat confidebant. Proponit igitur Dominus hoc miraculo præter alia eos abstrahere ab hac solitudine nimia, & inducere, vt se committerent diuinæ eius prouidentie, & virtuti; solitudine enim hæc ex modica eorum fide procedebat. Vt igitur hoc perficiat, iubet eos inquirere, quot panes habeant, & vt ipsi dent manducare; vt hac ratione cognoscentes se nihil habere, non solum, quod pro tanta multitudine, sed nec etiam quod sibi ipsis satiandis sufficeret, & postea experientes diuinam eius virtutem, ipsius postea fidant prouidentie, & nimiam solitudinem deponant. Hoc ita esse indicant verba Matth. cap. 16. Quid inquit, cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? nondum intelligitis neque recordamini quinque panum, & quinque millium hominum, & quot cophinos sumpsistis? Ex his facile est respondere, cur nunc ad Philippum conuertatur post discipulos, quibus iam de hoc locutus erat. Puto id esse factum, vel quia tunc non ad erat cum illis, vel quia Philippus inter omnes plus hac solitudine premebatur, vel vtraque simul de causa; plus autem sollicitum esse Philippum id indicat, quando enim interrogatur, *Vnde ememus panes*, respondit, ducentos denarios non sufficere, vt modicum quis accipiat. alij verò responderant ducentis denarijs emi cibos posse: quod argumento est Philippum maiori solitudine premi circa victum, magisque esse timidum. hæc igitur est causa, ad quā reducere possumus, quod Cyril. & Chryf. respondent. Chryf. enim hom. 41. id factum dicit, quia nouerat Dominus, qua doctrina magis discipuli indigerent; erat autem tūc temporis Philippus imbecillis fidei, ideo vt eum instruat, interrogat. Cyril. lib. 3. cap. 13. idem ferè respondet, Philippum sæpe quæsiuisse, & interrogasse, sed non fuisse ita acutum, vt altiora posset penetrare; propterea ei dictum est postea Ioan. 14. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. Aliam possumus huius etiam excogitare causam, nempe Philippum fuisse in hisce, quæ ad victū comparandum pertinebant, peritiorem & intelligentiorem, cuius rei argumento illud est eum iudicasse non sufficere ducentos denarios ad comparandum cibum turbe tantæ, sicut cæteri discipuli existimauerunt. Dominus autem interrogare hūc voluit, vt subsidium humanū vndique deesse omnibus illis constaret, quandoquidē nec qui intelligentior erat inter eos inuenire potuit.

Z

Hoc autem

Hinc colligitur Dominū ultra fluuiū non trāsisse.

Hoc miraculum eodē die quo miraculū nuptiarū, non tamē eodem anno factū creditur.

Series rei gestæ ex Euāgelistis colligitur.

Cur potius Philippum quā ceteros inter rogauit.

Quid hoc miraculo statuerit docere.

Satisfactio propositæ dubitationis.

Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset factururus.

NEx ignorantia aliqua interrogasse videretur, Euangelista causam interrogationis exposuit, ut inquit, eum tentaret: nam ipse quid factururus esset, sciebat: decreuerat enim miraculum edere, quale paulo post edidit. Tentat Christus Philippum, ut omne humanum remedium deesse cognoscens, virtutem Christi diligentius aduertat: ipsiusque diuinæ prouidentiae exemplum attentius consideret: & dicat cum alijs omni sollicitudine rerum temporalium deposita, Christo confidere.

ANNO TATIO IV.

Tentare quid sit, et quomodo fiat.

TENTARE aliquem propriè loquendo non aliud est, quàm periculum facere, siue scientiæ, siue virtutis, siue alicuius alterius, quod in illo latet. Fit aliquando hæc tentatio, aut propter eum, qui tentat, nempe quia ex tentatione experientiam capit illius, quod in tentato ignorabat: aut propter eum, qui tentatur: quod dupliciter fit. Vno modo, ut is in malum aliquod, & peccatum inducatur, qua ratione Dæmon tentat homines, non ut ipse experientiam accipiat, parum enim hoc curat, sed ut in peccatum impellat: hoc modo Deus neminem tentat, ut dicitur Iacobi 1. Altero modo, ut is qui tentatur, ad bonum aliquod promoueatur: sic Deus tentat, ut vel homo suam imbecillitatem cognoscat, & diuinam virtutem inquirat; vel ut ipsius virtus exerceatur, & ad-

Ahuc perfectior fiat; aut ut alij etiam illius exemplo, instruantur; sic Deus Iob tentauit & Abraham, ut exerceret, & alijs notam faceret eorum virtutem, tantoque exemplo proficerent, de qua re alio in loco diffusius est tractandum. tentat nunc Philippum Dominus, non ut ipse discat, aut experientiam accipiat virtutis Philippi; sciebat enim cordium scrutator eum in fide & fiducia esse debilem, nouerat quid esset responsum: sed propter ipsum Philippum interrogat, non ut fidem eius notam alijs faciat; sed ut & ipsum humanum remedium deesse aduertere faciat, & sic discat Christo se totum committere, & sollicitudinem superuacaneam temporalis victus deponere, tanti facti edoctus experientia.

Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

COM MENTARIVS.

ALI I discipuli secundum Marcum responderant; Eunt es ememus panes ducentis denarijs, & dabimus eis: at Philippus uti de victu magis sollicitus respondit: non sufficere ducentos denarios pro panibus, etiam si unusquisque modicum quid accipiat. Summam hanc denariorum viginti nostros scutos aureos paulo plus minusue conficiunt. Philippus Christi virtutis immemor, sola humana subsidia considerauit, non ad diuinam potentiam conuersus est, sicuti conuersa est beatissima Christi mater vino in nuptijs deficiente.

Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?

ANTEQUAM Philippum interrogasset, dixerat discipulis. Quot panes habetis, ite, & videte; ut narrat Marcus; facta diligentia aliqua inuenerant hunc puerum in turba illa habentem panes quinque, & duos pisces; siue puer hic esset vnus de turba, qui pro aliorum comoditate hæc deferebat; siue esset pro discipulorum vsu, quamuis verisimilius sit, vnum fuisse de turba, qui aliorum cibos conseruabat, inuentus est à discipulis puer hic: responsione autem Philippi facta, vnus ex discipulis Andreas frater Petri responsum Domino retulit. Omisit Euangelista noster, quod Marcus Dominum dixisse narrauit, & solum, quot responderunt, describit. misit autem Christus discipulos, ut viderent, quo panes haberent, ut eos cognoscere faceret, omne humanum deficere subsidium; nihil enim inuenerunt apud se: apud eos verò, qui de turba erant, puerum repperunt habentem quinque panes ordeaceos, & duos

& duos pisces: sed Andreas humana considerans addidit, *Sed hæc quid sunt inter tantos?* quasi dicat omne humanum deficit subsidium; nam & hoc tam modicum est, ut multitudini collatum, quasi nihil esset reputari debeat. *Inter tantos*, dicit, quod aliàs inter tot, siue inter tam multos dicimus, sed & illa phrasia Latina est, & probata.

Dicit ergo Iesus, facite homines discumbere: erat autem fœnum multum in loco, discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

OMisit Euangelista, quod narrat Matthæus; audito enim Andree respõso, dixit; afferte mihi eos huc. cum igitur allati essent panes illi quinque, & duo pisces, iussit homines discumbere. Illa particula, *Ergo*, hoc insinuat, nempe allati sunt panes, & pisces. Iussit ergo, ut facerent discumbere, *Erat autem in loco fœnum multum*, proptereaque aptus locus erat ad discumbendum. Secundum autem Marcum præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum, & discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos. Numerus secundum Matthæum erat quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis. illa secunda particula, *Ergo*, illationem facit ex præcedentibus, ut sit sensus; propterea discubuerunt, quia discipuli iussu à Domino illos discumbere fecerunt, & loci commoditas erat propter fœnum multum. Ioannes quasi quinque millia virorum esse dicit. Lucas fere quinque millia, at Matthæus, & Marcus absolutè quinque millia, sed in hoc nulla est repugnantia. Nam in Græco textu etiam hos duos Euangelistas particulam minuentem apposuisse legimus, ut numerum non omnino fuisse completum significarent, sed parum aliquid deesse, & quamuis talis particula non esset apposita, adhuc nulla est contradictio; nam & in scriptura, & in communi loquendi modo, numerum absolutum ponimus, etiam si aliquid desit, maxime in magnis supputationibus, qua de causa interpret Latinus talem particulam omisit.

Accordet sibi Euangelista in numero comeditium.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum volebant.

Discumbentibus iam hominibus accepit Dominus manibus suis panes, præmissaque ad Patrem actione gratiarum diuidere incepit, & per Apostolos distribuere discumbentibus, & ex piscibus itidem, *Quantum volebant*, id est, vsque ad perfectam refectionem, ut nihil amplius desiderarēt. non enim modicum singulis datum est, sed plene, & perfectè singuli cibati sunt. Secundum Matthæum, & Marcum, & Lucam, accepit quinque panes, & duos pisces, & aspiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes; discipuli autem turbis, & manducauerunt omnes, & saturati sunt. ne enim modicum singulis, aut non omnibus datum arbitraretur aliquis, propterea omnes Euangelistæ adiiciunt. Manducauerunt omnes quantum volebant, & saturati sunt.

Sex dominus circa hos panes, & pisces fecit; accepit eos primò in manus suas, ut se miraculi, & multiplicationis auctorem ostenderet. Secundo aspexit in cælum, ut se de cælo esse, & à Patre cælesti potestatem talem habere significaret. Gratias tertio egit in quantum homo, pro diuino beneplacito, quo tantum miraculum in hominum salutem, & spiritualem, & corporalem facere decreuit; nostrum enim bonum Christus reputabat sibi proprium, idcirco pro nobis gratias agit. Quarto benedixit secundum Lucam panibus illis, & piscibus, virtutem multiplicationis imprecando, & impartiendo: Quinto fregit & tali fractione multiplicauit: Tandem sexto dedit discipulis, ut discumbentibus

Notat Auctor, quæ à Domino citata panes & pisces facta sunt.

tibus diuiderent. Hæc autem non sine magno consilio Euangelistæ annotantur: voluerunt enim ea, quæ Christus in Eucharistia pane sacratissimo fecit, præsignare, vt inferius dicemus.

A N N O T A T I O V.

Non nihil te
xum dissi-
dit in
lectione.

PRO maiori superiorum declaratione aliqua sunt annotanda. Primum est, Græcos textus habere, *Cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli vero accumbentibus*, & ita Cyrillus & Euthymius legunt. Rursus etiam illud, *Volebant*, aliqui textus habent in singulari, vt ad Christum referatur, qui pro sua voluntate distribuit; hæc tamen sensum non mutant. nam etiam si per discipulos distribueret, ipse dici potest distribuisse, & quantum voluit distribuit: voluit autem illos, quantum voluerunt manducare. Basil. autem in lib. Moral. regula 38. cap. 1. legit, Distribuit discumbentibus, & quantum volebant.

Noluit panes
de nouo crea-
re, vt magis
manifestare-
tur miracu-
lum.

Alterum est, noluisse Christum panes de nouo creare, sed præexistentes multiplicare, vt hoc miraculum sua virtute factum esse magis innotesceret; Si enim creati fuissent ad eius preces, Deum illos panes misisse dixissent turbæ, sicut oratione Helix pluit; & sicut in deserto missæ sunt coturnices; at dum ipse manibus suis panes accipit, & multiplicat, in eo esse virtutem tantam nemo dubitare poterat. qua etiam ratione in nuptijs noluit vinum creare, sed aquam conuertere in vinum. Factum est etiam hoc ad mysterij significationem: vt enim inferius dicemus, omnia hæc propter doctrinam de sacratissimo Eucharistia pane facta sunt, in qua non nouus

A panis creatur, sed panis iam factus assumitur, qui diuina virtute in Christi substantiam, seu corpus conuertitur.

Tertium est, voluisse Dominum panes non proprios, sed eos, qui apud vnum de turba inuenti sunt multiplicare; vt tota virtus ipsi, non panibus aut artificio alicui latenti humano, aut demoniaco tribueretur.

Quartum est, diuina virtute multiplicatos esse panes hos, & pisces, siue conuersa materia adiacente aeris in substantiam panis, & piscis; vt dicit Euthymius; siue omnipotentia Dei ad fractionem panis nouis partibus substantiæ creatis. Hæc autem multiplicatio primò facta est in manibus Christi, vt dicit Aug. tract. 24. Secundò addit Chryso. hom. 54. etiam in manibus Apostolorum. Tertio addit Hilari. lib. 3. Trini. in manibus discumbentium, Ambro. in Lucam vtrumque coniunxit, in manibus, & Apostolorum, & discumbentium, Veritas est, & in Christi manibus & Apostolorum & discumbentium, virtute tamen vna Christi operante factam esse multiplicationem: tum vt tantæ multitudini opportuna ministratio fieret, tum vt virtutem diuinam singuli cognoscerent, & non cibis precio conquisitis, sed diuina potentia multiplicatis cibatos se esse experirentur.

Quomodo
nam multi-
plicatio
facta.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, colligite qua superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, qua superfuerunt his, qui manducauerant.

C O M M E N T A R I V S.

quæ colli-
gi voluit tot
cophinos ex
fragmentis,
quæ super-
fuerunt.

Colligere iubet Dominus Apostolos, quæ abundarunt fragmenta, vt miraculi virtus, & magnitudo notior sit, & manifestior, quo ex tanta inopia, tam magna, & abundans facta est copia; & vt ipsi magis in fide, & fiducia confirmarentur, vt notat Chryso. hom. 41. & probat ex Matth. 16. & Marc. 8. vbi Dominus eos arguit, reducens in memoriam hoc miraculum. Propterea, inquit, duodecim cophini sunt iuxta numerum Apostolorum, quos iam duodecim esse constat, ex fine huius capituli; vbi dicitur Dominus ad duodecim dixisse; Nunquid vultis abire? Voluit etiã Dominus, vt dicit Cyril. l. 3. c. 18. misericordiæ virtutem commendare: qui enim largitur, semper abundat; avaro autem & nihil danti, semper deest. collegerunt autem Apostoli post distributionem duodecim cophinos: forsitan etiã voluit Dominus se hoc facto Moyse superiorē, ostēdere. hic enim non proprijs manibus manna porrigebat, sed de cælo Angelorū opere factum descendebat, & nihil poterat in alterum diem asseruari; at Christus suis manibus panes multiplicauit, & distribuendos dedit: & vt asseruari posse significaret, fragmenta in cophinos duodecim colligi iussit: & verisimile est hæc fragmenta collecta, non esse omnia ea, quæ ex refectione superfuerunt: multa enim ipsos comedentes sibi reseruasse in cibum fu-

cibum futurum, siue in testimoniū tanti miraculi, vt fieri solet, probabile est. Ex ijs ergo, quæ relicta sunt, collecta fragmenta impleuerunt duodecim cophinos; quod Euangelista insinuauit dicens; quæ superfuerunt ijs, qui manducauerant, id est, quæ reliquerunt manducantes. comederunt enim multa, & multa sibi reseruauerunt: tanta tamen eorum erat copia, vt impleti sint nihilominus duodecim cophini. Lactantius lib. 4. c. 15. testimonium Sibyllæ adfert hoc miraculū prædicentis. Multa in spiritali sensu dici possent cum Cyril. & Augustino, & alijs; sed non est instituti nostri in his multum immorari. Illud autem, *Fragmentorum*, coniungitur verbo, *impleuerunt*, vt sit sensus Impleuerunt fragmentis duodecim cophinos.

A N N O T A T I O V I.

De Cophinis.

Cophinus Græcum est nomen, genus quoddam cistæ significans, in vsu erat apud Iudæos, vnde Martialis Iudæum cistiferum vocat, idque ex Iuuenali 3. & 6. Satyra constat; Latine corbis ex viminibus contextus, quo res arida facile continebantur; in qua significatione in præsentem accipi probabile est: in tanta enim multitudine multos huiusmodi cophinos extitisse, quibus aliqua sibi necessaria portabant credendum est. Est etiam cophynus mensuræ genus, quod arida mensurabantur; tres congios capiens, singuli autem congi decem librarum plus parumue minus men-
A

ra sunt; vnde cophinus triginta libras capiebat; apud aliquos etiam, quamuis raro, liquorum mensura reperitur; at hoc in loco non mensuræ, sed cistæ, aut canistri genus quoddam est, nec est probabile, quod aliqui dicunt, non fuisse ibi cophinos alipuos, sed verba hunc habere sensum, superfuisse nempe quantum duodecim cophini capere possent; sed id verba euangelica non admittunt: nam impleuisse duodecim cophinos Apostoli dicuntur. Re vera ergo erant cophini, non quidem mensuræ, sed cistæ, aut canistra, vt dictum est, quorum capacitas id temporis nota erat.

Illi ergo homines cum vidisset, quod Iesus fecerat signū, dicebāt, quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

C O M M E N T A R I V S.

Qvanta sit beneficiæ virtus, hoc miraculum probat: non tam enim miraculi potentia, quam qualitas, quia cibus erat, tam beneuolos fecit populos, & eorū oculos ita illuminauit; vt Christū illū esse prophetā, qui in mundū venturus erat, confiterentur, regemque sibi præficere decernerent. Rectè ergo docuit Greg. 2. parte pastor c. 7. dicens, Egentis animū prædicantis sermo non penetrat, si hunc apud eius animū misericordiæ manus non commendat: propterea Euangelista sapienter illā apposuit particulam illatiuā, *Ergo*, vt doceat, quia cibati fuerunt tam largè, & mirabiliter, idcirco confessi sunt Christum Prophetā esse, non qualem cūque; sed magnū illum, qui in mundū venturus erat. Hic locus satis apertè probat eos sperasse aliquem insignem prophetam venturum ante Messiam, quod superius discussimus, quando de testimonio Ioannis cap. 1. tractauimus. Est autem Græcè cum articulo propheta, vt singularis, & insignis ille significaretur, qui à Iudæis expectabatur.

Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Tantum Christo hoc miraculum populorū illorū conciliauit beneuolentiam, & opinionem, vt non solum regnum ei offerre, sed nolentem, & repugnātem etiam regē facere aggressi essent, nisi Dominus omnium præscius, antequā id tentarent, in montem solus secederet. non dicit Euangelista, cognouisse Christū, quod turbæ decreturæ, & volituræ, sed quæ venturæ erant, quia id animo conceperunt, & facere statuerunt, antequam autem venirent, fugit Dominus. Secundū Euthymium, postquam dimissæ fuerunt turbæ, & tanti virtutis miraculi considerarunt, decreuerunt reuerti, & facere regē. Nouit Christus priusquā turbæ id cogitassent, sed qui pro hominū salute mori veniebat regnum visibile huius mundi spreuit: si enim regnare, vt reges mundi huius voluisset, non horum populorum operam expectasset, nec Iudæorū tantum; sed totius orbis imperium iure sibi debitum nulla hominum requisita ope consecutus esset. Cedens ergo multitudinis futuræ concitationi; solus in montem, vnde cibaturus populos descenderat, passu veloci tanquam fugiens recessit:

ad diuinæ contemplationis montem docens eos volociter ascenderè debe-
re, qui mūdi honores, & pōpas vitare p̄ Dei amore cupiunt. Omisit Euange-
lista noster aliqua, q̄ alij narrârūt: nam secundū Matthæū, & Marcū, Cūm co-
gnouisset, quod venturi essent, vt facerent regem, statim coegit, seu compu-
lit discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum. Addit
Marc⁹ ad Bethsaidā, dū ipse dimitteret, turbas dimissis aut turbis, fugit in mō-
tem solus, Matt. & Mar. addunt orare, Abijt, inquit, solus in montē orare.
nondū. n. turbæ eum Regē facere decreuerant; p̄pterea qui futura nouerat,
eorū præuenit cogitationes. Duę ergo causę sunt abeundi in montem, vna vt
oret, & hanc Matt. & Mar. narrârunt: altera, ne rex fieret à turbis, & hoc dicit
Ioannes, qui propterea eū refert fugisse. Alij verò tantū abijisse dixerunt: qui
enim fugit, etiam abit, dicitur autē dimisisse turbas, quia signo aliquo, vt
fieri solet, eis, vt recederent, seu velle se abire, & aliò recipere significauit.

*Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare, & cum ascen-
dissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum.*

Prius, vt ex Matthæo, & Marco patet, cōpulit discipulos intrare in nauim,
postea montē solus ascendit. Ioannes verò qđ posteri⁹ factū est, narrauit
pri⁹ per quandā præoccupationē, vt dicit Aug. l. 2. de consen. Euā. c. 47. Atten-
de non esse idē, *Vt sero factum est, & id quod Matt. dicit, Vespere factū, & Mar. Cū
iam hora multa fieret.* hęc enim quę Matthæus, & Marcus asserunt, antequā mi-
raculum fieret, gesta sunt: significantq; iam diem inclinasse, quando accesser-
unt discipuli, & cibare sunt turbę; at cōuiuio peracto factū est, quod Ioannes
refert, dicens, *Vt sero factū est, iam enim erat noctis crepusculum.* intrantes er-
go nauim iter Capharnaum versus direxerunt, transfretantes à parte altera
stagni quę propter sinum, & dorsum lacus oppositum, sinus quadā ratione
dici potest, vti explicuimus paulo ante in annotatione secunda. Græca autē
significatio est magis propria: est enim imperfectum tempus, veniebant Ca-
pharnaum. Nec est contrarium quod dicit Marcus, nempe iussisse Dominū
vt transfretarent Bethsaidam. nam inter locum, vbi celebratum est miracu-
lum, & Capharnaum media erat Bethsaida, & Dominus verè præcepit, vt ap-
pellerent Bethsaidam, donec turbas ipse dimitteret, discipuliq; illuc iter dire-
xerunt; tamen Dominus postea apparuit in aqua vti dicitur paulo post, ante-
quam Bethsaidam attingerent, tandem Capharnaum sic Domino volente
peruenerunt. Et hoc est, quod Euangelista noster narrat.

*Et tenebra iam facta erant, & non venerat ad eos Iesus, mare autem vento mag-
no flante exurgebat.*

IAM tenebras esse noctis, & nōdum Christum apparuisse dicit: interim au-
tem vento magno lacus intumescbat. Matthæus, & Marcus addunt, nauic-
ulam iactatam fluctibus in medio mari, fuisseque ventum contrarium eis:
& secundū Marcū ipse solus erat in terra videns eos laborantes in remigā-
do: iam enim Dominus de monte descenderat ad littus. Dominus etiam si ad
tempus suos deserere videatur, dum tribulationes, & persecutiones non im-
pedit; tamen re vera, nec ad momentum deserit, sed continuo fauet, & iuuat,
vt vincāt. Laborabant Apostoli vento contrario remigantes, mare intumef-
cebat, sed Christus ad littus eos videbat remigantes, & ne perirent, aut defice-
rent, præsto erat: vt tamen eos probaret, & virtutem eius in liberatione ex-
perti, in fide & dilectione proficerent, venire differebat.

*Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque, aut triginta,
vident Iesum ambulans supra mare, & proximum
naui fieri, & timuerunt.*

Post multum in remigando laborem, vento contrario flante, & media no-
ctæ transacta: nam secundū Matthæum, & Marcum erat quarta vigilia,
vident

vident Iesum ambulans super aquas, & proximum fieri nauiculæ; non
tamen eum subito agnouerunt, immò Phantasma, id est, dæmonicam quan-
dam ad terrendum visionem, secundū Marcum reputauerunt; idcirco ti-
muerunt, & secundū Matthæum, & Marcum exclamauerunt. Videor mi-
hi videre Dominum hoc cum suis discipulis facientem, quod solent matres
suauissimæ cum filijs paruulis facere, quos, vt ad se venire compellant, & ar-
ctiori amoris vinculo sibi copulent, terriculamenta aliqua illis procurant,
vt paruuli perterrefacti ad matres ipsas, extentis brachijs confugiant. Chri-
stus ergo omnium matrum erga discipulos amorem exuperans, tarda hora
noctis venit, & phantasma dignatus est apparere discipulis, vt sic terrore com-
pulsifide, & dilectione ad ipsum exclament, ad ipsum confugiant, & ipsi co-
pulentur.

ANNOTATIO VII.

*Cur non cum
certitudine
proferat,
quod stadia
remigassent.*

QUOD Matthæus, & Marcus dixerunt, na-
uiculam esse in medio mari, Ioannes di-
xit remigasse viginti quinque, aut triginta sta-
dia, nec mirum est tot stadia remigasse, & ad-
huc in medio stagno esse. nam vento compelle-
nte, vt fieri solet, non recta semper nauiga-
tur, & à terra solent nauæ nauim remoue-
re, ne allisa alicui saxo frangatur. Tota autem
latitudo stagni, vt superius diximus, si recta
mensura constituatur, est quadraginta stadio-
rum. Sed percontabitur aliquis cur Euange-
lista, qui ex Spiritus sancti instinctu, & reue-
latione loquitur, non certam distantiam sig-
nauit, sed sub quadam disunctione loquens,
incertum reliquit, an viginti quinque, an tri-
ginta potius stadia discipuli confecissent; cer-
tum enim est non esse pauciora viginti quin-
que, nec plura triginta: an autem hoc vel il-
lud, non determinauit. Non quod Spiritui
sancto incertum id esset, qui omnia nouit vt
Deus, sed quia aliqua more humano suos lo-
qui vult, maxime quando parum ad rem per-
tinet, & intentioni præcipue nullum sit de-
trimentum: hoc tamen non absque diuino
cōsilio factum est; tum ne mysterium aliquod
arbitrarentur positum in numero stadiorum,
si determinatus poneretur; tum quia in hac

A disunctione veritas magis describebatur. nā
in spacio illo, quod est à viginti quinque sta-
dijs, vsque ad triginta, hęc omnia peracta sunt.
Vident ambulans, sit proximus, & alia fa-
cta sunt, quæ narrat Euangelista: propterea
Ioannes vtrumque terminum descripsit, vt om-
nia concluderet, quæ acta sunt, dici etiam
posset triginta stadia remigasse, tamen si via,
seu iter consideretur, viginti quinque fuisse:
nam vento vrgente quinque stadia ab itineris
rectitudine diuerterant.

B Sciendum rursus non esse sine controuersia
an hoc miraculum seu hęc historia eadem sit
cum illa, quam narrat Matthæus, & Marcus.
Chrysostronus enim homilia 42. eandem esse
negat. at Augustinus lib. 2. de consensu Euang.
capit. 47. & Euthymius, eandem esse affirmant.
Et quidem sunt multa dissimilia, quæ non om-
nino improbabilem faciunt Chrysostroni sen-
tentiam, tamen argumenta efficaciora probāt
eandem esse historiam, quamuis Ioannes mul-
ta omiserit, quæ alij narrârunt: omnia tamen,
quæ omisa sunt, accommodantur eidem nar-
rationi, propterea probabilius est eandem esse
hanc, & illam huius rei exquisitiorem dis-
cussionem ad illa remittimus Euangelistarum
loca.

*An hæc hi-
storia eadem
sit cum illa,
quam Mat-
thæus, &
Marcus refe-
serunt.*

Ille autem dicit eis, ego sum, nolite timere.

COMMENTARIVS.

SECVNDVM Matthæum, & Marcum primò dixit, Cōfidete, ego sum, noli-
te temere, fiduciam petit, vt spem salutis concipiant, optimumque spei sa-
lutis concipiendę subiunxit argumentum, *Ego sum*, à quo nihil mali vobis ti-
mendum est, & qui possum ab omni liberare periculo, fiducia ergo in me ex-
pellat timorem conceptum, *Nolite timere*, Verba non tantum significatia,
sed etiam effectiua fuerunt: nam & fiduciam induxerunt, & timorem expule-
runt, adeo, vt Petrus ausus sit etiam se aquis intumescens committere,
vt alij narrant Euangelistæ. Aduertendum est autem Dominum petere illo-
rum expulso timore fiduciam in ipsum, quia tempestas nondum cessauerat,
nec voluit Dominus statim fluctus quiescere, vt in ipsum iam agnitum
fidem, & fiduciam conciperent, & exercerent, & vt locum daret
tantæ fidei, & fiduciæ Petri, qui iussus à Domino flu-
ctibus se peditem commisit.

Voluerunt ergo accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant.

POST verba præcedentia historia Petri celebrata est, quam alij Euangelistæ narrant, postea accessit Dominus ad nauiculam, & discipuli *Voluerunt accipere eum in nauim*, id est, cupidè susceperunt: vt enim incognitum, & phantasma prius existimantes eum auersabantur, ita cognita eius voce cupido animo susceperunt. Solet enim verbum hoc *Voluerunt*, apud Græcos hanc habere significationem, & sic concordat cum alijs Euangelistis: nam ingressus est in nauim secundum Matthæum, & Marcum. Illa particula, *Ergo*, illationem significat, vt sit sensus; Cùm iam cognouissent, voluerunt accipere, què tamen prius nondum agnitum auersabantur, & statim nauis appulit ad terram, in quam ibant.

ANNOTATIO VIII.

Alia proponitur expositio

POSSVMVS etiam aliter exponere, scilicet quando Dominus illa protulit verba, discipuli voluerunt accipere in nauim, nitentes nauiculam accommodare, vt intraret, sicuti fieri solet, tamen non intrauit, & tunc quod dicitur de Petro factum est, postea verò ingressus est nauiculam, & tunc factum est, quod dicit Ioannes, *Statim*, id est, breuissimè, & temporis momento cessauit ventus, & iter, quod supererat, quamuis longum esset, confectum est. Iuxta hanc expositionem interpretari possumus dictum esse, *voluerunt accipere*, quia tunc non acceperunt in nauim. Græcum enim vocabulum vtramque admittit expositionem. posteriorem secutus est Chrysostronus homil. 42. nam arbitratus est non intrasse nauim, aliamque esse hanc historiam, tamen re vera postea intrauit, modò autem distulit, vt fieret, quod cùm Petro legimus factum. postea verò intrauit, & sequitur, quod Ioannes dicit *Statim nauis fuit ad terram*, nam supponit, quod alij narrant Euangelistæ.

Concordia Euangelistarum ostenditur.

Aduerte terram hanc, in quam ibant, vt superioribus, & inferioribus verbis, dicit Ioannes Capharnaum esse, nec est cõtrarium, quod dicit Matthæus, Appulit in terram Genesar, & Marcus in terram Genesaret: nam vt in principio capitis ex Iosepho diximus Genesar, seu Genesareth, regio quædam parua est, in qua sita est Capharnaum. Ioannes ergo singularem locum descripsit, ad quem appulit; cæteri verò communem. nec etiam est contrarium, quod supra dictum est ex Marco, nempe iussisse Dominum, vt præcederent ad Bethsaidam, non enim significat vt illuc appellerent, sed vt iter caperent Capharnaum, seu versus Bethsaidam, quæ erat media non multum ab ea nauim remouentes; at tempestas eos recedere fecerat. Alia narrant Euangelistæ, quæ omisit Ioannes, & nos prætermittimus, quia non eos interpretari suscepimus in præsentia, sed solum Ioannem.

ANNOTATIO IX.

Miracula Christi quatuor.

VIDES hic quatuor simul Christi miracula. Venit primò Christus ambulans super mare. Iussu Domini incedit Petrus super aquas, quod vt virtute non propria aut alterius, sed sua factum esse Christus probaret,

A cùm mergi cæpisset eum manu sustinet: Tertio ventus sine mora sedatur: Quarto momento temporis multum itineris, quod supererat, conficitur. In his multa ad sensum spirituale spectantia Doctores piè, & verè considerant; tamen hoc considerandum mihi visum est, quod ad doctrinam proximè à Christo tradendam facit. Dominus enim antè mirabilem doctrinam de carne sua sub specie panis in Eucharistia porrigenda omnia hæc de panibus, & de discipulorum timore, suaque per aquas transmeatione operatus est: non solum vt diuinam suam potètiã significaret, sed vt ea, quæ futura erant in hac mirabili Eucharistia institutione præsignaret. modica quinque panum quantitate maximam satiauit multitudinem, vt in Eucharistia carnis suæ efficaciam ostenderet, quæ vna pro mundi totius cibo sufficiens futura erat; at quia post institutionem tanti sacramenti, & post tanti beneficij collationem futurum erat, vt mortem passurus esset, & in ea morte discipuli maximè conturbandi, tamen conturbatio breui duratura, & in gaudium resurrectionis conuertenda erat, hæc etiam Dominus præfigurauit: solum enim manet discipulis in nauiculam conscendentibus, quia paulo post sacramenti institutionem relicta est à suis: Abierunt, inquit, omnes & reliquerunt. solum intumescere mari videtur, quia solus passus est mortem, in qua phantasma apparet, cùm non sit, quia cùm sceleratis reputatus est, qui verè innocens erat: discipuli in nauicula sunt, quia non erat illa hora eorum passionis, timent tamen in Christi passione. Venit Petrus ad Iesum, sed dubitans, sub mergi incipit, manu tamen Saluatoris liberatur: quia ipsum sequens negat, & cadit, sed ne pereat virtute Christi sustinetur. citò cognoscitur à discipulis, nec iam phantasma videtur, quia citò surgens eos conuenit, & consolatur. nauicula statim ad portum appellit, & ventus cessat, quia iam Christus resurgens non amplius moritur, non est passibilis, non iam fluctibus persecutionum in se agitur. Multa dici possent in hac explicatione, sed satis esse, quæ dicta sunt, iudicamus, vt causam intelligamus, propter quam Dominus hæc voluit simul miracula conficere, & lætitiã conuiuij timori, tempestatisq; periculis miscere.

Altera

Alterà die turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, & quia non introisset cum discipulis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent: alia verò superuenerunt naues à Tyberia de iuxta locum, vbi manducauerant panem, gratias agentes Deo.

COMMENTARIVS.

N Arrat, quæ turba illa fecit, postquam Dominus nocte illa transfretauit cum discipulis Capharnaum. *Alterà, ergò, die*, ab illa, qua saturati sunt, id est, post noctem, in qua Christus per mare ambulans ad discipulos peruenit, turba redijt ad locum eundem Christum quærens: quãdo enim discipuli transfretarunt, viderat turba vnam fuisse nauiculam, & discipulos ingressos, Christum autem solum mansisse, & in montem abiisse, propterea ergo turba venit existimans ibi Christum inuentum iri; at non inuenerunt, quia ambulans supra aquas erat sequens discipulos: donec ingressus nauim cum illis peruenit Capharnaum: à Tyberia autem nauiculæ superuenerunt illo die iuxta locum, in quo celebratum est miraculum. Hæc omnia narrat Euangelista, vt præmittat causam, cur turba venit quærens Christum Capharnaum: manserat enim ibi propè locum vbi gestum erat miraculum illa nocte. mane autem facto ad eundem locum redijt, quia vidit die superiori discipulos abiisse, & Iesum mansisse, nec tunc alia nauis erat, qua Christus transfretare potuisset; quando verò die sequenti venerat turba, naues superuenerunt à Tyberia; hic est sensus. Illud enim, *Vidit quia nauicula*, non est referendum ad alteram diem, sed ad superiorem, vt sit sensus; Altera die turba venit: viderat autem die superiori, quando discipuli recesserunt, non esse nisi vnam nauiculam, & in eam ingressos solos discipulos manente Christo, propterea arbitrati suot altera die eum inuenire eo in loco posse: tunc autem quando venit turba, naues à Tyberia superuenerunt ad locum, vbi manducauerant agentes gratias Deo, id est, vbi manducauerant, & gratias pro tam mirabili beneficio accepto Deo egerunt. Græcus textus habet, gratias agente Domino, id est, postquam gratias egit Dominus, ac si dicat, vbi manducauerant à Christo cibati; qui cùm egisset gratias panes distribuit, & sic Euthymius interpretatur. Appositum est autem hoc verbum, vt distingueret miraculosam manducationem à communibus. Perpende quàm diligenter turbæ vestigia Christi obseruabant; considerabant enim solos discipulos transfretasse, & solum Christum mansisse, & cùm nulla nauicula superesset nocte illa, inde coniciebant Dominum eo in loco adhuc esse, nec enim cogitauerunt de eo, quod mirabiliter factum est. Narrat autem Ioannes alias superuenisse naues, ne contrarius videatur sibi, qui nullam aliam nauiculã cùm dixisset, postea turbam in nauiculas ascendisse narrat. hæc enim ad diuersa tempora sunt referenda.

ANNOTATIO X.

Prosequitur magis declarare superiora verba.

I N Græco textu legimus, gratias agente Domino, id est, vbi cibati sunt illo mirabili cibo, quem Christus agens gratias Deo, distribuit: hoc enim apponitur ad distinctionem cæterarum manducationum. Nauiculæ superuenisse dicuntur à Tyberia, vt Capharnaum nauigarent, quod eo etiam probatur: nam turba ascendit in nauiculas, & venit Capharnaum; ergò illæ nauiculæ transfretabant Capharnaum: si autem hoc ita est, vt videtur, locus vbi miraculum factum est, non erat in opposita ripa ad Bethsaidam, seu Capharnaum; esset enim supra Tyberiadem; sed in loco ci-

A tra Tyberiadem, nempe inter eam, & Bethsaidam, nam dicuntur naues superuenisse ad locum vbi gestum est miraculum, at si gestum esset in ripa omninò opposita, non superuenissent illuc nauiculæ: nam non erat via illa transfretandi Capharnaum, sed potius diuertendi. nauiculæ ergo euntes Capharnaum, & peruenientes ad locum miraculi, indicant miraculum factum infra Tyberiadem, nempe inter eam, & Bethsaidam, vt iam diximus: propter signum enim, & stagni dorsum transfretasse dictum est.

Cum ergo

Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum.

C O M M E N T A R I V S.

VIDENS turba non adesse Dominum, nec discipulos, quamuis non inuenissent rationem, & modum, quo discedere potuisset, experientia tamē victi eum non adesse, & cum simul oblata esset commoditas nauicularum proficiscentium Capharnaum, hac de causa ascenderunt in eas, *Et venerunt Capharnaum, quærentes Iesum*: inducti autem sunt, vt Capharnaum Dominum reuersum esse cederent; tum quia illuc die proxima transfretantes discipulos viderant, tum quia frequentissimè Dominus illuc se recipiebat. facile autem existimauerunt fieri potuisse aliquam nauiculam nocte superuenisse, & in ea transfretasse, aut peditem nemine eorum cognoscente iter terrestre confecisse.

Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi quando huc venisti?

MIrantur turbæ eum inuentum trans mare, nesciebant enim, quo tempore venerit, quia nocte illa non videbatur illis venire potuisse, quia nauim nō viderant, in noctis principio, & maxime quia maris tempestatem senserant: nec etiam iter terrestre confecisse poterat ipsis ignorantibus: nam multitudine tanta existēte, iter necesse erat plenum fuisse hominibus, maxima noctis parte: die autem sequenti id fieri non poterat, quia ipsi summo mane venerant: petūt ergo mirabūdi, *Quando huc venisti?* cum potius debuissent petere, quomodo venisti, vt potentiā eius cognoscerent, at hi adhuc rudes nihil nisi humanum cogitant. Et notat Chryl. hom. 42. inconstantiam, & mutabilitatem turbæ; volebant paulo antè Regem eum facere, miris acclamationibus confitebantur eum esse verum Prophetam, qui in mundum venturus erat; iam refrixerant, & non vt regem faciant quærunt, sed vt iterum manducant. habent autem verba, vt dicit Euthy. adulationem quandam, quasi dicerent; *Magister quando venisti huc?* nos te perpetuò obseruauimus, te sequi quærimus, miramur ergo, quando veneris, cum difficile fuerit nobis ignorantibus huc te venisse. Assentabantur isti, vt iterum mensa eis apponeretur, qualis superior.

Respondit eis Iesus, & dixit, amen amen dico vobis, quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

MEntem eorum detegit, & arguit, vt cibum potiorē animæ præbeat, & altiore ac vtiliore mensam apponat. Quæritis me non propter signa, & miracula, quæ meam potentiam ostendunt, sed propter cibum, quia saturati estis, & iterum saturari vultis; si me propter signa quæreretis, tunc vt me cognosceretis, & in me crederetis, essetis me secuti: at non propter signa, vt me cognoscatis, sed propter cibos venitis, vt iterum saturemini. Rectè exponit Aug. tract. 25. non quæritis me ppter me, sed propter vos. Quia his verbis occulta cordium eorum reuelabat, vsus est asseueratione, vt ostenderet se nō ex coniecturis humanis, sed ex certa sciētia eos nosse, *Amen amen dico vobis*, vt in his etiam verbis suam diuinitatem ostendat. Reprehendit etiā eos, quia debuissent potius quærere propter signa, vt crederent in eum, non propter signa, vt manducarent: cum enim discipulus est rudis & crassus, obiurgatorius est etiam stimulus adhibendus, vt notat Chrylostomus homi. 43. adiungens etiam

etiam eos arguisse, vt se eorum laudes, & vanam gloriam spernere, nihilque aliud, quàm eorum salutem quærere significaret: leniter tamen arguit eos, tãquam adhuc incapaces, nec in reprehensione perstat, sed statim doctrinam adiungit, vt animam pascat.

Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

CIBVM alium ostendit meliorem, & præstatiorem, ac vtiliorem cibo, què ipsi quærebant: hic enim cibus quamuis miraculosus, tamen perit; corrumpitur, dum comeditur, & ad vitam hanc tantum mortalem, & tandem corrumpendam prodest; at cibus est alius, qui non perit, sed prodest ad vitam æternam, eamque efficit. *Operamini* ergo hunc cibum, id est, studium, & curam impeditæ huic cibo acquirendo, qui non corrumpitur, vt ille, sed in æternam manet vitam. Non negat Dominus etiam curam impendendam, & laborandum pro cibo corporali; sed non hanc solam, nec præcipuam, nec æqualem esse debere curam; sed eam, quæ pro cibo est spiritali, quod turbæ istæ non faciebant. Est enim phrasis hebræa sæpe vsitata, vt particula negatiua solitudinem excludat. i. Reg. 10. Non te spreuerunt, sed me; id est, non te solum. Ioann. 12. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me; id est, nō solum in me credit. Ita nunc, *Operamini non cibum*, id est, non solum cibum corporis, sed præcipuè cibum vitæ æternæ. Occasionem autem capit Dominus de cibo corporali, vt notat Aug. tract. 25. quod etiam cum Samaritana fecit ex aqua illa materiali, aquam viuam & spiritualem docendi sumens occasionem, vt sic audientes facilius, & efficacius discant. Attende autem non esse sensum, *Operamini cibum*, id est, facite cibum hunc, sed laborate, & studere huic cibo acquirendo. nam statim dicit; *Quem filius hominis dabit vobis*, vt aliud sit opus, quod ipsi debent adhibere, aliud cibus ipse: & hoc est considerandum pro recta intelligentia sequentium.

A N N O T A T I O X I.

*Contra hereticos negantes laborandum esse pro victu compa-
randa.*

HAC superiori sententia abusi sunt heretici. Chryl. homi. 43. refert aliquos occasione huius sententiæ ociofitati vacare, negantes esse laborandum pro victu corporis acquirendo. hos Theophylactus nomine suo appellat, nempe Messallianos, & videntur hi esse quos Aug. de hæresib. cap. 57. vocat Psallianos. Sed si horum Doctorum testimonia considera mus, non videntur isti eadem affirmasse. Nam Messalliani, vt ex Chrylostomo & Theophylacto apparet, generaliter locuti sunt, non esse laborandum pro victu corporis acquirendo; at Psalliani, vt refert Aug. negabant monachos debere vitæ sustentandæ causa laborare, nec eis licere, sed vacandum operibus, quæ monachi profitentur: longè autem ab illa hæc assertio differt, quamuis vtraque sit hæretica. Basil. in reg. breui. reg. 207. introducitur monachos dubitantes circa hunc locum Ioannis, in quo Dominus significare non esse operandum pro corporis victu videtur. Et respondet laborandum esse proprijs manibus, vt habeat vnde tribuat patienti necessitatem, vt dicitur ad Ephes. 4. Hiero. episto. ad Rusticum, hunc habere morem refert monachos Aegyptios, vt laborent manibus,

A non tam propter victus necessaria, quam propter salutem animæ, ne monachus ociosus vagetur. Scripsit autem Augustin. libellum de opere monachorum: sed veritas Catholica est, licere Christianis, etiam ipsis monachis manibus laborare, etiam victus causa. ad Ephes. 4. Qui furatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti; id est, laboret, vt nō solum sibi, sed etiam alijs subueniat. i. Thesalo. 4. Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Paulus enim Apostolus, qui erat in statu perfectiori, quàm sint monachi, labore manuum suarum sibi victum comparauit, vt patet ex Act. 18. & 20. & 1. Corint. 4. Licet ergo etiam Monachis idem opus, nec locus hic id prohibet, in quo solum præcipit Dominus, vt curam præcipuam in cibo acquirendo animæ collocemus; non tamen propterea cura, & labor corporis est omninò relinquendus; nã & hoc esset cibum animæ etiam relinquere: verba enim hæc, vt diximus in commentario, non negant cibo corporis acquirendo etiam operam dandam, sed non soli, neque præcipuè.

Quem filius hominis dabit vobis.

C O M M E N T A R I V S.

TAcitæ obiectioni respondet; posset turba obijcere, quærimus à te cibum hunc, qui perit, quia nouimus te potuisse eum nobis dare: at cibum hunc æternæ vitæ non quærimus, quia nescimus talem cibum te posse nobis præbere. Hanc obiectionem remouens, & simul ad quærendum hunc cibum ab ipso inuitans dicit; *Quem æternæ vitæ cibum, Filius hominis dabit vobis*, id est, ego etiam hunc æternæ vitæ cibum dare possum. immò dabo. & paratus sum volentibus vobis dare, sicut potui dare, & dedi vobis priorē cibum: ne enim quæ-

dictum est, *Operamini*, errarent arbitantes se posse cibum hunc conficere, dicit, Ego dabo; aliud enim est opus, seu opera, quæ exiguntur, alius cibus, qui promittitur. Suam in hoc diuinitatem ostendit, nisi enim Deus esset, cibum vitæ æternæ dare non posset. Dicit aliquis, cur sic locutus est, *Filius hominis dabit*, cum cibum vitæ æternæ non præstet, nisi in quantum est filius Dei? Respondeo voluisse significare, se suam carnem, secundum quam erat Filius hominis, daturum in cibum vitæ æternæ, ac si diceret; carnem meam in cibum vitæ æternæ dabo vobis.

Hunc enim Pater signauit Deus.

CAUSAM reddit non solum cur Filius hominis (se enim hoc nomine appellat) cibum hunc dare possit, paratusque sit dare, sed etiam cur caro ista secundum quam erat Filius hominis, cibus possit esse vitæ æternæ: ea autem est, quia, *Hunc Pater signauit Deus*, id est, huic homini Pater, velut sigillo diuinitatem impressit; & vniuit: propterea adiecit Euangelista vltimo loco, *Deus*, vt sigillum hunc esse Patris diuinitatem, quæ in filio est, & humanitati vnita est, significaret; quod non significabatur, si tantum dictum esset, *Pater signauit*, aut, *Pater Deus signauit*, sed diuisit vtrumque, vt id perfectius exprimeret, ac si diceret, Pater signauit diuinitate sua. Non mirum ergo, si hic homo cibum dare vitæ æternæ & simul cibus vitæ æternæ esse potest. nam simul est Deus, & vnitam habet diuinitatem humanitati; quod Act. 10. dicitur, Vniuit Deus eum Spiritu sancto: dicitur nunc, Deus Pater signauit eum. hæc vnctio & sigillatio est diuinitatis vnio, & coniunctio illi humanitati facta, per quam ille homo Christus est cibus efficax vitæ æternæ, quia per hanc homo ille sigillatus dicitur, cum sit homo, & Deus; & est optima causa, cur dare valeat vitæ æternæ cibum, quod Dei proprium est, & cur caro illa sigillata diuinitate, sit etiam cibus vitæ æternæ. Hic est sensus legitimus huius integræ sententiæ, per quam docet Christus se dare posse cibum efficacem vitæ æternæ, ad quem inuitat omnes.

ANNOTATIO XII.

ALITER alij verba superiora exponunt. Chryso. hom. 43. duas adfert expositiones. Prior est, vt sit hic sensus. *Hunc enim Pater signauit Deus*, id est, hunc misit in salutem totius mundi: sed hæc expositio non rectè accommodatur: nam illud, *Hunc*, demonstrat, filium hominis, qui Christus est ratione humanitatis. Hic autem non est missus, sed filius Dei missus dicitur. Altera expositio est, vt idem sit sensus. cum illo verbo superiori Ioannis 3. *Signauit*, quia Deus verus est, id est, declarauit, & testatus est: ita nunc dicitur Pater signasse, quia declarauit, & testimonio suo confirmauit, hunc esse verum Deum: Vtramque expositionem sequitur Euthymius: sed nec ista expositio est exquisita; non enim, cur vitam æternam dare Christus possit, ea est proxima causa, quia Pater eum declarauit, & testatus est Deum esse: sed quia re vera est Deus; propterea perfectior explicatio est Augustini. tractat. 25. quam secuti sumus in commentario. *Pater signauit hunc*, hominem, quia diuinitatem illi humanitati, velut impressit per vnionem, qua homo ille Deus est; quamuis Augusti. aliter connectat verba; & rectè quidem sigillatio, & signatio dicitur, quia filius, qui imago, & character Patris est, illi est vnitus, & coniunctus humanitati; propterea dicitur humanitas habere sigillum, & characterem Patris,

Addidit autem, *Signauit Deus*, vt hanc sigillationem, & signationem diuinitatis esse significaret; ac si diceret, *Pater signauit*, sua diuinitate, seu caractere suæ diuinitatis; qui filius est; Hanc etiam expositionem probat Hilar. lib. 8. de Trinit. doctè annorans, sigillum imprimi in materia diuersa, quæ sigillata dicitur; sic humanitas sigillata est diuinitate Filij. Eandem sequitur Cyril. lib. 3. cap. 29. quamuis etiam adiungat, vt Filius ratione diuinitatis dicatur signari à Patre, quia Patris substantiam accipit tamen accommodatior est expositio, vt ratione humanitatis dicat se signatum à Patre per diuinitatem, quæ illi est humanitati vnita; quæ uis vera sit doctrina Cyrilli. quam & Hilar. sequitur loco citato, sed ad Euangelistæ mentem priorem expositionem facere fatetur.

ANNOTATIO XIII.

PERcontabitur aliquis, quis est iste cibus vitæ æternæ, de quo dicitur, *Operamini cibum*, qui permanet, & quem ego dabo vobis? Rectè ad hoc Cyrillus lib. 3. cap. 28. & Augustin. tract. 25. respondent esse eundem cibum, de quo loquitur, Dominus paulò inferiùs, quando dicit Ego sum panis viuus, & caro mea verè est cibus. ipsi autem Doctores, nempe Cyrillus cap. 36. & Augustinus tractatu 26. talia verba exponunt

Diuerse alia expositiones proponuntur.

qui cibus iste, de quo Dominus loquitur.

Inmerito dicitur horum intentionem, qui Dominus interrogat.

ponit de Christi carne nobis in sacramento Euangeliæ exhibita Hic igitur est cibus, cui acquiritur doctè est studium impendendum: Verba etiã adiuncta consonant: hunc enim nempe filium hominis signauit Pater qui Deus est. non erat cur hanc humanitatè sigillatã diceret diuinitate, nisi quia humanitatem, & carnem hanc cibum vitæ æternæ futurum dicebat, quem effectum caro non faceret, nisi diuinitati esset cõiuncta, & vnita. Fidem autem hunc cibum non esse, verba quæ sequuntur probant: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. distinguit opus à cibo, distincta enim sunt illa duo, *Operamini cibum*, nempe, opera, & cibus; illud ad Iudæos pertinebat, nempe operari, & cibus ad Christum datorem. Fides igitur à cibo distinguitur, vt verbis sequentibus exponemus; in quorum atque adeò in totius huius textus expositione, multo magis hæc veritas demonstrabitur, & confirmabitur.

Dixerunt ergo ad eum, quid faciemus, vt operemur opera Dei?

COMMENTARIVS.

PARTICVLA, *Ergo*, insinuat propter verba Christi superiora, Iudæos respondisse, quæ sequuntur: cupidi enim cibi huius vitæ æternæ, & audientes exhortationem Christi, vt incumberent cibo huic acquirendo, petunt; quæ sunt ista opera, quibus cibum hunc consequemur? Et attende eos appellasse, *Opera Dei*, vt significarent se interrogare de operibus hiscè, quæ ad cibum hunc habendum necessaria sunt. Cum enim audissent cibum esse vitæ æternæ, & Deum signasse Christum, vt cibum hunc daret, rectè opera Dei appellant ea, quæ oportebat operari cibo huic consequendo. Meritò autem à Christo discere quærunt, opera huius cibi, quem eiusdem cibi datorem audierant; nec negarunt dare posse eum cibum, qui tam mirabili virtute dedisset cibum corporalem experti erant; nec se consecuturos desperarunt ab eo, quem iam erga se ipsos liberalissimum senserant: solum opera hæc scire volunt, quia eis dictum erat. *Operamini cibum qui permanet*, hic est legitimus sensus.

ANNOTATIO XIV.

Traduntur dicere interpretaciones.

CYRIL. lib. 3. c. 30. verba hæc ex arrogantia quadam processisse affirmat; quasi enim omnia scirent, & nihil sibi discendum super esset ita interrogarunt, vt sit sensus: satis nobis præcepta Moysis sunt, non minus scimus, quam oporteat scire eos, qui Dei opus facere volunt, quid igitur nouum, & inauditum docere nos potes, quod in scriptura non sit? hæc Cyril. sed non videtur accommodari posse hæc expositio contextui; nam cum tanto beneficio à Christo affecti adhuc sperarent nouum cibum, eumque vitæ æternæ, credibile non est arrogantiam vsos, maximè, quia erant homines de turba, & non quales erant illi Pharisei, & legis doctores, quorum erat de lege præsumere. Præterea quia Christus non eos arguit, sed potius docendo respondit: deinde quia verba talem sensum non faciunt. Si enim ex arrogantia locutus esset, alijs verbis vsi essent, non his, quibus significarent se hoc opus scire cupere. Rectius Chrysolomus hom. 44. & Euthy. exponunt hos interrogasse quidem tanquam discipulos, & ostendisse se desiderare scire; tamen non animo faciendi ea opera, sed vt sic ad cibi prioris suppeditationem eum iterum attraherent: sintque verba quasi ex gula profecta.

immo contrarium contextus insinuet: iam enim de gula à Domino reprehenserant, quando eo animo venerant, vt iterum saturarentur; nec est, cur perseuerare eos dicamus adhuc in ea auiditate. cum cibus præstantior de nouo sit promissus. potius ergo huius cibi desiderio interrogasse credendum est, quorum interrogationi Dominus non ita nudè respondisset, si animos eorum, non solum gula, sed fictione & dolo plenos vidisset. fateor quidem eos cibum hunc materialem, & corporalem etiam existimasse, & quodam appetitu sensibili, & carnali motos interrogasse; animo tamen faciendi, & operandi ea, quibus cibum hunc consequi possent, quod ex sequentibus apparet. Verior ergo est expositio Augusti. tract. 25. affirmantis hos, qua ratione implere possent, quod præcipiebatur, interrogasse. cui expositioni nostra magis accedit, quam esse legitimam totus contextus & verba probant.

Verumtamen quare appellent, *Opera Dei*, Euthymij expositio non placet, quam etiam recentiores sequuntur; *Opera Dei*, scilicet dici, quæ sunt Deo accepta, vt sit sensus; quid faciemus, vt operemur opera Deo accepta, & secundum voluntatem eius; nec etiam probanda est expositio illorum, qui exponunt, *Opera Dei*, quæ Deo auctore sunt; etenim quamuis verum sit opera Dei esse Deo accepta, & ipso auctore fieri, tamen non est iste sensus, cuius argumento id est, quia non consonat hæc interrogatio sic

tio sic exposita verbis Christi; non enim dixit Christus operamini opera Deo accepta, & grata, sic enim non erat cur illi interrogarent, quia sciebant ex lege; sed operamini opera quibus cibum vitæ æternæ consequamini. hæc isti quærent dicentes, quid faciemus, vt operemur hæc opera? Appellat ergo, Dei, quia cibum vitæ æternæ per ea se acquisituros sperabant, & quia audierant, *Hunc Pater signauit Deus*: intellexerant enim ex hoc ad Deum hoc opus pertinere, & sic omnia consonant, & nempe & verba Christi præcedentia, & sequentia, simul etiam interrogatio eorum. Quæ-

At tum ad verba attinet, Græcè potius verbum est præsentis, quid facimus? sed æquiuale futurum, quid faciemus? nam tunc nondum sciebant opera vt facerent. Verum est solere aliquando has interrogationes fieri tempore præsentis ad significandum promptitudinem faciendi, quid facimus? id est, doce hæc opera, ecce facere sumus parati. Matth. 13. Vis imus, & colligimus ea? Luc. 9. Vis, dicimus ignis descendat, & consumat eos? id est, statim ac volueris, prompti sumus exequi, ita nunc, quid facimus? sed hoc sensum non mutat.

Respondit Iesus, & dixit eis, hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.

COMMENTARIUS.

DOCET eos Dominus, hoc opus Dei esse; vt credant in eum, quem misit Deus; & vtitur verbo eodem, quo vsi erant, appellans opus Dei, vt ad interrogationem se respondere ostendat. de se loquitur in tertia persona, nec opera legis postulat, sed fidem, quæ est primū fundamentum Euangelij, quæ à lege illa distinguitur. Verbis his non solum docet quod opus Dei sit, sed simul etiam explicat rationem efficacem, vt fiat opus, credere enim in eum, qui à Deo missus est, iustum est & necessarium. Ista autem locutio credere in eum, qui missus est à Deo significat credere Christū esse verum Messiam, & filium Dei; est autem hoc opus necessarium, vt cibum carnis suæ accipiant, quicumque accepturi sunt. Et si contextum totum perpendas, vti paulo ante dicebam, inuenies opus à cibo distingui; nam turba quæ diu it duo, nempe cibū vitæ æternæ, & opus ab eis exhibendum, vt cibo fruerebantur; opus hoc scire petunt, vt cibum accipiant, quod Dominus docet dicens, esse fidem in eum. superest ergo cibus distinctus à fide in eum credentibus ministrandus, hic vero non est alius, nisi caro Deifera ipsius in sacramento ministranda, nec fidem cibum esse, nec Christum fide creditum. nam fides in Christum opus reputatur, post quod cibus vitæ succedit. Et hæc est legitima expositio, cæteræ sunt violentæ. Cyrillus lib. 3. cap. 31. superiora verba ex arrogantia dicta exponens, accommodat hanc Christi responsionem interrogationi eo animo prolata; sed vti superius diximus, hanc intentionem, & arrogantiam nulla verba Euangelij probant: sine probatione autem non est cur in malum conuertamus, quod in bonum sensum trahi potest, maximè, quando sensus verbis, & contextui respondet, & consonat.

ANNOTATIO XV.

Fides aliquādo inter opera numeratur.

PAVLVS semper opera à fide distinguit, vt fides non inter opera computetur: legis enim obseruationem opera vocat. huic non obstat fidem modo quodam opus dici largè, quia fides factū quid est: vnde Aug. l. 5. de prædestin. san. cap. 7. hanc difficultatem proponens de paulo distinguente opera à fide, & Christo, fidem inter opera computante, respondet fidem & opera sic distingui, vt regnum Iuda, & Israël; nam Israël etiam Iuda dicitur, quia omnes Israëlitarum sunt; ac si dicat, opus commune est, & fidei, & alijs, quæ communiter opera vocantur; sed distinguitur fides ab operibus, quia fides est prima origo, & principium cæterorum. Sed de hac materia fidei, & operum

non est locus iste differendi; sufficiat pro huius sententiæ expositione Dominus appellasse fidem opus Dei, vt accommodaret se turbæ petenti, quæ essent opera Dei, vt cibum hunc habere possent. *Hoc, inquit, est opus Dei*, id est, quod petitis opus Dei, hoc est. Verum etiam est, si sermone generali vtamur, esse opus Dei cum & gratia, & gloria opera sint Dei, quia ab ipso efficiuntur, & donantur; at quando opera à fide distinguimus, legis obseruationem, & mandatorum impletionem nuncupamus opera. petit autem Dominus fidem, non quod opera excludat, sed quod opera nihil ad cibum obtinendum faciant, nisi fides hæc, quæ fundamentum est, ad sit.

Dixerunt

Dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?

COMMENTARIUS.

PER illam particulam, *Ergo*, significare vult Euangelista, propterea verba sequentia dicta fuisse, quia verba Christi audierunt. *Vt credatis in eum, quem misit ille*. Responsionis igitur ludæorum sensus est; Si tibi credere debemus, ergo fac signum, quod videamus, & videntes credamus tibi: illa enim illatiua particula talem insinuat sensum. At, vt negent aliquod signū hactenus fuisse datum tanta fide dignum, propterea vtuntur interrogatione, *Quod tu signum facis*: quasi dicerent, hactenus nullum fecisti. Duo igitur his verbis significantur; ratione interrogationis negant signū hactenus factum, ratione illationis inducunt, vt faciat signum, si credi sibi velit. Attende non negare hos Christum dedisse signum, iam enim experti erant; sed negant sufficere ad tantam fidem concipiendam; vt credant eum esse Messiam, & Dei filium. Et hic est legitimus sensus, & quæ sequuntur, huic consonant.

ANNOTATIO XVI.

Confirmatur sensus superioris sententiæ.

CHRYSOSt. hom. 44. & Euthym. perseuerant in sua expositione, vt hi ex gula moueantur, vt iterum cibum extorqueant. Cyril. etiam arrogantiam horum prosequens, in alium diuertit sensum. sed ni fallor sensus expositus est legitimus, & reliqui accommodari vix possunt: non enim negant signum datum à Christo; non etiam quærent cibos corporales his verbis; sed ad verba Christi respondent petentis, vt credant eum esse filium Dei missum à Patre, & verum Messiam: signum autem ad tantam fidem conciliandam datum negant, & dari sibi, vt credant, petunt. Et Euangelista, si attentè consideretur, hunc sensum insinauit, quando dixit: *Dixerunt ergo*, per particulam hanc motos esse significans ad hæc dicenda, non alio, quàm eo, quod Christus fidem tantam postulabat. Attende autem verbum; *Vt videamus*, audierant multa signa Christi, sed ipsi non ex auditu, sed ex visu signum quærent, & tale ac tantum, vt credant, & tantam fidem concipiant.

Quid operaris? patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est, panem de celo dedit eis manducare.

COMMENTARIUS.

PROsequuntur eundem sensum; nempe signum tantæ fidei dignum non esse à Christo datū, & interrogatio hæc, *Quid operaris?* est quasi parui facientium signum Christi collatum tantæ fidei. *Quid, inquit, tu operaris?* quasi dicant, opus tuum, quod fecisti, non est tanti momenti, vt tantam fidem postules: nam maius opus tuo quod nobiscum fecisti, acceperunt nostri patres in deserto (intelligunt isti Moysem, vt ex responsione Christi patet) & tamen Moyse non tantam sibi fidem poposcit, nec patres nostri crediderunt in eum, vt tu postulas à nobis. Allegant verba Psal. 77. Panem cæli dedit eis manducare; & hoc exemplo vtuntur, non vt prædicti Doctores dicunt propter gulam, nec propter legis arrogantiam, sed vt opus proferant simile ei, quod Christus fecerat, quasi dicant; tu quia dedisti nobis manducare in deserto, petis, vt credamus in te, hoc profectò non est signum dignum tanta fide: nam maius fecit Moyse in deserto, qui tot annis cibo de cælo non isto terreno paut patres nostros, & tamen nostri patres tanto signo accepto non propterea crediderunt in Moysem. Iste est sensus.

ANNOTATIO XVII.

Manna cur dicitur.

CIRCA vocem Manna, quod apud Hebræos est *מַן* aduertendum est, aliquos re-
B exponere, vt idem sit; quod donum, à verbo *מָן* quod significat distribuere, donare, præparare, quasi sit cibus Dei munerè

neredatus; Sed hæc nominis ratio, & Etymologia, est contra scripturam. Exod. 16. Filij Israël videntes cibum illum adinuicem dixerunt, **אֵיךְ** ignorabant enim quid esset; si significasset donum, esset sensus, donum hoc, tunc autem ratio subiecta non haberet locum: ignorabant enim, quid esset; nec etiam verba præcedentia, quæ dixerunt adinuicem, rectè accomodarentur. Colligitur ergo ex ipsa scriptura esse vocem admirantis, & interrogantis quid hoc? & ita verterunt Septuaginta, & Hieronymus. Nec obiectio recentiorum alicuius est roboris; dicunt enim **אֵיךְ** non significare apud Hebræos, quid, sed **אֵיךְ** mah, dico id esse falsum; cum apud Hebræos vtrumque significet Quid, & Psal. 60. legimus, Misericordiam eius, & veritatem quis requiret? legimus Man. & ita verterunt Septuag. quamuis aliter alij vertant, tamen Septuaginta auctoritatis sufficere debet; quia hæbræi sermonis peritam natiuam habebant; non enim ita vertissent, nisi apud Hebræos id significaret. Accedat etiam auctoritatis Iosephi, qui lib. 3. de antiquit. cap. 1. expressè dicit, Man in nostra vernacula lingua, est vox percontatiua. Non video, qua ratione non sit vel solus hic auctor in reddenda sui sermonis in

interpretatione omnibus his nostris linguarum peritis præponendus, vt omittere Septuaginta, & Hieronymum, quorum sententia potius est præferenda. Non est ergo, cur ad solutiones aliorum recurramus: Aliqui enim respondent esse vocem Chaldæam: Man enim apud Chaldæos significat quid, vt patet Dani. 3. Quis Deus poterit vos liberare: at hoc non satisficit: tunc enim lingua Hebræorum erat purissima. Alij esse illud, nun, adiectum euphoniae causa asserunt, sed hoc sine vilo fundamento dicitur. Verius cum Septuag. Iosepho, & Hier. dicimus etiam apud hebræos significare, quid: & scriptura ipsa, vt diximus, ipsam vocis indicat interpretationem. Rectè autem ab admiratione, & ignoratione cibo illi nomen imponitur; erat enim figura cibi nostri sacratissimi, qui est mysterium omni admiratione dignum, & omne superans humanum ingenium, & rectè respondet Euangelica lectio: audito enim hoc mirabili cibo cæperunt Iudæi mirari, & adinuicem dicere, quomodo potest hic dare carnem suam ad manducandum? & si fidem adhibuissent, meritò admirari, vt rursus dicere potuissent, quid hoc? quem admodum patres eorum de cibo illo dixerunt.

Dixit ergo eis Iesus, amen amen dico vobis, an Moyses dedit vobis panem de celo.

COMMENTARIUS.

Præposuerant Iudæi cibū Moyfi, & Moysen ipsum Christo, & eius cibo: Dominus veritatem docens, & aperiens deprimit primò totū illud, quod ipsi magnificantes protulerant, & secundo seipsum multo superiorem, & cibum suum excellentiorem ostendit. Primò igitur, quia illi cibum Moyfi præposuerant extollentes, quod de cælo, esset, propterea hoc Dominus negat, dicens, non dedisse Moysen panem de cælo, *Moyses*, inquit, *non dedit vobis panem de cælo*, nam ille cibus de cælo dictus est, quia de regione aeris, seu de nubibus descendebat, sicut dicuntur volucres cæli; non tamen, quod de cælo ipso, vbi Deus habitare dicitur, descenderit: non igitur Moyses dedit vobis panem de cælo, vt putatis. Responsio hæc Domini indicat Iudæos significasse, seu intendisse in suis verbis, Moysen dedisse eis panem de cælo, propterea respondit Dominus, *Non Moyses dedit vobis panem de cælo*: propter verba enim illorū hæc dicta esse, indicat illa particula *Ergo, Dicit ergo eis Iesus.*

Sed pater meus dat vobis panem de celo verum.

Depresso facto Moyfi suū opus extollit, *Pater*, inquit, *meus*, non sic, sed *dat panem verum vobis de celo*, dat panē verū, & de cælo ipso, vbi Deus habitat: maius igitur est opus, quod ego faciā, quàm quod Moyses fecit. Non dixit ergo do vobis, *Sed pater meus*, vt se in hoc filium Dei ostenderet, eandem habentem cum patre potentiam, nam dum dicit, *Pater meus dat*, nō excludit se a dādo: prius enim dixerat, quem filius hominis dabit vobis; quod Iudæi etiā per ceperūt; nā post hæc dixerunt, da nobis hunc panē, intelligebant ergo his verbis non negare illū dare hūc cibum posse. Rursus dicit, *dat vobis*, vt significet paratum esse dare illis, & iam iam daturum, sicut etiā superius dicitur, venit hora, & nunc est, quando nec in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis patrem. Et venit hora, & nunc est, quando mortui audiēt filij Dei vocem, ita & nunc maximè, quia iam aderat Christus ipse, qui in panē danduserat fidelibus.

Panis Moysi non fuit de celo.

Pater enim filio dat verū sibi de celo.

libus. Dicit autem, *Panem de celo verum*, id est, verè cœlestem; refertur enim ad illam vocem, *De celo*, vt dicatur ergo verus panis de cœlo, quia non de aere, non de elementari regione, sed de ipso cœlo, vt sit verè cœlestis; non vt manna de nubibus. est autem Christus ipse, qui panis iste est, de cœlo, vt dicitur Ioan. 3. Filius hominis, qui est in cœlo. Perpende autem quanto artificio Dominus hos attrahit: ciborum enim, & vtilitas proprię cupidos esse sciebat, propterea spe cibi, & panis tanti allicit, & ea ratione sermonem ad ipsos cōuertit, dicens, Moyses non dedit vobis, Pater meus dat vobis. erant enim imbecilles adhuc, & tales promissionibus potius, quàm rationibus attrahuntur, quod & cum Samaritana factum legitur. cætera in annotatione require.

ANNOTATIO XVIII.

Superiora verba Cyril. lib. 3. cap. 33. in hunc sensum exponit, nempe Dominum reprehendere Iudæorum temeritatem, quia Dei opus homini tribuebant: nam cum Deus auctor fuerit cibi illius, quem Patres in deserto manducarunt, ipsi faciebant auctorem Moysen: propterea dicit eos arguens; *Non Moyses dedit vobis panem*, sed expositio hæc non videtur accommodari posse. Sic enim dicendum fuisset, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater, aut Deus dedit vobis illum panem; at non sic dicitur, sed ad alium refert panem. *Sed Pater*, inquit, *dat vobis panem de celo*: non ergo id est, quod Dominus negare intendebat. Nec erat, cur id negaret, aut reprehenderet: sciebant enim Iudæi non virtute sua Moysen illud manna fecisse, nec esse auctorem miraculi, sed Deum ipsum, sicut & aliorum miraculorum, quæ in Aegypto fecerat: existimabant enim Deum per Moysen edidisse miracula sicut per alios Prophetas. Maiora quidem miracula arbitrabantur Deum edere per maiores Prophetas, & hac de causa præponebant Moysen, non tamen vt primum auctorem miraculi. Præterea, si id Christus intēdisset, dixisset potius; Moyses non dedit vobis manna; at ego do vobis panem de cælo, vt se Moyfi præ-

poneret in hoc, quod Moyses non dedit, ipse vero dat. Rectius Euthymius interpretatur negationem hanc factam in eo, quod Moyses non dedit panem de cœlo, sed de aeris regione, & terrenum, seu materialem cibum; at Christus, & Pater dant de cœlo vero. & ita Augu. tract. 25. etiam exponit, quod nos secuti sumus in commentario.

Quare autem adiunctum sit illud, *Verum*, Cyrillus lib. 3. cap. 34. & August. loco allegato duas adferunt causas; vna est dici panem verum, id est, non figuram, vt distinguat a Manna, quod huius panis erat figura: quam etiam dat Chrylo. hom. 44. Altera causa Cyrilli, & Aug. est, dici *Panem verum*, quia dat vitam. Causa vtraque accommodata est, sed ad sensum mihi magis facere videtur, quam in commentario adduximus, vt dicatur panis de cælo verus, id est, verè cœlestis, non vt manna, quod non erat verè de cælo, sed de loco elementari, & naturæ corruptibilis. Christus autem in sacramento mirabili nobis datus, verè cœlestis est panis. Quando autem audis de cælo, non locum tantum existimes signari, sed simul etiam naturam diuinam, & supermundanam. verbis sequentibus, quis hic panis sit, exactius explanabitur.

Cur addit est verum.

Panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

COMMENTARIUS.

Probat ex effectu panem esse de cælo verè, seu cœlestem, & diuinum, quia hic panis de cælo descendit, & vitam dat mundo. Græcè legitur Panis Dei est, id est, verè cœlestis, non elementaris, quia de cælo descendit, & quia *Vitam dat mundo*, non Iudæis tantum, vt manna illud, sed mundo; & dat vitam, non vt manna, quod nemini dedit vitam, sed erat cibus iam viuientium, at panis hic vitam dat. Et considera vim verbi, *De celo descendit*, manna non descendit, sed mittebatur; erat enim inanimatum quoddam; at hic panis descendit ipse de cælo, qui non solum sit de cælo datus, sed ipse descenderit, in quo diuinitas insinuat. Sunt igitur duo argumenta, quibus probat esse panem Dei, seu verum, cœlestem, & diuinum, quia descendit de ipso cælo: & quia vitam dat mundo: quæ non essent, nisi panis hic cœlestis esset. Hanc vitam, æternam intellige; de ea enim sermo est; vt ex præcedentibus, & sequentibus constat. Panis ergo tria habet super manna, & quod verè cœlestis, & quod descendit de cælo, & quod dat vitam, eamque æternam.

Panis, quam Christus promissit, in tribus excellit manna.

Dixerunt ergo ad eum, Domine semper da nobis panem hunc.

ALLECTI spe tanti panis quandam concipiunt fidem, & sibi hunc dari petunt panem, non vt simel, sed vt semper eum habeant. illa particula *Ergo*, insinuat eos motos esse, vt hunc peterent panem; tum ex excellentia ipsius; tum ex promptitudine, quam Christus significauit, dicens, *Dat vobis Pater*: nam, vti superius diximus, quando dictum est, *Pater dat vobis*, intellexerunt patrem dare per ipsum Christum medium: propterea ipsum rogant, vt panem hunc donet. & est cum articulo, *Da nobis illum panem hunc*, id est, illum de cælo verum. Appellat autem eum Dominum, vt sic ad dandum inducant. Huic simile Samaritana fecit, quæ audita excellentia illius aquæ viuæ dixit, *Domine da mihi hanc aquam*. Fides aliqua in his Iudæis lucet: crediderunt enim panem hunc dare Christum posse; tamen imperfecta erat: nondum enim spiritualia capiebant, sed de cibo corporali cogitabant, existimantes aliquid cibum futurum, quo vitam corporum sustentarent, multo perfectiorem, & excellentiorem, quàm fuit illud Manna, & in hoc recta est Cyri. lib. 3. cap. 35. expositio. propterea dicunt, *Semper da*, non enim arbitrabantur vnicum, & eundem panem omnem famem ablaturum, sed frequenter sicut manna multiplicandum.

Dixit autem eis Iesus, ego sum panis vita, qui venit ad me, non esuriet; & qui credit in me, non sitiet in æternum.

PETENTIBVS panem hunc ostendit, & modum habendi docet, simulque volentibus offert, hæc enim tria his verbis efficit. *Ego*, inquit, *sum panis vita*: panem agnoscite. *Qui venit ad me, et qui credit in me, non esuriet, non sitiet*: modum habetis consequendi, & habendi panem, nempe si ad me veniatis, si in me credatis. Simul etiam, *Qui ad me venit*, id est, qui credit, habet panem hunc: nemini denegatur, si crediderit; paratus enim sum me ipsum dare in escam & potum omni ad me venienti, & credenti. Panis vitæ dicitur, non solum quia viuificat, & dat vitam, & hanc æternam; sed etiam, quia vitam habet in se: est enim panis viuus, & viuificans. Attende panis huius perfectionem, potus namque, & esca simul est, vt nullo alio ad refectionem indigeat, qui hunc panem habet. illud autem, *In æternum*, ad vtrumque est referendum verbum, non esuriet in æternum, nec sitiet in æternum: maiorem autem hæc verba exprimit perfectionem, quàm si tantum diceretur panis vitæ æternæ: nam declarant ita esse panem vitæ æternæ, vt tollat omnem famem & sitim; non vt cibus corporis, qui vitam mortalem sustentat quidem aliquo tempore, sed non tollit famem & sitim; nam qui semel comedit, & bibit, iterum esuriem, & sitim patitur; At panis hic vitam æternam confert, & omnem simul famem, & sitim in æternum tollit.

Panis Eucharistici quam sa sit perfectio. Est autem aduertendum hoc verbum, *Nō esuriet, nec sitiet in æternum*, dictum esse à Domino, vt responderet verbo illorum, *semper da nobis*. existimabant illi futurum hunc panem, qualis panis est materialis, qui semel comestus, non tollit famem pro toto vitæ tempore, propterea iterum ietrumque recipitur; at Dominus auertit eos ab hac opinione, docens hunc panem non esse talem; qui enim manducat semel, nec esuriet, nec sitiet in æternum. Similis est illa sententia dicta Samaritanæ, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Duo autem petit Dominus, vt hunc panem accipere valeant; nempe vt veniant ad eum, & vt credant in eum. per aduentum, confessionem exteriorem intelligit, ad quam opera referuntur: per fidem autem, interioris mentis assensum, & affectum, iuxta illud Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: prius ponit quod facilius est, posterius quod difficilius, vtrumque tamen necessarium. Neque intelligas ex hac diuisione, qui venit tantum, non esuriet; & qui solum credit, non sitiet, quasi qui

Iudæi Samaritana similes.

Tria huius verbis docet Christum.

Panis Eucharistici quam sa sit perfectio.

siq̄ venit, & non credit, non sit habiturus famem: vtrumque enim est necessarium, nec ista diuidi possunt; sed distinctio fit hæc verborum, vt effectus distincti panis huius, & vt etiam non vnū esse quod Dominus requirit, significantur. Eadē verba Dominus repetit, *Ego sum panis viuus*, & tunc exactius discutientur, modo autem id annotandum superest; non in hac vita verbum hoc impleri, *Non esuriet, neque sitiet*, sed in æterna vita; quam panis hic Christi dat, & efficit: sicuti superius cap. 4. exposuimus, dum de Samaritana loqueremur.

Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.

DVO responderant Iudæi dicenti Domino, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum &c. Vnum, Quod tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Alterum, Patres nostri manducauerunt manna in deserto, quo verbo, Christi miraculum deprimebant. Dominus ad hæc duo respondet. Ad primum quidem: *Vidistis*, inquit, *me, & non creditis*; quasi diceret, multa signa mea habuistis, quibus me videre, & agnoscere Christum esse potuistis, & tamen non creditis; non ergo verum est quod dicitis, Quod signum facis, vt videamus, & credamus tibi: quasi verò si videretis signa crederetis; iam vidistis, & tamen non creditis. Signa hæc, quibus hi Iudæi agnoscere potuerunt, sunt, non tantum miraculum panum; sed etiam quia tunc multos infirmos verbo curauit, quod Moyses non fecit. Ad secundum respondit, Panem à se promissum, præferendo Mannæ dato per Moysen, simul etiam se esse panem hunc declarando. Videns autem eos etiam post tam mirabilem doctrinam in sua infidelitate persistere, eandem repetit sententiam, non vt eos iterum confundat, sed vt secretiorem doctrinam tradat, & fidei causam in altius reuocet principium. Non enim signa tantum, aut prædicatio sola exterior inducere hominem ad credendum valent: nisi adsit virtus Patris. Est enim fides donum, & opus Dei summis precibus ab eo petendum. Sensus ergo est, Dixi vobis prius vos etiam signa habuisse, quibus me vidistis, & agnoscere potuistis, & tamen non creditis. Scitote, omne quod dat mihi Pater ad me venit, & nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Signa ergo non sufficiunt, vt vos putatis: est enim credere donum datum à Patre, & illi credent, quos mihi Pater dedit, & traxerit: necesse est ergo à Patre petere, vt credatis. Hic est sensus. Est enim connexa hæc sententia cum sequenti, & occasione sequentis doctrinæ repetita est. Vna tantum difficultas occurrit in hac expositione: nam Euangelista non retulit Christum prius respondisse Iudæis hæc verba, *Vidistis me, & non creditis*, quomodo ergo nunc, inquit Christus, *Dixi vobis*, quasi prius idem dixerit. Respondeo Ioannem breuitatis studiosum non tetulisse prius hæc verba, quia repetenda erant à Christo, satisque erat illi repetitionem narrare. Exemplum habemus, Ioan. 11. Martha dicit Mariæ, Magister adest, & vocat te, & tamen Euangelista non narrauerat Christum dixisse Marthæ, vt vocaret Mariam; cum autem refert Martham vocasse Mariam, ex Christi præcepto simul significauit Christum prius præcepisse. Est etiam in eodem capite exemplum alterum expressius, dicit enim Dominus Marthæ, Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei? & tamen Euangelista non narrauerat prius, quod Dominus se iam dixisse asserit. Ita nunc factum est.

ANNOTATIO XIX.

Superiorem sententiam variè connectunt, & exponunt Doctores. Cyril. lib. 3. cap. 38. percontatur, vbi Dominus hanc protulerit sententiam, *Dixi*, inquit, *vobis, quia vidistis, & non creditis*. respondet per Isaiam eam dixisse, cap. 6. Audite audientes, & nolite intelligere, videte visionem, & nolite cognoscere. Sed violenta hæc videtur connexio: loquebatur enim Dominus illis ipsis, qui præsentibus erant. Euthymius dicit, Dominum ea verba protulisse prius, sed non esse scripta. huic in commentario nos consensimus, idque confirmauimus exemplo: & ultra hoc sensum verborum explanauimus, & exposuimus. Aliqui nostro tempore exponunt illud, *Dixi vobis*, ad præcedentem sententiam referentes; dixi vobis me esse panem vitæ, sed tunc ratio subiuncta non accommodatur, quia vidistis me, & non creditis; si enim videtes non crederent, multo minus crederent, etiam si diceret. Alij respondent

Duabus doctrinarum responsionibus Christum satisfecit.

esse dictū in illis verbis, quæritis me, non quia vidistis signa; & hoc quidem verè dicitur, tamen qua ratione verba hæc connectantur, non exponunt: quæ in commentario diximus, ea esse legitima & quantum ad sensum; & quantum ad connexionem existimamus.

Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.

COMMENTARIUS.

CONNEXA hæc est superiori sententiæ, fidei causam in altius reuocās principium supra signa, & supra verba exteriora, nempe virtutem, & operam Patris, vt diximus in expositione proximæ sententiæ, Quos ergo tanti cibi promissione non adduxit, terrore, & minis attrahere studet, ostendendo eos omnes venturos ad se, & credituros, quos Pater ei dedit, qui ergo non venerint, nec crediderint, non sunt ei à Patre dati: nec enim quisquam à Patre dabitur, qui non venturus sit. Illud, *Omne*, in neutro genere, exactius vniuersitatem significat, quam in masculino. ponitur etiam vt significet omnem sexum, statum, conditionis, & nationis differentiam. *Omne*, siue masculus, siue foemina, siue diues, siue pauper, Iudæus, Gentilis &c. insinuat etiam his verbis Dominus fidem, qua ad Christum venit, esse donum Dei, nec solis humanis viribus acquiri posse, quod paulò inferius dicitur. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum; vt nemo existimet sine Dei auxilio id posse efficere. Insinuat etiam his verbis multos credituros in Christum, ne Iudæi putarent neminem crediturum, ac si dicat, quamuis vos non crederis, scitote in numeros ad me venturos. Quibus etiam verbis, vt rectè Cyril. lib. 3. cap. 39. annotat, Gentium conuersionem significat, immo, & Iudæorum in fide iacturam prædicit, & comminatur.

ANNOTATIO XX.

Dubium ex superioribus verbis soluitur.
Chrysof. hom. 44. & Euthymius mouent hoc loco dubitationem. Si omnis, inquit, quem dat Pater, venit ad Christum, & nemo alius; quibus ergo non dat Pater, vt veniant, in culpa non erunt; cum non veniant, quia datum non est eis à Patre: nemo enim alius venire potest, nisi quem traxerit Pater. Chrysof. respondet duo; Alterum est, non tolli his verbis arbitrium hominis: liberum enim est venire, & non venire; propterea qui non veniunt, in culpa sunt. Alterum verò est, per hæc verba id solum velle Dominum docere, neminem humana virtute, & conatu credere posse, & venire ad Christum, nisi cælesti virtute iuuetur; necessarius tamen est humanus conatus, & actus arbitrij simul cum cælesti virtute. Ista Chrysof. doctrina vera est, si non aliud lateat, quam quod his verbis exprimitur: Arbitrium enim humanum non tollitur, quamuis sine gratiæ auxilio ad credendum in Christum non sufficiat. Cæterum non satisfacit responsio difficultati: eadem enim quæ prius restat difficultas. Si nemo venit, nisi cui Pater dat; qui ergo non venit, in culpa non erit, quia non habet, nec accipit id, sine quo venire non potest. Euthymius expressius respondet, & re vera, ea est responsio & doctrina, quam Chrysof. intendebat: dicit igitur, Deum dare vt credant ijs, qui aliqua præparatio se faciunt dignos; vt eis hoc à Patre detur, ijs verò non dat, qui se indignos exhibent; non igitur à culpa liberantur, qui non veniunt; quia si eis non datum est, id propter eorum culpam non est datum; cum possent se dignos facere vt eis daretur: quod ergo detur vel non detur à Patre, è libero humano

pendet arbitrio. quod quauis sine auxilio gratiæ non possit venire, potest per se ipsum dignum se facere, vt ei detur, vt veniat. Eadem est doctrina Cyril. lib. 3. cap. 39. eos enim, qui se faciles præbent ad credendum; dignos vocat fide, & vt eis detur, vt credant. & lib. 4. c. 6. filium Dei dignis hominibus reuelatum iri dicit. Est autem hæc doctrina non iustorum tantum, sed aliorum doctorum maxime Græcorum, qui libero arbitrio humano multum tribuebant, nondum Pelagiana tunc hæresi grassante, maxime Chrysof. temporibus. Augustin. autem multis in locis multo aliter sentit, & docet: nempe non solum à Deo dari hominibus, vt credere possint; sed etiam vt velint credere, & credant, & ipse est, qui dignos facit, & præparat, & facultatem dat credendi: nec humanum arbitrium sine diuino auxilio potest se præparare, & dignum facere, vt à Deo accipiat fidem. Videndus est Aug. li. 1. de prædest. San. cap. 5. & 6. vt omittamus sexcenta loca, vbi hoc discutit, & affirmat.

Hac posita doctrina dubitatio proposita sit difficilius; nam si Deus etiam præparat arbitrium hominis, vt velit, & credat; qui ergo non volunt nec credunt, non videntur esse in culpa. Pro solutione huius difficultatis, & simul pro sententiæ huius Euangelicæ, quam exponimus, declaratione, aliquot sunt responsiones adhibendæ, eo supposito, me non intendere materiam hanc à proprijs fundamentis discutere, & omnia quæ tractari possent in medium proponere, sed ea solum, quæ satis esse visa sunt ad verba Domini explananda, & difficultatem oppositam tollendam.

Prima igitur responsio est, istæ duæ enunciationes

tiationes valde differunt, Omne quod dat mihi Pater ad me venit, & omne, quod venit ad me, id mihi dat Pater, hæc posterior significat omnem venientem ad Christum datum esse à Patre; at illa prior significat eos, qui dati sunt à Patre, venturos ad Christum: hæc autem duo longè esse diuersa patet. qui enim dicit, omnis, qui venit, datus est à Patre, non propterea significat omnem datum à Patre venire, at qui dicit; quodcumque dat mihi Pater ad me venit, significat neminem esse ex his, qui à Patre dati sunt, qui non veniat. Ex quo patet non esse probandum, quod docet Chrysof. nempe his verbis Dominum tantum significare voluisse, neminem venire posse ad Christum, nisi gratiæ auxilio adiutum hoc quidem verum est, tamen non solum id Dominus significare voluit, aliàs dicendum sic fuisset, Omne, quod venit ad me, datum est mihi à Patre; at non sic, sed aliter dictum est, *Omne, quod dat mihi Pater, venit ad me*, quia non solum qui venit datus est à Patre, sed si à Patre datus est, certissimè veniet, quia à Patre habet vt venire possit, & simul vt de facto veniat.

Secunda responsio est: hæc enuntiatio, Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, non tollit, quin alij etiam veniant, qui non sunt à Patre dati, sed solum significat omnes datos à Patre venturos ad Christum: si enim alij etiam venirent, non dati à Patre, dummodo veniant omnes, qui à Patre dati sunt, vera est enuntiatio, Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit; at quia re vera nemo alius est, qui veniat, nisi is, qui à Patre datus est, propterea Dominus paulo inferius, addidit; Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, vt non solum omnes, quos Pater dat veniant; sed etiam nemo veniat, qui non sit à Patre datus. hæc enim duæ veritates mutuo se iuuant; & sententiam complent. Si enim tantum dictum esset, Nemo venire potest, nisi datus à Patre, non significaretur venturos omnes, qui à Patre dati sunt: si autem hoc etiam solum dictum esset, Omne, quod dat Pater veniet, non significaretur neminem venire alium, qui à Patre non sit, dum utrumque asseritur, perfectè ostendit Dominus neminem venire, nisi qui à Patre datus est, & omnem, qui à Patre datus est, efficaciter, & infallibiliter venturum. Et proposita à principio dubitatio ex vtraque hac simul enuntiatione procedit. Si enim qui venit, datus est à

Patre, & qui non datus est à Patre, non venit, qua ratione qui non venit in culpa esse potest?

Tertia responsio est, non est eadem ratio eorum, quibus datum est, vt veniant; & eorum, quibus non est datum: nam quibus datum est, vt veniant, ex gratia habent, & dono Dei, non

ex aliqua dignitate arbitrij aut præparatione humano conatu solo effecta: iam enim non esset donum, & gratia, si dignitas in humano præcessisset arbitrio, quæ non esset, ex eodè Dei dono. At quibus non datur; vtique non sine culpa eorum non datur: & propterea quod non detur ipsis imputatur, quia sine culpa non sunt; & in hoc doctores citati Græci non probantur, quia parem vtrorumque fecerunt rationem, arbitrij conatui dantes, & quod se dignum fide faciat; & quod se fidem recipiendi efficiat indignum, quod re vera non est. fecit quidem se indignum, vt à Deo reciperet fidem, sed non contra; se effecit dignum, vt acciperet. sicut si duodecim homicidij rei coram Principe iudicandi trahantur, sex eorum vitam condonaret, alijs eandem minimè. quibus dat, ex gratia dat, quibus negat eorum culpa existente negat. hæc est doctrina ad metem Augustini, & quæ existimo in hac parte veram.

Quarta responsio; non igitur dubitatio proposita difficultatem habet. Admitto enim neminem venire nisi à Patre sit datus, non inde tamen sequitur in culpa non esse, si non veniat: nam non sine culpa, & demerito eius factum est, vt ei non detur, à Patre, nec propterea sequitur, vt quibus datum est, merito eorundem datur sit, sed sola dantis æterni Patris gratia, & dono.

Nec idcirco arbitrium tollitur humanum: qui. n. venit, libero arbitrio venit, non quidem solo, sed auxilio à Patre dato iuuante, qui autem non venit, solo suo arbitrio venire renuit. Sequitur etiam contra nostræ tempestatis hæreticos verba Ioannis interpretantes in eum sensum, vt per hæc verba Dominus causam cur non veniant, in æternam prædestinationem reuocet, sed accipiuntur; prædestinatio causa non est, cur non veniant, nempe quia prædestinati non sunt, sed culpa eorum, & vitium, sine quo in æterna prædestinatione reiecti non sunt. Quare autem Dominus hac forma loquedi usus sit, & de sensu litterali, in commentario expositum est, nec est cur repetamus. Cætera omnia, quæ de hac materia dici possent, præter institutum nostrum sunt, nec ad expositionem præsentem necessaria.

Et eum, qui venit ad me, non eijciam foras.

COMMENTARIUS.

CONFORMEM patri voluntatem suam profitetur. Pater mihi dat eos, qui ad me veniunt, nemoque horum deerit: ego etiam singulos venientes non eijcio foras; id est, accipio in meam gratiam, salutem eius confero, redæptionis fructum communico. Loquitur in singulari, vt nec vnum ex ijs, qui veniunt se excludere significet. August. tra. 25. & Cyril. l. 3. cap. 40. exponunt hoc, *Foras*, de damnatione, quæ opposita est æternæ saluti, de quo dicitur Matth. 13. Malos foras miserant, & Matth. 25. Intra in gaudium domini tui, quod rectè

rectè dicitur, cum & verba sequentia id declarent, & sæpe in lectione Euangelica exclusio à cœlesti regno, & æterna vita dicatur foras emissio, & tenebræ exteriores. Ad hoc cætera pertinent, quæ in hoc seculo saluandis communicantur: generaliter enim omnia ea bona, quæ fidelibus dantur, significat, dū dicit, *Non eijciam foras*; quia mihi vnietur per gratiam; admittetur in meā tutelam; participabit meum cibum; erit de domo mea non solum in æterna gloria, sed etiam in Ecclesia hac militanti. Aliqui textus habent verbum præsentis, *Non eicio*, tamen Cyril. Chryf. Aug. exponunt de futuro: & ita re vera est legendum; non solum enim de præsentibus, sed generaliter de futuris est sermo, sicut dictum est supra; Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, & hunc non eijciam foras.

Quia descendi de calo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

RATIONEM, & causam assignat, cur non sit venientes ad se missos à Patre reiecturus; *Quia*, inquit, *descendi de calo, ut voluntatem Patris faciam*: cū igitur voluntas patris sit, ut venientes ad me recipiam, & foras non eijciam, hoc faciam. Quādo dicit, *Non ut faciam voluntatem meam discendi*, loquitur, ut homo; nec hoc dicit, quasi contrariam voluntatē habeat ut homo à voluntate Patris, est enim conformis, & vult etiam quæcunq; Pater vult: sed tali vtitur verbo, quia prior est voluntas Patris, & causa cur ipse velit; nam quoniam Pater vult, propterea vult Christus ut homo, tamen vult idem quod Pater; sicut, qui vult omnia quæ sunt prius ab alio volita, dicere potest non facio voluntatem meam, sed alterius, non quod nolit ea, sed quod propterea vult, quia alter vult. In quo Christus ad diuinam voluntatem, & beneplacitum refert hominum salutem tanquam ad primam, & supremam causam, à qua omne bonum procedit, & cui ipse, ut homo, suam etiam subiicit voluntatem.

Diuina voluntas hominum salutis causa.

Hæc est enim voluntas eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

Dixerat se descendisse, ut voluntatem patris faceret, modò quæ ea sit, exponit. Hæc autem est, ut neminem ex his, quos mihi dedit, perdā, sed in die nouissimo resuscitem eos: ac si diceret; hæc est voluntas patris mei, ut neminem eorum, qui veniunt ad me, quosque dedit mihi, perdam, seu foras eijciam. Non de quacunque resurrectione sermo est, sed de ea, quæ est ad gloriam, ut paulo post explicat. Est autem hebræa phrasis frequens: *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*, id est, nihil seu neminē ex datis à Patre perdā. Hac sententia exponit, quod superius non expresserat, quando dixit, *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & qui venit, non eijciam foras*; Quanti enim sit momenti ad eum venire, & ab ipso non eijci, istis & sequentibus explicat. circa literam aduerte aliquos legere, Hæc est autem: sic Aug. tract. 25. & Chryf. hom. 44. & ita habent exemplaria Græca; at Cyril. libr. 4. cap. 1. legit, Hæc est enim; & vtraque lectio conueniens est; Si enim legamus; hæc est autem; explicatio est voluntatis paternæ; si legamus; hæc est enim; causa est, cur non sit foras eijciendus, qui venit ad Christum: & continuatur cum superiori sententia, quæ eandem continet causam; sed quia non completa est, in his cōpletur, & perficitur, dum explicatur, cur non sit eijciendus.

Hæc est

Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Hanc patris voluntatem declarat explicando, qui sint ij, qui à Patre dati sunt, quid etiam sit non perdere ex eo: prius enim solum dixerat, voluntatem patris esse, ut neminē eorū, qui dati sunt, perdat, sed omnes resuscitet; explicat nunc, qui sint hi dati, & quæ ratione non sint perdati; Volūtas igitur patris est, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: dati ergo à Patre sunt credentes in filium: dare autem vitam æternam, est nō perdere. causam adiungit cur habeat vitam æternam, quia ego suscitabo eū, etiam si mortuus fuerit. particula *Et vim* habet causæ. Nota qua ratione modò Christus ut homo, modò ut Deus loquitur: ut homo descendit, non ut faciat voluntatem suam; ut Deus, ipse est, qui resuscitat in nouissimo die omnes à Patre datos. illud, *Omnis qui videt*, de corporali visione dicitur propter eos, qui tunc Christum præsentem sensibiliter videbant, & eius doctrinam audiebant; quibus, si credant, vita æterna promittitur: ut sit sensus, *Omnis, qui quamuis videt me hominem, tamen credit in me, confitendo meam diuinitatem, habebit vitam æternam; & ego eum suscitabo in nouissimo die, ut vita possit æterna frui.* Suscitabit etiam Christus incredulos, non ad vitā beatam, sed ad damnationem, de qua nunc resurrectione non loquitur: huius autem meminit, quia dixerat, se esse panem vitæ æternæ, ne forsan arbitrarētur non esse morituros credentes in eum, & panem hunc manducantes, aut dum se morituros arbitrantur, sententiæ veritatem non reciperent; propterea exposuit, morituros quidem corpore credentes, & panem hunc accipientes, sed huius panis virtute ad vitam æternam reuocandos. Attende etiam nō sola patris voluntate homines saluandos, quasi, quos dedit Pater, hi salutē cōsecuturi sint, quia dati sunt; sed necesse est simul venire, & credere in Christum; quod non est sine arbitrio humano, quamuis id per se venire non possit, nisi adsit etiam gratia, & auxilium Dei Patris, propter Christum eius filiū datū. & hac ratione, qui non credunt, à culpa non liberantur: qui enim non credit, non vult credere, quamuis qui credit, non valeat per se solum credere.

Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset, ego sum panis viuus, qui de calo descendi.

Dicis Christi mira, & vtilia docentis non solum fidem Iudæi audientes non habuerunt, sed etiam murmurarunt contra eum, eo quòd dixisset, *Ego sum panis viuus, qui de calo descendi*. Aduerte Christum nō hæc duo coniūxisse, nepe, *Ego sum panis viuus, qui de calo descendi*, sed prius dixisse, *Est panis viuus, qui de calo descendit, & ego sum panis viuus*, postea verò addidit; *Descendi de calo* cæterum Iudæi sensum considerantes, & vtrunq; copulantes murmurarunt contra verba Christi, ac si dixisset, *Ego sum panis viuus, qui de calo descendi*.

Et dicebant, nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrem, & matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de calo descendi?

Hæc est eorū murmuratio, & detractio cōtra Christi dignitatē: offendebantur eius humanitate, Deū nō credebant interius, quē exterius hominē videbant, & natum sicuralios arbitrabantur; sed culpa non carēt. Si enim filius est Ioseph, cuius patrem, & matrem nouerant, quomodo tantam multitudinē saturare potuit quinque panibus? quomodo tot eorum infirmos tāta facilitate sanare? hæc non ex patre, & matre, quos putabant se nouisse, habebat.

bebat. aliud igitur latere necesse erat, altio- rem originem, & naturam sortie- batur; & non aliam, quam eam, cuius est sanare aegrotos, vitæ restituere mor- tuos, & mundum sustentare. propterea enim hæc fecit Christus, vt se aliam habere naturam ostenderet præter eam, quæ exterius apparebat.

Respondit ergo Iesus, & dixit illis, nolite murmurare in- vicem: nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.

Veritatem dictorum suorum confirmat Christus, eorumque murmuratio- nes, quamuis tacitas arguit, vt & in hoc nihil se latere posse ostendat. Et est sensus, Nolite murmurare, quasi rem aliquam falsam, & incredibilem ego pronuntiauerim, si enim non capitis verba hæc, non ideo vera non sunt, sed quod non habetis in vobis lumen illud diuinum, quod necessarium est, ad veniendum ad me, & ad credendum verbis meis. Nemo enim venit ad me, nisi à Patre tractus, & à Patre illustratus; at vos cum non sitis tales, non capi- tis verba mea, quæ verissima sunt. Est simile sicut si rustici ad audiendum cõ- cionantem de rebus, & mysterijs altissimis, ad quæ capienda necesse erat pri- us multa in scholis didicisse, accessissent: illi autem hac præparatione carètes non intelligerent, ac propterea inter se de veritate illorũ dubitarent; sanè cõ- cionator ille dicere posset, Ne murmuretis; nemo enim meam doctrinã intelli- git, nisi, qui satis diu est in scholis versatus; nõ est doctrinæ meæ falsitas, & in- credibilitas, sed vestra ignorãtia causa, quæ non capiatis, nec assensum præbea- tis: ita nunc dicit Dominus, *Nolite murmurare*, nemo enim mihi credit, nemo mea verba capit, nisi qui à Patre tractus est, qui ab eo illustratus est; vos autẽ culpa vestra lumen hoc non habetis. His verbis insinuat eos debere potius lumen à Deo petere, quã murmurare, potuisset Dominus dicere, nolite mur- murare, vos enim non venitis ad me, nec verba mea capitis, quia mali, & du- ri, & proterui estis; noluit tamen sic loqui, sed paternæ tractionis meminisse; tum vt suam doctrinam cœlestem, & diuinam commendaret; tum ne fidem in eum hominis arbitrio soli tribuere videretur, quasi homo per se suffice- rët; tum etiam, vt eos sic terreret, quasi destitutos paterno, & diuino lumine: denique, vt doctrinam suam non falsam, nec contra Deum, sed veram & se- cundum diuinam voluntatem significaret.

Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Secundo argumento veritatem dictorum confirmat, & eorum murmurã- tionem arguit: & est sensus, nolite murmurare, & meam doctrinam iudi- care falsam; tum quia vos non habetis lumen diuinum à Patre communica- tum, sine quo ad me venire, & meam doctrinã capere non potestis; tum etiam quia ego sum, qui credentes in me suscitabo in die nouissimo; qui autem talẽ ac tantam potestatem habet, profectò non est de terra, & filius hominis tan- tum, sed simul etiam de cœlo descendit. Rursus si suscitaturus sum credentes in me, vitæ panis sum: non enim suscitatur mortuos, nisi qui vitam dare potest æternam. Quibus verbis & terret, & allicit, & se Patri æqualem ostendit; nec- nim, cum dictum esset, nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, ex- istimarẽ illum esse patre minorem, propterea, *Ego*, inquit, *suscitabo eum*, quod non est minoris potestatis, quàm trahere, immo eiusdem.

ANNOTATIO XXI.

Manicheorũ de libero ar- bitrio, ar. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

MANICHEABI, vt refert Chryl. hõ. 45. & id- ipsũ insinuat Aug. tract. 26. hoc loco ab- utebantur, vt liberum hominis negarent ar- bitrium, quasi id trahi dicitur, quod vi, & violenta venire cogitur. Sed stulta est argu- mētatio hæc; tũ quia & verbũ non semper vio- lentiam aliquam significat; tum quia & apud auctores prophanos trahi sæpe idem signi-

ficat, quod inclinatione vehementi in ali- quam rem duci. trahi enim multi appetitu gloriæ; alij appetitu scientiæ dicitur; & vt Au- gust. Poëtam allegat, Trahit sua quenque vo- luptas; non tamen vi trahuntur, aut necessi- tate aliqua: tum etiam scriptura, infinitis penè locis huic vi & necessitati aduersa- tur, dum sæpe inuitat peccatores, vt ve- niant

Cur Christus trahere ho- mines in scri- ptura dicitur.

niant ad fidem, & ad diuinã legis obseruan- tiam; si autem vi, quæ necessitate traherentur, non esset, quod venire inuitarentur, & admo- nerentur. Vtitur autem scriptura hoc verbo, vt efficaciam diuinæ vocationis explicet, quæ homines suis vitijs maximè immerfos, & diu- turno tempore in ijs enutritos, nihil nisi car- nale sapientes, & appetentes, temporis mo- mento conuertit; vt omnibus, quæ summo pe- re & diu dilexerunt, relictis, Christum sequã- tur. Hæc efficax, & solius diuinæ dexteræ mutatio, tractio dicitur; non quòd vi, ne- cessitate ad Deum trahantur, sic enim mi- nus efficax esset motio; sed quòd ab his, quæ sola & vehementissimè diligebantur, & pro- pter quæ omnia prius contemnebatur, volens, & libens homo ad omninò contraria repen- tẽ conuertatur; quod experientia compertum est frequentissimè, dum homines inimici cru- cis Christi, persecutores, carnales, iam diu vi- tijs dediti, vno verbo in spirituales viros om- nia præterita damnantes, & abominantes; di- uinæ lucis radio conuersi sunt. quo argumen- to vtitur Origen. lib. 2. cont. Celsum in fine, ad probandam Christi diuinitatem ex Gentium conuersione, cuius verba sunt: Atego nelcio, an homo ausus vniuersum orbem ad sui cul- tum, suamque doctrinã attrahere; potuisset sine Deo tantum successum habere, superare- que omnia suæ doctrinæ obstacula etiam Re- ges, Imperatoresque, Senatũ ipsum Roma- num, & omnes omnium populorum princi- pes. quomodo enim homo natus, & nullius præstantioris naturæ particeps, tantam ad se conuertere multitudinem, & quod magis mi- rum est, non sapientum tantum modò, verum etiam affectibus magis; quàm rationi obsequẽ- tiũ; ita vt mox vice versa fiant è brutis pruden- tes? Sed quoniam potentia Dei Christus erat, & Patris sui sapientia, ideo talia fecit, & facit nunc quoque. hæc Origen. Ex qua doctrina eli- cere possumus causam aliam, cur verbo tra- hendi Euangelista sit vsus, nempe vt in ea tra- ctione etiam vis, & violentia magna illata,

A & inferenda significaretur: sed non hominis arbitrio, vt Manichæi impiè arbitrabatur, sed vitijs, erroribus, cõsuetudinibus, & moribus prauissimis: dæmonibus, nominis Christi ini- micis, & persecutoribus: vis est his illata, & diuina potentia superatis erepri sunt homi- nes, vt ad Christum spontè, & libenter veni- rent: de qua violentia dictum est Matth. 11. Re- gnum cœlorum vim patitur, & violenti rapi- unt illud. propterea etiam Ioann. 12. dictum est; Si exaltatus fuero, omnia traham ad me ip- sum.

B Sed percontaberis, quare tractio hæc tri- buitur Patri, cum Filius, & Spiritus Sanctus etiam trahant, vnicaque sit tractio, & commu- nis personis tribus? de filio enim dictum est Ioan. 12. Omnia traham ad me ipsum. Aug. lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 8. hoc proponit, & re- spondet tribui Patri propter originem; quia ab ipso filius, & à Patre & Filio Spiritus San- ctus procedit. tamen hæc responsio totam dif- ficultatem non tollit: nam, vt diximus, etiam filio tribuitur: non igitur causa est origo, sed particularis est ratio, propter quam hoc in loco Patri datur tractio: hæc autem mihi vide- tur ea esse, quàm in commentario explicauimus. Cyr. li. 3. ca. 39. ea ratione factum affirmat, vt diuinæ opus naturæ esse ostendatur crede- re, & venire ad Christum; quod sic declaro; magis etiam exprimitur opus esse diuinæ na- turæ, quando Patri tribuitur: nam cum ipse Christus homo sit & Deus, non ita facilè de- claratur, quid sit, quod facit vt Deus; quid ve- rò vt homo, quàm cum Patri tribuitur: quãdã tale non est id de quo est sermo, vt manifestum sit Dei esse proprium. vt igitur diuinum opus significaret esse, venire ad se, & per hoc do- ctrinæ suæ veritatem confirmaret: propterea hoc in loco id tribuit Patri; contra murmu- rantes enim, & incredulos id exprimere ne- cessarium videbatur. Aliæ difficultates, quæ ex hac sententia exoriuntur, in præce- denti annotatione sunt de- claratæ.

C **D**

Est scriptum in prophetis, erunt omnes docibiles Dei.

COMMENTARIVS.

Confirmat Dominus sententiã superiorem, nempe neminem venire ad se, nisi tractum à patre. cõfirmatio est ex testimonio prophetico, quia ita est à Prophetis prædictum, futurum tempus in quo Deus docturus esset, & il- luminaturus homines; vt Deus doctor, & magister, homines autem discipuli eius futuri essent, quod quidem in fide reuelata per Christum impletum est. *Erunt, inquit, omnes docibiles*, id est docti, & eruditi à Deo. testimoniũ est Isa. 54. Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino. in Hebræo, *למד יידיהוה* est partici- pium passiuum, sed potius nomen verbale passiuæ vocis in regi- mine, id est, discipulos Domini, siue doctos Dei, & ibi Hieronymus hunc lo- cum Ioannis adducit, tanquam illius prophetiæ complementum. Adfert etiam prophetiam Hieremiæ 31. Dabo legem meam in mentibus eorum, & super cor eorum scribam eam, & nequaquam docebunt singuli proximos suos, & fratres suos, cognosce Dominum; sed omnes scient me à minimo vsque ad maximum. Multa sunt huiusmodi testimonia prophetarum,

quibus Deum docturum homines prædictum est. Qua ratione hæc sententia sit intelligenda verbis sequentibus exponitur: allegat autem Dominus testimonium Prophetæ, cuius apud illos maior est auctoritas.

A N N O T A T I O X X I I .

Docibilibus
affine est pas-
sive in scrip-
tura inveni-
tur.

Aduerte latinum verbum (docibiles) in hoc loco positum esse in passiva significatione, quasi ab eo doctos & eruditos; at in alio loco in actiua significatione sumitur, nempe 2. Timoth. 2. Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem; docibilem vocat docentem alios, quod 1. Timoth. 3. verterat, Oportet episcopum hospitalem doctorem; est enim vocabulum Græcum in vtroque loco idem *didaskalos*. At in hoc loco Ioannis aliud est Græcum vocabulum *didaskalos*, quod passiuam habet significationem, iuxta Hebraicum verbum *למד*, *דלמד*. Aduertendum rursus, testimonium hoc à Domino allegatum ad verbum esse in Isaia, uti dictum est. Sensus verum, nē-

Ape docendos homines à Deo multi Prophetæ tradiderunt. propterea Dominus vsus est plurali numero, *Scriptum est in Prophetis*: quamuis etiam propter vnicum testimonium dici potuit *In Prophetis*, quia est in vno Prophetarum, more loquendi Hebræo; vel quia omnes prophetæ in vnum librum, qui dicebatur Prophetarum, collecti erant. Quæret aliquis quare dictum sit, omnes docendos, & illuminandos esse, cum non omnes illuminatos videamus. Respondendum est, sicut & respondimus in illa primi capituli sententia; Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; omnibus enim doctrinam, & lumen paratus est Dominus communicare, nisi vitia eorum impedi-
mento sint.

Cur dicitur
est. Inpro-
phetis scri-
ptum est.

Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.

C O M M E N T A R I V S .

Doceri quid
sit.

Estimonium allatum suo accomodat proposito, cum enim dictum esset, neminem venire ad Christum, nisi à Patre tractum, & allegasset prophetiam dicentem fore, ut homines Deo docerentur, deducit dicens: Omnis talis, qui doctus fuerit à Patre, venit ad me; ac si dicat, hæc verba prophetiæ de his dicta sunt, qui ad me venturi sunt, & in me credituri, nemo igitur venit ad me, nisi doctus à Patre. Attende adire, & discere significationem exprimere vnius verbi, nempe doceri à Patre. Doceri enim est audire, & discere; audit is, qui per reuelationem mysteria fidei apprehendit; discit autem, qui his, que audit, assensum præbet. Non semper omnis, qui audit discit; at omnis, qui discit audit; qui verò audiuit, & didicit, edoctus est à Patre, & hic venit credendo: non enim aliud est audire, & discere, quam credere: credere autem in Christum est venire ad eum; quamuis etiam venire comprehendat confessionem fidei, & obedientiam mandatorum Christi; at in hoc loco magis propter fidem positum est, de qua præcipuus est hic sermo, cætera tamen non excluduntur, sunt autem hæc à Deo audire, & discere; ipse enim est, cuius gratia reuelantur diuina mysteria: ipse etiam est, cuius gratia, & auxilio liberum hominis arbitrium iuuatur, ut credat, & quod credit, confiteatur & faciat; quibus verbis, & arbitrium hominis, & simul gratiæ adiutorium comprehenduntur, quod doctè Augustinus libr. 1. de gratia Christi, contra Pelagianos, & Cælestinos cap. 14. explicat, dicens: Omnis qui didicit venit quisquis non venit, profectò non didicit: quis autem non videat, & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis; sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non potest autem nisi adiutum esse, si venit; & sic adiutum, ut non solum quod faciendum sit, sciat, sed quod scierit, etiam faciat. ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritus gratiam ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Hæc Augustinus.

A N N O T A T I O X X I I I .

Nulla insti-
tutio, nisi
Dei inter-
num docue-
rit, sufficit.

Aduerte, per hæc, & præcedentia verba non tolli prædicationem externam hominum in Ecclesia: nam Roman. 10. Fides ex auditu, & auditus ex prædicatione Apostolorum, & eorum qui missi sunt: nec tollitur

magisterium Ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis 1. Timot. 3. sed docet Dominus his verbis omne exterius magisterium non sufficere ad credendum, nisi interius Deus illuminet, & moueat cor ad credendum,

dum, iuxta illud 1. Cor. 3. Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Ephes. 1. Deus, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri. Docet etiam his verbis, quamuis exterior sit prædicationis, & magisterium, tamen verbum, & doctrinam non esse hominum, sed Dei ipsius, qui per ministros suos loquitur. 1. Thes. 2. Gratias agimus Deo sine intermissio-

Ane, quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicuti est verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Perpende duo, verbum esse Dei, quod per prædicatores, annuntiat, & in ipsis audientibus Deum operari fidem, hac vtraque de causa fideles didicisse, & audisse à Deo dicimur. His igitur verbis explicuit, & confirmavit Christus superior sententiæ: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.

Non quia patrem viderit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patrem.

C O M M E N T A R I V S .

Ne quis arbitraretur ita patrem audiri, sicut discipuli magistros homines naudiunt, qui ipsos videntes eorundem verba percipiunt; adijcit dicens, non ita intelligendum esse, qui à Patre audiuit, & didicit, venire; quasi aliquis viderit patrem, ut ab ipso audierit; aut visurus sit, ut audiat. nemo enim talis est, nisi Filius solus, qui est à Patre, hic est, qui videt, & videt patrem. Quibus verbis significat omnes ex auditu docendos, non ex visu: si enim visus esset, fides non esset. nam quod credimus, non videmus. significat etiam se solum esse eum, qui nouit ex visu patrem, & cuius auditui oportet nos obtemperare. His etiam verbis aliud insinuat, nec etiam Prophetas vidisse, quamuis docti fuerint à Patre: nam mentionem eorum fecerat, testimonium eorum allegando; at nec hi viderunt, idcirco ipse est omnibus Prophetis superior. Similis est illa sententia Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam; vbi multa de hac re diximus pagina 119. & sequentibus. Illud, qui est à Patre, significat, qui natus est à Patre. Spiritus sanctus non excluditur, ut illic scripsimus; sed non exprimitur, quia audientes capaces adhuc non erant tantæ doctrinæ, qui nec ipsum Filium nouerant.

Visus exclu-
dit fidem.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.

Dobiecit eis defectum luminis, & doctrinæ paternæ, ipsorum culpa, sine quibus nemo venit ad Christum; altero se esse, qui suscitabit in nouissimo die credentes, edocuit; quod non fieret nisi vitæ panis esset. primum horum explicuit, & confirmavit prophetiæ testimonio, & eius declaratione, nunc secundum confirmat; Ego resuscitabo eum in nouissimo die; & dicit, *Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam*. Assertionem vitæ geminata loco argumenti; cuius enim tot ac tanta viderant signa, debuit profectò eius verbum tanta assertionem prolaturum, magnum eis esse veritatis argumentum. Reperit autem Dominus sæpe hanc sententiam, se scilicet esse panem vitæ, & credentes in eum habere vitam æternam, ut vel ipsa frequens repetitio eos moueat ad fidem, ut factis, & dictis, & ipsa dictorum repetitione tantam confirmet veritatem, nullumque veritatem annuntiandi relinquatur argumentum. *Qui credit ergo in me vitam æternam habet*, non quod tunc quando credit habeat in re, sed in nouissimo die. Quædo verò credit habere dicitur, quia ius ad rem habet: fides enim viuua fidelis est velut pignus, & ius quoddam ad vitam æternam.

Fides viuua
est velut pig-
nus vitæ æ-
ternæ.

Ego sum panis vita.

CAUSAM annectit, cur credentes in eum habebunt vitam æternam, quia *Ego*, inquit, *sum panis vita*, qui credentibus in me, panem vitæ, qui sum ego, ministro, eosque me ipso cibo. *Panis vita*, dicitur non solum, quia viuuit in se, quod nullus alius cibus habet; sed quia causa est vitæ, & panis est viuificans. Dicitur enim Christus modò panis viuus, modò panis: vitæ: viuus, quia in se vitam habet; vitæ, quia alios viuere facit.

Panis vitæ
cur dicitur.

Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt; hic est panis de calo descendens, ut, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

Rescensibus
Sanctissimi
Eusebii illia
vita promit-
tatur eterna.

EXPLICAT cuius, & qualis vitæ panis sit, eum præferens manne dato patri- bus, quod non præstitit vitam immortalem. nam mortui sunt, quotquot illud in deserto manducauerunt; at qui panem Christi manducauerit, non morietur. Et attende quod, Patres vestri, dicit, non nostri: quamuis enim secundum carnem descendebat ab eis, tamen, quia tunc secundum suam loquebatur diuinitatē, ab eis se separat, dicens, Patres vestri, quasi dicat; alium ego patrem habeo qui ipse Deus est, vestrorum patrum, & omnium Dominus. Et est cum articulo, Ego sum panis ille. Obijciat aliquis cum etiam, qui hunc panem Christi manducant, moriantur, sicut & illi, qui manna manducarunt: non videtur, quæ sit differentia huius panis & manne. Respondeo; qui manducat hunc Christi panem mori quidem corpore, tamen virtute eius in vitam postea suscitari æternam, & immortalem, & huius vitæ gratia datur: non enim panis hic ad vitam hanc corruptibilem sustentandam confertur, sed ad immortalem & æternam ac beatam, & eam efficit post hanc corruptibilem; at manna illud, datum erat duntaxat ad vitam hanc corruptibilem tuendam, neque tamen eam ita tueri potuit, ut à morte præseruarentur: mortui enim sunt illi, nec virtutem habet eos suscitandi, & ad vitam reuocandi. Est ergo differentia, quod manna à morte non liberat, quia mortui sunt illi: nec virtute manne suscitabuntur: at qui manducant panem Christi, liberantur à morte, quia etiam si moriantur manducantes, virtute eius panis suscitabuntur ad æternam, & beatam vitam. Rectè ergo Cyril. lib. 4. cap. 10. dicit illud manna nullam perpetuæ vitæ dedisse virtutem, at panis hic Christi æternæ vitæ relinquit in manducante virtutem: ut quamuis moriatur, virtute tamen Christi manducati, & in eo per gratiam, & spiritum manentem suscitandus sit in æternam, vitam. Et hic est sensus.

ANNOTATIO XXIV.

AVGVST. tract. 26. multo aliter superiora verba exponit: videns enim etiam eos, qui Eucharistiam, & panem Christi manducant, mori, ut etiam illi, qui manna manducarunt in deserto, affirmat verba hæc sic intelligenda, & connectenda, ut Dominus murmurantes velit terrere, & reprehendere exemplo patrum. Patres autem vestros dicit, non omnes, qui manducauerunt manna, sed murmuratores contra Deum, qui ita manducauerunt manna, ut fide non apprehenderint, quod per manna significabatur hi mortui sunt: id est, perierunt à Deo morte puniti, & castigati; at qui manducauerunt cum fide eius, quod significabatur, nec murmurarunt in Domium, non perierunt. Non ergo Dominus hoc in loco comparare vult manna pani suo vitæ, sed reprehendere eorum murmuraciones, & terrere eos exemplo patrum, quos illorum appellat, quia similes ipsi fuerant in infidelitate, & murmuracione. At expositio hæc violenta videtur; quantum enim ex verbis, & contextu licet colligere, comparatio fit panis huius Christi ad manna, ut ex hoc ostendat, quare ratione panis vitæ dicatur.

Aliqui nostro seculo collationem hanc admittentes, & ex alia parte æqualem esse mortem omnibus manducantibus corporalem videntes, sic explicant. Manna vitam ad quam in-

stitutum est à Domino, non effecit perpetuam; nam cum pro sustentando corpore datum fuerit, à morte non liberavit; at panis Christi est ad vitam animæ, qui est in gratia, & spiritu institutus, & hanc à morte præseruat; durat enim vita gratiæ etiam in altero sæculo. Hæc expositio non recentiorum tantum, sed Euthymij etiam est; & quidem vera est doctrina, tamen expositio violenta; nam de vita æterna loquitur Christus, & hanc probare intendit, de qua dicitur; Ego resuscitabo eum in nouissimo die, hoc autem, & animæ, & corporis est, & eam panis hic tribuit, & efficit eo modo, quem in commentario exposuimus. Et illa est expositio legitima. Rectè autem Chryl. ho. 45. verba Domini ponderat; Patres, inquit, Vestri manducauerunt manna in deserto. Ille enim panis paruo tempore duravit, dum in deserto vixerunt, in terra autem promissionis non acceperunt manna. Bona est consideratio, sed his adiungendum est, si manna efficaciam habuisset vitæ æternæ, utique in terra promissionis datum etiam esset; non enim peioris conditionis fuerunt hi, quibus potior fors terræ obtigerat, cum præcipue ibi cultus diuinus perfectior exterit. Manna igitur illud non huius erat efficaciz, sed pro sola corporis necessitate subleuanda, quæ maior fuit in deserto.

Ad hunc
expositio

Ego sum panis viuus, qui de calo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

COMMENTARIVS.

Christus quo
modo est Pa-
nis viuus.

CONFIRMAT se esse hunc panem, & probat, quod dictum est, panem hunc datum esse. ut qui manducat non moriatur. Causa autem hæc est: quia Ego sum panis viuus, qui de calo descendi, profecto causa hæc est optima, & efficacissima. Ego, inquit, sum panis viuus, id est, vitam habens in me. non ergo mirum, si viuere facio manducantes me: qui enim panis est viuus, panis etiam vitæ est, id est, dans vitam. Secundò, Sum viuus panis, non quocunque comuni modo, sed Qui descendi de calo, id est, viuo vita cælesti & diuina, quæ æterna est. Si ergo panis sum, manducantem pascio; si viuus sum, vitam præsto; si viuo vitam immortalem, & æternam, ac cœlestem, viuere alios facio simili vita: & ideo, si quis manducat hunc panem, viuet in æternum. Rectè ergo dictum est prius, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur; intellige in æternum. Hic est sensus.

Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

PANEM hunc magis explicat; hætenus enim se esse panem docuit; modo verò carnem suam, hunc panem, quem se daturum promittit, esse aperit: & in hoc passionem suam pro mundi salute futuram prædicit. Et est sensus, Panis quem ego dabo, est caro mea, quam ego daturus sum pro vita, & mundi salute. Illud enim, Pro mundi vita, coniungitur cum carne: id est, caro, quæ pro mundi vita in mortem danda est, hæc ipsa panis est, Quem ego dabo, Hunc sensum confirmant Græci codices, qui sic habent, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Ita etiam legit Cyril. lib. 4. c. 12. quamuis Chrylost. hō. 45. & August. tract. 26. legant, ut nos habemus. Idem tamen sensus est. Non sine magno mysterio passionis suæ meminit, hunc promittens panem: non enim caro eius in cibum & panem datur, nisi post suam mortem, & passionem, & ut memoria quædam passionis eius: quamuis paulò ante passionem sacramentum hoc sit institutum. Et perpède, Ego dabo pro mundi vita, carnem, quia spontè mortuus est, oblat, quia voluit. Rursus, si caro hæc panis est, iã non de fide sola verba possumus intelligere: nam fides in totum Christum est, totus Christus manducatur fide: quæ est ista manducatio carnis, & corporis, nisi ea, qua realiter caro eius in sacramento sumitur, quod carnem solam ex vi sacramenti continet?

ANNOTATIO XXV.

Christus duo
bus modis ci-
bus est.

DVOBUS modis Christum cibum esse, ac potum docent Sancti, quod scripturæ, & veritati est conforme: dupliciter enim Christum participamus; vno modo secundum virtutem, cuius nobis effectus communicatur; hæc ratione, qui credunt in eum fide perfecta & viua, ipsum manducant, & eis est cibus: quia virtus eius in eis operatur infundendo gratiam, remittendo peccata, & dona impartiendo Spiritus, siue quantum ad principium, siue quantum ad augmentum; ut in his, qui de nouo ad ipsum à peccato conuertuntur, & in his, qui iam conuersi ab eodem perfectionem Spiritus augmentumque suscipiunt. His omnibus per metaphoram, & similitudinem, cibus & potus Christus dicitur; quia animam reficit, & confortat, & recreat, sicut cibus, & potus materialis corpora: mortuus autem spiritualiter per peccatum dat vitam, quod corporales cibi non faciunt. Altero modo cibus

est Christus, non secundum virtutem tantum sed etiam realiter; quia ipse met miro, & ineffabili modo sub panis, & vini speciebus nobis secundum suam datur, & communicatur substantiam. quam manducationem sacramentalem sacri doctores vocant, in qua Christus panis dicitur, quia non solum animam secundum suam virtutem reficit, sed etiam secundum suam substantiam nobis communicatur sub veri panis speciebus contentam. Spiritualis manducationis meminit Paulus 1. Cor. 8. eandem spirituales escam manducauerunt, & eundem potum spirituales biberunt. de reali & sacramentali dicitur 1. Cor. 11. Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum. Quas duas manducationes non ita intelligere debemus, quasi inuicem separatæ profint. Illa enim spiritualis necessaria semper est, & prodest, quamuis non adfit sacramentalis; at hæc utilis non est, nisi adfit simul spiritualis,

Manducatio
sacramentalis.

Vtraque manducatio simul esse potest.

quæ est per fidem in Christum. Non ergo Christus in cibum secundum suam substantiam se non communicat, quasi sine fide, & dilectione velit nos talem suscipere cibum, sed vult nos fide, & affectu, & puritate disponi, ut simul & mente, & corpore cibum hunc manducemus. propterea Paulus 1. Cori. 11. præcipit, ut probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat qui enim non probatus suscipit, non ad utilitatem; sed nocuum sibi suscipit.

De quo Christi corporis est agat hic Evangelista. Hac igitur veritate supposita, percontari posset aliquis verba Ioannis, quæ frequentissima sunt de hoc pane, tam quæ exposuimus, quam quæ exponemus, utro sint exponenda sensu: an spirituali illo, an etiam sacramentali; maxime cum non desint, qui exponant, & exponenda contendant spiritualiter tantum, quibus non assertior; immo maxime miror Catholicos quosdam viros in eam incidisse opinionem contra communem veterum Patrum sententiam, & contra argumenta veritatis fortissima, & contra tam manifestam verborum Evangelicæ huius lectionis ferri; quod ut sit perspicuum, sunt aliqua prius præmittenda.

Contra sacramentarios pro reali corporis Christi est. Vnum est, hæreticos Christi præsentiam realem in sacramento negantes, non habere ex hoc loco aliquid, quod eorum errori faueat: quamvis Catholici aliqui hæc verba spiritualiter de fide exponant: immo, etiam si Ioannes verè de Sacramento hoc nullum in isto capite habuisset verbum; non ideo sequitur per scripturam non confirmari Christum in Sacramento esse: cum habeamus trium Evangelistarum, & Pauli expressa testimonia, in quibus suum corpus Dominum, & sanguinem realiter communicasse sub speciebus panis, & vini apertum est; dum accepto pane dixit, **ACCIPITE, & manducate, HOC EST CORPUS MEUM: Accipite vino, Bibite, HIC EST SANGUIS MEVS, quæ verba vniuersalis Ecclesia, & omnes sacri Doctores iam inde ab Apostolorum tempore de hac reali manducatione intellexerunt.** Quod ergo hæc verba Ioannis aliqui spiritualiter intelligenda censeant, nullum debet turbare Catholicum; quia illi ipsi, qui sic exponunt, constantissime Christi veritatem in Eucharistia consententur, & verba Christi in coena de reali præsentia, & Christi veritate intelligenda affirmant: facile esset innumeram testimoniorum afferre multitudinem, si id institutum præsens postularet.

Alterum est, sacros Doctores cognoscentes manducationem hanc sacramentalem coniungendam esse cum spirituali, ut vtiliter fiat, tuncque Christum realiter in sacramento sumptum proficere, ad salutem, quando fides est perfecta sumentis, verba hæc de spirituali manducatione exposuerunt; non quod negarent realem manducationem in sacramento, sed quod eam spirituali coniungendam docerent: aut etiam quia nouerunt Christum posse etiam spiritualiter manducari, & prodesse, etiam si realiter non manducetur in sacramento. Huius argumento est illosmet Doctores, qui spiritualiter vno in loco exposue-

runt, alijs in locis expressè eadem verba sacramentaliter intelligenda censuisse; non quod sibi essent contrarij, sed quod vtrumque simul intelligentes pro occasione eorum, quæ tractabant, diuino se muniebant testimonio, quod modo, dum eorum testimonia producuntur, notum fiet. Errant ergo grauiter, qui istorum testimonia ita proferunt, quasi ipsa sacramentalem manducationem à sensu verborum Ioannis excluderint; cum potius eam adiungendam cum spirituali manducatione docuerint, & sic vnum incluserint, ut alteram non incluserint. Hac ratione intelligenda sunt verba eorum aliquando affirmantium, panem hunc esse cibum mentis: nolunt enim realem Christi manducationem, sed docere eam institutam esse, ut mentem reficiat, quamvis corpore sumatur; & hoc est valde attendendum pro veritatis recta intelligentia.

Tertium est, Dominum in hoc suo miro sermone intendisse ita manducationem sacramentalem, & realem docere, ut eos ad spirituales induceret, sine qua realis hæc non prodest, sed obest: erant enim increduli, quibus cum loquebatur; idcirco dum ad cibum hunc inuitat, simul ad fidem exhortatur, ut credant in eum; sic habituri ipsum vitæ cibum, non sola fide, sed re ipsa. Prima igitur verba superius exposita adiunctam habent spirituales manducationem per fidem, ut credant; at hæc posteriora realem manducationem expressius, & manifestius continent, quando dicitur, *panis, quem ego dabo, caro mea est*; prius etiam hanc eandem significauit manducationem, sed minus distinctè, dum fidem in seipsum ab eis postulabat; at hæc iam vltima distinctè, & adèdè apertè ut ipsi intellexerint realem carnis eius manducationem, sed mysterium ignorantes, & nimis crasse sentientes, ad modum carnis communis manducandam arbitrantes, dixerunt: **Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum?**

His igitur suppositis, ad sacrorum Doctorum testimonia, & rationes, seu argumenta, quibus veritas hæc confirmatur, accedamus, non quod omnia testimonia in medium proferere velim, sed nonnulla ex primis, & præcipuis Ecclesiæ patribus, ex quibus, quid illis temporibus in Ecclesia sentiebatur, iudicari potest.

Est igitur, ut à Latinis incipiamus, primum testimonium Tertullian. libr. de oration. exponens enim illud verbum, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, inquit, spiritualiter potius intelligamus, Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis: Ego, inquit, sum panis vitæ, & paulò supra, Panis est sermo Dei viui, qui descendit de caelis; tum quia & corpus eius in pane censetur, Hoc est corpus meum; itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius. Hic Tertullianus perpende carnem Christi, & carnem Verbi, quod appellat sermonem Dei viui, esse illum panem, de quo dicitur, Hoc est corpus meum

pus meum, & verba Ioannis cum verbis Matthæi de Eucharistia coniungit, & hunc panem in oratione peti docet.

Hilarium. Accedat secundum testimonium Hilar. li. 8. de Trinit. cuius etiam inferius fiet mentio, exponit enim verba illa: Qui carnem meam edit, & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in eo, de hac manducatione reali in Eucharistia; & quandam explicat vniionem, secundum quæ cor poraliter in nobis est Christus, appellatq; naturalem, de qua inferius dicemus. Verba Hilarij causa prolixitatis vitandæ præmittimus, quæ sunt expressa.

Cyprianum. Tertium testimonium est Cypria. qui in expositione orationis dominicæ explicans illud, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sic dicit, Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium, & credentium pater est, sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster, qui corpus eius contingimus, panis est: hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstinentes & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante, & momente; Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendis; si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. panis autem quæ ego dederò, caro mea est, pro seculi vita. quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de eius pane (ut manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt) ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separetur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso, & dicente; Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, hæc Cyprianus. Cuius est tam apertum testimonium, ut nihil sit opus ad explicationem eius adiungere. Hanc eandem intelligentiam latius prosequitur, & confirmat idem sermone de coena Domini de hac sacramentali manducatione exponens hæc Ioannis verba: vbi etiam de panis cõuersione in carnem Christi tractat. Alijs etiam in locis idè docet, ut Cyprianus in hac sit etiam expositione perseverans.

Augustinum. Quartum est Augustini, quo se muniunt aduersarij, tract. 23. in Ioannem. Hoc est, inquit, manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, ut quid paras dentem, & ventrem? crede & manducasti. Sed ut scias quantum isti in testimonio Augustini errent, putantes ipsum excludere à verborum istorum sensu, realem manducationem, audi eundem paulò inferius tract. 26. explicantem verba illa, *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt*, vbi exhortas, ne nos hunc panem vitæ sine fide, & innocentia manducemus, inquit: Videte fratres, panem cœlestem spiritualiter manducante, innocetiam ad altare apportate, peccata, & si sint quotidiana, vel non sunt mortifera, antequam ad altare accedatis, at-

tendite quod dicatis, dimitte nobis debita nostra. hæc Augustinus. Vide apertè Augustinum, manducationem spirituales eam appellare, qua cum fide, & puritate Christus in sacramento sumitur. Quando ergo dicit, quid paras dentem & ventrem? id solum significare voluit, hæc manducationem, qua Christus in sacramento sumitur, non esse sicut est ciborum communium eius: sed cum fide, & mentis innocentia sumi debere, aliter nõ prodesse panem hunc.

B. Paulo etiam inferius explicans illud, *ut, si quis ex eo manducauerit, non moriatur*, inquit, Quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum: qui manducat intus, non qui manducat foris: qui manducat in corde, non qui premit dente. Hæc Augustinus. Comparat manducantem tantum sacramentum sine fide & affectu ei, qui cum tali dispositione accipit, & hunc percipere effectum sacramenti, non illum docet: tamen vterque sacramentum accipit, & realiter Christum suscipit. Et hunc esse sensum ipse Augustinus verbis, quibus nemo contradicere valet confirmat paulo inferius exponens, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet*, inquit sic; Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis, & sanguinis Christi; sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit; quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sa-

D. cramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est. hæc Aug. quis ergo vel proteruus neget Augustinum hæc Ioannis verba de sacramento exposuisse, vbi Christi caro realiter sumitur, & sanguis eius bibit; idque solum docere voluisse, quando dixit, fide esse manducandum hunc panem, non esse parandos dentes, & ventrem, nempe fidem esse necessariam, & mētis puritatem, quibus cibum hic sumi debet, ut profit, & dignè manducetur, sine quibus non prodest, sed obest, quod etiam Dominus ipse docuit, Iudæos ad fidem exhortans, qua cibum hic sumi debet, non tamen excluditur cibi usus realis: & verò iniuriam facit Augustino, qui aliter eum allegat, cum ipse expressè hanc veritatem sentiat, & doceat. Sunt etiam multa testimonia Augustini alijs in locis eandem confirmantia veritatē, quorum vnum atque alterum proponam breuitati studens. serm. 46. de verbis Domini: exponens verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* sic inquit; Qui iam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid manducent, & quid bibant, ne sicut Apostolus dixit, iudiciū sibi māducet, & bibant; qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Aperta est hæc mens Augustini Catechumenos exhortantis, ut ad baptismum properent, ut possint carnem hanc manducare, & sanguinem bibere; baptizatos verò quibus licet manducare & bibere, ut studeant dignè

manducare, & bibere: quod fit, si spiritualiter simul cum fide, & puritate manducant. Huic accedat testimonium aliud irrefragabile ipsius, lib. 21. Ciui. ca. 25. ubi verba, *Ego sum panis viuus, & hic est panis qui de celo descendit; & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, de hoc sacramento, sine controuersia vlla exponit; vt certum sit Augustinum in hac sententia fuisse perpetuum. & libr. 3. de consen. Euang. cap. 1. dicit Ioannem inter ceteros Euangelistas prætermisisse scribere de hoc sacramento, in nocte illa carnæ, quia in hoc capite latè scripserat. Sed non est prætereundum; recentiorum aliquos, non rectè intellexisse verba quedam ipsius in tract. 26. Ioan. inquit enim; hunc cibum, & potum intelligi vult Societatem corporis, & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius: hæc verba sic intellexerunt aliqui, vt vellet Aug. dicere potum, & cibum esse corpus Ecclesiæ; & hæc ratione abusi sunt loco isto hæretici nostri temporis aliqui; sed subsistere non potest talis intelligentia, cum sit contra ipsa verba Augustini, quæ sequuntur. His autem verbis id significat Augustinus, quod verissimum est in hoc cibo significari corpus Ecclesiæ, quia vt ipse paulo inferius dicit, in rebus sit, in quibus multa in vnum conueniunt, vt ex multis granis panis, & multis vuis vinum; tamen non est corpus hoc cibus, sed ipsa caro Christi, quæ in talibus speciebus rerum continetur: vt sensus sit iste, Caro Christi cibus nobis sit sub speciebus significantibus corpus Ecclesiæ, vt cibum hunc Ecclesiæ esse cognoscamus. Hunc sensum verba sequentia ipsius declarant: sic enim habet: Quorum, inquit, primū iam factum est, id est, prædestinatio, secundū, & tertium factū est, & fiet, id est, vocatio & iustificatio, quartum verò nunc in spe est, id est, glorificatio: huius rei sacramentum, id est vnitatis corporis, & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. hæc August. & post pauca: Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in rebus commendauit, quæ ad vnum aliquod rediguntur ex multis. hæc August. est ergo corpus, & sanguis Christi in illis speciebus, sed hæc species continent mysterium, quia Ecclesiam representant. Et hæc est aperta Augustini sententia.*

Quintum testimonium est Ambros. libr. 6. de sacramentis cap. 1. ubi verba, *Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem, &c.* & illa, *Ego sum panis viuus qui de celo descendi*, de hoc sacramento, & de hac manducatione exponit, cuius testimonium paulo inferius adferemus, quando explicabimus verbum illud, *Ego sum panis, qui de celo descendi*: nunc autem audi eius verba, *Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam æternam, fortè dicas, quomodo vera? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem?*

A primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & conuertere generalia instituta naturæ. deinde vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quod carnem suam daret ad manducandum & sanguinem suum daret bibendum, recedebant, solus tamen Petrus dixit, Verba vitæ æternæ habes, & ego à te, quo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptoris, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris. hæc Ambros. Vide multa digna consideratione, primò verba hæc de sacramento intelligi, secundò conuersionem panis & vini virtute Christi factam, tertio carnis naturam sumi, sed ne horror sit cruoris, sub alienis speciebus accipi; quartò virtutem eius carnis etiam in alienis speciebus sumptæ. est igitur & Ambrosij aperta sententia.

Sextum testimonium est Hieron. in epist. ad Hedibiam, quæstio. 2. sic habet: Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque discipulis suis esse corpus Domini saluatoris ipso dicente ad eos, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum; & calicem illum esse de quo locutus est, bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunderetur. Iste est calix, de quo in Propheta legitur, Calicem salutaris accipiam, & alibi, Calix meus inebrians quàm præclarus est. Si ergo panis, qui de celo descendit, est corpus Christi, & vinum, quod discipulis dedit, est sanguis illius, Iudaicas fabulas repellamus. & post pauca, nec Moyses dedit vobis panem verum, sed dominus Iesus, ipse conuiuia, & conuiuium; ipse comedens, & qui comeditur, illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius de genimine, vitis verè rubentia musta calcamus. hæc & alia Hierony. Vides eum verba hæc Ioannis interferentem verbis Euangelistarum, qui de cœna Domini locuti sunt, quos certum est de sacramentali manducatione tractare, nec aliter Ioannem exponit Hieronymus, quam Mattheum, & alios Euangelistas referentes verba Domini, Hoc est corpus meum, accipite, & manducate; bibite hic est sanguis meus.

Vt autem ad Græcorum sententiam conuertamur, multa etiam eorum testimonia adferri possent, tamen ex præcipuis aliquot proponam. Primum est Arhan. libr. de incarnatione Christi, qui sic inquit: Docuit nos vt posceremus in præcipuis nostris; panem nostrum, & vinum, da nobis hodie, hoc est futurum, cuius primitias habemus, quia in communionem corporis Domini admissi sumus, quemadmodum ipse dixit, Panis quem ego dabo, pro mundi vita est, hæc Athanasius. Perpende panem Eucharistiæ esse primitias Cœlestis panis, & de illo verba Ioannis interpretatur. Sed est aliud etiam expressum eius testimonium in expositione illius dicti Matth. 12. quicumque dixerit verbum in filium hominis

minis &c. sic habet. De esu corporis disputans, ac propterea multos scandalizatos conspiciens ita locutus est, hocine vos scandalizat? quid si igitur filium hominis spectaueritis ascendentem, vbi prius erat? Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam. verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus sunt, & vita. hic enim de utroque carne & spiritu locutus est, & spiritu à carne discriminauit; vt non solum in eo, quod oculis apparebat, sed naturam quoque inuisibilem credentes disceremus ea, quæ loqueretur, non carnalia esse, sed spiritualia; quot enim hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniversi mundi alimonia fieret? sed propterea ascensionis suæ in cœlum mentionem fecit, vt eos à corporali intellectu abstraheret: ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis cœlestem, & spiritualem alimonia, & ab ipso donandam intelligerent: quæ enim locutus sum vobis, inquit, Spiritus, & vita sunt; quod perinde est, ac si diceret; corpus meum, quod ostenditur, & datur pro mundo, in cibum dabitur; vt spiritualiter vniciueque tribuatur, & fiat singulis tutamen, præseruatioque ad resurrectionem vitæ æternæ. hæc Athanas. Aduerte totum contextum hunc Ioannis de hoc pane exponentem, & hanc manducationem spiritualem vocantem; quamuis verè caro Christi sumatur, quia non ad modum aliorum ciborum sumitur, sed virtute spiritus, & diuinitatis, quæ illi est vnita carni.

Secundum testimonium est Basil. in lib. moral. regu. 21. ca. 1. & 2. his verbis, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probat necessariam esse Eucharistiæ sumptionem: & his etiam verbis adiunctis alijs, quæ post hæc sequuntur, connectit verba Pauli, vt homo se ipsum probet, & sic de hoc cibo edat. Copulat etiam verba Saluatoris, Hoc est corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem, & cætera verba cœnæ; quibus aperte significat eandem materiam continere, & de eodem cibo tractare, qui est Christus, sub panis, & vini speciebus contentus. Hinc colligitur, qua ratione sit ipse intelligendus, qui in Apologia pro sua discessione, quæ est epist. 14. sensum alium adhibuit dicens; Carnem, ac sanguinem, totam suam mysticam in carne conuersionem vocauit; doctrinamque illam, quæ ex vita ipsius actuali, & naturali, & theologica constat, manifestauit, per quam nutritur anima, & ad rerum cœlestium contemperationem interea exercetur, & imbuitur, & hoc est fortasse, quod in dicto Christi innuitur, hæc Basil. & sumptum est hoc ex Orig. hom. 7. in Leuit. sed sensus est spiritualis, nec per hunc excluditur literalis. simul enim vterque stat, nec sibi contrarij est Basilius, sed valde consonus. Et sic sunt intelligendi, si qui similes sensus à patribus afferuntur: non enim negant verum & literalem hunc sensum, sicut etiam in aliorum locorum scripturæ sæpè Doctores Sacri faciunt, qui literalem sensum non

semper persequuntur, sed spiritualibus vtuntur expositionibus; vel ita aliquos adhibent sensus, vt alios non remoueat. quod etiam pro Origene dicimus; sic enim citato loco exposuit, vt sensum hunc de Eucharistia nõ iret inficias, quod argumento eo etiam probatur, quia ipsemet homil. 7. in Nume. talem sensum adhibuit, dicens. Antea in ænigmate fuit baptifinus in nube, & in mari; nunc autem in specie regeneratio est in aqua, & Spiritu sancto; tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus: sicut & ipse dixit, quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. hoc Orig. nihil potuit dici expressius, vt videant isti, qua ratione Doctores sint intelligendi; qui enim in vno loco vnum sensum spiritualem secutus erat, in altero literalem sequitur; estque tertium hoc Originis testimonium, hanc expositionem communem confirmantis.

Huic accedit quartum, & simile testimonium Clementis Alexand. libr. 1. Pedagogi. cap. 6. qui cum aliquos verborum Ioannis sensus adferat, huius etiam meminit dicens: Verbum est omnia infanti, & pater, & mater, & prædagogus, & altor, Comedit, inquit, meam carnem, & bibite meum sanguinem; hæc apposita, & conuenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem, & ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium, veterem & carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum & vetus nutrimentum, alterius noui Christi dietæ effectos participes: illum si fieri posset recipientes, in nobis ipsis reponere, & saluatorem intra pectus comprehendere, vt carnis nostræ affectiones integras, perfectasque reddamus. hæc Clement. expressè verba Ioannis de hoc cibo sacramentali interpretans; post quæ verba ad alios sensus spirituales, se conuertens subiunxit. At non vis intelligere, sed fortasse communius. hoc quoque modo audi, Carnem nobis allegoricè sanctus significat Spiritus, & cætera, quæ sequuntur.

Quintum est testimonium Damasc. libr. 4. de fide. cap. 14. hæc verba eadem de Christo in sacramento exponit: cui adiungimus Chryso. homil. 45. & Cyril. libr. 4. cap. 14. & libr. 10. cap. 13. vbi probat non posse intelligi de sola manducatione per fidem, & Euthym. qui cum verba priora de manducatione, quæ per fidem sit, exposuerint, cum iam ad verba hæc vētum est, *Panis quem ego dabo caro mea est*, de Christo ipso in sacramento in cibum dato exponunt: nec aliter sententias has, quæ sequuntur, quam de mystica benedictione, & miraculoso hoc cibo interpretantur. Hanc eandem expositionem sequuntur Leo serm. 6. de ieiunio septimi mensis: & Innocent. 3. libr. 4. de Sacram. altaris, quibus multa alia etiam testimonia adiungi possent, sed ex his facile est vniciueque intelligere Patrum sacrorum hanc fuisse communem interpretationem. Qua de causa Sacrum Tridentinum Concilium sess. 13. multis his sententijs vsū est in eodem sensu, ipso factotalcm ex-

Origenes.

Clement. A. lex. d. r. t. m.

Basil.

Athanas.

Damascenus & alij.

lem expositionem comprobans, & multo ante Conc. Ephesinum in epist. Synodali ad Nestorium, verba illa, Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c. de sacramentali manducatione intellexit, quæ omnia sufficientissimè sunt argumentum hunc sensum confirmans.

Quomodo in
terno scilicet
est quando
scriptura pro
priè vel figurate loquitur

Sed accedat rationes, & argumenta efficacia ex ipsomet Ioannis contextu sumpta. Ante omnia annotanda est regula August. libr. 3. de doctrin. Christiana, cap. 16. ad discernendas locutiones scripturæ proprias à metaphoricis: Quando enim nihil flagitiosum præcipitur, sed potius vetatur, & quod ad utilitatem pertinet, iuberur, locutio propria est, non metaphorica; sed Dominus, dum suam carnem manducandam dicit, nihil flagitiosum, sed quod utilissimum est, præcipit: propria igitur est locutio. August. autem ibi figuratam hanc appellat in eo, quod non sensibiliter caro manducanda est more ferino: hoc enim flagitium esset, tamen realiter accipienda est; Et re vera regula sensum naturalem cognoscendi optima, & necessaria est; ut quando nihil contra fidem, nec contra mores bonos sequitur, verba in propria significatione sumantur; at in præsentia re ita est; non solum enim nihil contra mores, nihil contra fidem est, si realem manducationem exponamus, immo ex Evangelio, & ex Paulo habemus hunc usum carnis Christi realem. verba ergo tam expressa, non minus quàm illa ex Evangelio, & Paulo, non ad metaphoram sunt trahenda, sicut nec illa.

Rationibus
est eadè ve
rius confir
matur.

Accedamus iam ad Ioannem. Primò quidem nouum cibum, & manducationem his verbis magnificat, & promittit; at manducatio per fidem noua non erat; nam & Iudæi multo ante per fidem Christum manducarunt, dicente Paulo, 1. Corinth. 8. Eandem escam manducarunt, & eundem potum spirituales biberunt. noua ergo est esca, quam nemo Patrum in deserto mortuus, nec eorum, qui ante tempus illud fuerunt, manducauit. Secundò, credentibus in se promittit se daturum hunc cibum, prius igitur est credere in Christum, & postea cibum hunc accipere: quo argumento vsi sumus superius, dum explicaremus verba illa, *Quem filius hominis dabit vobis.* & est attendenda argumenti huius efficacia: nam dictum est, qui credit in me, habet vitam æternam; & vltra hoc, cibus hic, seu panis illi promittitur. Tertiò, qui hunc panem præfert *Manna*: hoc enim manducantibus non præstat vitam æternam, ille autem panis est vitæ, ergo conuenire debent manna, & panis iste in manducatione: nam vtrumque ore corporis manducabatur: differentia enim non con-

stituitur, nisi inter ea, quæ conueniunt, & similia sunt. Quartò, si de fide sola sermo est, seu de manducatione, quæ per fidem fit, ut quid tot ac tam multiplicatis sententijs vtitur, in quibus de pane, & potu, & carne sua, & sanguine manducando & bibendo sermo est; cum satis, superque fuissent verba, quibus ut crederent in se exhortabatur, & credentibus vitam promittebat æternam? Quintò, quia si de manducatione per fidem sermo esset, nulla esset causa, cur caro sæpe cibus dicta sit: nam fides non in carnem, sed in totum Christum est, & diuinitas, & tota humanitas fidei est obiectum, & si de percipitur, & manducatur: singulari igitur modo caro cibus dicitur, nimirum quia in cibum verum, & realem datur. Sextò, quia tunc esset sermo totus metaphoricus, si de fidei manducatione sermo iste esset: Dominus cum tanto scandalo auditorum, & discipulorum nõ esset vltus continuata metaphora, nisi quia re vera de cibo reali, & vero loquebatur. Septimò, cum Iudæi cibum realem carnem Christi futuram intellexerunt, nec modum, quod fieri posset, comprehenderent, propterea; scandalizarentur, Dominus non remouit scandalum, aperit dõ se de fide in se loqui; sed potius confirmauit potentiam carnis suæ dicens: Si videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius, quasi se posse modo ineffabili, & supra naturam illud efficere: non erat necessaria hæc responsio, si de fide sermo esset. Octauò, quando sunt verba expressa, & quæ remouent omnem metaphoram, locutio propriè est exponenda: at Caro, inquit, mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus: qua ergo ratione aliquis dicere potest carnem esse cibum metaphoricum, cum dicatur verus cibus? Adde, non esse vllam rationem, nec argumētum alicuius roboris, quo se tueri valeant, qui hanc intelligentiam excludunt: nec auctoritatem vllam alicuius momenti. Gratis ergo, & temerè tam receptus antiquus, & probatus sensus relinquitur. Alia argumenta idem probantia sunt. Sed in expositione verborum sequentium ea melius explicabuntur. Hæc est causa, cur Dominus diuini huius cibi doctrinam traditurus, miraculo insigni turbam disposuit, ut qui quinque panibus innumeram potuit satiare multitudinem, non minori, quàm quæ ante erat, quantitate panis remanente, crederetur posse miro modo carne sua omnes credentes cibare, ea non consumpta. Hac etiam de causa meminit manna, quod figura fuit huius sacratissimi cibi, ut quantum figuratum figuræ præstaret, exponeret. Cætera in his, quæ sequuntur, dicemus.

B

C

D

E

Litigabant ergo Iudæi adinuicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

COMMENTARIUS.

Intellexerant Iudæi verbum Christi de reali carnis suæ manducatione loquentis, sed carnalem eam arbitrati, sicut & communium ciborum, inter se altercantur, & contendunt, quomodo fieri possit, ut caro Christi sit cibus ho-

bus hominum futura. Contentio, & altercatio mutuiam verborum pugnam affirmantium & contradicentium significat; quamuis ergo carnali modo intelligerent, inter eos tamen altercatio erat, alijs id fieri posse negantibus, alijs forsitan miraculo præcedenti permotis affirmantibus; vtrisque tamen rei mysterium ignorantibus, & non credentibus. Vox istorum, *Quomodo*, incredulitatis est, sicut & illa superior Nicodemi, *Quomodo* possunt hæc fieri? sed majori hi digni sunt reprehensione, qui paulo ante miraculum tam insigne viderant; Si enim antequam factum esset, eis dixisset Christus; his quinque panibus vos estis saturandi omnes, & plus supererit, quàm præcessit; profectò illi eadem incredulitate respondissent, quomodo potest hic quinque panibus tantam cibare multitudinem? id tamen viderunt & experti sunt; sed miseri audientes verbum hoc Christi, obliui sunt tanti operis, & miraculi; nec in memoriam reducerunt; quomodo quinque panibus omnes fuerunt saturati; nec attenderunt, quis esset hic. Si enim, quis ille esset, ut debuerunt, nouissent, non dubitassent hunc posse carnem suam dare ad manducandum, sed dum *Hic* dicunt, meri hominis communem habuisse opinionem ostendunt. Stultum est proprio ingenio diuinam mensurare potētiam; Si enim inter homines ipsos videmus, ut rectè Cyrill. libr. 4. capit. 13. dicit hominem aliquando vnum opera ea facere, quæ alijs prius incredibilia videbantur, quia scientia, aut arte aliqua pollet, quæ alijs est ignota, quanto maiora operabitur Deus, cuius scientia, & potentia infinita est: stulti igitur fuerunt Iudæi, qui suo iudicio eius potentiam metiebantur; quam incredibilia eis, operatam esse, iam nouerant. Illa particula *Ergo*, causam altercationis fuisse verba Christi dicentis carnem suam in cibum dandam, indicat: nec ante altercati erant, quando dixerat, se esse panem vitæ, eis dandum: quia nondum sensum perceperant, nempe realem cibum Christi corpus futurum: sunt enim verba hæc multo expressiora.

Iudæi
stulti

Dixit ergo eis Iesus, amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Illam particula *Ergo*, totam sententiam explicat sequentem. causam enim indicat, cur hæc verba Dominus respondit. Dicebant illi; *Quomodo potest carnem suam nobis dare hic ad manducandum?* nec id fieri posse credebant; propterea ergo Dominus sententiam eandem confirmat, terrorem incutiendo, quasi diceret; vobis dixi carnem meam me daturum in panem, & non creditis; ego dico vobis iterum, & augeo sententiam; *Nisi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem*, vos non habituros in vobis vitam: perpēdite quantum vobis vestra ista incredulitas noceat: vos enim æterna priuabit vita, nisi fidē præbueritis meis dictis, & cibum hunc manducaueritis. Consonat hoc verbum *Non habebitis vitam in vobis*, illi, *Pro seculi vita*, non igitur Dominus reale cibum corpus suum futurum esse negat, sed necessarium ad vitam æternam consequendam docet: quamuis modum mirabilem manducandi illis incapibus, & rudibus non explicet. Simili locutione vsus est Dominus cum Nicodemo, Ioannis 3. cum enim dixisset, Oportet nasci denuò, & Nicodemus incredulus respondisset, quomodo potest homo nasci cum sit senex? Dominus sententiam suam auxit: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Quærit Dominus, & postulat à nobis fidem mysterious, non scientiam, & intelligentiam; propterea non explicat nunc modum, ut intelligant, sed rem comminatione æternæ mortis confirmat, ut timore trahat ad fidem. Hæc verba in sequentibus annotationibus explanantur.

Contra hereticos, qui ex his Domini verbis vtramque speciem inferunt.

Hic locus difficilis est: heretici enim eo se muniant, ut Eucharistiam sub vtraque specie iure diuino sumendam defendant: nonnulli autem Catholici nostro tempore, ut argumenti hereticorum efficaciam euadant, totum Ioannis hunc contextum de manducatione spirituali, quæ per fidem fit, exponunt, quasi propter hereticorum sophismata & fallaces sententias, sensus legitimus scripturæ sit relinquendus. Tota patrum antiquitas de sacramentali manducatione verba intelligenda cognouit, & censuit; illorum tamen animos hereticorum tale argumentum non mouit, ut Eucharistiam sub vtraque specie necessario sumendam saltem in dubium propter hæc verba reuocarent: quod profecto argumentum hereticorum vanum esse demonstrat. Si enim efficax esset, quomodo tot antiqui Patres, hæc verba de Eucharistia exponentes, tali dubitationi non obuiarunt, qui in scrutandis omnibus fuerunt diligentissimi? Primum igitur locum sensum verum huius sententiæ aperiamus, ex quo nihil hereticos, ex his verbis pro se adferre posse apparebit; postea de re ipsa nonnulla dicemus.

Sensu verborum Christi.

Quantum igitur ad sensum pertinet, primo loco valde est aduertendum, non dictum esse à Domino manducandam esse eius carnem, & bibendum sanguinem, ut sub duplici specie sacramentali panis, & vini, se sumi debere significaret; sed ut tria nobis magni momenti per hæc verba indicarentur; Primum est mysterium mortis, & passionis suæ, ex qua cibis hic habet efficaciam, & cuius est memoriale: ac si dictum esset, Nisi manducaueritis me, qui sanguinem meum sum pro vobis effusus, & carnem meam morti traditurus, non habebitis vitam in vobis. non ergo distinctio hæc verborum, actus distinctos denotat, sed vnum, quo Christus post passionem, & mortem suam sumendus est. hic vnus actus, cibus & potus dicitur, quia in eo bis sumitur, qui morte carnis & sanguinis sui effusione vitam nobis est consecutus: sicut in manducatione spirituali, qui fide viuam Christi mortem, & passionem credit, vno actu mentis perfecto, simul dicitur manducare, & bibere. pati ratione, qui sub vna specie Christum sumit, actu exteriori sacramentaliter manducat, & bibit, quia eum accipit, qui sanguine, & morte sua nobis vitam, & salutem effecit. Hoc primum docuit Ambr. libr. 4. de fid. cap. 5. dicens, ideo his verbis carnis, & sanguinis meminisse, ut suæ sacramentum passionis ostenderet.

Alterum, quod his verbis significatur, est, Christum, siue sub vna, siue sub altera, sumatur specie, esse accipiendum in sacramento; ut mente, & fide interiori mortem eius, & passionem recolamus; Is ergo manducat, & bibit, qui quamuis sub vna specie Christum sumat, mente tamen interiori passionem eius, & mortem simul fide, & affectu complectitur: est enim hoc mysterium memoria passionis

eius, quæ quamuis in duplici representetur specie in sacrificio Missæ, tamen in participatione satis est, si vna pars accipiatur: qui enim olim de sacrificio participabant, non totum, sed partem aliquam capiebant; ita nunc fit in his, qui communicant, & maiori ratione, quia in parte quavis totus Christus continetur. Hoc secundum est August. li. 3. de doct. Christi, cap. 16. cuius hæc sunt verba. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. facinus vel flagitium videtur iubere: Figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quod pronobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit. hæc Aug. quæ verba aliqui non intelligentes, existimarunt Augustinum censere huiusmodi sententiam, de spirituali manducatione, quæ per fidem fit, esse intelligendam; at non ita est, immò dicit esse communicandum passioni eius, id est, Sacramento passionis eius vtendum, quod est Eucharistia: sed vtiliter fiat mente, & affectu, passio carnis, & sanguinis effusio sunt intus recolendæ: dicit autem figuram in verbis esse, quia caro, & sanguis non in propria specie, sed in aliena sumuntur, & in memoriam passionis eius. quando enim dicitur, facinus videtur, intelligitur de sumptione carnis, & sanguinis in propria specie, potius Augustinus egregie nobis exponit, cur manducare, & bibere dictum sit; vt nos nempe, qui panem hunc comedimus, in mortem eius, & passionem intus feramur per viuam fidem, cuius representationes exterior gerimus; tunc enim ad vitam hunc cibum verè sumimus.

Tertium, quod his verbis significatur, est perfecta refectio cibi huius, quæ in cibo, & potu consistit; Vt enim Christus se esse cibum perfectum ostenderet, nomine manducandi, & bibendi vsus est, & manducationem carni, potum sanguini accommodauit: non enim aliter hæc distingui poterant; non ergo significare voluit se sub vtraque specie sumendum necessariò, sed se esse cibum perfectum, & completum, ad vitam necessarium. hac de causa Matth. 5. dictum est: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, id est, qui toto & perfecto desiderio, & affectu benè operantur, & mandatorum operibus incumbunt. Hic est vnus sensus verus, & legitimus horum verborum.

Secundo loco aduertendum particulam *Et*, sensum disunctionis habere, Nisi manducaueritis carnem, vel biberitis sanguinem, non habebitis vitam, & tunc ad distinctas species sacramentales referuntur verba: nec inferitur necessitas communicandi sub vtraque specie. Hunc sensum multa confirmant: Primum intentio Saluatoris: solum enim id prædicit, se vere nobis realiter in refectioem communicandum, & hoc Iudæi capere non poterant; quod autem hoc specie potus, aut sub specie cibi, id non est præcipuum pro-

Et disjunctionis sensus est loco partium.

fitum. Alterum est Ecclesiæ totius à temporibus Apostolorum consuetudo, vt enim paulo post dicemus, sub vna specie communio in Ecclesia semper fuit; ab Ecclesiæ primordijs probata. Igitur ipsa, cum sit optimus interpret scripturæ, probat verba hæc esse distinctiuè intelligenda. Tertium est ipsemet Christus, qui verbis sequentibus, & antecedentibus dixit, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum; non ergo necessarius est potus sub speciebus vini, sed in panis esu vita est etiam posita. Quartum est ipse Paulus i. Cor. 11. qui cum dixisset prius sic; Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis, postea vsus est disunctione, Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè; in Græco disunctiuæ dictio est. Quintum frequens phrasis scripturæ, in qua particula hæc talem habet apud Hebræos significationem; Ioannes autem hebraïsmis abundat, vt sermonibus Christi, quantum fieri potest, se accomodat. Ex multis testimonijs aliquot exempli gratia producam. Exo. 21. & 15. Qui percusserit patrem, & matrem, morte moriatur; sic enim in Hebræo legitur; at sensum respiciens interpret, vertit distinctiuè: similiter ibidem, Qui maledixerit patri, & matri, morte moriatur. Job. 31. Si declinauit gressus meus de via, & si secutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula; si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum. Multa huiusmodi sequuntur, quæ certum est sensum facere disunctum, vt si vel vnus horum faciat, poenam patiatur. Simile est ezech. 18. In montibus comederit, & vxorem proximi sui polluerit, & egenum, & pauperem oppræsserit, & rapinam rapuerit, & pignus non reddiderit &c. morte morietur. Clarum est, vel propter vnum horum morte puniendum æterna peccatorem. Simile illud Psal. 129. De quo non implebit manum suam, qui metent, & sinum, qui manipulos colliget. Sunt sexcenta huiusmodi testimonia. Ita nunc factum est, vnde hanc responsionem connectere possumus cum præcedenti, vt vna sit responsio, vnaque expositio, verba esse sub disunctione intelligenda: at Dominum recto, & optimo consilio vsus fuisse hac disunctione, nempe vt tria illa superioris prædicta nobis indicaret. Hac ratione huius loci integer, & perfectius habetur sensus, nec est necessarium ad recentiorum responsiones confugere, quamuis etiam sint laudandæ: dicunt enim cibum esse, & potum in vna specie, quia ibi totus est Christus, sicut frustum panis vino intinctum potus, & cibus est: sic lac, & ius simul cibus sunt, & potus. Vt ergo integer Christus significetur, dicitur manducandus, & bibendus. Sed hæc responsio aduersariorum patet calumnijs negantium sanguinem bibi, quando cum corpore sumitur sub panis specie: quod & inter Catholicos Innocentius lib. 4. de Sacra. altaris, cap. 1. docuit dicens, Sanguinem non bibi, quando sub specie panis sumitur Christus,

nec corpus sub specie vini māducari. Alij respondent hoc esse præceptum toti Ecclesiæ, non autem singulis, & hac ratione Sacerdotibus necessaria est sub vtraque specie sumptio. Alij alias adferunt responsiones, sed existimo, id quod diximus, verum exponere sensum, veramque esse responsionem.

ANNOTATIO XXVII.

FACILIVS nunc est, quæ de communione sub vtraque specie sunt tractanda, discutere & determinare. Nostri enim temporis heretici iure diuino communionem sub vtraque specie præceptam pertinaciter affirmant, eoque ritu, vt tali vtuntur; vt autem, quæ in hac parte Catholico sentienda sint, perfectè quidem, tamen vltra institutum nostrum, qui Ioannis Euangelium exponendum suscepimus, non admodum diuagantes, proponamus; aliquot assertiones ordinatè explicabo.

De communione sub vtraque specie qua Catholicis tenenda.

Prima est, antiqua consuetudo à temporibus Apostolorum fuit in Ecclesia sub vtraque specie communicandi; in hac assertionem nulla est controuersia. Constat hæc verus consuetudo ex Paulo i. Cori. 10 & 11. Multi, inquit, vnum corpus sumus, qui de vno pane, & vno calice participamus; &, Probet se ipsum homo, & sic de hoc pane edat, & calice bibat. Constat etiam ex Dionys. de cælest. Hierar. cap. 3. par. 3. de Sacerdote enim populo communionem ministrante dicit, Panem indiuiduum in frustra concidens, & singularem calicem omnibus impartiens, vnitatem signanter multiplicat. Cypri. sermo. de lapsis huius etiam consuetudinis testis est. Ambro. etiam vt refert li. 9. Histor. trip. ca. 30. Theodosio ad communionem accedenti respondit, Quomodo huiusmodi manibus recipies sanctum Domini corpus? qua temeritate sacrati sanguinis poculum ore tuo suscipies? in re tam manifesta, & indubitata non est, cur plura congeramus testimonia. hanc assertionem probat Concilium Constantien. sess. 13.

Vetus consuetudo communis sub vtraque specie.

Secunda assertio non minus antiqua Ecclesiæ consuetudo est, etiam sub vna sola specie communicandi. In Ecclesia enim modò sub vna, modò sub vtraque etiam à temporibus Apostolorum ritus inoleuit. hæc assertio scripturarum testimonio etiam comprobatur. Lucæ 24. post resurrectionem duobus discipulis in castellum Emaus profectis Dominus apprensus, panem accepisse, & benedixisse, fregisse, & porrexisse illis dicitur; qui in fractione panis, eorum oculis illuminatus, eum cognouerunt. Aug. lib. 3. de consen. Euang. ca. 15. & Auctor imperfecti in Matth. hom. 17. & Theophyl. eo loci de communione Eucharistiæ exponunt; & quamuis alij aliter interpretentur, negari hoc non potest, hos graues, & antiquos Doctores communionem sub vna specie non esse contra Domini præceptum sensisse, aliàs sub vna comunicasse specie hos discipulos interpretati non fuissent. Addè esse sententiã hanc Aug. omniũ verissimam: nam & ex effectu, quia illuminati oculi sunt illorum in hoc pane, & ex ipsis Christi actionibus, simili-

Vetus isem mos est communicandi sub vna specie.

bushis, quas in cœna exercuit. hic panis Eucharistiæ esse probatur. Præterea Act. 2. Erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus. Nemo ratione vtens negare hoc loco potest panem hunc esse Eucharistiæ: si enim cibus esset communis, utiq; cum doctrina, & orationibus medio loco non iungeretur, & tamen calicis non fit mentio. Præterea 1. Corin. 11. Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reuse- rit corporis, & sanguinis Domini. Disiunctio- nis sermo hic est, quia panis solus, aut calix sumi poterat; si enim simul semper acceptus, aut accipiendus esset; non erat cur disiunctio- ne vteretur: vix enim, aut nunquam accidere potest casus, quando panis dignè, & calix indignè, aut è contrario accipiatur. Præterea 1. Cor. 10. Multi vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. Illud autem, quod in nonnullis Latinis codicibus additum est, & de vno calice, non est in Græcis codicibus; & Ambro. non id legit, nec exponit. Ex his igitur locis scripturæ, constat consuetudo hæc sub vna communione specie. constat etiam ex antiquis concilijs cano. 14. Concil. Nicæ. vbi habetur, Diaconum non debere ministrare corpus Domini presentibus Episcopis, aut Sacerdotibus, in absentia verò proferat, & edat. Vides de corpore fieri solo mentionem, non de calice; non enim calix asseruabatur. Præterea in Coci. Rhemè. de quo habetur de consecr. d. 2. ca. Peruenit, reprehenditur abusus laicorum corpus Domini infirmis deferentium. Conci. etiam Tolet. cap. 11. instituit infirmis præ ficitate corpus Domini accipere non valentibus, solum sanguinem ministrandum. Præterea Carthagin. 4. quod refertur 26. q. 6. ca. De his: phræneticis in mortis articulo Eucharistia infundi eorum oritur præcipitur, quod verbum sanguinem dandum significat solum. Sunt multa huiusmodi antiquitatis testimonia; sed sanctorum Patrum accedit auctoritas, quæ huius rei est manifestum testimonium, & argumentum irrefragabile. Ignatius in Epist. ad Ephes. solius panis meminit dicens; Frangite panem, qui est medicamentum mortalitatis, antidotum non moriendi, sed viuendi per Iesum Christum. Cypria. in sermo. de lapsis exactus est in hoc docendo; nam meminit communionem tripliciter sumi solitam, & sub vtraque, & sub sola panis, & sub sola vini specie; quod & exemplis, & historijs admirabilibus illustrat. Ambro. etiam in orat. funebri Satyri fratris sui, refert semel mare ingressum in capsula sibi, quam ad collum ferebat, sacram Eucharistiam reportasse, vt communicare posset: hoc non fieret, nisi sub panis sola specie communicandi ritus probatus esset. Aug. epist. 180. ad Honora. de Eucharistia agens, solius meminit panis, Leo etiam Epist. ad Maioricum, & Ioannem Episcopos, prohibuit sub vna specie communicare, vt paulò post dicemus, propter errorem quorundam. Ergo erat talis consuetudo. Greg. li. 3. Dialog. ca. 3. refert Agapitum redeuntè in Græciâ muto corpus Domini ministrat-

se, statimque locutum. Sunt multa huiusmodi testimonia, sed breuitati nostræ hæc sufficiant.

Tertia assertio; Olim propter insurgentes hæreses prohibita fuit sub vna specie communicatio, & iniunctum Catholicis, vt sub vtraque communicarent. hæc satis comprobatur ex Leonis Epist. proximè citata, in qua statuit, vt sub vtraque communicatio daretur propter Manichæos, qui veritatem corporis Christi negantes, non communicabant in vini specie, ne verum sanguinem confiterentur: præcepit ergo Leo, ad veritatis fidei confirmationem, sub vtraque communicare fideles, ne factò simili error illorum probari videretur. multis post annis hæc in Ecclesia durauit consuetudo; tamen hæc Leonis prohibitio, veterem communicandi sub vna specie consuetudinem fuisse probat.

Quarta assertio; De iure diuino non est sub vtraque specie communicatio. Sequitur ista ex præcedentibus, si enim à temporibus Apostolorum eommunio modò sub vna, modò sub vtraque specie data est in Ecclesia, de iure ergo diuino sub vtraque communicatio esse non potest: non enim Apostoli id permisissent, nec tot sacri Doctores probassent. Rectè ergo Sacrum Concil. Triden. sess. 13. eos vt hæreticos damnauit, qui iure diuino communionem sub vtraque præceptam, & necessariam affirmant: diuino quidem iure communicatio præcepta est, an sub vna verò, an sub vtraque, quibus personis, & temporibus, & ritibus sit ministranda, reliquit Christus sponsæ suæ Ecclesiæ, pro rerum varijs statibus, & euentibus determinandum: sicut & ieiunium, & confessio- nem præcepit, non tamen hæc determinauit, & meritò: adhuc enim suæ Ecclesiæ curam gerit Christus, eamque gubernat; ideo non erat cur omnia antequam ad Patrem ascenderet, de terminaret. Hæc assertio, quamvis Catholico probatio necessaria non sit, confirmatur. Primò quidem testimonio, quo vtitur Concil. Triden. ex hoc Ioannis contextu: sæpe dicitur; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & hic est panis vitæ.* Si ergo manducantes panem viuunt, sub solo pane communicatio fieri potest: eadem de causa Dominus de solo pane locutus est, sub vna specie communicari posse doceret. Secundò, species panis & vini non est, quæ dat vitam, sed quod sub ea continetur, sed totus Christus sub vna specie continetur, non ergo erit minor efficacia sub vna, quam sub vtraque. Tertiò ex figuris Eucharistiæ compluribus, quæ vnam speciem indicant, vt patet in manna, quo vsus est Dominus in exemplum, in panibus propitiationis; in pane Geodeonis; in alijs multis. Quarto loco accedat efficacis argumentum; quia aduersarij non habent ullam probationem, quia iure diuino hoc esse præceptum ostendant; statuere autem aliquid iuris esse diuini sine efficaci probatione; & maximè contra vniuersalè Ecclesiæ, vanum, & valde temerariū est. Hoc ostendo sic; hoc enim diuinum ius, aut ex verbis Christi deducunt; aut ex facto Christi, quia communicauit discipulos sub vtraque specie aut ex institutione

quia

quia sub duplici specie instituit Sacramentum; aut ex aliqua vrgenti ratione ex scriptura deducta, non enim superest alia via probandi; nam Ecclesiæ ritus antiquus eorum contrarius est errori; at si singulas hæc consideremus patres, nihil, quod eis faueat, sed potius quod contradicat, & aduersetur, inuenimus. In primis quantum ad verbum Domini, non extat verbum aliquod, quod hanc ad rem faciat, nisi hoc Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem; illudque Matt. 26. Bibite ex eo omnes: at illud Ioannis in commentario satis explicuimus longè alium facere sensum, quam eum, quem isti existimant, nec opus est vt ea, quæ dicta ibi sunt, repetamus. illud autem Matt. 26. ad discipulos solos dirigi, docet Marcus 14. dicens, Et biberunt ex eo omnes; non igitur generale fuit præceptum verbum illud, Omnes, etiam futuros obligas, sed Apostolos, quos voluit sub vtraque specie communicare, eos sanctissimo Sacerdotio dignatus, quos sub vtraque communicare specie debere, nemo negat Catholicus. aliud Domini verbum non reperitur, quo talis communionis necessitas ostendatur. Secundò factum ipsum Christi non est argumentum huius præcepti, quod docet Aug. Epist. 118. de hoc eodem Christi facto loquens; nam si tale factum esset præceptum, sequeretur esse iure diuino necessarium, vt in azymo fieret consecratio; nam & ipse in azymo consecrauit: sequeretur etiam prius lauare pedes communicantium oportere; nam & ipse prius lauit: sequeretur etiam nocte, & post cenam esse communicandum, quia ita Christus fecit, & tamen vniuersalis Ecclesia non hæc seruat; nam & ieiunis dat communionem, vt Aug. etiam probat eodem loco; nec lauantur pedes communicantium, nec damnat Græcos in fermentato consecrantes multoq; tempore in fermentato tota Ecclesia consecrauit: Non igitur ex Christi facto efficax sumi potest argumentum, vt ad omnia, quæ Christus fecit, obligemur. Adde, post resurrectionem Christum vnam speciem dedisse discipulis, vt superius ex Luc. 24. collegimus. Tertiò Christi institutio non obstat: est enim doctrina catholica hoc mysterium esse Sacrificium quoddam, quod in oblatione consistit: & esse simul Sacramentum, quod participatur, & communicatur: vt igitur Sacrificium est, consecratur in duabus speciebus, vt in hac diuisione passio Christi representetur: & hoc faciendum Dominus Apostolis præcepit, & ijs omnibus, qui Sacerdotij munus erant obituri: & hæc est diuina institutio; vt autem Sacramentum est, non in communicatio. Ne sub vtraque specie consistit, sed in parte aliqua oblationis, sicut in veteribus sacrificijs, non totum quod Deo offerebatur, participandum offerentibus dabatur; nõ igitur ex hac institutione communicatio sub vtraque specie probatur. Scio horum aliqua hæreticos negare nec sacrificium hoc recipere; sed nobis satis sit veritatem Catholicam proponere, & defendere; si enim omnia hæc discutere nite-

remur, ab instituto proposito nimium recederemus. Quarto ratio nulla ruetur aduersariis, quæ ex scriptura sumatur. illa enim 1. Cor. 10. Multi vni corpus sumus, qui de vno pane edimus, & de vno calice participamus; potius pro nostra est veritate; nec enim legitur in Græcis codicibus de vno calice, & quamuis legeretur, non inferretur communicatio sub vtraque, immò contrarium potius; si enim, qui vnam particulam sacrificij participabat, de toto sacrificio participasse dicebatur; ita qui vel vnius speciei partem capit, de toto sacrificio, quod in pane, & calice consistit, participat. Cætera omnia de sacrificio, & de Eucharistia diffusè tractauimus in his, quæ de Eucharistia scripsimus: & typis Deo propitio mandabimus.

Quinta assertio: optimo iure Ecclesia sub panis specie communionem fidelibus præcepit, calicemq; prohibuit; potuisse verò id Ecclesiæ statuere, ex his, quæ dicta sunt, certum est. Si enim non est iure diuino necessaria, Ecclesia potuit, qua ratione communicandum sit, determinare; at recto & sancto consilio multis de causis id fecit, quarum, nonnullas in medium liber adferre. vna est propter sanctissimi huius Sacramenti reuerentem, & decetem cultum; cum enim infinita pene multitudo populorum, ad hoc accedat percipiendum Sacramentum, inter quos variæ, & multiplicis conditionis, ætatis, & sexus sunt homines, sanguis sine effusionis manifesto & frequenti periculo, ministrari non potuit; id quod etiam ipsa experientia nunc apud eos docet, qui specie vtraque vtuntur in communionem. Secunda causa fuit fidelium omnium in hoc Sacramento percipiendò vniuersitas; multi enim sunt & foeminae, & viri, & adolescentes à vino abhorrentes, qui sine euomendi periculo non potest ministrari; hæc necessarium erat, aut abstinere, aut sub vna specie communicare; cur abstinendum esset, causa non liberat: non enim tanto remedio priuandi erant, cuius esse participare poterant; ne ergo varietas in hac communionem esset, statuit modum communem omnibus. Tertia propter errores vitandos; vt enim Leo Manichæorum causa statuit sub vtraque communionem, ita postea subortæ sunt hæreses affirmantium non posse sub vna specie ministrari; ne igitur Catholica veritas obscuraretur, statutum est vt sub vna specie fieret communicatio. Quarta propter asseruationem Eucharistiæ, & delationem ad infirmos: species enim vini non ita facile conseruari, & deferri possunt, denique vt perfectius omnes intelligant rustici & idiotæ, perfectè, & integrè Christum esse etiam sub vna specie. Hæc in præsentia sufficiant: cætera enim alijs in locis exactius tractanda relinquimus.

ANNOTATIO XXVIII.

ALTEA circa hæc eadem verba non prætereunda silentio difficultas occurrit; breuiter tamen pro instituto explicanda, an hæc sententia comprehendat infantes. Ad quam respondendum est, primò olim etiam

paruulis Eucharistiam esse ministratam, quod A fatis ex Cypriano serm. de lapsis constat, vbi hanc illius temporis consuetudinem narrat, & exempla memoranda describit; cuius testimonium citat Aug. Epist. 23. ad Bonifa. nec in hoc est vlla controuersia. Respondetur secundò istam sententiam etiam paruulos comprehendere; verba enim generalia sunt, & necessitatem omnibus, & singulis imponunt, & ita tenet, & docet Aug. li. 1. de peccat. mer. cap. 20. & sequentibus. Respondetur tertio paruulis non esse necessariam actualem huius sacramenti communionem, sed vt hæc sententia in ipsis verificetur, satis est, si modo aliquo hoc mysterium & sacramentum participant; id docet Aug. loco proximè citato, cuius doctrina hæc est; paruulos per baptismum susceptum etiam huius sacramenti Eucharistia fieri participes, quod hac ratione fit; nam per baptismum fiunt de corpore mystico Ecclesie, ad vnitatemque Christi fidelium pertinent; hæc autem sacramentum huius vnitatis corporis signum est, & ideo hoc sacramentum modo aliquo participant; nempe quantum ad rem significatam, & dici possunt carnem Christi manducare, & bibere sanguinem eius; vera enim caro, & verus sanguis Christi in hoc sacramento vnionis realiter continentur; qui ergo ad rem significatam pertinet, per illud idem sacramentum, quo vnus efficitur, nempe baptismum, efficaciam sacramenti Eucharistia etiam participat, & sic eos Domini sententia complectitur. Hæc est vera Augustini sententia, quam eandem habet Innocentius in Episto. ad Concil. Mileuit. quæ est inter

Augustini epistolas 92. quamuis non tot verbis sit expressa. Hinc error Bohemorum manifestus est, paruulis vtramque speciem actualis communionis ministrantium, tanquam eis ad salutem necessariam; cum re vera non ita sit, quia per baptismum huius sacramenti participes sunt facti, nec actualem communionem necessariò Christus ab eis postulat; qui actu voluntatis proprio nondum mouentur: satis fuit illis baptismus, per quem ipsi incorporantur, quia baptismi sacramentum quod ianua est sacramentorum, virtute Eucharistiam continet, & ipso recepto, virtute Eucharistia recipitur. Respondetur quarto, adultis maior incumbit necessitas, quibus aut manducatio realis, aut certè in voto necessaria est: dico in voto, quando susceptionis actualis facultas non suppetit; nec mirum, si vnum sacramentum non eodem modo omnibus esse necessarium: nam & baptismus hoc idem habet: cum enim vnus, & idem sit, eademque sententia Domini Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; tamen paruulis necessaria est realis baptismi suscepcio, adultis verò si facultas deest, sufficit baptismi suscipiendi votum. Respondetur quinto potuit Ecclesia actualem paruulus negare susceptionem, vt pote eis iure diuino ad salutem non necessariam; & propter reuerentiam & decentiam tanti sacramenti, recto consilio negauit. Ea hæc de præsentis difficultate sint satis: ad sensum enim Euangelicæ sententia hæc videntur sufficere.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

COMMENTARIUS.

POST sententiam negantem, qua Iudæos terrore perculit, nempe, Nisi manducaueritis, & biberitis, carnem, & sanguinem, non habebitis vitam in vobis; sententiam affirmantem adiicit, vt beneficii tanti spe alliciat ad fidem: duri enim, & proterui prius sunt timore tractandi. *Qui manducauerit, inquit, meam carnem, & biberit meum sanguinem, habet vitam æternam:* non igitur solum prodest caro sanguis Christi suscipientibus, ne pereant; sed simul vt vitam consequantur æternam: causam adiungit, quia, *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Illa particula *Et*, vim causalem habet, vt sæpe apud Hebræos fit; vitam ergo æternam Christum suscipientes habent, quia quamuis moriantur ad tempus, ipse eos in nouissimo ad æternam vitam suscitabit. Vim, & efficaciam diuinitatis suæ in hoc verbo manifestat: Dei enim est mortuos suscitare, & maximè ad æternam vitam.

Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

TOTA ista sententia cum sequenti causam reddit, cur, qui manducat & bibit carnem & sanguinem eius, habet vitam æternam, ab eodem Christo suscitandus. Est autem ista sententia cum sequenti cõnexa, nec vna sine altera integram facit probationem; qua autem ratione connectatur, in sequenti explicabitur commentario. Probat ergo primo loco verbum illud superioris sententia. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem reddes causam* cur dicta

cur dicta sit manducanda caro, & bibendus sanguis eius; quia, inquit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, ac si dicat; dixi manducandam carnem meam, quia caro mea verè est cibus; dixi bibendum meum sanguinem, quia sanguis meus verè est potus. hoc non aliud significat, quam carnem, & sanguinem adaptanda diuina potentia esse, vt sint cibus, & potus; quod factum est, quando in nocte cœnæ Sacramentum mirabile instituit, in quo carnem propriam sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini constituit, vt realiter manducari, & bibi possit, & ore sumpta cibus animarum fiant: dicit autem, *Verè est cibus, verè est potus*, vt rectè dicit Euthymius, quia non parabòlicè, nec ænigmaticè, sed verè, & realiter caro, & sanguis Christi manducatur, & bibitur. Rursus eadem de causa non dicit, ego sum cibus, sed distinctè, *Caro mea cibus est, sanguis meus potus est*; vt in hoc futuram suam passionem, & mortem insinuet, in qua sanguis erat à carne separandus, vt notauimus supra ex Ambro. lib. 4. de fid. cap. 5. cuius passionis cibus hic, & potus futurum erat memoriale viuum, & admirandum. si de spiritali manducatione tantum sermo esset, non erat, cur ista verba ita distinctè, & affirmata proferrentur. Illud enim geminatum veritatis aduerbium, tropum & metaphora excludit omnem. Eodem modo exponit Ambrosius lib. 6. de Sacra. c. 1. cuius verba recitabo, quis veritatem Christi in Sacramento, & conuersionem panis egregiè cõfiteretur; Quomodo, inquit, vera? qui similitudinè video, non video sanguinis veritatem? Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, vt possit mutare & conuertere generalia in stultitiam naturæ: deindè vbi non tolerant sermonem eius discipuli, sed audientes, quod carnem suam daret manducandam, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant; ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptoris, ideo in similitudinem accipis sacramentum, sed verè naturæ gratiam, virtutemque consequeris, hæc Ambro. Cyrillus lib. 4. c. 16. veritatem. hanc contra figuram exponit, vt non sit sicut Manna.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

POSTquam probauit suam carnem manducandam, & sanguinem bibendum, quia verè potus, & verè cibus sunt: persequitur probationem eiusdem illius sententia, & intendit alteram partem probare, nimirum; qui manducat & bibit, habet vitam æternam, quia ego resuscitabo eum; & ad probationem proponit, seu potius tacita quadam illatione deducit hanc sententiam, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo*; id est vnitur mecum, & ego cum illo. Sequitur hæc sententia ex præcedenti; si enim caro mea cibus est, & sanguis potus, qui eam sumit, & accipit intra se vnionem quandam habet mecum: ex ratione enim cibi, & potus hanc mutua deducit permanentiam. Sed latet eximius in his verbis sensus, qui explicabitur, si discrimen latum huius cibi à communi obseruemus. Qui enim cibum, & potum communem accipit, dicitur quidem cibum, & potum intra se habere, tamen non manet ipse in cibo, & potu; immò nec cibus, & potus in eo manet: nam corrumpuntur, & conuertuntur in substantiam eius qui manducat, & bibit; at Christi cibus non talis est, primò quidem manet in manducante, quia non transit caro Christi in substantiam manducantis, sed permanet. Secundò non accipit vitam à manducante, sicut accipiunt cibi communes, sed ipse potius dat vitam animæ manducantis, qua ratione Ambro. lib. 6. de sacra ca. 1. panem viuum dici affirmat. propterea manet in manducante, quia ipsi ita vnitur, vt non corrumpatur: & manducans manet in eo, quia vitam accipit ab ipso cibo, & ab ipso Christo, cuius caro cibus, & sanguis potus est: vnio igitur quædã est, quia cibus & potus est, tamen magnum est, & latum discrimen; cibus e-

Cibi communis, & Christi corporis discrimina.

cibus enim est manens & cōtinens ipsum manducantem. Præterea attendenda sunt verba: Non dicitur manet in carne mea, & caro mea manet in ipso sed ego in ipso, & ipse in me; denotans ipsum suppositum diuinum, & personam: ac si dicat; qui carnem meam manducat, quādam vnionē habet cum ea, & ratione carnis meæ in me manet, & ego, qui Deus sū, in eo maneo: qui enim carnē & sanguinem bibit, habet in se Deum ipsum carni, & sanguini vnitū: quibus verbis significare intēdit efficaciam huius cibi, vt in sequenti sentētia explicabitur. Quid ergo non efficiet cibus, & potus hic, si vt par est accipiatur, cui est vnitus Dei filius, & cui est cōiuncta diuinitas & omnipotentia Dei? ex his deducit postea, qui māducat, vt debet, habere vitam æternam.

A N N O T A T I O XXIX.

HILAR. lib. 8. de trini. hanc vnionem naturalem appellat, quia realiter caro, & sanguis Christi nobiscum vnitur & coniungitur. Cyril. etiam lib. 10. in Ioan. cap. 13. naturalem Christi participationem dicit, per quam efficiuntur membra Christi; iuxta illud 1. Cor. 6. Membra vestra, membra sunt Christi; docetq; fide, & dilectione coniungi Christo, sed non carni eius, nisi per hanc manducationem, secundum quam nos in eo, & ipse manet in nobis verè, & realiter, & propter hanc vnionem Christum vitæ, nos palmite dicit affirmat. Cuius aliquot verba recitabo, multis alijs ad rem hanc pertinentibus omis- sis. An, inquit, fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem, quæ cum in nobis fiat, nōne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare; cur enim membra fidelium membra Christi sunt, nescitis, inquit, quia membra vestra membra sunt Christi, membra igitur Christi, membra meretricis faciam? absit: Saluator etiam dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est non habitu- dine solū, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse verum & participatione naturali; nam quemadmodum, si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex

utriusque factum videatur; sic communicatione corporis, & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso: non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur. non credis mihi hoc dicenti, Christo (te obsecro) fidem prebe: *Amen amen dico vobis nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Auditis apertè clamantem non habituros vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis dicit, id est, in corpore vestro: vita autem iure, ipsa vitæ caro intelligi potest; hæc enim nos in nouissimo die suscitabit. Hæc, & alia Cyril. perpende qualem vnionem hic doctor confiteatur, & qua ratione hæc verba Ioannis, & hanc permanentiam nostram cum Christo exponat. Quanquam doctores hi non sic sunt intelligendi, vt velint ex Christo sumpto, & sumente vnum ens fieri naturale; indigna enim est illis doctrina hæc, sed hoc dicere voluerunt; Præter vnionem, quæ ratione charitatis, & fidei fit; adesse etiam intra nos ipsos verè, & realiter Christum ipsum; qui causa est eiusdem fidei, charitatis, & gratiæ.

Christus est in nobis etiā participatio- ne naturali.

Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.

C O M M E N T A R I V S.

Concludit probationem totam, & est sensus, sicut ego vt homo, quia misus sum à viuento Patre, id est, habeo diuinitatem Patris viuentis humanitati meæ vnitā, & viuo propter ipsum: humanitas enim mea accipit vitam ab ipsa diuinitate, & à Patre ipso; ita qui me manducat, accipiet vitam à me, quia mihi vnitur, & in me manet. Aduerte: Christus erat & Deus, & homo: quatenus Deus vivebat propter Patrem, quia essentiam, & cum ea vitam habebat à Patre; vt homo etiam vivebat propter Patrem: nam vitā vt homo accipiebat; quia enim ille homo Deus erat, & Dei filius, propter vnionem diuinitatis vitam vivebat gratiæ, gloriæ, & naturalem; hanc enim omnē diuinitas humanitati communicauit. Solet autem tribuere Christus quæ diuinitatis suæ sunt, ipsi Patri, & propterea dixit, se, vt hominem, viuere propter Patrem, & de hac loquitur in præsentem. illud autem *Misit*, incarnationis mysterium significat, sicut ego homo factus à Patre viuento: idē est ac si dicat; sicut ego,

ego, qui sum filius Dei, eandem vitam habens cum Patre, factus tamen homo, meæ humanitati propter vnionem, vt Deus do vitam; ita ei, qui me māducat, quia mihi vnitur, & coniungitur per carnem meam, dabo vitam. Sermo est, non de vita gratiæ, & gloriæ sola; sed etiam de æterna, quæ est per resurrectionem, & quidem est omnium causa, tamen præcipuè de æterna est sermo, quæ in resurrectione gloriosa corporum datur. Non est autem vnitas similis omnino: non enim vnitur manducans hypostaticè Christo, sicut humanitas propria verbo; at non ex qualitate vnionis, sed ex vnione sola colligit effectū eundem; nec dicit, *Viuet* propter carnem, sed, *Propter me*, nempe Dei filium, cui per carnem vnitur, & accipit in se Christum, vt in eo manere dicatur. Similis est discursus Pauli ad Rom. 8. Si Spiritus, inquit, eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitatē spiritum eius in vobis. Diuinitatem vocat Spiritū: Si diuinitas, inquit, quæ erat in Christo suscitauit eū, vt hominē, quia vnita erat, & inhabitat in eo; ita etiā suscitabit vos, si inhabitat in vobis, nēpe per gratiam. nō enim eadē est inhabitatio, sed idē inhabitans, & ideo idem erit effectus vitæ, & resurrectionis æternæ. Tota ergo, & integra probatio ex duabus præcedentibus sententijs conficitur: ad probandam illam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum*, probatio hæc est, *Caro mea cibus est, sanguis meus potus est*, igitur manducari, & bibi potest: & rursus, *Qui manducat, & bibit, manebit in me, & ego in eo, quia caro mea est, & sanguis meus est, & qui ea recipit, mihi vnitur*: sicut igitur mea humanitas viuuit propter vnionem ad diuinitatem Patris, quæ etiam mea est, quia ipsa diuinitas est vita ipsa; ita & qui per carnem meam vnietur mihi, vt oportet recipiendo cibum, & effectum, nēpe gratiam, hoc enim est dignè manducare, viuificabitur, & suscitabitur à me in æternam vitam. Hic est sensus totius huius sententiæ, qui magis in sequenti annotatione explicatur.

A N N O T A T I O XXX.

Arianorum sophisma soluitur.

ARIANI hoc vtebantur loco in sui erroris defensionem, vt auctor est Ambr. lib. 4. de fide ca. 5. & Basilii lib. 4. con. Eunomium, & in Apologia de sua discessione, quæ est Epist. 141. argumentabantur enim; Si viuuit propter Patrem, ergo minor est Patre, à quo vitam accipit. Dupliciter Sacri Doctores ad hanc vanam argumentationem respondent; vno modo verba hæc esse ratione humanitatis intelligenda; Christus enim, vt homo, viuuit propter Patrem: quia à diuinitate, quæ sua, & Patris est, vitam habet: ita Basil. respondet, & Ambro. & Augu. etiam tract. 26. qui hæc verba de vita humanitatis censent intelligenda. At Cyril. lib. 4. cap. 18. & Hilar. li. 8. Trini. & Chryso. homil. 46. qui verba de Christo etiam vt filio Dei exponunt, aliter respondent; nempe filium dictum esse viuere propter Patrem, non quod vitam accipiat, quam ante non habebat; non quod aliam vitam habeat ab illa, quæ est Patris; sed quia eandem habet per æternam naturitatem à Patre. & sicut essentiam, ita & vitam à Patre accipit eandem, vt vna vita viuāt, sicut vna essentia sunt. Illud autem *Propter*, non finem significat, sed principium; vt idem sit, viuuit propter Patrem, id est, viuuit per Patrem: ita enim legit Hilar. seu viuuit à Patre. Probant hanc responsum Ambr. & Augu. quantum ad doctrinam: vera enim est doctrina filium Dei vitam habere à Patre, & viuere per Patrē,

A seu à Patre; tamē quantum ad Ioannis sensum potius de Christo, vt homo est, verba intelligenda cēscent, & ita mihi videtur, quod & Basilii constanter affirmat: quod magis verum esse apparebit, si expositiones alias in medium proposuerimus, non enim eodem modo exponunt Doctores.

Ambrosius loco iam allegato horum verborum connexionem duplicem enarrat, vt sint duæ comparationes, vna in prioribus verbis, Sicut misit me viuens Pater, ita & ego viuo propter Patrem: altera in posterioribus, Qui manducat me, ita viuuet etiam propter me. Altera connexio, vt sit vnica comparatio sic: Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: ita, Et qui manducat me, viuuet propter me: Hanc posteriorem probat, tamen vtramque ita intelligit, vt ratione humanitatis procedat. si enim sint duæ comparationes, tunc prioris sensus iste est. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, id est, sicut à Patre descendi, & missus sum homo factus; ita etiam propter Patrem, vt homo viuo. Posterioris autem talis erit sensus, qui manducat filium hominis, viuuet etiam propter filium hominis. Si autē sit vnica comparatio, tunc sensus est; sicut Pater viuificat Christū hominem, ita & Christus habens eandem diuinitatem patris, viuificabit manducantes se. Has expositiones adfert Ambrosius: posteriorem Augu. tract. 26.

Verba Domini variè à patribus exponuntur.

sequi videtur: sic enim exponit, Sicut quod ego vivo propter Patrem facit exinanitio mea, ita etiam, quod viuat propter me facit participatio, qua manducat me: interpretatur enim etiam de Christi vita, ut homo est. Tertiam adfert Ambr. expositionem; similiter & Augu. ut priora verba de Christo ratione diuinitatis intelligantur, quam, uti diximus, secuti sunt Hila. Cyril. & Chryso. hanc Cyril. magis explicat, & talis est. quamuis me Pater misit, & homo factus sum, vivo tamen propter Patrem: id est, genitoris naturam ad vngue conseruo: sic qui carnis meae manducatione me recipiet, viuere profecto totus ad me reformatus, qui viuificare possum, quoniam ex vivo Patre sum. hanc Cyrillus. Sed non video, qua ratione hic sensus verbis accommodari facile possit, quod lectori iudicandum relinquo. facilius sensus, & veritati literae accommodatior est, ut vna sit compositio, & in hoc probat Cyrillum, Chryso. & alios Doctores, tamen sic exponenda est: Sicut ego, ut homo, quia missus sum a Patre viuentis, id est filius sum Dei eiusdem vitæ & diuinitatis cum ipso, vitam ut homo accipio a diuinitate, seu

A à Patre, seu a me, ut Deo (idem enim hæc significant) propter vnionem; ita, qui me manducat propter vnionem, quia in me manet & ego in eo, suscitabitur, & viuere propter me; manet enim, qui Christum manducat in eo, ratione gratiæ ex manducatione acceptæ, per quam dicitur Deus inhabitare, & manere in homine; & quamuis moriatur homo, sicut etiam Christus mortuus est, Deus, qui in eo inhabitat, suscitabit eum ad æternam vitam: non quod, uti diximus, sit vnionis æqualitas: robur enim argumenti consistit in identitate inhabitantis Dei, qui est idem, & eiusdem potentia. Respondent autem sibi inuicem sententia: illi enim verbo *Misit me viuens pater*, respondet illud, *Qui manducat me*. Nam sicut Christus ex missione a patre habet vnionem cum diuitate patris viuentis: sic ex manducatione habet manducans vnionem, & permanentiam quandam cum Deo. Illi autem, *Vivo propter patrem*, respondet, *Viuo propter me*, ut enim Christus ut homo a diuinitate, cui vnitur, accipit vitam, sic homo manducans ab eadem filij diuinitate communicata in carne, habet vitam æternam.

Hic est panis, qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuere in æternum.

COMMENTARIUS.

CONCLVDIT Dominus, repetitque sententiam primam, cuius occasione multa dicta sunt; *Hic est panis qui de cælo descendit*, qui viuere facit in æternum, & non sicut manna quod non potuit præbere vitam æternam: nam mortui sunt omnes, quotquot illud manducauerunt, nec virtute illius vnquam ad vitam resurgent æternam, uti Augustin. rectè explicuit libr. de vtili. pœnitent. cap. 1. dicens: Manducauerunt manna, & mortui sunt, id est, manna quod manducauerunt, non eos a morte potuit liberare. Modò seipsum, modò carnem suam vocat panem: non enim caro a sua persona vnquam separata est; propterea ubi caro est, ibi & ipse Christus filius Dei est, qui ratione suæ carnis nobis est panis vitæ factus; quatenus sub speciebus panis nobis seipsum in carne sua cibum præbet. Vnius autem speciei meminit, quia in altera specie totus est, & si manducetur vitam dat. Explicuimus superius qua ratione hæc sint verba intelligenda. Sed dubitationem mouet Ambrosius & rectè soluit libr. 6. de sacram. cap. 1. Ego, inquit, sum panis, qui de cælo descendi, sed caro non descendit de cælo, sed in terris assumpta est de Virgine; quo modo ergo panis descendit de cælo: quia idem Dominus noster Iesus Christus confors est diuinitatis & corporis. Hanc Ambrosius, quamuis ergo caro, & humanitas de cælo non descenderit, is tamen qui vnitus est carni de cælo est, propterea dicitur descendisse panis de cælo.

ANNOTATIO XXXI.

HAERETICI nostri temporis, qui veritatem Christi in sacramento confitentur, panis substantiam nihilominus manere post consecrationem affirmant; eo inter alia decepti argumento, quod panis etiam post consecrationem dicitur. Argumentum autem hoc nullius esse efficacis aperte conuincitur, &

Veritas Catholica manet firma; quæ panis substantiam post consecrationem non manere, sed totam in Christi corpus conuersam, & transubstantiatam docet; nec hoc in præsentis tractate intendimus, sed argumentum aduersariorum, quod ex panis nomine sumitur, multipliciter etiã scripturæ testimonijs soluimus.

Primò

Primò solet scriptura rem conuersam in aliam, nomine priori appellare, non quod res eadem maneat, sed ut rem, in quam est conuersa, & illius conuersione factam esse significet. Exod. 7. Virga Aaron dicitur deuorasse virgas Magorum; iam virgæ non erant, sed serpentes, sed idem retinent nomen, ut serpentes ex conuersione virgarum facti esse significentur. similiter Ioannis 2. Cum gustasset Architrachus aquam vinum factam; iam tunc aqua non erat, sed vinum, tamen aqua dicitur, ut quale vinum esset significaretur, ita post consecrationem panis dicitur, non quod ibi sit panis substantia, sed Christus; in quem panis est mutata substantia.

Secundò scriptura solet appellare rem nomine eius, quod apparet exterius, quamuis verè talis substantia non sit. Gen. 18. Tres viri ap-

Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum.

COMMENTARIUS.

LOCVM in quo mirabilem habuit Christus concionem describit, non occultum aliquem, sed publicum, iuxta illud Ioan. 18. Palam locutus sum mundo; Ego semper docui in Synagoga, & templo, quo omnes Iudæi conueniunt, in occulto locutus sum nihil. Erant multæ Synagogæ in oppidis Iudæorum, quo Iudæi conueniebant ad orandum, & ad lectiones scripturæ audiendas. Matth. 4. Docens in Synagogis eorum. Matth. 6. Qui amant in Synagogis eorum, & in plateis stantes orare. Templum vnum erat, & id in Hierusalem, in quo solo sacrificare licebat, & simul ea facere, quæ in Synagogis efficiebantur. In Synagoga igitur Ciuitatis præcipuæ, & celebris Galilææ dictæ Capharnaum, hic Christi sermo est habitus: qui enim pro salute omnium veniebat, loca publica, & celebria ad docendum eligebat.

Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

VERITAS ad salutem necessaria non est dissimulanda propter incredulorum scandalum exemplo Domini; durum vocant sermonem, quem ad credendum difficilem existimabant, similitudine & metaphora sumpta a cibo, qui præ duritia manducari non potest; & quod propria erat culpæ: nam eorum incredulitate, & vitio dentes ad manducandum etiam mollia ineptos habebant, in cibum ipsum reiiciunt, ut rectè annotat Cyril. lib. 4. cap. 12. vitium etiam suum aliorum iudicio defendunt. *Quis, inquit, audire eum potest?* ac si dicant; non nobis solis durus est, & ad credendum difficilis, sed omnibus; nec enim audire eum potest. Tertul. lib. de carnis resurrect. *Durum*, exponit in tolerabilem. Chryso. hom. 46. difficilem intellectu, utrumque videtur coniungendum: etenim ad intelligendum difficile, & ad exequendum arduus, ut ipsi apprehendebant, videbatur.

Pro exactiori intelligentia aduertendum est, duo esse, quæ horum aures offendebant: alterum est carnem Christi manducati dare posse æternam vitam, esseque supra manna datum Patribus, & in cibum mundi sufficientem futuram. Alterum est, carnem Christi manducandam, & sanguinem bibendum sensibilibiter, sicut & caro animalium manducatur; ita enim verbum intelligebant, & hoc horrorem incutiebat: sicut etiam si quis nobis carnes humanas manducas, & edendas proponeret, horrorem & nauseam, vel solo sermone faceret: & propter hoc dictum est ab his, *Quis potest eum audire?* hæc fieri non posse videbantur, & de his dictum est, *Durus est hic sermo*, id est, credibilis non est, nec ad intelligendum idoneus, nec audiendum suauis. Hic est sensus verborum ad in quo istorum error comprehenditur, & superbia: nam quæ non intelligebant,

Seipsum Christum, & carnem suam, panem vocat.

De transubstantiatione contra hæreticos nostræ ætatis.

bant, proprio iudicio metiebantur; nec à tanto magistro discere cupientes, qua ratione intelligenda, & facienda hæc essent, interrogarunt à tantæ enim virtutis, ac potestatis auctore, quantum Christum erant experti, nihil falsum, nihil abhorrens proficisci posse scire debebant; ideo à crimine non excusabantur.

Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, hoc vos scandalizat?

Nouum diuinitatis suæ profert argumentum; nemine referentetacitas discipulorū cogitationes, & murmuraciones mutuas reuelat, & arguit, vt vel in hoc eius potentiam cognoscant, & fieri posse, quæ dicebantur, ac mysterium in eius verbis credant: hoc appellat Ioannes scire, *Apud semetipsum*, id est, propria scientia cognoscere, nemine referente. Dixit autem eis, *Hoc vos scandalizat?* ac si dicat; maiora audietis, & videbitis, parum hoc est, vt tam cito scandalizemini. Simile est illud Ioan. 1. Quia dixi, vidi te sub ficu, credis, maius his videbis. Dominus non retractat, quæ dixit; sed maiora adhuc promittit, vt magnitudine ipsa ad credendum alliciat: qui enim vera loquitur, quamuis audientes repugnantes videat; confirmare, & augere ea solet. scandalizati autem isti dicuntur, quia in hoc Christi sermone offenderunt, & à Christi sequela, & disciplina retrocesserunt, seu retrocedere iam animo incepterunt; scandalum enim offendiculum est, in quod impingit aliquis & cadit: nō verbum eos scandalizabat; sed ipsi suo vitio in ipso scandalizabantur, & offēdebant; erat enim scandalum non actiuum, sed passiuum, quod vocant.

Si ergo videritis filium hominis ascendetem, vbi erat prius.

Respondet Dominus ad illud primum, in quo isti scandalizabatur, nempe, quomodo fieri potest, vt caro Christi vitam æternam dare possit; quomodo cibus toti mundo sufficeret: hæc enim fieri nō posse videbantur: dicit igitur Dominus scandalum illorum reprehendens, quasi maiora adhuc super sint. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius:* Hæc sunt per reticentiam, & aposiopesis quandam dicta, quæ est quando ex affectu aliquo reticetur in verbis aliquid, quod est in mente; quod in presenti facit Dominus: nam supplere oportet, vt dicit Cyrillus. lib. 4. cap. 22. *Si videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius*, quid dicetis? ac si dicat: Vos scandalizamini, quia dixi me daturum carnem meam in cibum vitæ æternæ, visusque sum vobis id facere non posse, nec carnem meam id efficere valere; quid igitur dicturi estis, cum videritis hunc filium hominis ascendentem, vbi erat prius? id est, cum meam diuinitatem cognoueritis, & hanc carnem diuinitati vnitam esse intellexeritis, vtrique tunc non me aliquid, quod fieri nequeat, dixisse cognoscetis; maius enim est carnem meam vnitam esse diuinitati, quam cibum esse vitæ æternæ: immò, cum vnita sit diuinitati, non mirum est si cibus esse possit toti mundo, & cibus quidem vitæ æternæ. Ex suo ad coelos ascensu, vbi prius erat, suam ostendit diuinitatem, carnemque illam vnitam diuinitati, vt credant eam effectricem esse æternæ & celestis vitæ, quippe quæ vnita est diuinitati, & ad coelos ascensura erat: qui enim potuit carnem efficere suam dieferam, & celestem, vt quæ terrena erat, ad coelos ascenderet; potuit etiam efficere, vt cibus esset celestis, & vitæ æternæ. Apertè se Deum profiteretur carni vnitam, & in coelis existentem, vt se omnia facere posse ostendat. Illa autem particula *Ergo*, emphasim quandam habet, & scandalum eorū vehemèter arguit. Sensus enim est, Vos in hoc, quod dixi, scandalizati estis, ergo quando me ascendentem vbi eram prius, & me Deum esse, & carnem meam vnitam diuinitati intellegitis, scandalizabimini? profectò non, sed

potius

potius confundemini, & admirabimini. Athanas. enim illud dictum Matth. Quicumque dixerit verbum &c. hoc verbum explicans dicit; propterea ascensionis suæ Dominum meminisse, vt eos à corporali intellectu abstraheret: ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis celestem, & spiritualem alimoniam, & ab ipso donandam intellegerent. Cyril. li. 4. ca. 22. addit; Dicit se ascensurum illò, vbi prius erat, vt audientes intellegant de cœlo quoque ipsum descendisse, & sic non vt homini, sed vt Deo viuificam carnem suam esse facilius credant.

ANNOTATIO XXXII.

CHRYSO. hom. 46. hæc verba connectit cum illis, descendi de cœlo: de quo isti murmurauerant, vt sit sensus, quid ergo dicetis, si videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius, & vnde descenderat? murmurabitis tunc? profectò non erit locus murmurandi. Sed dura expositio videtur, illa enim multum à præsentis sententia distat, quæ ad proxima refertur, nempe ad scandalum; quia dixerat, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, tunc enim illi dixerunt; *Durus est hic sermo*, ad quod Dominus respondit; *Hoc vos scandalizat? & persequens adiunxit, Si ergo videritis filium hominis &c.* verba igitur hæc referuntur ad scandalum, de carne, & sanguine in cibum & potum vitæ dandis; & ita refert Cyril. lib. 4. cap. 22. cuius expositio hæc est, vt Dominus scandalum horum discipulorum tollere velit ea ratione, quia caro illa ex vnione ad diuinitatem extollenda erat in eam proprietatem, vt in cœlos ascenderet, cum esset naturæ terrestri. non ergo mirum, si effici etiam possit cibus vitæ ab eadem diuinitate: sitq; sensus. Si ergo videritis filium hominis ascendere, vbi prius erat, quid dicetis? scandalizabimini tunc? profectò non, sed potius diuinitatis potentiam cognoscetis. Hanc expositionem secuti sumus in commentario. Dicitur autem idem Christus ascendere ratione humanitatis, vbi erat prius ratione diuinitatis; idem enim est suppositum seu persona, & propterea idem est, qui erat in cœlo, & qui ascendit, sed ratione diuersarum naturarum.

*Altera aucto-
ri expositio.*

Alia expositio mihi occurrit huius sententia, quam in commentario non sum persecutus, quod à communi expositione recedere noluerim, cum sit valde probabilis, quanquam & hæc alicui fortasse non improbabatur, vt his verbis Dominus istorum arguat scanda-

Alum, ostendens eos vitam sibi ipsis præcludere, & se ineptos facere mysterijs diuinis percipiendis, & audiendis: Et est sensus; Hoc vos scandalizat, quia dixi meam carnem manducandam, & sanguinem bibendum: Si ergo videretis, vt re vera videbitis, & scietis, me ascendentem in coelum, tunc magis scandalizabimini, in hoc ipso, quod dixi: Si enim, cum me præsentem videtis, & mortalem, non creditis cibum & potum carnem, & sanguinem meum esse posse; quando non videbitis præsentem, sed in cælum ascendere vitam immortalem victurum intellexeritis, profectò hoc minus credetis, dicentes; quomodo caro, quæ est in cœlis, & immortalis, cibus nobis erit, & sanguis eius potus? & tamen necessarium est vobis ista credere. Dominus ergo inducit eos, vt incipiant credere, quæ nunc dicuntur. Si enim, quæ ventura sunt, expectant, nec præsentibus habent fidem, magis sibi credendi viam obstruunt. propterea Dominus eos instruit, ostendens id fieri posse, quia spiritus, & diuinitas carni illi vnita est, quæ viuificat per carnem, non ipsa sola caro, vt in sequenti sententia dicemus. Hæc expositio magis accommodatur verbis: nam illa particula *Ergo*, quæ illatiua est, insinuat magis futurum scandalum, nisi præsens tollat, & nisi nunc credant: & re vera impletum videmus verbum Domini: Nostri enim temporibus sunt, qui scandalum hoc sibi faciant, dicentes; quomodo, qui est in cœlo, potest esse sub panis speciebus in terra? quomodo immortalis potest manducari? & metis suæ cœcitate, & superbia negant veritatem diuinam, non intellegentes, quod tanto tempore prius Dominus his incredulis Iudæis obiecit, & prædixit. Hæc est expositio, quæ non improbabilis mihi visæ est.

Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquam.

COMMENTARIVS.

Respondet Dominus ad illud secundum, in quo isti scandalizabantur, carnem sensibiliter ad modum ferarum manducandam esse intelligentes, & connectitur hæc præcedenti sententiæ: dixit enim se ascensurum in carne, vbi erat prius, significans se Deum esse, carnemque suam vnitam habere diuinitatem. persequitur; Spiritus est, qui hanc vitam tribuit, non caro sola: caro ex se non prodest ad hanc vitam æternam dandam, at spiritus, & diuinitas, cui caro hæc vnita est, ipsa est, cuius ratione caro est effectrix vitæ. Spiritum appellat diuinitatem carni vnitam, seu carnem vnitam diuinitati: carnem autem solam per se vocat carnem, qualem isti intellegebant; hæc autem non

prodest

prodest ad æternam vitam, sed vnita diuinitati prodest ad vitam; nam, *Spiritus est, qui viuificat*, per eam. Quibus verbis remouet illud secundum, in quo scandalum isti patiebantur; nam carnem Christi puram, vt cæterorum hominum arbitantes, non solum vitam non posse dare credebant, sed sensibilibiter & carnaliter manducandam putabant. Quod Dominus etiam his verbis reiecit; si enim caro ipsa nõ propter se, sed propter vnitã diuinitatẽ futura est cibus vitam efficiens, non ergo carnalis modus, & sensibilis est cogitandus; sed qui carni diuinitati copulatẽ conueniat, qualis est is, quem Dominus postea instituit: ita enim vera nobis caro datur, vt tamen non carnaliter, & sensibilibiter, sicut cibi communes, manducetur.

A N N O T A T I O XXXIII.

Verba Christi proxima relectisimẽ cõmunioni Sacramentali, & nõ solum spirituali cõueniunt.

EX his verbis argumentum sumunt, qui ad spirituales manducationem, quæ per fidem est, verba Ioannis trahunt: exponunt enim spiritum viuificare, quia verba sunt hæc spiritualiter intelligenda. Et de manducatione secundum spiritum interpretantur. Sed quantum hi à recto sensu, & sanctorum Doctorum doctrina aberrant, apertè ostendi potest. In primis demus illis secundum sensum spirituales hæc esse intelligenda; inde tamen non sequitur de manducatione, quæ per fidem est, verba hæc procedere: nam manducatio, qua Christus in sacramento accipitur, non carnalis, sed spiritualis censenda est: interrogo enim ego hos, qui Catholici sunt, & multos etiam hæreticos, qui veritatem Christi in sacramento non negant, quando Christus Matt. 28. dedit Apostolis corpus suum manducandum dicens, Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum, eratne illa manducatio carnalis, an spiritualis? vtique carnalem respondere nemo audebit, erat ergo spiritualis; & tamen non sola fide Christus manducabatur, sed verè, & realiter, tamen in sacramento, & insensibiliter; non ergo sequitur, Spiritus est, qui viuificat, verba mea spiritus sunt; ergo manducatio hæc est spiritualis, quasi sola fide fiat. Rectius Chrysostr. hom. 46. exponit quidẽ spiritualiter verba esse intelligenda; tamen non propterea de manducatione, quæ per fidem est, sed de ipsa reali, quæ in sacramento fit, verba hæc interpretatur, & in hoc rectè sentit. Eius tamen expositio non videtur legitima; sic enim exponit, vt per carnem intelligenda sit auditio carnalis; per spiritum, auditio spiritualis, sitque sensus; *Caro non prodest quicquid id est, auditio carnalis, quæ secundum carnem fit, & proprio iudicio metitur omnia, non prodest; sed quæ secundum spiritum fit, qua non vt sonant materialiter verba, nec secundum proprium iudicium carnale sentiuntur, sed secundum spiritum, quo diuina mysteria noscuntur.* hæc est auditio spiritualis, quando quis secundum Deum audit, & sapit, & hæc viuificat; non auditio carnalis cum quis carnaliter sapit. Sensus ergo erit idem cum illo 2. Corint. 3. Spiritus viuificat, littera occidit, at magis propria est, & accommodatior expositio, quam sequitur Cyril. libr. 4. cap. 23. & 24. nempe caro, si sola esset, non prodesset ad vitam; at quia Spiritus, & diuinitatis est ca-

ro, ipsique coniuncta, prodest, & efficax est ad vitam; diuinitas enim, per ipsam dat vitam. Hanc eandem sequitur Augustin. tract. 27. etiam explicat exemplo illius 1. Corinth. 8. Scientia inflat, charitas ædificat; cuius sensus est, quod sola scientia, nisi charitati sit vnita, inflat; at si adsit charitas, non inflat scientia, sed potius per eam multa bona operatur charitas. sic caro, si sola adsit, nihil prodest; at vt est diuinitatis organum, prodest ad vitam; per eam enim spiritus diuinus operatur: isti autem increduli solam carnem carnaliter comedendam considerabant. hæc August. nec propter hoc verbum manducationem hanc realem & veram carnis sacramento excludit, sed potius eam verbis applicat, idem docet lib. 10. Ciui. cap. 24. eandem ante hos Doctores explicuit Athanasius li. de incarnatione Christi, cuius verba hæc sunt: In communionem corporis Domini admissi sumus, quemadmodum ipse dixit, Panis quem ego dabo, pro mundi vita est: Spiritus enim viuificans est caro Domini; quoniam ex Spiritu viuificante est concepta; quod enim ex Spiritu nascitur, spiritus est. hæc Athanas. Eadem verba habet Damasc. libr. 4. de fide cap. 14. & idem Athanas. in illud dictum Marth. Quicumque dixerit verbum, &c. eodem est interpretatus modo. Ante hos etiam Tertul. libr. de resurrect. carnis, eandem adhibuit expositionem, quamuis subobscurè, vt nisi aduertat lector, in contrarium videtur sensum exponere. Abutebantur hoc loco hæretici, quos arguebat, affirmantes non esse suscitandam carnem in resurrectione; dicebant autem, caro non prodest quicquam: respondet Tertul. nihil hæc verba ad rem illorum facere, exponit autem sic dicens; Sermonem constituens viuificatorem, quia spiritus, & vita sermo, eundem etiam carnem suã dixit, & quia sermo caro erat factus; proinde in causam vitæ appetendus, & deuorandus auditus, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. hæc Tertul. Perpende verba, quia Verbum caro factum erat, vita non carni, sed Verbo tribuenda erat, vt causa: cumque verbum in carne causa sit vitæ, non caro; non carnalis sensus, & manducatio intelligenda est, vt illi intellexerunt; sed quæ fit fide, & intellectu; id est, non corporis cibus, sed animæ est, & ita re vera est: nam licet realiter caro Christi accipitur, cibus est animæ, & fidẽ, ac mentis affe-

tu suscipi-

tu suscipi debet; non carnali appetitu, vt caro realiter accipiatur, nõ ipsa est, quæ per se viuificat, sed propter vnitum Verbum, quod spiritus est, & spiritualiter est manducandum. Ex his igitur Doctõribus, verus Christi verborum sensus elicitur.

Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt & vita.

C O M M E N T A R I V S.

Persequitur causam scãdali accepti remouere, docens non carnali modo esse intelligenda verba superius prolata de carnis suæ manducatione, quasi caro sit manducanda sensibilibiter, vt carnes communes, & quasi sic cõesa caro ipsa, vitam præstet æternam. Sensus verborum hic est, *Verba, quæ locutus sum*, nõ de carnali, sed spirituali & viuifica sunt. Carnem suam, vt rectè Cyril. lib. 4. cap. 24. annotat, spiritum vocat propter vnitã diuinitatẽ: verba autem dicit Spiritum, & vitam ratione materiæ, de qua tractant, vt non de carnali aliqua re, vt intelligebant; sed de carne spirituali, & viuifica, & modo spirituali accipienda dicta intelligantur. Attende spirituales hanc intelligentiam, & manducationem non excludere, vti sæpè diximus, realem manducationem in Sacramento, sed carnalem illum modum, quo cibi communes accipiuntur, & quem isti existimabant; quod Sacri Doctores communi sententiã aduerterunt. & Aug. doctè in illud ps. 98. Adorare scabellum pedum eius; obseruauit dicens, Durum illis visum est, quod ait, Nisi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam æternam; acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt, Durus est hic sermo; ipsi erant duri, non sermo; etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi, non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod latens sacramentum; manerent cum eo lenes, non duri, & discerent ab illo, quod illis discipuli duodecim illis recedentibus, suggererunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo eius, & recesserunt; ille autem instruxit eos, & ait illis; Spiritus est, qui viuificat, caro autem nihil prodest; Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus sunt, & vita; spiritualiter intelligite, quod locutus sum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibaturi illum sanguinem, quem fufuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendauit, spiritualiter intellectum viuificabit vos, & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamẽ inuisibiliter intelligi. hæc Augustinus. Perpende Augustinum spirituales intellectum ponere in eo, quod etiã si caro ministratur, & visibiliter Sacramentum sub speciebus visibilibus celebretur; tamen intellectu percipiendũ est, quod latet nec caro in partibus diuisa manducanda est sed tota inuisibiliter: Dominus autem his verbis illã stultam manducationem illorum remouit, non autem realem manducationem in Sacramento; in hoc tamen non placet sententiã Augustini, quod dicit hæc verba, & superiora: *Spiritus est qui viuificat*, dicta fuisse solis duodecim, post cæterorum discipulorum recessum, quando quidem ex verbis potius contrarium deducitur: illud enim verbum, *Hoc vos scandalizat*, continari videtur cum his, quæ sequuntur; quod certum est illis scandalizatis fuisse dictum: post quæ Euangelista narrat illos recessisse. ad duodecim autem post eorum recessum id solum dictum legimus, Nisi quis vultis & vos abire? quod autẽ August. dicit, dolentes duodecim Christo suggestisse, quod illi abierint, Euangelista non narrat: sic igitur res facta videtur, nempe sermone completo turba recessit, aliquanto verò tempore discipuli manserunt cum Apostolis, quibus dictum est à Domino, quod narrat Ioannes, eo autem audito, etiã illi abierunt, manentibus duodecim. & contextus hoc indicare videtur, & cõmuniter expositores verba exposita illis etiam incredulis dicta esse censent, quod etiam in sequentibus magis confirmabitur.

Est spiritus non sacramentum sed cor-poralem excludit.

Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.

Partícula illa aduersatiua *Sed*, sensum declarat, & connexionem: ac si dicat, murmurationis, & refectionis istorum ego non sum causa, nec mea verba, quæ sunt Spiritus & vita, sed eorum incredulitas, quia credere nolunt. Verbum, *Non credunt*, non præsentem fidem solam negant, sed permanentem infidelitatem indicat, vt verba sequentia probant, quasi diceret, non sunt de numero eorum, qui credituri sunt, nec de ouibus meis vitio suo. causam enim murmurationis, & defectionis discipulorum in eorum reijcit infidelitatem, & à se repellit; quippe qui nihil dixerit, propter quod hi murmurare aut deficere debuerint. Si enim aliquid difficile dictum erat à magistro, humiliter eos quærere, & discere oportebat. dum dicit, *Sunt quidam ex vobis*, constat adhuc esse præsentem eos, qui recesserunt postea, vt supra dicebam.

Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum.

Hæc per quandam parenthesis ab Euangelista sunt dicta, reddente rationem, cur dixerit Christus; Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: sciebat enim ab initio qui credituri erant in eum, & quis esset traditurus eum, quia igitur sciebat, qui essent credituri, qui verò non, propterea dixit, quosdam esse non credentes. Ab initio incarnationis suæ vt homo, & ab æterno vt Deus hæc sciebat. Et attende hæc verba Euangelistæ non solum causam reddere, cur dixerit quosdam esse, qui non credunt; sed etiam causam reddere sequentium, in quibus prædicit etiam vnum ex duodecim Diabolum esse. propterea Euangelista hoc verbum interposuit: ac si diceret, non mirum si omnia hæc Christus dicit, quia ab initio sciuit ea. Hoc argumento probatur, illud *Non credunt*, non tantum significare incredulitatem præsentem, sed etiam futuram, nempe non credunt, id est, non sunt de numero qui credituri sunt in me. Illud *Non credunt*, refertur ad discipulos desciscientes; illud *Traditurus eum*, refertur ad vnum ex duodecim, de quo inferius loquitur Christus. nam hæc parenthesis ad superiora, & inferiora etiam refertur.

Et dicebat: propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum à Patre meo.

Continuat Euangelista verba Christi, quæ cõiuncta sunt superioribus: at Euangelista per parenthesis narrationem interruperat, postquam ad continuanda verba Christi reuertitur, & ideo non dicit, dixit Iesus, sed *Dicebat*, quasi persequens eandem sententiam. verba ergo Christi sunt hæc, *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt, propterea dixi vobis; quia nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei à Patre meo.* repetit verba sua Dominus, quæ paulò ante dixerat, etiam prius quàm isti obmurmurarent, & desciscerent: & dicit se propterea dixisse prius, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre*, quia nempe sciebat multos futuros, qui à Patre dati non sunt, & hos non esse venturos, non quod causa sit Pater eorum incredulitatis, quia eos non dedit, sed ipsorum malitia, & culpa, vt doctè annotat Cypria. epist. 55. seu lib. 1. epist. 3. qua culpa existente, Pater eos non dat, & ea præuisa nec dedit. Sapienter autem Christus repetit verbum, vt eo confirmet credentes, cum audiunt, quòd credant esse secundum Dei patris voluntatem, & beneplacitum, qui verò non credunt, Dei voluntati contrarios esse, nec partem habere cum Deo, tanquam eos qui à Deo electi non sint. Allegat autem dictum præcedens, ne tanquam ignarum futurorum, hoc illum admisisse aliquis arbitraretur. Hanc sententiam superius explicuimus.

Ex hoc

Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.

Hæc audientes discipuli illi, qui murmurarunt, à Christo desciscerunt, nec eum secuti sunt, vt ante solebant. Non omnes discipulos fuisse indicat Euangelista, sed multos. Aduerte quamuis Christus ab initio hæc sciret, eos tamen ad disciplinam suam admisit, ne quis vel patrem, vel ipsum in causa fuisse, cur isti non crederent, existimaret.

A N N O T A T I O XXXIV.

Quidam discipulorum abierunt retro

DISCIPULOS hos, qui recesserunt, non esse de numero duodecim, res est aperta: nam potest eorum recessum, Dominus ad duodecim esse conuersus dicens, Nunquid & vos vultis abire? qui autem fuerint, certo determinari non potest. Augustinus in Psalm. 98. Eos de numero septuaginta discipulorum fuisse est arbitratus. Scandalizati, inquit, sunt discipuli eius septuaginta ferè, & dixerunt, Durus est hic sermo. Epiphani. libro 1. Tom. 1. cap. vltimo, idem dicit; affirmans Lucam inter eos fuisse, & postea à Paulo conuersum. Idem lib. 2. Tom. 2. cap. 51. affirmat etiam inter eos fuisse Marcum, postea à Petro conuersum. Euthymius de numero illorum septuaginta hos etiam esse censet. Nò est improbabilis hæc grauium Doctorum sententia: nam duodecim solos remansisse ex ipso Ioannis contextu constat: ad hoc enim tantum Dominus est conuersus, quos non sine causa Euangelista duodecim expressit; tum vt eorum nemo scandalizatus significaretur; tum vt aliquos recessisse indicaret. Nec mirum si hi defecerunt. nam

A & fratres Christi increduli extiterunt, & inuidia sunt eum persecuti, qui tamen postea conuersi in fines fuerunt viri: sic fieri potuit, vt & ij tunc increduli, postea conuersi viri euaserint discipuli Christi. Alijs non improbabile videtur, vt putet hos de numero fuisse eorum, qui frequentius Christum sequebantur, non tamen de numero septuaginta, qui nunquam recesserunt; & mihi ista opinio visa est probabilior, quia verbis Euangelistæ accommodatior est, vt in commentario exposuimus. Verba enim illa, *Sciebat ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis esset eum traditurus*, indicant eos non fuisse de numero credentium; at per credentes certum est non intelligi, qui de præsentem credebant, nam & Iudas tunc fortè credebat; sed eos, qui perseueraturi erant in fide. Rursus verba adiuncta in confirmationem, *Nemo potest venire ad me; nisi datum ei sit à Patre meo*, id ipsum indicant, non enim à Patre datos illos esse significare voluit Dominus.

Dixit ergo Iesus ad duodecim, nunquid & vos vultis abire?

C O M M E N T A R I V S.

NE Apostoli dum alios desciscientes vident, in superbiam aliquam laberentur, quod ipsi in fide permanerent, aut humanam gratiam aliquam à Christo captarent, quasi eius vtilitati deseruissent, eos Christus in humilitate continet, & in doctrina instruit: *Nunquid, inquit, & vos vultis abire*, sicut & illi abierunt? quasi diceret, Ego vestra opera non indigeo, nec propter me discipulos quæro, sed propter eos mer: nò meam rem, sed vestram agitis, dum mihi adhæretis, & fidem habetis. Et, vt notat Chryso. ho. 46. non dicit abite, ne eos contemnere videatur, sed interrogat, vt eos in libertate relinquat, ne pudore aliquo permanere cogantur. Hac interrogatione, vt notat Cyril. lib. 4. cap. 27. ad rectæ fidei confessionem duodecim suos prouocat: immo, vt magis adhæreant, & firmiores sint inducit, dum quantum sit ab eo recedere detrimentum cogitare & cognoscere ipsos facit. In Græco articulus est, *Dixit ad duodecim illos*, nempe electos Apostolos, & à reliquo discipulorum cœtu separatos: propterea enim duodecim dicit Euangelista, ne vllum eorum de numero fuisse deserentium Christum aliquis suspicatus esset. Partícula *Ergo*, illuminationem indicat, quia illi abierunt, propterea dixit Dominus ad duodecim. Cypri. libr. 1. epist. 3. quæ est in nouo volumine Epist. 55.

his verbis Domini libertatem arbitrij rectè probat.

Dd 2

Respon-

Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus?
verba vitæ æternæ habes.

Respondet Patrus, & Responsio eius ad duo refertur: alterum est verbum Christi eis dictum, *Vultis abire*: ad quod respondet nō solum se abire, nolle, sed nec habere, ad quem se conuertat alium. Magnus profectō amor Patri, & eximia confessio: amor quidem, dum neminem se dicit habere, quē Christo præponat, & propter quem deserat ipsum: confessio, dum neminem etiam alium esse, per quem vita æterna sit consequenda, fateatur: ac si dicat, Nullus est alius, à quo sit speranda vita æterna, nec qui rationem eam assequendi docere valeat, præter te. Alterum est causa, propter quam abeundem erat: illi enim abierant, quia visus est eis sermo Christi durus, & qui audiri, & sustineri non possit, ad hoc referens responsum suum dicit, *Verba habes vitæ æternæ*, ac si dicat: illi abierunt, quia verba tua eius sunt intolerabilia, & dura visa: at nobis non sic visa sunt, sed verba vitæ æternæ: nec igitur habemus, quem tibi proponamus, & ad quem confugiamus: nec verba tua dura nobis videntur, sed vitæ æternæ; non ergo est cur à te recedamus, & abeamus. Particula *Ergo*, verba hæc à Petro propter Christi verbum proximè narratum dicta esse significat. Nomine cæterorum duodecim Petrus respondet, vt docent Cyril. lib. 4. ca. 28. & Chrysof. hom. 46. & ipsa verba id indicant, *Ibimus*, inquit, & postea adiūxit, *Credimus & agnouimus*: Cum enim in se talem sentiret affectum, facile reliquos condiscipulos eundem habere sibi persuasit. Verba vitæ æternæ habere Christum dicit, repetens verbum ipsius Christi, Verba quæ ego locutus sum, spiritus, & vita sunt; Est autem sensus, verba doces, quæ obseruata vitam æternam præstant, & quibus fidem habere ad æternam vitam consequendam necessarium est.

Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.

Persequitur suam confessionem Petrus, non solum tu verba vitæ habes, sed, *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei*, vt qualis es tu, talia sint verba tua; *Credimus*, propter fidem, quā habemus verbis tuis, *Cognouimus*, propter opera mira, quæ operatus es, quibus te Dei esse filiū demonstras: hoc enim ista duo verba significant; primum enim ad assensum ex auctoritate loquētis, secundum ad cognitionem propter miracula refertur, vt modis omnibus se certos esse eum esse filium Dei ostendat. Hæc verba refert Petrus ad illud Christi, *Sunt ex vobis, qui non credunt*; propterea respondet, nos nō hi sumus, credimus enim, & cognouimus te filium esse Dei, non vt illi dicebant, *Nonne hic est filius Ioseph*? illud *Quia*, nō causam, sed declarationem indicat; nouimus, quod tu es seu te esse filium Dei; in Græco cum gemino articulo verba leguntur: *Tu es ille Christus, ille filius Dei*, vt verum Christum, & filiū Dei ab alijs, quibus aliqua ratione Christi & filij Dei appellati sunt, differre significet, vt notat Cyril. lib. 4. ca. 29. interpretans Patrum confessum esse Christum verum Dei filium.

ANNO TATIO XXXV.

CYRILLVS ibidem inter hæc verba, crede, & cognoscere, differentiam constituit; vt credere, simplicem fidem, cognoscere fidem ex ratione aliqua sumptam dicat, quod nos in commentario diximus ad miracula referendum; qui enim ex miraculo credit, cognoscere dicitur. Adde etiam cognoscere, certitudinem quandam assensus, & intelligentiam insinuare, quod etiam Augustinus tractat. 26. annotat dicens positum esse prius credere, quā cognoscere, quia res fidei prius creduntur, quā cognoscantur, & intelligantur: al-

Alegat autem Cyrillus illud Isa. 28. *Nisi credideritis non intelligetis*. Ex his sequitur, vt cognoscere certiore, & maiorem intelligentiam, quā credere adferat. Est autem præterea sciendum in Græcis codicibus legi in præterito, *Credidimus*, & ita legit August. tractat. 26. at in Latinis in præterito legitur, & ita Cyprianus legit epist. 55. & 69. & ita videtur legitur; nam fidem præsentem Petrus professus est. Credibile enim est, etiam eos qui recesserunt prius credidisse. Sciendum rursus ex Chrysof. hom. 46. & Cyrillo libr. 4. cap. 29. Petrum

Petrum Christum confessum esse filium Dei naturalem, non adoptionis: Chrysofostomus autem addit non fuisse laudatum à Christo, vt factum est. Matth. 16. causam non adfert; factum tamen id esse existimo, quia his verbis potius Dominus discipulos in humilitate continere intendebat: ne alijs recedentibus, ipsi tanquam perseverantes superbirent; laus igitur instituto præsentis utilis non erat.

Respondit eis Iesus; nonne ergo vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?

COM MENTARIVS.

QVIA Petrus ad illud Christi, *Sunt ex vobis qui non credunt*; nomine omnium duodecim responderat, *Nos credimus*, propterea Dominus hæc addidit verba, ostendens verba sua etiam in ipsis duodecim vera esse, & propter ipsos etiam esse dicta; quasi diceret, dixi ex vobis esse qui non credunt; tu autem Petre ab hac incredulitate omnes hoc duodenario contentos numero excipis, quasi meum verbum non habeat in vobis locum; sed deciperis, nam: *Nonne vos ego duodecim elegi, & tamē vnus ex vobis diabolus est?* quasi dicat etiam ex vobis est, qui retrocedat, & desciscat: nam à me duodecim electi estis, & tamen vnus deficiet, & recedet de vobis. Hæc verba multum continent Apostolos in disciplina, & humilitate, diligentioresque faciunt periculo proposito cadendi, vt dicit Cyrillus lib. 4. cap. 30. cum vnum inter eos de numero non credentium, & eorū qui à Patre non sunt, ostendit. dum enim determinatè, quis sit non exposuit, se posse dicere singuli existimare potuerunt. Adde ex Chrysof. hom. 46. propter ipsum Iudam hoc etiam esse dictum, cuius malitiam prædicit quidem, tamen non quis is sit indicat: hoc ne impudentius contenderet, illud, ne maiori licentia peccaret. Diabolum vocat, quia minister erat ipsius, per quem Christum diabolus impugnabat, & pugnaturus erat. His verbis suam quoque diuinitatem ostendit, qui occulta, & ventura nouit. Libertas arbitrij etiam ex hoc loco constat; electus enim à Christo sua libertate & vitio corrui.

ANNO TATIO XXXVI.

DIABOLVS nomen Græcum est idem significans, quod Latine calumniator, seu delator, per quandam autem Antonomasiā, Angelus malus de cælo lapsus, qui contra Deum, & nos inimicitias gerit, Diabolus dicitur est: hic triplicem calumniam, seu delationem operatus est, & adhuc operatur; prima est, qua Deum apud homines calumniatus est; altera, qua homines apud Deum; tertia, qua etiam homines apud homines. Primo loco, in principio mundi Deum apud homines calumniatus est, à qua omnium prima calumnia Iustin. in Orat. parænet. ad Gentes, dicit Diabolum esse appellatum: idem etiam affirmat Tertul. lib. 2. contra Marcionem, vbi tres illius calumnias contra Deum apud homines primos numerat; Deo enim, vt homines illos contra eum prouocaret, prohibitionis imposuit mendacium. Cur, inquit, præcepit vobis Deus, ne de omni ligno paradisi comederetis? quasi Deus omne lignum prohibuerit, quod tamen falsum erat: imposuit rursus inuidiam, quasi Deus ex inuidia quadam prohibuerit esum; Sit enim Deus, quod in quacunque die comederitis, eritis sicut Dij scientes bonum, & malum: imposuit postremò mendacium, quasi Deus mentitus fuerit dicens, In quacunque hora comederitis morte moriemini: Nequa-

quam, inquit, moriemini, sic calumniatus est, & detraxit Deo apud hominem in principio; propterea meritò Diabolus dicitur est. non his contentus, calumniatus est etiam postea Deum, vt dicit Chrysof. hom. 2. in 2. ad Corinth. apud gentes, dum eis curam, & prouidentiam rerum inferiorū non habere Deum aliquem mentitus, multa vitia illis persuasit: calumniatus est etiam apud Iob; ignis, inquit, de cælo descendit, & occidit oues, &c. voluit enim causam malorum in Deum iactare, vt sic Iob contra eum irritaret. Rectè ergo calumniator dicitur, qui Deum calumniari tentauit & tentat.

Secundo calumniatur homines apud Deum, vt eum contra eos prouocet, cuius calumnie meminit Chrysof. hom. 3. de patientia Iob, exemplo probans ipsius Iob, cui imposuit apud Deum, quod propter bona temporalia, & mercedem illi inferuierit. Nunquid, inquit, gratis colit Deum Iob? idem docet Chrysof. hom. 2. in 2. ad Corinth. vbi hanc duplicem refert calumniam, contra Deum, & contra hominem.

Tertio loco homines apud homines calumniatur, vt eos inuicem scire faciat. Innumera habemus exempla, sic Christianos à principio apud gentes calumniatus est, imponens illis pud hominibus

infinita scelera, & crimina, vt Gentes in eos A
insurgere impelleret, de quibus calumnijs
tractat Tertullianus in Apologet. His igitur
de causis per excellentiam quandam dictus est
Diabolus.

Euthymius refert aliquos dicentes hoc in
loco non accipi tanquam proprium nomen, vt
significet illum, quem Antonomasticè Diabo-
lum appellamus, sed vt appellatiuum com-
mune nomen significans insidiatorem; vt fit
sensus, Vnus ex vobis mihi, & factis, ac verbis
meis insidiatur; at ipse in eam inclinat senten-
tiam, vt fit nomen proprium, Iudæ tamen ac-
commodatum; ministri enim, & mali homi-
nes, quia instrumenta sunt, & operarij Diabo-
li, eodem nomine nominantur; & ita etiam
sentit Cyril. lib. 4. cap. 30. & Grego. libr. 13. mo-
ra. cap. 17. vt dictus Iudas fit Diabolus, quia
operarius, & minister Diaboli, per quem Dia-
bolus ipse in Christum insurrexit, & occide-
re procurauit, & ita dictum est; cui consonat

Iudas cur sit
appellatus
Diabolus.

illud Ioan. 13. Cum iam misisset Diabolus in
cor, vt traderet eum Iudas, & post buccellam
introiuit in eum Sathanas; nec in scriptura a-
liter sumi solet ab Euangelistis, & Apostolis.
Vnde nec audiendi sunt recentiorum aliqui,
qui vertendum censuerunt, vnus ex vobis ca-
lumniator seu insidiator est; rectius & verius
legimus, Diabolus est. Non solum autem Dia-
bolus dicitur in hoc loco, quia minister futu-
rus ipsius erat, sed quia eum etiam in hoc imi-
tatus est; vt enim dicit Basil. homi. Quod De-
us non fit auctor malorum, & Aug. libr. 11. su-
per Gen. ad liter. cap. 26. Deus creauit Ange-
lum bonum & rectum; at ipse vitio suo Dia-
bolum se fecit, & calumniatorem; ita etiam Iu-
das electus à Domino bonus factus est, & iu-
stus, tamen ad Diaboli partes suo arbitrio, &
malitia se conuertit. Non enim dicendum est

Iudam, quando electus est malum fuisse, vt Iudas enim
aliqui sentiunt, existimantes Aug. tract. 27. id Christo ele-
ctum esse, cum cognitus esset malus futurus; ^{nam erat,}
at ipsum tunc bonum fuisse docet Cyril. libr.
4. cap. 30. & Hieron. lib. 3. con. Pelagianos hunc
locum Ioannis tractans. Idem affirmat & Ter-
tul. libr. de anima cap. 4. adiungens eum bo-
num perseuerasse vsque ad loculorum offi-
cium, immo verba hæc Domini id ipsum in-
dicant, *Elegi, inquit, ego vos duodecim*, quasi di-
cat; Ego vos feci duodecim meos discipulos,
& me sequentes, & credentes; at vnus ex vo-
bis non ex me, sed ex se retrocedet, & Diabo-
lus est. Aduerte etiam, vt ex sequentibus pa-
tet, hoc Dominum dicere propter id, quod
futurum erat, nempe, quia eum traditurum
nouerat; quod Iudam tunc, quando hoc Chri-
stus protulit, nec cogitasse, credendum est;
quamuis enim tunc malus erat, & fur, tamen
de tradendo Christo adhuc nihil ei in men-
tem venerat, & propter hoc præcipue dicitur,
Diabolus est: quamuis enim præsentis sit tem-
poris, futuri habet significationem; nam se-
quitur, Sciebat enim, quis traditurus esset eum.
Hæc electio, de qua Dominus loquitur, est il-
la, qua ex numero magno discipulorum, duo-
decim in Apostolos electi sunt; cuius memi-
nit sanctus Lucas cap. 6. Vocauit, inquit, di-
scipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis,
quos & Apostolos nominauit. Statimque no-
mina eorum recenset; inter eos autem Iudas
est, vnde eum Apostolum fuisse, certa res est;
postea peccato suo morte punitus ab Apo-
latu cecidit, & eius locum Matthias oc-
cupauit, vt numerus duodenarius

sacratum Apostolorum
integer perseue-
raret.

*Dicebat autem de Iuda Simonis Ischariote, hic enim erat tradi-
turus eum, cum esset vnus ex duodecim.*

COMMENTARIUS.

Evangeliſta exprimit eum, quæ Dominus suis his verbis insinuabat: iam
factum enim euenerat, quando hæc narrabat Ioannes. Et nota causam,
Hic enim traditurus erat, quasi diceret, quia eum traditurus tunc erat, propter-
ea dixit; *Vnus ex vobis Diabolus est*, Non ergo propter malitiam tunc Iudæ præ-
sentem: sed propter futurum traditionis scelus, dictus à Christo diabolus est.
Hic erat vnus ex duodecim Apostolis, propterea vera fuit Christi prædictio.
Ioannes hæc narrat, vt diuinitatem Christi etiam in hoc commendat, qui
futura sciebat. addidit autem *Ischariote*, vt eum ab alio Apostolo, qui etiam
Iudas vocabatur, discerneret. Sentiebat Iudas tunc suam læsam conscientiam,
quia furabatur, quæ in Eleemosynas ministrabantur: verbo tamen Chri-
sti, quod propter se dictum facile potuit ex suo facto cognoscere, non
est commotus, neque emendatus: adeo malitia, & maximè aua-
ritia cor hominis obdurat, & insensibile fa-
cit, & excœcat.



DOST hæc autem ambulabat IESVS in Galileam, Non e-
nim volebat in Iudæam ambulare, quia querebant eum
Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iu-
deorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres
eius, *Transi hinc, & vade in Iudæam*, vt & discipuli tui
videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto
quid facit, & querit ipse in palam esse: si hæc facis, mani-
festa te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant
in eum. Dixit ergo eis IESVS, *Tempus meum non-
dum aduenit: tempus autem vestrum semper est para-
tum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit,*
*quia ego testimonium perhibeo de illio, quod opera eius mala sunt. Vos ascendite ad
diem festum hunc. Ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia meum
tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galileæ. Vt au-
tem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non mani-
feste, sed quasi in occulto. Iudæi ergo querebant eum in die festo, & dicebant,*
*Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, Quia
bonus est: alij autem dicebant, Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam
loquebatur de illo propter metum Iudeorum. Iam autem die festo mediante, ascen-
dit IESVS in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes, Quomo-
do hic litteras scit cum non didicerit? Respondit eis IESVS, & dixit, Mea do-
ctrina, non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere
cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso
loquitur, gloriam propriam querit: qui autem querit gloriam eius, qui misit eum,
hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem: & ne-
mo ex vobis facit legem? Quid me queritis interficere? Respondit turba, & dixit,
Demonium habes: quis te querit interficere? Respondit IESVS, & dixit eis, V-
num opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem:
non quia ex Moyse est, sed ex patribus: & in Sabbato circumciditis hominem. Si cir-
cumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignami-
ni, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem,
sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis, Nonne hic est
quem querunt interficere? Et ecce, palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè
cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus
autem cum venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo IESVS in templo docens, &
dicens, Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus, qui
misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: & si dixerò, quia nescio eum, ero similis vo-
bis mendax: sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Querebant ergo eum
apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De
turba autem multi crediderunt in eum: & dicebant, Christus cum venerit, nunquid
plura signa faciet, quam quæ hic facit? Audierunt Pharisei turbam murmuran-
tem de illo hæc, & miserunt principes & Pharisei ministros, vt apprehenderent eum.
Dixit ergo eis IESVS, Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui
misit me. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.
Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inuenimus eum?
Nunquid in dispersionem gentium iturus est, docturus gentes? quis est hic sermo
quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis ve-
nire? In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens,
Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flu-*

mina de ventre eius fluent aque viua. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acciperant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebant, Hic est verè Propheta: Alij dicebant, Hic est Christus. Quidam autem dicebant, Nunquid à Galilæa venit Christus? Nonne scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & Phariseos. Et dixerunt eis illi; Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisei, Nunquid & vos seducti estis? nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodemus ad eos (ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis) Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei, Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

Post hac autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

C O M M E N T A R I V S.

MULTA Christi verba, & sententias, quibus suam demonstrat diuinitatem caput hoc continet; superiori autem in hunc modum connectitur. *Post hac*, inquit, quæ Dominus operatus est miracula; & post altissimum sermonem de eius carne, & sanguine in cibum, & potum vitæ æternæ dandis, in Capharnaum publicè habitum, Christus Dominus *Ambulabat in Galilæam*, id est, per loca, & oppida Galilææ; nec in Iudæam abire, seu redire volebat propter Iudæorum odium, quia eum occidere quærebant. Recto consilio causam, cur in Iudæam non iret, Euangelista expressit: ne enim aliquis obtrectator objiceret, quod lucem fugiens Iudæam declinaret propter Phariseos, & scribas in lege peritos, in Galilæa morari inter imperitos eligens, causam adiecit Ioannes, quia inter Iudæos tutus non erat: quærebant enim eum interficere. Dominus autem tempus à Patre præfinitum passionis & mortis expectans, illorum furori locum dabat; eorum ergo perfidia & rabies in causa erat, cur Dominus inter Galilæos moram faceret. Poterat Dominus, si sua vti voluisset potestate, eorum reprimere furorem, vt aliquando fecit; tamen quia formam serui accepit, voluit etiam se hominem demonstrare, ac diuinam cohibere potentiam; vt nobis daret exemplum, quibus persecutiones interdum licet subterfugere; vt enim August. tract. 28. dicit, Qui potestatem habuit omnes superandi persecutiones voluit declinare propter suos fideles, quibus talis non inest potestas, vt doceat aliquandando esse declinandas; quia in media pericula temerè non est irrumpendū. Aduerte tamen ita

Domi-

Dominum declinasse pericula, vt hoc intermedio tempore à suo cursu non defleceret: nam & miracula operatus est multa, & suæ veritatis doctrinam aperuit; vitæ enim incolumitas, vt Deo inseruiamus, quærenda est, & sic pericula sunt cauenda, vt Dei gloriam fugiendo non prodamus, & propter vitam viuendi causam perdamus. Quærebant autem Iudæi interficere eum propter illud opus paralytici apud piscinam fanati: de quo cap. 5. dictum est.

A N N O T A T I O I.

SVNT aliqua annotanda. Primum est hoc, tempore, quo Dominus in Galilæa propter Iudæorum sæuitiam dicitur commoratus, multa fecisse, quæ cæteri narrant Euangelistæ, nempe Matthæus cap. 15. 16. 17. 18. vsque ad principium decimi noni. & Marcus cap. 7. 8. 9. post illa omnia hoc medio tempore facta, & à Ioanne prætermissa, gestum est, quod Euangelista noster in hoc capite narrat. Non igitur vacauit Dominus, nec à sui officij cursu, vel latum vnguem deflexit, quamuis in Iudæam non venerit.

Aquamuis suæ vno, siue altero modo legamus, sensus idem sit.

Tertium annotandum est, verum non esse, quod aliqui sine vlla auctoritate fingunt, Christum iuisse in Iudæam, & rediisse in Galilæam, proptereaque nunc dictum esse, *Ambulabat in Galilæam*; putant enim tempore huius paschatis ascendisse in Hierusalem, & nunc venisse in Galilæam; sed ex Euangelio nihil tale habemus, & à eo Paschate, quod fuit tertij anni prædicationis eius, Dominus ascenderit, incertum omnino est. Non ergo interpretari licet ambulasse in Galilæam; quasi post concionem illam capitis sexti venerit in Iudæam, & nunc reuersus dicatur, sed probabilius est, post concionem illam immediate ambulasse in Galilæam, id est, per regionis illius loca, nec voluisse venire in Iudæam. Immo mihi vnum videtur valde probabile, Euangelistam causam assignare voluisse, cur in Iudæam non venerit, cum Pascha esset, quando omnes ascendere tenebantur: quasi diceret, non venit in Iudæam in Paschatis festo, quia Iudæi eum occidere quærebant; non enim in Iudæam venisse hoc paschate, etiam indicat verbum illud, *Post hac*, nempe post ea, quæ gesta prius in sexto capite narrantur.

Quartum est annotandum, aliquos loco illius, *Nolebat ambulare in Iudæam*, legere. Non poterat ambulare in Iudæam; & ita Euthymius exponit, & Chryso. hom. 49. dictus autem est non posse ambulare in Iudæam, quia tutus ibi non erat; non quod potestatem non haberet, si ea vti voluisset, sed quod, si vt homo tantum, & non vt Deus ageret, ibi tuto commorari non posset propter inimicorum insidias, quas vt homo solum, humano more procedens, non posset declinare. Communis lectio est, *Nolebat ambulare*.

Diversi legunt diuersi modi.

Alterum annotandum est circa litteram: triplex enim lectio inuenitur: Prima, vt in ablatiuo legam⁹, in Galilæa, & in Iudæa, & huic respondent Græca exemplaria, quæ nunc habentur: quasi dictum sit; Conuersabatur in Galilæa, non enim volebat commorari in Iudæa. Altera lectio est, vt vtrumque in accusatiuo legamus, & hanc lectionem habent Latini codices. August. tract. 28. ita legit, imo Cyrill. lib. 4. cap. 31. Chryso. hom. 47. ita legisse videntur, si fidelis est interpres, & re vera hæc mihi vera lectio videtur: verbum enim ambulare est motum significans: vt sit sensus, *Ambulabat in Galilæam*, id est, per Galilæam: non enim vno in loco consistebat, sed à loco in locum proficiscebatur, quod rectè dicimus in Galilæam ambulare, nec in Iudæam ambulare volebat: id est, per loca illius prouinciæ. In hunc sensum superius cap. 3. lepinus venisse in terram Iudæam, id est, iter fecit per Iudæam, de vno in alterum locum permeando: & vera, & antiqua Græca exemplaria ita legisse probabile est. Tertia lectio, vt primum sit in ablatiuo, secundum in accusatiuo: *Ambulabat in Galilæa*, nec volebat in Iudæam ambulare, hæc etiam lectio minus probatur; media videtur magis legitima,

Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia.

C O M M E N T A R I V S.

TEMPVS describit, vt causam cur Hierusalem venerit, & ad ascendendum in Iudæam à fratribus sit inuitatus, significet; hoc enim tempore ex omni parte Iudæi Hierosolymam confluebant ad adorandum in templo. Scenopegia festum erat tabernaculorum, vt in annotatione exactius declaratur.

ANNO-

De festis Iudaeorum.

NON inutile, neque à nostro instituto alienum existimo, Si dixerum festorum, qui aqud Hebræos in honore habebantur, breuem aliquam, & dilucidam fecero mentionem: multa enim loca apud Ioannem, cæterosque Euangelistas hac facili, & compendiosa enarratione, facilius intelligentur.

IN primis festa omnia communi vocabulo Sabbata in scriptura appellantur, Leui. 19. Sabbata mea custodite. solemnitas eorum à vesperadiei præcedentis in vesperam sequentis perdurabat, vt constat Leui. 23. celebritas autem, & cultus festorum sita erant in oratione, sacrificiorum oblatione, cessatione ab operibus seruilibus, & animarum afflictione. non quod omnia hæc in singulorum celebritate, sed quod aliqua saltem exigenter, & fieri deberent.

Diuisio festo- rum.

Festiuatatum ergo apud Hebræos celebratarum, quædam erant ex diuino præcepto, quædam ex humano instituto indictæ. illarum quædam erant hebdomadaria, vt Sabbata, quædam menstrua, vt Neomenia; quædam annua, & hæc fuerunt sex. prima dicebatur Pascha, seu Phase. secunda Pentecoste. tertia festum Tubarum. quarta festum expiationis. quinta Scenopegia, seu festum tabernaculorum. Sexta. collectæ seu Coetus. Hæc verò nempe à Iudæis instituta erant annua, & hæc præcipue, nimirum festum Iudith, festum Mardochei, festum enceniorum, festum pridie Mardochei, festum à Simone Machabeo institutum, & festum ignis. de horum singulis ordinatè, quantum ex scriptura consequi licet, dicemus.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

De sabbato.

PRIMUM festum, quod septeno quoque die celebrabatur, erat Sabbatum, de cuius etymologia; institutionis causis; obseruantia; qualitate; & cessatione diximus superiori cap. 5. Quibus nunc adiungimus, quattuor huic festo singularia, quorum primum est; non solum ab omni opere seruili vacandum tunc esse, iuxta Domini præceptum Exo. 20. quod alijs festis commune erat, sed etiam (quod Sabbato proprium fuit) abstinendum à cibis coquendis, & condiendis, vt præceptum est Exo. 16. aded, vt nec ignem accendere liceret, vt constat Exod. 35. hæc enim pridie Sabbati fiebant, idcirco hic dies dicebatur parasceues, quasi præparatorius, ad cuius vesperam incipiebat Sabbati festum. quando iam omnia parata esse oportebat.

Non licebat Sabbato iter facere.

Secundum est; non licuisse iter facere Sabbato. Exod. 16. nullus, inquit, egredietur de tabernaculo suo die septimo, sed Sabbatizabit populus die septimo. Ad hoc alludens Dominus Matth. 24. dicebat Iudæis, Orate; ne fugavestrafiat hyeme. aut Sabbato. Quod teste Origene lib. 2. de princip. cap. 4. Iudæi nonnulli superstitiosè, & ridiculè obseruabant, cum tamen non ita strictè esset prohibitum, quin

ALiceret breue quoddam spacium extra vrbes peragere: quod ex act. 1. deducimus, vbi motem Oliueti à Hierusalem distare habemus iter Sabbati, id est quantum die Sabbati conficere licebat, hoc autem spacium vnus erat milliarij Italici. Hinc est, vt constat ex Iosu. 3. Archam Domini antecessisse totum populum per duo millia cubitorum, quæ vnus milliarij spacium conficiunt, quod factum Origenes dicit, refertque Oecumen. Act. 1. vt quando Sabbato quiescendum esset, possent Iudæi ex suis tabernaculis orandi causa in tabernaculum Archæ venire.

Tertium est, iuge Sacrificium, quod singulis diebus offerebatur, Sabbato duplum fiebat, vt habemus Num. 28. Præceperat enim Deus Exod. 29. & Num. 28. singulis diebus duos agnos in holocaustum offerri, vnum mane alterum vespere: quod idcirco iuge Sacrificium appellatum est. Vespertini autem concrematio tota nocte perdurabat, vt legimus Leui. 6. Philo lib. de victimis, causam huius institutionis existimat esse ad significanda perpetua beneficia, quæ toto tempore die, ac nocte à Deo accipimus, quod verum quidem puto: tamen aliud adiugendum est, nempe hoc iuge Sacrificium figuram fuisse nostri Euangelici Sacrificij, quod quotidie in Missa offertur Ecclesia. Hoc Christus semel in cruce visibiliter & cruenter quasi sacrificium matutinum obtulit, quando seipsum agnum immaculatum Patri acceptissimum holocaustum exhibuit: nobis autem sub speciebus panis & vini modo in cruento iugiter vsque ad seculi consummationem offerendum, quasi Sacrificium vespertinum reliquit: huius enim seculi tempus nocti comparamus cum Petro 2. epist. c. 1. Donec dies illucescat, & oriatur Lucifer in cordibus nostris. quamuis autem idem sit agnus, caro nempe & sanguis Christi, modus tamen oblationis noster diuersus est ab eo, quo obtulit Christus. Hanc significationem, & figuram ex Danie. 12. deducimus, qui de vltimo seculi tempore loquens iuge Sacrificium cessaturum prædixit, quo verbo nostrum Missæ Sacrificium, vt Sacri Doctores sentiunt, præsignauit. Sacrificium igitur iuge, figura nostri, Sabbato, vt diximus, geminabatur.

Quartum est, panes propositionis, quos perpetuò Deus in templo super mensam asseruari iubebat, Ezo. 25. Sabbato mutabantur, recentisque collocabatur, vt legimus Leui. 24. hæc plena sunt diuinis misterijs, quia omnia in figura

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

Quattuor e- vant propria Sabbati cele- britati.

in figura contingebant illis, ab eorum autem explicatione supersedemus, ne longè ab instituto diuagetur: illud tamen vnum non præmittam, nimirum Sabbatum inter cætera maximè præsignasse statum beatitudinis æternæ, in qua completa erit vocis huius significatio: Sabbatum enim quietem significat, quæ in patria illa vera, & perfecta est. ita docet Augustinus lib. 22. ciuit. cap. 30.

Sabbatum figura beatorum statum.

Quattuor ergo illa, quæ propria Sabbato dicuntur, ea, quæ in beatitudine sunt, maximè præsentant. Primò quidem Sabbato cibi non præparabantur, sed præparatis vescerentur, quod suo facto Deus confirmavit: nam Manna non pluebat Sabbato, sed die præcedenti quantum pro sabbato etiam opus erat colligebatur, Exo. 16. Sic in cælesti gloria fiet: nam fruemur bonorum operum fructu, quæ in hoc seculo velut in die parasceues fiunt: non enim operum, sed præmij locus ille est, quod Dominus Ioan. 4. significauit dicens, Congregat fructum in vitam æternam. Secundò non licebat tunc extra vrbes iter facere, nisi modicum, quod pro nihilo reputatur. quo significatur beatissima & sempiterna illa mansio: non enim nunc habemus ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus; ad quam postquam peruenerimus, non iam vnquam ab ea discedemus. Tertio iuge sacrificium geminabatur in Sabbato, iustus quidem in hoc seculo redemptionem habet solius animæ, corpus verò corruptioni adhuc subiectum est. Rom. 7. Mente seruo legi Dei, carne autem legi peccati. illic verò vtriusque est perfecta redemptio. Rom. 8. Gemimus expectantes redemptionem corporis nostri. quod Iaias cap. 40. significauit dicens, Recipiet de manu Domini duplicita. Quarto Sabbato renouabantur panes propositionis, & recentes in mensa apponebantur; quia in gloria fiet copiosa, & plena renouatio reiecta omni vetustate, quam per peccatum contraximus: tunc implebitur illud Psal. 102. Renouabitur vt aquila inuentus tua. & illud Apoca. 21. Ecce noua facio omnia. verè ergo Sabbatum figura beatitudinis, quam speramus.

Sabbati obseruantia causa.

Fuit autem Sabbatum maximæ obseruantia; apud Iudæos: tum quia eo facto recolebant beneficium creationis, quod erat inter ea, quæ à Deo populo illi collata sunt, quæque ipsi per reliqua festa celebrabant, primum & maximum; tum quia eodem festo Dei veram, sempiternamque diuinitatem, omnia idola damnantes, profitebantur. Quoniam signum exterius præcipuum, quo verus deus discernitur, & quo eius sempiterna virtus declaratur, est omnium rerum creatio: qui igitur Deum creatorem veneratur, & recolat, eundem verum, & solum Deum confitetur. Hæc causa est, cur toties vetus testamentum Deum creatorem repetit. Psal. 95. Dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Psal. 113. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum, & terram. Psal. 123. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram: sunt quàm plurima huiusmodi testimonia. Rectè ergo

dixit Philo lib. de victimis, in principio, Sabbati obseruantiam fuisse in æternitatis Dei honorem. Qui enim Deum creatorem confitetur omnium, eundem æternum affirmat. hæc de Sabbato.

De Neomenia.

NEOMENIA græcum nomen est: idem significans, quod latinè nouilunium: Iudæi enim menses, & annos secundum lunæ motum computabant: prima ergo dies Lunæ menstrua, erat prima mensis, & Nouilunium, seu Neomenia appellabatur: tuncque festum celebrabatur, quod à noua luna Neomenia etiam dicebatur. ab Hebræis autem vocabatur שבת, quod significat nouum, quasi sit iniriū, & nouus mensis. Nos calendæ appellamus græco vocabulo, quod vocationem significat, quia prima die mensis Pontifex apud græcos vocato populo, quot dies nonæ à calendis distaret pronuntiabat. Huius festi institutio, & sacrificia in eo offerenda recensentur Num. 28. vtebantur Iudæi eo die tubis, vt legimus Num. 10. Meminit huius festiuatatis Iosephus lib. 3. Anti. qui cap. 10. Nec in eo Hebræi tenebantur cessare ab operibus seruilibus.

Celebrabant autem Iudæi festum hoc in memoriam perpetuæ diuinæ gubernationis, quasi gratias Deo agentes pro continuis beneficijs ab eius manu prouida, & omnium gubernatrice procedentibus: simul etiam deprecantes, & efflagitantes, ne in futuro ea destituerentur; idcirco hoc festum celebrabatur in Nouilunio, quod vtrumque continet tempus, cum sit præteriti finis, & futuri initium. Quod etiam in figura illis contingebat: vt enim dicit August. lib. 19. con. Faust. c. 10. nouilunij festum indicabat nouitatem spiritus, & Euangelij per Christum legi imposito fine, & idololatria expulsa, efficiendam, de qua dictum est Gala. 6. In Christo neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura. & Tit. 3. Saluos nos fecit per lustrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.

Veruntamè non absq; mysterio festum hoc non in plenilunio, quando lunæ virtus magis viget, sed in eius defectione celebrandum Deus præcepit. cuius rei ratio ex quadam doctrina Gregor. Nazian. orat. 1. de Paschate, maxime elucidatur: erat quippe populus ille in idololatriam nimium præclius, vt pote ab idololatria abstractus, & idololatriæ circumdatus; idcirco dedit illi Deus sacrificia, & cæremonias, quæ sic Deo vero populum coniungebant, vt quandam etiam similitudinem, & vicinantem cum ijs, quæ idololatriæ agebant, haberent: hac enim ratione suauis & dulcis manu ab illis gentium ritibus ablaçtabatur; suo post tempore ab ijs etiam omnibus ablaçtandus. concessit igitur multa similia ritibus gentium, sed in veri Dei cultum perfecta, & cõmutata. vnde doctè & acutè dicit Gregorius legem illà velut maceriat quãdam inter Deum, & idola fuisse. Ex ijs causam propositæ difficultatis facile est intelligere: erant Hebræi propens

Causa celebritatis Neomenia.

Quare non in plenilunio, sed in nouilunio festum agebatur.

propensi ad sacrificandum lunę cum gentibus, quam cœli reginam appellabant, vt constat Ierem. 14. Prophetamque audire detrectabant ea Sacrificia prohibentem: concessit igitur Deus, vt lunę tempore sacrificarent sicut & gentes; sed non vt gentes ipsi lunę sacrificium offerrent, sed verò Deo lunę, & cœli auctori: vtque hoc significaret, non in plenilunio, quando gentes sacrificare consueuerant, sed in lunę defectiōne, ne lunę virtuti quasi diuinitatem habentis, sed ipsi vero Deo, beneficia, quę acceperant, & quę sperabant, adscriberent. hæc de Neomenia.

De Phase, & Azimis.

QUAMVIS Pascha cum azimorum festo tanquam vnum coniungamus, duę tamen erant celebritates, vt constat Leui. 23. *Mense, inquit, primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & die decima quinta solemnitas est azimorum:* à priori autem nepe phase, seu Paschate, posterior festiuitas Pascha etiam dicebatur. De phase agitur copiosè Exo. 12. volens enim Deus de Aegypto Hebræos educere, & de manu Pharaonis eripere: iussit decima quarta mensis Martij, qui apud illos ab eo tempore Domini præcepto primus anni mensis esse cœpit, vt in qualibet domo agnus immolaretur, cuius sanguine postes, & superliminaria ostiorum vngerentur; vt Angelus illa nocte ad interficienda Aegyptiorum primogenita venturus, pertranfiret, & illæfas relinqueret domos agni sanguine tinctas: idcirco hoc festum dicebatur phase, id est transitus, quia Angelus percutiens transibat per domos Hebræorum, primogenitis eorum parcens: in tanti beneficij memoriam præcepit Dominus Iudæis, quotannis festum celebrare, & decima quarta die mensis Martij ad vesperam agnum per singulas familias immolare, eosque non crudo, nec aqua cocto, sed igne asso vesci quibusdam adhibitis ceremonijs, quæ loco allegato præscribuntur. Fuit autem præceptum Deuter. 16. in Hierusalem tantum, non autem alibi Phase immolare. Dicitur etiam Pascha, quod nomen idem significat, quod Hoc Hebræum, illud verò Caldæum est, vt testatur Philo lib. 3. de vita Moyfis; de hoc tamen fusius dicemus cap. 13. vbi de Paschate tractandi occasio maior datur.

De Azimis.

AZIMORVM festum simul cum festo Agni incipiebat, nempe ad vesperam decimæ quartæ mensis Martij, & per septem dies perdurabat; quorum primus, qui erat decimus quintus, & vltimus erant feriati: in quibus nullum feruile opus facere licebat, omnibus tamen septem à decima quarta lunę, vescendum erat azymis, nec fermentatum panem edere licebat, vt constat Exo. 12. & Leui. 23. & Deuter. 16. ideoque festum hoc afflictionis dicebatur, quia nimirum panis azimus afflictionis est, vt pote nec gutturi, nec sanitati corporum conueniens: cuius ratio, & explicatio habetur Deuter. 16. *Septem, inquit, diebus come-*

des absque fermento panem afflictionis; quoniam in pauore egressus es de Aegypto, vt memineris dies egressionis tuæ. de hoc tractant Iosephus lib. 3. Antiqui. cap. 10. & Philo lib. de sacrificijs Abel, & Cain. Institutum est autem azimorum festum Exo. 12. Leui. 23. & Deuter. 16. in memoriam illius facti, quando in exitu de Aegypto præparauerant massam, vt panes coquerent pro via; superueniente autem primo genitorum occisione, adeo eos vrgebant Aegyptij ad egrediendum, vt fermentandi tempus non concederent: secum autem massam portantes infermentatam, igne coquentes comedebant.

De Pentecoste.

PENTECOSTES festum quinquagesimo die à festo Paschæ celebratur, idque nomen Græcum significat: nam Πεντηκοστή idem est, quod latine quinquagesima. est autem in foeminino genere, quia suppletur ημερα, id est dies, quasi quinquagesima dies. A quo autem die Paschæ inciperentur dies hi quinquaginta numerari, habemus Leui. 23. & Deuter. 16. Sic enim legimus, *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas usque, ad alteram diem expletionis hebdomadae septimæ, id est quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum Domino.* A secundo ergo die azimorum, quod etiam affirmat Iosephus lib. 3. Antiquit. c. 10. quando manipulus segetum offerrebatur, & cuius festiuitas incipiebat à vespere primi diei, numerabantur dies hi quinquaginta, quorum quinquagesimus erat festum Pentecostes: quod etiam festum hebdomadarum appellatum est. Num. 18. Deuter. 16. & 2. Machab. 12. Offerrebatur autem singulæ familiarum eo die duos panes noui tritici, quod tunc meti incipiebat, primitias Deo, vt legitur Leui. 23. & Deuter. 16. ideoque festum etiam primitiarum dicebatur: ter quidem in anno primitiæ offerebantur Deo, Primum spicarum, & segetum die secunda azimorum. Secundò panum ex nouis granis, in die Pentecostes Tertio frugum mensæ Septembris: præcipuæ erant, quæ in hoc festo Pentecostes offerebatur, ideo appellabatur festum primitiarum. Fiebant etiam tunc Sacrificia quæ præscribuntur Leui. 23. de quibus latius tractat Iosephus lib. 3. Antiquit. ca. 10.

Quæ autem huius festi causa fuerit, non facile patet. Quidam ex recentioribus institutum existimant in memoriam legis, quam Hebræi accepisse dicunt die quinquagesima ab exitu de Aegypto, Deo eam tradente Moyfi in monte Syna. In qua sententia duo sunt consideranda, Vnum est legem datam esse quinquagesima die ab exitu de Aegypto. Alterum est festum Pentecostes institutum in huius rei memoriam. Prius quidem habet graues Patres antiquos fautores. nam Cyprian. serm. de Spiritu sancto, Hiero. ad Fabiol. mans. 12. August. quæst. ex nouo testam. cap. 75. & epistol. 119. cap. 16. Leo serm. 1. de Pentecost. & Chry-

& Chrysof. serm. 2. de eodem festo id affirmarunt. August. aut in quæstio. citatis id ex scriptura deducit. nam die tertia mensis tertij, nempe Maij, datam dicit legem Exod. 19. Populus autem egressus est decima quinta die mensis primi, scilicet Martij, Exod. 12. ab hac autem die vsque ad illam, quinquaginta dies intercedunt inclusiuè. Quæ quidem computatio patitur difficultatem: nam Augustinus rationem habuit mensium solarium, Iudæi verò & scriptura non hos, sed lunares computat, quos constat minores esse solaribus; vnde ab exitu de Aegypto, qui fuit decima quinta lunæ mensis Martij, vsque ad tertiam diem lunæ mensis Maij, non sunt quinquaginta dies, sed quadraginta septem. præterea Augustinus à decima quinta die, quando sunt egressi de Aegypto, computat dies Pentecostes, cum computandi sint à decima sexta, quæ erat secunda Azimorum, vt diximus, & ex scriptura ostendimus, Quamobrem quidam alij diem illum tertium Exod. 19. quando lex data est, interpretantur, non quidem tertium diem mensis, sed tertium ab eo, quando locutus est Moyfes populo, sicque erat sextus dies lunæ mensis Maij: tunc autem à die egressus exclusiuè, dies quinquaginta numerantur. Quod si ita computes, tunc erit festum Pentecostes, seu hebdomadarum eodem die, quo data est lex: nam à secunda Azimorum inclusiuè, seu à decima quinta die exclusiuè, quod idem est, vsque ad sextam diem inclusiuè Maij, sunt quinquaginta dies mensium lunarium, quando data est lex, & quando celebrabatur Pentecostes festum: hoc ergo modo locum habet doctrina Patrum, quinquagesima die ab exitu de Aegypto datam esse legem, & tunc celebratum esse festum Pentecostes, & verum est illud prius dictum.

Quomodo lex data die tertio die quinquagesimo.

Posterior verò, nempe in memoriam beneficij legis acceptæ hoc festum esse institutum, ex scriptura nullo pacto deducitur: nam Leui. 23. & Deuter. 16. huius festi perfecta continetur institutio, & traditio; nec tamen vlla sit legis mentio, quod profectò non parum probabilitatis efficit hanc non fuisse causam: non enim res tanti momenti prætermissa fuisset à scriptura, si eam causam Deus festi huius esse voluisset: hæc enim verba sola legimus Deuter. 16. *Celebrabis festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.* quibus verbis non alia causa festi exprimitur, quàm quædam gratiarum actio pro frugum, seu segetum vbertate à Deo accepta: quod Iosephus lib. 3. Antiq. cap. 10. sensit dicens: *Aequum rati Deum, huius vbertatis auctorem, per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hunc modum.* post quæ verba minutissimè, quæ in hoc festo agebantur, describit. Philo. etiam lib. de decalogo, non longè à fine, non dissimilia verba habet. inter sacros autem doctores Chrysof. hom. 4. in Actor. in eadem sententia esse videtur, sic enim dicit; *Quæ est hæc Pentecoste? cum falx mittenda esset in mes-*

sem, cum fructus essent colligendi. videstypum? vide iam veritatem; cum falx sermonis iam esset adhibenda, cum colligenda fruges, tunc spiritus ille velut acuta falx aduolauit. hæc Chrysof. quæ omnia probabile efficiunt, causam institutionis non illam fuisse, nempe propter legem quinquagesima die datam: Doctores autem antiqui id solum affirmasse videntur, nempe legem datam die quinquagesima à Paschate, idque figuram fuisse aduentus Spiritus sancti, ac Euangelij promulgationis, non tamen dixerunt festum illud Iudæorum fuisse institutum in memoriam legis acceptæ: longè enim differunt, dicere datam esse legem in die Pentecostes, idque in figuram aduentus Spiritus sancti, & Euangelij promulgationis, & dicere institutum esse festum in memoriam legis: illud affirmarunt Sacri doctores communiter, non autem hoc.

De festo tubarum.

FESTVM tubarum prima die septimi mensis, qui dicitur September, agebatur, eratique solemne, ab omnique seruili opere abstinentum erat, sic habetur Leuit. 23. & Num. 19. vbi appellabatur festum vociferationis, & clangoris, quia clangebatur tubis. Quo autem genere tubarum tunc vterentur Iudæi, non est expressum in illis locis, est tamè locus Psalmi 80. *Buccinam in Neomenia tuba, in insigni die solemnitate vestra.* qui intelligendus videtur de hoc festo: non enim erat Neomenia dies solemnis, nisi hæc quæ erat prima dies mensis Septembris, quæ quia coniuncta erat cum festo tubarum solemni, dicta est insigniter solemnis: vt enim supra diximus, ceteræ Neomeniæ erant quidem festi dies, tamen non solemnes, nec ab opere seruili cessare oportebat. Neomenia igitur solemnis erat illa, in qua festum hoc celebrabatur. quod si hunc locum Psalmi sic exponamus, tunc quo tubarum genere vterentur Hebræi, deducimus, nempe buccina, seu tuba cornea, hoc namque significat vox hebræa, שופר sophar, ceteræ enim tubæ, quibus in alijs festis vtebantur, dictæ erant חצוצרות chatsoferoth, quibus clangebant in communionibus Neomenijs, vt habetur Num. 10. quod etiam ex Iudæorum traditione constat, qui in hoc festo tubis corneis buccinare solent.

Quæ autem causa, & ratio fuerit institutionis huius festi difficile est determinare, cum nihil certi ex scriptura habeamus. Recentiores quidam existimant institutum esse in signum liberationis illius, qua septimo quoque anno serui donabantur, remissioque fiebat ijs, qui ære alieno oppressi erant, vt legitur Exod. 21. & Deuter. 15. quinquagesimo etiam quoque anno perfecta erat liberatio: nam res venditæ, vt domus, vineæ, prædia ad primos dominos reuertebantur, dicebaturque annus Iubilæi: quando clangebant buccina, clangorque incipiebat prima die septembris, vt habetur Leuit. 25. hæc opinio non videtur mihi admodum probabilis, quoniam Leuit. 23. quan-

Causa institutionis festi tubarum.

de hoc festum institutum est, dicitur memoriale, quasi in memoriam, & recordationem eorum, quæ gesta erant, institueretur; quod liberationi huic accommodari non facile potest. Adde festum hoc, si ea esset causa, non debuisse celebrari, nisi septeno quoque anno, non autem singulis, cum liberatio hæc non fieret singulis annis. Communis hebræorum sententia est, hoc festum institutum esse in memoriam liberationis Isaac, quando aries cornibus suis inter vepres hærens pro Isaac patre Iudæorum communi immolatus est, & idcirco cornæ tubæ clangore in hoc festo Iudæos vfos fuisse. non est hæc sententia probabilis, est tamen alia quædam, cui consentire videtur Basil. & Theodor. in illum locum Psalm. 80. *Buccinate in neomenia tuba, quæ talis est, institutum esse hoc festum in memoriam diuinæ contestationis factæ in monte Syna, quando legē dedit Deus populo per Moysem, tunc enim Deo loquente populus audire sibi videbatur sonitum buccinæ, seu tubæ cornæ, ut habetur Exo. 19. hanc sententiam confirmat, quod dictum est supra de Pentecoste, nimirum eam non esse institutam in memoriam legis datæ. hæc omnia probabilia sunt, nec certi aliquid statui potest.*

De festo expiationis.

HOC festum erat celeberrimum, & maxime venerationis apud Iudæos. quod Domini præcepto decima die mensis Septembris agebatur, ut constat Leuit. 16. & 23. quando non solum ab omni seruii opere vacandum erat, sed oportebat vnumquenque animam suam, ieiunijs, alijsque pœnitentiæ operibus affligere. Huic festo singulare erat, quod tunc summus Sacerdos ingrediebatur Sancta sanctorum, nec præter hunc diem licebat illi ingredi, ut habetur Leuit. 16. Hæbr. 9. quando ipse orabat, & pro se, & pro populo, offerebatque tam pro suis, quam pro populi peccatis. Multæ ceremoniæ, & mirandæ significationis hoc die fiebant, quas legere facile quisque potest Leuit. 16. in hoc enim passio, & mors Christi, per quam expiati, & mundati à peccatis sumus, maxime repræsentabatur. huius festi institutionis causam ipsa scriptura docet Leuit. 16. *Erit, inquit, vobis legitimum sempiternum, ut oratis pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno.* Aliqui recentiores existimant institutum esse in memoriam expiationis, & veniæ, quam Populus misericorditer obtinuit, de peccato, quod adorando vitulum in deserto commisit. Hæc causa non nititur firmo fundamento: immò videtur scripturæ sensui parum consona, sic enim non esset expiatio, sed gratiarum actio: quod si expiatio aliqua esset, potius pro præteritis, & alienis populi peccatis fieret, cum tamen verè pro peccatis proprijs sacerdotis, & populi tunc existentis celebraretur: vera ergo causa est, quam ex scriptura pro-

De scenopegia.

SCENOPEGIA vnum erat ex celeberrimis Iudæorum festis, quod decima quinta mensis Septembris celebrabatur, septemque diebus perdurabat, quorum primus erat celeberrimus & sanctissimus, & in eo ab omni seruii opere vacandum erat, cuius festi, ceremoniarum, ac Sacrificiorum, quæ singulis ex illis septem diebus fiebant, mentio habetur Leuit. 23. & Num. 29. & apud Iosephum libr. 3. Antiquit. cap. 10. His septem diebus extra domos, & loca tecta, Iudæi in tabernaculis ex ramis arborum in vijs, seu plateis in hunc finem extructis habitabant, in memoriam illius temporis, quando educti de Aegypto per desertum in tentorijs & tabernaculis degabant. Hac de causa hoc festum in Hebræo dictum est, *חג הסוכות* id est festum tabernaculorum Græcè *σκηνωπιμα* à tabernaculis figendis: nam *σκηνω* idem significat, quod scena, vmbraclum, siue tabernaculum, & *πιμα* figo, quasi extructio tabernaculi, & est in Græco in singulari numero generis feminini. Nec est legendum scenophagia cum aspiratione, ut aliqui legunt, tradentes deriuationem à verbo *φαγω* id est comedo, quia in tabernaculis comedebant. huic tamen etymologiæ vox hebraica obstat. Euthymius hoc festum institutum esse affirmat in memoriam diei, quo primùm Moyses diuinum fixit tentoriū, quod à Beseleel ædificatum est Exod. 40. Scriptura verò sacra aliter docet, cum Leuit. 23. dicitur, *Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis fecerim habitare filios Israel, cum educerem eos de Aegypto.*

Hoc est festum, cuius Euangelista noster meminit, quando dicit proximum fuisse festum scenopegiæ, cum hæc, quæ narrat de Christo, gesta sunt: ab illo ergo tempore, quando acciderunt in capite proximo narrata, ad hoc, cum factum est, quod nunc describere incipit, quin que fere menses intercesserunt, nempe à Paschate ad festum scenopegiæ: quæ enim hoc medio tempore Dominus fecit, quæ multa, & magna fuere Ioannes prætermisit, ut pote à cæteris Euangelistis narrata; cum maxime intencus sit ijs describendis, quæ ad Christi diuinitatem probandam magis faciunt, quæque cæteri non narrarunt.

De collectis.

POST septem dierum festum, quod tabernaculorum dicebatur, erat octauus celeberrimus, in quo ab omni etiam opere seruii vacandum erat: egressi namque die septimo de tabernaculis, & in domos proprias reuersi die hoc octauo conueniebant per familias suas, & quandam pecuniæ partem pro vniuscuiusque arbitrio pro sumptibus, & expensis templi offerebant: idcirco hoc festum dicebatur collectæ, seu coetus, de quo legitur Leuit. 23. & Num. 29. hoc festum, cum esset proximum tabernaculorum festo ad idem referatur, ut nimirum festum scenopegiæ octo diebus celebraretur, septem primis in tabernaculis

Causa institutionis solennitatis expiationis.

culis habitabatur, octauo verò fiebant collectæ: & hoc consonum est verbis Ioannis, quæ sequuntur, In nouissimo, inquit, dierum, quod inferius explicabitur.

Quibus festis Hebræi ascende-
debant in templum.

INTER has festiuitates diuino præcepto institutas tres erant, in quibus omnes masculini sexus ex qualibet parte terræ promissionis in templum, quod erat Hierosolymis adorandum & sacrificandum ascendere tenebantur nempe tempore Paschatis, Pentecostes, & scenopegiæ, ut legitur Exod. 23. & 34. cum enim extra templum Sacrificium offerre non liceret, ne populus dispersus multo tempore Sacrificio priuatus ad idola, in quæ pronuserat, conuerteretur, præcepit illi Deus ter in anno in templum conuenire, vbi erat Sacrificium, & legis explicatio, & Summum sacerdotium. Sic nanque sub verâ religione, & Dei cultu legisque obseruantia facilius continebatur. Quamuis autem multi excularentur propter infirmitatem, paupertatem, viæ longitudinem, aliasve rationabiles causas, prout ratio naturalis dicitur, ab hoc triplici aduentu; tamen semel saltem in anno omnes qui poterant, ascendeant vndique, idque in Paschate, quod erat omnium festorum celeberrimum, & sanctissimum, ut colligitur ex Act. 2. tunc enim Phas celebrabatur in memoriâ liberationis de Aegyptiaca seruitute: elegit autem Deus cætera duo festa, in quibus etiam voluit omnes ascendere in templum; tum quia erant celeberrima, tum quia primitiæ, & collectæ offerebantur, quæ in vsus, & sumptus templi erant necessaria.

De Encanijs.

HOC festum, & quæ proximè explicabimus, non ex diuino præcepto, sed ex humano instituto agebatur. erat autem festum encaniorum in memoriam restorationis altaris, quod cum esset agentibus prophanatum, reædificatum est à Iuda Machabæo quando hoc festum incepit, & institutum fuit, ut à posteris solemniter celebraretur. Sicut habetur. 1. Machab. 4. encania enim in nouationem, & dedicationem significant; agebatur autem prope finem mensis Nouembris. Quia verò, quæ ad hanc festiuitatem pertinent cap. 10. Ioannis copiosè dicendum est, nunc superfero. Hoc loco ea tantum quæ ad solemnitatem eius spectabant explicabo. Quibus igitur ceremonijs, & qua solemnitate hoc festum sanctificabatur, scriptura subindicat: nam lib. 2. Machab. cap. 10. sic de hoc festo scriptum est, *Qua die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri vicesima quinta mensis, qui fuit Casleu. Et cum latitatis diebus octo egerunt in modum tabernaculorum recordantes, quod ante modicum temporis diem solemnem tabernaculorum in montibus, & speluncis more bestiarum egerat: propter quod chyrsos, & ramos virides, & palmas præferabant ei, qui prosperauit*

quæ in his tribus temporibus ascendeant.

*mundare locum suum. Et de creuerunt communi præcepto, & decreto vniuersæ genti Iudæorum omnibus annis agere dies istos. Ex his verbis deducimus festum hoc celebratum esse in modum; & similitudinem quandam festi scenopegiæ, quæ similitudo in eo sita erat; tum quia octo diebus perdurabat; tum etiam, quia sicut scenopegia erat in memoriam tabernaculorum, in quibus patres per desertum habitauerunt, ita hoc festum agebatur cum quidam recordatione temporis, quando exules à patria in montibus habitabant, & in eis festa sua celebrabant; qua de causa, quamuis non habitarent in tabernaculis, sicut in scenopegia facere solebant, tamen thyrsos, & ramos virides illis diebus præferabant, Deo gratias agentes, quod dignatus fuerit templum restituere, ipsumque mundare, in quo possent festa sua celebrare, & sacrificia offerre. Ex hoc loco facile est alterum intelligere, qui legitur lib. 2. Machab. cap. 1. vbi Hebræi habitantes Hierusalem Hebræis Aegypti incolis in hæc verba scribunt: *Facturi igitur quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ.* sensus est hic, ut & vos agatis purificationem, quasi seu in modum scenopegiæ: est enim phrasis Hebræa; solent namque Hebræi frequenter suppressere particulam similitudinis caph. inter multa autem exempla illud est Isa. 66. *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum; Qui mactat pecus, quasi qui exercebret canem; Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* In his quatuor sententijs, quæ similitudinem significant, in Hebræo deest particula similitudinis expressa; sed est supplenda in latino, & græco sermone: ita etiam in hoc loco factum est. Hinc est quod in quibusdam codicibus Græcis legitur *ως*, quæ est particula similitudinis, quasi dictum esset, facite purificationem, sicut scenopegiam. Aliter enim sensus non videtur satis accommodatus: nam Hebræi Hierosolymitani non inducebāt Aegyptios ad celebrandam scenopegiam, quâ iam hi celebrauerant, & cuius celebrationis tempus iam transierat; sed ad agendam purificationem, in modum scenopegiæ, ut supra declarauimus. Hæc de solennitate Encaniorum dicta sint. Iosephus libr. 12. Antiquit. cap. 11. affirmat suo tempore hoc festum appellatum luminum festum, quia ut ipse credit, ex insperato tanta eis illuxit festiuitas.*

De festo Judith.

DECRETVM est ab Hebræis diem illum, quando Iudith Holofernem occidit, & populū ab obsidione liberauit, inter festos, & iacros adnumerari: sicut enim legitur Iudith. 16. *Dies victoria huius festiuitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore, vsque in presentem diem.* Quibus ceremonijs vterentur, incertum est, licet

licet tamen coniectari eidem aut multum similibus caeremonijs celebratum esse festum à posteris, quibus primi Patres à principio celebrarunt: de quibus legendus est locus proximè allegatus.

De festo Mardochei.

INSIGNE beneficium acceperunt Iudæi tempore Assueri regis, cum enim calumnijs Aman cuncti Hebræi, qui sub illius dominio degebant, morti essent adiudicati, Mardochei patru reginæ Hester, eiusdemque Hester operæ, & consilio, ac intercessione factum est, ut à tam graui periculo populus Hebræorum diuinitus liberaretur, malo in aduersarios conuerso, & persecutoribus occisis, ut scriptum est in libr. Hester. Quapropter institutum est solemne festum magna cum læticia, & gratiarum actione à posteris celebrandum decima quarta die mensis Adar, qui est Februarius, appellabaturque festum Mardochei, ut constat ex lib. 2. Machab. cap. vltimo.

De festo pridie Mardochei diei.

PRIDIE festi Mardochei, nempe decima tertia die mensis Adar, seu Februarij aliud festum agebatur in memoriam & gratiarum actionem pro quadam victoria diuinitus concessa. libr. 1. Machab. cap. 7. & libr. 2. cap. vltim. vbi refertur victoria illa insignis, quam Iudas Machabæus contra Nicanorem regis Syriæ ducem, qui infinito penè militum nume-

Dixerunt autem ad eum fratres eius.

COMMENTARIUS.

Confanguinei secundum carnem Christi, *Fratres*, dicti sunt. Hi ascensuri Hierusalem celebrandæ solemnitatis causâ, Christum etiam ad veniendum inuitant.

ANNOTATIO III.

QVI sint hi fratres in capit. 2. annotatione octaua & decima ostendimus: porro vnum hic aduertendum superest, horum neminem fuisse de duodecim numero, idque & locus prælens Ioannis, & alia etiam scripturæ testimonia probant: de his enim fratribus verbis sequentibus dicitur, *Non credebant in eum fratres eius*, at de duodecim paulò superius dictum est, *Non credimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei*: igitur hi fratres non erant de numero duodecim, quia non credentes de credentium numero esse non possunt: confirmatur hoc idem ex Matth. 12. Ecce, inquit, mater tua, & fratres tui foris stant querentes te, & extendentes manus in discipulos ait, Ecce mater mea & fratres mei. erant ergo fratres hi extra numerum Apostolorum, qui semper Dominum sequebantur, non autem illi: præterea Actorum 1. ibi Apostoli nominantur, & inter eos Iacobus Alphæi, Simon, & Iudas, adijcitur: hi erant omnes perseverantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, &

Aro ciuitatè inuaserat, ope diuina obtinuit. Duce enim, copiosaque militum multitudine interfectis, mirabiliter Patriam liberauit. Quapropter publico consilio, & mandato festum quotannis celebrandum institutum fuit, quòd Syriaca voce idem significante, quòd Latine, pridie Mardochei diei, appellatum est, ut legitur libr. 2. Machab. cap. vlt. non tantum quia pridie illius festi, nempe decima tertia Adar, seu mensis Februarij celebrabatur; sed etiam, ut existimo, quia non minus fuit hoc beneficium, quàm illud, quòd tempore Mardochei acceptum est, quando ab imminente, & generali interfectione totus populus diuina ope fuerat ereptus. Meminit huius festiuitatis Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 17.

De festo à Simone instituto, & festo ignis.

LIBRO 1. Mach. cap. 13. Simon Machabzus, postquam ab arce Syon hostes, qui eam possederant, potenti manu expulit, eamque purificauit; festum instituit vicesima tertia die Aprilis, qui mensis erat secundus, quotannis celebrandum. Ultra hæc refert etiam scriptura festum sacri ignis, quem post Babylonicam captiuitatem in aquam crassam mirabiliter conuersum inuenerunt, ut habetur lib. 2. Mach. ca. 1. quæ omnia facile est cuique in locis scripturæ allegatis perlegere, in præsentia ea numerasse sufficiat: ad nostrum enim institutum hæc, & alia pluribus verbis prosequi non facit.

C

Transi hinc, & vade in Iudæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

COMMENTARIUS.

E RAT hoc festum tabernaculorum vnum ex tribus, quando tota Iudæorum multitudo in Hierusalem in templo adoratura conueniebat. Exhortantur igitur fratres Dominum, ut ascendat in Hierusalem, & ibi etiam opera insignia, & miraculosa edat; causam autem exponunt, nempe, *ut discipuli tui videant, quæ facis opera*. Et attende particulam *Et*, & verbum *Quæ facis*: non enim exhortantur, ut faciat opera miraculorum, quandoquidem ea iam in Galilæa operabatur; sed monent, ut, sicut in Galilæa faciebat, faceret etiam in Hierusalem, vbi erant quoque discipuli eius, id est, studiosi & eius doctrinæ sectatores; ut exponit Chrysof. hom. 47. ut etiam isti videant opera talia: est ergo sensus; Tu mira operaris in Galilæa, ascende in Iudæam, & similia opera etiam illic fac, ut discipuli, quos ibi habes, videant opera hæc mira, sicut vident Galilæi, & discipuli, quos in hac regione habes. Hæc fratres dicebant eo animo, ut certiores fierent, an is verè esset Christus: in Hierusalem enim erant Pharisei legis doctores, & periti scripturarum, ac principes Iudæorum, qui rectum & legitimum iudicium huius rei facere posse videbantur.

ANNOTATIO IV.

Cur Dominus à fratribus Hierosolymen suis inuitantur.

QVO animo, quaque intentione fratres hi ad hunc ascensum in Iudæam inuitauerint Christum, variè doctores exponunt. Primo loco Euthymius, dicit hos fratres finxisse quidè bona suadere, tanquam cognatos, & familiares, finem tamen eorum prauum esse ab inuidia procedentem: conabantur siquidem eum in Iudæam pellicere, ut ab illis occideretur, qui eum interficere quærebant; causam verò prætexebant, quòd oporteret discipulos quæque eius, qui ibi erant, siue turbas, quæ illum in Iudæa sequebantur, inueneri signa quæ ipse ederet. hæc Euthymius. sed tam deprauatam in his fratribus voluntatem affirmare argumenta nulla conuincunt, propterea id parum verisimile duco.

Secundo loco Chrysof. hom. 47. hæc, & sequentia dicta esse per quandam insimulationem affirmat, quasi eum timiditatis, & ambitionis insimularent, qui gloriam hominum ex vna parte ambiret, ex altera timiditate quadam retineri videretur, nec loca celeberrima frequentaret: ideoque dicunt, *Transi in Iudæam*, vbi templum, vbi sacerdotes, vbi legis doctores sunt; si cupis gloriam captare hominum, ne timidus in hac priuata regione commoreris. At dices quid hos mouit, ut Christum sic insimularent? Chrysof. responsum indicat, quia suspicionem, inquit, habebant, an verè opera hæc Christus faceret. Existimo significare velle Chrysof. hominum dubios esse fratres, an opera illa Christi, essent opera diuina virtute facta; proptereaque eum exhortari, ut in Iudæam veniat, vbi rectè ea discerni posse credebant. Ex incredulitate igitur mouebantur isti fratres, non ex inuidia, secundum Chrysof. hominum: probabilior est hæc expositio, quæ præcedens: tamen non satis facere videtur: nam verba non indicant dubitationem, aut suspicionem de operibus Christi.

A Tertio loco Aug. tract. 28. affirmat hos ambitione quadam motos inducere & exhortari Christum ad hanc mundi gloriam querendam, quasi ipsius gloria in eos etiam tanquam fratres, & proximos secundum carnem redundaret; & videtur Cyril. libr. 4. ca. 32. idem sentire; fratres enim hos, Christum ad vanam mundi gloriam, & ambitionem exhortatos esse, dicit; in locis autem celeberrimis maior gloria ex similibus operibus poterat ab hominibus comparari; & id temporis maximè quando tanta multitudo illuc vndique conuenerat. In hac igitur sententia Augustini & Cyrilli, fratres de Christi operibus non dubitabant, nec suspitionem habebant, an verè ea faceret. Probabilis est expositio. sed aliquid difficultatis superest; nam in ea non rectè accommodatur causa ab Euangelista adiuncta, *Non enim credebant in eum fratres eius*.

Propterea mihi legitima expositio ea videtur, quam in commentario expressi, quam magis libet explicare. Fratres hi videbant opera Christi mira, nec ea negare poterant, ipsum tamen esse Messiam, & Christum verum non credebant; exhortati sunt ergo eum: ut in Iudæam ascenderet, vbi sciebant esse peritissimos legis, qui rectum de his iudicium proferre scirent, ut ibi an sit verus Christus discerneretur; in Galilæa enim erant rustici, & ignari homines, quibus legis iudicium non incumbat. hac de causa Christo persuadere conati sunt, ut ascenderet illuc; prætexunt autem causam, ut & discipuli, quos ibi habebat, videant opera ipsius, & addunt alia, quæ sequuntur: non ergo ambitio, nec inuidia eos mouit, sed incredulitas, non quod de operibus dubitarent, sed quod an Christus esset, incerti essent desiderabantque certiores de hac re fieri. Et huic expositioni consonant rectè, quæ sequuntur.

Nemo quippe in occulto quid facit, & querit in palam esse.

COMMENTARIUS.

Persequitur exponere causam à fratribus allatam cur in Iudæam ascende-
re debeat, illicq; sua opera facere; qui enim querit celebris esse, in loco ce-
lebri operatur, quasi dicerent; tu queris te omnibus manifestum facere, & ab
omnibus predicari ex operibus miris; ne igitur in obscura Galilæa regione la-
teas, sed abi in Iudæam, illicq; opera hæc fac, quibus tibi eximiam laudem cõ-
parare possis: ille enim est celeberrimus locus: illuc tota Iudæorum vndique
multitudo confluit, hoc maximè solemni tempore; nemo enim in occulto
opera facit, per quæ manifestandus & celebrandus est; immo vult omnibus
fieri manifestus, & celebris.

ANNOTATIO V.

*Palam esse
quid hoc lo-
co significet.*

DVO sunt hic aduertenda. Alterum est il-
lud Palam, nomen esse in Græco vim aduer-
bij habens *παρρησια* significans, quod apud latio-
nos libertas loquendi, sumiturque passuè hoc
in loco, vt is sit in parrisia, de quo publicè, &
palam loqui, ipsumque celebrare licet, quod
inferius repetitur; nemo tamen de eo palam lo-
quebatur, id est, liberè, & publicè. & iterum;
Ecce palam loquitur, id est, liberè, & impunè
loquitur. Rectè igitur connectitur hæc senten-
tia cum superiori; Ito, inquit, in Iudæam, &
ibi fac opera, quæ hic facis, vt videant disci-
puli, quos illic habes, opera hæc, & liberè, ac
impunè te celebrent, omniumque voces tibi
concilies. Si enim vis ab omnibus celebrari,
fac opera tua omnibus manifesta. Ista est com-
munis expositio, rectèque vertit interpres in
palam esse; nam quod palam fit, & dicitur, libe-
rè fit & dicitur: nõ igitur est ad rem expositio,
quam recentiorum aliqui proferunt, vt sit sen-
sus; Si vis liberari à persecutionibus Iudæorũ,
vade in Iudæam, & opera hæc exerce: nõ *παρρησια*
apud Græcos non quamcunque libertatem, sed
in dicendo, loquendo reprehendendove signi-
ficat.

*Quo animo
verba superi-
ora Christo
à fratribus
dicta sunt.*

Alterum est, Chryostomum homil. 47. his
verbis à fratribus insinuatam esse ambitio-
nis & timiditatis Christum, affirmare; quasi
quereret celebris fieri, & ex altera parte in
occulto moraretur; hoc timiditatis, illud am-
bitionis est. Cyril. lib. 4. cap. 32. illos ad vanam
gloriam exhortatos esse Christum asserit, qua-
si verò ipse hæc signa faceret, vt humanam lau-

Adem captaret, & probabilis est expositio. sed
mihi magis placet, quod in commentario di-
xi, & adhuc explicatius repeto non quidem
eos in vanam gloriam Christum inducere vo-
luisse, nec Christum propter vanam gloriam
illa signa facere arbitratos esse; sed quod verũ
est in hac parte sensisse, & protulisse. Christus
enim ab hominibus nõci & credi volebat,
quia id ad eorum salutem necessarium erat, vt
tanquam verus Christus reciperetur, idq; fra-
tres sciebant; non enim ignorabant Christum
suis signis se esse Messiam ostendere, & vt talè
recipi voluisse, neque hoc ambitioni tribue-
bant, sed quod ipse existimaret eam cognitio-
nem esse necessariam hominibus: dicunt ergo
fratres, Si tu queris ab hominibus recipi, & co-
li tanquam Christus & Messias, factua opera
loco & tempore celebri, vt omnibus nota sint;
ita enim futurum est vt Messias habearis: non
enim tempus qui opera facit, & ab alijs notus
esse cupit, ambitiosus est, maxime cum in bo-
num finem optaret ab alijs cognosci. Non ergo
ambitionis Christum insinulabant, sed quod
ille intendebat, verè ea ratione commodius
fieri posse iudicabant, si in Iudæam abiret. In
hoc tamen isti fratres arguèdi sunt, quod Chri-
stum sui officij admonere voluerint, eumque
taxare, quasi non prudenter faceret, qui cum
ab omnibus cognosci cuperet, non se in locum
celebrem cõferret: quod factum est, quia tunc
in eum, vt paulo post dicit Euangelista,
non credebant. Hæc mihi probabi-
lior visa est expositio.

Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.

COMMENTARIUS.

Persequerant inducentes Christum, vt in Iudæam abeat; tum vt discipuli
peius etiam hæc videant opera; tum quoniam qui se omnibus manifestare
cupit, loci celebritatem querit; tum denique his verbis, *Si facis hæc*, id est, cum
tanta opera facias, non est æquum, vt pauci ea cognoscant, mundo te
ipsum debes notificare, non Galilæis duntaxat; vt per opera
talia mundus, id est omnes Iudæi te
cognoscant.

ANNO-

ANNOTATIO VI.

CHRYSOST. hom. 47. & Euthymius hæc
verba dubiè exponunt, *Si hæc facis*, si verè
habes virtutem talia faciendi, mundo te ma-
nifesta: suspicabantur enim miracula illa
phantasticè fieri. quæ expositio difficultatem
habet: nam tot infirmorum sanitates restituta,
& alia huiusmodi, quæ sensibus proprijs,
& longo tempore permanere omnes experie-
bantur, phantasticè esse facta credi non per-
mittebant: potius suspicari potuissent, an di-
uina virtute, vel dæmonis artificio ea facta
fuisent; quamuis nec hoc eos suspicatos esse
ratio vlla prober. Rectius ergo Cyril. lib. 4. c.
32. & August. tract. 28. affirmatè dicta hæc esse
verba exponunt, *Si hæc facis*, id est, cum tanta
facias opera, manifesta te omnibus; tot enim,
& tanta facta, vt omnibus nota fiant, postulant
Hanc secuti sumus in commentario expositio-
nem: solet enim hæc particula, *Si*, in hac vsur-
pari significatione. Ioan. 14. Si diligitis me,
mandata mea seruare. Non dubitabat Chri-
stus de dilectione Apostolorum erga se, sed
sensus est affirmatiuus cum quadam illatio-
ne, ac si diceret; cum me diligatis mandata
mea vos oportet seruare, hoc enim postulat
dilectio erga me. Ioan. 18. Si ergo me queritis,
finite hos abire: id est, cum me solum queratis,
hos abire permitte.

Neque enim fratres credebant in eum.

COMMENTARIUS.

CAUSAM, cur hæc omnia fratres dixerint, eam esse dicit, quia non crede-
bant in eum; Signa vera esse nõ dubitabãt, tamen eum esse Dei filium, &
verum Messiam in lege promissum nondum credebant: in Iudæam ergo eum
remittebant, quò tota Iudæorum multitudo conuentura erat, vbi periti &
doctores legis erant, vt ibi, quis esset, decerneretur; quod eis in Galilæa fieri
non debere, nec posse videbatur; quia igitur non credebant eum esse Christũ,
propterea hæc fratres eius dicebant. An omnes fratres eius, nempe quatuor
illi, quorum capite secundo mentionem fecimus, an eorum aliqui hæc dixe-
rint, certum non est; eos tamen omnes hæc dixisse probabile est.

ANNOTATIO VII.

*Quo fratres
Christi dicitur
in eum
non credere.*

QVARE Euangelista eos non credidisse
narrauerit, non omnes eodem modo ex-
ponunt. Cyril. lib. 4. cap. 32. dicit, ne tam fri-
uola, & deiecta verba credentes dicere vide-
rentur, eo ab Euangelista dictum esse, *Neque
enim credebant in eum*: id est, ideo tam friuola, &
deiecta dixerunt, eum ad vanam gloriam pro-
uocantes, quia non credebant in eum: si enim
credidissent, eum vtique nouissent, nec sic ei
locuti fuissent. Chryso. hõ. 47. aliter respon-
det: nempe dictũ esse non illos credidisse prop-
ter duo; prius est quia nimia, & aspera, &
intempestiua quadam confidencia locuti sunt;
alterum, quia an quæ faceret, Dominus verè
faceret, in dubium reuocabant: quæ duo si
credidissent, vtique non fecissent. Mihi visa
est potius aliò referenda hæc incredulitas nem-
pe non credebant esse Christum, propterea vt
in Iudæam iret, vbi id discernendum eis vide-
batur, inuitabant, cum & ipsi id scire cupie-
rint: Quamobrem increduli quidem erant,
quia vnde scire possent, iam habebant; tamen
non adeo increduli, vt id fieri posse omninò ne-
garent; sed dubij eum ad locum certiore rem-
ittebant. Hac igitur de causa dictum est, *Non
credebant in eum fratres*: respexit enim Euangelista
causam impellentem eos, vt hæc dicerent, nem-
pe incredulitatem; ex qua procedebat tanta
loquendi audacia, & indiscreta confiden-
tia.

*Dixit ergo eis Iesus, tempus meum nondum aduenit, tem-
pus autem vestrum semper est paratum.*

COMMENTARIUS.

TEMPORA hæc ad ascensum in Hierusalè referuntur. estq; sensus; Non-
dum est tempus commodum, vt ego proficiscar in Hierusalem, vobis o-
mne tempus commodum est, & aptum, vt quando libuerit illuc ire possitis.
Hoc dicit Dominus, quia Iudæi vitæ ipsius tendebant insidias, eumq; interfici-
cere quærebant, propterea more humano loquens, inquit, *Nondum aduenit
tempus meum*, id est, mihi aptum, & commodum non est: vobis, quibus nihil
imminet illic periculi, quodcunque tempus est oportunum, & liberè il-
luc ascendere potestis. Hæc respondet Dominus, quia fratres in Hierusa-
lem ascendere eum inuitabant, & exhortabantur; verum Dominus se excu-
savit;

fauit, propterea Euangelista apposuit particulam *Ergo*, vt causam responsionis indicaret eam esse, quia tunc fratres proficisci Hierosolymam eum horrabantur. Perpende humilitatem Saluatoris; potuisset expressè eos arguere dicens, vos impudenter me officij mei admoneris, quasi quæ mihi facienda expediant, ignorem. potuisset etiam eis responsum negare, quasi incredulis, & audacibus; non tamè hæc facit, sed causam cur tunc quando inuitabatur, nõ ascenderit. reddit, quia *Nondum aduenit tempus meum*. Iisdem tamè verbis fratres tacitè arguit, quasi diceret; scio quid mihi faciendum sit, nec vestro indigeo consilio: non ascendo nunc, quia nondum est meum tempus. Tempus vocat suum, quando cum minori periculo humano more loquendo ascendere poterat, id autem fuit quando iam furor Iudæorum deferbuerat; qui primis festi diebus eum auidè expectabant, vt in sequentibus patebit.

ANNOTATIO VIII.

Diverse partium expositiones.

VARIE verba superiora exponunt Doctores. Primo loco Cyril. lib. 4. cap. 33. hæc tempora ad manifestationem refert, vt sit sensus; *Nondum aduenit tempus meum*, quando me sum gentibus, & mundo toti manifestaturus; omnia facio secundum Patris ordinem. Gentibus sum manifestandus, postquam à Iudæis repellat; hoc tempus nondum aduenit; at vestrum, quando ad meliora proficere possitis, semper est paratum: quia nunc etiam vos potestis proficere, & ad melius reuocari. hæc Dominus dicit, quia illi eum ad manifestandum se mundo exhortabatur. Ad hanc exhortationem refert Cyrillus responsionem istam: Secundo loco August. tract. 28. de tempore glorificationis Christi exponit, *Nondum*, inquit, est tempus glorificationis meæ, prius enim oportet me humiliari, & mori, & per hanc humilitatè ad gloriam meam ascendere; tempus autem gloriæ vestræ in hoc mundo est, ideo semper est paratum. Refert August. hanc responsionem ad id, in quod fratres inducebant, nempe vt gloriam quæreret. Tertio loco Euthymius ad tempus passionis refert in hunc modum.

A Tempus, quo conuenit, vt ego in Iudæam vadam occidendus, ad quod vos laboratis, nondum est. quid me vrgetis ante tempus? tempus autem, quo vos in Iudæam abeatis, semper est in promptu: mihi impedimento est tempus, quod nondum adest. vobis autem nihil est impedimento, cum iam vnà cum Iudæis sentitis, hæc Euthymius. quam expositionem adhibet Chryso. hom. 47. sed sub dubio; hanc tamen superius exclusimus, dum ostendimus fratres hac peruersa animi intentione non hæc esse locutos. Quarto loco idem Chryllo. exponit, Qui estis vos, qui mihi consulitis, & me docetis? tempus meum nondum aduenit. qui bus verbis insinuat expositionem, quam nos in commentario sumus amplexi, vt ad id hæc verba referantur, quod discipuli eum ascendere tunc Hierusalem occasione festi exhortabantur; quorum intentione relicta, Christus ad verba respondet, nondum esse sibi aptum tempus, sicut erat tempus illorum; indicans pericula grauissima, quæ illic eum manebant, non autè eos: humano enim more loquitur: qui quatenus Deus erat, nullum periculū formidabat.

Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.

COMMENTARIUS.

CAUSA cur tempus suum nondum aduenit, & illorum sit paratum, exponit; quia vos mundus non odit, *Me autem odit*, propterea vos sine periculo versari vbique & semper potestis, ego autem minimè. Causam autem odij explicat; quia opera eius mala reprehendo; mundus ergo reprehensionem nolens admittere, reprehensorem occidere quærit. Tacitè causam, cur non odio eos habeat mundus, insinuat; quia ipsi nõ reprehendunt, nec testimonium perhibent de mundo, quod mala sunt opera eius. Mundum vocat malos homines, quibus mundus plenus erat, sed præcipuè Iudæos, quos fratres etiam nomine mundi significauerunt, *Manifesta te mundo*. Dicit ergo se Iudæis exosum, quia eorum mala opera corrigebat, quam correctionem, cum fratres non adhibuerint, à tali odio liberi erant, libereque cum eis conuersari semper poterant. Dicit autem, *Non potest vos mundus odisse*, non quod omnino impossibile sit, sed, vt Grego. Nazian. orat. 4. Theolo. exponit, quia in consentaneum est, vt similes sibi similes odio prosequantur in eo, in quo similes sunt. Solet aliquando similis sibi similibus, vt dicitur, figulus figulo inuidere, sed non in eo, in quo similitudo consistit, est inuidia, nec id est odij ratio. His verbis Dominus suam innocentiam indicat, qui propter iustam causam persecutione iniuste patitur; similiter Iudæorum malitiam ostendit, qui innocetem odio

habent;

habeant, & simul fratrum incredulitatem taxat, quod in eadem sint incredulitate, in qua & illi; eaq; de causa odio non sint habiti, ac proinde securè vbi que degere valeant.

ANNOTATIO IX.

CYRILLVS lib. 4. cap. 34. hæc verba sicut & A nos exponit; quanquam nõ vt causam præcedentis sententiæ, sed vt nouam aliam responsionem interpretatur; at accommodatior est expositio, vt hæc verba sint causa, cur tempus suum nondum aduenisse, illorum autem esse paratum Dominus dixerit; & sic Chryso. tomus h. 47. & Euthym. exponit, & connectunt: tamen in hoc non mihi probantur, quod in eum interpretantur modum, *Mundus non potest odisse vos*, quia idem sentitis, & ad idem tenditis cum ipso, nempe, vt ego occidat. Iam enim sapius diximus nullam rationem esse, ex qua talis fratrum intentio constet. rectius dicimus eos non odio habitos à mundo, nempe Iudæis, quia non credebant, vt & ipsi, in Christum, nec vita seu opera mala eorum ab his reprehensa erant: sed omnes humana sapiebant, humana quærebant. Nec est ista sententia Saluatoris contraria ijs, quæ experimur, & quæ scriptura testatur; inter malos enim sæpe sunt odia, iurgia, & persecutiones mutue, nec etiam omnibus malis licebat ire tunc liberè, & securè in Iudæam; sed sententia Domini est secundum materiam præsentem restringenda; vos non habetis impedimentum eundi, sicut ego habeo: non enim vos quærent Iudæi interficere, sicut me: quia vos mala operaeorum non arguistis, sicut ego facio & feci: & vos in eadem estis incredulitate erga me, in qua illi. Similis enim in eo, in quo similis est, vt diximus in commentatio, alteri non aduersatur, nisi ex causa aliqua dissimili. Et nota causam vnã, cur Iudæi quærebant interficere, non quia sabbato curabat, quamuis id prætexerent, sed quia eius correctionem sustinere nolebant, iuxta illud Sapient. 2. Contrarius est operibus nostris, & impropere nobis peccata legis &c.

Causa propter quam Iudæi occidere quærebant.

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

COMMENTARIUS.

NEX verbis dictis fratres hi, ab ascensu in Hierusalem ad festum peragerent, vtrumque remouet, *Ascendite vos*, inquit, *ad diem festum hunc*, celebrandum; ne permittatis mei causa vel vlla alia ascendere, cum vestrum tempus semper sit paratum, at ego nondum ascendam; id est, nunc vobiscum non ascendo, quia tempus adhuc meum, quando me ire oportet, nondum est impletum; quo tamen impleto, ascendam. Non negat Dominus se omnino non ascensurum, sed tunc cum eis non iturum, at expectaturum temporis sui opportunitatem, qua superueniente etiam erat venturus. Exhortatur fratres, vt legis caeremonias, & festa obseruent; nondum enim legis tunc obseruantia cessauerat; ne autem scandalizarentur, quod ipse nollet ire, non absolutè negauit, sed nondum sibi esse oportunitatem dixit; insinuans se etiam ad diem festum venturum. Per diem festum, totum celebritatis tempus significat, quod octo diebus durabat. inferius enim dicitur, die festo mediante ascendisse in templum, & tamen quarto die ascendit, vt ibi dicemus.

ANNOTATIO X.

DIFFICULTAS est, quare dicitur *Ascendite vos*, & *Non ascendam*; sic enim aliqui legunt, cum tamen legamus Christum ascendisse. Porphyrius, vt refert Hieronymus lib. 2. cont. Pelagianos, propter hæc verba Christum inconstantiam, & mutationis arguebat, quod cum dixerit se non iturum, postea mutato proposito iuerit.

Primo igitur loco aliqui ea de causa verba hæc de textu tollunt. sed temerè, & falsò; essent enim etiam tollenda, quæ sequuntur: *Tempus meum nondum impletum*, & tamen omnes Antiqui expositores tam illa, quam ista legunt & exponunt, & codices omnes latini & Græci ea habent.

Secundo loco alij tollunt pronomen *istum*,

vt legamus, Ego non ascendam ad diem festum, quasi Dominus non dixerit se ad illum diem festum non ascensurum, sed ad aliquem non ascensurum. Quod præterquam temere etiam & falso asseritur, vanum, & ridiculum est: nam Dominus de eodem festo loquebatur, ad quod fratres exhortabatur. Præterea, quia si dematur pronomen, & legamus, *Non ascendam ad diem festum*, significat se nec ad illum, nec ad vllum alium ascensurum: nam negatio fit generalior ablata pronominis restrictione. Vanum igitur planè est hæc verba abraderent, cum verus textus habeat, *Non ascendam ad diem festum istum*.

Aliiter igitur tertio loco respondet Cyril. lib. 4. c. 35. legit enim verba negatiuè, sicut Latine

Latinè sonant; *Non ascendam*, & interpretatur; *A* Non ascendam ad celebrandum diem hunc festum, volens iam significare solemnitatum, & legis abrogationem; quamvis enim permitteret fratribus vt celebrarent, ipse tamen se nolle iam ea seruare indicabat; quod si postea ascendit, non id celebrandi causa factum est, sed vt doceret. Vera igitur est Saluatoris enuntiatio; *Non ascendam ad diem festum istum*, nec contraria facta, qui postea ascendit. propterea forsitan dictum est, non ascendam ad diem hunc festum, vos ascendite; & non dictum est absolute non ascendam. quæ Cyrilli expositio patitur difficultatem; nam verbis sequentibus, *Quia tempus meum nondum est impletum*, hæc causa non aptatur huic, quod celebrare nolit diem festum. Deinde fratres maximum scandalum passi fuissent, si eum legis celebritatem tantam contemnere intellexissent; vna enim ex causis, propter quas Dominus legem illam seruare voluit, ea fuit, ne in ipso Iudæi grauius scandalizarentur; quod legem Dei contemnere visus esset: præterea quia dicitur inferius ascendisse ad diem festum.

Quarto loco August. tract. 21. aliam resolutionem sequi videtur; nempe, *Non ascendam ad diem festum hunc*, gloriam meam querens, ad quam fratres exhortabantur, *Quia nondum est tempus meum impletum*, quando meam gloriam sum adepturus; sed huic expositioni obstat verbum præcedens, *Vos ascendite ad diem festum, ego, non ascendam*: negat se ascensurum ad diem festum, ad quem fratres ascendere exhortatur, & tamen non eos inducit ad vanam gloriam. Adde quod superius hanc expositionem reiecit. Aliam idem Augustinus adhibet expositionem explicans illa verba, *Vbi est ille?* nempe non ascendam ad primum vel secundum diem festum, ad quem vos me inuitatis: quarta verò die ascendit; sed quia

Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa; vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.

COMMENTARIVS.

Quanto tempore manserit in Galilæa, postquam ascenderunt fratres eius, incertum est: sicut etiam quando fratres ascenderint, postquam hæc locutus est Dominus. id vnum constat mansisse Dominum in Galilæa, donec fratres iter caperent Hierusalem; postquam verò ipsi profecti fuerunt, Christum ascendisse; an vno, an pluribus diebus post illorum profectiorem, ignoratur; ascendit tamen, non in manifesto vti solebat, magno comitatu, & omnibus notus; at nunc ascendit non omnino occultus: venit enim cum discipulis, *Sed quasi in occulto*, quia non omnibus se manifestabat, in publicum, vt solebat, prodians. Hæc non ad viam tantum, sed etiam ad locum, quo ibat, pertinent: in Hierusalem enim non manifestus, sed occultus paucis notus illis primis diebus mansit. Attende Dominum venisse Hierusalem, ita vt primo die festiuitatis adfuerit; sed occultus & non manifestus: tamen quarta die, vt inferius dicitur, in templum publice docturus ascendit: Nec obstat, quod cum fratres profecti essent; venisse dictus sit. nam solebant Iudæi citius venire in Hierusalem vno, aut pluribus diebus ante festum, vt fieri solet etiam

hoc non existimo ita fuisse factum, vt inferius dicimus, istam expositionem non proba.

Quinto loco aliqui nostro tempore sic exponunt, *Non ascendo ad diem festum*, id est, nondum deliberaui, nec statui quid facere in hac parte debeam, an ascensurus sim, nec ne. Sed ista expositio suis digna est auctoribus, qui sicut in alijs multis à fide Catholica recesserunt, ita & in hoc errant: Nouerat enim Christus etiam à primo incarnationis suæ exordio omnia, quæ suis temporibus facturus erat, propterea sæpè dicebat, nondum venit hora, nondum tempus: quia tempus, in quo prius disposuerat & sciuerat facienda, nondum aduenerat.

Sexto igitur loco est expositio legitima & vera Chrysostomi hom. 47. & Euthym. illud, *Non*, absolutam negationem non esse, sed limitatam, & restrictam, affirmationis aliquid habentem, quod Latinè dicimus, *Nondum*, est enim in Græcis οὐκ, quæ vox est eadem in illis sequentibus, *Nondum tempus meum est impletum*, & tamen interpretes vertit, *Nondum*. Inferius etiam, Nemo iniecit in illum manus, quia nondum venerat hora eius: & iterum, Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus: & superius capit. 2. Nondum venit hora mea. & cap. 20. Nondum ascendi ad Patrem meum: in his omnibus & alijs eadem est dictio Græca: sensus igitur est; Vos ascendite, ego nondum ascendo, seu non ascendam nunc vobiscum; ascendam tamen postea, & huic sensui accommodatur verbum sequens, *Quia tempus meum nondum est impletum*, nempe modò impletum non est, implebitur tamen postea, & tunc ascendam. Tempus suum appellat, vt in superiori sententia, quando minori periculo humano loquens more; poterat comparare.

etiam apud nos, quando ad celebrandam insignem solemnitatem multi in locum aliquem concurrunt; & hac ratione fieri potuit, vt quamvis fratres prius profecti sint, Christus tamen peruenire Hierusalem potuerit adeo tempestiue, vt etiam primo solemnitatis die interfuerit. Hoc significauit Evangelista dicens, ascendisse Christum ad diem festum *in occulto*, vt distinguat ab illo alio ascensu ad docendum in templum publico, qui factus est cum ibi esset. Quod paulo inferius exactius discutietur. Recto consilio latuit Christus; tum, vt Iudæorum furori aliquantulum cederet, qui tunc maximus erat, quando expectabatur venturus & docturus, nempe primis diebus; tum vt sui excitaret desiderium: denique vt suam potentiam ostenderet, qui Iudæis ipsum illis diebus inquirentibus, & contra eum murmurantibus apparuit, & tamen nihil ei nocere potuerunt. Si enim à principio apparuisset, Iudæorum furor non fuisset alijs notus, ideoque postea miratæ turbæ dicebant, Ecce palam loquitur, & nemo in eum manus mittit.

Iudæi ergo querebant eum in die festo, & dicebant, vbi est ille?

PARTICVLA, *Ergo*, causam, & illationem indicat, nempe, quia in occulto ascendit, nec se omnibus manifestum primis diebus exhibuit, propterea quærentes, *Dicebant, Vbi est ille?* vox est requiritium, & inuenire cupientium; ea de causa Evangelista duplici verbo est vsus, *Querebant, & dicebant*, vt significaret Iudæos inquisuisse eum, vt inuenirent, vbi esset; qui enim inquirent, vt inueniant, solent interrogare multos, vbi est hoc? Vocem hanc eorum esse, qui eum insequébantur, & interficere querebant, affirmant Chrysost. hom. 48. & Cyril. lib. 4. ca. 37. ille ex summo odio affirmat sic locutos esse, *Vbi est ille?* quasi nominare non sustinentes; hic verò asserit id ex arrogantia magna esse factum, quasi eum contemnentem. & hanc sententiam verbum illud Evangelistæ probat. *Iudæi*, inquit, vocat enim Iudæos, non omnes, qui erant ex Israël, sed qui de Iuda, & qui erant in Hierusalem, de quibus paulo post dicitur, propter metum Iudæorum: hi enim erant primi, & qui Christum maxime persequebantur. Vox ergo ista erat principum Iudæorum, & Pharisæorum, qui Iudæi dicti sunt, vt à Galilæis distinguerentur: Dicit tamen probabiliter potest, cum vox hæc à multis sit prolata, *Vbi est ille?* à quibusdam bono animo, ab alijs malo esse profectam; nam sequitur quosdam de turba eum bonum, quosdam malum esse dixisse, quidam ergo ex contemptu, quidam ex veneratione dicebant. *Vbi est ille?* nam vox ille, vtrumque sensum facere solet; omnes requirebant, non tamen eodem affectu, eademque interrogatio non ex vno processit animo: accommodatior tamen est expositio prior.

Et murmur multum erat in turba de eo: quidam enim dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant non, sed seducit turbas: nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

DVM Iudæi inquirent, & nemo inueniret Christum: turba mutuo contendeat in partes contrarias diuisa: quidam enim partes Christi, quidam contrarias agebant; hi vt bonum defendebant, illi vt seductorem accusabant; nemo tamen audebat loqui publice, & liberè, *Propter metum Iudæorum*, id est, principum, & primorum, qui erant Hierosolymis, & maxime insequébantur Christum: dum aut dicitur nemo liberè loquebatur, tam hi, qui contra Christum, quam qui pro Christo erant, comprehenduntur: quantum enim ex verbis colligere licet, prohibuerant Iudæi omnem de Christo sermonem, & contentionem, vt eius memoria omnino ab omnium mentibus deleteretur; propterea nemo audebat publice, & liberè loqui. Illud *Palam*, est in Græco eadē illa dictio, quæ superius exposita est in illis verbis. Querit in palam esse. Chrysost. hom. 48. illud ver.

illud verbum, *Seducit turbas*, vocē esse dicit principum Iudæorum; at rectius ad turbas refertur: inter quas erat contentio & murmur, dum quidam pro Christo, quidam contra Christum sentiebant, & occultè inter se loquebantur.

Iam autem die festo mediante ascendit Iesus in templū, & docebat.

CVM solemnitas octo dierum spatio celebraretur, die quarta, quæ mediū tempus est, Christus ascendit in templum, vt Euthymius refert. Et attendendum est non dici ascendisse Hierusalem, sed in templum: ille enim ascensus fuit prior, hic posterior: ille occultus, hic publicus; ille ad diem festū, hic ad docendum. Omnia hæc Euangelista descripsit: priorem enim ascensum factum esse narrauit, postquam fratres à Galilæa profecti sunt, isque occultus fuit: posterior autem est ascensus in templum, & de hoc nunc Euangelista loquitur. Næc placet, quod Augusti. tract. 28. dicit; exponere enim videtur hunc ascensum de Galilæa in Hierusalem, quasi die quarta venerit ad festum; sed iam hic ascensus narratus est ab Euangelista superius: & hic fuit prima die festi, nempe venit Hierusalem, tamen occultus mansit, ne docuit publicè vsque ad quartam diem; quod his verbis dicitur.

Et mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

QVid docuerit Christus, Euangelista prætermisit: doctrinam tamen insignem fuisse insinuat, dum Iudæos, qui ipsum insequerentur, vt occiderent quærebant, in admirationem conuersos esse narrat, dicentes, *Quomodo litteras scit, cum non didicerit?* cæci Iudæi, non quid dicat & doceat considerant vt veritatem assequantur, sed quomodo docere possit. Et verò consideratio ista, si vti fieri debuit facta fuisset, eos ad credendum inducere sufficiens erat; magnum enim veritatis, nempe Christum à Deo esse argumentum erat, sine disciplina vlla, tantam & tam mirabilem proferre doctrinam; laudabilis tūc esset admiratio; at dum in sua persistunt infidelitate, & inutile faciunt quod in maximum debuit vtilitatem conuerti, arguendi & insimulandi sunt maxime. *Litteras*, scientiam sacræ scripturæ appellant, & eam, quæ diuinorum est mysteriorum; hæc enim Græcè Grāmatica vocatur, latinè littera. 2. Tim. 3. Quia ab infantia sacras litteras nosti. Act. 4. Comperto quod homines essent sine litteris. Quidam hanc admirationem eorū esse existimant, qui Christi sermonem susceperunt, & in pretio habuerunt; at verius est illorum fuisse, qui increduli erant, & hæc proferebant, non vt laudarent; sed vt potius Dæmoni tribuerent: aut saltem, an à Deo esset, in dubium reuocarent: nam paulo inferius isti dixerunt, dæmonium habes: & rursus his dixit Dominus. Cognoscetis an mea doctrina à Deo sit, quasi indubitassent: & ita Chryso. hō. 48. & Cyril. lib. 4. cap. 41. sentire videntur. Hi Iudæi doctrinam negare non poterat, at laudare fugiētes, quomodo eam habuerit, mirantur, & in dubium reuocāt an ex Deo sit, quā omne humanum ingenium excedere agnoscebant.

Respondit eis Iesus, & dixit, mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

Et orum quamuis occultas voces sentiens Dominus, vt vel in hoc suā diuinitatē ostēderet, ipsorū admirationi respōdit, & vnde has litteras & doctrinā acceperit, exposuit. *Doctrina*, inquit *mea*, quā habeo, & quā audistis, *mea nō est*: id est, à me non est, sed ab eo *qui me misit*: significat hanc doctrinā esse Dei patris: ab ipso enim eā accepit. nō ergo est, cur admiremini dicētes. *Quomodo scit cū non didicerit?* quia à Deo Patre hæc mea doctrina est: non à dæmone, vt suspicamini. Doctrinam affirmat suam, quia eam habebat: non suam, quia non eam à se habebat, sed à Patre. Cætera in annotatione require.

ANNO-

Verbi; Christi
si natura
verba super
riora conne
ximus.

SVPERIORA verba vera sunt, de Christo Apta est, & ab eo mihi data, & communicata. Tribuit Christus Patri, quæ diuinitatis suæ sunt, cum posset dicere; doctrina, quam vt homo habeo, à me ipso, qui Deus & filius Dei sum est; at Patri tribuit, & rectè, vt notat Chryso. homil. 48. ne ingenitus, neue Deo contrarius, neue se extollere videretur; vt modestiam seruans neminem se iactare debere doceret, & vt auditorum imbecillitati confuleret. Cum igitur hæc sententia duos admittat sensus veros, & quæ ad rem facere possunt, sacri Doctores modo vnum, modò alterum, aut hi vnum, hi alterum sequuntur. Ambrosius libr. 2. de fide cap. 4. & libr. 5. cap. 3. de Christo vt homine hanc sententiam exponit, similiter August. libr. 1. de Trinit. cap. 12. idem Augustin. libr. 2. cap. 2. de diuina scientia, quam habet vt Deus interpretatur: affirmat tamen vtroque modo intelligi posse. & tract. 27. in Ioan. etiam de diuina scientia exponit; sicut & Cyril. libr. 4. cap. 42. & Chryso. hom. 48. Vtroque modo exponas sententia eadem est, & in vtroque sensu suam scientiam diuinam, seu Deum, seu Dei filium esse his verbis Christus significat; simulque facto comprobatur, quæ occultè dicebantur reuelando. ad contextum autem præsentem magis facit, si de scientia, quam habuit vt homo, interpretemur, quæ quidem erat à Deo.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

COM MENTARIVS.

CAusam, cur illi non cognoscerent talem doctrinam, cuius esset, tacitè & miro artificio detegit, *Si quis*, inquit, *voluntatem eius*, qui me misit, id est, Dei Patris, *facere voluerit*, is facile cognoscet à quo mea sit doctrina: nēpe an à Deo, an à me ipso: id est, à me excogitata, aut inuenta, aut quæ sita, Deoque contraria. A se ipso vocat, quod opponitur à Deo esse, vt rectè exponit Chry. hom. 48. ac si dicat: cognoscet an mea doctrina sit Dei, an verò ipsi contraria, Rectè ergo sequitur illos nolle facere Dei voluntatem, quando quidem non cognoscebant, à quo esset doctrina Christi. Tacitè ergo arguit Dominus, & causam, cur non credant, nec intelligant eius doctrinā indicat; quod Chryso. hom. 48. & Cyril. lib. 4. c. 43. aduertunt: ac si diceret, deponite iram, inuidiam, odium, quæ contra me, & contra Dei voluntatem concepistis, & tunc intelligetis meam doctrinam, à quo sit: hæc vos impediunt à recta & vera intelligentia: qui enim Dei voluntatem quærit facere, & quæ ei aduersantur omnino fugere, cognoscit meam doctrinam esse Dei, & non humanum inuentum contrarium ipsi, vt vos putatis. Attende, eum qui vult Dei facere voluntatem, dici cognoscere Christi doctrinam, quia dispositus est, nec impedimentum habet cognoscendi; tamen lumen diuinū necessarium est, quo id assequatur: sicut qui diceret, qui oculos sanos habet & apertos, videt, quæ ei obiecta sunt, non tamen propterea negatur lumen exterius, sine quo non fit visio.

ANNO TATIO XII.

AVGVSTINVS tract. 29. verba hæc aliter D Ioan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. erit ergo sensus; qui credit in me, cognoscet de doctrina mea, an à Deo sit;

ff

iuxta

iuxta illud Isa. 7. Nisi credideritis, non intelligetis. Fidei enim mysteria hoc habent, vt prius credantur, quam cognoscantur. Similis sensus est illorum verborum, vt superius annotauimus cap. 3. Qui diligit veritatem, venit

ad lucem, & qui mala agit, odit lucem. Hæc expositio est valde probabilis; tamen accommodatior est illa Cyrilli & Chrysof. quam in commentario sumus secuti.

Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quarit.

COMMENTARIUS.

NON est contentus Dominus causam, cur doctrinam eius Iudæi non cognoscant aperire, & simul modum cognoscendi tradere, quæ in superiori sententia fecit, sed probat doctrinam suam Dei esse, vt ex probatione etiam ipsi id intelligant. Est autem probatio hæc, *Qui à semetipso loquitur*, id est, qui doctrinam propriam à Deo alienam & separatam loquitur; si honorem proprium quarit, vt ab auditoribus in pretio habeatur, ab illisque gloriam, & laudem consequatur; ad ex aduerso, qui non quarit proprium honorem, nec gloriam, sed Dei, profecto à se ipso non loquitur, sed à Deo. Hoc argumentum probat verba superiora intelligenda esse de scientia humana Christi, quæ à Deo erat: nam his verbis solum intendit se esse à Deo missum, & quæ secundum eius sunt voluntatem docere, ab eoque doctrinam accepisse, & id hoc argumentum confirmat. Christus autem vt homo non ex sua prædicatione, & doctrina, quærebat humanam gloriam & honorem, sed Dei Patris; ad cuius voluntatem obseruandam homines exhortabatur, & cuius honori in omnibus consulebat; non igitur doctrina eius aliena erat à Deo.

Qui autem quarit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.

Alteram partem argumenti proponit; est enim argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, vt Dialectici dicunt; ac si dictum esset; homo est, ergo animal est, at non est animas, ergo nec homo: Ita nunc, A semetipso loquitur, ergo proprium commodum & honorem quarit; at non quarit proprium honorem, igitur non à semetipso loquitur, sed ab eo, cuius honorem querit. Hoc nunc dicit, cum enim superius vnā proposuisset partem, qui à semetipso loquitur, quarit propriam gloriam, infert à contrario, *Qui autem quarit gloriam eius, qui misit eum*, non autem propriam, *Hic, profecto, est verax & non est iniustitia in eo.* Non intulit Dominus hic à Deo est, sed verax est, & iustus, seu non est iniustitia in eo, vt doctrinam & opera sua defendat. hæc enim duo calumniabantur Iudæi; doctrinam quidem, quia seducebat turbas; opera, quia Sabbatum non custodiebat. Contra vtramque calumniam intulit, qui gloriam Dei, à quo missus est, non autem propriam quarit, hic verax est, quia doctrina eius vera est; mendacis enim non glorificatur Deus. iniustitia etiam in eo non est, quia opera eius iusta sunt; non enim à transgressoribus honorificatur Deus. Perpende quam prudenter, & appositè hæc Dominus intulit: nam inter illos multi contra doctrinam dixerant, seducit turbas: alij quærebat eum interficere prætextu violationis Sabbati, propter Paralytici illius miraculum Ioan. 5. vt paulo inferius explicabitur. propterea Dominus hæc duo inferre voluit, verax est, & in eo iniustitia non est, simul etiam vt occasionem haberet, & ex hoc verbo Iudæorum peruersum & iniquum animum reprehendendi, quo propter opus mirabile ac planè Diuina virtute Sabbatho perfectum, vitæ ipsius insidiabantur. Hic est horum verborum legitimus sensus. Tacitè, vt Cyril. lib. 4. c. 44. dicit, Phariseos illos arguit, qui propriam quærentes gloriam, mendaces & iniusti erant: mendaces, quia hominum traditiones diuinæ legi contrarias docebant; iniusti, quia diuina mandata transgrediebantur. Matthæi 15. Cur transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras? erant etiam mendaces & iniusti contra Christum: mendaces,

Iudæi Christi doctrinam & opera calumniabantur.

daces, in dissuadendo populo, ne in Christum crederet; iniusti, in morte innocentissimo Christo machinanda. Hæc autem omnia acciderunt, quia non Dei, sed propriam gloriam quærebat, proprijs commodis consulentes.

Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? quid me queritis interficere?

VERBA hæc sic superioribus connectuntur. Cum se veracem, & iustum in doctrina, & operibus dixisset, arguit nunc Iudæos iniustitiæ & transgressionis, in eo, quod eum quærant interficere, & est sensus; nonne legem habetis, quam vobis dedit Moyses, cur nemo ex vobis seruat eam? si enim seruaretis, non quæreretis me interficere: nam in fontem & innocentem interficere lex prohibet. Si verbum illud vltimum præponatur, clarior efficitur sensus sic, Iniustitia in me non est, quid me queritis interficere? nonne Moyses legem dedit, cur eam seruare non vultis: sicut si quis iniuste inter nos ab alijs iniurias patiat, persecutoribus dicat; Nonne Deus prohibet iniuria proximum afficere? nonne legi Dei subiecti estis, cur non seruatis, cur non facitis, quæ Deus præcepit: ita nunc dicitur, illa enim verba; *Et nemo ex vobis facit legem?* interrogatiue habentur, & faciunt sensum, cur non seruatis legem Moysis, cur ei contrauenitis, dum me innocentem, veracem, & iustum occidere queritis? Et rectè Dominus eos arguit, quod contra legem Moysis agant, dum ipsum occidere querunt; tum vt ostendat se non esse contrarium Moysi, vt ipsi opponebant; tum vt eos potius Moysi contrarios declaret, & crimen in ipso met retorqueat, quod illi imponere studebant. Ad incredulos & persecutores hæc verba Dominus dirigit, propterea dixit, *Nemo facit legem.*

ANNOTATIO XIII.

Vt in superioribus verborum sensus.

SUPERIOREM sententiam obscuram esse nemo ibi inficias, quæ quidem variè exponitur, & conceditur, à diuersis. Primò Chrysof. hom. 48. dicit in duobus Christum à Iudæis esse reprehensum; & in doctrina, quod se Patri æqualem faceret; & in operibus, quod Sabbatum violaret. Verbis prioribus ad doctrinæ calumniam respondit, docens suam doctrinam à Deo esse, idque probauit; ad alterum nunc se conuertit, & eos maioris arguit transgressionis, est que sensus; Vos me legis transgressionis accusatis; at maioris estis transgressionis rei; dedit enim vobis Moyses legem; & non seruatis eam, quam non leuiter, sed grauiter transgredimini: queritis enim me interficere, quasi diceret; Ego si solui legem, hominem liberaui, infirmo sanitatem restitui, vos autem soluitis innocenti mortem parado. Ista est Chrysof. expositio, & similis est Cyril. lib. 4. cap. 46.

Secundo loco Augustinus tractat. 30. aliter exponit; vt sit sensus, vobis Moyses dedit legem, & non seruatis; si enim seruaretis, in ipsa me agnosceretis, & non occidere quæreretis: quamuis sensus iste alius sit à superiori, tamen connexio eadem videtur, vt Dominus ad calumniam his verbis respondeat, quæ tanquam legis transgressor occidere quærebant. Quamquam sic etiam connecti potest, vt Dominus ad eos, qui interficere eum studebant, se conuertens arguat; ostendens eos id tentare, quia legem Moysis non seruabant. Tertio loco aliqui recentiorum hæc verba connectunt, & exponunt sic; vt probet Dominus, quæ paulò superius dixerat, qui facit voluntatem Patris, cognoscet de mea doctrina an à Deo sit; quibus verbis insinuauit illos non facere voluntatem Patris. Id nunc ostendit, dicens: Nonne vobis Moyses dedit legem, & tamen eam nemo seruat, quod vel eo patet, quia me interficere queritis; non ergo mirum, si non cognoscatis doctrinam meam, à quo sit, quia legem & Dei voluntatem non facitis. Quarto alij aliter exponunt, & sic coniungunt, Moyses dedit vobis legem, & ei non paratis, non tamen propterea succensetis Moysi, qui talia vobis mandauit; nam ille, quæ iussit Deus, fecit; cur ergo me queritis interficere, quia quæ vobis displicent, & minus grata sunt dico? nam & ego non à me ipso hæc, sed à Deo accepi, & patris mandata annuncio. Quinto item alij nostro tempore aliter interpretantur, vt Dominus his verbis eos arguat, quod non zelo legis ipsum interficere quærent; vt sit sensus; Moyses vobis legem dedit, & non seruatis, sed contemnitis eam: quid ergo me zelo legis occidere queritis? non enim zelus illius, sed aliud vos mouet; si enim zelus esset, legem seruare studeretis. Sexto denique alij sic explicant; non mirum, si meam doctrinam non recipiatis, quandoquidem legem Moysis, quem vos mihi præfertis, contemnitis & transgredimini, quod eo maxime patet, quia me queritis interficere. Hæc sunt expositiones doctorum. Longum esset & inutile, si contra singulas agere tentaremus; quamuis contra aliquas

id efficaciter fieri posset. Mihi ea legitima A
videtur, quam in commentario adhibui: cum
enim se veracem, & iustum esse ostendisset,
eos arguit & in ipsos inuehitur, qui mor-
tem illi machinabantur, nullam legis Moy-
sis & Dei rationem habentes, cuius ze-
lum ipsi falso præte-
xebant.

Respondit turba, & dixit, Daemonium habes, quis te quarit interficere?

COMMENTARIUS.

NON ad turbam Dominus dirigebat verba superius dicta, sed ad Phariseos, & Iudæorum primos, qui id facinus conceperant, & exequi procurabant: turba verò sceleris tanti ignara, arbitrans sibi hoc peccatum imponi, in Christum inuehitur acerbè, & iniuria afficiens se facinus tale repellit. *Daemonium habes, & Quis te quarit interficere?* ac si dicant; Demò te instigat, ut hæc dicas: nam nemo nostrum te quarit interficere. Dæmonio hoc tribuunt, quia ipse est mendacia & falsa testimonia & calumnias imponere, & propterea in eum, quod Dæmonis spiritu ducatur, conuitium iactant.

ANNOTATIO XIV.

CYRILL. lib. 4. cap. 47. dicit vocem hanc esse A
eorum, qui interficere quærebant, scientes enim crimina sibi illata, ad negationem refugerunt, unde negatio hæc, malignitatis fuit, impietatemque impietati addunt, quasi mendacem eum appellantes: hæc Cyrillus. Idem Chrysof. hom. 48. quod si obijcias, quia hi de turba erant, respondet omnes eum interficere quæsiuisse, quia dictum est, nemo ex vobis facit legem? sed profectò difficilè est creditu omnes etiam de turba Christum interficere voluisse, immo contrarium Evangelica lectio habet: nam inter eos erant, qui dicebant, *Bonus est.* Existimo igitur eos, qui ita responderunt, non fuisse de numero eorum, qui occidere quærebant: erat enim turba humilis, cuius non erat legis transgressionis vindicare. Illi Pharisei, & Principes erant huius criminis rei, proptereaque turba ita acerbè & asperè respondit, quia se talis sceleris immunem sentiebat: nec Dominus eam huius accusare intendebat, sed Phariseos: legis doctores, & Iudæorum principes. Dices, cur non igitur ad eos distinctum, & singularem habuit sermonem? respondeo ex quadam egregia doctrina Grego. lib. 13. Mora. cap. 3. cuius hæc sunt verba. Nisi prædicator sustineat, quando proferre congruè correptionem possit; auget in eo malum, quod insequitur: sæpe enim contingit, ut talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. quid igitur in huius culpa prædicatori agendum est, nisi ut in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat; & cum generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quod sibi hoc specialiter dicatur. hæc Greg. ex quibus, quare Dominus generali reprehensione in suos sit inuectus, persecutores; facile patet.

Respondit Iesus, & dixit eis, unum opus feci, & omnes miramini.

COMMENTARIUS.

Inconstantis & ingratae turbæ conuitium spernens Dominus, ijs, qui verè occidere eum quærebant, respondet, causam eos nullam interficiendi habere demonstrans. Est autem aduertendum à tempore illo quando Dominus paralyticum sanauit, grabatumque tollere Sabbato iussit, Iudæos Christum interficere decreuisse, ut in eo capite declaratum est; nec cessauit hæc istorum iniqua, & impia intentio; sed magis ac magis in eis augebatur, eratque perpetua memoria huius facti; quamuis quando hæc loquebatur Dominus, iam sesqui annus ab illo facto intercesserit: nam gestum fuit Paschatis tempore, & ut alij dicunt, Pentecostes; tamen post illud Pascha, aliud est celebratum, cuius Ioannes non meminit, & post hoc agebatur festum Tabernaculorum, quando hæc loquitur Dominus, qui annus erat tertius suæ prædicationis; sequenti enim proximo Paschate occisus est. Dominus igitur hoc factum nunc repetit, quia in eorum memoria præsentissimum erat, & propter id mortem ei parabant. Repetit autem, ut eos contra legem agere,

agere, nullamque causam ipsam interficiendi habere coram toto populo demonstraret, suamque innocentiam significet, verbis igitur propositis causam, quam occidendi prætexebant, proponit; estque sensus; dixi vos iniquè, & contra legem me occidere quærere, hanc vobis iniustitiam ostendo, *Vnum opus, inquit, feci,* nempe paralyticum sanauit Sabbato, & propter hoc, *Omnes miramini,* id est, perturbati estis & tumultuamini; quasi Sabbatum & legem sim transgressus. In sequentibus ostendit hanc causam non esse iustam. Et attende, *Vnum, inquit, opus feci,* quasi diceret, non habetis quicquam aliud contra me, nisi hoc vnum; rursus vno opere turbati estis omnes; id est plurimi. Admiratio hæc non est in bonam partem, sed in malam, quia tumultuabantur, & perturbabantur contra Christum, ut exponit rectè Chrysofomus homil. 48.

Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, & in Sabbato circumciditis hominem.

COMMENTARIUS.

EVIDENTI argumento probat se non esse transgressorem legis Mosaicæ de Sabbato custodiendo, eò quod hominem Sabbato curauerit. Supponit autem vnum, in quo tota argumenti vis consistit, nempe Moysen dedisse Iudæis circumcisionem; propterea quia à Patribus erat præcepta, non quasi ipse primus esset institutor, unde principaliter ad legem Moysis non perinebat: ante ipsam enim circumcisio fuit, & tanquam iam institutam ipsis restituit, erat enim intermissa in deserto; præceptum verò Sabbati proprium erat Moysis, ipse enim primus tale præceptum imposuit, quod ante non seruabatur, Est ergo sensus, Vos utimini circumfione non tanquam à Moyse instituta, sed à Patribus; non enim erat proprium opus legis, sed Patrum, & propterea ille vobis dedit eam; & tamen in Sabbato, quod Moyses præcepit, circumciditis, nec legem Moysis vos transgredi putatis, quia quod fecerunt Patres, facitis. Concludit verbis sequentibus: si igitur circumciditis hominem in sabbato, nec ex hoc sequitur transgressio legis Mosaicæ, quia à Patribus fuit illa circumcisio, cur mihi succensetis, quasi ego legem Mosaicam sim transgressus, quod hominem totum saluum fecerim, cum sit hoc opus multo maius quam circumcisio? Et attende, quomodo ad ipsos referat factum. Vos circumciditis in sabbato non solum quia ipsi circumcidebant, sed quia ipsi declarauerant esse in Sabbato circumcidendum; nec enim Moyses id expressè docuit. immo dum sabbatum præcepit, nec expressit circumcisionem in eo debere fieri, videri alicui posset, quando circumcisio exercenda occurrebat Sabbato, potius esse trasferendam, at non sic faciebant, & rectè præferebant enim circumcisionem sabbato, & declarabāt non esse tale opus contrarium sabbati obseruantia, quia erat opus Patrum.

ANNOTATIO XV.

RECENTIORVM complures verba, *Non quia ex Moyse est, sed ex partibus,* per quandam parenthesis, & velut verbi correctionem dicta censent; ne aliquis opponeret, Moysen non fuisse primum circumfionis auctorem; non tamen, quod illa verba ad argumentum aliquid faciant: nam sententiæ sensum hunc esse putant. Moyses dedit vobis circumfionem, & circumciditis in Sabbato, nec propterea legem transgredimini. Patitur autem hæc interpretatio per multas difficultates, ratione illius dictionis, *Propterea,* quia tali expositioni aptari non posse videtur, ut pau-
lo inferius explicabitur, idcirco meo quidem iudicio isti sensum non assequuntur. Rectius & verius Cyril. lib. cap. 49. & Chrysof. hom. 48. & Euthym. hæc verba ad argumentum pertinere arbitrabantur, quamuis non eodem modo exponant: vis enim argumenti in hoc consistit, per circumfionem, quæ non est propria Moysis, sed Patrum, factam in Sabbato, non est legis Mosaicæ transgressio, ergo neque erit per opus Christi miraculosum, quod maius est, quam circumcisio. distinguit enim Dominus circumfionem à lege Moysi, & Sabbatū ad Moysen, & circumfionem ad Pa-

eres refert; vt si per opus illud Patrum non sit transgressio legis Moyfi, nec per hoc opus mirum sanationis, vt in comentario exposuimus, fiat; & tunc recte accommodatur particula, Propterea, vt ex sequenti annotatione constabit. Si autem illorum expositiones sequamur, nec particulam hanc, nec vim argumenti constare facile intelliget, qui attentè verba considerauerit.

ANNOTATIO XVI.

Von propter ea variè explicatur.

MIRVM est quantam expositioibus illa B particula, Propterea, ingerat difficultatem; tã his, qui verba illa, Non quia ex Moyse, sed ex patribus, per correctionem quandam dicta censent; quam illis, qui ad vim argumenti facere existimant, precipuè tamen prioribus. variè igitur exponitur. Euthymius enim inperuacaneam censet, & vulgari modo positam, & nihil ad sensum facere. hæc responsio non est probanda: non enim sacra scriptura leuiter illa particula ponitur, maximè cum hæc sit de numero eorum, quæ multum in oratione valent, sensusque ac sententias variare solent. Theophylactus superioribus connectit; vt sit sensus; Omnes miramini, propterea seu propter hoc opus quod feci: nam Græcè legi potest relatiuè, idem enim est ac latinè, propter quod, quod & vnus dictionis, & duarum vim habet, & tunc sensus est: Vnum opus feci, & omnes miramini propter hoc. Mihi Chrysoft. hom. 48. idem videtur sentire; at quia codices omnes & Latini, & Græci cum sequentibus connectunt, & communissimè exponunt Doctores, nõ placet ab hac communi lectione discedere. Tertio igitur loco recentiorum aliqui illud, Propterea, sic connectunt cum sequentibus, vt non sit causæ significatiuum, sed velut attentionem excitans sequentium, ac si dictum esset: Vnum opus feci, & omnes miramini, propterea Moyse dedit, id est, propterea attendite, & aduertite, quæ dicam, sed hi nec cum sequentibus, nec cum præcedentibus connectunt, & necesse est verbum aliquod supplere, quod iam non est verba

Si circumcissionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moyfi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato?

COMMENTARIVS.

AD præcedentem sententiam hæc pertinent: concludit enim ex superiori sententia argumentum; Si homo accipit circumcissionem patrũ, in Sabbato, & non hinc sequitur, vt soluatur lex Moyfi, præcipientis obseruantiam Sabbati, non debetis mihi succensere, nec me transgressorẽ Sabbati iudicare, Si totũ hominem sanum feci in Sabbato. maius enim opus est hæc curatio, quàm Patrũ circumcisio; & si circumcidentes Sabbato non existimatis vos transgredi legem Moyfi, profectò nec me debetis iudicare eam esse transgressum. Circumcisionem distinguit à lege Moyfi, tanquam ea sit Patrum; ad legẽ enim Moyfi id pertinet, quod ipse primus instituit, qualis erat Sabbati obseruantia. Quod si quis Iudæis obiecerit, circumcissionem fuisse institutã à Deo, & propterea obseruari debere ab eis etiã in Sabbato, obiectio friuola esset; nam etiam Sabbati obseruatia à Deo erat; si ergo Deus nõ sibi fuit aduersarius, dum per patres circum-

exponere, sed multiplicare, nec talis dictio in scriptura vnquam sic posita reperitur. Quare alij totam sequentem hanc sententiam cum superiori coniungunt; vt sit sensus; Vnum opus feci, & vos miramini, propterea Moyse dedit vobis circumcissionem, vt circumcisio facta in sabbato faciat, ne vos miremini, nec me legis transgressorem existimetis. Violenta est, & non vera hæc expositio: nam non fuit hæc causa, cur Moyse dedit circumcissionem: Quod si dicant, Propterea, non causam sed euentum indicare, quasi ex eo quod Moyse dedit circumcissionem, & sit in Sabbato, id consequatur, vt probetur Christus nõ esse legis transgressor, certè violentum est: Nam particula, quæ euentum indicat, connectitur cum ipsa re, quæ euenit, non cum eo à quo euentus fit. Quin to loco alij particulam ornatus causa positam affirmant, vti Latinè verũ enim verò, & fauet his quod notat Rabbi David, nempe particulam *ἵνα* cui respondet propterea, seu Græcè *ἵνα γάρ*, aliquando idem significare quòd profectò, verè, sanè, maximè, quando in principio sententiæ ponitur; at in toto nouo Testamento talis particula in ea significatione non reperitur. Sexto alij vice particulam tamen, seu aramen hanc positam dicunt. Omnes hi nostræ ætatis auctores eo mouentur maximè, quia illa verba media, Non quia ex Moyse, sed ex Patribus, per quandam parenthesis, & velut per correctionem dicta putant, non autem, quod ad vim argumenti faciant. sed superius ostendimus maximè id ad argumentum facere. Quare septimo loco Cyril. lib. 4. ca. 49. omnium optimè hanc particulam exponit, cum sequentibus connectens, & causam reddendæ appositam interpretans, vt sit sensus; Idcirco, seu ea de causa dedit vobis Moyse circumcissionẽ, non quia erat ex se, sed quia erat ex Patribus; & tamen vos in Sabbato circumciditis, quamuis illa sit Patrum, Sabbatum autem sit Moyfi. Hunc nos in commentario sensum amplexi sumus, & verissimum legitimumque reputamus.

Expositiones Distinguitur.

circumcisionem octauo die, & per Moysem Sabbati obseruantiam præcepit, quia in ea obseruantia non erant prohibita diuina opera, sed humana, & seruilia; ita etiam de opere Christi iudicandũ erat, quod non minus, immò magis erat Dei opus, quàm circumcisio. Illud autem, quod dicitur, totum hominem saluum feci, opponit circumcisioni, quæ non totum hominem sanabat; immò si ipsa sola circumcisio consideretur, corpus lædebat, quamuis animam sanauerit virtute fidei venturi tunc Christi; si autem consideretur medicamentum, quod vulnere sanando tunc adhibebatur, quod etiam opus quoddam erat; nec totum corpus sanabat, sed particulam quandam: at Christus Paralyticum totum sanum fecit; & quantum ad totum corpus, quod morbo graui vexabatur: vt nec incedere ad piscinam liberè valeret, & quantum ad animã simul, quia eum liberauit à peccato: propterea enim dixit illi; Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare. Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO XVII.

Expositiones Distinguitur.

CHRYSOSTOMVS hom. 48. illa verba, vt non soluatur lex Moyfi, exponit in sensu casuali, nempe circumciditis hominem, ne lex Moyfi soluatur, scilicet præceptum circumcisionis. & communiter hanc Recentiores expositionem sequuntur, sed rectè Cyrillus lib. 4. capit. 50. eam rejicit: non enim ipsi circumcidabant, vt lex Moyfi non solueretur, immò contrarium potius fieri videbatur: nam circumcisio non erat lex Moyfi, sed Patrum, sabbatum autem erat Moyfi, sanè, si illi non circumcidissent Sabbato, dicendum erat, non circumcidunt, vt non soluatur lex Moyfi; dum autem dicitur, circumciditis vt non soluatur lex Moyfi, indicat esse sensum, vt non soluatur sabbatum, quod erat singulare institutum Moyfi, non autem Patrum. propterea ipse Cyrillus, censet verba hæc sequentibus coniungenda, vt sit sensus, circumciditis hominem in Sabbato, cur igitur mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci, vt non soluatur lex Moyfi, id est, succensetis mihi, vt legem Moyfi defendatis de sabbato, quasi zelo illius vos mihi indignemini? Mihi ista connexio non placet, quia aliquantulum violenta videtur, sed superioribus verba coniungenda existimo cum Chrysoftom. & alijs, sed non in eo sensu, quem hi Doctores sequuntur, nempe vt illa particula *ἵνα*, causam reddat, sed vt sit nota consecutionis posita loco *ἵνα*, vt, quasi dictum esset, circumcissionem accipit homo in sabbato, ita vt non soluatur propter eam lex Moyfi, scilicet de sabbati obseruantia. in hac etiam significatione accipitur superius Ioann. 5. Maiora, inquit, demonstrabit opera, vt vos miremini, id est, ita vt vos miremini: ibi eadem est particula Græca *ἵνα*. est etiam locus 2. Corint. 1. Quæ cogito secundum carnem cogito, vt sit apud me EST & NON id est, non secundum carnem cogito, ita vt apud me sit est, & non. sunt alia etiam exempla. Sensus ergo est, circumcidi-

tis hominem, & non inde sequitur, vt soluat legem Moyfi de Sabbato, nec vos legis existimatis transgressores, eo quod circumcissionem Patrum in Sabbato accipitis. Illud etiam adnotandum est Chrysostomum & Euthymium illud, Totum hominem sanum feci, sic exponere, vt totus sanus factus dictus sit, quia & anima, & corpore sanatus est: nam & à peccato liber, & à morbo corporis ereptus simul fuit. existimo dictum esse totum hominem sanatum esse, ne sanitas in parte corporis versari putaretur, sicut circumcisio, non tamen est Chrysostomi improbabilis expositio; nam poterant opponere Iudæi circumcissionem fieri Sabbato, quia erat pro salute animæ, quamuis cum corporis læsione esset. Christus ergo se non animam solam, sed corpus etiam sanasse responder; circumcisio enim vnã partem sanabat, alteram lædebat, & vulnerabat; at Christi opus integrum hominem saluum fecit. cur igitur illa circumcisio Sabbatum non soluit, opus autem Christi soluit? Cyril. lib. 4. capi. 50. exponit id dictum esse respectu medicinæ, quam adhibebant, vñ à vulnere circumcisionis sanarent, vt sit sensus; Vos Sabbato medicinam adhibetis, vt vnãnam corporis particulam sanetis, ego autem totum sanavi hominem: & id quidem verum est; tamen dominus non sumit argumentum ex medicina, quæ adhibebatur vulnere sanando, sed ex circumcissione ipsa, quæ erat opus quoddam ex suo genere seruili, & tamen exercebatur Sabbato; & in hoc est præcipua vis argumenti. potest etiam nomine circumcisionis totum comprehendere, quod in ea adhibenda efficiebatur; nempe abscissio, & medicamentum, præcipuum tamen opus circumcisio erat: hoc enim est de quo dicitur; Moyse dedit vobis circumcissionem, non quia ex Moyse, sed ex Patribus.

Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate.

COMMENTARIVS.

EXcludit Dominus vanã argumenti responsionem, quam Iudæi adhibere poterant dicentes, Circumcisio est Patrum, & à Moyse etiam confirmata; propterea

propterea Sabbato circumcidimus, nec transgressionem legis existimamus Patrum auctoritate suffulti. id Dominus per præoccupationem diluit, *Nolite iudicare secundum faciem*, id est, in acceptione personarum, *Sed iustum iudicium iudicate*. id est, considerate opera ipsa, quæ sabbato fiunt. Circumciditur homo ex vna parte, ex altera parte homo triginta octo annos habens in graui infirmitate breui temporis momento ita sanatur, vt grabatum valeat per vias portare; quis neget diuinius, mirabilius, potentius esse hoc opus? si ergo licuit vobis illud in sabbato exercere, cur hoc mihi non licuerit? vos ad personas recurritis, scilicet, circumcisio Patrum est, opus hoc tuum est, quem nos multo Patribus inferiorem existimamus: hoc iam est iudicium in personarum acceptione accipere: nam opera sunt, per quæ fit transgressio, si aliqua est, non personæ ipsæ. Aduerte illud. *Secundum faciem*, in Græco est secundum aspectum, seu visionem. Idem est sensus, Facies enim est, quæ videtur, propterea iudicate secundum faciem, & visionem, idem est. Exactiorem huius sententiæ declarationem in annotatione require.

ANNOTATIO XVIII.

Secundum faciem iudicare quid significet.

CYRIL. lib. 4. c. 51. Chryf. hom. 48. & Euthy. **A** quod & Moyses confirmavit, fieri autem potest, vt dies octauus sit Sabbatum, tunc si circumcisio non fiat, Patrum institutio non seruetur; si verò fiat, lex Moysis violari videtur, in hac ambiguitate vos Iudæi declaratis, & rectè factum est, esse die octauo circumcidendum, nec per hoc solui legem Moysis, nec enim opus Patrum credi debet prohibitum fuisse à Moysè, cur ergo creditis opus hoc, quod multo maius est, esse prohibitum? si enim dicitis, illud erat Patrum, hoc tuum est, quem vulgarem hominem existimamus & reputamus; iam profectò accipitis personam cum agitur de opere ipso, vos ad personas recurritis, & excellentiam personarum opponitis, relicta ea, quæ est operum; Est enim hoc meum multo perfectius, & potentius, hic est sensus. Posset vna obiectio fieri; quod circumcisio fuit ex diuino mandato; nam præcepit Deus, vt octauo die circumcisio fieret; at hoc opus tuum non est ex diuino præcepto: Vt obiectio hanc refellamus, sciendum est Deum non præcepisse Sabbato circumcisionem fieri debere, præcepit quidem octauo die puerum circumcidendum, Sabbatum autem accidere sæpe octauo die poterat; cum ergo ex alia parte præceperit Sabbati obseruantiam, & vtriusque præcepti Deus auctor fuerit, profectò erant ambiguum, vtrum esset implendum; at Iudæi diuinam mentem declarantes censuerunt relicto Sabbato debere fieri circumcisionem, nec esse contra Sabbati obseruantiam, prætulerunt enim Patrum institutionem tanquam antiquiorem, & maioribus datam, ab eisque obseruatam. Cum ergo nunc in Christo opus nouum, & omnem humanam viderent superantem virtutem, quod non nisi diuinum esse poterat; debuerunt etiam iudicare multo minus hoc esse in Sabbato prohibitum; nam vt circumcisio à Deo instituta fuit, ita hoc opus à diuina virtute processerat; quale illi Patres nunquam fecerant: illud ergo præferre propter Patres fuit maxima personarum acceptio. Et hic est legitimus, ni fallor, sensus totius argumenti.

Verum Christi verborum sensum.

Verus igitur sensus hic est, Lex moysis præcipit, vt Sabbatum seruetur: Patres octauo die circumcidendum infantem præcipiunt,

Dicebant

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis, nonne hic est, quem quærunt interficere? ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.

COMMENTARIVS.

Quidam de turba ex vna parte scientes Iudæorum maiores quærere Christum, vt eum ad supplicium traderent: ex altera verò parte videntes illum non solum palam, & liberè loquentem, sed etiam eosdem principes, quod eum occidere quærerent iniustitiæ accusantem, mirati sunt, quæ ratione factum sit, vt cum paulò antè ad mortem inquireretur, nunc liberè loquatur, & reprehensione in eos vtatur, seque defendat; & nemo non solum in eum manum mittat, sed ne verbo contradicat. Vt enim notat Euthymius, ad erant multi ex his, qui eum interficere quærerant. Particula *Ergo*, causam huius admirationis indicat; ac si dicat; quia viderunt, & audierunt Christum liberè loquentem, & arguentem, propterea mirati hæc dixerunt. Euangelista hos non de Galilæis, nec de ijs, qui ex locis extra Hierusalem venerant, sed de Iudæis ipsis, qui Hierusalem habitabant fuisse narrat; ea de causa, vt quomodo scire potuerint Christum ad mortem quæri, insinuet. Cum enim continuè in vrbe habitarent, facillè intelligere potuerunt, quod principes, iam multo tempore patrare parabant: similiter etiam, vt in hoc duritiem & incredulitatem Iudæorum, qui de Iuda erant, ostenderet. hi enim omnium maximè increduli, & infensi contra Christum fuerunt, qui ad fidem promptiores, & ad Christum recipiendum paratiores esse debuerunt: de eorum enim tribu secundum carnem Christus futurus erat.

ANNOTATIO XIX.

GRÆCI codices habent, quidam de Hierosolymis, seu Hierosolymitanis, & ita Chryf. hom. 49. & Euthymi. legunt. Latini codices habent de Hierosolymis, parum hoc refert; idem enim est omnino sensus. Chrysofostomus reputat fuisse de numero eorum, qui in Christi necem principibus consenserant: proptereaque Euangelistarum mentionem fecisse Hierosolymitarum, vt eos miserabiliores fuisse ceteris significaret. Sed non video, quæ ratione id probetur: cum enim essent de turba, quamuis de numero eorum, qui increduli erant, non videtur quomodo neci Christi consenserint; nondum enim principes de nece Christi cum turba aliquid tractauerant, nisi velit Chrysofostomus dicere, eos neci consensisse, quia Principum de Christo occidendo propositum approbant, sicut solent homines de vulgo probare, aut reprobare suis priuatis iudicijs facta Principum; & hoc est probabile; tamen ipsi non erant, qui quærerant Christum interficere. Hinc patet verba illa, *Demonium habes, quis te quærunt interficere?* non fuisse omnium de turba, sed multorum simplicium, qui tale facinus ignorabant; nisi fortè dicamus eos sciuisse, & dissimulare voluisse: hæc enim omnia probabiliter dici possunt.

Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus?

COMMENTARIVS.

COMMUNE est omnibus insoliti, & insperati euentus, causam inquirere: hoc turbæ accidit nunc videre, nempe Christum paulò antè diligenter ad necem quæsitum, & contra quæ adeò Principes conspirauerant, vt nemo è turba liberè de eo loqui ausus esset; modò liberè loqui, & in ipsosmet principes inuehi, neminemque illorum vel verbo se opponere ausum esse: mutationis ergo insolitæ, & insperatæ causam inquirunt. Erat autem vera huius causæ diuinitatis Christi virtus, ac potètia, qua aduersarios ita reprimebat, quædo ei placitum erat, vt obmutescere eos faceret: sed isti hæc non cognoscetes, nec inuenientes, causam sibi aliã excogitant. *Nunquid*, inquiunt, *cognouerunt iam Principes*, huc esse Christum, deposueruntque odium conceptum, quo eum prius non cognoscentes prosequerantur? Perpende duo in his verbis, vñ est, quanta fuerit rabies

rabies Principum contra Christum, & quanta ipsius Christi virtus, qua eos repressit, ut isti Iudaei huius effectus talem excogitauerint causam; ac si dicerent, maxima diligentia, & rabie iste ad necem quaerebatur; & nunciam liberè loquitur, & reprehendit, aduersarijs obmutescens, cuius causa alia profecto esse non videtur, nisi quia nouerunt iam hunc esse verum Messiam, & Christum. Et addunt illud aduerbium *Verè*, ut insinuent eos tractasse, & in controuersiam vertisse an esset Christus; at iam veritatem resolutam nouisse, & assecutos esse. Alterum est, istos de turba, qui hoc proferebant, deceptos valde fuisse: putabant enim Principes odio habere Christum, & ipsum ad necem quaerere zelo veri Christi, quia nempe se Christum faciebat, cum non esset; si autem zelus talis fuisset, utique rectam causam sibi proposuissent; si enim iam nouerant verum esse Christum, sequebatur profecto ut odium deponerent, & ad necem non quaerent, sed potius ipsi se submitterent. At non hunc zelum Principes habebant, fingebant quidem, ut turbas deciperent; sed aliter se res habebat; maximè enim persequebantur eum, quia nouerant esse Christum, quod Dominus Matth. 21. illa insignis parabola docuit. Hic est hæres, venite occidamus eum, qua de re cap. 11. inferius exactius tractabimus. Hæc ad sensum horum verborum explanandum satis sint.

Sed hunc scimus unde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

INCREDULITAS, & malitia istorum non sinit eos in hac causa inuenta qui elscere, & permanere. Effectus mirus, quem experiebantur, hanc causam indicare videbatur; at incredulitas & odium contra Christum repellit, & contra inuentam causam obiectionem inuenit. *Christus, cum venerit, nemo scit unde sit. scimus autem, unde iste sit*, ergo iste Christus esse non potest. Iam rem eò perductam esse fatentur, ut si nescirent, unde iste esset, Christum esse reciperent, & consentirent. Ignorantiam miserè homines ad Christum recipiendū quaerunt. Nescire oportet, inquiunt, unde sit, ut verus sit Christus. Magnam confessionem veritatis vis elicit ab istis; nihil enim contra vitam, & mores; nihil contra doctrinam opponunt, quia omnia Christo conueniebant: nihil in illo inuenerant, quod Christum dedeceret, hoc solum inuenerunt, quia sciūt, unde sit; si nescirent, omnia rectè se haberent. Attende hac obiectione eos inuentam causam repulisse, nempe quod principes Christum agnouerint, ac si dicerent; cum hic non sit Christus, quia scimus unde sit, non est verisimile, causam hanc, quam excogitauimus, veram esse; nempe nouisse verè principes hunc esse Christum. Isti scire se, unde sit Christus, dicunt, quia ex quibus parentibus sit ortus, & progeniè eius scire se putabant, sicuti in c. 6. dictum est, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Particula enim *Unde*, non locum, sed originem significat. Existimabant autem neminem, quando Christus veniret, cogniturum eius parentes, sed repente ignotis progenitoribus mundo appariturum. Undè hoc sibi falsò persuaserint, incertum est; forsan ex locis scripturæ malè intellectis, quale est illud *Isai. 53.* Generationem eius, quis enarrabit? & *Micheæ 5.* Egressiones eius à diebus æternitatis, sciebant quidem venturum de progenie Dauid, & de loco *Bethlehem*: tamen in particulari ex quibus parentibus, ignoratum iri credebant. Nec est contra, quod *Ioan. 9.* dicunt; Hunc nescimus, unde sit: horum verborum enim alius est sensus, nempe nescimus, an à Deo missus sit, nec est contra dictio. quamuis *Chryl. homil. 49.* eos sibi contradicere existimauerit, tanquam furore ebrios, & insanos. Addunt verba illa esse Phariseorum, hæc autem vulgi imperiti, & scripturarum ignari.

Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens.

NON sine magna causa Christus clamat: cum enim videret illos omnia, quæ Christus facturus erat, de ipso confiteri, hoc vno autem impediri, quia scirent unde esset: propterea clamat; quasi victoriam ex eis reportans: & quare

quare clamet, illatiua particula ostendit *Ergo*, nempe propter verba eorum, qui nih il aliud opponunt, præter scientiam, quia sciunt, unde sit, & noscunt parentes, & progeniem eius. Clamore autem hoc docet, se etiam hoc habere, quod requirunt, nempe se nescire eum, unde sit; ut nulla re deficiente Christum negare eum esse non valerent; propterea dicitur, *docens, & dicens.* Audiamus quid dicat.

Et me scitis, & unde sim scitis, & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis: ego scio eum, & si dixerò quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

VERAM suam originem docens, ostendit Christus eos nescire, quis sit, & unde sit ipse: & repetit eorum verbum, ut contradicat, & falsum esse demonstrat: & est sensus; *Et me, & unde sim, scitis*, id est, affirmatis vos scire me, & unde sim, quia parentes meos scire vos putatis, & tamen ego *À me ipso non veni, sed misit me, qui verus est*; id est, Deus implens quæ promiserat; & hunc vos nescitis; ac si clarioribus verbis dicat, Ego non sum merus homo, qualem me esse arbitramini, sed filius Dei missus à Patre propter promissiones implendas, quas fecit Patribus vestris, & hunc, *vos nescitis*, id est, nescitis esse patrem meum. non est ergo verum, quod putatis, nempe vos me, & à quo sim, scire, qui filium Ioseph me esse existimatis; at ego, *scio eum*, quia ego sum ab ipso, id est, genitus ab eo, & verus filius eius, & missus in carnem homo factus, quia, *si dixerò*, me nescire eum, *ero mendax*, sicut & vos estis mendaces, dum dicitis scire me, & unde sim. Perpende, qualiter Dominus ostendit eos nescire, unde sit, nec etiam cognoscere quis ipse sit; quia originem habet cœlestem, & à Patre est, quem nemo vidit præter ipsum filium, & qui affirmant se Patrem eius scire, mentiuntur; sicut ipse mentiretur, si negaret se scire eum. Mira doctrina, qua Christus suam diuinitatem, & originem aperit, in se promissiones patribus promissas docet, proprijs ipsorum verbis eosdem conuincit. hic est verus & legitimus sensus. Græcè non habentur illa verba, *Ego scio eum, & si dixerò, quia nescio eum, ero similis vobis mendax*, nec antiqui Latini codices habent, nec *Chrysof. nec Augusti.* exponunt. forsan relicta, quia in octauo capite repetuntur; sensui tamen præsentī accommodata sunt.

A N N O T A T I O XX.

*Multiplex
interpreta
tio Doctorū.*

VARIE superiora verba Doctores exponunt. Primo loco *Chrysof. hom. 49.* verba hæc, *Et me scitis, & unde sim scitis*, Christi esse dicit affirmantis, illos verè scire eum esse Christum, & à Deo missum: quod si postea dicitur, *Nescitis*, id est, quia operibus, & verbis negabant: & hac ratione tollitur contradictio, quando alijs in locis dicitur, neque me scitis. Tamen expositio hæc difficilè veritati accommodatur, sunt enim verba turbæ dicens, *Nescimus unde sit*: quæ turba tunc non cognoscebat verum esse Christum. Secundo loco *Iustin. Mar. in explicationibus quæst. Gent. quæstio. 140.* notat ignorationem voluntariam interdum scientiam dici, & allegat hunc locum exponens pictum esse, *Me scitis, & unde sim scitis*, id est, scire potestis ex tot signis, & doctrinis à me dictis, & factis: quod si alio in loco nescire hi dicuntur, quia verè ignorabant; licet eorum vitio ignorantia tribueretur; doctrina hæc vera est, non tamen facilè accommodatur. Tertio loco *Augustin. tractat.*

31. hæc verba Christi esse dici affirmantis eos scire, & ipsum, & unde sit ipse; sed ex parte, nempe quantum ad humanam naturam: at ignorare ex altera parte, quantum ad diuinam, quam eis explicat. Recentiores alias adferunt expositiones, sed non videntur aptari con-textui ita facile posse. Isti enim Iudæi nec quantum ad humanam naturam Christum nouerant: nam filium Ioseph esse putabant, quod falsum erat, & principium erroris ipsorum: non ergo Dominus eos scire affirmat, quasi quantum ad naturam humanam eum cognoscerent, in qua veram originem non sciebant; & propterea docet se non habere alium Patrem, præter Deum, à quo est, & à quo missus est. Verba ergo illa, *Me scitis, & unde sim scitis*, sunt per quandam ironiam dicta, quasi eos multum aberrare significaret, dum dicunt, Hunc unde sit scimus, per hoc progeniem eius iudicare volentes; statim autem veram suam progeniem aperit, isti enim progeniem à Patribus describebant, & propterea filium Ioseph appellabant.

pellabant; Dominus ergo se à Deo esse, & Patrem habere Deum docet. Illud autem *Nescitis*, & *ego scio eum*, significat eos nescire Deum esse Patrem Christi, qui enim nescit vnum esse Patrem alterius, dicitur nescire illum, licet personam cognoscat, & consequenter nescire originem, si illum nescit esse Patrem. Illis verbis, *Ab ipso sum*, & *ipse me misit*, utramque naturam suam, & originem aperit æternam. Ab ipso sum, ut Deus, & Dei filius; & ipse me misit, quia homo factus sum, ab eo missus.

Ab ipso sum, ut Deus, & Dei filius; & ipse me misit, quia homo factus sum, ab eo missus.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.

COMMENTARIUS.

NOVERUNT Christum affirmasse filium se esse Dei, & verum Messiam, ea de causa, quibus exosus erat, apprehendere eum quærebant, sicut loã. 5. dictum est. Propterea magis quærebant eum interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se ei faciens. non igitur accusare poterunt Christum, quod eis locutus non fuerit, & quis ipse fuerit, disertis verbis non docuerit: Hoc notat illa particula *Ergo*, quasi dicat Euangelista, quia dixit se esse à Deo Patre, & scire Deum, quem ipsi nesciebant, propterea quærebant eum apprehendere; & vnde debuerunt conuerti à malitia, & cæcitate ad fidem, & amorem; inde argumentum obdurationis, & multiplicandi sceleris sumunt; at diuina virtute repressi sunt conatus eorum; non quod mori timeret, aut nollet; sed quod in tempus à Deo constitutum mortem differret: *Nondum*, enim, venerat hora mortis, & passionis eius. Illa particula, *Et nemo misit*, loco aduersatiuæ posita est; ut sit sensus; quamuis quærerent eum apprehendere, tamen nemo misit in eum manus.

De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant. =

TAM mira doctrina Christi non sine auditorum fructu omnino fuit; nam multi de turba crediderunt in eum, nempe esse verum Christum, & messiam à Deo missum; tantoque affectu crediderunt, ut fidem in mente conceptam, occultare non valerent, sed in confessionem oris prorumperent, & dicerent, quæ sequuntur. Vno ergo verbo Christi, & hi conuertuntur, & illi obdurantur; sed quod conuertantur, virtus est verbi; quod obdurentur, vitium est audientium: sicut & eodem lumine, & sani vident, & lippi cæcutiunt, sed, quod illi videant, virtus est luminis; quod isti cæcutiant, vitium est oculorum; sed non est æqualis ratio culpæ: nam lippus sine culpa est, quia vitium est naturæ; at obdurati in maximo sunt scelere & damnatione, quia vitium est voluntatis.

Christus, cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?

A Signis, & miraculis multis, quæ Christus ediderat, argumentum sumunt, ad credendum hunc esse Christum: & sensus est: Christum, quem speramus venturum, non faciet plura signa, quàm hic facit. Ipse igitur verus est Christus: nam Christus non habebit maius argumentum probandi se esse Christum, quàm hic habet: hic est sensus. Attende Euangelistam non referre hæc verba quasi prolata ab ipsis, postquam crediderunt: non enim diceret, *Christus cum venerit*, iam enim venisse credebant, sed relata tunc tanquam argumentum, quo moti sunt ad credendum: ac si dictum esset, multi crediderunt, quia dicebant, *Christus cum venerit*, non faciet plura signa, ergo hic est Christus. quod si postquam crediderunt, hæc pronuntiârunt, tunc interpretabimur in hunc sensum; nempe esse modum quendam loquendi ex quadâ suppositione, & conditione scilicet: si quando Christus venturus esset, non faceret veniens plura signa: vel Christus, quem nos venturum professi sumus; non faciet plura signa quàm hic. hunc sensum Chrysostr. hom. 49. & Euthymius sequuntur.

Audierunt

Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt principes, & Pharisei ministros, ut apprehenderent Iesum.

HASCE voces quamuis submissas, & velut inter se solos loquentium, audierunt Pharisei, qui timore, ne turba crederet in eum, attentissime omnia obseruabant; quæ autem audierunt, ad principes scilicet Sacerdotum (sic enim Græcè habetur) retulerunt, & eorum auctoritate, quæ prima erat, accedente, tam hi, quàm illi ministros mittunt, ut Iesum capiant: non enim auri ipsi sunt venire, ne turba in eos insurgeret; nec eum apprehendere differre volebant, ne si dimitteretur, tota turba in eum crederet; liberumque postea illis non esset facere, quod cogitauerant, & quæsierant. Qui ergo tenebantur turbam dirigere, & illustrare, ut veritatem cognosceret; remouent, & deterrent à veritate sequenda; ut verum sit, quod Dominus illis obiecit, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisei, qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.*

Dixit ergo eis Iesus adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.

MINISTRIS eum apprehendere venientibus dicit Dominus, *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado*, ad Patrem. Hebraismus est, ac si dicat; post modicum tempus, quo vobiscum permanebo, vadam ad eum, qui me misit; nondum est tempus me cõprehendendi, citò veniet tẽpus hoc. Similis phrasis est Ionæ 3. Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Et est præsens loco futuri temporis vadam ad eum qui me misit. Consideranda sunt verba, *Vado*, inquit; id est mihi liberum est mori, pono animam meam, quando, & quia volo. Rursus mors mea non est, qualem vos putatis; *Vado ad eum, qui me misit*, hominem merum me esse, ut cæteros creditis, non sic est; vadam ad eum, qui me misit: quia Dei filius sum, & sic moriar, ut citò resurgam, & humanitatẽ meam ad dexteram Patris mei collocem: vobiscum autem sum hoc modico tempore inter vos agens ut doceam, vestram salutem operer. ad eamque acceptanda vos exhorter. *Modicum tempus*, vocat, quia proximo Paschate erat passurus. Illa particula *Ergo*, indicat, quia eum comprehendere veniebant, Dominum hæc protulisse, quibus verbis non solum illos docuit, sed furorẽ eorum repressit adeò, ut relicto eo compuncti ad eos, à quibus missi erant, redierint.

Quæretis me, & non inuenietis.

PROPHETICA & simul comminatoria hæc verba sunt, quibus prædicit, & comminatur, quod Iudæis incredulis, eiusque doctrinam contemnentibus post ipsius ad Patris reditum euenturum erat. *Quæretis*, inquit, *Me*, id est, verum Christum vobis promissum inquiretis, *Non tamen inuenietis*, id est, ad ipsius agnitionem non peruenietis. me enim reiecto, qui verus sum Christus, omnis: qui alium quærit, non inuenit. Fiet ergo, ut loco veri Christi in pseudo Christos incidatis: studijque & laboris vestri in quærendo non solum nullus sit fructus, sed etiam damnum, nimirum error. me enim repudiato, poteritis quærare Christum, sed non inuenire. Hoc Iudæis post Christi ascensionem accidit, surrexerunt enim pseudochristi, de quibus Matth. 24. dicitur, *Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere: Surgent enim pseudochristi. quo in loco Hieronymus adnotat captiuitatis Hierosolymitanæ tempore tres nomen Christi sibi vsurpasse, eosque verisimile est incredulorum Iudeorum diuisas inuicem partes ad se traxisse. Modò etiam Iudæi inquirent, & adhuc inquirent Christum; non tamen quãdiu sic quæserint, inueniẽt. Spreta enim veri*

*Yanus Tada
orum in Chrõ
sto inquiren-
da labor.*

Christi prædicatione, Christus verus inueniri non potest. Hæc verba dicta quidem sunt ministris Iudæorum, sed in eis omnes increduli Iudæi comprehenduntur, qui quotidie quærent Christum in lege, & Prophetis: quorum iam vera est illis ablata intelligentia, nec ad veri agnitionem Christi perueniunt, impleturque quod dictum est, *Quæretis me, & non inuenietis*, Christus dicit Iudæos quæsituros eum, quia dum quærent Christum, re ipsa quærent illum, qui verus est Christus; quamuis eum negent esse Christum.

A N N O T A T I O X X I.

Variæ expositiones doctorum.

Qui peccato res in calamitatibus non exaudiatur.

VARIË hunc locum, & antiqui, & recentiores Doctores exponunt. Primò loco Chrysof. homi. 49. sic interpretatur: Desiderabitis me habere præsentem, & non habebitis: quod impletum maximè esse dicit, quando in Hierosolymitana captiuitate desiderarunt in suis afflictionibus eum habere liberatorem, & auxiliatorem, nec habuerunt. Huic consentit Euthymius. Hæc expositio doctrinam veram continet, scripturis & Patribus conformem, nimirum peccatores, qui non respiciunt, frequenter non exaudi à Deo in suis calamitatibus clamantes. Id docet Hieron. in illud Hieremiæ 11. Clamabunt ad me, & non exaudiam. id ipsum affirmat Basil. in respon. breui. resp. 261. probatque illo Isaïæ 1. Cum extenderitis manus vestras, auertam faciem meam: cum multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Gregor. etiam libr. 19. moral. cap. 15. Confirmatque illo Prouerb. 1. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Neque solum hoc est, quin potius etiam si respiciant per penitentiam, non semper Deus exaudit, quantum ad poenas temporales: ita factum legimus cum Dauide, 1. Reg. 12. remissis enim adulterio, & homicidio, non obtinuit etiam poenitentem sibi condonari puerum natum. 2. etiam Reg. 24. quando numerauit populum etiam dolens de peccato punitus est. Potuit ergo fieri hos Iudæos. quia increduli fuerunt, morte pleuros esse à Deo, nec exauditos etiam si clamarent, & quærent Christum; sicque factum est, vt quærent, & non inuenirent, etiam si poenituerit eos peccati, & incredulitatis suæ. Doctrina ergo cui nititur Chrysof. vera est, eius tamen expositio non mihi videtur satis accommodata; nam vel loquitur de fidelibus, aut de incredulis Iudæis; si de fidelibus, obstat, quo refert Eusebius libr. 2. histor. capit. 5. nempe diuina prouidentia credentes Iudæos ante bellum à Iudæos fuisse extractos, ne cum incredulis perirent: Si autem loquitur de incredulis, non est probabile eos Christum desiderasse, quem intestino odio prosequerentur. nec tanquam Christum, sed potius vt seductorem, & hominem iuste damnatum habebant; Hæc igitur expositio non videtur legitima.

Secundò loco Augustinus, tractat. 31. impletum hoc esse dicit Actor. 2. quando Petro prædicante multi compuncti sunt, eos tanti facinoris, nempe Christi morti interfuisse, poenituit, dixeruntque viri fratres, quid faciemus? Ecce hi quæserunt Christum, at non inuenierunt, quia veniam desperarunt. Si ex

A loco citato Act. 2. aliquos eorum, qui compuncti corde sunt, quosque patrati sceleris poenituit, desperasse, posset Augustinus probare, probabilior eius expositio videretur; tamen ex eo loco non id deducitur, nec verisimile est compunctos & poenitentes desperasse, maximè cum in eam compunctionem vix sine fide venire potuerint; Petrusque ipse remedium facile & efficax statim proponeret, Poenitentiam, inquit, agite & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. non igitur hæc expositio accommodata videtur. Verissima quidem est doctrina Augustini, Christi mortem efficacem esse ad delenda peccata crucifigentium eum, immo multos etiam conuersos, & veniam obtinuisse non dubito; tamen aliquos eorum, qui compuncti sunt corde Petro prædicante desperasse, non esse probabile.

Tertio loco aliqui nostræ ætatis auctores sequentes Rupertum sic exponunt, Quæretis me in sepulchro detinere, & resurgentem comprehendere, tamen non inuenietis; quia neutrum poteritis efficere. Hæc expositio minorem habet probabilitatem: Iudæi enim nunquam quæserunt Christum post ipsius resurrectionem comprehendere; tum quia non crediderunt resurrexisse, & si qui crediderunt, non id tenarunt, scientes id esse vanissimum, tum maximè quia loquitur Christus de eo, quod post suam ad Patrem ascensionem futurum erat, nec amplius post mortem eum in loco aliquo quæserunt, sicut fecerant, quando viuus inter eos conuersabatur.

Quarto loco alij aliter exponunt, vt hic domini sermo ad pios dirigatur, qui post eius ascensionem credentes in eum, quæserunt, & desiderarunt eum videre, & prædicantem audire in terris, sicut ante fecerat, quando ipsi non credebant ei; non tamen inuenierunt, quia id non sunt affecti. Hæc expositio est omnium improbabilissima; dato enim, quod aliqui tale habuerint desiderium, de quibus forsitan illud dicitur Lucæ 17. Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. hoc tamen in loco longè diuersus est sensus; loquitur enim nunc Christus cum incredulis, & ministris persecutorum eius, quos deterrere oportebat: sicut etiam paulò post idem fecit cum ipsis Iudæis, quando Ioann. 8. dixit, Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. propterea subiunxit, Vbi ego sum, vos non potestis venire, quod si Apostolis dixit, quæretis me, non apposuit alterum, nempe non inuenietis, aut

ris, aut in peccato vestro moriemini, sicut dixerat, quando Iudæis locutus fuerat; ideo aliter sunt verba dicta Apostolis interpretanda, vt fecimus tomo secundo folio 70. Videtur igitur expositio adducta in commentario omnium accommodatissima.

Aduerte ergo hanc Iudæorum inquisitionem esse valde reprehensibilem, quia cum infidelitate, & ex infidelitate est; ideo non merentur inuenire: Christum enim in lege, & Prophetis prædictum, & promissum fatentur, negant tamen venisse, propterea venturum expectantes quærent, frustra autem venturum expectatur, qui iam venit. Ante eius quidem aduentum verè expectabatur, & quærebatur; Malach. 3. Veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamen-

ti, quem vos vultis: at modo non sic, idcirco quærent, & non inueniunt. Contra euenientibus: hæ enim nullam Christi notitiam habentes non quæserunt, diuina tamen gratia & misericordia Euangelium est illis reuelatum, & in dies reuelatur, & impletur, quod dicitur Roman. 10. & Isaïæ 65. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant. Si autem aliqui Iudæi deposita animi obstinatione contra Christum, studerent veritati, eamque audire non derectarent, vtique bene quærent, & inuenirent: quod multi facient vltimis diebus, quando implebitur, quod dictum est Osee 3. Reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum in nouissimo dierum.

Et vbi ego sum, vos non potestis venire.

C O M M E N T A R I V S.

ADIUNGIT tertiam comminationem: sensus est, cum post meum ad Patris reditum, vos adhuc sitis in vestra incredulitate mansuri, nec me vnquam inuenturi, quia ad mei agnitionem, & fidem non estis peruenturi; profectò hoc etiam eueniet vobis, vt à regno meo excludamini, nec mea sitis diuinitate fruituri: *Vbi ergo Ego sum*, id est ad cælum, vbi vt Deus semper sum, & vbi meorum est regnum, vbi mecum sunt regnaturi, *Vos non potestis venire*: illuc enim nemo sine fide in me intrare potest. Christus vt Deus erat in cælo, & illuc tendebat tunc vt homo; propterea paulò antè dixerat; Vado ad eum, qui misit me. & Ioan. 8. Quò ego vado, vos non potestis venire. vt igitur se Deum & hominem ostenderet, vtroque loquendi modo vsus est.

A N N O T A T I O X X I I.

Verbum Sæ, diuinitatem indicat.

EVTHYMIUS præsens verbum *sum*, loco futuri positum arbitratur, ac si dictum esset, vbi ero, vos non potestis venire, at August. tract. 31. rectius sentiens interpretatur tamquam præsens, vt se Deum significaret, qui iam, & semper erat, quò vt homo ibat, hocque secuti sumus in commentario: Si enim loco futuri positum esset, non dictum esset vbi ero, sed quò vado, sicut Ioann. 8. & 13. dixerat. August. tract. 31. Ioann. illud non potestis venire, ad præsens tempus refert, quando increduli erant: ac si diceret, non potestis modo venire, cum sitis increduli, postea venturi estis, quando crederis. Accommodatur tamen Chrysof. homi. 49. etiam futurum interpretatur: erant enim isti increduli futuri, de qui-

bus prædictum erat. Quæretis, & non inuenietis, & quamuis hic sermo dirigeretur etiam ad eos, qui postea crediderunt, adhuc futurum complectitur, Non potestis venire, nec poteritis, quandiu increduli fueritis. Ioann. 6. Nemo potest venire ad me. Ioann. 15. Sine me nihil potestis facere non pro præsentibus; sed pro omni tempore posita sunt hæc verba. Recentiores suam sequentes expositionem verborum præcedentium sic interpretantur, non potestis venire viribus proprijs, mea tamen gratia poteritis. Violenta mihi videtur expositio, nec accommodatur adductæ interpretationi præcedentium verborum quàm legitimam esse ostendimus.

Gg 2

Dixerunt

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos, quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? quis est hic sermo, quem dixit, quæretis me, & non inuenietis, & ubi sum ego, vos non potestis venire?

C O M M E N T A R I V S.

Verba Christi prophetica erant, nec ministri sensum, sed nudum corticè perceperunt, ideo intelligentiam indagantes, sensum excogitant inter se, dubitantes an id significare Christum voluerit, nempe se ad gentes docendas iturum, quæ cum sint per totum orbem dispersæ & diuisæ, si Christus ad eas diuerteret, à Iudæis etiam quæsitus, inuentus non esset. At quia in hac intelligentia eorum animus non quiescebat repetunt verba dubitantes iterum, *Quis est sermo, id est, quid hic sermo significat? Quæretis me, & non inuenietis, &c. Gentes, quia dispersæ vndique erant per orbem, appellant Gentium dispersionem: est enim hebraismus, ac si dicerent, in Gentes dispersas. quo vocabulo etiam significat, Christum abiturum in gentes dispersas; nec habiturum inter eas locum firmum, & stabilem, sed modò ad has, modò ad eas diuersurum, sic enim quamuis quærent non inuenire possent. hi sensum verborum Christi non perceperunt, tamen comminatoria esse intellexerunt.*

In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens.

Dies erat octauus, in quo festum collectarum agebatur, eratque dies celeberrimus, sicut primus: nec erat dies septimus, vt Theophylactus existimauit, sed octauus, vt habetur Leuit. 23 propterea autem, quia celebrior erat intermedijs diebus, dicitur magnus, sicut dies octauus festi apud nos, celebrior est diebus, qui intra octauam celebrantur. Clamat ergo Dominus in templo, vt cordibus auditorum, qui iam iam discessuri in propria loca erant, verba tenacius infigat. clamat etiam, vt se liberè, & intrepide loqui, & docere significet; quod veritatis est magnum argumentum. clamat rursus, vt surditatem, & duritiam Iudæorum in credendo reprehendant. clamat demum, quia hoc erat vltimum festum ex his, quæ in hoc seculo celebrauit, quando Iudæorum multitudo conuenire tenebatur Hierusalem: nam Paschate proximè venturo passus est. Eos igitur clamore hoc valde admonet suæ salutis, ne oportunitate tanta neglecta pereant. Vnde Ambr. serm. 19. in Psal. 118. vers. 1. id eò nunc clamasse dicit, quia homines ad magna, nempe regnum cælorum, vocabat.

Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

Hominibus commune est bonum, quo perficiantur, & in quo quiescant, desiderare: nemo enim in hoc seculo ita est omnibus numeris perfectus, qui nõ adhuc impleri, & perfici possit, & cui multa nõ desint, hinc omnes desiderant, & appetunt, quod omni ex parte satiet: quamuis multi errent in electione eius, quod tale est, vt satiari valeat. Inuitat Christus igitur omnes sitientes, id est, eos omnes, qui summum bonum, & suam perfectionem desiderant, & quærunt, vt veniant ad eum per fidem; promittens hanc eis perfectionem, & hoc bonum, quo omnis extinguitur sitis, *Si quis, inquit, sitit, veniat ad me, per fidem viuã, & bibat, & accipiat aquas, quas ego dabo; hæ enim sunt, quæ omnem perfectionem adferunt, & omnem sitim extinguunt. Alijs verbis hoc idem Dominus Matt. 11. significauit; laboris enim & oneris nomine hoc humanum desiderium explicuit: quia sudorum, & laborum multorum est causa. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Itaias multò*

Quare Dominus clamare voluerit.

multo ante ad hoc idem exhortatus est, capit. 55. Omnes sitientes venite ad aquas. Hæ enim sunt, quas Dominus hoc loco promittit. Chrysoft. hom. 50. & Euthymius, & alij antiqui Patres de siti doctrinæ hæc exponunt verba, sed re-ctius, & accommodatius interpretabimur de doctrina, & de quouis bono gratia, & generaliter de bono spirituali & beatitudine, quæ satiat omni ex parte, quæ quidem in hoc seculo communicatur, sed in futuro completur.

Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

Quare sitientes ad se venire inuitat exponit; nam, *Qui credit, inquit, in me, magnam copiam, & abundantiam aquarum habebit, adeo vt, Flumina aquæ viuæ de eius ventre eius fluant, ac si dicat, non erit sicut, qui corporaliter sitiens ad aquas accedit materiales; hic enim aquæ partem accipit, & ebibit de fonte, at qui in me credit, fiet in eo fons, à quo flumina aquæ viuæ fluent præ abundantia, & copia fontis. Quo verbo significat credentes accepturos tale bonum ac tantum, vt non ipsis tantum sufficiat, sed in alios etiam deriuetur: ventrè, cor & interiora hominis significare docet Chrysoft. homil. 50. & ita est; datur enim interius Spiritus sanctus, qui fons est viuus, à quo innumera, & perfectissima dona, & virtutes velut flumina multa procedunt; quæ in corpus, & in omnes inferiores potentias, & actus, & operationes extenduntur, & vsque ad proximos, & alios multis modis deriuantur & dilatantur. iusti enim alijs multipliciter profunt, Grego. libr. 15. moral. cap. 15. *Flumina, inquit, fluent aquæ viuæ de ventre eius, riuuli ergo sunt fluminis dona Spiritus sancti; riuulus est fluminis Charitas; riuulus est fluminis Fides; riuulus est fluminis Spes. hæc Gregor. testimonium autem scripturæ allegat propter Iudæos, qui scripturam profitebantur, & vt se esse eum, qui in scripturis erat promissus, significaret.**

A N N O T A T I O XXIII.

Vbi in scriptura verba Christi reperiantur.

LABORANT Doctores anxie hoc testimonium in scriptura quærentes: sunt autem variæ eorum sententiæ. Primo loco Chrysoft. homil. 50. non inueniens tale in scriptura testimonium, dicit verbum hoc, *Sicut dicit scriptura, non esse sequentibus coniungendum, quasi in scriptura esset prædictum, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, sed esse annexendum superioribus sic, qui credit in me, sicut dicit scriptura; docet enim ei esse credendum. non signis & miraculis solis, sed scripturarum testimonio, quia ipse est, quem scripturæ testantur: hoc idem Euthymius dicit, scriptura autem multipliciter testata est de Christo, & in ipsum credendum esse præmonuit. idem docuit Theophylactus sed expositio ista violenta est, & incongrua: idcirco aliorum sententia est, verba esse sequentibus copulanda: vt sit sensus: scripturam dixisse, flumina aquæ viuæ emanatura, de ventre credentium in Christum, & si sic exponamus, tunc est difficultas, vbi sit tale scripturæ testimonium. Secundo igitur loco Hieronymus in prologo Pentateuchi sequentibus copulans arguit Septuaginta interpretum versionem, quod in ea non habeatur tale testimonium, quod tamen in Hebræo, & in sua versione legitur. hoc autem dicit esse in prouerbis, locum tamen particularem non exprimit. Recentiores locum hunc Prouerb. 5. esse dicunt, vt sic habetur: Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. sed, cum hæc verba sint in versione Septuaginta, & non in sola Hieronymi, non videtur hic locus, quem Hieronymus præterdit. Tertio loco Cyprian. lib. 1. epist. 3. & in nouo volumine 63. testimonium Isai. 43. Dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo, affirmat impletum esse, cum dixit: *qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quarto loco aliqui recentiorum non fixum, & determinatum locum à Domino allegari affirmant: multa autem sunt veteris scripturæ testimonia hanc abundantiam, & copiam aquarum spiritualium prædicentia, præsertim Isai. 41. 42. 43. 44. Ezech. 36. & Ioe. 2. Quinto loco Orig. homil. 12. in Numer. hunc locum Ioannis accommodat illi sententiæ Prouerb. 5. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Insinuat ergo hunc locum esse à Domino significatum, quando dicit, sicut scriptura dicit.*

Mihi certè sententia Origenis omnium videtur probabilissima, & verissima, nempe locum hunc Prouerb. 5. à Domino significari hisce verbis. In cuius declarationem attestide, secundum Hebraicam lectionem sic haberi. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta de medio putei tui. In Hebræo fluenta legimus מליח à verbo מלך, quod est fluere, vnde nomen fluenta: flueta autè putei appellat Euangelista flumina aquæ viuæ: idem enim fluenta, & flumina aquæ viuæ significant, quæ fluunt ex fonte: hæc enim aqua viuæ est, quæ ex fonte fluit, & deriuatur. Dominus autem in hunc

Origenis sententia approbatur.

In hunc modum allegat locum scripturæ, ac si dixerit: qui credit in me, illa fluëta de medio putei propria emanantia, quæ scriptura dicit bibenda, fluent de ventre eius, seu venter eius erit puteus ille, de cuius medio fluent illa fluent bibenda. Allegat enim scripturam simul interpretando, & accommodando credentibus in eum. Non ergo debet intelligi locus hic, quasi velit scripturam dicere, qui credit, fluent flumina de ventre eius; sed sic, qui in me credit, de ventre eius fluent illa fluëta.

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

COMMENTARIUS.

Verba sunt Euangelistæ exponentis Christi sententiam, quam interpretatur de Spiritu sancto, qui communicandus erat ijs, qui in ipsum erant credituri & credebant. Hic est fons aquæ viuæ, cordibus credentium infundendus, & maximè Apostolorum, à quo flumina copiosa aquæ viuæ redundarent, qui & ipsosmet credentes irrigarent, & exterius effluentia mundum vniuersum vitæ doctrina replerent, & ariditatem sterilem humore fecundissimo fouerent. hic est Spiritus sanctus, qui flumen dicitur: à quo tota hæc Dei ciuitas, quæ est Ecclesia, donis, virtutibus, & gratijs repletur, de quo David Psalm. 45. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, vt exponit Basil. homil. in eundem Psalm. & attende sensum Euangelistæ: credentibus enim erat datus Spiritus sanctus: nemo enim in gratia Dei est, nisi in eo Spiritus sanctus sit, tamen loquitur de illa abundantia, & effluentia, quæ post Christi ascensionem communicanda erat: vt verbis sequentibus exponit.

Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

Ad huc Euangelista verba Saluatoris exponit; & cur, cum de Spiritu loqueretur, vsus sit futuro, *Fluent flumina* declarat. quia, inquit, nondum erat hic Spiritus datus, donec Iesus glorificaretur resurrectione, & ascensione sua. tunc erat credentibus hic spiritus dandus, propterea futuro vsus est Dominus, *Fluent aquæ viuæ*, & propterea dictum est, quem accepturi erant credentes. quia tunc nondum acceperant, quando hæc à Christo dicebantur. Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO XXIV.

Annotationes sunt aliqua in superiori sententia. primum est quantum ad verba in Græcis etiam codicibus nunc habetur. *Nondum erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, & ita legit Euthymius. At communis lectio habet, vt nos legimus. & sic Chrysostomus, hom. 50. legit, & August. libr. 2. cont. Crescon. capi. 14. immò & tract. 32. in Ioann. quamuis aliqui eum falsò in priorem citent lectionem, decepti quibusdam verbis, nempe, Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum, sed nondum erat in eis, qui crediderant in Iesum: nam hæc verba dicit exponendo Euangelistam: qui non dicit non esse Spiritum, sed non esse datum; longèque differunt dicere, non esse, & non esse datum, & hic est verus sensus Augustini. & paulò superius dicit; nondum erat datus Spiritus: quem Spiritum nisi Sanctum? Vides legisse *Nondum erat Spiritus datus*, & non Spiritus sanctus. Idem dicit Hiero. Epist. ad Hedib. quæst. 9. qui eandem sequitur lectionem: Mendosa est igitur lectio illa, & legendum est; Nondum erat Spiritus datus, quod illo legeretur modo, adhuc sensus idem esset, vt non esse diceretur, quia datus credentibus non esset.

Secundò annotandum est, quantum ad sensum illius verbi, *Glorificatus*, Chrysost. loco citato, hanc glorificationem exponit mortem ipsius Christi vt sit sensus, quia nondum Christus mortem subierat, nec reconciliatio humani generis facta erat, propterea nondum erat datus Spiritus, qui donum est: nam donum amicis datur, & reconciliatis. Et ita dicit Euthymius. Hieron. etiam epist. ad Hedib. q. 9. hanc glorificationem mortem interpretatur; & cur glorificatio dicta sit, rationem explicat: tunc enim mirabilia suæ potentie exercuit; sol obscuratus est; terra tremuit; sepulchra aperta sunt: tunc triumphauit de inimicis.

inimicis. glorificatio igitur, inquit, est patibulum triumphantis. Aug. verò tract. 32. resurrectionem eius, & præcipuè ascensionem intelligendam censent, post eam enim Spiritus sanctus datus est. Non negat mortem esse glorificationem quandam, similiter & resurrectionem; tamen hoc in loco ascensionem in cælos glorificationem appellat; quod ex ipso effectu satis probatur. post ascensionem enim misit die pentecostes hunc Spiritum, qui cordibus fidelium diffusus, fluuios miræ suæ virtutis effudit.

Auctoris sententia.

Annotandum est tertio ex Hier. loco citato, ante huiusmodi glorificationem datum esse Spiritum sanctum; nam remissio peccatorum facta fuit multis, & Spiritus sanctus fuisse dicitur in Simeone, & in Prophetis; immò post resurrectionem dedit Spiritum sanctum discipulis, vt peccata remitterent; tamen plenitudo Spiritus sancti data est post ascensionem, quando visibiliter descendit, & dona sua communicauit quantum ad effusionem, & abundantiam; tunc nanque donum linguarum, operationis virtutum, gratiæ sanitarum, tunc scientia, fortitudo, & gratiæ omnes datæ sunt. Et hæc est donatio, quam faciendam dicit credentibus, quod si nunc non habent singuli omnia hæc, sunt tamen in Ecclesia ipsa, cuius fideles sunt membra; & quamuis non omnia singulis dentur, omnibus tamen iustis datur Spiritus sanctus, vt ex ipso flumina fluant, licet non sint in singulis æqualia.

Adnotandum est quartò, hoc non ad necessitatem, quasi aliter fieri non posset, referendum esse; sed, vt dicit Aug. tract. 32. ad diuinum beneplacitum, quo ita voluit & decreuit, vt non daretur Spiritus, nisi postquam esset Christus glorificatus. Hic idem est sensus illorum verborum Ioan. 16. Expedi vobis vt ego vadam, si enim non abiero, Spiritus sanctus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos: ac si dicat, quando glorificatus fuero ascensione mea, mittam vobis Spiritum sanctum, fontem aquæ viuæ, qui in vobis existens, emitteret aquæ huius copiosa fluentia.

Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebāt, Hic est verè Prophetas. Alij dicebant, Hic est Christus: quidam autem dicebant, nunquid à Galilæa venit Christus? nonne scriptura dicit, quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? dissensio itaq; facta est in turba propter eum.

COMMENTARIUS.

Quid ex Christi doctrina consecutum sit, narrat Euangelista. variæ turbæ opiniones extiterunt; quidam eum esse Prophetam dicebant, non quælibet, sed illū, quem venturum sperabant, de quo diximus cap. 1. ibi (Es tu Propheta) & in Græco habetur articulus, *Hic est verè Prophetas ille*, & sic legit Euthymius. alij maiora sentiebāt, *Hic est Christus*, huic confessioni, quæ vera erat, alij opponebāt scripturam; quia Christus de semine David, & de Bethlehem venturus erat; at Christū Galilæum putabant, ignorantes eum natū fuisse in Bethlehem: de semine autem non dubitabāt; quia sciēbant esse de familia David, sed de loco; propterea enim scripturam citant, vt trunque cōplectentem, vt de David, & de Bethlehem dicatur: vt probent non satis fuisse, quod ille esset de David, quia deesse credebant locum natiuitatis. Bethlehem dicunt castellum David, vt distinguāt ab altera Bethlehem, quæ erat in Galilæa. Facta igitur est rixa, & dissensio inter eos, qui de turba erant, singulis suas defendentibus partes. Diuina elucescebat veritas in crassissimis & densissimis tenebris, & caligine eam adumbrante, donec ab ea luce vincerentur, & euanescerent.

Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo misit super eum manus.

Et hi de turba erant, sed omnium pessimi, de numero illorum, quos superius retulimus dicentes contra Christum, Seducit turbas. hi apprehendere voluerunt, tanto in Christū odio flagrabant, vt sine auctoritate vlla à maioribus accepta, sibi id vsurpare tentarent; sed virtute Christi tempus statutum expectantis, eorum impius & infanus repressus est conatus.

Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Phariseos, & dixerunt eis illi; Quare non adduxistis illum?

Ministri missi fuerant ante diem hunc nouissimum festiuitatis, eisque locutus est Dominus, quæ iam explicuimus. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum,* &c. tamen nihil illo die tentarunt facere, miris Domini verbis allecti; expectarunt autem sequentem diem hunc, quando adhuc mirabile Domini doctrinam perceperunt: responsum autem iam differre non valentes, ad eos, à quibus sunt missi, re omnino infecta, & intentata reuertuntur. Videntes autem Pontifices & Pharisei eos venientes, nec quod in mandatis habuerant executos esse, dicunt eis; quia de causa *Non adduxistis illum?* Pontifices appellat eos, qui summo Sacerdotio functi erant; non enim iam ad vitam secundum legem, sed in singulos annos dabatur pro Præsidi voluntate: hi superius dicti sunt principes nempe Sacerdotum; nunc autem Pontifices appellantur. Particula *Ergo*, causam indicat, cur venerint. Venerunt ergo ad eos, qui miserunt, quia ministri erant: venerunt autem non ut deferrent, & accusarent illum, sed ut responsum suis heris redderent.

Responderunt ministri, nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

Causam, cur non adduxerint ministri exponunt: nec impotentiam allegant dicentes, quia non potuimus: nec turbæ timorem, quia non sumus ausi; sed innocentiam ipsius, & doctrinæ virtutem. *Nunquam sic*, inquit, *locutus est homo, sicut hic locutus est.* Illud, *Sic*, & doctrinam commēdat, & modum ac virtutē: ac si dicerent; mirabilia loquitur, & tāta virtute, & energia animos allicit audientium; qualia, & quāta virtute nemo hominum locutus est. Verbi Christi perpende virtutē, quæ non tantum ministrorum furorē repressit, sed animos eorum ita etiam effecit constātes, ut omni postposito timore ad Pontifices, & Phariseos reuertentes nullā excusationem prætexerent; sed liberè veritatem annuntiarent, quos adhuc nulla miracula traxerāt. Magnum profecto cæcitatibus, & inuidiæ illorum, qui eos miserant, fuit hoc argumentum.

Responderunt ergo eis Pharisei, nunquid & vos seducti estis?

Nouerunt Pharisei ex responsione ministros, si non omnino ad Christum conuersos, tamen valde propensos; & propterea in eos inuehūtur. Hoc indicat illa particula *Ergo*, nempe; quia propensi in Christum, ex responsione visi sunt, propterea à Phariseis reprehensi sunt. Dixerunt ergo Pharisei, qui zelum religionis maiorem prætexebant, quàm cæteri, *Nunquid & vos seducti estis?* id est, nunquid etiam vos sicut multi de turba, hunc creditis esse Christum; & erratis, atque ab illo seducti, & decepti estis? Verbis hisce Christum seductorem esse conuiciantur.

Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis; sed turba hac, quæ non nouit legem.

Apropensione illa & credulitate in Christum ministros remouere Pharisei hoc argumento tentant; quia nemo ex primoribus Iudæorum, nec ex Phariseis, qui legis obseruantiam profitentur, credidit in Christum, sed turba legis ignara: quasi dicerent; si Christus esset, Pharisei docti & periti legis, & Iudæorum nobiles, qui iudicio & intellectu pollent, eum recepissent: nam ex lege ipsa Christus agnoscendus est. Et rectè argumentabantur, si isti legem obseruassent, & non odio, inuidia, auaritia, & ambitione obcæcati essent: à quibus vitij turba magis libera, lumen veritatis

veritatis facilius suscepit. Aliqui etiam ex his crediderant, sed quia occulti erant, propterea dicitur, neminem ex principibus, & Phariseis credidisse; ignorabant enim eos Pharisei. Sententiam iustæ suæ damnationis nolentes Pharisei pronuntiant: qui cum scientiam legis profiteretur, & duces essent ignorantium, non viderunt, nec videre voluerunt; paruulis, & ignaris ipsis videntibus, & credentibus. Et impletum est verbum Domini Matth. II. Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

Maledicti sunt.

Turbam credentem maledictum incurrisse declarant, quod Deus contra legem non obseruantes infligit; hoc etiam argumento ministros à credendo deterrent, ne & ipsi maledicti sint; cum re vera ipsi potius omni essent maledictione repleti; qui nec legem obseruauerunt; nec eos, qui obseruare studebant, permiserunt; & contra legis auctorem insurrexerunt. Sic cæco illi Ioan. 9. in sua confessione perseveranti maledixerunt. Est autem maledicere, mala alicui imprecari; maledictum autem declarare, est manifestare aliquem esse subiectum poenis, & malis quæ Deus contra transgressores legis comminatus est. Hoc in loco non maledicunt, sed maledictam turbam à Deo esse declarant; sunt enim verba indicantis, non deprecantis, quod formidabili est. *Dixit Nicodemus ad eos (ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis) nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?*

Inter tot Christi persecutores aderat defensor vnus, occultus tamen. Dicit autem Euangelista hunc fuisse Nicodemum, qui venerat nocte ad Iesum; tum ut personam manifestet; tum etiam ut occultum fuisse discipulum insinuet. Vnum ex illis Phariseis esse narrat, quia non omnes Pharisei increduli erant in Christum, ut isti prius falso dixerant. Verbum autem defensionis generale est. Lex nostra non damnat aliquem prius, quàm audiat ipsum pro se loquentem, & diligenter cognoscat ore & confessione propria quid fecerit; vos Christum non audistis, nec ab eo cognouistis, quid doceat, quid faciat; non igitur damnandus est non auditus. Tacite eos legem transgredi indicat. Dices, quomodo isti iudicabant Christum? dico, quia mortis rerum, tanquam seductorem pronuntiabant, & eos qui eum confitebatur, maledictos esse à lege declarabant. Iterum percontaberis, ubi in lege habetur neminem damnandum inauditum? Respondeo expresse id in lege non contineri, tamen legem vocat, legis obseruantiam, & praxim: erat enim Iudæorum praxis, ut sententiam non pronuntiarent in aliquem, nisi diligentia facta, an verè reus esset, & contra legem deliquerit, in quo ipsius confessio requirebatur, nisi contumax esset; non quod necessaria fuisset: nam conuictus testibus iudicabatur; & hæc praxim ex naturæ lege sumpserunt, & obseruabant, sicut & hodie vbique obseruatur in iudicijs. propterea dicit legem non iudicare quenquam inauditum, id est, nemo legis nostræ sententiam patitur, nisi prius audiatur: nec iudex reos non auditos damnat.

Responderunt, & dixerunt ei; nunquid & tu Galilæus es?

Non veritatis zelo, sed humano affectui Nicodemi sententiam imputant, & quod sano, & æquo animo dictum erat, in malam interpretati sunt partem; & dicunt, *Nunquid tu Galilæus es?* Christum Galilæum appellabant: volentes autem taxare Nicodemum, quod humano affectu, non ratione ductus Christo faueret, dicunt; Estu forsitan Galilæus, quia Galilæis tanquam tuis, faues? Non hæc dicunt, quod Nicodemum Galilæum esse arbitrati essent, sed ex quodam animi furore conuictum iactant, quod Galilæo auxilium præstaret tanquam Galilæus, passione animi

animi non veritate ductus. Non autem appellant Galilæum, quasi Christi discipulum, sicut Iulianus Christianos Galilæos appellabat; sed Galilæum dicunt, quia Galilæi partes ageret. Græcè, non, *Galilæus*, sed ex *Galilæa*, legitur, & hoc magis hanc nostram confirmat expositionem.

Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit.

DE FENDUNT se Pharifæi, & cur non sit necessarium eum audire, respondent. Et sensus idem est, ac si dicerent, Res est manifesta, & indubia, non est opus ipsum audire, certum enim est nō esse Prophetā. *Scrutare*, enim *Scripturas* & inuenies à Galilæa Prophetam non surgere: id est, nec Prophetam extitisse vllum, nec secundum scripturas vllum extare debere de Galilæa. Certum ergo est, cū hic Galilæus sit, prophetam non esse; omnes igitur, qui eum recipiunt vt prophetam, maledicti sunt: & ipse qui se Prophetam facit, damnabilis est, nec vlla est opus discussione. Si isti prophetam esse posse de Galilæa negabant, multo magis negabant Christum. Cætera ex annotatione require. Nicodemus hos legis transgressionis tacitè arguit, ipsi verò ignorantia legis, & scripturarum eum insimulant.

A N N O T A T I O XXV.

IN Græcis codicibus non habetur *Scripturas*, **A** sed tantum *Scrutare*, nec Chryso. nec Euthy. vel Thophy. legunt. legit tamen August. & Nonnus, & codices latini, & sensus idem est. Aduerte in aliquibus codicibus Græcis haberi, *Non surrexit*, in præterito; & ita legit Euthymius; at nostri codices in præsentis; & si sensum respiciamus, idem est; nam illi significare voluerunt nullum Prophetam ex Galilæa surrexisse, nec etiam suscitandum; aliter verba eorum nullius roboris essent: si enim non surrexit, surgere in posterum poterat; voluerunt ergo negare futurum prophetam vnquam de Galilæa, & ita præteritum illud interpretandum est, quem sensum latinè verbum præsentis temporis exprimit, quod aliquando omne tempus complectitur, sicut quādo dicimus, auaritia excæcat mentem, non solum præsens, sed quodcunq; significamus tempus. In hoc autem fallum protulerunt; nusquam enim in scriptura reperitur non futurum prophetam de Galilæa, quamuis nullus fuisse legatur: nec argumentum valet, hoc scriptura non dicit futurum; ergo non erit: non enim omnia quæ futura sunt, scriptura prædixit. Verbum autem surgendi, de insignibus viris solet in scri-
B
C

ptura vsurpari. Matth. 11. Non surrexit maior Ioanne. Luc. 7. Propheta magnus surrexit in nobis. Deut. 13. Si surrexerit in medio tui propheta. Perpende autem quanto miseri Iudæi odio Christum prosequabantur, vt cū tot, ac tanta miracula ediderit, quanta nemo edit Prophetarum, nec nomen simplicis prophetæ ei tribuebant; quod Euangelista significans prophetam sine articulo poluit. Recentiorum aliqui annotant hos Iudæos falsa protulisse, quia prophetæ aliqui Galilæi extiterunt, vt Thobias, Elisæus, & Delbora: tamen hæc obiectio efficax non est; nam Thobias in Hebræorum canone non est; Delboram autem fuisse Galilæam, scriptura non exprimit, immo ex Iudi. 4. contrarium deducitur; Elisæum autem fuisse ex Abelmeola ostendit scriptura 3. Reg. 19. at hæc Ciuitas non ad Galilæam, sed ad Samariam pertinebat, erat enim in monte Aulone sita in finibus mediæ tribus Manasses, vt constat ex terræ sanctæ descriptione. Vnde in hac parte nihil contra scripturam isti Iudæi locuti sunt; in hoc tamen sunt grauiter decepti; nam Christus natus est in Iudæa, quamuis nutritus esset in Galilæa, de quo mysterio cap. 1. prope finem egimus.

Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.

C O M M E N T A R I V S.

MVLTVM potest verbum iustitiæ, & veritatis, etiā ab vno inter multos malos prolatum. Ecce breuis Nicodemi fermo totum dissoluit consilium impiorum; & quamuis non effecit vt mutarent, tamen obtinuit, vt differrent sententiam; re enim infecta, vnusquisque in domum recessit propriam. Hæc verba cum sequentibus in capitulo octauo vsque ad illa, Ego sum lux mundi, Chryso. non interpretatur, sed omittenda censet. similiter & Euth. vnde statim post verbum illud, *A Galilæa Propheta non surgit*, sequitur, *Iterum locutus est Iesus, Ego sum lux mundi, &c.* id tamen quā rectè faciunt in sequenti capite, annotatione altera tractabitur.



IESVS autem perrexit in montem Oliueti: & dilutulo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribae, & Pharifæi mulierē in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis, qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, vnus post vnum exhibant, incipientes à senioribus. & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autem se IESVS dixit ei, Mulier vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit. Quæ dixit, Nemo Domine: Dixit autem Iesus, Nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens, Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo Pharifæi, Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis, Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio vnde veni, & quò vado: Vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam: & si iudico ego, iudicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Dicebant ergo ei, Vbi est Pater tuus? Respondit IESVS: Neque me scitis, neque Patrem meum si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est IESVS, in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. Dixit ergo iterum eis IESVS, Ego vado & quaeritis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado vos non potestis venire. Dicebat ergo Iudæi: Nūquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego vado, vos nō potestis venire? Et dicebat eis, Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei, Tu quis es? Dixit eis IESVS, Principium, qui & loquor vobis: Multa habeo de vobis loqui, & iudicare: sed qui me misit verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis IESVS, Cū exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit mecum est, & non reliquit me solum quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo IESVS ad eos, qui crediderunt ei Iudæos, Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis: & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, & nemini seruimus vnquam, quomodo iudicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus, Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis, sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem loquor; & vos quæ vidistis apud patrem vestrum

uestrum facitis. Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit ei Iesus, Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem queritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei, Nos ex formatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus, Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni; sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicidia erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu; & demonium habes? Respondit Iesus, Ego demonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quero gloriam meam: est qui querat & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servauerit, mortem non videbit in aeternum. Dixerunt ergo Iudæi: nunc cognouimus quia demonium habes. Abraham mortuus est, & Propheta: & tu dicis, Si quis sermonem meum servauerit, non gustabit mortem in aeternum. Nonquid tu maior es Patre nostro Abraham? qui mortuus est, & Propheta mortui sunt, Quem te ipsum facis? Respondit Iesus, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, Quia Deus vester est, & non cognouistis eum, ego autem novi eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: & vidit, & gaudisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiit de templo.

Iesus autem

Iesus autem perrexit in montem Oliueti: & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

COMMENTARIVS.

A Beunte vnoquoque in suam domum, vti dictum est in fine capitis præcedentis (erat enim iam diei terminus) Dominus propria carens domo, & à nemine inuitatus, in montem Oliueti egressus est, ibi autem pernoctans, diluculo venit iterum in templum, hominum salutem esuriens: cumque populus doctrina eius mirè allectus, ad eum veniret, *Sedens eos docebat*. Modò Christus stans, modò sedens docet; nam superius magno festiuitatis die, stabat Iesus & clamabat; modò autem sedens docet, quando enim aliquid vehementer, & insolita voce proferendum erat, stabat; vt modò solet inter nos fieri.

ANNOTATIO I.

MONS Oliueti à multitudine oliuarum sic appellatus est, Græcè mons Oliuarum dicitur; propè Hierusalem erat, distans Sabbati iter; id est, quantum Iudæis in Sabbato licebat ambulare, seu viam facere, quod erat spatium duorum milliariū Italicorum, seu sexdecim stadiorum. situs erat ad orientalem ciuitatis partem, ad cuius terminos inter ipsum, & ciuitatem erat torrens Cedron, ad latus autem Bethania domus Marthæ, & Mariæ collocata erat. Hunc in montem Dominus sæpè veniebat; tum vt oraret; tum propter domum Marthæ, & Mariæ, quæ eum hospitio excipiebant. Euthymius hunc populum venientem illos esse dicit, qui eum aut Prophetam, aut Christum esse credebant. hos Dominus recipit, & docet. Fieri etiam potuit, multos ex aduersarijs etiam concurrisse. Populi diligentia, siue ad bonum, siue ad malum, est consideranda; venit enim diluculo Christum venientem obseruans.

ANNOTATIO II.

EVthym. à verbis illis vltimis capitis præcedentis inclusuè, *Abijt vnusquisque in domum suam, vsque ad illa exclusuè, iterum ergo locutus est eis Iesus: Ego sum lux mundi*: dicit in exactioribus exemplaribus, aut non inueniri, aut obelo confossa esse, eoque illegitima videri; & huius esse argumētum, quod nullus ea sit interpretatus. Huic assentiri viderur Chrysostr. ho. 51. & Theophyla. qui in suis commentarijs hæc omnia omiserunt. Hoc argumento permoti Anabaptistæ inter alia multa, quæ temerè à Sanctis scripturis, hanc etiam reiecerunt de adultera historiam. Videtur Eusebij testimonium huic fauere; qui libr. 3. Histor. cap. 39. loquens de Papiæ Ioannis ipsius auditore, hæc subiunxit verba. Papias historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est à Iudæis apud Dominum: habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundum Hebræos, scripta hæc parabola. Quæ verba ostendunt non solum Papiæ temporibus, sed multo post non fuisse in Ioannis Evangelio, hanc

A historiam; sed in Evangelio quodam apocrypho, secundum Hebræos. Non desunt etiam nunc Catholici, qui eandem secuti sententiā, apocrypham, ceterent historiam; alij autem cautiùs loquentes, affirmant additam fuisse Ioannis Evangelio, sed postea receptam ab Ecclesia factam canonicam; hæc tamen contentio nostro iam tempore inter Catholicos cessauit. Concilium enim Tridentinum libros omnes Canonicos, & inter eos Ioannem cum cæteris Euangelistis enumerans, habet hæc verba:

B Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, anathema sit. Liber igitur Ioannis integer, prout in conlucta editione Latina habetur, sacer est & canonicus; igitur hæc historia canonica est ceterenda; nec hoc solum sequitur, sed esse partem historię Evangelicę Ioannis. nam Ecclesia Euangelium hoc Ioannis cum hac historia tanquam Euangelij parte proponit, & recipit. nec hoc etiam sine antiquitatis testimonio affirmamus; nam antiqui Patres ita legerunt, & probauerunt. Ambr. epist. 76. ad studium, totam hanc historiam interpretatur, affirmans esse ex Evangelio secundum Ioannem, immò eam etiam celebrem historiam vocat. Celebris, inquit, quæstio, & semper decantata solutio. Idem in epist. 58. ad eundem. Hieronymus etiam libr. 2. cont. Pelagia. habet hæc verba, In Evangelio secundum Ioannem, in multis & Græcis, & Latinis codicibus, inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum, &c. vbi Hieronymus totam historiam narrat, & vtitur eo testimonio contra Pelagianos, affirmamus aliquos esse posse sine peccato. quod si Hieronymus asserit, in multis esse codicibus, insinuans in aliquibus non esse; non id facit, quod in dubium vertat esse Ioannis historiam; sed ne aliquis de ea dubitet, dum eam in aliquibus non reperit legi: propterea dicit, in multis tam Græcis, quam Latinis reperiri; vt certum sit veram esse, & legitimam. Et vtitur hoc testi-

Historia de adultera per tines ad Ioannis Evangelium.

monio, tanquam legitimo. Augustinus etiam tractat. 33. eam exponit, sicut & ceteras partes Euangelij, nec in dubium vllum reuocat. Similiter Sedulius antiquior ipso libr. 4. de opere Paschali hanc versibus tanquam Euangelicam historiam decantat. Chryso. etiam, qui visus est non exposuisse, postea ho. 60. in Ioannem habet hæc verba. Quod autem non discendi gratia interrogent, multis in locis perspicuum est; vt cum rogârunt, an liceret censum dare Cæsari; an lapidanda esset adultera; & cum de ea, quæ septem viros habuisse deprehensa erat, percontati sunt. Vides Chryso- stomum inter exempla ex Euangelio sumpta, hoc numerasse, vt probabile sit Chryso- stomi hanc commentarij partem ablatam esse ab aliquo, qui apocrypham eam credebat historiam. Idem sentit Gregor. libr. 1. Moral. capit.

A 6. Illud autem quod de Eusebio narratur, in primis in Eusebio talia verba vt citata sunt, non leguntur Græcè, sed in hunc sensum; In lucem protulit & aliam historiam de muliere accusata apud Dominum de multis peccatis, quam continet Euangelium secundum Hebræos, hæc sunt verba Eusebij de Papiæ loquentis. Alia igitur erat illa Historia Papiæ ab hac Ioannis; nam vnus peccati hæc adultera accusata est. Adde non esse efficax argumentum, hæc historia est in Euangelio secundum Hebræos, ergo est apocrypha: nam multa in Euangelij apocryphis narrantur, quæ communia etiam sunt canonicis Euangelij ab Ecclesia receptis, & hæc historia vnum horum esse potuit. non igitur de huius veritate historię, & quod sit Canonica, & quod à Ioanne narrata, dubitare licet Catholico.

Adducunt autem Scribæ, & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dicunt ei.

COMMENTARIUS.

Scribæ legisperitiam, Pharisei legis & religionis obseruantiam, profitentur. Vtrique simul veniunt, vt illi scientiam, hi Christi religionem tentent: vna enim hæc causa vtrunque complectebatur. Turbæ veniunt, vt discant; Scribæ & Pharisei, vt decipiant; illæ docentur, & illuminantur, hi confusi, & pudore affecti recedunt.

Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis?

Magistri nomine eum ad respondendum inuitât, quasi Magistri muneris sit respondere difficultatibus, quæ circa legem & scripturam occurrunt. Quid Moyses de adulteris statuerit, proponunt; quid autem ipse sentiat faciendum inquirunt. At non immeritò aliquis percontabitur, cum ipsi fateantur Moysen huiusmodi adulteram lapidare præcepisse, quare petunt. *Tu quid dicis?* si enim id facerent, vt Christus aliquid contra legem Moysis diceret vnde arguere eum possent, potius tacere, quid Moyses dixerit, debuerant; sic enim facilius aliquid contra legem ipsius dici posse sperarent. Respondeo, hos eo esse motos, quia iam Christum legem Moysis declarantem viderant: nam opera sua, quibus infirmis mirè medebatur, Sabbato fieri posse non minus, quam circumcisionem, nec per legem hæc illam solui dicebat; sperabât etiam in hoc casu aliquid circa legem dicturum; maximè, quia de saluanda foemina, aut occidenda agebatur. vnde ipsi etiam calumniandi ansam arriperent; & hoc indicant illa verba *Tu ergo*: est enim tacita quædam illatio; ac si dicerent; tu legem Moysis declaras & limitas; tu Christus esse diceris: cum ergo hæc facias, in hoc casu quid sentias, doce & manifesta. Græcè *Modò deprehendimus*, id est, in ipso facto deprehensa est.

ANNOTATIO III.

*Quali pena olim apud Iudeos adu-
ri plesteren-
tur.*

Legem hanc de adulteris interficiendis, Leui. 20. & Deuter. 22. legimus; tamen mortis genus nempe lapidationem Iudæi ex quadam consequentia, simul etiam traditione obseruabant: expressum enim non est hoc mor-

Ctis genus, sed Deuter. 22. vbi Dominus adulterum, & adulteram interfici iubet, adiunxit. Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam

tam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur. **A** obseruasse, & ex traditione legem interpretatos esse, patet ex Dan. ca. 13. vbi Susanna tanquam adultera, lapidanda educebatur.

Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.

COMMENTARIUS.

Fixerant discendi gratia se interrogare, & sententiam eius petere, at non sic erat; tentandi enim gratia veniebant, sperantes aliquid dicturum, quod rigorem legis temperaret, vnde accusare tanquam transgressorem possent. Quid autem his persuaserit, vt aliquid tale responsurum Dominum sperarent, in præcedenti commentario diximus; nempe quia iam in his, quæ ad sanitates hominum procurandas, & exercendas pertinebant, eum legem Sabbati declarasse viderant; eum quæ nouam adferre doctrinam nouerant; sperabant aliquid etiam noui in hoc casu, vbi de vita adulteræ agebatur, dicturum & docturum.

ANNOTATIO IV.

Quo animo Iudæi adulteram ad Christum aduenerint.

AVG. tract. 33. & Euthym. hos dicunt ad tentandum eo esse motos, quia Christum multum misericordem & clementem sciebant; inde huic adulteræ parciturum cogitabant: quæ causa non videtur probabilis, sola enim misericordia, & compassio, non eos induisset ad tentandum, quia sciebant esse etiam iustum, & nihil responsurum contra iustitiam. sicut & modò, quamuis homo sit misericors, si verè misericors est, non committet, quod iniustum est; misericordia enim cum iustitia simul esse debet, nec à misericordie & clemente, iniustitia expectanda est. Adde hos à Christo non postulasse iudicium, vt parceret aut damnaret; sed quid sentiret circa hanc legis obseruantiam: potius expectabant aliquid, quod legis rigorem, aut obseruantiam temperaret, dicturum: & hoc, quia iam nouerant legem etiam in alijs casibus temperasse, & ijs

B maximè, quæ ad sanitatem & salutem pertinent humanam, & simul quia nouam doctrinam adferebat, & se Christum prædicabat; Gregorius lib. 1. Moral. ca. 6. dicit eos tentasse, vt aut immanis uetudinis, si damnaret, aut iniustitiæ, si dimitteret, arguerent. sed non video, qua ratione hoc accommodari possit; isti enim tentabant, vt accusarent contra legem, & vt legis transgressorem, morti traderent; at immanis uetudo hæc non erat tale crimen; immo nec erat immanis uetudo censenda, si legem seruandam respondisset. Non ergo hoc isti intendere videbantur. Ambrosius Epi. 58. & 76. dicit tentasse, vt si absolueret, legem soluisse videretur; si damnaret, propositum sui mutaret aduentus. sed eadem ratione ista responsio non videtur locum habere, potius ergo dicendum est, vti exposuimus.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

COMMENTARIUS.

Dominus non verbis, sed facto ipso, eos non zelo legis, nec ad interrogandum nec ad iudiciū legis, in adulteram exequendum motos esse respondet: dum enim, *inclinans se digito scribebat in terra*, illos legis esse transgressores, & cor eorum à Deo recessisse significat, alludens ad illud Hier. 17. Recedentes à te in terra scribebuntur. hoc ergo factum idem est, ac si verbis dixisset, Vos accusatis mulierem deprehensam in adulterio, qui profecto maiora scelera commisit: vos zelum legis & Dei prætexitis, qui grauius contra legem & Deum quam hæc mulier, peccatis. Cum autem factum non intelligerent, verbis postea expressit, vt statim sequitur. Cetera ex annotatione require.

ANNOTATIO V.

Quo Dominus scribere voluerit.

CVR Dominus scripserit, & quid scripserit, variè explicant Doctores. Quantum igitur ad primum, nempe causam cur scripserit. Aug. lib. 4. de consen. Euang. cap. 10. tres adfert causas. Prima est, vt significaret illos in terra scribendos, non in cælo; sicut discipulis dixerat Luc. 12. Nomina vestra scripta sunt in cælis. Secunda, vt ostenderet, se in ser-

Dra miracula facere, quia cum Deus esset, se humiliauit, vt homo fieret; miracula enim quædam signa sunt, quæ in terra fiunt. Tertia, vt indicaret iam adesse tempus, vt in terra, quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut ante, lex eius conscriberetur. Hanc causam dat tract. 33. adiungens etiam significare voluisse, se eundem illum esse, qui legem digito scrip-

scripserat in tabulis, non autem sic nouam scribendam, sed in terra fructifera. Hæc sunt causas ex Augustino.

Ambrosius Epist. 76. ad Studium, duas adfert causas: prior est, Scribebat, inquit, in terra digito; quo scripserat legem peccatores in terra scribuntur, iusti in cælo. His verbis Ambrosius indicat causam, cur scripserit, ut eos nempe peccatores & transgressores significaret. Similem indicat causam in Epi. 58. Altera causa est, Scripsit, inquit, ut gemino testamento Iudæos scias esse damnatos. Euthymi dicit scripsisse, ut se nolle attendere indicaret, tanquam qui eorum cognosceret machinationem; dicitque eos, qui indigna & importuna rogantibus respondere nolunt, solitos esse scribere in terra. Hæc Euthymius; sed hanc consuetudinem nullibi me legere memini. Aliqui nostri seculi scriptores Dominum scripsisse dicunt, ut ad se iudicium hoc non pertinere monstraret, sed non video, cur hoc scriptura tali fieri debuisset. Alij quia verecundabantur ex adulteræ præsentia, sed hæc non est probanda; nam solus postea cum ea locutus est, & eam absoluit; nec cum peccatoribus conuersari, ut eos lucraretur, dedignatus est Christus, qui etiam passus est pedes suos à muliere peccatrice vngi.

Mihi ea causa videtur, quam explicui in commentario, nempe, ut eos esse legis transgressores indicaret, alludens ad locum Hieremiæ; & simileos, non Deum ante oculos habere, sed terrena, & propriam sequi voluntatem, ac si diceret; quæ terrena sunt cogitatis, nec

Deum ante oculos in vestris iudicijs, & operibus habetis; quamuis id fingatis, & prætexatis, hæc est causa scribendi.

Sed quid scripserit, Doctores variè exponunt. Hiero. lib. 2. con. Pelagia. habet hæc verba. Accusabant scribæ, & Pharisæi, iuxta legem adulteram lapidare cupientes; at Iesus inclinans se, digito scribebat in terra, eorum, videlicet, qui accusabant, & omnium peccata mortalium, secundum quod scriptum est in Propheta; Recedentes à te, in terra scribentur. hæc Hieronymus, quibus etiam verbis nostra expositio, de causa cur scripserit, insinuat. Ambr. epist. 56. quid inquit, scribebat, nisi illud propheticum Hier. 22. Terra, terra scribe hos viros abdicatos, quod de Iechonia lectum est. In Epist. autem 79. etiam alia scripsisse narrat. nempe festucam quæ in oculo fratris tui est, vides, trabem vero, quæ in oculo tuo est, non vides. Nihil tam certi, quid scripserit, statui potest. Litteras scripsisse etiam significantes, probabile est; & quæ ad eorum arguenda peccata pertinebant: aut sententiam aliquam, quæ contra peccatores esset. Huic fauet, quod in aliquibus textibus Græcis habetur, hoc digito scribebat in terra, *ἡν ἠπορεύθη*. id est, non fingens, quia verè scribebat & significabat aliqua. Quidquid de hoc sit, id certè negari non potest nempe illos non propter ea, quæ scripta erant, aufugisse sed propter verbum dictum eis: nam Euangelista subiunxit, *Audientes hæc unus post alium abiit*, quod probat, non propter scripturam, quæ non auditur, sed propter verbū recessisse.

Quid scripserit in terra Dominum.

Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis, qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat.

COMMENTARIUS.

FACTVM Christi non intelligentes, & studio tentandi solliciti, interrogare perseverabant; at Dominus factum suum verbis exprimit, & ita prudenter respondet, ut & legem non offendat, & potentiam, quam supra legem habebat, mulierem absoluendo exercent. Si enim diceret absoluendam, contra legem illis visus esset agere: si diceret damnandam, nihil supra hominem se habere significaret: vtrumque igitur sapienter coniunxit. *Qui*, inquit, *est vestrum sine peccato, lapidem primus in eam mittat*. Non verat exprèsse mittere lapidem, & idè non habent aduersarij, quod accusent; sed eum, qui sine peccato est incipere iubet, & nemo audeat lapidare. Absoluitur mulier, & lex non laeditur Moysis.

ANNOTATIO VI.

GREGORIVS lib. 1. Moral. cap. 6. & August. tract. 33. ad mansuetudinem referunt hoc & clementiam, quam voluit seruare. mihi magis ad sensum accedere videtur, ut ad potentiam referamus: voluit enim se supra legem esse ostendere: nam liberare adulteram à legis pœna, misericordiæ quidem est, sed plus habet potestatis, illud, *Sine peccato*, Græcè vnum est nomen *ἀνομιαν*, latinè Sine peccato, sicut censet Hier. li. 2. contra Pelagia. seu

à peccato immunis. quod dupliciter intelligitur, aut qui sine peccato nunc est, aut qui ita purus est, ut nequeat peccare. & hæc est, propria significatio apud Græcos, quasi latinè impeccabilis, & qui peccatis non est obnoxius. Et sic Hier. videtur exponere, & Buthy. tamen hoc loco existimo priori modo sumi. volebat enim Dominus eos confundere, qui cum sceleribus & iniquitatibus pleni essent, & zelum legis contra foeminam vnus peccati causa prætex-

Prætexebant: indegens enim est, ut legis transgressor iudicet alium transgressorem, maxime leuiorem, esse autem obnoxium peccato, dummodo merus homo sit, non habet hanc indecentiam, & incongruitatem. iusti enim omnes obnoxij sunt peccato. Inuenitur etiam

apud Græcos hoc nomen in ea significatione, ut significet purum, & qui de præsentia peccatum non habet: si enim in ea significatione sumeretur, ut significaret impeccabilem, nemo hominum iuste alium iudicaret; quod Dominus his verbis significare noluit.

Et iterum se inclinans, scribebat in terram.

COMMENTARIUS.

At verecundiæ, & confusio locum, ut accusatores ab eundi spatium habeant, dum vnusquisque propriam respicit conscientiam. hac enim de causa iterum se inclinans, ut annotat Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, & Aug. tracta. 33. Probabile est etiam id factum esse secundò, ut causam, quam supra in commentario attulimus, verbis iam expositam, & à Iudæis, ob id perceptam confirmaret.

Audientes autem hæc, unus post unum exhibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

Hæc auditis verbis recesserunt singuli, incipientes à senioribus vsq; ad vltimos, nec vnus remansit præter Dominum, & mulierem in medio stantem, vbi prius posita erat. In nonnullis Græcis codicibus habetur, *Redarguit à conscientia propria*. Hanc fugam non verbum tantum exterius, sed virtus diuina Christi ipsorum excitans conscientias, & timorem, ac pudorem incutiens, operata est. Ambrosius epist. 58. cur seniores primi exierint causam exponit. Vel quod ipsi, inquit, plura haberent crimina, qui diu vixerat; vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores, & coeperunt sua peccata deslere, qui alieni criminis venerant accusatores.

Erigens autem se Iesus dixit ei; mulier vbi sunt, qui te accusabant, nemo te condemnauit?

Recedentibus accusatoribus, erigit se Dominus, & petit; non quia ignoret, sed ut modum, quo eam liberam pronuntiet, ostendat. Liberatur enim non quia non peccauerat, sed quia accusator deerat, ut rectè annotauit Ambrosius epistola 76. ut nullam inde Iudæi accusandi Christum haberent occasionem; immò in eos potius accusatio posset retorqueri, qui priores liberam dimiserant. Dicit ergo, *Vbi sunt, qui te accusabant?* id est, ecce nemo te accusat, nemo te condemnat.

Quæ dixit, nemo Domine: dixit autem Iesus, nec ego te condemnabo, vade, & iam amplius noli peccare.

Respondente muliere, neminem adesse accusatorè, neminè qui damnet: dicit Dominus prudenter. *Nec ego te condemnabo*. non dicit ego te absoluo, ne illi contra legem fecisse arguere possent: sed re eandem alijs exprimit verbis, *Nec ego te condemnabo*. non ut illi qui propria remordente conscientia, iudiciū ferre non sustinuerunt; sed diuina mea misericordia, & simul potètia, quam supra legem exerceo, nec legis Mosaicæ præceptis istis adstringor. At hæc indulgentia tibi sit licètia peccandi, vade quidem libera à pœna, sed deinceps à peccato abstine, & pœnam mortis in vitæ tuæ emendationem, mea potestate cõmuto. Dū dicit *Noli*, voluntatis illius arbitrium indicat. Aduerte, quamuis Christus his vsus sit verbis, *Nec ego te condemnabo*, tamen verè absoluit, & id indicauit, dicens, *Vade*, quod diuina potestate fecit; non enim liberū erat Iudæis dispensare in pœnis, à lege Moysis statutis: Dominus autè dispensat; at ne occasione arriperent Iudæi accusandi, ex verbis; propterea sic locutus est,

tus est, vt simul absolueret, & nullam accusandi daret occasionem; ostenderetque suam potentiam, & nihil inde contra legem dicere videretur. Leo ferm. ii. de passione Domini; Volens, inquit, per omnia demonstrare, non venisse vt iudicet, sed vt saluet mundum, dixit, *Nec ego te condemnabo.*

Iterum ergo locutus est eis Iesus dicens, ego sum lux mundi.

In dēcorum tentatione peracta Dominus doctrinam suam persequitur: particula autem *Ergo*, causam & illationem indicat, nimirum; cum post mirā illam doctrinam, si quis sitit veniat ad me, quam die præcedenti docuerat, & turbas ita commouerat, vt alij Prophetam, alij Christum esse proclamauerint: Pharisei autem, & scribæ, & principes Sacerdotum id negauerint, dicentes esse Galilæum, nec à Galilæa Prophetā surgere; propterea in hac varietate, & dissensione, quis sit, apertè docet dicens, *Ego sum lux mundi*, non Iudæ, non Galilæe, non Palestine, sed mūdi totius. quibus verbis significat omnes, quotquot ipsum non confitentur, esse in errore, & ignorātia: doctrinam autem suam veram esse lucem Dei. In capite primo hanc exposuimus sententiam ibi, *Erāt lux vera, quæ illuminat omnem hominē*, erat Christus, & est, vt Deus, lux; tamen hoc in loco de se, vt in carne est, loquitur; in quam, doctrina sua mundum illuminaturus, venit: lux tamen mundi non esset in carne, nisi Deus esset in seipso.

Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Doctorem se ostendit dicens, *Ego sum lux mundi*, nunc & ad doctrinam exhortatur, *Qui sequitur*, inquit, *me, non ambulat in tenebris*: & fructū proponit, quo allicit, *Habebit lumen vitæ*. sensus igitur est hic; qui me nō sequitur, in tenebris ambulat, nescientes æternæ vitæ viam, quia alia non est lux præter me; solus is, qui me sequitur, ambulat in luce, & lumen habet vitæ, quo cognoscat viam, quæ ad æternam conducit vitam. Ignorantia Christi tenebræ sunt mortis, quia in æternam mortis damnationem conducunt; ipsius cognitio, & fides, & sequela ad vitam perducit æternam. Dum enim dicit, *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, insinuat omnes nō sequentes in tenebris ambulare. quantacunq; enim homo bona moralia operetur, si deest lumen fidei, in tenebris ambulat; qui autem sequitur Christum bene operando in fide, in lumine ambulat, & in via est æternæ vitæ. Cyprianus libr. de zelo, & liuore, hæc exponens verba, inquit; qui me secutus fuerit, nō ambulabit in tenebris, sed habebit lumē vitæ. sequitur autem Christum, qui præceptis eius insistit; qui per magisterij eius viam graditur; qui vestigia eius, atque itinera sectatur; qui id, quod Christus, & fecit, & docuit, imitatur. hæc Cyprianus.

Dixerunt ergo ei Pharisei, tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.

Multa signa fecerat Dominus apud Iudæos: scripturæ enim testimonijs eos conuicerat; in seipsis illi diuinam experiebantur virtutem, dum omnes suos contra illum conatus irritos, vanosque effectos cernebant: ministros proprios testimonium reddentes intrepidè, nunquam sic locutum esse hominem, audierant; se in adulteræ iudicio omninò confusos, & conuictos nouerant; & tamen impudenter obijciunt, *Tu de teipso testimonium perhibes*, ideo *Testimonium tuum non est verum*, id est, idoneum ad veritatem confirmandam, quasi paralyticus ille natura insanabilis, non fuerit testimonium efficax diuinitatis Christi probandæ. Tanta erat horum nequitia, vt in media luce cæcutirent. Hæc particula *Ergo*, indicat propter verba illa superiora hos ista dixisse; quia nempe se mundi lucem esse prædicabat, propterea Pharisei hæc obijciunt. Hi erant, qui religionis obseruantiam profitebantur; ideo ipsi religionem zelantes, hæc dicunt.

Respon-

Respondit Iesus, & dixit eis, & si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde veni, & quò vado: vos autem nescitis, unde venio, & qui vado.

Hic obiectioni respōdet Dominus duo. Alterum est, obiectioni factæ cōtraria opponit, *Et si ego*, inquit, *testimonium perhibeo de meipso, verū est testimonium meum*, id est, quamuis verum sit me testimonium perhibere de me ipso, tamē verum est testimonium meum. Alterum est probatio huius assertionis: probat enim testimonium suum verum esse, & probatio hæc est, *Quia ego scio unde veni, & quò vado*, id est, ego testimoniū perhibeo ex sciētia, nō ex ignorantia, non ex opinione, non ex auditu; certa & experta loquor. Attēde hæc verba, *Scio unde veni, & quò vado*, idē significare, ac si diceret; principium, & rationem mei aduentus scio, & quia hæc scio, propterea dico me lucem esse mundi. Scio enim me esse Dei filium, qui carnem sumpsi, vt hominibus viam salutis facerem, eosque docerem: si enim talis non essem, nō lux mundi essem, at sum talis; & quia scio me talem, propterea testificor, & verum est meum testimoniū, quia ex sciētia loquor; at vos nescitis hæc, nec quis sum, nec mei aduentus institutum & rationem, propterea meum nō accipitis testimoniū. Verba hæc similia sunt illis, Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, tamē nescis vnde venit, aut quo vadit. id est, spiritum ignoras, & operum suorum institutum & rationem nescis. Modus enim locutionis est, quo significat se scire quis ipse sit, & sui aduentus rationem; illos autē vtrumque ignorare. Attēde testimonium dici verū dupliciter, vno modo quantum ad veritatē rei, quia ita est vt dicitur; altero modo, quantum ad qualitatem, vt sit idoneū & dignum fide; & hac ratione non omne quod verū est, idoneum est. Christus igitur dicit, testimonium suum esse verum, quantum ad vtrumque ex parte sua, quia ex scientia est, & quia filius Dei est omni dignus fide; tamen defectus est ex parte eorum, quia nesciunt vnde veniat, aut quò vadat, & ea de causa non admittunt eius testimonium; quia de se testificanti non credunt, nisi adsint testimonia; propterea ergo Dominus persequitur probare, & adferre testimonia.

Testimoniū
fit verū
dubium
modis.

*Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam
& si ego iudico, iudicium meum verum est.*

Persequitur probare suum testimonium esse verum, & idoneum; & differentiam inter se, & eos ponit. *Vos*, inquit, *secundum carnē iudicatis*, id est, secundum sensus, & ea, quæ apparent exterius; ex his enim exterioribus hominum sumit argumentum, & iudicium, quo discernit vnum ab altero; & quis sit vnusquisque dignoscit. i. Reg. 16. Non iuxta intuitū hominis ego iudico; homo enim videt ea quæ apparēt; Dominus autem intuetur cor. Isa. 11. Non secundum visionem oculorum iudicabit: neque secundum auditum aurium arguet. hæc hominis sunt, & hoc est secundum carnem iudicare. Vos igitur secundum carnem iudicatis, supplēdum est, ideo vestrum testimonium nō semper est verum, nec idoneum; ob id etiam nō accipitis testimonium vnus; at ego nō iudico, nec ista iudicia exercere veni, sed homines saluare, & à peccato liberare. quod si iudico, nempe, dum me ipsum profero testimonium, me esse Christum, & lucem mundi, meum testimonium est verum, & idoneum; non vt vestrum, quia non carnaliter iudico, sed secundum naturam diuinam, in qua solus non sum, sed ego, & Pater. Hæc ad verba sequentia pertinent, hic tamen est sensus.

EVTHYM. & Chrysoft. hō. 51. *Non iudico quemquam*, exponunt, & connectunt multo aliter nempe sic: Ego non damno vllū, quia non veni iudicare mundum, & connexio hæc est: vos carnaliter, & crasso modo iudicatis, secundum ea quæ sensibus apparent. At quia poterant dicere Iudæi cur ergo non arguis nos, & damnas, quod sic iudicemus? huic tacitæ objectioni respondet, quia non iudicare, nec dānare nunc veni. Sed dura est expositio, & connexio: nō. n. tacitæ objectioni respondendum est, nisi sit probabilis, & verisimilis: at improbabile erat Iudæos id obijcere voluisse, cur nos non damnas? cū nihil tale cogitarent. Adde quod non vitio dat, quod secundum carnem iudicent, sed differentiam ponit inter hominum iudicium & suum. Illi enim secundū sensuum cognitionem iudicant, cognitio nis originem à sensibus sumentes, at ipse non sic, sed secundum diuinam naturam, & cognitionem. nec iudicium hoc sumitur pro damnatione, sed generaliter pro iudicio etiam discretione: quo vnum, ab alio discernimus; & vnum bonum, alium non talem iudicamus, siue bene, siue malè, siue rationabiliter, siue temerè id fiat. Humana ergo iudicia secundū carnem fiunt, quia ex sensibus sumuntur, tanquam ex origine: & loquimur de iudicij pra-

dicis, quæ circa res humanas, & personas fiunt: Christus autem dicitur neminem iudicare, quia non venit, vt in homines hæc iudicia faceret, & vnū ab alio discerneret, & quis esset declararet: omnes enim erant peccatores, venit autem, vt omnes saluaret: ipsi se discernunt, dum hi salutem accipiunt, hi repellunt.

Sensus igitur & connexio accommodatior est, vti in commentario diximus, Vos iudicatis secundum carnem, at ego non iudico homines, nec personas; quia non veni, ad hoc, quod si me ipsum iudico, testimonium præbendo me esse lucem, id non secundum carnem iudico, sed secundum diuinam naturam, & meum est testimonium verum, & omni dignum fide. Tertullianus libr. de Trinitate illud, *Vos secundum carnem iudicatis*, coniungit superioribus, & interpretatur sic: Vos non aliam in me naturam, & natiuitatem cognoscitis, quam quæ secundum carnem est, idē nescitis vnde venio, aut quō vado; & iuxta hanc expositionem possimus quæ sequuntur interpretari: ego non veni iudicare vos, neq; iudico, tamen si iudicarem meum iudicium esset verum, & idoneum: non vt vestrum non est improbabilis interpretatio hæc, accommodatior tamen videtur, quam adhibui in commentario.

Quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater.

COMMENTARIUS.

Rationem, & causam, cur eius iudicium sit verum, exponit. Quia, quādo iudico, non est vnus iudicium, sed duorum, nempe patris, & meum; & etiam secundum vestram legem duorum testimonium verū est. Hoc dicit Dominus propter Iudæos, vt ex lege conuincat etiam suum testimoniū verum, & idoneum esse. Deindè, vt ostendat se esse Deum, eiusdem substantiæ cum Patre, ac si diceret, meum testimonium verum est, quia secundum naturam iudico, in qua ego, & Pater vnum sumus. Rursus, vt ostendat se patris habere testimonium. Denique, vt occasionem accipiat de sua diuinitate testandi, dum meminit patris. Tamen vis rationis, & probationis in se hæc est. Iudicium meum verum est; quia secundum naturam iudico diuinam; in hac autem non solus sum, sed simul pater; & in hoc etiam verum & idoneum est testimonium, cū sit duorum.

Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est; ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

Confirmat propter illos sententiam testimonio scripturæ Deut. 17. & 19. In ore duorum, vel trium, stet omne verbum. Ecce duo sumus, ego & Pater, & tam ego, quam Pater, de me ipso testimonium perhibemus. Obijcet aliquis; illud Deut. intelligitur de duobus testibus, nō computato eo de quo redditur testimonium; Si enim ego testor rem aliquā de me, mihi necesse est duos alios adferre testes. Respondeo ita esse, propterea intelligenda sunt ista sic. Christus enim erat & homo, & Deus; ratione diuinitatis, per opera ipsius diui-

lius diuinitatis propria reddebat testimonium de se homine, probando sub illa humanitate Deum latere. si enim opera sola humana fecisset, tunc non computaretur in testimonium, & hac ratione dictum est cap. 5. Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum: id est, si vt homo solus, & humanis operibus de me testor, testimonium meum idoneum non est; at quia operibus alijs diuinis testabatur de se, ideo in testem computatur; non quod duæ sint personæ; vna enim est in duplici natura; sed quod de se homine ipsemet, vt Deus, testificetur: & hoc est, quod nunc dicit. Vnde Tertul. lib. de Trinit. hoc verbum, *Testimonium meum verum est*, Christo tribuit ratione diuinitatis: quia igitur, vt Deus loquebatur dicit, *In lege vestra scriptum est*, quod vt magis innotescat, sit exemplum si quis aliquid affirmet de se, nec alio probet, quam auctoritate dicentis, de se testimonium perhibet; at quādo ratione, & argumento vtitur, iam ipsa ratio in testimonium computatur, & suimet dicti testimonium per rationem probat. multo ergo magis per naturam diuinam reddebat Christus testimonium de se homine, quod in eo lateret Deus. Hic locus contra Sabellium personarum distinctionem conuincit. Cetera ex cap. 5. require, vbi de hoc testimonio, & quomodo Pater testificatus fuerit, egimus, vbi Amb. lib. 3. de fide cap. 5. allegauimus hæc verba exponentem de Christo, ratione diuinitatis de se testimonium perhibentis.

Dicebant ergo ei, vbi est Pater tuus?

FICTA & malitiosa interrogatio hæc est. Sciebant enim eum Deum appellare Patrem, iam enim Ioan. 5. audierant, & propterea interficere studebāt, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se ipsi faciēs. Vt igitur iterū id ipsum exprimat, se fingunt carnaliter, & sensualiter hæc omnia intelligere, quasi Patrem aliquem carnalem allegaret, qui simul cum eo testimoniū perhiberet; ideo vbi sit petunt, quasi ipsum audire vellent. sicut quando cæco non credentes, natum esse sine visu, patrem eius adduci ad se fecerunt. Petūt ergo, *Vbi est Pater tuus?* illa Particula *Ergo*, indicat sequelam, quasi diceret, quia non se solum, sed simul Patrem suum secum testimonium de se perhibere asseruit, propterea petunt, vbi sit pater eius: testimonium eius audire velle fingentes, vt hac occasione ad expressam confessionem inducant.

Respondit Iesus; neque me scitis, neque patrem meum, si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.

Prudenter respondet Dominus: suam enim diuinitatem, & verum patrem indicat, veritatemque rei sic aperit, vt omnes intelligant, & tamen ex verbis calumniandi occasionem nemo possit accipere: *Neque*, inquit, *me scitis, neque patrem meum.* sensus est oportebat vos prius scire me, vt me agnito patrem meum, quem mei testem vobis obtuli, nosse possētis. at vos nescitis me, nec ergo scitis patrem meum. vnde non est, cur interrogetis vbi est pater? non enim cum agnosceris, nisi prius me noscatis. Attende, cū dicit, *Neque me scitis*, aliam se naturam habere ab ea, quam illi foris videbāt, & sciebant, fatetur: quam ipsi nesciebant, non videntes, nec credentes eum esse Deum. dum autem dicit, *Neque patrem meum*, significat se secundum hanc naturam, quam nesciebant, & non credebant, habere patrē: cū ergo nescirent eum esse Deum, nesciebant etiam patrem eius. Non contentus est negatiua locutione, sed vsus est affirmatiua, *Si me sciretis, & patrem meum utique sciretis*, id est, si me quis sim sciretis credendo, utique me esse Dei filium, & me Deum habere Patrem crederetis: neque opus esset vobis interrogare, *Vbi est Pater tuus?* me enim agnito Pater simul agnoscitur. Aduerte illud *Forsitan*, non esse dubitantis, sed dictio est affirmatiua, aut orationis expletiva, vt supra adnotauimus.

*Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo,
& nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.*

*Gazophylaci-
um quid sit.*

Gazophylacium idē significat quod Latine thesauri custodia, arca erat, in qua dona populi in vsu tēpli oblata referuabatur; & porticus; seu atrium, in quo arca erat, eo nomine etiam appellabatur; vt autem ex Luc. 21. constat, erat in atrio maiori, quo foeminis ingredi licebat; nam & vidua illa minuta misit in Gazophylacium. Hoc in loco pro arca illa, quæ erat iuxta Altare, vt constat 4. Reg. 12. sumitur, vt sit sensus: Hæc locutus est Dominus dum doceret in templo in Gazophylacio, id est, iuxta Gazophylaciū, & arcā donariorum, quæ erat in atrio maiori. Potest etiam accipi pro ipso atrio. Hoc autem dictum est, vt & frequentiam hominū Euangelista significet, & Christi in prædicando libertatem: similiter etiam, & facilitatem Iudæorum ad comprehendendum eum. Facile enim in eo loco apprehendere poterat, sed nemo misit in eū manus, diuina impediēte virtute, *Quia necdū venerat hora eius.* his verbis significat Euangelista Iudæos intellexisse Christū Patrem suum Deum esse dicentem, seque lucem mundi, tanquam Dei Filium affirmantem; & cum occasionem apprehendendi, quam desiderabant, & ex verbis Christi, & ex loci commoditate haberent; nemo tamen illorum apprehendere est ausus; non quia nollent, cum id vehementer cupierint, sed quia Christus noluit, horam suam expectans.

Dixit ergo iterum eis Iesus.

CVM videret Dominus Iudæos intellexisse, quæ docebat, & tamen adhuc nolle credere, immo illos feruentiori contra eum inuidia ardere; repetit in eos verba comminatoria, quæ capite septimo contra eorum dem ministros pronuntiauerat. Notandæ sunt duæ particulae. Vna est, Ergo, hæc significat causam, propter quam Christus sententiā sequentē protulit, ac si diceret Euangelista; cum Iudæi doctrinam intellectam negligenter, maiorique eum comprehendendi cupiditate flagrarent, idcirco Christus, quæ sequuntur, adiunxit; nimirum, Ego vado, quæretis me, &c. Altera particula est *iterum*, hæc refertur ad eandem sententiā semel capite septimo pronuntiatam, quam Dominus nunc repetit.

Ego vado.

HOC est vnum ex ijs quæ capite septimo dicta sunt. Sensus est, Vanus est conatus vester, quo me comprehendere quæritis: nihil enim in me efficere potestis, nisi quod volo, & quando volo, Ecce ego vado ad Patrem per mortem, & resurrectionem meam. Sū quidem proximus morti, & recessui ad Patrem, sed quia ego volo, efficietis iam iam, quod desideratis, sed me volente, & permittente. Christus mortē suam hoc verbo frequenter significat; tum vt suam mortem voluntariam, & non vt cæterorum hominum esse in dicet, vt cum passus sit, non Iudæorum potestati, sed diuinæ dispensationi adscribatur: ipsi enim iam pridem occidissent, si potuissent; potuerunt autem, quando id eis Christus permisit; tum vt suam resurrectionem breui futuram ostendat, quia per mortem & resurrectionem ascendit ad Patrem, cuiusque vtrumque citò futurum esset, idcirco dicit, *Ego vado.*

Quæretis me.

HOC etiam verbum dixerat ministris Iudæorum, quo significat post suam in cælos ascensionem Iudæos in sua permāsuros incredulitate. Futurum enim erat, vt negato, & repulso vero Christo, quem præsentem habuerunt; quærerent, & expectarent adhuc venturum, indeque semper in errore versarentur: nam quæreere & expectare venturum, qui iam venerat, nihil aliud est, quam errare, & in falsos Christos loco veri Christi incidere.

ANNO-

ANNOTATIO VIII.

AVGVST. tractat. 38. verbum superius in A hunc interpretatur sensum, nepe Iudæos post Christi ascensionem quæruisse eum non in eius persona, sed mysticē in mēbris ipsius. quæruerunt enim discipulos, persequentes eos. Sic Paulus ante suam conuersionem inquirebat fideles Christi, vt vincos perduceret in Hierusalem: hoc ipsum increduli Iudæi fecerunt. Chryf. & Euthymius eodem modo exponendum hoc verbum censent, sicut expositum fuit ab eis capite septimo: nimirum Iudæos incredulos quæruisse Christum, quando tempore captiuitatis in magnis illis tribulationibus, & affixionibus recordati sunt Christi, & eum auxiliatorem, & defensorem habere desiderarunt. Prior expositio Augustini non videtur satis accommodata; nam præcedentia, & sequentia verba, Ego vado, & quod ego vado vos non potestis venire, non de mystico corpore, sed de ipso vero Christo procedunt: consequens est, vt eadem ratione hoc verbum illis connexum procedat. Posterior expositio non omnino etiam conueniens est propter ea, quæ diximus capite septimo, quibus hoc ipsum adiungimus, quod Hierony. adnotat in illud Psalm. 108. In generatione vana deleatur nomen eius, nimirum omnes, qui Christum crucifixerunt id temporis, quando Romani venerunt, fuisse iam mortuos. Christus autem, quamuis incredulos Iudæos omnes comprehenderet hoc suo sermone, præcipue tamen in eos inuehebatur, quibuscum tunc loquebatur. Cætera in capite septimo inuenies.

Et in peccato vestro moriemini.

COMMENTARIUS.

ME repudiato, & negato, qui verus sum Christus: non solum errabunt di me quæretis, sed quod peius est, *in peccato vestro moriemini*: nemo enim peccatorum suorum remissionem habere potest, nisi in me credat; qui igitur in me non credunt, morientur in suo peccato, non eo solo, quod committunt, quia in me non credunt; sed etiam in ijs omnibus, quæ ultra hanc incredulitatem perpetrarunt, cum nullius peccati venia sine fide in me obtineri possit.

ANNOTATIO IX.

*Vn, duplici
modo in scri-
ptura / nomi-
na.*

*Mori in pec-
catis accidit
dupliciter.*

ADVERTENDVM est præpositionem illam, *in*, duobus modis in scriptura accipi. primo causaliter. Isa. 43. Seruire me fecistis in peccatis vestris, id est, propterea peccata vestra. Threnor. 4. Christus Dominus captus est in peccatis nostris id est, propter peccata nostra. Altero modo, vt dicunt, concomitanter. Ioann. 9. In peccatis natus es totus, id est, natus es cum peccatis, seu in statu peccati, & habens peccata. Psalm. 50. In peccatis concepit me mater mea. iuxta hæc mori in peccato duobus modis contingit: Altero quidem, vt idem sit in peccato mori, quasi propter peccatum mori, seu morte plecti. Altero modo, in peccato mori, id est, in statu peccati, seu peccato non deleta morte præueniri. Hæc duo aliquando separantur: contingit enim hominem mori propter peccatum, sed non in peccato; & è cōtrario mori in peccato, & non propter peccatum. Ille propter peccatum, non tamen in peccato moritur, qui ob culpam aliquam præcedentem à Deo, aut ab hominibus occiditur, cuius quidē culpæ eum poenitet, & à Deo remissionē habet. tales apud homines multi occiduntur propter scelera commissa, qui quidem per confessionem, & contritionem veniā à Deo obtinuerunt; hi propter peccatū, sed non in peccato moriuntur. Hoc etiā apud Deum fit: non enim semper remittit Deus totam poenam, etiam si culpæ veniā det in hoc sæculo. Exemplū habemus in Iosia illo Rege iusto. Paralip. 35. quem occidi Deus permi-

A sit in bello, quia voci Propheta non obedierat, vt refert Iustin. respon. qq. gen. respon. 79. huiusmodi fuerunt multi ex illis, quorum meminit Paul. 1. Cor. 11. Idē inter vos imbecilles, & infirmi, & dormiunt multi. Alij in peccato, & non propter peccatum moriuntur: qui enim naturali morte diem claudunt, peccatorum poenitentia non facta, in peccato moriuntur, non autem propter peccatum. longē peius est mori in peccato, quam propter peccatum, quamuis enim vterque moriatur; ille tamen de morte transit in æternam mortem; hic autem de morte in æternam vitam, etsi tormentis, & morte turpissima mori contingat. Sunt alij tertio loco, qui & in peccato, & propter peccatum moriuntur, tales fuerunt illi populi Sodomorum à Deo puniti, & illi, qui in deserto occisi sunt ab Angelo: tales hodie etiam multi esse possunt, siue a Deo, siue ab hominibus occidantur, qui mortem subeunt propter peccata, quorum eos nulla tangit poenitentia. In ijs erauit Orig. hom. 1. in Ezechiel. dicens eos, qui in hoc seculo à Deo sunt puniti & occisi, etiam sine vlla facta poenitentia, non puniti in altero seculo, quia Deus non castigat bis in idipsum. hunc errorem nomine auctoris tacito refellit Gregor. lib. 15. moral. cap. 29. vbi doctē dicit hos non castigari bis, sed vnam esse poenam, quæ incipit in hoc seculo per mortem temporalem, & continuatur in altero per æternam.

His igitur suppositis, vt ad nostræ sententiæ ex-

tiæ expositionem deueniamus, aduertendum est aliquos particulam *in*, exponere causaliter, in hunc sensum: *In peccato vestro moriemini*, id est, propter vestrum peccatum morte estis puniendi: sic interpretatur Euthymius. Augustinus verò tract. 38. exponit concomitanter, nempe cum vestro peccato moriemini, nulla obrenta remissione, aut venia. Vtrumque autem verum est, cum multi Iudæorum occisi sint à Romanis tempore captiuitatis: de quibus prædictum erat Isa. 65. Numerabo vos in gladio, omnes cæde corruetis, quia vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis. & Luc. 19. Ad terram prosternent te, & filios tuos, qui sunt in te, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ, quòd tamen hoc in loco præcipue intèdit Dominus, est in peccato, id est nulla obrenta peccati remissione illos morituros, nisi crediderint: hoc. n. longè peius est, quàm mori propter peccatù: maximè cum Dominus generaliter contra incredulos Iudæos loquatur, quorum non omnes occisi sunt propter peccatum: omnes tamen in peccato mortui sunt, ex quo factum est, vt omnes illi damnarentur. Huic sententiæ sic expositæ responderet, quòd sequitur: *Quò ego vado, vos non potestis venire*: venire autem ad locum, quòd Christus vadit non prohibet mori propter peccatum tantum, sed mori in peccato & cum peccato. idcirco hanc Augustini expositionem tanquam accommodatiorem, & veriorum ircommentario secuti sumus.

ANNOTATIO X.

CIRCA eandem sententiam aduertenda sunt aliqua; Primum est positum esse singulare pro plurali, nempe, *Peccato*, pro *peccatis*, id quòd verba paulò inferius sequentia, in quibus Christus hanc sententiam interpretatur, ostendunt. vtitur enim plurali dicens: dixi vobis, *quia moriemini in peccatis vestris*, ratio etiam id ipsum confirmat: nam increduli Iudæi non habuerunt remissionem non tantum infidelitatis, quam contraxerunt non credentes Christo; sed nec etiam aliorum peccatorum, quæ contra legem, & mores commiserunt. vbi enim fides Christi non est, nullius peccati culpa remittitur; in peccato ergo infidelitatis, & cæteris omnibus criminibus

Quò ego vado, vos non potestis venire.

COMMENTARIUS.

Pergit repetere verba dicta in capite septimo; & cum dixisset eos in peccato suo morituros simul etiam mortem propriam indicauit; dissimilitudinem ponit inter se, & illos. Ego quidè vado, quia moriturus sum, & à vobis occidèdus; sed vos moriemini etiam; at non puteris vos posse venire, *Quò ego vado*: longè dissimilis est terminus meus, ad quem vado, ab eo qui vos expectat; non enim potestis venire, nec venietis, quòd ego iam vado, seu citò iturus sum. ac si diceret, ea via, quam nunc sequimini me persequendo, & infidelitatem continuando, non potestis venire, quòd ego vado. Cur mortem suam hoc verbo explicet, superius expositum est in præcedenti commentario.

Dice-

Dicebant ergo Iudæi, nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quòd ego vado, vos non potestis venire?

Ministri Iudæorum in capite superiori hæc verba Christi audientes, & non intelligentes, sic interpretati sunt. Nunquid, inquiunt, abiturus est in dispersionem gentium; quia dicit, quòd ego vado, vos non potestis venire? At principes, qui eos miserunt, longè alium sensum conceperunt, dicunt enim, *Nunquid interficiet seipsum*: Sic enim euadet manus nostras, nec poterimus eum inuenire, nec à loco quò vadit extrahere, vt mortem, quam intendimus ei inferamus. Hac sinistra interpretatione Iudæi, non solum quòd animò conceperant, & in votis habebant, nempe Christi mortem, indicauerunt; sed etiam studium, quo eum comprehendere quærebant, significarunt: tanto enim desiderio eum occidendi flagrabant, vt non aliter eorum manus Christum euadere posse crederent, quàm per mortem sibi illatam à seipso: etià si enim in dispersionem gentium abiret, adhuc ibi se eum comprehensuros esse sperabāt.

ANNOTATIO XI.

OBIICIT August. tract. 38. istis, quia poterant etiam ipsi se ipsos interficere. Christus autem non dixit; vos non venietis, sed venire non potestis. Respondet eorum interpretationem stultam fuisse; Et re vera ita fuit, tamen non secundum eum sensum, quem intendit Augustinus. sciebant enim se posse seipsum interficere, at non intendebunt tantum sensum; sed significare id volebant, si se ipsum interficeret, eos amplius non posse eum quærere & inuenire, vt occiderent; & mortem quam quærebant inferrent: Cogitare autem de Christo, non posse aliter manus eorum euadere; nisi se interficeret; idque Christum significare voluisse, stultissimum fuit.

Et dicebat eis, vos de dorsum estis, ego de supernis sum.

COMMENTARIUS.

VERBA hæc non esse responsionem Domini ad Iudæorum impiam suspicionem indicat Euāgelista illo verbo, *Et dicebat*: solet enim Ioānes, quando verba sequentia responsionem, aut illationem præcedentium indicant, dicere; dixit ergo eis; at quando sermonis continuatio sunt, particula tali non vtitur, propterea igitur dicit nunc, *Et dicebat eis*, quia verba sequentia non referuntur ad Iudæorum verba proxima; non enim digna erant responsione; sed continuantur cum verbis Domini, ac si non essent interposita illa Iudæorum. Vnus igitur continuus est sermo Christi ex præcedentibus, & his sequentibus; quamuis Iudæi inter se loquentes interruperint. Hoc quidem verum est propter Iudæorum sinistram intelligentiam hæc verba esse à Domino adiuncta, non vt respondeat ipsorum dictis ineptis, sed vt quòd pronunciauerat contra eos, explanet. Dominus igitur apertioribus verbis exponit illud, *Quòd ego vado, vos non potestis venire*, à quo occasionem sinistrae, & impie interpretationis Iudæi acceperant. *Vos*, inquit, *de dorsum estis, ego de supernis sum*, id est, vos estis terreni, & de numero eorum, quæ in terra loco inferiori sunt; at ego sum de supernis, personæ & naturæ diuine, cuius sedes, & habitatio cælum, & supremus locus est; qui in terra, & terreni sunt, cælum ascendere non possunt; ego autem cum cœlestis sim, & diuinæ naturæ, tanquam in proprium locum ascendere valeo, & ascendam. ita Tertul. li. de Trin. hæc verba exponit, & legit sic, *Vos de inferioribus estis, ego de sursum sum*, & diuinitatē Christi his verbis probat. Propterea ergo dictum est: *Quòd ego vado, vos non potestis venire*. Christus de supernis dicitur propter personam, & propter diuinam naturam unitam suæ humanitati. est enim vnica persona vtramque habens naturam, ideo dicitur de supernis. Rectè enim Tertul. ibidè annotat dicens; Idcirco nunc Christus in vnā partē solius diuinitatis incubuit, quoniam cæcitas Iudaica solum in Christo partem carnis aspexit; & ideo in præsentem loco, corporis fragilitate, quæ de mundo est, silentio præterita, de sua sola diuinitate locutus est, quæ de mundo non est; vt in quantum illi inclinauerant, vt hominem illum

tantum modo crederent; in tantum illos Christus ad diuinitatem suam considerandam traheret. Hæc Tertul. hac igitur ratione Christus de sursum est: homo autem terrenus, & de deorsum; quia in terra suam habet originem: persona enim in terra generatur, & vnus est de terrestribus: quorum virtus, & potentia naturalis non valet eos in cælum erigere; quod si iusti facti ascendunt, id est, propter Spiritum sanctum in eis existentem, qui eos trahit in cælum, quem cum iusti non haberent, sed in sua naturali virtute relictii essent, cælum nulla ratione ascendere poterant.

A N N O T A T I O XII.

EVTHYM. exponit dici hos Iudæos de deorsum; quia terrena sapiebant, & secundum carnem sentiebant, non secundum Spiritum. Fateor ita esse; tamen non hoc Dominus solum, sed aliud etiam intendit, nempe esse naturæ inferioris, & corporeæ, quorum locus proprius est terra, nec eis vlla est naturalis facultas ascendendi in cælum: insinuans nihil eos cæleste habere in se, sed in terrena sua natura relictos, ideo non posse ascendere in locum cælestium. Simile ferè illud est, Ioan. 3. Qui est de terra, de terra est, & de ter-

Ara loquitur. His verbis naturam ipsam significat. quod si iusti ascendunt, id est, propterea quod in eis virtus est cælestis, & Spiritus inhabitabat in eis, ratione cuius cælestes homines dicuntur: sicut & Christus; qui quamuis naturam humanam haberet, propter vniuersalem tamen ad verbum, dicebatur de supernis; quia persona, in qua erat, de supernis erat. Circa litteram aduerte legendum esse *De deorsum estis*, & antiqui codices ita legunt, & lectio hæc Græco verbo conformis est.

Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

C O M M E N T A R I V S.

NON ad eundem sensum hæc verba pertinent, ad quæ præcedentia, sed ad aliud, & ex utroque simul constat explanatio illius, *Quò ego vado, vos non potestis venire*: igitur in priori sententiâ naturam voluit exprimere, quæ terrena est, nec valet cælum ascendere: in hac autem exprimit qualitatem; & de mundo dicuntur: quia, quæ mundi huius sunt, sapiunt, quærun, & ambiunt, spretis his, quæ ad Deum pertinent. in hac. n. significatione sumitur apud Ioan. 15. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret: quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus; atque ita hæc verba & præcedentia cum illis Ioan. 3. conueniunt. De terra est, & de terra loquitur: illud enim, *Vos de deorsum estis*, idem est, quod de terra esse. hoc verò, *De mundo estis*, idem est, quod de terra loqui, quia & natura, & affectu mundi huius erant; propterea quò Christus ibat, ipsi venire nullo modo poterant. Et hic videtur legitimus sensus.

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris, si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

EX proximis verbis deducit, & declarat, quod superius dixerat, nempe, *In peccato vestro moriemini*. Sensusque est, cum de mundo sitis, *Moriemini in peccatis vestris*: qui enim de mundo sunt, peccatores sunt, nisi in me credideritis, & mutaueritis vos ipsos: qui enim non credit, *Quia ego sum*, id est, me esse Dei Filium; verumque Christum in lege & Prophetis promissum, in peccatis suis morietur. Dominus absolutè dixerat, *Moriemini in peccatis vestris*, nunc adiunxit, *Si non credideritis, quia ego sum*; tum vt explicet causam, cur in peccato morientur, nimirum quia in ipsum non credunt; tum vt liberum eorum arbitrium significet, nempe ipsos sibi esse causam, quod in peccato morientur, quia non credunt; posseque efficere, vt in peccato non moriantur, si credant.

A N N O T A T I O XIII.

AVGVST. tract. 38. verba superiora, *In peccato vestro moriemini*, ad reprobos & obstinatos refert; hæc autem, *Nisi credideritis, moriemini in peccatis*, ad eos, qui conuertendi erant.

Huic obstat, quod Dominus subiunxit: *Dixi vobis*, quasi illud idem, quod dixerat repetens, & declarans: voluit enim significare ita illos in suis peccatis morituros, quod

hominis liberum arbitrium à præscientia Dei non cogitur.

ros, quod ipse non esset causa; sed illimet A propter voluntariam suam incredulitatem: simulque docet eos, qui crediderint in peccato non morituros esse. Aduerte igitur, quæ ab hominis pendent arbitrio, & prius quam fiant, prædicta sunt, non ideo sunt quia prædicta fuerunt, quin potius, quia futura erant, idcirco prædicta sunt. quia enim Petrus voluntate sua ter negaturus erat Christum, idcirco prædixit Christus trinam eius negationem; quod si negaturus non fuisset, nunquam id prædictum esset. Præscientia enim non determinat, quod futurum est, sed ostendit quod fiet: quod autem futurum est, certissimum est, non quòd præscientia imponat necessitatem, sed quòd in scientia sua Deus non fallitur. Hæc Dominus verbis superioribus, & præsentibus significat: quia enim falli non potest, quodque futurum erat, nouit, ideo dixit, moriemini in peccato vestro; at quia ipse non erat causa infidelitatis eorum, sed ipsi suo arbitrio veritatem repellebant, propterea subiunxit, *Nisi credideritis, in peccato vestro moriemini*, ac si diceret; dixi vos morituros in peccato; quia scio vos non credituros: quod autem non sitis credituri, vos estis in causa, nec per me,

sed per vos ipsos stat, & stabit, quominus creditis. Quod autem modò in plurali peccata dicat, postea in singulari nihil refert; numerus enim pro numero sumitur; & in Græco textu utrobique est in plurali, *Dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris*. Et ita Chrylostomus, & Euthymius legunt; & inter Latinos August. tract. 38. & Cypria. lib. 1. con. Iudæ. cap. 5. & ita est legendum. quo argumento superius probauimus illud prius dictum, *In peccato vestro moriemini*, positum esse pro plurali numero: nullam enim peccatorum remissionem non credentes consequentur; sed in suis morientur peccatis; quod si credant, omnium, etiam infidelitatis præcedentis, remissio promittitur. Quod autem dicitur, *Ego sum*, aliqui supplendum putant; nempe Christus promissus; alij dictum putant; tanquam diuinitatis expressum; vt sit sensus; *Quia ego sum*, id est, me esse Deum, & Filium Dei; cui propriè competit dicere *Ego sum*. Vtrumque accommodatur sententiæ; tamen multo magis posterior sensus. Verbum enim diuinitatis est, vt ex sequentibus apparet.

Dicebant ergo ei, tu quis es?

C O M M E N T A R I V S.

AC si nihil vnquam audisset; cum toties dixisset se esse à Patre missum, se Dei Filium, se eum, qui in Prophetis, & lege prædictus est; se lucem mundi: impudenter occasione illius verbi, *Nisi credideritis quia ego sum*; cum non expresserit, quis esset; interrogant, *Tu quis es?* ac si diceret, *Dicis oportere credere te esse*: expone, quis sis in particulari. Non enim diuinitatem in verbo illo expressam agnouerunt, quæ verè significabatur. Petenti enim Moyse à Deo, quis esset, Exod. 3. dictum erat, *Ego sum qui sum*. Est enim proprium Dei sine vlla circumscriptione, aut limitatione dicere, *Ego sum*, quippe qui omnem eorum, quæ sunt, & esse possunt perfectionem in se eminenter habeat: nullique temporum mutationi subiaceat.

Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis.

Dominus interrogationi respondet verbi prædicti significationem magis exprimens. *Principium*, inquit, sum. nomē *Principium* positum est per modum aduerbi, hoc enim Græca vox indicat, quasi diceret: à principio ego sum, qui nullo concludor tempore; qui omnia præcedo; apud quem non est fuisse, & fore, sed semper esse. *Qui & loquor vobis*, id est, qui etiã hoc ipsum vobis annuncio, & prædico, quando dixi *Ego sum*. non ergo Iudæis interrogantibus responsionem negat; nec alia, ab ijs quæ dixerat, profert, sed id ipsum repetit clariori sermone: qui enim à principio est, semper est, solusque dicere absolutè potest *Ego sum*; nec hoc etiã Iudæi intellexerunt. Aduerte ibi *A principio*, supplendum esse verbum *sum*, non solum quia interrogatus erat, *Quis es*, verbumque interrogationis solet in responsione suppleri; sed etiam quia hebraismus est: frequenter enim verbum substantiuum in Hebræo sermone non exprimitur, quod in fine annotationis expositum, magisque confirmatum inuenies.

A N N O T A T I O XIV.

MVLTYM laborant expositores nostri **D** verba non respondent Latinæ versioni: nam in Græco illud, *Principium*, habetur in accusativo; præterea illud *qui*, Græcè habetur

habetur *et*, quod est relatiuum neutrius generis: si diuidatur sic, *et*, aut est coniunctio causalis, siue declaratiua, idem significans quod Latinè *quia*, seu *quod*, si non sit diuisa, nepe, *et*. Vnde alij legunt *quod*, alij *quia*, nec referri potest Græcè ad principium, quod est fœminini generis. Sequentes igitur Græcum codicè, hanc sententiam variè exponunt.

Primo loco Chrysofom⁹ hō. 52. Theophyl. & Euthymius, illud, *Principium*, seu, *ἡ ἀρχὴ*, rāquam aduerbium, idem significans, quod latinè, sanè, aut, omnino, sumunt; & orationem defectiuam esse censent, vt sit sensus; Sanè indigni estis audire, quod vobis loquor; seu superuacaneum est, quod vobis loquor, cum sitis indigni sermone meo. Hæc est prima expositio, quam profectò neminem audienturum credo, cui nimis dura, & violenta non videatur.

Secundo Iob Nonnus Græcus auctor exponit loco aduerbij, primò, seu prius, seu ab initio. Coniungit autem cum sequentibus sic: sum quod ab initio, seu prius vobis dixi, & sæpius inculcaui. Illud ergo *Principium*, loco aduerbij, in primis, seu ab initio positum est. Sic enim septuaginta loco aduerbij *Primum*, vsurpauerunt. Gen. 13. Quod legimus nos in loco altaris, quod fecerat ille prius, pro prius dicunt, *ἡ ἀρχὴ*, similiter Gen. 43. vbi legimus propter pecuniam, quam retulimus prius. Huic expositioni recentiori aliqui consentiunt, nempe sum id, quod à principio vobis loquor nam semper à prædicationis initio, quis sim manifestauit. Huic expositioni Nonni & aliorum obstat, quia nunquam in tota scriptura reperire est locum, in quo similem traiectionem legamus, nempe à principio quod loquor, loco eius, quod loquor à principio: est enim inusitatissima locutio. Adde etiam huiusmodi responsionem iuxta eum sensum videri extra rem factam, videbatque Dominus subterfugere docere, quis esset.

Tertiò loco alij nostra ætate loco aduerbij positum affirmant, tamen sine vlla traiectione interpretantur: censent enim significare orationis exordium, loco eius, quod dicimus, primò, seu ante omnia. cōiungunt autem sententiam hanc cum sequenti suppletes verbū, in hūc sensum, ante omnia, quæ & loquor vobis; supple, & non creditis; propterea multa habeo de vobis dicere, & iudicare. Non ergo respondet Dominus ad interrogationem, vt qui indigni sint responsione, sed eos seuerè puniendos dicit, qui tot habuerit apud ipsos sermones, & tamen non credant. At neque hæc locutio vsitata est in scriptura, nisi quādo multa dicenda sequuntur. Adde non connecti responsionem interrogationi: nam iuxta hanc interpretationem nihil respōdet Christus ad id, quod interrogabat, quis esset. Adde etiā hoc supplementum potius esse sententiam facere, quam interpretari.

Quartò loco alij aliter expōnunt, vt Dominus non respondeat, sed confirmet, quod dictum est. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Et est sensus, omnino sic est, vt lo-

quor vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Hæc expositio eandem habet difficultatem cum præcedenti. Vtcrius etiam sensus hic non potest accommodari verbis, vt consideranti facile est intueri. Hæc igitur sunt expositiones, ex quibus apparet communem sententiam esse, illud *Principium*, loco aduerbij exponendum, quamuis aliqui loco (sanè, aut omnino) alij loco (primò, seu, imprimis) ponant. Similiter illud *Qui*, aliqui exponunt relatiuè (quod); alij loco causalis dictionis (quia); alij loco dictionis declaratiuæ (quorum); alij rursum sententiam à sequentibus diuidunt; alij coniungunt; & eorum, qui diuidunt alij suppleta verba censent; alij nullum suppleant; & iudicio meo nulla eorum expositionum legitima videtur, nec verbis Euangelij accommodatur, vt paulò post dicemus; sunt enim duræ, aut sensum non aptum facientes. Omitto libens alias recentiorum expositiones, quia eiusdem farinae sunt.

Quintò igitur loco est expositio Ambrosii, quam multis in locis perpetuò sequitur, & contra Hæreticos ea vitur, præcipuè autem libr. 3. de fide cap. 4. vbi legit: *Principium, qui & loquor vobis*; & libr. 5. cap. 5. vbi legit: *Ego sum principium, quod & loquor vobis*. & li. 1. Exam. cap. 2. & 4. vbi legit: *Initium, quod & loquor vobis*. eodè modo legit, *Initium, quod & loquor vobis*, li. de Thobiac. 19. Hic Doctor insignis exponit Christum respondisse se esse principium, & initium rerum omnium, quia Deus erat; quod principium loquebatur etiam cum illis per humanitatem assumptam. In eadem expositione est etiam perpetuus Aug. in multis locis li. 10. Ciuit. cap. 24. & lib. 11. ca. 32. dicens. Christum respondisse, se esse Principium; & lib. 5. de Trin. ca. 13. vbi legit *Principium, qui & loquor vobis*, & dicit Christū interrogatum, quis esset: respondisse, se esse Principium, qui & loquebatur. & li. 1. contr. aduersariū legis, & Prophetarū ca. 3. & multis alijs in locis; & tandem tract. 38. hæc verba expones; quo in loco tacitæ obiectioni respondet: nam in Græco nouit, *Principium* esse in accusandi casu, proptereaq; non rectè coniungi sic, quis es tu? ego sum Principium. ideo aliter connectit, nempe, vt cum dictum sit, Nisi credideritis, quod ego sum moriemini, respondeat interrogationi tacitæ huic; quem te esse credemus? & responsio est, Principium id est, credite me esse Principium. Sed hæc grammaticalis constructio dura est; nam non dictum est, si non credideritis me esse, sed, quia ego sum; nec illi petierunt, quem credemus te esse? Sed, quis es tu? Non igitur recta est constructio; credite me esse Principium, sed oportebat dicere, Ego sum Principium. Quidquid autem sit de hac constructione, expositio eadem est cum Ambrosij expositione; quam sequuntur Beda, Rupertus, & Bernard. libr. 5. de consideratione, & multi nostro sæculo. Cui expositioni fauet. Primò quidem auctoritas latinæ versionis antiquissimæ, quam à tot sæculis Ecclesia secuta est, quod ex Ambrosii & Augustini satis patet. Secundò auctoritas Hieronymi, qui

qui vt ex proemio ipsius in Euangelia liquet, versionem Latinam Euangeliorum diligentissimè correxit, & emendauit ad veritatem codicum Græcorum puriorum; & tamen hunc locum tam insignem reliquit intactum. Tertiò ipse contextus verborum quod, si verba consideremus, manifestum fiet. Post hanc enim totam sententiam dicit Euangelista, his verbis Christum dixisse, se Patrem habere Deum, Iudæos verò non id ex verbis his intellexisse: necesse igitur est, vt in hac sententia, & sequenti eum sensum afferamus, in quo Christus se Patrem habere Deum affirmet. hunc nō video in vlla aliarū expositione, præter hanc. Si enim dicas in illis verbis, qui misit me, verax est, id dici, non satisfacit responsio: nam non sequitur, quia missus est, Patrem habere Deum, licet verba ita sit: Ioannes autem loquitur de verborum significatione, quia verba ipsa id exprimunt. Sæpius autem dicebat se missum, tamen non propterea ex verbis Iudæi vnquam deduxerunt significare se Patrem habere Deum. Quod si iterum dicas id significari, dum dicit se esse id, quod ab initio dixit: ab initio autem affirmauerat, se Patrem habere Deum; nec hoc satis facit: nam Ioannes in his verbis, se Patrem habere Deum dixisse, docet; at dum dicit, Sum id, quod dixi, cum dixerit se Christum; se lucem mundi; se panem viuum; se filium hominis, nō est cur hoc determinatè intelligatur. Necesse igitur est verbis istis id determinatè contineri, quod in hac expositione rectè habetur: dum enim dicit, se esse Principium, suam diuinitatè manifestat, quia Deus est: idum dicit, missum se esse, ostendit se esse Deum, de Deo, Deum procedentè de Deo qui est Dei filius de Patre. Quod si dicas Spiritus sanctus etiam est Principium, & procedit, dico Spiritum sanctum esse quidem principium creaturarum vnà cum tota Trinitate; at non est principium notionale, quia nō de Spiritu sancto procedit alia persona, sicut à Filio procedit Spiritus sanctus. Principium ergo æternum, & intra Deum, solus est Pater, & Filius: Principium autem de Deo procedens; solus est Filius: Adde etiam, si subtiliter, verè tamen, & non extra rem, consideremus in illo verbo, *Qui & loquor vobis*, significare esse, *Principium*, tanquam filium: nam dicitur, *Qui etiam loquor vobis*, quid est, *Etiam loquor*, nisi, qui, cum sim Verbum, quo ab æterno locutus est Pater, homo factus, etiam loquor vobis? Filius enim est verbum, quo loquitur Pater, ipsum etiam verbum loquitur nobis. Hoc igitur argumentum, ex verborum contextu sumptum, probat expositionem hanc, & repellit eos, qui ita exponunt, vt Dominus ad interrogata non respondeat. Quintò id confirmat violenta & extorta connexio & interpretatio, quæ reperitur in prædictis expositionibus, aut enim suppleta verba ex proprio capite; aut peruertunt locutionem; aut eam reddunt incongruam.

Aliqui recentiores parum consideratè obijciunt huic expositioni, nempe Christum non

esse principium, quia procedit à Patre, & habet principium. Sed vanitatem, & falsitatem huius obiectionis ipsemet Ioan. conuicit, qui Apoc. 3. de Christo loquens dicit. Hæc dicit amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei, vbi hoc idè verbū habetur, *ἀρχὴ*.

Alterum eidem expositioni magis aduersatur, nempe Græca exemplaria, in quibus *Principium*, in accusandi casu legimus, & illud *qui* non referri ad principium. Aliqui, vt hanc oppositionem euadant, & latinam tueantur lectionem, textum græcum corruptum esse censent, id quod mihi nulla ratione probatur. Vt enim omittam Chrysof. Euthym. Theophyl. Nonnum, cæterosque antiquos Græcos ita legentes, Augustini auctoritas id conuincit: nam fatetur Græcè legi in accusandi casu, nec est verisimile Ambrosium aut Hieronymum alia exemplaria habuisse. Nec momenti alicuius est, quod Ambrosii & Hieron. verterunt, *Principium qui & loquor*: nam Augustinus etiam si legisset in Græco accusandi casu, vertit *Principium qui & loquor*, sensum potius contemplans, quam verba, id quod Ambrosii Hieron. & antiqui interpretes fecerunt; non igitur quia Ambrosius & cæteri legerunt, *Principium qui & loquor vobis*, argumentum est alia exemplaria habuisse, quàm quæ nunc sunt, sed sensum interpretatos esse. quod etiam constat, quia modò *qui*, modò *quod*, legerunt: eadem igitur exemplaria græca habuerunt cum Chrysof. & cæteris. Propter hæc omnia in eam veni expositionem, quam in commentario proposui, sic enim & lectio ni græcæ, & versioni latinæ, remotis omnibus detorsionibus, & locutionum impropriatibus satisfacere mihi visus sum. Græca enim lectio seruata sermonis proprietate idem significat, ac si latinè diceremus, *A principio quod & loquor vobis*, illud autem *A principio*, non cōiungitur sequentibus, sed per se sensum facit, nempe à principio sum ego: est enim phrasis hebraea, Psalm. 92. A seculo tu es. in hebræo deest verbum *es*, & dicitur, ab æterno tu, id est, semper tu es: ita nunc dictum est, à principio ego; id est semper sum ego, nec mutor, sed eadem perseuero. hoc autem est explicatio illius verbi prædicti *Ego sum*: ideo enim absolutè est, quia semper est, nec mutationem futuri, & præteriti habet. statim adiungit, *quod & loquor vobis*, id est, quod quidem etiam vobis loquor, & annuncio: dixi enim iam *Ego sum*. Hic sensus idem fere est cum eo, quem versio latina facit, & quem Ambrosii & August. secuti sunt, quamuis verba non sint eadem; non enim tam verba, quàm sensum considerant. Est autè hebraismus nomen pro aduerbio ponere. Psalm. 78. Loquar, ppositiones ab initio. in hebræo pro illo (ab initio) habetur, *מֵרֵאשִׁית* sine præpositione. & Psalm. 118. Initio *מֵרֵאשִׁית* seu ab initio, cognoui de testimonijs tuis, habetur idem nomen *מֵרֵאשִׁית* sine præpositione loco aduerbij positum. Apud græcos & latinos etiam aliquando nomen pro aduerbio ponitur, & ita factum est in hoc loco.

Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.

COMMENTARIUS.

Persequitur suam enarrare diuinitatem: cum autem dixisset, *Loquor vobis*, nempe, quæ ad salutem pertinent docendo; ne quis nihil aliud loquendū, aut faciendū superesse existimaret, adiunxit, *Habeo multa de vobis loqui, & iudicare*, id est, quamuis me modò loquentem docendo, & instruendo audiat, & vestra peccata dissimulantem videatis; scitote me habere multa de vobis loqui; id est, multa vestra peccata aliquando loquar, manifestabo & iudicabo. non enim tantū doctor & saluator sum; sum etiā iudex, & ad me pertinet iudicare vos. terret eos Christus, ne impunitam existiment suā incredulitatem futuram. *De vobis loqui*, id est, contra vos loqui, ac cur modò non iudicet, nec contra eos insurgat, causam adnectit in sequenti sententia.

Sed, qui me misit verax est; & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

Causam, cur modò non loquatur de eis hæc multa, & cur eos non iudicet, exponit: Et est sensus, *Qui misit me verax est*, ac si dicat, Deus verax est quæ promittit, facit: promissit autem me prius, vt mundum saluem, nō vt iudicem missurum; cum ergo verax sit, oportet me non iudicare, nec damnare, nec accusare modò, sed saluare; vt quod promissit Pater impleatur, sitq; verax in sermonibus suis. Hæc est causa, cur modo non loquor, nec iudico multa, quæ de vobis habeo. At dicere poterat aliquis; quomodo verax est, qui remisit, si non iudicas? respondet, quia ego non alia loquor, nisi quæ audiui ab eo, & quæ mihi ipse dixit: si igitur loquerer ego de vobis hæc multa, & iudicarem, hæc profectò à Patre audissem, & ipse dixisset: si autem ipse dixisset, iam verax non esset, quia non faceret quod promissit. cum igitur verax sit, non est, cur modò vos accusem, & iudicem: si enim hæc facerem. Pater in suis dictis, & promissionibus verax non esset. hic est sensus. Attende illa verba, *Quæ audiui ab eo, hæc loquor*, conuenire Christo ratione diuinitatis: nam cum dicit, *Quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*, insinuat se audissem antequam veniret in mundum: si enim ratione humanitatis loqueretur, diceret quæ audio ab eo loquor in mundo, aut quæ audiui loquor. at hæc locutio, *Quæ audiui loquor in mundo*, indicat eum audissem, prius quàm veniret in mundum. fateor in rigore verborum posse etiam accommodari Christo ratione humanitatis: audiuit enim vt homo à Patre quæ loquebatur, iuxta illud Ioan. 12. mihi mandatum dedit, quid dicā, & quid loquar; tamen hoc in loco, in quo Christus de sua diuinitate tractabat, vt ex præcedentibus, & sequentibus constat, ad diuinitatē referenda potius sunt. erit igitur sensus, *Quæ audiui, à patre vt Deus hæc homo factus, loquor in mundo.*

Et non cognouerunt, quia patrem suum dicebat Deum.

Verba sunt Euangelistæ narrantis Christum verbis superioribus significasse se partem habere Deum. Iudæos verò non intellexisse: hoc autem Ioannes annotat, vt significet Christum respōdisse verè ad interrogata, non tamen ita exprèsse & clarè, ne Iudæorum furorē vehementius inflammaret; ex quo, vt i superius diximus, falsam esse illorum expositionem constat, qui negabant in præcedenti sententia Dominum ad interrogationem, quis esset respondisse. In codice Græco non habetur *Deum*, nec *eius*, sed *nō cognoscebant, quia Patrem eis dicebat*. Existimo legendum etiam *Deum*, illud *eius*, corruptio est litteræ: nam legendum est, *Quia patrem eis dicebat Deum.*

Dixit

Dixit ergo eis Iesus, cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.

Quia ex his prolatis iam verbis non cognouerunt quis esset; cum tamen id ipsum esse eis significatum, prænuntiat Christus se ab eis crucifigendum, & tunc eos cognituros quis esset. Quando, inquit, in cruce me vt hominem exaltaueritis, *Tunc cognoscetis, quia ego sum*, id est, me esse filiū Dei. humanitate enim mea per vos morti tradita, tunc velut referabitur diuinitas mea. Et ita factum est, à morte enim Iudæi inceperunt cognoscere filiū Dei fuisse, quem crucifixerant, ex signis mirabilibus, quæ in morte operatus est. Tunc multi reuertebantur percutientes pectora sua Luc. 23. Et Cetero, & qui cum ipso erant, timuerunt valde dicentes, Verè filius Dei erat. Similiter ex resurrectione, & aduentu Spiritus Sancti, & Apostolorum prædicatione, infinita Iudæorum multitudo cognouit Christum, & filium Dei eum fuisse: quod Actor. 2. patet, quando prædicante Petro compuncti corde, dicebant, Quid faciemus viri fratres? Fuit autem tanta virtus signorum, vt & increduli etiam, vt dicit Euthymius, agnoscerent, quamuis propter duritiam suam cōfiteri noluerint: nam Matth. 28. quando Custodes venerunt in ciuitatem, & renuntiauerunt principibus Sacerdotum vniuersa, quæ acciderant; congregati cum senioribus consilio accepto, pecunias militibus dederunt, dicentes, Dicite, discipuli nocte venerunt, & furati sunt nobis dormientibus. Profectò qui tanta mortuus operatus est, homo merus esse non poterat. Mortem crucis exaltationem vocat, quia in altum erigebatur, qui crucifixus erat.

Et à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor.

Pergit explicare quæ post ipsius exaltationem reuelanda erant. cognoscetis, inquit, à me nihil esse factum; sed quæ docuit me Pater, hæc locutū fuisse. præcedens sententiā ad personam refertur, nempe cognoscetis quia ego sum, id est, me Christum esse vobis promissum. hæc autem ad doctrinā & explicatiorem cognitionem personæ pertinet, nimirum, cognoscetis nihil me locutum esse, quod non sit à Patre, & sic manifestabor esse filius Dei, & doctrinam meam constabit esse à Deo: Quomodo filius audiat à Patre, & Pater doceat, superius cap. 5. exposuimus. Vt homo, audit; quia scientia humanitati infusa est à Deo: vt Deus autem; quia vnà cum essentia accepit ab æterno scientiam. Verba hæc igitur ad doctrinā magis referuntur; sicut Ioan. 7. dicitur, Cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit. Priora autem verba ad personam, vt sit sensus. Tunc cognoscetis, & me, & doctrinam meam.

Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum.

Ne filiū à Patre diuisum, & ita missum, vt à mittente sit separatus, aliquis existimaret; propterea adiunxit, se ita missum à Patre, vt semper sit cum Patre; ita operari, vt filium, vt simul pater cum eo operetur. ac si claris verbis dictum esset. Sum filius Dei, vnus, & eiusdem substantiæ, & potentiæ cum ipso; cuius vnà est indiuisa essentia, potentia, & operatio; ne igitur, quia me hominem videtis, patre minorem factum putetis, aut diuinitatis detrimentum passum cogitetis, Pater mecum est, mecum operatur. Rursus ne imaginemini diuinitatem diminutam in humanitate, sum enim ita homo, vt sim integrè & perfectè Deus vnus cum patre. Hic est sensus; explicat enim his verbis quod dixerat se missum à Patre, & se audissem à Patre, ne inde aliquis diuinitatis minorem conciperet opinionem: & sic Chrysostomus hom. 52. & Euthymius exponere videntur.

Quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

Ex effectu probat se solum nō esse relictum, quia, *Quæ placita patri sunt, facit semper*. Idem est sensus ac illorum Ioan. 5. Quæcunque Pater facit, hæc

similiter facit & filius: nihil ergo facio, quod non sit patri placitum, & quod simul non operetur, propterea solus non sum. Loquitur igitur ratione diuinitatis suæ, vt exponit Aug. tract. 40. Alij ratione humanitatis exponunt; quia nihil facit, vt homo, quod non sit operatio diuinitatis; quæ communis est Patri, & Filio. Euthymius vtrumque probat sensum; tamen mihi magis videtur sensus legitimus Augustini, nempe loqui Christum ratione diuinitatis, qui, cum sit filius Dei, semper dicitur facere quod vult & facit Pater; non solum quando in humanitate est, sed antequam eam sumeret. Semper enim facit, & fecit, quod patri placitum est, & simul facit. Dicit autem. *Facio, quod placitum est Patri.* & non dixit, quod facit Pater; vt ostendat, non solam operationis vnitatem, sed etiam voluntatis, vt talibus verbis Iudæos doceret, se nihil committere accusatione dignum; sed omnia esse secundum Deum; non vt illi calumniabantur.

Hæc cum dixisset, multi crediderunt in eum.

VIRTUS diuina Christi hoc argumento comprobatur. Altissima loquitur, nouis signis non comprobatur, nec argumentis confirmatur; & tamen corda Iudæorum, quos voluit conuertit, & ad fidem pertrahit. Hæc igitur eo loquente, non propter signa, non propter argumenta; sed simpliciter docente, & tam ardua, & profunda tradente, *Multi crediderunt*, non vnus, aut alter. Hoc profectò non esset, nisi diuina eius virtus credentium corda excitasset, & traxisset.

Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos, si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.

IUDÆOS in se credentes Dominus confirmat promissionibus; in tanta enim contradictione & persecutione nominis sui, noui fideles confirmatione indigebant. Si, inquit, permanseritis in ea fide, quam sermone meo nunc concepistis, *eritis verè discipuli mei.* Hoc dicit propter eos, qui crediderant, sed citò recesserant, de quibus Ioan. 6. Multi ex discipulis eius abierunt. Hi imperfectè dicti sunt discipuli; vt enim qui vnam, aut alteram docentis lectionem audit, nec postea gymnasium frequenter, discipuli nomen non habet, sic is, qui ad modicum tempus habet fidem Christo, & eam postea negat, & recedit. Ille igitur est verus discipulus, qui permanet in doctrina, non hic, qui citò recedit: ob id dictum est, *Si permanseritis, verè discipuli mei eritis.*

Et cognoscetis veritatem.

POSSET percontari aliquis, quam vtilitatem consequetur hi discipuli? Ad hoc Dominus secundam adfert promissionem, *Cognoscetis veritatem.* Veritatem non quamcunque, sed cœlestem & diuinam, in qua hominum est salus; hæc ipse est Christus, Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita, qui non solum veritas dicitur, quia ipse est doctor cœlestis doctrinæ, sed quia ipse est, quem vmbra, & figuræ illæ legis significabant: ipse est in quo, & per quem omnes Dei promissiones Patribus olim factæ implentur. Si ergo vos permanseritis in fide sermonis mei, tanquam veri discipuli docebimini, & cognoscetis me, qui sum cœlestis doctrinæ doctor: cognoscetis in me, & per me omnia, quæ figuræ, & vmbra legis vestrae significant, & eum in quo sunt omnes Dei promissiones. Cætera ex annotatione require.

ANNOTATIO XI.

Fides & cognitio credere, & cognoscere differunt. **A**MBROS. sermon. 10. vers. 3. Psalm. 118. rectè in his verbis annotat fidem à cognitione, seu credere & cognoscere distingui; nam credenti promittitur cognitio; Si enim, inquit, manseritis in meo sermone credentes, cognoscetis veritatem. Idem etiam annotat Cyprian. libr. de bono patientiæ; sed aliter expli-

cat hanc cognitionem, quam Ambrosius: hic enim perfectam intelligentiam diuinorum mysteriorum Christi interpretatur, qualis est hominum perfectorum, quorum non lac, sed solidus est cibus; nec enim omnis credens, nec statim ac credit, hanc habet cognitionem; ille autem cognitionem patriæ exponit, vt creden-

credenti, & perseveranti promittatur cognitio, vt quod videt in ænigmate, & speculo, videat facie ad faciem: tunc enim perfectè, & ex integro cognoscitur veritas, qui Christus est; quando & eius diuinitas, & humanitas aperte conspiciuntur. Mihi vtraque semper expositio coniungenda videtur; vt credentibus illis vtraque promittatur cognitio: nam illi Iudæi tunc simplicem habebant fidem, nempe esse eum Christum, & missum à Deo; at post mortem, & resurrectione multo explicatiorem, & ampliore per Spiritum sanctum, & Apostulorum prædicationem affecti sunt. Veritas igitur opponitur erroribus, & ignorantibus contra Deum; opponitur etiam figuris, & vmbis legis: credunt ergo qui confusam quandam & generalè habent fidem; at qui perfectius diuina penetrant mysteria cognoscunt, & multo perfectius illi, qui sunt in patria; & tam illam, quam istam Christus suis donat credentibus.

Et veritas liberabit vos.

COMMENTARIUS.

Tertia promissa credentibus promissa est liberatio. Non, inquit, inutilis vobis erit ista veritas cognita, & quæ cognoscenda promittitur; nam à seruitute vos in libertatem vindicabit. Nō hæc liberatio à periculis est, sed à seruitute; quamvis enim qui à periculo eripitur, similiter & qui à statu seruitutis extrahitur, liberari dicatur; tamen in hoc loco libertas posterior significatur; hoc enim Græcum verbum indicat, ἐλευθερώσθαι, quo notat Chrysof. homil. 53. voluisse etiam Dominum Iudæorum frangere superbiam, dum eos seruos esse insinuat. Hæc verò libertas est, qua credentes à statu seruorum, in statum adoptionis filiorum liberantur; de qua ad Galat. 4. tractat Paulus; quæ libertas tres complectitur libertates; nempe à legis veteris, peccati, & corruptionis seruitute. propterea Euangelium lex perfectæ libertatis dicitur Iacob. 1. nam in veteri erat libertas à peccato, non quidē virtute legis, sed fide venturi tunc Christi. non tamen erat libertas filiorum, nec libertas corruptionis; at verè in Christum credens, à seruitute triplici liberatur; nempe à seruitute peccati, legis illius, & corruptionis, quorum explicationem in annotatione require. Rectè autem dicitur, *Veritas liberabit vos.* Christus enim est, qui liberat: ideo dictus veritas, quia vmbas remouet legis, eius figuras terminat, & promissiones implet, ideoque ab eis seruitute liberat.

ANNOTATIO XII.

AVGUST. ferm. 48. de verb. Domini. rectè annotauit verbum latinum liberandi esse ambiguum; nam liberatur homo à periculis, & à seruitute. Apud Græcos autem non hæc ambiguitas est; vno enim verbo liberatio prior, altero posterior exprimitur: hoc autem in loco à seruitute liberatio significatur, per quam homo, qui credit, seruus esse desinit, & in statum liberorum extollitur. hoc idem tradit tractat. 41. in Ioann. & vera est doctrina. At quæ sit ista seruitus, non eodem modo exponitur; in scriptura enim multiplicis seruitutis fit mentio, & quantum ad præsens spectat, triplex est, Prima est seruitus illa legis, vt enim ad Galat. 4. Paulus docet, qui sub lege erant, in statu seruorum viuebant. Duo, inquit, sunt testamenta; Vnum in monte Sinai, in seruitutem generans. Altera est seruitus peccati; qui enim in peccato est, seruus est dæmonis, seruus est peccati; vt non possit quidquid boni vult facere, sed necesse est eum lege peccati teneri, nisi per gratiam liberetur. de hac dicitur ad Rom. 6. Gratias autem Christo, quod serui fuistis peccati. Tertia est corruptionis, qua in hoc seculo miseris, & laboribus, & poeniratione corporis sunt etiam iusti subiecti, de

dicatur Rom. 8. Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ab hac triplici seruitute Christus, qui veritas est, suos liberat credentes. de prima liberatione dicitur Galat. 4. Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit; de statu enim seruorum, in adoptionem filiorum liberantur iusti per Euangelium. de secunda ad Roman. 6. Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. de tertia Rom. 8. Liberabitur à seruitute corruptionis. Duæ in hoc seculo, tertia in altero tantum fit.

His igitur suppositis Augustin. locis citatis, Chryf. ho. 53. & Euthymius, de libertate à peccato, hunc locum exponunt. Athanasius autem in sermon. 3. cont. Arium, & Cyprian. in lib. de bono patientiæ, de libertate corruptionis, quæ fit in gloria, interpretantur. at re vera libertas, de qua hic agitur, est filiorum adoptionis, in qua omnes tres comprehenduntur, libertas enim illa à peccato erat in lege veteri, & dabatur credentibus tunc in Christum; at libertas nunc promittitur generaliter danda credentibus; Igitur non sola est à peccato libertas, sed perfecta, vt diximus in commenta-

mentario, suis temporibus danda: de qua ^A & in hoc seculo spes libertatis corruptio- nis: si enim filij, & hæredes per Chri- stum; propterea dicitur: *Si manseritis in sermone meo.*

Responderunt ei, semen Abrahamæ sumus, & nemini seruiui- mus unquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?

COM M E N T A R I V S.

INtellexerunt Iudæi seruos se à Christo appellari, & de libertate à seruitu- teloqui: propterea respondent se esse liberos, quia filij Abrahamæ sunt, neque vlli unquam seruiuerunt. Illud autem, *Quomodo tu dicis, liberi eritis?* est cū qua- dam indignatione prolatum; quasi ægrè tulerint libertatem promissam tan- quam seruis: Non est autem hæc responsio credentium, sed incredulorum, & persecutorum Christi, vt ex responsione sequenti constat: quamuis Augu- tract. 41. vocem illorum credentium fuisse affirmet. id, quod etiam prius sen- sit Orig. tom. 22. in Ioã. Abraham allegant primum progenitorem, qui liber fuit, non seruus, & magnus vir ac propheta, plurimique suis habitus tempo- ribus. hæc autem verba, *Nemini seruiuimus unquam,* non ad eorū patres, sed ad proprias referunt personas: nam & Christus cum illismet loquebatur, non cum patribus: sciebat enim, & erat omnibus notum & in confesso, patres in Aegypto seruiuisse: similiter & in Babylone; at ipsi nemini tunc seruebant; quamuis enim sub Romanis essent, tamen non erant illorum serui, nec in hoc mentiti sunt, vt Chryso. hom. 53. & Euthymius affirmant. Et quamuis non sint mentiti, tamen nō intellexerunt Christū: existimabant enim de hu- mana, & ciuili seruitute eum loqui: quam seruitutem Christus suo aduentu non abstulit, & docuit Paulus 1. Cor. 7. Vocatus, inquit, es seruus? non sit tibi curæ: pertinet enim hæc ad seruitutem corruptionis, cuius libertas dabitur quidem, sed non in hoc seculo.

Respondit eis Iesus, amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.

POterat Dominus opponere, & seruitutem legis, & seruitutem corruptio- nis; tamen omnium pessimam obiecit, nempe seruitutem peccati; illas au- tem dissimulauit, quia credentes in eum nondum ab eis liberati erant: hæc autem obiectio multum eos deprimebat, eorumque superbiam, & mali- tiam confundebat; qui se semen Abrahamæ, & liberos iactabant, & contra Chri- stum mala cogitabant. Vt igitur eos seruitutis conuincat, generalem statuit assertionem, *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.* ac si dicat, nihil vos iu- uat esse semen Abrahamæ; omnes enim, quicumque, & qualiscunque, siue no- bilis, siue diues, siue princeps, siue subditus, qui peccatum facit, seruus est, non hominis, sed peccati, quod peius est; & quanto homo superior est peccato, tanto seruitus humana hæc, quam vos non admittitis, est mi- nor seruitute peccati: nam humilior est, & vilior seruum esse peccati. At- tēde hæc; & sequentia verba esse syllogismum Domini, efficaciter proban- tē esse eos seruos, & talis est, *Omnis, qui facit peccatū, seruus est peccati;* vos facitis peccatum, ergo serui estis peccati. primam partem probat, *Seruus nō manet in domo:* illam autem mediā partem, nempe, vos facitis peccatū, confirmat; quia *Queritis me interficere sine causa,* vt in sequentibus declarabitur. Attēde per peccatum arbitrium hominis seruum manere peccati, & Dæmonis: quia nō habet potestatem, nec vires, vt resistat peccato, & Dæmoni; nisi enim diuinū gratiæ adsit auxilium, in eo est statu, vt nequeat à peccato cōmisso suā se pur- gare virtute; nec valeat omne in posterum cauere peccatum; nec omnem dæ- monis vincere tentationem, sed succumbere necesse est nouis peccatis. Hoc Paulus

Paulus Rom. 6. appellat dominari peccatum in homine, & regnare in corpo- re; Non, inquit, regnet peccatum in vestro mortali corpore. Et iterum, Pecca- tum vobis non damnabitur. de qua libertate Augustinus meminit lib. 24. Ci- uii. cap. 11. & multis alijs in locis. Aduerte Christum his verbis significasse le- gem illam neminem liberasse à peccato; qui enim libertatem à peccato tunc consequebantur, eam virtute fidei vèteri Christi obtinebant: eo igitur iā ad- ueniente non credentes in eum, non hoc priuilegio fidei gaudent, sed sunt sub sola lege, qua cessante, & abolita, necesse est eos esse omnes sub peccato.

Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.

HIS verbis Dominus confirmare videtur assertionem prædicentem. Qui facit peccatum, seruum esse: & confirmatio hæc est, serui est non mane- re in domo domini in æternum; at filij semper manent; cū igitur peccator non manet in domo Dei in æternum, quia quamuis ad tempus sit de populo Dei, & de eius ecclesia, tamen mittendus est in tenebras exteriores damnatio- nis, & inferni; filius autem semper manet in domo, quia semper ad populum Dei, & ecclesiam pertinet, & post seculum hoc in coelestem recipiendus est domū. Ergo, qui peccatum facit, seruus est. Totius huius discursus primam partem exprimit Dominus, in qua totum reliquum concluditur, & ex qua- dam analogia, & proportione ad seruos ciuiles sumitur argumentū, & maxi- mē apud Iudæos, apud quos post septem annos, & anno etiam Iubilæi, om- nes serui liberabantur; & à domibus dominorum mittebantur, vt habetur Exod. 21. Deut. 15. apud nationes autem alias serui venduntur, & de domo in domum transeunt; & quamuis non vendantur, saltem vendi, & domo à do- minis priuari possunt, at filij proprias retinent semper domos; nam hæredi- tas eorum est, non autem seruorum. ita & iustorum hæreditas Dei est. Atten- de in Ecclesia Dei peccatores, quamuis exterius dominantur, sunt tamen tan- quam serui; at iusti, vt filij apud Deum. quod Gregorius docet eleganter expo- nens illud Eccl. 10. Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulantes super terram, lib. 31. Mora. cap. 10. hunc Ioannis locum adducens.

Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

CONcludit, quod superius dixerat, nēpe liberandos esse, qui credunt in eū. Cū igitur, inquit, serui sitis, tunc profectò liberamini, & in libertatem vindicamini, quando filius vos liberauerit; filius enim Dominus est, & Do- mini est liberos facere seruos. ac si dicat, ne vos miremini, si dixi vos liberan- dos, quia serui estis; nec si dixi, veritas liberabit vos, quia veritas hæc, filius & Dominus est, cuius est libertatem dare. Se sub tertia persona filium appellat Dei, qui potens est à seruitute etiam peccati liberare. Attēde autem quam- uis his verbis, & præcedentibus de seruitute peccati agat; etiam de seruitute le- gis loquitur: exprimit autē seruitutem peccati propter illos, vt eos deprimat, & conuincat, tacitè verò etiam insinuat à seruitute legis liberandos, in liberta- tē adoptionis filiorū, quā dat verus, & naturalis filius Dei. & hoc est, quod di- cit, *Verè liberi eritis, si vos filius liberauerit.* id est, Eritis filij adoptionis Dei, facti per me, qui sum filius verus, & naturalis. filius enim facit filios, quamuis non in eadem æqualitate, & forma. quod Paulus ad Galat. 4. docuit dicens, Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege e- rāt, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Nota misit filium suū, vt filios faceret adoptionis, & à lege liberaret, & quasi seruos redimeret, hoc est, quod nunc dicit; quamuis propter illos de seruitute sola & libertate pecca- ti expressè sit locutus. Verè autem annorat Chryso. hom. 53. dici filium, vt di- stinguat à seruo; qualis fuit Moyse legislator, qui liberos facere non potuit, cū seruus esset; at Christus filius, filios & liberos facit. Dicit, *Verè liberi,* seu per-

seu perfectè; quia ista libertas humana, & ciuilis debilis est, & imperfecta, quæ potest admittere secum seruitutem peccati. Rectè igitur his verbis Athanas. serm. 3. cont. Arrianos probat Christum esse filium Dei naturalem, non creaturam, cum ipsius sit à seruitute liberare.

Scio, quia filij Abrahamæ estis, sed queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

SUPERERAT illa assertio media probanda, nempe vos facitis peccatum: hanc nunc confirmat; est quæ sensus, parum vos iuuat esse semen Abraham; scio quidem vos esse illius semen, tamen *Queritis me interficere* sine culpa: nã nulla alia de causa id facere vultis, nisi quia meum sermonem non potestis recipere: hoc autem graue est peccatum, hæc magna est iniquitas; non ergo vos dixi seruos, quia filij sitis seruorum, scio enim quia estis filij Abrahamæ; sed propter iniquitatem, quam perficere paratis, & queritis: hoc autem Abraham non fecit, nec in hoc filij aut semen eius estis; neque hæc libertas impedit, quominus serui sitis propter peccatum. Attende illud, *Sermo meus non capit in vobis*, id est, nõ habet locum in vobis. Est metaphora vasis iam pleni, quod liquorem amplius capere nequeat: aut ita stricti, & angusti, vt copiam superinfusam non recipiat. ita in his ob eorum plenitudinem, quia occupati & pleni erant malitia & peccatis; prout intellectus angustias ratione incredulitatis eorum, sermo Christi purus, sanctus, ac diuinus, locum non habebat. Chryf. hom. 53. annotat esse dictum, Non capitis sermonem meum, sed, *Meus sermo non capit in vobis*, vt indicaret sermonis, & doctrinæ ipsius magnitudinem. Vana autem est, & impia interpretatio Heracleonis Manichei, vt refert Orig. tom. 21. in Ioannem, dicentis, non capere sermonem in eis quia natura erant inhabiles, & incapaces; decipitur hæreticus valde: nam vitium erat malitiæ, non naturæ, aliter non essent reprehensione digni.

Ego, quod vidi apud Patrem, loquor, & vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

CAUSAM, cur eum Iudæi interficere quærent, doctrinam suam esse dixerat, quia non capit in eis. Ne igitur aliquis in doctrinam, non in Iudæos culpam referret, idcirco his verbis eam defendit, & illos arguit, causamque esse docet, cur in eis non capiat sermo. *Ego*, inquit, *quæ apud Patrem vidi loquor*, id est doctrina, & sermo meus est cœlestis, & diuinus; nam ea loquor, quæ apud Deum vidi. His verbis suam ostendit diuinitatem, qui filius Dei est, apud Patrem semper existens, & in essentia vnã cum Patre omnia videns, quæcunque vt homo loquitur. non ergo est vitium in doctrina mea; at vos, *Quæ apud vestrum Patrem vidistis, hæc facitis*, propterea, nõ capit in vobis sermo, hic, *meus*. Dominus patrem istorum diabolum intelligit, eos autem, quæ faciunt, vidisse apud diabolum dicit, quia, quæ faciebant, diaboli instinctu interiori faciebant, iuxta illud Ioann. 13. Cum iam diabolum misisset in cor, vt traderet eum Iudas. Vbi attendendum est, non eadem ratione Christum dici videre apud patrem quæ loquitur, & hos videre apud diabolum, quæ faciebant. Christus enim in diuina essentia, & vt Deus, & vt homo videbat omnia, quæ docebat, & ex diuina etiam Patris voluntate ea loquebatur: at isti non in dæmonis essentia videbant; nec enim erant filij dæmonis, sicut Christus erat filius Dei, sed dicti sunt vidisse apud diabolum; tum propter exemplum, quia sciebant diabolum innocentes iniquè persequi, tum quia, quæ faciebant, eius instinctu, & instigatione faciebant. nec hoc tantum, sed simul etiã cognoscebant se malè facere, & iniquè persequi Christum, & consequenter illud esse diaboli opus seire potuerunt: multa enim fieri possunt Diaboli instinctu, quæ tamen non vt talia cognoscuntur; at isti vtrunque habebant; idcirco dicti sunt facere, quæ apud illum videbant. Et perpende Christi innocentiam, & istorum

istorum malitiam. Christus quæ apud patrem Deum videbat loquebatur; at illi, quæ apud dæmonem videbant, faciebant; nam & opere ipso quærebant interficere. Perpende rursus horum culpam; vnde enim gratias summas agere debuerant, quia, quæ apud Deum videbat notificabat, inde eum interficere notificabat.

Responderunt, & dixerunt ei, Pater noster Abraham est.

EXISTIMANTES Christum aliquos Patres eis voluisse obijcere, quos iniquos fuisse, & peccasse, negare non poterant, se suo primo patre defendunt, qui innocens, & castus fuit, & omnium illorum communis pater. *Abraham*, inquit, *pater noster est*, nõ exprobres, nec obijcias nobis alios patres, hic est primus & communis pater omnium nostrum, iste sicut liber, ita & iustus, Deoque gratissimus fuit. Attende verba Euangelistæ, non satis ei fuit dicere *Responderunt*, sed adiunxit, *Et dixerunt ei*: sunt enim in hoc Euangelistæ multum particularæ, & singula verba consideranda. Respondisse eos dicit, quia propter verba Christi ad eos dicta, ipsi hæc protulerunt; at dixisse etiam adiecit, vt eos his verbis suam iniustitiam, & nequitiam occultare, iustitiam verò, & innocentiam præ se ferre voluisse, indicaret. quod Christus cognosceus, eorum responsionem refutat, & apertè malitiam, & nequitiam eorum detegit.

Dicit eis Iesus, si filij Abrahamæ estis; opera Abrahamæ facite; nunc autem queritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo; hoc Abraham non fecit.

ILLOrummet verbis eos redarguit. *Si*, inquit, *filij estis Abrahamæ*, ipsum imitemini; filiorum enim est patres imitare: at non sic facitis; nam vos *Queritis me interficere*, hominem innocentem, & benefactorẽ vestrum, quia, quæ audiui à Deo, vobis aperui; tale opus non fecit Abraham: non igitur est, quod vos Abrahamæ innocentia, & iustitia tueamini, quia contraria sunt opera vestra operibus illius. Attende sermonem esse causalem, *Interficere hominem, qui veritatem locutus sum*, id est, quia veritatem locutus sum, nec qualemcunque veritatem, sed, *Quam audiui à Deo*. Attende rursus ex consequentia verborum apertè deduci patrem suum Deum appellare: nam præcedentibus verbis dixit se loqui, quæ vidit apud Patrem, nunc autem, quæ audiuit à Deo, ergo pater eius Deus est. Videre, & audire dicitur; tum quia vt Deus ab æterno omnia accipit à Patre. Non negat eos esse filios Abrahamæ naturæ, sed imitatione, quæ carentes; necesse est alium habere patrem ex imitatione, vt statim ostendit.

Vos facitis opera patris vestri.

ALIUM patrem habere, cuius opera imitantur, dicit; nam Abraham non fecit quæ isti faciebant. Quis hic sit pater, nondum explicat, & prudenter; si enim statim aperuisset, non ita eos capaces habuisset rationis; at dum prius eos ab Abraham auellit, quia ipsum non imitantur, & inde colligit alium eorum esse patrem, quem imitantur; fortius, & euidentius diabolum eorum esse patrem concludit.

Dixerunt itaq; ei, nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum.

NOUERUNT Iudæi ex his Christi verbis, non de patre secundum carnalem generationem, sed de spiritali patre eum loqui; & sicut dum patrem secundum carnem intellexerunt, se Abrahamæ excellentia defenderunt & iactarunt; ita & nunc spiritalium patrem intelligentes, Deum se patrem habere

gloriantur, & dicunt, *Nos non sumus ex fornicatione*; id est, idololatræ, & Deos falsos sequentes; sed verum Deum adoramus, & hunc patrem imitationis, & spiritus habemus. non igitur habes, quod nobis obijcias, neque secundum carnem, neque secundum spiritum. Frequentissimè scriptura idololatriam fornicationem appellat; & quando Synagoga Iudæorum idola colebat, fornicari dicebatur, tuncque idolatrantis filij fornicationis erāt: nam mater eorum Synagoga fornicabatur. Iere. 3. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Osee 2. Quoniam fornicata est mater tua. Ezech. 16. Reuelata est ignominia tua, in fornicationibus tuis. Sunt huiusmodi sexcenta loca. de hac autem fornicatione Iudæos locutos esse, indicant verba sequentia, quæ ab hac se fornicatione defendentes dicunt. Hæc enim posterior est antithetum prioris sententiæ, vnum nempe patrem habemus; id est, vnum Deum patrem habemus, non multos Deos colimus. Attende istos fateri se patrem habere Deum, non qualem Christum se habere affirmasse dicebant; nam Christum asserentem patrem naturalem, & æqualem habere Deum accusabant; at ipsi patrem cultu, veneratione, & imitatione Deum appellant.

ANNOTATIO XIII.

ORIGEN. tomo 22. in Ioann. hæc verba: *Nos ex fornicatione non sumus*; de carnali fornicatione exponit; simulque dicit, esse per iniuriam quandam contra Christum dicta, quasi dicerent. Nos potius habemus patrem Deum, quam tu, qui te iactas patrem habere solum Deum, & ex virgine natum, cum sis ex stupro genitus; at nos patrem habemus verè Deum, qui non negamus patres habere carnales, à quibus non ex fornicatione geniti sumus. Euthym. quamuis nomen non citet, huius meminit expositionis, & interpretatur de fornica-

atione carnali; quod autem sint per iniuriam illata, refert solum; at nec probat, nec reprobat. Sed re vera est violenta expositio, & verbis non facile accommodatur: nam verba illa, *Deum habemus patrem*, nullam habent connectionem, si de fornicatione carnali exponamus, sicuti in commentario dictum est. Reliquum autem de iniuria illata, verba non indicant, nec consentiunt testimonia Euangelica, ex quibus constat Iudæos semper filium Ioseph Christum appellasse.

Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis vti que me; ego enim ex Deo processi, & veni.

COMMENTARIUS.

CVM se patrem habere Deum iactarent, quasi ipsum imitarentur, & diligerent, eos etiam excludit ab hac gloriatione Christus. Et est sensus, *Si Deus pater vester esset, vt dicitis, me diligeretis*: nam ego filius eius sum. Qui autem diligit patrem, diligit etiam filium, at cum filium odio habeatis, & persequamini; profectò vos nec patrem habetis Deum, neque eum diligitis. Negat Christus eos habere Deum patrem, non quod non crederent in Deum, sed quod non diligerent, nec imitari studerent; hoc enim est habere Deum patrem. Dicit autem se à Deo processisse, & venisse, vt doctè, & verè Angust. tract. 42. exponit, quia vt Deus à patre per æternam generationem, hoc enim est procedere, & homo factus est in tempore per carnis assumptionem, & hoc est venire. His enim verbis, se verum Dei filium naturalem profiteretur, simul & hominem.

ANNOTATIO XIV.

ORIGEN. tom. 22. Ex Deo processi, & veni, totum ad incarnationem refert, vt ex inatinitio Christi, sit egressio & aduentus eius: Non hac expositione contentus, impugnat eos, qui filij generationem æternam hoc verbo significari dicunt; sunt autem argumenta eius homine tam docto indigna. Si enim, inquit, filius Dei à patre processisse, & egressus esse diceretur, vt Deus est, tunc pater priuaret se substantia illa, quam dedit filio; & rursus cor-

poreus, & diuisibilis esset. Quibus vnico verbo respondemus, processisse filium à patre, non quod alia substantia, sed quod alia sit ab eo persona; nec est diuisio in substantia, sed distinctio in personis; egressum autem hunc æternum, & processionem, esse filij generationem, & dici, scriptura docet. Michæ. 5. Egressus eius à diebus æternitatis. & Ecclesiast. 24. Ex ore altissimi prodiit primogenita ante omnem creaturam. Ecce prodiit ante omnem

omnem creaturam filius. Doctius ergo Augustin. tract. 24. non solum id docet, sed sic exponit hunc locum; aliter enim satis erat dicere: Ex Deo veni; vt autem vtrumque exprimeretur, vtroque est vsus vocabulo; Ex Deo pro-

cessi, & veni, vt exposuimus in commentario. Et hac ratione vtitur Hilarius libr. 6. de Trinitate ad probandum primum verbum, Processi, de æterna generatione esse exponendum.

Neque enim à me ipso veni, sed ipse me misit.

COMMENTARIUS.

HEBRAÏSMUS est, quod affirmando protulit, idem ad maiorem veritatis expressionem, negando confirmat: *Neq. enim à me ipso veni, sed ille me misit*, non à seipso venit, sed missus à Patre, quia ita homo factus est, vt à Deo procederet. Quibus etiam verbis expressius docet, legationem suam esse, secundum patris voluntatem, vt qui ei contradicunt. Deo Patri contradicere, non autem eum vt patrem imitari concludat.

Quare loquelam meam non cognoscitis, quia non potestis audire sermonem meum.

INUEHITUR in eos, quod non cognoscant, se esse Dei filium à patre missum; cum habuerint multa argumenta cognoscendi. Et est sensus, *Vos qui, Non potestis*, seu nō vultis, *Meum sermonem audire*, sed ipsi maximè aduersamini, cur non agnoscitis meam locutionem esse filij Dei à Patre missi? Sunt autem aliqua ad intelligentiam huius sententiæ animaduertenda. Primum est, interrogationem hanc habere magnam energiam: quasi diceret nullum vobis est argumentum, quo hanc meam locutionem esse filij Dei negare possitis. sunt autem multa, & sufficientissima, vt negare non valeatis, & tamen adhuc non potestis meum audire sermonem. Alterum est hoc verbum, *Non potestis*, non significare impotentiam absolutè, sed voluntatem obduratam, & auersantem; quādo enim aliquid facere abhorremus, & vehementer renuimus, dicimus non possum hoc facere: ita hi auersabantur maximè, & summo odio persequabantur doctrinam Christi, ideo dicit, *Non potestis audire sermonem meum*. Tertium est, sermo ad totam Christi doctrinam refertur, quam isti non poterant audire, at loquela & locutio, ad hanc singularem sententiā, qua se à Deo processisse, & venisse dixit; vt sit sensus, cur non agnoscitis hanc meam vocem, *À me ipso non veni, sed ille me misit*, vos qui tanto odio meam doctrinam impugnatistis: si enim agnosceretis vocem esse filij ipsius Dei, vtique non odio haberetis, sed audire possietis sermonem meum. Quartum est, totam hanc esse vnam integramque sententiā, *Quare loquelam meam non agnoscitis, quia non potestis audire sermonem meum*; & interrogatio est vltimo loco ponenda, vt sit sensus, vos qui non potestis audire sermonem meum, quare non agnoscitis meam locutionem, cuius sit, cum habueritis, vnde facillimè id agnosceretis. Illa enim particula *Quia*, Græcè *ὅτι*, non causam indicat, sed loco *Cum*, posita est. Similis enim est phrasis Ioan. 2. Quod signum ostendis nobis, quia ista facis: id est, cum hæc tanta facias, signo aliquo comprobata tuam potestatem, seu cur non signo te posse ea facere ostendis?

ANNOTATIO XV.

EUTHYM. aliter exponit hæc verba: nam **B**priorem partem legit sub interrogatione, *Quare loquelam meam non agnoscitis?* posteriorem verò tanquam causam, cur illi non agnoscant loquelam eius; nempe, vos non agnoscitis loquelam meam, *quia non potestis audire sermonem meum*. hanc expositionem ante ipsum secutus videtur Orige. tom. 22. in Ioan. & simul ponit differentiam inter audire, & agnoscere: vt audire sit ea, quæ dicuntur, intelligere, agnoscere autem intellectis assentiri: e-

ritque sensus; cur locutioni meæ non assentimini? causa est, quod non intelligitis, nec percipitis sermones meos. In primis mihi magis placet lectio & expositio quam adhibuimus in commentario, vt vnica sit sententia tota sub interrogatione: sensus enim sic accommodatior est, istam autem Origenis explanationem non puto in præsentī locum habere, nec enim verum est Iudæos sermonem Christi non intellexisse: nam perceperunt Christum docere se esse Dei filium, patri

æqualem, vt patet Ioann. 5. tamen credere noluerunt: audire ergo non posse dicuntur. quia non solum noluerunt credere quæ dicebat, sed summopere doctrinam auersabantur totam. reprehenduntur autem, quod non agnoscant locutionem, id est, cuius sit locutio, & doctrina: sicut, si aliquis alterum rogaret aliquid fa-

ciendum, rogansque esset persona insignis, qui cum preces non exaudiri suas sentiret, diceret; cur non agnoscis vocem meam, qui preces meas spernis, nec exaudis? quasi diceret, exaudires, & faceres rogata, si vocem meam agnosceres, nempe personam rogantem scires. Talem puto esse horum verborum sensum.

Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.

COMMENTARIUS.

EXclusit ab illis patrem Abraham, & patrem Deum; nunc quem imitentur patrem, explicat, & eò fortius confirmat, quo nec Abraham, nec Deum eos imitari, comprobauit; simul etiam causam, cur non audiant sermonem eius exponit. Vos, inquit, ex patre diabolo estis, non Abraham, non Deum, sed diabolum patrem vestrum habetis; quod inde patet, quia studia, & mores eius imitari quæritis. hoc est desideria eius facere, & est Hebraismus; sæpe enim, vt annotauimus, particula copulatiua ponitur loco causalis; ac si diceret; ex diabolo patre estis, quia studia, & mores eius imitamini. Estque argumentum ab effectu: dæmonis enim instinctu moueri & agitari illos inde patet, quia opera illorum similia sunt eius operibus. Aug. li. con. Adiman. cap. 4. hunc locum exponens, tripliciter in scriptura filios dici docet, natura, doctrina, imitatione. lib. autem 1. retract. cap. 22. se corrigens, addit alios duos, scilicet filios gehennæ, & adoptionis. hoc in loco Ioannes de filiis imitatione loquitur, & de filiis ex quadam instigatione, & motione. Aug. autem dicit filios diaboli dictos, vel quia ab eo iniquitatem didicerunt, vel quia ipsum sunt imitati. Adde etiam, quia ipso impellente operabantur.

Filij in scriptura variè vocantur.

Ille homicida erat ab initio.

MOres, & studia diaboli describit, vt inde eos talia facientes, eum habere, & imitari patrem manifestet. Ille, inquit, homicida fuit à principio, nempe à seculi exordio homicidia concupiuit, homicidia procurauit. Nemo equale homicidium committere vnquam potest, ac ille perpetravit, qui omnes homines morti subiecit: inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum: nec hoc contentus Cain in necem Abel iusti excitauit, & infinita postea homicidia ipsius instigatione perpetrata sunt, & quotidie perpetrantur; vt non aliud sitire, quam humanum sanguinem videatur. Hic mos, hoc est studium diaboli, quod isti imitantur, necem Christo iusto meditates: non loquor de nece animarum, quæ fit per peccatum; quamuis enim etiam diabolus sit homicida animarum, tamen ad sensum præsentem non hoc facit, sed sermo est de homicidio corporum, quod isti Christo inferre parabant, & in eo diabolus erant imitatores.

Et in veritate non stetit.

HOc est alterum diaboli studium, in veritate non stetit. Veritatem appellat, quæ alio nomine veracitas dicitur, qua quod verum est loquimur, & opponitur mendacio: in hac Deus creauit diabolum, sicut cum alijs virtutibus omnibus, sed non permansit in ea; nam ad mendacium se conuertit, & primos homines mendacio decepit, dicens, Nequaquam moriemini, cum tamen aliter sentiret, & aliter res ipsa se haberet. multas alias accepit à Deo diabolus virtutes, in quibus non permansit, proprio arbitrio ad malum se conuertens: at dominus huius meminit, quia iudæi in eo diabolum, sicut in homicidio imitabantur. quod probandum, & ostendendum Dominus suscepit, vt patrem habere eos diabolum conuincat.

ANNO.

ANNOTATIO XVI.

SUPERIOREM sententiam non eodem modo Doctores exponunt propter illud, Veritatem non stetit in eo. Chrylost. hom. 54. veritatem exponit vitæ rectitudinem, quæ omnem virtutum complectitur: sicut enim aliquando in scriptura vsurparur, dictusque est dæmon non stetit in veritate, quia in ea iustitia & sanctitate, in qua creatus est, non permansit. hanc expositionem sequitur Leo serm. 10. de quadrag. Secundo loco Euthy. conuenire videtur in interpretatione veritatis, tamen aliter sententiam exponit: nempe, Non stetit in veritate, quia non quietus in via virtutis, sed omnem bonam odit conuersationem, quod non ad diabolum refertur respectu sui, sed relatione etiam ad homines, quorum vitam studiosam insectatur. Tertio loco August. lib. contra Adimant. cap. 4. veritatem, legem exponit: nec enim Diabolus in lege sibi data stetit, nec etiam Iudæi. Quarto loco alij veritatem, fidelitatem interpretantur, dictusque est dæmon non stetit in veritate, quia non fuit fidelis Deo; nec eam præstitit, quam illi debuit obedientiam. Hanc expositionem insinuat Cyprian. lib. de orat. dominica in principio, explicans Pater noster. Quinto loco, Origenesto. 24. in Ioann. hanc veritatem exponit eam, quæ opponitur falsitati: & diabolus dicit in veritate non stetit, quia deceptus est in falsis dogmatibus, vocat Origenes dogmata, iudicia practica intellectus, quæ sequitur, & acceptat voluntas ad operandum: propter quæ, qui malè operatur, dicitur ignorans, & errans: qui verò benè, prudens censetur & verus. Nulla harum expositionum contextui ita facilè & propriè ac-

ad hanc expositionem.

A commodatur, sicut ea, quam in commentario adduximus: vt veritas hæc mendacio opponatur, dictusque sit in veritate non stetit, quia cum à Deo verax in dictis, & factis sit creatus (virtutem enim talem infusam habuit) parum in ea perseverauit: nam cum primum à gratia cecidit, ad mendacia & dolos se conuertit: quæ etiam modò & per se, & per homines nefarios exercet. Sequentia enim verba hanc probant interpretationem. Similiter & contextus ratio: nam Dominus non omnem diaboli malitiam; sed eam partem, quam isti imitabantur in ijs, quæ contra ipsum Christum perpetrabant, describere intendit. Nec hanc expositionem sine graui proferimus auctore: eam enim secutus est Irenæus. lib. 5. cap. 22. & cap. 23. utroque enim loco ita est hanc sententiam interpretatus; vt non stetit in veritate dictus sit, quia mendax est, & mendacium loquitur. Rectè autem August. lib. 11. Cui. cap. 3. 14. 15. aduertit illud verbum, Non stetit: id enim indicat diabolus in veritate fuisse factum, tamen non perseverasse: si enim nunquam in veritate fuisset, non esset dictus non stetit, seu non permansisse: idcirco hoc loco vtitur contra Manichæos, affirmantes diabolus natura esse malum, & semper fuisse malum, deceptos illo loco. Ioann. 3. Ab initio diabolus peccat: quæ tamen verba non significant, vt ibi Augustinus docet, creatum esse in peccato, sed ab initio, quo peccatum incepit, ipsum peccare: seu quia ferè ab exordio mundi peccat: parum enim in rectitudine durauit: eum autem in rectitudine ante fuisse creatum, verba præsentia probant.

Quia non est veritas in eo.

COMMENTARIUS.

Diabolus in veritate non permansisse, ex ipso effectu probat, Quia veritas in eo non est, id est mentitur, & mendacia infinita profert. quod illis iudæis satis ex ipsa notum erat scripturam in qua inter alia nomina hoc sortitur, vt sit spiritus mendax. Rectè August. lib. 11. Cui. cap. 14. annotat, nempe hoc argumentum, & probationem esse ab effectu. Quod si aliquis velit etiam causam verba hæc continere, tunc sensus erit; causa quod non steterit in veritate ea est, quia, quam veritatem accepit, in ea iam non est. sicut si diceres, in sanitate homo non permansit, quia sanitas in eo non est, quam tamen habuit ante, at prior sensus est accommodatior, & verior.

Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.

HÆc verba sensum eum confirmant, in quo verba illa, In veritate non stetit, interpretati sumus: nam hæc præcedentem sententiam explicant, & augent. Et est sensus; quia dictum est, non esse in eo veritatem: seu ipsum mentiri, & mendacia disseminare; exponit, quam proprium sit, & quam coniunctum mendacium diabolo, postquam in veritate non stetit; quando enim mentitur ex proprijs mentitur: quid autem sit ex proprijs mentiri, ex causa subiuncta à Domino declaratur. sunt autem duo; vnum, quia mendax est, id est, cum loquitur mendacia, loquitur, qualis ipse est, vt talis sit sermo, qualis est,

Mentiri est diaboli officium.

qui loquitur. ipse est mendax; mentiri ergo illi est consentaneum, sicut enim scriptoris est scribere, & doctoris docere, ita mendacis mentiri. Quibus verbis significat Dominus officium eius esse mentiri, & hanc consuetudinem habere; ut enim non est scriptor, nec doctor, qui unum, aut alterum actum facit, sed qui ex habitu, & frequenti consuetudine id facit, & tunc ex proprijs facit; sic dæmon se habet ad mendacia. propterea recta ratio subiūgitur, *Quia mendax est*: non enim dicitur mendax, nisi qui habitum talem habet ac consuetudinem. Altera causa est, cur dicitur sit ex proprijs loqui, cum mentitur, quæ in sequenti explicatur verbo: *Et pater eius*. non sufficit primum, & mendax sit; nam multi inter homines ex consuetudine mentiuntur, & mendaces sunt; tamen non dicuntur ex proprijs loqui; sed adhuc alterum habet dæmon, quia & mendax est, & simul pater mendacij; id est, primus inuentor, & auctor mendacij; propterea ipsius proprium dicitur mendacium. Ita August. tract. 42. & Chrysostomus hom. 53. exponunt. homo enim, cum mentitur, alieno utitur inuentore; at dæmon proprio; ideo ipse cum mentitur, ex proprijs loquitur, quia mendax est, propter consuetudinem & officium: pater propter inventionem, & primam causam mendacij. Cur autem Dominus in hac dæmonis exaggeranda malitia mentiendi sit immoratus, in sequenti intelliges commetario.

ANNOTATIO XVII.

ALIIQUI olim Hæretici suos tuebantur vanos errores verbo hoc Ioannis, *Diabolus mendax est, & pater eius*, relatiuum enim *Eius*, ad diabolum referebant, ut esset sensus; diabolus, & pater ipsius diaboli mendax est; diabolusque patrem habere affirmarunt. Epiphanius hæresi 38. hanc hæresim Caiianis tribuit, qui diabolum patrem Iudæorum, & hunc alium habere patrem: & iterum hunc alium afferebant, & his verbis utebantur Ioannis, Augustinus tractat. 42. hanc eandem hæresim tribuit Manichæis; hi enim diabolum habere patrem, nempe malum ipsum, docebant, & his eisdem utebantur verbis. Hieronymus Isai. 14. eandem hæresim tribuit alijs quibusdam dicentibus, draconem, qui mari dominatur,

A& dicitur Leuiatam, esse patrem diaboli, adfertque hæc Ioannis verba. Sed omnes hi decipiuntur; nam relatiuum *Eius*, refertur ad mendacium, de quo dicitur; *Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius*, nempe mendacij. In quo non recte tenet Nonnus, qui ad diabolum retulit. In scriptura autem primus inuentor dicitur pater. Genes. 4. Genuit Adam Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cythara, & organo. Sic dæmon pater mendacij dicitur: non autem quod patrem habeat, aut genealogiam, qui à solo Deo creatus est, & quidem bonus, ipse verò suo arbitrio in malum declinauit.

Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

COMMENTARIUS.

SENSUS est; Diabolus mendacij patrem imitami mendacij illius credentes, & mendacia eius sequentes: ideo vos mihi non creditis, quia ego veritatem dico, quam vos non vultis, quia patrem mendacij sequimini: diabolus enim Christum non esse Dei filium; nec Messiam, nec à Deo missum, nec vera eius esse miracula, eis suggererat, quæ erant manifesta mendacia; ipsi eius suggestiones sequebantur. Christo autem contraria, quæ vera erant, docenti, fidem non habebant; eadem dicentes, quæ dæmon suggererat, & cum ipso mentientes. His verbis eos mendaces esse confirmat, & diabolus imitari etiam in hoc, sicut in homicidio, de quo iam dictum est, quæritis me interficere. In utroque ergo mores dæmonis, & studia eius sequebantur. Ecce, cur Dominus ita immoratus est mendacio dæmonis amplificando, nempe, ut veritatem suam commendaret, & se diabolo aduersarium esse ostenderet, est enim veritas mendacio contraria. Illa particula *Si*, Græcè est *quia*; & ita interpretanda est.

ANNOTATIO XVIII.

Varia lectio. **I**N Græcis codicibus, & Latinis antiquissimis non legitur *si*, sed *quia*. & ita legunt & exponunt Origenes, tom. 25. Chrysostomus, homil. 13. & Euthy. & Augustinus, tractat. 43. ut sit causa cur non credant ei, quia veritatem loquitur. Obijciat aliquis, quia ratione fieri potest, ut aliquis

Incl. est Christi sum in multis enim verum dicere agnoscebant.

aliquis non credat alicui, qui veritatem loquitur: nam si cognoscit veritatem dicere, liberum non est ei interius negare, & opposito consentire; si autem non cognoscit, iam non videtur non credere, quia veritatem ille loquitur. Respondeo in multis isti sciebant Christum vera dicere: nam in suis conscientijs experiebantur peccata, quorum illos insimulabat, & propter hanc veritatem cognitam odio eum ita prosequabantur, ut esse Dei filium non crederent: odium enim & invidia excæcant intellectum, unde verè dicitur, Quia veritatem dico, non creditis, nepe, quia vos reprehendo, & arguo, & dignos reprehensione vos esse cognoscitis; propterea doctrinæ meæ fidem

Anon adhibetis. Rursus illud ipsum, quod non credebant, ideo non credebant; quia verum erat, sed ipsi affectata ignorantia nesciebant; qui. n. suis vitijs, & affectibus inhære cipiunt, quorum malitia non ita aperta est, timentes, ne si veritas inquiratur, talia opera damnatione digna sint invenienda, nolunt quærere veritatem, sed crassa ignorantia contenti, sua desideria exequentur. hi fugiunt doctores, & prædicatores propter veritatem; tales erant isti. erat enim Christus contrarius operibus illorum: non ergo crediderunt illi, ne si crederent, veritate compellerentur damnare, quæ faciebant. Superius c. 3. plura de hac re diximus.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

COMMENTARIUS.

IN eos, culpam reiecerat, quod non crederent, hoc, prosequitur Dominus explicare, & confirmare. Aduerte autem tribus de causis fidem non haberi alicui dicenti; aut propter vitæ eius parum honestam, quia indignus efficitur, ut ei credatur; aut propter doctrinam, quia falsa est, vel improbabilis; aut propter nequitiam, & culpam ipsorum auditorum, non credentium. Dominus igitur remouet duas causas primas, & inde infert tertiam. de prima dicit, *Quis ex vobis arguet me de peccato*; dixi vos non credere: at ne reiiciatis causam huius incredulitatis in me, vos ipsos compello; mei iudicium vobis ipsis relinquo; conuincite me de peccato. scio vos me legis transgressorem appellare, huius transgressionis alteriusve cuiusvis criminis, aut peccati me conuincite; non verbis & calumnijs agite, sed factis, & veritate; profecto nemo id unquam facere poterit, igitur non est in me causa vlla, cur mihi non credatis. Verbum arguere, non significat reprehendere in hoc loco, sed argumento & ratione conuincere, & probare. sic Ioan. 16. dicitur? Arguet mundum de peccato. ad Tit. 1. Potens sit eos qui contradicunt arguere. Sic etiam apud prophanos auctores sumitur, ut videre est in Aristotelis libris de Elenchis. verbum enim Græcum id significat. Magna hæc est Christi innocentia, quæ iudicium, & examen non vnus, aut alterius, sed omnium operum suorum, in manu persecutorum constituit; at potuerunt aduersarij per iniurias; & contumelias peccatum per calumniam imponere; sed eorum nemo probare, nec eum peccati conuincere voluit, adeo vera, & manifesta erat Christi puritas, & innocentia.

Tribus de causis docenti non creditur.

ANNOTATIO XIX.

Christus propter duo peccare non potuit.

ADuertendum, Christum non solum non peccasse, sed nec peccare potuisse; erat enim impeccabilis, duplici ex capite; Priore quia Deus erat, peccare enim naturæ non est, sed personæ; cum igitur illa persona esset diuina, & ille homo Deus verus esset, peccare nulla ratione poterat: hanc causam impeccabilitatis Christi tradiderunt Athanasius, lib. de incarnatione Christi, & corporali eius aduentu, prope finem. similiter Cyrillus libr. 10. in Ioan. cap. 40. Damascenus lib. 3. de fide cap. 21. & Anselmus lib. 2. cur Deus homo, cap. 10. & 16. Altero ex capite etiam peccare non poterat, nempe quia anima beata erat, & Deum videbat: beati autem etiam si meri sint homines peccare non possunt, ut docet Augustinus

Blib. 22. Ciui. cap. 30. Christum autem Deum vidisse ab instanti incarnationis, & animam eius diuinam essentiam aperte intuitam esse, docent idem Augustinus lib. 4. de consens. Euang. cap. 10. & Alcuinus lib. 2. de Trin. ca. 11. Christus igitur etiam ut homo, tum propter vnionem ad verbum; tum propter animæ visionem diuinam, non poterat peccare: vna enim harum causarum satis erat: ipse autem utramque est complexus. Sed attendendum est, quod tribus, non tantum significari in Christo non potest peccatum, sed etiam nec esse aliquid, unde potest argui posset peccati: nam multi carent, ut non peccato in rei veritate, tamen habent, unde de apparenter argui, & insimulati hominibus possunt, quod cognoscuntur peccatores, sicut dicitur in 1. Cor. 5. 12.

admonebat Episcopum debere esse irreprehensibile, non habentē unde argui, vel probabiliter possit. talis erat vita Christi, omni ex parte peccati expertis, & ita innocens, & exemplaris, ut nō esset, quod vel probabiliter ei posset à tot aduersarijs, & persecutorib⁹ opponi,

Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi?

COMMENTARIUS.

RIECTA prima causa, quam Iudæi, cur ei non crederent, prætexere possent; reijcit secundam, nempe ex parte doctrinæ, *Veritatem*, inquit, *dico vobis*, ac si diceret, non etiā potestis causam vestrę incredulitatis in meam reijcere doctrinam; veritatem enim dico vobis. Si igitur nec in me peccatū est, nec vos inuenire potestis, nec in mea doctrina fallitas, sed in me innocentia, & in doctrina veritas est, *Cur non creditis mihi*: id est, quę causa est, ut nō credatis. Infert veram causam in sequentibus. Attēde illud, *Quare non creditis mihi*, ita intelligendum, ut ad vtrunque referatur, nempe nemo ex vobis potest arguere me de peccato, & veritatem dico, cur ergo mihi, cuius vita inculpabilis, & doctrina vera est non creditis? Insinuat his verbis nec ipsum, nec doctrinam eius causam esse posse, cur non credant. Attēde rursus illud, *Veritatem dico vobis*, non solum significare simplicem veritatis enuntiationem: nam non omne verum est probabile, & credibile, sed veritatis enuntiationem cum ipsius veritatis demonstratione: ut sit sensus, dico veritatem, multis signis, & argumentis efficacissimis ostendens eam, ut quicumque voluerit, eam agnoscat, & intelligat esse veritatem Dei: hoc est enim veritatem dicere, & docere. hoc sequenti verbo significat.

Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Infert causam incredulitatis illorum eam esse, quia cū ex Deo ipsi non sint verba eius, quę verba Dei sunt, non audiunt; & præmittit probationē conclusioni. sensus enim est: propterea vos non auditis, quia ex Deo nō estis; nam, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, non igitur Christus, nō doctrina eius, sed ipsorum malitia causa est, quod non credant, quia ex Deo non sunt. illos appellat ex Deo esse, qui Dei instinctu aguntur, & ipsius voluntatem facere student, iuxta illud Rō. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. quod ipse Iohannes explicuit 1. Can. 3. Qui ex Deo natus est, nō peccat, quia semen Dei manet in illo & iterū; Qui peccat ex diabolo est; id est; diabolus imitatur, eius instinctu & exemplo mouetur, & ducitur. Ex Deo nō esse, idē est, ac ex diabolo esse: nam hæc verba sunt consona illis: Vos ex patre diabolo estis. Audire dicit nō solum propter auditum exteriorem, sed propter fidem doctrinæ, & mandatorum eius obediētiam: hoc enim est perfectē audire verba Dei: causa ergo incredulitatis eorum est malitia, & nequitia ipsorum. Sap. 2. Excecauit eos malitia eorum: secundum quam filij diaboli, & eum habere patrem dicuntur. Contra verò, qui ipsum audiunt, ex Deo sunt, quia ipsius inspiratione, & gratia mouentur, & eō auctore verbum recipiunt. His verbis Dominus Iudæorum verbum confutat dicentium: Nos patrem vnum habemus Deum: probat autem eos potius patrem habere diabolus. Cætera ex annotatione require.

ANNOTATIO XX.

Diuersa patrum expositio.

AVGVST. tract. 42. & Greg. hom. 18. in Evangelia hæc verba de prædestinatis, & reprobis interpretantur, ut illi ex Deo, hi non ex Deo sint dicti; tamen hæc expositio ac commodari vix potest sententię huius veritati, nam Dominus causam propriam, cur illi verbis suis fidem præsentem non adhibue-

rint, docere præten dit: huius autem causa non erat, quia reprobi erant, sicut nec contra, causa credendi erat, quod prædestinati essent; nam multi inter illos erant, aut esse poterant non credentes, & à Christo his verbis reprehensi, qui tamen postea crediderunt, & salutem sunt consecuti; contra verò aliqui tunc credebant,

debant, quos probabile est recessisse postea; **A** spiritu aguntur, hi credunt; qui verò malo spiritu mouentur, & ipsum sequuntur, hi non credunt; quod si mutantur, & nouum acceptent Dei spiritum, credent. In quo decepti sunt illi, quos citat Orig. dicentes esse diuersarum naturarum homines, ut hi ex Deo, illi non ex Deo sint, sed errant. Vnius omnes sunt naturæ, & omnes Dei sunt, & ex Deo quantum ad creationem; ad varias autem voluntatis electiones hæc pertinet distinctio.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes?

COMMENTARIUS

Reprehensione Christi commoti Iudæi, quia eos patrem diabolus, non Deum habere dixerat; similiter Christi innocentiam ægerimē ferētes, quia protulerat, *Quis vestrum arguet me de peccato*, respondent. propterea Euāgelista apposuit Particulam *Ergo*, ut duo præcedentia causam, cur sic responderint, esse significaret, & responsio contumeliosa quædam est calumnia. Et est sensus; Hisce tuis verbis confirmamus, quæ aliās tibi obiecimur, *Quia demonium habes, & Samaritanus es*: de his te sæpe arguimus, & hæc iterū tibi, propter hæc quæ dixisti, obiecimur. Sunt aliqua attendenda in horum verborum declarationem. Primum est, quod notat Origen. tom. 26. & Chrysostomus hom. 54. hos Iudæos frequenter inter se loquentes Christum Samaritanum, & demonium habentē appellasse: quamuis Euangelista huius nullam ante fecerit mentionem, præter illud, quando cap. 7. Turba dixit demonium habes. Alterum illam particulam *Nonne*, quædam tacitam habere illationē, quasi dicerent; Ex his tuis verbis deducimus, eo confirmamus id, quod ante nos de te sæpe diximus, te esse Samaritanū, & demoniū habere. Tertium est, & hoc ad veram verborum intelligentiam pertinet; hæc non esse solum per modum iniuriæ, & contumeliæ cuiusdam illata, uti solemus in aliquos cōtumelias iactare, quas nō quod ita sentiamus, nec quod affirmemus proferimus, sed ut iniuria quadā alterum afficiamus; at illi Iudæi afficere quidem iniuria Christum voluerunt; tamen re vera hæc duo opposuerunt per modū affirmationis, se ita sentire significantes, & eum insimulantes. Hoc ipsa verba indicant, *Nonne bene dicimus nos*, hoc idem verbum Christi probat; si enim simplex contumelia esset, utique non respondisset, attamen respōdit, & reputat se obiecta, quia cum horum duorū arguere tentarunt: & in hac parte vera est sententia Orig. duo hæc crimina Iudæos obieciisse Christo, affirmantis. Quartum est eos dixisse Christum demonium habere; tum propter sublimitatem doctrinæ, quia supra humanū captum loqui videbatur, ut Orig. exponit, ad hoc pertinet, quod Greg. Nazian. orat. 1. contra Iulian. dicit illos appellasse Christum demoniacū, seu demonium habentem, quasi arreptitium & dæmone agitātū; tum, ut idēmet Orig. dicit: propter opera mirabilia, quæ faciebat, quæ virtuti dæmonis illi tribuebant; tum etiam, ut dicit Euthymius, quia diuinum sibi honorē vsurpare videbatur, dum se Deum dicebat, quod dæmones faciunt: denique quia hisce verbis, quæ in præsentem locutus est, occulta eorum facta, & quæ inter se tractabant, reuelasse videbatur: propterea dicunt hisce verbis, se in sua priori opinione confirmatos, quod demonium habeat. Et hæc ratio est, propter quam nunc demonium habere confirmant. Rursus Samaritanū appellant, non ratione; sciebant enim esse de Nazareth; sed moribus, & hoc, ut dicit Orig. quia videbatur illis dogmata, & legē adulterare, dum docebat nō esse contra Sabbati obseruantia illa facere quæ faciebat; dum multas seniorū traditiones contēnebat; dum aliqua, quæ illis cōtra legem

Iegem illam videbantur, loquebatur: propterea Samaritanum vocant. Et est integer sensus. Tu dicis, *Quis arguet me de peccato*: tu dicis nos diabolum habere patrem, non Deum; quod te quærimus interficere; at nos in nostra opinione magis per hæc confirmamur, *Quia Samaritanus es*, qui nos veri Dei cultû habentes dicis filios diaboli; & dæmonium habes, qui tibi occulta aperit; quo modo ergo dicis, *Quis arguet me de peccato*? Hic est verus, & legitimus sensus. At isti miseri Iudæi, cum tam graua opponant crimina, nullo argumento probant, sed eo solo, *Nos benedicimus*, in quo manifestissime confitentur se probare non posse, & vel nolentes verbum Christi verum esse fatentur: *Quis arguet me de peccato*? id est, nemo vestrum conuincet me alicuius peccati.

Respondit Iesus, ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.

CVM vanè & sine fundamento vilo, furore potius correpti, quam ratione ducti, Christo Iudæi crimina hæc duo opposuerint, simplicibus verbis ea refellit Dominus, *Ego, inquit, Dæmonium non habeo*. falsum mihi, & mendacium imponitis. Rursus non tantum non habeo dæmonium, *Sed, etiam, Honorifico Patrem meum*, nihil docendo, nihil facièdo, quod non sit in eius honorem, gloriam, & secundum eius voluntatem; nõ ergo sum Samaritanus. Samaritanus enim nõ honorificat Deum, qui idola colit, qui falsa dogmata profitetur, at ego nihil tale facio, sed Deum verum, qui Pater meus est, honoro; Samaritanus igitur non sum. Percontabitur aliquis, cur non respondit, non sum Samaritanus. sicut dixit, non habeo dæmonium? Respondeo id sapientissimè factum esse, illi enim re ipsa dæmonium habere opponebāt propterea respondit, *Dæmonium non habeo*; at esse Samaritanum, re ipsa non obijciabant, sed moribus, & studijs esse Samaritanum, propterea non respondit, Samaritanus non sum; sic enim nõ repellebat calumniam: nam illi interpretati fuissent, non esse Samaritanum natione; esse tamen studijs. & moribus. propterea Christus rē ipsam considerans, respondit, *Honorifico Patrem meum*, quod Samaritanus moribus non facit. Non autem dicit, *Dæmonium non habeo*, & honorifico patrē, sed dixit, *Sed honorifico Patrem*, quia hoc eodē verbo etiam declarat, se dæmonium non habere; qui enim dæmonium habet, Patrem non honorificat. Hoc igitur verbo, & confirmat se dæmonium non habere, & simul se Samaritanum esse refellit. Rursus etiam non dixit, honorifico Deum non solum, vt se esse Dei filium ostendat, sed vt quantum à ritu, & cultu Samaritanorum absit, significet. Illi enim Deos alios colebant, cum vero Deo; at Christus habens verum Deum patrem, quomodo alios, qui falsi erant, contra proprium patrem potuit colere? aut qua ratione illorum cultum aduersarium patri suo recipere? Hic est sensus: cætera ex annotatione require.

ANNO TATIO XXI.

NEGARE non possum, multos, & graues A Doctores in ea fuisse sententia, vt Dominus, cū duo illi essent obiecta, & quod Samaritanus esset, & dæmonium haberet, ad vnum tantum respondisse, alterum tacendo concessisse. Ita habent Aug. tract. 43. & Gregor. hom. 18. Euang. Hierony. epist. ad Acellam in fine secundi tomi. & ante eos Origenes tom. 26. qui tres rationes adfert, cur Dominus id negare noluerit. Prima est, vt se illum verum Samaritanum ostenderet, qui in parabola Luc. 10. significatus est. qui alligauit vulnera iacentis in via. Secunda, vt etiam se esse ostenderet, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrificeret, ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege esset. Tertia, quia Samaritanus eu-

stodem in lingua hebræa sonat, & se esse verum custodem significare voluit. Hanc tertiam rationem citati Doctores cum Origene assignant; omnia hæc spiritualiter dicuntur, nõ autem sensum ipsum litteralem exponunt. Si enim Christus Iudæis concessisset esse Samaritanum, cum istæ omnes rationes, & explanationes sint analogicæ, visus esset eorum significationi consentire, quod nullatenus conueniens erat. Præterea, quia hæc non sunt Christo per solam iniuriam, & contumeliam dicta; vt Chryl. hom. 54. & Greg. & Hiero. sentire videntur; tunc enim non erat responsio vlla adhibenda alia, nisi, *Vos inhonorastis me*, quod postea subiungitur; sed sunt Christo opposita tanquam crimina, de quibus eum Iudæi in-

simulabant. Idcirco conuenientissimum fuit A vtrunque à se repellere. nec in hoc Orig. sibi est consonus, qui cum illud concessisset, nempe hæc duo esse tanquam crimina obiecta, in explicatione responsionis locutus est secundum expositionem contrariam; nisi forte non ex propria, sed aliorum mente, vt videtur,

hoc posterus dixerit. Hi autem doctores mihi in eam sententiam venisse visi sunt, quia non ex presè negatum est Samaritanum esse, sicut negatum est dæmonium habere: quod tamen qua ratione sit factum, & quàm consona, & legitima sit expositio nostra, ex ipso commentario superiori apparet.

Et vos inhonorastis me, ego autem non quero gloriam meam.

COM MENTARIVS.

QVIA duo illa crimina tanquã vera apponebantur, cum quadam tamen cõtumelia & iniuria: postquam Dominus ea repulit à se negãdo, & veritatem probando, adiunxit: Vos me iniuria & contumelia afficitis; ac si diceret; Immeritò, & iniquè mei nhonoratis, & iniuriã, ac contumeliam mihi infertis, cum ego patrem honorificem; at ego non curo, quia non veni vt gloriam meam quærerem, & ab hominibus honorarer; veni enim ministrare, & animam meam ponere, contumelias, & iniurias pati: non autem repellere, & vindicare. Hoc dicit Dominus, ne illi imbecillitati, & infirmitati tribuerent, quod tantæ iniuriæ vindictam nõ faceret, idque adscribat mysterio sui aduentus, qui non venit vt iudicaret, sed vt saluaret.

ANNO TATIO XXII.

ALIQVI codices Græci, & Latini in præ- B senti legunt, *Inhonoratis*. sensus idè est. Chryl. hom. 54. verba, *Non quero gloriam meam*. refert ad id, quod dictum est, illos non habere Deum patrem tamen accommodatior est sensus, si verba hæc ad id, quod proximè dictum est, referantur, *Inhonorastis me*, quædam enim erat accusatio

contra illos, quod iniuria eum affecissent; idcirco ne aliquã vindictam, aut gloriæ, & honoris restaurationem, quasi humanam gloriã, & honores ambiret, affectasse videretur, aut ne eum talia pati, quia se vindicare non posset, existimarent; propterea dictum est tale verbum, *Non quero gloriam meam*: loquitur enim vt homo.

Est, qui quærat, & iudicet.

COM MENTARIVS.

HIS verbis, & vanos eorum conatus, & non impunitos futuros Christus ostendit, ac si dictum esset, Ego gloriam meã non quæro, ne autem putetis vestris contumelijs, & falsis accusationibus vos gloriam meam impedire posse, aut vos etiam impunitos fore existimetis, quia ego vindicare me non curo: scitote esse, qui quærat gloriam, & simul, qui iudicet. Deus nempe pater me glorificabit, meum nomen in numeris gentibus, & populis venerandum, & colendum olim manifestans; & idem iudicabit damando, & vindicando omnes eos, qui me spreuerint, & contumelia affecerint. Alludit ad locum Deut. 18. Ponam verba mea in ore eius, & quicumque nõ audierit, quæ loquetur in nomine meo, ego vltor existam. Non est autem hoc verbum contrarium illi Ioan. 5. Pater nõ iudicat quenquam; nam hoc verbum est de iudicio inuisibili, quo semper iudicat Deus malos, & bonos; at illud Ioan. 5. est de iudicio sensibili, quo Christus homo in die vltimo sedebit, veniens è cælo iudicaturus viuos, & mortuos. Meritò autem patri dat hoc iudicium, *Est qui iudicet*. Non enim expectauit Deus vltimum illum diem, vt improbos Iudæos iudicaret; nam etiam hoc in seculo paulò post Christi ascensionem seuerè eos per Romanos puniuit, & in altero æterna morte damnauit. Gentes autem, & eos, qui ex Iudæis crediderunt, & in hoc & in altero seculo quam plurimis cumulauit honoribus, & beneficijs. Remisso igitur ad patrem hoc iudicio, ipse iniuriæ immemor ad doctrinam se conuertit.

Amen.

Amen, amē dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in aeternum.

Timore, & spe eos & terret, & allicit ad fidem sibi habendam. *Si quis*, inquit, *meum seruauerit sermonem, mortē in aeternū non videbit*, id est; aeternam mortem non experietur. Damnationem enim, mortem æternam appellat; quamuis enim omnes resurgent, qui ad pœnam suscitantur, mortem subire dicuntur. Hæc verba spē alliciunt; At si à contrario sensu argumētum ex verbis sumas, qui igitur non seruauerit, mortem æternam experietur: timore & terrore percellit, vt credant. Hæc sententia cum præcedentibus rectē connectitur; cum enim esse veram suam doctrinā dixerit, & ex veritate Iudeos arguerit in credulitatis. *Si veritatem*, inquit, *dico vobis, quare non creditis mihi?* & interruptus fuerit sermo Domini Iudeorum oppositione; ea iam explosa, sermonem suum continuat, vtilitatem suæ doctrinæ proponēs, quæ à morte liberat æterna. Adde hanc sententiam etiam illorum conatibus, qui interficere Christū quærebant, obuiare; quàm enim vanè interficere quærebant eum, cuius sermo, & doctrina tantæ est virtutis, vt à morte præseruet æterna? Quomodo hoc intelligatur cap. 6. exposuimus, vbi de pane illo cœlesti similis est enunciata sententia.

Dixerunt ergo Iudai; nunc cognouimus, quia dæmonium habes.

Propter tale verbum Christi, confirmari se in sua opinione respondent, nempe eum dæmonium habere. Non his verbis negant se ante id cognouisse, sæpe enim id affirmauerant; sed indicant illud idem esse sufficiens argumentum id affirmandi, etiā si nullum aliud præcessisset. Solemus enim dicere, nunc noui te amicum, nunc intelligo te virum doctum, id est, vel ex hoc solo nosco te amicum, te virum doctum. sic, *Nunc cognouimus quia dæmonium habes*, id est, vel hoc solo satis ostēdis te dæmonium habere, etiam si nihil aliud dixisses, vel fecisses. Similis est locutio Genes. 22. Nunc cognoui, quia timeas Deum; id est, vel hoc solo ostendis te Deum timere, vt si ego aliās non nouissem, hoc solo cognoscerem. hic est enim huius loci sensus. Percontabitur aliquis, cur hæc Christi verba isti dæmonio tribuebant? Respondeo id factum; quia omnibus Prophetis & Patribus antepōnere se videbatur, quos cum illi homines Dēi fuisse crederent, Christum autem inferiorem multo reputarent, alienum à Deo talem putabant sermonem; similiter alienum ab omni homine, cum homo non possit mortem impedire, propterea dæmonio tribuebant, qui in Dei iniuriam plura iactat, quàm potest. quod enim dictum supra naturam audiebant, Deo nolentes tribuere, dæmonio dabant.

A N N O T A T I O XXIII.

DVO occurrunt annotanda; alterum est A peccet, non tamen propterea dicitur dæmonium habere: singulare ergo aliquid hoc verbum significat. Euthymius aliter responderet, nempe id esse dictum, quia se maiorem Deo quodammodo faciebat; nam sermo Dei non liberauit Prophetas à morte, at nec hoc probabiliter dicitur; nam tunc inuissent contra eum, es tu maior Deo? at non dixerunt, nisi, es tu maior Abraham? nec valet responsio Euthymij, non id dictum, ne Deo comparare eum aliquo modo viderentur; nam Christus dicebat, verba sua esse Dei, ideo nullo modo se Deo præferebat; neque enim negare poterant Iudæi Deum, si vellet, posse à morte præseruare, at quod in commentario diximus, accommodatius nobis visum est.

Abra

793 *CAPVT OCTAVVM.* 794
Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in aeternum?

C O M M E N T A R I V S.

Impugnant dictum Christi, & probant esse à dæmonio, non à Deo, quia Abraham, & Prophetæ omnes mortui sunt, qui tamen omnes erant à Deo. quomodo igitur erit is à Deo, qui dicit, sermonem suum à morte liberaturū in aeternum; quandoquidem omnes illi, qui à Deo erant, mortui sunt? vt diximus, non intellexerunt verbum Christi, quod de æterna damnatione erat, quam, sermonem Christi seruantes, nec viderunt, nec gustarunt.

Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & prophetæ mortui sunt?

Secundo argumento idem dictum impugnant, si tuus sermo à morte in aeternum liberat seruantes eum, esses maior Abraham, & Prophetis, qui omnes mortui sunt; attu non es maior illis; igitur non est verum hoc quod dicit, sed ex dæmonio loqueris, & eius verbum hoc est. Non hæc asserendo, sed interrogando pronūtiat; est enim maior in interrogatione energia, vt Christo iactantiā, & superbiā imponant; quasi non esset improbable eum se prophetis, & Abraham prælaturū; ita enim solemus loqui hominibus, qui omnia audent; Vis, te regem facere? quasi dictum esset; non sine causa de sua superbia præsumimus, te ipsum regem te facere velle. similiter in ea interrogatione ex parte sua indicant se certissimos esse, cum multo inferiorem esse, quam Abraham, & Prophetas. ac si dicerent; es tu maior, quàm Abraham? quod longè à nostra opinione de te abest, & quod nobis certissimum est, te non esse. Hic est verborum sensus: Abraham patrem vocant, hac se cognatione iactantes.

Quem te ipsum facis?

Locutio communis est, qua, vt dicit Chrysof. hom. 54. superbiæ & iactantiæ Christum insimulant, qui multo maiora de se loqueretur & iactaret, quam ipse esset. si autem fidem eam isti assecuti essent, qualem habere & potuerunt & debuerunt, magna admiratione & veneratione, animique deuotione dicerent, *Quem te ipsum facis?* cum esses, & sis Deus immensus, nullius indigens, quomodo te ipsum hominem, & quidem nostræ miseræ participem tefecisti? at nō sic increduli verbum hoc protulerunt, sed iactantiæ, & superbiæ eos accusant. Et hoc est tertium argumentum eorum, quo dictum Christi impugnant, quasi ex superbia, & iactantia dæmoniaci dictum.

Respondit Iesus, si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

Ad obiecta Iudeorum Christus responderet, incipiens ab vltimo, quo eū superbiæ, & iactantiæ insimulabant, verbumque eius ex vana gloria dictum esse affirmabant. Et responsio est, nullam iactantiam, nec vanam gloriam, dictis suis inesse; & est sensus, Si ego, vt homo me glorificarem profecto parum aut nihil gloriæ consequi possem; quæ enim homo facere potest sua virtute, pauca sunt; At quæ ego facio, nō sunt hominis meri, sed Dei, qualia sunt innumera signa quæ feci: nō ergo me glorifico, nec iacto, qui non vt homo, sed vt Deus facio, & operor. In maiorem declarationem aduerte. Isti opponebant iactantiam Christo, tanquam mero homini, qui se suis verbis solet iactare; at Christus iactantiam à se repellit dicēs; Si ego, vt homo, id est, ex operibus hominis solius gloriam quærerem, profecto parui esset momenti: at non ex humanis operibus mea gloria est, sed ex diuinis, quæ feci & facio, non ergo iactantiæ potestis tribuere verba, sicut nec opera, quæ

LI

non ho-

non hominis, sed Dei, cui iactantia non inest, sunt. Perfectius huius sententiæ sensus ex sequenti sententia pendet. Chryso. hom. 54. exponere aliter videtur, sicut exposuit illud; Si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Sed legitima interpretatio est, quam proposuimus; & eadem ratione supra exposuimus illud; Testimonium meum non est verum.

Est pater meus, qui glorificat me.

Quæ ipse facit, ut Deus, patri solet tribuere, ut se filium esse Dei declaret, sensus est, Non ego ut homo, & humanis operibus me glorifico, & declaro me esse Dei filium, & Christum verum, sed pater me glorificat, id est, diuinitatis operibus, quæ nemo faceret, nisi Deus. non ergo ambitionis, aut iactantiæ humanæ me in simulare potestis. Glorificare se, appellat declarare, manifestare se esse Dei filium, & Christum verum, qualis re vera erat. id superius humanis solis faceret, gloria eius nihil esset, quia id consequi homo humana potestate non posset. At non sic Christus se glorificabat, sed ut Deus, qui vnà cum patre operibus diuinitatis, seipsum, quis esset, ita manifestabat, ut non nisi maximè increduli negare possent. Dicit ergo: Si hæc facio, & dico, non est, quod humanæ ambitioni tribuatis, cum sint opera, quæ Deus in me facit.

Quem vos dicitis, quia Deus vester, & non cognouistis eum.

Respondet ad alia duo argumenta, quæ ex eo sumpta erant, quia maiorem se faciebat, quàm Abraham, & Prophetas, & dicebant; Quem te ipsum facis: Respondet autem primò, quis sit, explicando quem appellat Patrem suum; & est sensus; Dixi Patrem meum glorificare me; scitote autem hunc meum patrem esse eum, quem vos dicitis esse Deum vestrum, & re vera non cognoscitis eum. His verbis, se esse Dei filium naturalem significat: quem enim patrem suum appellat, illorum esse Deum dicit, distinguens inter se & illos, quia ipse erat filius, illi autem serui: & quia se iactabant patrem habere Deum eos deprimat. Vos, inquit, dicitis, Deum esse vestrum, & re vera non cognoscitis eum id est, re vera vester non est. Cognitionem hoc loco appellat non eam, quæ solum actum dicit intellectus, sed quæ simul actum habet voluntatis, qua homo affectu, & imitatione in Deum fertur, quam mali, & iniqui homines non habent, vti i. Regum 2. dicitur: filij Heli, filij Belial nescientes Deum. Et qui dicit se nosse Deum & mandata eius non seruat, mendax est. Est enim hoc verbum, *Non cognouistis* Deum, antithetum illius, dicitis Deum vestrum esse: at vos non cognouistis: id est, non est vester Deus. Ipsi autem Deum suum dicebant, non propter solam cognitionem, sed propter affectum, cultum, & imitationem, quia in eum credebant, eius mandata seruabāt; sic enim nostrum & vestrum scriptura Deum appellat, ut paulo superius; si Deus vester esset, diligeretis me. Matth. 5. Vt sitis filij patris vestri: Ose. 1. Ego non ero vester, & vos non populus meus.

Ego autem noui eum, & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, & sermonem eius seruo.

Sed ab illis distinguit. Vos, inquit, non nouistis eum, at *Ego noui*, & si dixero me non nosse, *Ero mendax*, sicut vos estis mendaces, dum dicitis vos eum nosse. Statim exponit, quare se nosse dicat, quia *scio eum*, rectam, & veram habens ipsius cognitionem, & mandata eius seruo & facio, quæ mihi locutus est. Hinc sequitur eos non nosse, quia mandata eius non faciebant. Nam duo hæc simul necessaria sunt, ut aliquis nosse Deum dicatur. Eos igitur mendaces vocat, quia se Deum nosse, & habere Deum pro patre affirmabant; cum tamen mandata

Vt Deus quis nosse dicatur duo requiruntur.

mandata eius non seruarent. Mendacij huius Ioannes etiam 1. Cano. 2. meminit, Qui, inquit, dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, hic mendax est. Christus, ut homo, sermonem Patris seruabat; quo verbo non solum se ut Deum, sed etiam, ut hominem, patri conformem habere voluntatem significat, & omnem ambitionem, & iactantiam à se repellit; modò enim ut Deus, modò ut homo loquitur; ut se vnum esse, qui simul Deus sit & homo, ostendat; ne vnam naturam alteram minuere, aut veritatem eius tollere demonstret. Mendaces eos appellat, non motu vindictæ, sed zelo diuinæ gloriæ, qui diuinitatem eius dæmonio tribuebāt, Dei que gloriam in iactantiam & ambitionem conuertebant, & superbe Deum patrem iactabant. Simul etiam, ut hoc verbo maiestatem suam aliqua ex parte ostendat. Erant autem isti mendaces, quia suum patrem Deum appellabant; hoc enim erat nosse Deum, cum re vera mandata eius non seruarent, sine quorum obseruatiã nemo absolute dici debet nosse Deum. Erant etiam in multis alijs mendaces, nempe, dum Christum dæmonium habere, & Samaritanum esse dicebant, aliaque crimina imponebant, quorum multa etiam contra suas proprias proferebant conscientias.

ANNOTATIO XXIV.

HIS verbis abutebatur Eunomius, ut refert **A** Cyril. lib. 1. Ioa. cap. 4. probans filium Dei non esse verbum; quasi filius seruat verbum, & sermonem, igitur ipse non est verbum; nec hereticus aduertit suam fallaciã: Nam filius loquitur, ut homo, & hic sermo, quem seruat, est mandatum Patris: ipse autem est sermo, & verbum æternum mentis paternæ. De hac tamen re superius c. 1. diffusius egimus. Mendacium autem hoc in loco in propria significatione usurpat, in qua significat falsum, quando aliter dicimus, quã res se habeat, ac aliter, quã in corde sentimus. qua ratione isti mendaces erant; quia non solum Deum non cognoscebāt, nec Patrem eum habebant, sed simul etiam ipsi sciebant: nam se mandata eius non seruare, non ignorabant. Mentiebantur ergo dicentes, se patrem habere Deum, & eum nosse, aliter loquentes, quàm res se haberet, & aliter etiam, quàm in corde sentirent.

Abraham pater vester exultauit, ut videret diem meum, & vidit, & gauisus est.

COMMENTARIVS.

Respondet ad obiectionem de Abraham, quo se Patre iactabant dicentes, Restu maior patre nostro Abraham? & priusquam diuinitatem suam verbis expressis doceat, se non aduersarium Abraham, sed valde concordem ostendit; & adeo ab Abrahamo ipso magnificatum, & dilectum, ut summo desiderio Abraham concupierit videre, & nosse diem eius. *pater*, inquit, *vester Abraham*, quem mihi obijcitis, summo affectu desiderauit, & gestiuit videre *Diem meum, vidit & gauisus est*. Eos alienos ab Abraham patre suo concuincit, qui non eo sunt die gauisi, sed eum maximè persequabantur. Dies hic incarnationis est, quãdo Verbum Dei filius, homo factus est. Nouerat ex diuina reuelatione Abraham, Dei filium carnem sumpturum de sua progenie, at summo opere desiderabat scire tempus & diem, quando hoc futurum erat, id Deus ei aperuit, & tunc gauisus dicitur. Exultatio autem hæc est summum gaudium & desiderium, quod præ magnitudine intra animum contineri non potest, sed quibusdam corporis motibus, & gestulationibus exprimitur. Merito autem Abraham gestiuit, & animo ac corpore desiderium concepit, quia de corpore, & carne eius filius Dei sumpturus erat carnem, quæ ille tunc fide constantissima complectebatur, & vehementissima dilectione persequabatur.

ANNOTATIO XXV.

DIEM hunc non omnes eodem modo exponunt. Chryso. hom. 54. diem passionis Christi interpretatur. Hieron. Dan. 8. & Gregor. hom. 18. Euang. intelligunt illum diem, quando mysterium Trinitatis reuelatum est. **B**est Genes. 18. vbi tres vidit, & vnum adorauit. August. autem tractat. 43. diem incarnationis exponit, qui ei est per reuelationem manifestatus, nempe tempus determinatum aduentus eius, hanc etiam interpretationem adhi-

bat Ireneus libro 4. capite 15. adiungens capite 16. his verbis significari & Abraham, & omnes Prophetas, qui reuelationem aduentus eius habuerunt, ab ipfomet verbo venturo in carnem accepisse. Hanc in commentario

A secuti sumus interpretationem, & accommodatior videtur; aduentus enim eius in carnem, principium est omnis gratiæ diuinæ hominibus collatæ, & dies exultationis totius vniuersi.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum; quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

COMMENTARIUS.

IRidentes verbum Christi opponunt; *Nondū habes quinquaginta annos, & vidisti Abraham*, qui tot retrō seculis fuit. Huius annorum numeri meminerunt, non quod Christus quinquaginta esset annorum, qui trigessimū tertium non excedebat, sed vt significarent, quantum intercederet temporis inter eum, & Abraham, quando, etiam si haberet ætatem multo maiorem ea, quam agebat, Abrahamū vidisse non poterat. Numerū ergo hūc exponunt, vt ætati Christi adiungētes annos, adhuc eius verbum falsum fuisse conuincant. Nec fideliter verbum Christi referunt; non enim dixit, se Abraham vidisse, sed Abrahamum vidisse diem eius; at ipsi hoc fieri non posse existimantes, nisi & ipse Abrahamum vidisset, quia hoc ad calumniandum accommodatius erat, id assumunt, sed decepti fuerunt; nam multa videri possunt, antequam fiant, & sint. Abraham enim vidit reuelatione Dei filium in carne assumenda, at nondum tunc erat Dei filius homo. Christus verò admittens eorum obiectionem respondet, præcipuo eorum errori mederi volens, quomodo hominem illum existimabant.

ANNOTATIO XXVI.

IRENEVS lib. 2. cap. 39. & 40. ex hoc loco colligit Christum post quadragesimum ætatis suæ annum prædicare cœpisse, & prope annum quinquagesimum esse passum; non enim dicitur, nondum habes quinquaginta annos, nisi ei, qui quinquagesimo anno proximus est. Seniores Asiæ hanc à Ioanne ipso audiuisse doctrinam refert, intelligens Papiam ipsius Ioannis discipulum. sed argumentum Irenæi non est efficax; potius enim locus hic contrarium probat; nam numerus hic positus est tanquam excedens: & superans ætatem Christi, ac si dicerent, quantumcunque tibi annos accumules, Abraham non vidisti. ita enim solemus loqui. eius autem sententia ab omnibus rejicitur, tanquam quæ Evangelistarum historiæ nulla ratione accommodari valeat; nec multum est curandum de auctoritate Papiæ, de quo refert Euseb. lib. 3. Histor. cap. 39. Papiam ex verbis Ioannis non satis intellectis aliqua tradidisse, quæ alijs errandi fuerunt occasio, & inter eos numerat Irenæum. Chryso. hom. 54. legit; nondum habes quadragesima annos, & Euthymius reliqua exemplaria ita habere refert, & probat; tamen communis & vera lectio habet, *quin-*

B *quaginta*. Quantum autem ad Christi ætatem atinet, aliqui in extremo quodā sunt, affirmantes in trigesimo anno, qui fuit decimus quintus imperij Tiberij, esse passum. Ita habent Tertul. lib. cont. Iudæos, & Africanus, lib. 5. temporum, quorum meminit Hieron. Dan. 9. idem etiam securus est Lactan. Firmianus lib. de vera sapientia cap. 10. At nec ista sententia accommodatur historiæ Evangelistarum; eo enim anno Ioannes prædicare incepit. Communis sententia & vera est, Christum passum anno trigesimo tertio suæ ætatis, nempe completo trigesimo secundo, & iam trigesimo tertio inchoato principio decimi octauo imperij Tiberij; nam inter secundum & quadragesimum annum imperij Augusti, quando natus est, & decimum octauum Tiberij nondum expletum, quando mortuus est, triginta tres non impleti numerantur secundum veriorē, & probabiliorē supputationem. Ita docuit Ignat. epist. ad Trallianos, & Epiph. hæret. 72. & alij, quos ipse Irenæus lib. 2. c. 39. refert, quos quam plurimi etiam nostro seculo sequuntur: quamuis non sit improbabile, anno trigesimo tertio impleto, & inchoato quarto, passum esse: sed de hac re alibi latius tractabitur.

Dixit eis Iesus; amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

COMMENTARIUS.

SVam diuinitatem palam docet, *Antequam*, inquit, *Abraham fieret, ego sum*. Verbum hoc, vt notat Chryso. ho. 54. diuinitatem exprimit, *Ego sum*. Aug. tract. 43. notat de Abraham dictū esse, *Fieret*, quasi Abraham sit factus, sed in verbo

verbo Græco hoc non habet locum: nam ambiguum est, potuitque verti, *Antequam Abraham esset, ego sum*; quamuis verum sit, si Abraham aliquando nō fuit, inferri, ergo factus est. Ex eodē verbo, quia Exod. 3. Deus dixit ego sum, qui sum, nouerunt Iudæi illum non tantū se Abrahamo antepone re tēpore, sed Deum se esse proferre. Verbum hoc *sum*, maximè Deo proprium est; tam propter amplitudinem significationis: Deus enim omnē entis rationem, & perfectionem in se habet, creaturæ autem determinatam quandam, ideo sunt homo, leo, corpus viuens, aut quid aliud, at absolute & vniuersaliter nō dicuntur *sum*; quia maxima pars ipsius esse non est in eis; Deus est, qui absolutè est; tum propter simplicitatem; omnis enim creatura compositionem habet; at Deus simplicissima est natura, verbum autem hoc est simplex; cætera verba composita, & resolubilia. si enim dicas ille amat, si resoluas, compositionem inuenies, nempe, ille est amans: tum demum propter æternitatem, quæ inuariabilis est; quod fuit enim, non est; quod erit, nondum est; at quod est, non habet mutationem, & dum præsens est, inuariabile est. Sic Deus non mutatur; semperque est. His de causis Deo proprium est dicere, *Ego sum*. de hac re in Theologicis multa scripsimus.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum; Iesus autem abscondit se, & exiit de templo.

VISVS est illis Christus blasphemiam protulisse, idcirco vt blasphemum lapidare eum tentabant; at Dominus sua se abscondit diuina virtute, & exiit de templo, vbi hæc facta sunt, tempus à se suæ passionis statutum expectans. rectè August. tract. 43. annotat, similes ad similes se conuertisse: ad lapides se conuertunt, quorum corda erant duriora & insensibilia lapidibus. de pœna in blasphemum habes Leui. 24. quam pœnam ipsi Iudæi potius incurrerant, qui in Christum Deum blasphemauerant. At rei ac nocentes, pœnam, qua digni erant, parant, & tentant inferre innocētī, immo ipsi Deo. Abscondere se dictus est, quia se illis reddidit inuisibilem diuina virtute, vt interpretatur Euthymius.

ANNOTATIO XXVII.

ILLVD verbum *Exiit de templo*, nec Augustinus, nec Chryso. nec Euthym. legunt, ex quo liquet eos in exemplaribus Latinis, & Græcis, id non reperisse. At Nonnus non solum hæc verba, sed alia etiam legit, nimirum, *Exiit de templo, & transiens per mediū eorum sic præ-*

A *terij*; hæc vltima nostri codices nec Græci, nec Latini habent, sed solum *Exiit de templo*, & sic nos interpretati sumus. Ad rei veritatem parum refert, siue legas, siue non; certum enim est exiisse de templo, & euasisse è manibus illorum.

CAPVT NONVM.



D*ixit præteriens IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS; Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. venit nox, quando nemo potest operari quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Hac cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex spūto: & limiuit lutum super oculos eius, & dixit ei. Vade lauam in natat oria Siloe (quod interpretatur misus). Abijt ergo & lauit, & venit videns. Itaq. vicini, & qui viderāt eum prius, quia mendicus erat, dicebant; Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic est. Alij autem Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat, Quia ego sum. Dicebant ergo ei, Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit, Ille homo, qui dicitur IESVS, lutum fecit. &*

vnxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatorium Siloe, & laua. Et abij, & laui, & vidi. Et dixerunt ei, Vbi est ille? Ait; Nescio. Adducunt eum ad Pharisaos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quomodo lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset: ille autem dixit eis, Lutum mihi posuit super oculos, & laui & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam, Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit: Alij autem dicebant, Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Vi-
cunt ergo cæco iterum. Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit Quia propheta est. Non crediderunt ergo iudæi, de illo quia cæcus fuisset, & vidisset; donec vocauerunt parentes eius, qui viderat: & interrogauerunt eos dicentes, Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt, Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. ipsum interrogate, atatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius. quoniam timebant iudæos. iam enim conspirauerant iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt; Quia atatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus: & dixerunt ei, Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille. Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem modo video. Dixerunt ergo illi, Quid fecit tibi: quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis, Dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt; Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus: Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo & dixit eis, n hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus est totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit IESVS, quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum dixit ei: Tu credis filium Dei? Respondit ille & dixit Quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei IESVS, Et vidisti eum & qui loquitur tecum, ipse est: At ille ait, Credo Domine: Et prociens adorauit eum. Et dixit ei IESVS: In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis qui cum ipso erant: & dixerunt ei, Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis IESVS Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, Quia videmus: Peccatum ergo vestrum manet.

Et

Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate.

COMMENTARIVS.

EGRESSVS è templo, miraculum à seculo nō auditum edit, vt sermonem paulo ante suæ diuinitatis habitum confirmaret; & ora persequentium confundens, opere ipso se non vana & mendacia dixisse, comprobaret, hoc autem factum, statim ac è templo egressus est, fecisse, ipse Euangelista illa particula Et indicauit: continuat enim præcedentibus sequentia; ac si dicat, Egressus de tēplo, Et præteriens per viā, Vidit hominem cæcum à natiuitate. id etiam affirmant Chrysof. hom. 55. Theophylact. & Euthym. Illud autem quod Euangelista dicit, vidisse cœcum Chrysof. hom. 55. rectè interpretatur, nempe diligentius in eum oculos conuertisse; ita vt singulare quid in eō cogitare visus esset: hocque occasionem dedit discipulis; vt quod sequitur, interroga-
rent. Circumstātia autem A natiuitate, posita est ad miraculi magnitudinem explicandam.

Et interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi; quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur?

HANC cœcitatei pænā peccati alicuius esse rati discipuli, neque sciētes, Hanc propter peccatum proprium, an propter alienum, nimirum parentum, esset inflicta, Dominum vt omnium gnarum, interrogant, vt rius peccati cœcitas ista pœna fuerit, an proprii, an parentum. Vitium est commune hominum in aliorum calamitatibus Dei iudicium agnoscere, & peccatorū pœnas censere, quod & amici Iob fecerunt. Exactiorem intelligentiam ex annotatione require.

ANNOTATIO I.

quendam
expositio
re
vitijs.

CHRYSOST. hom. 55. Theophylactus, & Euthymius hæc verba non esse interrogantium, sed dubitantium discipulorum tradunt: vt sit hic sensus; cum audissent discipuli paralyticum illum propter peccatum morbum contraxisse; ei enim dictum est, Noli amplius peccare, videntes autem cœcum hunc à natiuitate, & ob id peccato cœcitatei tribui nō posse, dubitantes dicunt paralyticum illum morbum propter peccatum contraxisse docuisti. at quid de cœco hoc dicis? non enim peccato hæc cœcitas tribui potest: nam ipse antequam nasceretur peccare non potuit, propter peccatum autem parentum filij non puniuntur; quid igitur respondes de huius cœcitate, quæ à natiuitate est, & peccato tribui non potest? sed hæc expositio violenta nimis videtur, & contraria verbis Euangelistæ, qui dicit discipulos interrogasse Christum: præterea exprimitur ipsa interrogatio, rursus adhibetur responsio. certè si dubitatio esset, his verbis non essent vsi discipuli, quæ apertam interrogationem indicant. Adde ex verbis dictis ad Paralyticum, non sequebatur omnem infirmitatem esse propter peccatum. Si enim Christus id dixisset, tunc hoc à discipulis obijci ei poterat: at non id Christus, sed illum hominem duntaxat, propter peccatum infirmatum fuisse affirmauerat.

Altera
verior
interpretatio.

Recta igitur & verbis consona expositio est, vt sit interrogatio facta à discipulis. Ita exponunt August. tractat. 44. & Hierony. epist. ad Castrutium, & Cyrillus libr. 1. Ioannis capit. 9. & Ambrosius epistol. 75. ad Bellitium. Procedit autem interrogatio, partim ex scientiā,

A partim ex ignorantia: ex scientiā quidem propter duo, prius est, Deum propter peccata sæpè infirmitates corporales immittere, quod cap. 5. ostendimus; alterum est, non solum propter propria, sed etiam propter parentum peccata Deum castigare temporalibus calamitatibus filios. 2. Regum 12. propter adulterium Dauid infans occisus est à Deo. Gen. 19. propter Sodomitarum vitia & scelera, etiam filij infantes arserunt: & Numer. 16. propter peccatum Dathan & Abiron, terra etiam filios deuorauit: cum enim filij sint pars quædam parentum, in ipsis hi puniuntur, quod docent Augustinus libr. 6. quæstionum Vet. testamenti capite 8. & Gregorius libr. 15. moral. capit. 31. de qua re alibi diffusius tractabitur, satis nobis nunc sint scripturæ exempla. In his duobus discipuli rectè sentiebant, & ex scientiā interrogatio procedebat: at ex alia parte ignorantia erat: existimabant enim non infligi has pœnas, nisi propter peccata, ac propterea quærunt vtro peccato iste puniatur, proprio, an alieno: nam puniri eum pro peccato arbitrati sunt, vt Hieronymus, & Ambro. rectè exponunt, additque Ambrosius dicens, Stolidi interrogatio, quæ calamitates corporum, meritis adscribitur peccatorum: forsan isti discipuli existimauerunt perpetuas calamitates, qualem istam videbant esse, pœnas peccatorum: nam iustos, in probationem ad tempus pati, ex scriptura apertum erat, historiam enim Iob non ignorabant.

Non sunt tamen silentio prætereunda argumenta, & obiectiones Chrysofomi, & cæcæ solenniorum, qui hæc verba interrogationem con-

Chrysofomi

argumenta

solenniorum

tinere negant: nam ex responsione verus sensus verborum Euangelistæ efficitur manifestus. Duplex autem est argumentum Chryso- stomi. Alterum quia si verba essent interrogatio- nis, stulta esset interrogatio: an hic pecca- uit, vt cœcus nasceretur? quia ante natiuitatē peccare non potuit. Alterum argumentum est, quia altera pars, an parentes peccauerint, esset etiam absurda: nam propter alterius peccatum nemo punitur, vt patet Ezechiel. cap. 18. Filius non portabit iniquitatem patris. propterea Chryso- stomus censet non esse hæc verba inter- rogationis, sed dubitationis in hunc sensum; cum hæc cœcitas nec peccato huius, nec paren- tum adscribi possit, quid dicemus in hoc casu ad neutrum argumentum procedit, nec effi- cax est.

Ad primum variaz responsiones adferri possunt. In primis Cyrillus libr. 1. Ioan. cap. 9. refert quorundum hæresim, quæ animas cor- pora præcessisse, & ante ea peccata commi- sisse, propter quæ in similia corpora malè affe- cta detrusa sunt affirmarunt, & in hoc errore discipulos fuisse asserit, & propterea interro- gasse, an hic peccauit, quia cœcus natus est? nempe ante corpus; Sed non est verisimile, vt rectè dicit Theophylactus, discipulos Domi- ni, qui veram tunc in Christum fidem habe- bant, tali esse deceptos errore, nec Dominus eos vera doctrina priuasset. Fuit quidem hæc hæresis multorum, vt refert Hieronymus e- pist. ad Demetriad. de virginitate seruanda, ibi dicit eos vsos esse hoc loco Ioannis ad su- um errorem confirmandum; tamen discipu- los Christi tunc ea fuisse infectos, nulla ratio probat.

Aliqui recentiorum secundo loco respon- dent, Iudæos animarum transmigrationem credidisse, & hac ratione potuerunt discipu- li interrogare, an hic peccauerit, nempe an huius anima in alio corpore aliquod commi- sit peccatum, propter quod in tale corpus vi- su priuatum detrusa sit. sed nec hoc de disci- pulis domini, iam à Christo multo tempore instructis, (erat enim iam proximum mortis Christi tempus) credendum est. Adde, quæ di- ximus superius cap. 1. Iudæos tunc huius trās- migrationis errorem habuisse, esse falsum, nec vlla ratione probari. Tertio loco posset aliquis affirmare discipulos in eo fuisse erro- re, in quo aliquos extitisse refert Augu. libr. 1. de peccat. meri. cap. 16. nempe infantes pecca-

ta actualia habere, sicut & adultos, eorumque animas vsu rationis esse præditas, vt peccare possint. At neque hæc responsio probabilis est: non enim præsumere de discipulis Domi- ni sine vrgente ratione similes vanitates, & errores debemus. Omisissis igitur his respon- sionibus, vera, & legitima responsio hæc est. Sciebant discipuli infante in peccato esse con- ceptos, nec esse vllum eriam in minima con- stitutum ætate, qui non sit peccator, & peccato affectus: nam Psalm. 50. legerant, & audie- rant sæpe. In iniquitacibus conceptus sum, &

in peccato concepit me mater mea. & Job. 9. Non est mundus, nec infans vnus diei. & scri- pturæ sæpe clamant, omnes esse peccatores, & neminem iustificari posse apud Deum, à qui- bus sententijs neminem excipiebant, sicut re- vera, nemo excipiendus est, quantum est ex humanæ generationis, & potestatis ratione: & quamuis ipsi forsitan nesciebant, quid esset hoc peccatum infantum, sciebant tamen e- um peccasse, & in peccato conceptum, & na- tum: propterea petunt, an propter eius pecca- tum sit cœcus natus: nam in vtero existens pec- cator erat, & verè in Adam peccauit, & pec- catum conceptus contraxit. Et non fuit stulta interrogatio, quamuis non intelligerent for- san perfectè peccatum hoc paruulorum: nam in rei veritate sæpe Deus propter hoc pecca- tum infantes pœnis corporalibus affligit, vt eos declare esse peccatores: quod rectè do- cuit Augu. lib. 22. C. vit. cap. 22. Et hac ratio- ne soluitur argumentum Chryso. primum.

Alterum autem argumentum facile soluitur ex his, quæ paulo antè diximus ex scripturis, in quibus etiam infantes, propter parentum peccata punitos esse constat, quia in eis paren- tes puniuntur. Nec illud Ezechielis testimo- nium contrarium est huic veritati: quando enim filij affliguntur propter patres, habent etiam ipsi, vnde iuste puniri possint, vt non sine peccato proprio puniantur, peccatum au- tem infantum, quamuis originale, iuste qua- cunque pœna puniri potest: & hoc est quod dicit Ezechiel, neminem puniri, nisi qui pro- prium habeat peccatum; quamuis non tem- per propter illud, sed propter parentum pec- catum puniatur. Sed exactiorem, ac longio- rem hæc doctrina postulat tractationem, quam alio in loco Deo iuuante trademus. Ex his sensus legitimus propositorum verborum pa- ter.

Respondit Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius.

COMMENTARIUS.

Responsio Domini duo continet, alterum est, tacita quædam instructio discipulorum suorum; alterum est declaratio, vel causa, propter quam iste natus est cœcus; prius verbis propositis exprimitur. Errabant discipuli existimantes, huius cœcitatæ causam non esse aliam quàm peccatum. sed cum nescirent vtrum esset, an proprium cœci nati, an verò parentum, inter- rogarunt Dominum; at Christus respondit esse falsum eorum fundamen- tum: neutrum enim peccatum causa fuit, vt hic cœcus nasceretur, instruens eos, non semper huiusmodi calamitates pœnas esse peccatorum, dicit igitur,

Neq.

Neq. hic peccauit, neq. parentes eius. Restringenda sunt verba responsionis per interrogationem. nempe, *Neq. hic peccauit, neq. parentes, vt cœcus nasceretur, nō quod peccata non haberent, sed quod non propter eorum peccata natus sit iste cœcus: peccauit igitur hic, peccauerunt etiam parentes, sed non propterea natus est cœcus.*

ANNOTATIO II.

CYRILLVS lib. 1. Ioan. cap. 9. absolutè ex- ponit hæc verba, neque hic peccauit, ne- que parentes eius, nempe ante corpora. profe- quitur enim expositionem suam, quam in præcedenti annotatione retulimus, tamen re- ctius Augusti. tract. 44. & Chryso. hom. 55. & Euthy. limitant secundum interrogatio- nem esse factam responsionem, nempe, *Non peccauit hic, neque parentes eius, vt cœcus nasceretur.* Ra- tio etiam probat hanc expositionem: nam non necesse erat parentes ante corpora peccasse: nā propter peccata in corporibus commissa po- tuit fieri, vt natus esset cœcus, non ergo de-

A peccatis ante corpus commissis loquitur. Sen- sus igitur est, quem in commentario attuli- mus. Neque etiam in his verbis continetur, quod dicunt Chryso. & Euthy. nempe non puniri homines propter patres: sed specialis, & determinatus est sermo hic, nempe hanc cœcitatē non esse propter peccatum cœci nati, nec peccatum eius: inde tamen non se- quitur, ergo non est pœna vlla illata propter peccata parentum: hoc enim nec rectè, nec verè sequitur, sed hanc discutere ma- teriam, vt diximus, alterius est instituti.

Sed vt manifestentur opera Dei in illo.

COMMENTARIUS.

Hoc est posterius. nempe causam cur hic cœcus sit natus, reddit: ea autem est, vt opera diuinitatis meæ in ea cœcitate expellenda declarentur, & mundo manifestentur. ac si diceret clarius, vt me Deum esse, in eo sanando ostendam; quia tale opus faciam, quod à solo Deo esse potest. Similis est illa sententia Ioan. 11. Infirmetas hæc non est ad mortem; sed vt glorificetur filius Dei per eam. Multa fuerunt opera, & miracula Christi, quæ Iudæi impij dæ- monis virtuti adscribebant, at hoc opus tantum fuit, vt coacti sint dicere, nisi hic homo esset à Deo, non posset hæc signa facere: nouerunt ergo esse opus solius virtutis & potentia Dei, quamuis in sua incredulitate pertinaces non cognouerint Christum esse ipsum Deū. Igitur hæc cœcitas huic cœco à na- tiuitate est inflicta, non in pœnam peccati eius, aut parentum, sed vt in eo il- luminando declarem meam diuinitatem, & cognoscat Deus, vt verè sum, Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO III.

vt, quid in scriptura sig- nificare so- leat.

PARICVLAM vt, aliquando causam, ali- quando consecutionem dicere, res est in scriptura manifesta. Ioan. 9. In iudicium veni in hunc mundum, vt & qui vident, videant: & qui vident, cœci fiant, non causam, sed con- secutionem hæc verba habent: nempe ex meo aduentu factum, seu consecutum est, vt aliqui ex cœcati sint, at non veni ea de causa, vt cœci fierent, sed vt viderent, Ioan. 17. Veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant, causam si- gnificat. Sunt sexcenta huiusmodi testimonia. Theophylact. ergo hoc in loco particulam con- secutionis, non causæ esse censet, vt sit sensus; ex huius cœcitate consecutum est, vt in eo o- pera Dei fierent manifesta. Sed hæc expositio accommodari non potest: nam Apostoli cau- sam, cur cœcus natus esset, quærebant, & hanc Dominus, non peccatū, sed suæ diuinitatis ma- nifestationem esse, respondet. Meminit Chry- so. ho. 55. & Euthym. vtriusque huius inter- pretationis, & in eam inclinant partem, vt sit particula causæ: & ea est vera interpretatio. Finalis enim causa, propter quam Deus hanc

C permisit, & voluit à natiuitate cœcitatē, ea fuit, vt in ea sananda diuina virtus eius osten- deretur: opus enim tam mirum non potuit esse nisi Dei. Rectè autem annotat Chryso. non Patrem, sed seipsum appellare Deum, quasi diceret, vt meam diuinitatem, meque esse non merum hominem, sed simul Deum, mundo per tale opus manifestem.

ANNOTATIO IV.

CVM igitur non peccatum, sed Deitatis manifestatio causa sit huius cœcitatæ, du- bitabit aliquis, qua iustitia id fieri possit, vt tanta pœna alicui infligatur, & non propter peccatum. Hanc dubitationem Chryso. ho- mil. 55. & Euthymius mouent, quid autem er- spondeant, vltimo loco dicemus: multa autem respondere possumus; quibus nulla hunc cœ- cum iniuria affectum, si propter Christi mani- festationem id passus est, ostendamus. Dico igitur primò, quamuis non sit propter eius pro- prium, aut parentum peccatum hæc cœcitas:

non

non tamen fuit sine eius peccato, propter quod iuste Deus multo maiora mala potuisset infligere, & quid in iuste: Est enim doctrina catholica aduerenda, vel propter originale peccatum, quod in Adam peccantes contraximus, iuste poenas quasunque temporales exigere ab omnibus posse Deum: nunc etiam infantes multos morte, alijque calamitatibus affici, ut docet Augustin. libr. 22. Ciui. capit. 22. quod igitur non puniat omnes, nec pluribus afficiat calamitatibus, misericordiae est beneficium, non iustitiae debitum. Cum igitur huic coecitatem immisit propter diuinam gloriam, non est factum sine iustitia, cum maiora potuisset infligere propter peccatum eius, & parentum: ut autem aliquid iuste fiat, satis, si sine iniustitia, quamuis non propter iustitiam, fiat, sicut qui multos habet debitores, a quibus misericordiae debita non exigit, si contingat aliquando pro his, quae ad suum pertinent honorem, partem debiti ab uno exigere iniuste non facit, quia maiora ille debebat: haec est una responsio.

Dico secundò, quamuis nullum esset peccatum, nulla tamen iniustitia in hoc facto esset, pro cuius explicatione attendendum est, quando Deus alicui coecitatem, aut infirmitatem aliquam immittit, non sic debere nos hoc intelligere, quasi auferat ei aliquid, quod suum erat, ipsique debebatur, sed quod nolit ea donare, sicut donauit alia; omnia enim, quae habemus bona, dona Dei sunt gratis, & liberaliter data; quando ergo alicui non dat visum, aut sanitatem, aut longam vitam, non aufert debita, sed non donat, quae donare potuit. haec non est iniustitia, sed donationis suae terminus, sicut si Princeps gratis alicui donaret redditus, honores & officia, nollet tamen donare domos, & villas, sicut alijs donauit non est iniustitia, sed nolle liberalius cum eo agere: ita nobiscum facit Deus, cuius dona sunt, quaecunque habemus; quamuis ergo peccatum non esset, iniuria non esset; sicut nec iniuria afficit animalia bruta, quibus similia mala insunt, & tamen non peccarunt.

Dicotertiò, quamuis non esset peccatum,

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari, quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

COMMENTARIUS.

TAcitam causam subiungit, cur haec opera sint manifestanda; quia, inquit, oportet, dum inter homines sum visibilis, & cum eis conuersor, opera Patris mei operari haec autem sunt miracula & signa, per quae diuinitas mea est declaranda; ac si clarius dicat; habeo opera Patris mei multa, quae faciam; haec autem, dum inter homines ago vitam, facienda sunt, venit enim, & instat nox mortis meae, quando non erit opportunitas haec faciendi, donec ergo inter eos uiuò, tempus est opportunum, propterea hoc nunc opus Patris aggrediar. Addit rationem quare, *Donec dies est*, id est, praesens, & visibilis est, haec opera debeat facere, quia *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi*, id est, dum inter homi-

A & debitum esset, non idcirco iniustitia esset, immo maxima iustitia. si enim pro bono publico homines vitae, & bonorum iacturam patiuntur, & Principes pro conseruatione communi subditos suos periculis certis vitae exponunt, multosque labores, & calamitates subire faciunt; & id iuste; multo potiori iure in hoc casu iusta est coecitas, quam passus est iste, non solum pro communi bono, id est, pro fide in Christum concilianda, in qua salus hominum est, sed etiam pro Dei honore & gloria, ut Deus ipse glorificetur ab hominibus. **B** Non solum ergo iniustitia non est, sed si fieri posset, ut isti ante coecitatem diceretur; ecce coecitas haec futura est pro gloria Dei, & pro manifestatione verè fidei, tenebatur ille ex iustitia acceptare nam plus est vita, quam visus, & maius malum mors, quam coecitas, & tamen martyres pro fide, & Dei gloria obligantur mortem subire.

Quartò tandem respondeo, etiam si nihil horum, quae dicta sunt, interuenirent, adhuc iniustitia non esset, nec iniuria vlla: quia per hanc coecitatem consecutus est multo maius bonum, nempe visum mentis per fidem, & vitam animae; si enim medicus vulnerat corpus propter sanitatem corporis, quid mirum si Deus id faciat propter animae sanitatem? Collyrium enim ad tempus visum aufert, ut perfectiorem efficiat: Deus autem visum etiam ad tempus huic auulit, non solum, ut visum restitueret eundem, sed cum magno foenore; nam fidem mentis oculis huius hominis infudit, & gratiam, quae vita est animae. Hanc ultimam responsionem Chrysolto, & Euthymi, citati superius afferunt. Vide quot ex capitibus omnis iniuria, & iniustitia ab hoc facto excluditur. Recta ergo & iusta causa coecitatis est Dei manifestatio, in qua & Dei honor, & hominum salus consistit; non quod aliter non potuerit manifestari, sed quia id ita voluit. Summa igitur misericordia visus est Dominus cum hoc coeco, qui per breuem coecitatem tantum à Christo consecutus est beneficium; & qui prius iudicabatur infelix, profectò maximè foelicem, & beatum in Domino esse cognouimus.

homines uiuò, lux sum eorum, docens ea, quae ad salutem aeternam eorum pertinent. Si igitur lux veni in mundum, ut illuminarem, & docerem, dum sum in mundo opportunum est tempus faciendi opera haec, per quae homines instruuntur, & cognoscunt veritatem salutis. Metaphorica est locutio sumpra à tempore opportuno operandi; in die enim homines operari solent, nocte cessant, & vacant ab opere; sic tempus praesentiae suae in hoc seculo, diem appellat, quia opportunum erat tempus docendi, & opera, ac signa visibiliter faciendi; at post mortem ascensus est in caelos, nec visibiliter amplius cum hominibus conuersaturus: propterea nec per se iam docebit homines, nec miracula haec edet sicut ante; non quod per Apostolos suos non haec operetur semper, & per praedicatores, sed quod per se visibiliter non amplius haec sit factururus; hoc enim iniunctum est ei à patre, ut per se ipsum haec faceret, sicuti fecit: ad haec autem facienda opportunum tempus erat, dum dies, & praesens inter nos erat. Duo verba sunt attendenda, *Oportet, & non potest*, illud non necessitatem dicit, sed praecipuum, quod ut homo à Patre accepit, haec operandi, & statutum ac firmam voluntatem Patris, ut haec fierent. hoc autem non dicit impotentiam, sed negat opportunitatem. *Non potest operari*, id est, non est opportunum iam tempus operandi; utitur enim verbo, quo solemus uti quando inter nos dicimus, nocte nemo potest operari. Opera autem haec miraculosa, modò patri, modo sibi tribuit, quia una est vtriusque potentia: at quia hoc in loco loquebatur, ut homo, dum dicit, *Me oportet, & donec dies est*, propterea ad patrem refert opera haec, ut opera esse diuinitatis significet.

ANNOTATIO V.

Dies & nox nomine quid significet.

SUPERIOREM sententiam non eodem modo omnes interpretantur: communis expositio est ut diem appellet totum tempus huius seculi, in quo homines credere possunt, noctem autem seculi alterius tempus, quando non erit occasio conuertendi se ad Deum, & credendi. Istaque duo *Dies, & Nox*, non ex parte Christi, sed ex parte hominum, sunt accipienda, & ritque sensus; *Me oportet operari opera Patris, donec dies est, & tempus credendi in me; venit nox mortis, & alterius seculi, quando iam non poterunt amplius homines in me credere; quamdiu ergo sum in mundo, nempe usque ad seculi consummationem, sum lux mundi, & oportet me operari, ut homines in me credant. Haec expositio est Chrysolto. hom. 55. & Euthym. & Augustin. tract. 44. at mihi dura videtur, & non ad rem intentam facere; verba enim illa, *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*, praesentiam eius sensibilem, qua cum hominibus conuersabatur eos docens & instruens, significant; quamuis enim semper sit in mundo, & lux illuminans; tamen id virtute & potestate facit, non autem sensibiliter praesens, ut doctor per se ipsum instruens. de qua praesentia dicit; quamdiu sum in mundo, quia non erat hic futurus semper. Praeterea illud, *Nemo potest operari*, connectitur illi, *Me oportet operari*, & de operibus miraculorum intelligitur, sicque continuatur; cum operari debeam, tempus mihi opportunum eligo; in nocte enim non est operandi opportunitas. Aliqui recentiorum restringunt haec vocabula, non ad tempus huius seculi, & alterius, sed ad tempus horum Iudaeorum, ut diem appellet, dum nondum sunt excoecati: noctem autem quando excoecati sunt; ut sit sensus, oportet me haec opera, & signa facere *Donec dies est,**

A id est, antequam isti Iudaei sint excoecati; *Venit nox*, excoecationis eorum, & tunc non haec facienda sunt. Sed non video probabilitatem huius expositionis, nec veritatem; nam tunc excoecati erant, & tamen Christus operabatur, & etiam post resurrectionem excoecati manserunt, & adhuc per Apostolos miracula haec operabatur Christus.

Rectius igitur, & accommodatius exponemus, ut Christus loquatur de his, quae per se ipsum operaturus erat, & quae à patre inter homines facturus accepit: praesentiae autem huius tempus per metaphoram diem appellat, absentiam autem noctem; & sicut Sol illuminat, quando praesens est, quando absens non iam per se ipsum ut ante, sed per lunam, quae lumen habet à Sole, & data est in potestatem noctis; sic Christus donec inter nos fuit, per se docuit & verbo & opere; at absens per lunam, quae est Ecclesia ab ipso illuminata, in qua Apostoli, Martyres, & reliqui fideles sunt, & fuerunt. Et haec expositio rectè accommodatur; nam instabat iam nox haec absentiae, & mortis eius. cumque à Patre haberet in mandatis ut lux esset mundi per doctrinam, & opera; coecum hunc praesentem illuminare voluit, dum adhuc inter nos agebat, & opportunitas erat, ut per hoc opus officium lucis exerceret. Haec enim sententia tota est à Domino prolata in confirmationem illius sententiae, opera Dei in hoc coeco esse manifestanda; quasi iam instaret tempus noctis, & passio- nis, adhuc tamen pars diei superesset, in qua tanquam lux, operibus hisce illustraret mentes hominum.

Hac cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex spuito, & liniuit lutum super oculos eius.

C O M M E N T A R I V S.

INSTRVCTIS discipulis, menteque illuminatis, tanquam vera lux, & mentes & corpora illustrans; ad miraculum & opus Dei operandum se conuertit: & luto ex spuito suo, & puluere terræ confecto, liniuit oculos cæci nati. Tres sunt hæ operationes; vna expuere; altera lutum conficere, tanquam materiam, ex qua oculi formandi erant; tertia oculis hominis illius lutum apponere. Oculos appellat illam imperfectam oculorum partem, quæ erat in concavitate, in qua oculi esse solent: non enim sensorium perfectum, & integrum erat. Exactiorem declarationem in annotatione inuenies.

A N N O T A T I O VI.

Cur hunc cæcum Dominum solo verbo non illuminauerit.

POTVISSET Dominus verbo cæco visum restituere, sicut & cum illo fecit Luc. 18. qui interrogatus à Domino, Quid tibi vis faciam? & respondens, Domine ut videam, vnicuique verbo illustratus est, Respice, & statim vidit. at non sic hunc illuminare voluit; fuerunt enim, ut dicit August. tract. 44. miracula Christi & facta, & verba, facta quidem, quia per ea aliqua fiebant: verba autem, quia per eadem facta mysteria multa significabantur. Tale hoc fuit opus; factum quidem, quia cæco visum dedit; verbum, quia per tale factum multa nobis tradere, & ostendere disposuit Christus. Quorum primum illud est, eos, quia opera eius dæmoni tribuebant, conuincere, talia opera solius esse diuinæ virtutis, quod dupliciter hoc factum probauit. primum quidem effectu ipso: cæcum enim à natiuitate, qualis esse erat, nulla virtus naturalis potuit sanare, idcirco nec dæmon, qui non aliter opera sua mirabilia facit, quam applicando virtutes naturales creaturarum, ut docet Aug. lib. 3. Trin. cap. 8. cum igitur nulla virtus naturalis sit, quæ potentiam visum restituat, ergo nec dæmon id potuit facere. Ita docuit Athana. in illud Matt. 12. Qui peccauerit in Spiritum sanctum &c. docens hunc potentia priuatum visum, nulla ratione à dæmone potuisse illuminari. Altero modo id etiam probauit in modo sanandi, dum contraria adhibet medicamenta; quamuis enim dæmonem alicui cæco visum restituere, id tamen faceret applicando virtutem aliquam accommodatam visioni, at non per contrarias virtutes: hæc autem facit Christus, qui luto ad excocandum potius apto visum restituit, per hoc significare volens, nempe se diuina virtute operari; Et hanc causam huius rei adfert Chryso. homil. 4. in 1. Epist. Corinth. Secundo id factum est, ut hoc factum se esse eundem, qui à principio totum hominem fecerat, ostenderet. fecit Deus à principio hominem de limo terræ, nunc partem quædam etiam limo quodam terræ reparat; ut dum eadem materia vitur ad partem reparandam, credatur ille esse, qui de eadem materia totum fecit: sicut si magnus quidam artifex statuam insignem faceret, & ut ille ipse

Auctor statum crederetur, relinqueret vnam partem imperfectam; quam omnibus perficiendam proponeret; ut dum nemo inueniretur, qui id valeret efficere, ipse superueniens & perficiens, ipsa perfectione, se fuisse totius auctorem probaret. sic fecit Christus in huius hominis creatione: reliquit oculos imperfectos, quos nulla ars, nulla vis naturalis potuit perficere, etiam si ad multos annos imperfecta expectauerit; superuenit tandem idem artifex, & perficit, eadem materia vitens, quæ à principio erat visus, hacque perfectione se totius hominis auctorem manifestat. Hanc rationem huius mysterij adducunt. Ambrosius epist. 75. ad Bellitium, & Chryso. homil. 56. in Ioan. & ante eos Irenæus libro 5. cap. 15.

Sed non est hoc vnum silentio prætereundum: nam posset aliquis obijcere his sacris Doctoribus: Deus ex solo puluere terræ fecit hominem; quid est, quod nunc addit pulueri saliuam, & lutum facit, sciendum illud Genef. 2. Fecit Dominus hominem de limo terræ, Hieronymus sic vertisse limum terræ. Grego. autem lib. 9. Mora. cap. 28. & Augustin. lib. 2. de Genef. contra Manichæ. capit. 7. explicant hunc limum, de quo homo formatus est, fuisse lutum, nempe terram aquæ commixtam. At huic repugnat vocabulum Hebræum **לֶמְסָה** quod puluerem significat, quod repetitur Gen. 3. puluis es; & in puluerem reuerteris; & inde verbum **לֶמְסָה** id est, puluerem spargo. & sic Septua. - ginta verterunt, accipiens puluerem, *χολια*, & sic interpretantur Basili. homil. 11. in Genef. & Chryso. homil. 12. & aduertunt causam esse, ut per hoc induceretur homo in humilitatem; est enim ex puluere terræ factus, qui est pars inutilior terræ, & fragilior. In quo non est audiendus Philo, qui libr. de opificio mundi tradidit, ex præcipuis terræ partibus, hominem esse factum, ut dignitas eius commendaretur, sed fallitur; non enim in vili materia eius dignitas commendatur, sed in anima ad imaginem Dei facta. Gregorius autem, & Augustinus citati, etiam si videantur contrarium dicere; at re vera non dicunt, immo de puluere factum esse docent; & luto comparant

Aliua è capite descendens, filium Dei significat à Patre procedentem, hic naturæ humanæ vnitus, medicina factus est, ut homo cæcus mortis tenebris lumen vitæ reciperet. Et hoc est tertium, cur Dominus visus sic luto; ut quæ ratione totus homo sic sanatus, & humanum genus vitæ lumen recepit, ostenderet. Quarto loco Ambros. libr. 3. de Sacram. capi. 2. addit in hoc facto etiam significari; si volumus mentis oculos nostræ sanari, debere lutum super eos ponere, nempe considerare nostram miseriam, fragilitatem, imperfectiones, & peccata; à cognitione enim sui incipit Christiana perfectio: Sed hæc iam ad spirituales sensus spectant.

Et dixit ei; vade, & lava in natatoria Siloe (quod interpretatur missus).

C O M M E N T A R I V S.

Postquam liniuit oculos cæci luto, ad natatoriam Siloe mittit lauandum: non enim priusquam laueretur, visum restituit. Euangelista autem nomen, *Siloe*, interpretatur, apud Hebræos enim, missum significat. Dices, quomodo nouit cæcus hic Christum esse, quæ linebat oculos eius, qui ei hæc præcipiebat: respondeo vel ex turba, vel ex discipulis intellexisse Christum adesse, & ad eum accessisse, locutumque esse, quamuis Euangelista non narrauerit; multa enim omittunt Euangelistæ, quæ præcipua sunt describere contenti. Latent in his verbis multa, quæ in annotatione tractantur.

A N N O T A T I O VII.

SVNT aliqua in superioris sententiæ declarationem annotanda. Primum, Hieronymus Mai. 8. de Siloe sic dicere, Siloe fons est ad radices montis Syon, qui non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusque ebullit, & per terrarum concaua; & antra saxi durissimi cum magno sonitu venit. Hæc Hieron. qui Siloem eundem esse fontem, qui dictus est Gichon **גִּיחֹן** videtur sentire: tamen, quantum existimo, potius Siloe, nomen est piscinæ & receptaculi, in quod aquæ fontis Gichon recipiebantur, ut Gichon sit nomen fontis, vnde aqua procedebat in natatoriam, seu piscinam; Siloe autem non fontis, sed ipsius piscinæ; & natatoria sit nomen. Fons autem Gichon est, ad quem Salomon in regem vultus est, 3. Reg. 1. & quem Ezechias obturari fecit, ne inimici, & hostes potum inde haberent, 2. Paral. 32. dictus sic à verbo **גָּחַח** significante erumpere, aut irrumperere, quæ si aquæ impetu quodam in de erumperent. Est etiam nomen vnius fluij, qui è paradiso egrediebatur. Gen. 3. ex hoc igitur fonte aqua leniter fluens in Siloem descendebat, quæ erat natatoria, seu piscina, ex qua postea aqua in hortos derivabatur, inde dicta est piscina hæc **טְּלֵיָהוּ** à verbo **טָלָה** mitto, id est missus, - vel quia aqua mittebatur, & descendebat è fonte Gichon in eam; vel quia aquæ in hortos derivabantur: figuram gerens Christi, qui à Patre procedens, silentio & sine strepitu, id est, in-

Cuisibili processione & immutabiliter, homo factus est, & ex eo omnis gratiarum riuus in fideles deriuatur. Et propterea Euangelista Hebraico nomine retento, adhibuit interpretationem, ut Christum per Siloe significari indicaret; & eius virtute, non autem aquæ illius cæcum illuminatum doceret: ut nota: Chryso. hom. 56. Irenæ. lib. 4. ca. 19. asserit in diebus Sabbatorum multos curari solitos in Siloa. Silon, inquit, multos in diebus Sabbatorum curauit, & propter hoc assidebant ei multi in die Sabbatorum. hæc Iren. Forlan existimauit esse Siloam piscinam illam probaticam, at re vera non est: hæc enim in ciuitate, illa extra erat. Nec probat Irenæus in Siloa esse ante miracula facta: nec verisimile est, si ita fuisset, Christum missurum cæcum ad eam, sic enim non ipsi, sed piscinæ virtus miraculi tribueretur, vnde nec diuinitas eius agnosci posset. Non igitur hæc est probanda sententia.

Secundo annotandum est, cur Dominus miserit hunc cæcum; oculis luto delinitis ad natatoriam hanc, ut visum reciperet; distabat enim per milliarem ab vrbe. Ad hoc respondet Chryso. homilia 56. id factum, ut miraculum Christi diulgaretur: homo enim cæcus media ciuitate, luto oculis imposito incedens, omnium pertranseuntium oculos ad se conuertebat; quos veniens & reuertens cum visu testes oculatos tanti facti habebat: non enim aquæ virtuti id tribui poterat;

Baptismus
per aquam
Siloe signifi-
catur.

Hoc verum quidem est, sed adhuc maius ali-
quid significatum existimo: Ambr. igitur epi-
stol. 76. libr. 3. de sacramentis cap. 2. dicit aquas
Siloe baptismum significare, ad quem sanan-
dus mittitur, luto super oculos imposito. Lu-
tum autem exponit Ambr. epist. 78. doctrinam
Euangelicam, quam, qui recipit per fidem,
neesse est, si illuminari vult, aquas recipiat
baptismi. In lib. 3. de Sacram. exponit pecca-
tum, cognito enim peccato per Christi do-
ctrinam, ad baptismi aquas accedit, vt remis-
sionem consequatur. Vt ergo mysterium aquarum
baptismi significaret, mittitur hic, secun-
dum Ambrosium, ad Siloem. Augustin. etiam
tract. 44. Catechumenum per inunctum, & per
Siloe baptismum exponit, hæc rectè, & verè
mihi dici videntur.

Auctoris ex-
positio.

At causam propriam huius facti eam esse
existimo, nempe Dominum voluisse signifi-
care, quid suo hoc aduentu, Iudæis eum non
recipientibus, futurum erat: nimirum multo
amplius excæcandos, quam prius: si enim cæ-
cus hic ad natatoriam non venisset, non so-
lum visum non recepisset, sed oculi in peiori
statu quam ante erant, luto deliniti mansis-
sent. Talis fuit aduentus Domini his, qui eum
non receperunt, nec venerunt ad Siloe, id est,
Christum missum à Deo, obdurati enim magis
& cæcitate obscurati euaserunt, quod paulo
post Dominus explicuit. Veni in iudicium,
vt, qui vident, cæci fiant: id est, qui sibi vide-
re videbantur, nec me receperunt, cæci facti
sunt. quam cæcitatem Isai. 6. prædictam legi-
mus, Exceca cor populi huius, quo loco ad
hoc probandum vsus est Paulus, Roman. 11. Lu-
tum ergo & terra imposita oculis mentis eor-
um fuit aduentus Christi, eorum vitio & cul-
pa, quia ad Siloe noluerunt ire, id est, ipsum
recipere, at recipientibus eum illustrati sunt
oculi luto doctrinæ, & aduentus sui: idcirco
enim Euangelista Siloe interpretatur, vt Chri-
sti figuram gerere indicet. Non solum autem
excæcationem incredulorum significauit Do-
minus, sed ruinam, & vastationem etiam tem-

poralem per Romanos futuram insinuauit,
tacitè insinuans verbum illud Isaiæ 8. Pro
eo, inquit, quod populus iste abiectit aquas Si-
loe, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit
magis Rafin, & filium Romeliæ, propter hoc
ecce Dominus adducet super eos aquas flu-
minis fortes, & multas Regem, Assyriorum,
&c. Cortex litteræ est, quia populus decem
tribuum abiectit Regem Iuda, noluitque esse
sub eo, qui per aquas Siloe significatur, quia
Salomon in Siloe, seu Gichon victus est, &
maluit Reges alienos, propterea traditus est
in captiuitatem Assyrijs. At sensus præcipuus
est, quia abiectit populus Christum missum à
Patre, traditus est in vastationem, & ruinam,
& captiuitatem Romanis. Ita Basil. & Cyril.
ibi hunc Isaiæ locum exponunt. & Euseb. lib.
7. de demonst. Euang. capit. 2. Hoc est quod Do-
minus voluit nunc insinuare, in luto, & Siloe,
iplos excæcandos magis, atque etiam punien-
dos, quia eum aduenientem, & velut saluam
terræ coniunctam, hominem factum non re-
ceperunt.

Tertio annotandum est, quanta fuerit hi-
ius hominis in hoc facto obedientia, & fides:
obedientia quidem, dum passus est oculos
luto deliniri; dum per mediam ciuitatem luto
delinitus incedit: dum longum spatium via
peragit adhuc cæcus: nihil respondit, nec ob-
murmurauit, nec cur sic facis, nec cur aliter
non me sanas, dixit: sed promptè, quæ Chri-
stus fecit, & iussit, accepit, & executus est:
magna profectò obedientia. Faciliora iussit
Helisæus Naaman, vt sanaretur à lepra, & obe-
dire noluit, donec à seruis suis maximè rogarè
tur, 4. Reg. 5. Fides verò, quia cum nondum
Christum Dei filium esse, nec Messiam cre-
deret, lutum sibi impositum, & aquas com-
munes ad visum recipiendum profutura sibi
existimauit, cum potius hæc visui noceant, &
inutilia saltem ex sua natura sint. At virtus

Christi ipsius cor excitabat, & ad hæc
exequenda promptum ex-
hibebat.

Abijt ergo & lauit, & venit videns.

COMMENTARIUS.

PRæcepto Domini obtemperans, abijt ad natatoriam Siloe, & lauit ocu-
los, visuque statim recepto, reuersus est in ciuitatem. Breuitate verborum,
& promptissimam hominis obedientiam, & efficacissimam Christi virtutem
in sanando, Euangelista significauit, vt enim ille sine excusatione obediuit,
ita & Christus obediens sine mora illuminauit, & Euangelista breuissimam
oratione narrauit.

*Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendiculus erat,
dicebant; nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?*

*alij dicebant; quia hic est; alij nequa-
quam; sed, similis ei est.*

CVM iam ætatis esset perfectæ homo hic, quando visum recepit: simul &
mendiculus, complures eum annos mendicasse, multisq; notum esse certum
est; tantæ tamen rei nouitas præ admiratione multos dubitare fecit, an ipse
met

met esset, quibusdam non eundem, sed similem, vt euenire solet, alijs eu-
dem esse affirmantibus. Illud *Quia mendiculus erat*, ponitur vt causa sequen-
tium, nempe quia dicebant; *Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat?* Vicinos,
& familiares, eundem esse affirmasse, eos autem, quibus minus ante notus
erat negasse, probabile est.

Ille verò dicebat; quia ego sum.

HEbraismus est; repetitur vox ipsius (met cæci, ac si dictum esset, ille ve-
rò dicebat, se eundem esse, qui prius cæcus sedebat, & mendicabat. Si-
mile est illud Ioan. 18. Dixi vobis, quia ego sum. Non patitur homo illu-
stratus tantum latere beneficium, tamq; insigne Dei opus occultari, & hoc
etiam præter visum receptum, nouum est Dei beneficium, vt tantæ fiat ve-
ritatis prædicator.

Dicebant ergo ei, quomodo aperti sunt tibi oculi?

CVM se esse eum, qui cæcus prius erat, confiteretur, consecutum est, vt
quærent, quomodo illi essent oculi aperti. Effectuum mirabilium,
& insolitorum causas, & productionum modos velle scire, naturale est; ma-
ximè huius rei causarum naturalium omnem ordinem excedentis, nec di-
cunt, quomodo visum recepisti? Sed *Quomodo oculi sunt tibi aperti?* quia non
huic potentia sensitua seu visua sola, sed etiam sensorium, & instrumen-
tum videndi restitutum est. Sunt enim cæci, quibus organum videndi in-
tegrum est, potentia tamen visua propter aliquam organi intemperiem,
aut impedita est, aut destructa; at isti cæco etiam organum ipsum deerat,
hoc enim luto restauratum est. Vnde Cypri. lib. de bono patientiæ, dicit
Christum luto formasse oculos, quod miraculi magnitudinem maximè
commendat. Idcirco dicunt, *Quomodo tibi aperti sunt oculi?* solent enim pal-
pebræ esse conclusæ, quando sensoria desunt.

*Respondit: ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit o-
culos meos, & dixit mihi, vade ad natatoriam Siloe,*

& laua, & abij, & laui, & video.

Breuissimis, & compendiosis verbis totam narrat historiam, plusq; quàm
interrogaretur respondit, nam modum illi quærebant, at ipse, & mo-
dum, & auctorem tanti operis manifestat, quod & animi grati, & nouam il-
lorum interrogationem impedire volentis, fuit; nisi enim reuelasset aucto-
rem, secundam sine dubio audisset illorum interrogationem. Cum verò
auctoris perfectam nondum haberet notitiam, hominem appellat Chri-
stum, nihil altius de eo sentiens quod meram hominis excederet naturam;
quamuis diuinam in miraculo virtutem agnosceret, quia autem Christus
tunc celeberrimi nominis erat, idcirco dicit, *ille homo, qui dicitur Iesus*, quod
certè, vt diximus, ex aliorum vocibus audiuit; sicut & ille cæcus, qui à tur-
ba prætereunte nouit, quod Iesus esset, qui transiret. Lutum fecisse refert,
quia sensit; at ex salua factum tacet, quia nesciebat, nec sensu id perceperat,
vt Chrysostr. hom. 56. perhibuit.

Et dixerunt ei, ubi est ille? ait nescio.

QVia Iudæorum Insaniam, & furorem paulo ante declinauerat Domi-
nus, inuisibilis eis factus, idcirco requirunt. *Vbi est ille?* non animo recto,
vt audirent, & crederent; sed vt deferrent, & accusarent, quod sequens fa-
ctum indicat, nam cæcum ad Pharisaeos ducunt; at homo Christi verbo
obediens, statim ac iussus est ire in Siloe natatoriam, à Christo discessit,
nec vbi esset, scire poterat. ideo interrogatus, vbi esset, nescire
se responder.

Mm 2

Addu-

Adducunt ad Phariseos eum, qui cæcus fuerat, erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

Adducunt cæcum ad Phariseos, vt diligentius interrogaretur, quia eis videbatur, aut saltem dubij erant, an Sabbatum violasset Dominus. propterea adiunxit Euangelista, *sabbatum fuisse, quando lutum fecit, & aperuit oculos cæci*; vt ea de causa à Iudæis adductum esse cæcum ad Phariseos indicet. Et ita Chryl. hom. 36. Euthym. horum prauum animum exponunt.

Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset, ille autem dixit eis; lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

Causam interrogationis particula *Ergo*, indicat; nempe, quia Sabbatum cerat, quando lutum fecit quod in præcedenti sententia dictum est. In quo peruersitas eorum manifestatur. Non enim eos magnitudo tanti miraculi induxit ad interrogandum, sed malitia prætextu Sabbati ad accusandum, & calumniandum. Non refert omnia, quæ cæcus respondit Euangelista, sed breuitatis causa aliqua recenset, quia iam prius totam, & integram responsionem descripserat: probabile est respondisse, lutum fecit, & posuit super oculos meos, & dixit mihi, &c. nisi velimus dicere cæcum, cum præsentiret, se accusandi gratia ad Phariseos adductum, vel eos animo calumniandi interrogare, non respondisse, lutum fecit, sed *Lutum posuit mihi*, quia illud ex coniectura sciebat, hoc autem sensu percipiebat. Certum, relicto in certo, prudenter respondet, ne ei, à quo beneficio tanto affectus erat, ex indiscreta responsione aliquo modo noceat, eumq; lædat.

Dicebant ergo ex Phariseis quidam, non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.

Non omnium Phariseorum hæc erat sententia. Attende autem insipientiam, & malitiam istorum: duæ enim erant in hoc casu illationes, & consecutiones; vna est, visum cæco à natiuitate restituit, ergo hic à Deo est, altera, in sabbato parum luti confecit ad sanandum, ergo non est à Deo. Quis est tam iudicij expertus, qui non videat priorem consecutionem esse fortio-riorem multo & potentio-riorem, quàm posteriorem? nam ex tanto facto multo verius concludebatur, esse à Deo, quàm quia parum luti confecit, non esse à Deo, quod etiã si nõ ad tantũ opus faciendũ cõfecisset, non propterea sequebatur esse cõtra sabbati obseruantia, cum sit minimè considerationis ex salina parum luti conficere: & esto fuisset in maiori quãtitate, licebat medicis propter sanitatem incertam, & dubiam tuendam, medicamẽta etiam sabbato cõficere, at malitia excoecabat eos, vt relicta via certiori, & veriori veritatis, ad vanas rationes, & pueriles se cõuerterent. Illa particula *Ergo*, illa tionem indicat sequentium, nempe ex eo, quia audierunt lutũ posuisse super oculos hominis illius sabbato; ideo intulerũt, *Non est hic homo à Deo.*

Alij autem dicebant; quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & schisma erat inter eos.

MAgis hi sapiebant, qui in partẽ contrariã opponerent sic, Si sabbatum transgrederetur, & peccaret in hoc opere; non faceret tantum flagnum, quantum hoc est. non enim audebant, nec poterant hi negare auctorem huius operis esse à Deo missum, & virtute diuina id efficere, licet id imperfectè senserint; quia hæc dubitantes, & admirantes proferebant, quod sine vlla hæsitacione, & constanter affirmare debuerant. His ergo, non à Deo esse propter Sabbati prætextam violationem; a-

Iij propter miraculum à Deo esse contendentibus; dissensio, & schisma factum est inter eos. *Schisma* appellat dissensiones, & opiniones inter se differentes, quo vocabulo vsus est 1. Cor. 11. Paulus. Audio, inquit, inter vos scissuras esse. Hic locus exactius exponetur in annotatione nona; vbi explicabitur illud; *Peccatores Deus non exaudit.*

Dicunt ergo cæco iterum; tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? ille autem dixit; quia Propheta est.

CVM inter se dissentirent; illi, qui pro Christo sentiebant, ambiguitatis iudicem cæcum ipsum constituunt, sperantes eum, qui Christi virtutem erat expertus, illis patrocinaturum. Esse autem vocem hanc eorum, qui Christum à Deo esse affirmabant, Chryl. hom. 37. probat; quia non dicunt; quid dicis de eo, qui Sabbatum soluit; sed de eo, qui oculos tibi aperuit: præterea qui contra Christum sentiebant, non ad eum, qui beneficio erat affectus, se conuerterunt, quem bene de benefactore sensurum, & locuturum arbitrati sunt. Idem sentit Euthy. Particula *Ergo*, tacitam causam, & illationem indicat, nempe quia dissentiebant, idcirco ad cæcum ipsum se conuertunt, vtri parti faueret, scire cupientes. Cæcus autẽ Prophetam esse dicit, quo verbo à Deo esse, & diuina virtute miraculum editum confitetur; quamuis autem nondum perfectam tunc fecerit confessionem; fuit tamen vera, & recta, licet sine articulo *Propheta* ponatur.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat.

CONTRA Christum sentientes, vt dicit Euthym. non crediderunt cæcum natum fuisse hominem illum. Et notanda est particula *Ergo*: nam ex superioribus deducit sequentia; vt sit sensus, illi qui à Deo esse Christum negabant, audientes cæcum illi fauere parti à Deo esse dicentium, cum non haberent aliud refugium, negarunt factum; nã eo admissio, non supererat, quo se tuerentur, sed à Deo esse factum consentire cogebantur; At quo magis veritatem oppugnabant, eò veritas magis cõfirmabatur: vt enim dicit Chryl. hom. 37. huiusmodi est veritatis natura, vt vnde magis oppugnatur, inde magis confirmetur, & quo magis obtegitur, eò clarior euadat. Parẽtes hominis aduocant, vt ab eis veritatem inquirent; Quo facto se ipsos condemnant, si enim veritas constabat, vana erat parẽtum aduocatio, si autem incerta erat, cur sententiam protulerunt dicentes, non est hic homo à Deo, qui Sabbatũ non custodit. Præterea, quod valde annotandum est, si iudicarunt Sabbati esse transgressorem, quia lutum fecit, cur non crediderũt illum hominem cæcum fuisse, cum potius id credere deberent, vt causam accusandi haberent, quod lutum fecerit: At senserunt re vera plus posse miraculum ad confirmandum esse à Deo, quàm lutum illud ad probandum, à Deo non esse: id eo miraculum occultare voluerunt. varia est profectò, cœca, & inconstans malitia.

Et interrogauerunt eos dicentes: hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt?

HEbraismus est, ac si clarioribus verbis dicamus; *Hic est filius vester? & si est vester filius, est nẽ cæcus natus? & si cæcus natus est, quomodo igitur nunc videt?* tres enim sunt hæc interrogationes, vt ex responsione parentum manifestum est. Forsan sperabant Iudæi parentes timore perculsos aliquid contra veritatem dicturos, quo miraculum obscuraretur. Tu autem attende, quomodo Iudæi etiam nolentes diuinæ veritati inseruiunt; nam

& testes veritatis conuocant, testimonium enim parentes pro veritate perhibent.

Responderunt eis parentes eius, & dixerunt; scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est; quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate, et atem habet; ipse de se loquatur.

AD tres interrogationes factas parentes respondent. Fatentur in primis esse filium suum, & natum cæcum; at quomodo videat, ignorare: & ad huc adijciunt, nescire se quis eius oculos aperuerit. Timore autem Iudæorū inquisitionem in ipsum filium cōuertunt, etatem legitimam, vt in iudicio inquiri possit, habere affirmantes, quo verbo eius confessionem legitimam fore testificantur: quod etiam Iudæorum animos magnopere confundit.

Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum extra Synagogam fieret; propterea parentes eius dixerunt; quia etatem habet, ipsum interrogate.

Verba hæc sunt Euangelistæ explicantis parentes timore Iudæorum dixisse se nescire, quomodo, aut quis aperuerit oculos eius, inquisitionēque in filium conuertisse: vnde autem timor hic esset, etiam enarrat, quia iā *Conspirauerant*, id est, communi consensu decretum statuerant, vt quicumque confiteretur Christum esse, excommunicatus extra Synagogam eijceretur. Ne autem ex timore omnia, quæ parentes dixerunt, processisse crederemus, repetit Euangelista ea tantum, quæ ex timore responderunt, nempe; *ipsum interrogate, etatem habet*: respondeat, quis, & quomodo aperuit oculos eius. Insinuat Euangelista, parentes sciuisse, & intellexisse, at præ timore respondere noluisse. Dices si respondissent Iesum aperuisse oculos, & luto id fecisse, non propterea sequebatur eos Christum confiteri; non igitur erat cur timerent. Respondeo, si nihil aliud dixissent, certè non extra Synagogam eiecti essent, tamen timuerunt, ne si tantum opus Christo tribuerent, aliquam saltem suspicionem Christum confitendi in illorum animos inducerent; quando enim aliquid valde timemus, etiam, quæ proxima sunt, vel aliquam habere propinquitatem cum illo videntur, refugimus.

Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei; da gloriam Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est.

TESTIMONIO parentum conuicti sunt, vt crederent cæcum natum esse, nec amplius dubitarunt de facto; vocant ergo iterum hominem, non iam vt inquirant, sed vt auertant à Christi veritate, & eius fide: & dicunt, *Da gloriam Deo*, id est, fatere veritatem, quam nos testificamur; nempe esse hunc hominem scelestum, & peccatorem. *Da gloriam Deo*, formula est, qua utebantur olim Iudæi, quando ab aliquo veritatis confessio exigebatur, vt apparet Iosue 7. Da, inquit, gloriam Deo, & confitere, & indica mihi; significantes Deum maximè in veritate manifestanda glorificari. Ita nunc hi dicunt. Veritas autem, quam ab eo exigunt, ea est, vt dicat, & pronuntiet, quod ipsi sentiunt. Nos, inquit, *scimus, quia homo hic est impius, & peccator*: confitere hoc tu, & da gloriam Deo, & nostro testimonio crede: nos enim scimus talem esse. dæmoniaca profectò hæc est su-

est superbia, quasi fide dignius sit ipsorum falsum & impium testimonium, quàm testimonium Dei tãto miraculo Christum approbantis. Deus enim testatur opere suo Christum esse à Deo, at ipsi testimonio diuino se opponunt. Nos, inquit, *scimus, quia hic homo peccator est*, & hoc confiteri cæcū volunt, dicentes, *Da gloriam Deo*, quod, vt Aug. tract. 44. dicit, erat maximè contra Dei gloriam, absente autem Christo, vt notat Chrysof. hom. 57. dicunt hæc, *Nos scimus, quia hic homo peccator est*, at cū audierunt à Christo, Quis ex vobis arguet me de peccato? nihil probare potuerunt. Propriū hoc est detractorum vitiū, vt cōtra absentes loquātur, ne fortè ab innocētibus, si adsint, redargui possint.

ANNOTATIO VIII.

Chrysof. hom. 57. verbum hoc, *Da gloriam Deo*, in hunc modum exponit. Recognosce hoc opus mirabile à Deo acceptum, non ab hoc homine; nam nos scimus esse eum peccatorem. Quam expositionem etiam sequitur Greg. lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 2 & Euthymius; nec est insolita hæc forma loquendi in scriptura etiam in eo sensu; nam 1. Regum 6. illi Sacerdotes, & diuini Philistinorum dixerunt, Dabitis Deo Israël gloriam; id est; recognoscetis Deum Israël huius vestræ afflictionis, & poenæ auctorem, & placet multis hæc expositio: At non videtur mihi satis accommoda contextui verborum, primò, quia responsio cæci non consonat huic sensui; super vacanea enim videtur pars illa, *cum cæcus essem, modo video*, nec erat ad rem. secundò, quia non ausi fuissent Iudæi hi opus Deo tribuere, ne eo dato, Christum à Deo esse, conuincerentur. nã opus factum esse à Christo negare non poterant. Nihil igitur de miraculo dicunt, sed sicuti prius dixerunt, *Non est à Deo, qui Sabbatum non custodit*, ita nunc: *Da gloriam Deo, & confitere verum*, nempe hunc esse peccatorem, cuius rei nos tibi testimonium perhibemus. Non nego probabilem esse expositionem Chrysof. sed quam secuti sumus in commentario, visa est accommodatior.

Dixit ergo eis ille; si peccator est, nescio; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.

COMMENTARIUS.

Quod illi malitiosè tacuerant, cæcus exprimit. illi peccatorem esse affirmarunt, & vt talem confiteretur, à cæco petierunt; ipse respondet; de eo quod dicitis esse peccatorem, nescio; hoc tamē scio fecisse opus mirabile, quia me cæcum natū illuminauit: hoc expertus sum, hoc testificor, illud *Nescio*. Non dubitādo se nescire, dicit; nam vt paulo post apparet, esse à Deo sciebar, sed illud iudicium, ad se pertinere negat: idē enim est, quod dicit, *Nescio*, ac si dicat, nec affirmo, nec nego; hoc enim ad me nō pertinet, quod autē meū est testificari, hoc manifesto, nēpe *cum essem cæcus*, me videre. Refutat eorū petitionem, vt fateatur eum esse peccatorem, dicēs, ad se hoc non pertinere id affirmare, vel negare; nec de hoc se esse interrogandū, sed de facto; quod ipse palā fatetur. Attende verba hæc, *Cæcus cum essem, modo video*, sic interpretanda, vt ex sequētibus verbis constat; nimirū, *Cæcus cum essem*, mihi visum restituit, aut fecit me videre; quasi diceret, nescio an sit peccator, scio tamen eum hoc mihi beneficium contulisse. Si sensus præcedentis sentētia, *Da gloriam Deo*, esset, Recognosce hoc miraculū esse à Deo, & hoc opus, nō ab hoc homine, non esset hæc responsio accommodata.

Dixerunt ergo illi; quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

Nota particulam *Ergo*, cū ille peccatorem confiteri nollet, quin potius miraculum repeteret, tacitè auctorem commendans: idcirco miraculum calumniari conati sunt, cum alia via eum in suā sentētia inducere nequirent. *Dixerunt ergo*, iam non interrogant de re, quam calumniari non poterant, quia visum cæco à natiuitate dare, diuinum erat: sed de modo, vt respondente, lutum fecisse, & posuisse super oculos, quod Sabbatum nō custodierit, insimulent. Incredibilis est horum malitia; tantum opus Dei, tam leuiter calumnia offuscare volebāt. tentarunt primo negare factum, quia diuinū agnoscerebāt. id non valentes, testium multitudine conuicti, factum calūniantur ex modo quia lutum fecit, cū modus hic faciendi multo illustrius & mirabilius efficeret, & redderet miraculum.

Respondit eis; dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire?

Pertæsus homo vanas Pharisaorum interrogationes, respōdit; *Dixi iam vobis, et audistis, quid, seu qua de causa, iterū audire vultis?* si quod dixi semel non audissetis, merito iterum quæreretis; at, cum audietis meam responsionem, non est cur amplius audire quærat. In Græco textu habetur; *Dixi vobis iam, non audistis*, & ita legunt & exponūt Chrysostr. hom. 57. & Euthymius interpretantes sic, *Dixi vobis, nec audistis*, id est, nec credidistis. At re vera legitima lectio est nostra, *Et audistis*: hæc enim ratio & causa est, cur secundo non deberent interrogare, quia iam semel audierāt. Adde in eadem significatio ne sumendum est verbū, *Quid iterum audire vultis?* tū quia esset in verbo ambiguitas nimis proxima, vt in vno loco credere, in altero audire significaret; tum quia illud aduerbiū *Iterum*, seu secundo, indicat in eadem significatione sumi verbū audiendi, si enim prius non audierant, nō diceretur, quid secundo audire vultis? legendum est ergo, *Dixi vobis iam, & audistis*, ac percipitis dictum meum, *Quid est, quod secundo audire vultis?*

Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?

Prudenter iudicio meo segerit cæcus hic; nouit enim eos summo odio prosequi Christum factaque eius calumniari: dissimulat ergo se id intelligere. & eorum frequentes interrogationes calumniandi causa factas, bene interpretari ostendens dicit; *Nunquid, forsan tam audide hæc iterum audire quæritis, quia etiā, Vos discipuli eius fieri vultis?* Miro artificio eos pupugit, quā si diceret, cum tantus sit homo hic, qui oculos cæci nati aperire potuit, vosque sitis homines religionem maximè profitentes, profectò nō aliud mihi vestra isthæc rā exquisita diligentia de vobis pollicetur, nisi vos omnia hæc inuestigare, quia *Discipuli eius fieri vultis*, & propterea omnia prius diligenter inquireretis, ne aliquid temerè facere videamini. Tacita est, & acris reprehensio eorum, qui persequebantur, quem vt magistrum debuerant sequi. Chrysostr. hom. 57. & Euthym. illam particulam *Et, nunquid et vos*, indicare asserunt, cæcum hunc se discipulū Christi confiteri, ac si diceret, nunquid etiā vos, sicut ego volo, vultis eius fieri discipuli? id credo verū esse, sed simul etiam addendum videtur, non se solum, sed alios multos significare voluisse, qui Christum sequebantur, & profitebantur.

Maledixerunt ergo ei, et dixerunt; tu discipulus illius sis, nos Moysi discipuli sumus.

NON potuerunt superbi homines ferre, an discipuli Christi fieri vellent; interrogari, cæcum conuitiati sunt, & contumelijs affecerunt. conuitiū autem fuit; *Tu sis illius discipulus, nos autem Moysi sumus discipuli*: verbū *Maledixerunt* apud Græcos potius sonat conuitiū, quàm imprecationem mali vnde de illud: *Tu discipulus sis*, per conuitiū, est dictum, idque indicat cæcum in præcedenti sententia significasse se velle esse discipulum Christi, idcirco conuitiati ei, id ipsum, vt conuitiū & contumeliam impropertant. Sanè cæcitas eorum conuincitur; quod enim erat maximi honoris tanquam conuitiū inferunt. Vnde rectè Greg. lib. 23. Moral. cap. 1. annotās sepe bonum dici malè, hoc vtitur exemplo: bonum isti protulerunt, nempe discipulū esse Christi, sed malè, quia non studio benefaciendi, aut honorandi, sed conuitiandi dixerunt, quod fuit malitiæ, & ignorantie simul. Basil. reg. breuior. resp. 24. Conuitiū, inquit, seu maledictum est omne verbum, quod eo animo profertur, vt ex eo contumelia, seu ignominia alter efficiatur, licet verbū ipsum per se nō videatur contumeliosum, atq; hoc manifestū est ex Euāgelio, *Maledixerunt ei, & dixerunt, tu discipulus illius sis*. hæc Basil. si tamen rem consideramus, tale sit semper super nos maledictū, vt Augustinus tractatu quadragesimo dicit.

Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, vnde sit.

CVR se Moysi discipulos iactent, & Christum auersentur, causam adiiciunt: quia sciunt Moysi locutum Deum esse, & à Deo illum esse missum; at vnde sit Christus, id est, an à Deo sit missus nesciunt: profectò maiora, & efficaciora signa habuerant, vt intelligerent, & scirent Christum esse à Deo, quàm vt scirent Moysi locutum esse Deum; & tamen impij, & increduli illud scire, hoc se nescire, dicunt; nec fuit tam cauta impietas, quin sibi ipsi noceret: nam si nescitis vnde sit, id est, an à Deo sit, nec ne, quare tam asseueranter profertis, à Deo non est, homo peccator est?

Respondit ille homo, & dixit eis; in hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos.

Modestè eorum ignorantiam affectatam, aut dissimulatam arguit, quia dixerunt, *Nescimus vnde sit*. Et est sensus; valde miror quomodo vos ignoretis vnde sit homo, cum ex tanto miraculo facile cognosci possit, vnde sit. Illud *Mirabile*, modestè quidem, sed efficaciter dictum est; & continet sententiam integram; ac si diceret; vix credi potest vos ignorare, vnde hic homo sit: est enim ignorantia nimis indigna vobis, qui tantam scientiam profitemini; aperire enim oculos cæci nati, opus est clarè indicans, à quo sit homo, qui eos aperuit. Illud in hoc, Græcè ἐν τούτῳ particula est, loco certè, aut sane. Illud *Et, & aperuit*, positum est pro causali, quia aperuit oculos, ideo mirabile est vos nescire.

Scimus autem quia Deus peccatores non audit; sed, si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

CVR mirabile sit, eos ex tanto opere id ignorare, exponit: Nam trita, inquit, est sententia, quam ego qui sum vulgaris homo, & idiora, & omnes mei similes scimus; nempe Deum non exaudire peccatores, sed eos, qui colunt eum, & voluntatem eius faciunt. Si igitur iste exauditus est à Deo, cum tantum opus non nisi à Deo proficisci potuerit, profectò peccator nō est, sed cultor Dei, & voluntatem eius facit. Nota duas partes hominis iusti, & qui est à Deo; Vna est, quod sit cultor Dei quantum ad fidem, & religionem; altera est, vt impleat diuina mandata. Fides, & charitas operans faciunt hominem iustum, & à Deo. In Græco utroque loco vbi legimus *Audit, & exaudit*, idem est verbum.

A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, nisi esset hic à Deo, non potest facere quicquam.

Probat exauditum esse à Deo ex opere, quod à seculo nemo fecit, quod indicat opus esse Dei, & non qualecunque, sed quale nemo Prophetarum, qui à Deo sunt missi, fecit: oculos enim cæci nati nemo vnquam aperuit. Concludit ex hoc esse à Deo. Si enim à Deo non esset, non posset quidquam facere ex miris signis, quæ facit, nedum oculos cæci nati aperire. Facile in hoc cæco agnosces Spiritum Domini; nec enim tanta in idiota potuit esse sapientia, qua Doctores conuinceret, & illis dicentibus, non scimus; contradiceret, nos, inquit, scimus; nec tam intrepidus animus liberè inter persecutores Christum confiteretur, & defenderet, cum ab omnibus etiam parentibus esset derelictus; nisi in eum ille intrasset Spiritus, de quo dicitur Matth. 10. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri. hoc spiritu afflatus, & confortatus, iam non dicit, nescio an peccator sit, sed palam à Deo eum esse confitetur.

GRAVIS est difficultas circa intellectum illius sententiæ, *Peccatores Deus non exaudit*; si enim generaliter exponatur, ut nec in miraculis faciendis, nec in alijs quibuscumq; impetrandis peccatores rogantes audiatur à Deo, apparebat facile eius falsitas: nam peccatores à Deo exaudiuntur in multis. quod Basilus libr. de constitution. Monast. cap. 2. docet, & probat illa parabola Lucæ 11. Amen dico vobis, etiam si non dabit illi surgens, eo quod amicus est, propter importunitatem surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. hoc idem docet Aug. li. 2. contra epist. Parmen. cap. 8. & probat illo Luc. 18. de publicano peccatore petente remissionem, & obtinente. Nec solum spiritualia, sed etiam temporalia petentes exaudiuntur sæpe peccatores; oratio enim est aliquando impetratoria, etiam si meritoria non sit, & multis scripturæ testimonijs id notum est. Nam Ionę 1. illi idololatę petierunt liberari à Deo, à tēpestate illa, & obtinuerunt. Quod si sententiã hanc non generaliter interpretemur, sed restringamus ad miracula, & opera huiusmodi, de quibus cæcus hic loqui videbatur; nempe Deum ad peccatorum petitionem non facere miracula, nec opera huiusmodi, quale fuit cæcum natum illuminare, etiam sententiã hęc falsitatis redarguetur: nam certum est per malos quoque & peccatores Deum miracula facere. Matt. 7. Multi, inquit, dicent in illa die; Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? quibus diceretur, nescio vos. Quo loco vtitur Iustinus explic. quæ Gen. resp. 5. ad hoc idem confirmandum. Eandem doctrinam tradunt Aug. lib. 83. quæst. 79. & Gregor. lib. 9. epist. 58. immo etiam hæreticos miracula facere docet idem Greg. libr. 20. moral. cap. 9. ex quibus omnibus deducitur difficile esse huiusmodi sententiã cœci tueri.

Deus etiam per peccatores miracula operatur.

Theophylactus hanc interpretandam censet non generaliter, sed particulariter de operibus miraculorum, quæ Deus nõ facit orationibus, & petitionibus peccatorum. Sed hanc responsionem posterior obiectio impugnat: peccatores enim etiam miracula edere certum est. Aug. autem lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 8. & tract. 44. in Ioan. & ante eum Origen. hõ. 5. in Isai. dicunt hanc sententiã esse falsam, & ab homine nondum per fidem illuminato pronunciatam, & opposunt contra eam priorem obiectioem factam superius: nam hanc sententiã generaliter dictam accipiunt. Alij eam non generaliter exponunt, sed cum Theophylacto de miraculorum operibus, & veram esse affirmant hac ratione & sensu: Deum non facere miracula per peccatores in confirmationem innocentia ipsorum. tunc enim esset mendacij, & falsitatis reddere testimonium, quod Deus non facit. Christus autem non vt cunque miracula edebat, sed confirmans per ea se esse à Deo, seque voluntatem eius facere, & hoc modo certum est, nisi talis esset,

A non potuisse quicquam simile facere. Si autem hanc sententiã sic exponamus, vera est, & accommodari contextui recte potest: cœcum enim de his operibus loqui verba ipsius sententia probant, *Nisi hic esset à Deo, non posset facere quicquam*, nempe quicquam simile quale fecerat. Rursus cœcum in eo sensu protulisse sententiã hanc, nempe non posse Christum facere quicquam in suæ confirmationem innocentia, id probat quod omnibus notum erat, Christum miraculis illis confirmare, se esse verum Christum & filium Dei à patre missum; si autem peccator esset, & non verus Christus, nec talis qualem se profitebatur, non posset talia facere. Superius cap. 3. diffusus egimus de his Christi miraculis, quæ ad huius responsionis explicationem multum faciunt: hæc tertia responsio probabilis est, & olim eam sum secutus.

Nunc autem non improbabiler alio modo respondendum mihi videtur; in cuius explicationem præsupponenda est doctrina vera, quam docet Aug. lib. 83. quæst. 79. malos quidem, & peccatoris miracula virtute diuina facere, sed non aliquo proprio opere, sed signo iustitiæ, vt signo crucis, nomine Iesu, aut aliquo simili, quo fides vera declaratur; vt per id probetur veritas illius, cuius signum est illud, in quo miraculum fit: cum enim in nomine Iesu miraculũ fit, fides illius, cuius nomine fit, comprobatur. hoc probat Au. illo Marc. 9. Magister vidimus quendam in nomine tuo eiecicentem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum: Iesus autem ait, Nolite prohibere eum. Ille igitur illo nomine miracula edens, Christi fidem confirmabat: ex illo enim signo declarabat, propter quem opus illud, & per quẽ fieret, nempe Christum. Hac ratione infideles, & hæretici miracula edere possunt, & ediderunt, sed signo aliquo sanctę Ecclesię & Christi, vt nõ ipsi, sed is, cuius signum est, miraculo illo probaretur: at peccator nullus sua simplici oratione, & petitione obtinuit à Deo miraculũ; nec tale vnquã audiui-mus, vidimus, aut legimus, sed solos iustos & Dei amicos impetrasse talia scimus. Hoc igitur est, quod nunc cæcus noster dicit, *Deus non exaudit peccatores*, vt eorũ voluntate, & petitione signa faciat, sed iustos & sibi amicos & gratos. Hoc affirmabat cæcus, quia in tota scriptura veteri nusquam legitur Deus ad orationem, & petitionem peccatoris edidisse miraculũ, idcirco dixit, *A seculo non est auditum*, & verum dixit. Cum autem certissimum esset Christũ solo suo verbo, non aliquo signo adhibito, nec nomine inuocato, sed factis quibusdam proprijs; vt tactu, salina sua, voce, imperio, oratione miracula fecisse; recte deduxit eũ non esse peccatorem: supponebat aut miracula esse vera miracula, & diuina virtute facta: cœcum. n. natum illuminare solius Dei erat, similiter & mortuos suscitare, quorum iam Christus aliquos suscitauerat, nisi igitur à Deo esset missus, & secundum voluntatem eius faceret, & iustus

iustus esset, talia opera non fecisset. Ex hac doctrinã superius posita non solum sequitur huius sententiæ interpretatio, sed sophisma Donatistarum detegitur, qui vtiebantur his verbis: *Deus peccatores non exaudit*, vt probarent sacramentum baptismi collatum ab hæreticis non valere, & esse, reiterandum, referente Aug. li. 5. cont. Donatistas cap. 20. sed respondet August. baptismum secundum formam Ecclesiæ consuetam, non esse opus hæreticorum, sed Christi; nec id esse exaudire peccatores, quia nihil ipsi conferunt ex suo: si enim ipsi suo merito, aut oratione effectum Baptismi operaturi essent, vtique nihil facerent: at non id ita fit, sed Baptismo Christi simile est, sicut quando mali nomine Iesu, aut signo crucis, quæ sua non sunt, miracula edunt.

Responderunt, & dixerunt ei, in peccatis natus es totus, & tu doces nos?

COMMENTARIVS.

TAM manifestam conuincentem redargutionem ferre non valentes, nec habentes quid responderent; ad cõuitia furore perciti se conuertunt, superbiam suam aperientes. Tu inquit, *natus es totus in peccatis*, & nos doces? Natum totum in peccatis dicunt, quia non solum quatum ad animam natum in peccato existimabant, iuxta illud Psal. 50. In peccato peperit me mater mea; id enim commune erat multis; sed quia percussum cœcitate corporis natiua propter peccatum putabatur: peccatum ergo culpa quidem animam, pœna verò corpus infecerat; propterea totum in peccato natum appellarunt, quasi ipsi etiã non essent toti in peccatis nati, qui in anima peccati maculam habebant, & corpus multis miserijs subiectum propter peccatum sortiti erant; sicut & omnes nascuntur homines. Est autem vanum, & superbum argumentum, quia cæcus natus erat, etiam si propter peccatum esset; idcirco non posse veritatem nouisse, quam ipsi ignorabant; quia verò non simplex responsio, sed simul cõuitium fuit, propterea dicitur, *Responderunt, & dixerunt.*

Et eiecerunt eum foras.

NON sunt contenti solis conuitijs, sed agnoscentes cœcum illum Christum confiteri, in suam iam peruersam, & erroneam sententiã eum pertrahere posse desperantes, è Synagoga eiecunt, eum excõmunicant, & à consortio Iudæorum, qui tunc fideles habebantur, separant. Felix cœcus, qui primus pro nomine Iesu contumeliã passus, & abiq; Synagogis factus est; quod Ioan. 15. Apostolis futurum Dominus prædixit. Cœcus autem, qui nec verbis ipsorum à veritate auerti potuit; nec etiã huius timore pœnæ motus est, maluit, eijci è Synagoga, quàm ab eius confessione, qui tanto eum beneficio profectus erat, recedere.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei.

NON destituit Dominus, qui propter confessionem eius conuitiã, & contumeliã passus erat, & adhuc pœnã eiectionis sustinebat, sed eum excipit. *Audiuit* ergo Dominus, quia non sola diuina scientia id nouit, qua nemi ne referente omnia scit, sed etiam, quia manifestum fuit omnibus huiusmodi factum, adeo vt fama ad aures exteriores Christi peruenerit; eumque non reperit, sed consilio, & misericordia quæsitum inuenit; & quod ei casu ad perfectam deerat fidem, magnificentissimè donauit.

Tu credis in filium Dei? respondit ille, & dixit; quis est Domine, vt credam in eum?

NON tam ad intellectum, quàm ad voluntatem refertur interrogatio; vt sit sensus; Vis tu in filium Dei credere? semper enim Deus hominum arbitrio in eorum salute, & fide cõcilianda vtitur. Ille paratum se exhibet, si modò sciat; doceri petit. *Quis est*, inquit, *Domine, filius Dei?* eũ si mihi demonstraueris

straueris credere in eum paratus sum. Dum Christus interrogat hominem exterius, virtute sua, vt agnoscere possit, & velit Dei filiū, seque paratum ad credendum exhibeat, operatur interius. Est autem cum articulo; *Tu credis in ipsum filium Dei*, vt de filio vero naturali se loqui manifestaret. Aliquando in scriptura verbum actionis ad voluntatem refertur Ioan. 10. Propter quod opus me lapidatis: id est, vultis lapidare & Ioan. 13. Tu mihi lauas pedes: id est, vis lauare, ita nunc, *Tu credis*, id est vis, & paratus es credere.

Et dixit ei Iesus, & vidisti eum; & qui loquitur tecum, ipse est.

QUO D petit cæcus, concedit Christus, ostenditque, quis sit filius Dei, & diuino vtitur artificio. *Vidisti*, inquit, *eum*, nō dicit, Ego aperui tibi oculos, nec ego sum, sed modestè & efficaciter opus factum ei proponit. *Vidisti*, inquit, eum; quasi diceret; qui cæcus natus es, iam vidisti eum, à quo illuminatus es; ex tuo ipso visu recepto facillè cognosces, quis sit filius Dei: nempe ipsemet, à quo visum recepisti, & qui tecum loquitur, se ipsum in tertia persona indicat, non tam propter modestiam, quam vt in illa carne, quæ videbatur, diuinitatem filij Dei latere doceret; quasi non id tantum esset, quod exterius videbatur, sed id quod per se latebat & per illud quod exterius apparebat, videbatur, & loquebatur.

At ille ait, credo Domine, & prociens, adorauit eum.

Efficacia verbi Christi illuminatus interius credit, & exteriori verbo fidè profitetur. *Credo*, inquit, *Domine*, nempe te esse Dei filium verū: nec verbo cōtentus ipso facto, & cultu, vt Dei filium reueretur, & colit: *Prociens*, enim, *adorauit eum*. Illuminatus perfectè corpore, & multò perfectius mente, nō vt prophetam, sed vt Christum, & Dei filium verū recipit, & veneratur.

Et dixit ei Iesus, in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

GRÆCÆ non habent *Ei*, sed, *Dixit Iesus*, vt sermo nō ad solum cæcum, sed ad præsentes, qui multi aderāt, dirigatur: siue ergo ei, siue multis hoc dictum sit; certum est de multis etiam, qui tunc aderant hæc esse dicta. Adorante igitur homine illo, eius dominus fidem contemplās, profert hæc sententiam, cuius est sensus; Meo in mundum aduentu vnum hoc consecutum est, iudicium nempe, & discretio multorum in partes contrarias, vt illi, qui non videbant & simplices, ac ignorantes erant, visum mētis receperint credentes; qui verò videbant, quia scientiam scripturarum, & legis profitebantur, cæci facti sint per incredulitatem. Hoc propter cæcum illum dixit, cui datum est, cum idiota & simplex homo esset, in Dei filium credere, & eum agnoscere; cuius etiam multi similes fuerunt. at illi legis Doctores, & Pharisæi sapientes, & scripturas tota die scrutantes, visum mētis, quem habebant, perdiderunt, & incredulitate excæcati sunt. Particula *Vt*, non causam, sed, consecutionē indicat; cum non propterea venerit, vt aliquis excæcetur, sed culpa eorum ex aduentu hoc est consecutum. Similis est sententia illa Luc. 2. Hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel. Dicitur hoc in confusionem, & terrorem Pharisæorum legis Doctorum, qui legis scientiam profitentes, aduentum Christum nō agnouerunt, pleni doctrina cum essent; at rustici & ignorantes agnouerunt, & receperunt.

ANNOTATIO X.

EVTHYMIUS duas huius sententiæ refert expositiones; vna est, vt *Iudicium* hoc in loco sumatur pro supplicio & condemnatione; sitque sensus; Ex meo aduentu consecutum est supplicium, & damnatio aliquorum, nempe quod illi qui vident, & sibi sapere videntur, cæci facti sunt culpa sua & vitio; at illi, qui non videbant, visum acceperunt

A carentur; hi verò lumen recipient. Hæc expositionem secuti sumus in commentario, & ea est Augustin. tracta. 44. Sed dices, A quo est hoc iudicium, & discretio facta? Respondeo, à Deo; iustitiam suam cum illis, misericordiam autem cum his exercente. Iustè enim superbos Pharisæos excæcari permisit, & misericorditer paruulos illuminauit: iuxta illud Matth. 11. Confiteor tibi pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, quam sententiam huic præsentī accommodat Augustinus in quæst. noui & veteris testamenti cap. 73.

Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt, nunquid nos & cæci sumus?

COMMENTARIUS.

NON dixit tantum Euangelista audisse quosdam ex Pharisæis, sed adiunxit, *Qui cum ipso erant*, vt hac adiunctione ex ore proprio Christi, eos audisset tunc, cum proferebatur sententia, significaret. nisi enim hoc adiunctum esset, aliquis existimare posset, eos audisse, quia ab alijs relata talia verba perceperunt, sicut audisse dictus est Dominus, eos è Synagoga cæcum eiecisse. Aliqui igitur ex Pharisæis, qui tunc aderant, talem sententiam audientes, dixerunt Christo, *Nunquid & nos cæci sumus?* deridentes hæc opponunt, & est sensus. Ecce nos videmus nunc; iuxta tuam autem hanc sententiam oportebat nos esse cæcos, quia ante etiam vidimus, nec cæci fuimus, sicut iste, vt nunc videremus. Sententiam Christi de visu, & cæcitate spiritali, ipsi de corporali interpretati sunt per irrisionem, & contemptum. Illud, *Et sumus & nos*, copulant cum illo cæco, ac si dicerent; fuimus nos etiam cæci sicut iste, cum nunc videamus; tu enim dicis cæcos visuros; & videntes, cæcos tuo aduentu futuros.

ANNOTATIO XI.

DVplex expositio huius sententiæ esse potest. Vna est, vt Pharisæi intellexerunt verbum Domini, quod erat de spiritali cæcitate, & visu, & talem sensum percipientes, in eodem responderint. *Nunquid & nos sumus cæci* mente, qui ante videbamus? Altera est expositio, vt non intelligentes, aut se non intelligere fingentes verbum Christi de visione corporali, & cæcitate interpretentur, & respondeant per quandam irrisionem; Ecce nos videmus, qui prius videbamus, & cæci nunquam fuimus. Chryt. hom. 58. & Euthy. in hoc inclinare videntur: nam eos de corporali cæcitate, & visione intellexisse exponit. Vtraque est probabilis expositio, accommodatior tamen posterior.

Dixit eis Iesus, si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia v. demus, peccatum ergo vestrum manet.

COMMENTARIUS.

Dominus eleganti artificio verba irrisionis illorum in sermonem conuertit serium: & est sensus; *si fuissetis cæci*, ea cæcitate, qua ego intelligo nunc, id est, ignorantes, & idiotæ, ac simplices, *non haberetis peccatum*, nempe infidelitatis; at vos dicitis videre, id est, esse de numero videntium, idcirco cæci estis, id est, infideles, peccatumque infidelitatis vestrum manet. Illi dicebant, se videre corporaliter, tamen Dominus applicat verbum visioni mentis, quia re vera existimabant se doctores, & sapientes, & propterea excæcati sunt, quia potuerunt cognoscere veritatem, & noluerunt. Illud autem, *si*

cæci essetis, intelligendum est de numero eorum, de quibus dictum est, Veni, vt qui nō vident, videant, tales enim visum receperunt; non autē de numero eorum, qui cū vidissent, cæci facti sunt; hi enim peccatum habent, dicit autem, peccatum vestrum manet, non tantum propter peccata cætera ultra infidelitatem nullius peccati obtinet remissionem, ideo eius peccata manent; sed etiā propter ipsum peccatum infidelitatis, & excecationis culpa eorū cōtra ctum, in quo adhuc perseuerabant. Illud Quia, non causam, sed declarationem significat; vt sit sensus, dicitis vos videre, ergo peccatum vestrum infidelitatis manet quod si fuissetis cæci, non illud haberetis, aut propter fidem quam recipissetis sicut cæcus hic, aut propter ignorantiam probabilem, excusationem haberetis.

CAPVT DECIMVM.



AMEN amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit: & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cū proprias oues emisit, antea eas vadit: & oues illū sequuntur, quia sciūt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum: Hoc prouerbiū dixit eis IESVS: Illi autem non cognouerunt quid loqueretur. Dixit ergo iterum eis IESVS: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes, quotquot venerunt, fures

sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis intrauerit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupū venientem & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco patrem: & animam am pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Et fiet vnum ouile, & vnus pastor. Propter eam me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterū sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso. Et potest atē habeo ponendi eam, & potest atē habeo iterū sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Dissensio iterum facta est inter iudeos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, Daemonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant, Hac verba non sunt demonium habentis, nunquid demonium potest cæcorum oculos aperire? Facta sunt autem Encenia in Hierosolymis: & hyems erat. Et ambulabat IESVS in templo, in porticu Salomonis. Circumderunt ergo eum iudei: & dicebant ei, Quousq; animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis IESVS: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu meâ. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest

potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Sustulerunt lapides iudei vt lapidarent eum. Respondit eis IESVS, Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei iudei, De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cū sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis IESVS, Nonne scriptum est in lege vestra, quia, Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis. Quia blasphemias: quia dicitis filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia pater in me est & ego in Patre. Querebant ergo eum apprehendere: & exiit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat iohannes baptizans primum, & mansit illic. Et multi uenerunt ad eum, & dicebant, Quia iohannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit iohannes de hoc, uera erant. Et multi crediderunt in eum.

Amen amen dico vobis.

COMMENTARIVS.



VERBA ista esse superioribus cōnexa, & ad vnam, eandemq; verborum continuationem pertinere, nemo est qui dubitet; quæ ratione autem coniungenda sint, & quid Dominus per ea significare voluerit, non æquè facile intelligitur, cū tamen sententiæ totius sensus inde maximè pendeat. Est igitur attendendum Phariseos illo facto impio, quo cæcum à Christo illuminatum propter eius confessionem eiecerunt, duo mundo significasse: Vnum est, eos Christum non verum Messiam, sed Pseudopphetam ac seductorem reputare, & talem ab omnibus esse habendum iudicare, quales tunc proximis diebus aliquos experti erant seditiosos, & seductores, de quibus Act. 5. & apud Ioseph. li. 20. de Antiq. c. 4. & 5. facta est mentio: Alterum est, quod ex priori consequebatur, omnes eos qui ipsum confitebantur, & in eum credebant, esse seductos, & errantes, quales apud nos sunt hæretici, aut apostatæ à fide; idcirco eos à Synagoga veluti à fidelium numero separatos eiciebant. Dominus ergo causam hanc, tanquam rem magni momenti suscipiens, has imposturas tanquam veritati diuinæ contrarias, repellere decreuit; & qui vel parua data occasione solet multa in audientium vtilitatem docere, tanta nunc proposita loquendi opportunitate, silentio rem præterire noluit, cum vita hominum æterna sit, & cognoscant verum Deum, & quem misit Iesum Christum. Primò igitur eorum cœcitatē redarguit, quod non videant, nec agnosant veritatem, quam idiotæ, & humiles erant assecuti, contra eorum autem impositiones, duas contrarias statuit veritates certissimas. Vna est, se non solum seductorem, & Pseudopphetam non esse, sed potius eos omnes esse seductores, & pseudopphetas, qui per ipsum non intrant, tanquam verum ostium ouilis, illos verò esse veros, & legitimos pastores, & prophetas, qui per ipsum intrant: Altera est, eos qui in eum credunt, ipsumque recipiunt, non solum non esse extra numerum fidelium, immò neminem esse de ouili Dei, nec inter oues, & fideles computandum, qui in eum non credit, nec per ipsum intrat. Parabola igitur de fure & pastore, & ostio priorem veritatem harum docet, quod valde est attendendum, eo

enim tendit, vt ostendat se esse velut ostium ouilis, per quod non intrantes, fures sunt, & latrones, qui verò intrant, pastores sunt. Nec hæc parabola assumpta est, vt Dominus se esse pastorem significet; hoc enim postea ipse adiunxit, ne ostium solum esse crederetur, quasi non esset etiam pastor; nunc autem ostium se esse declarat, per quod intraturi sunt, qui pastores in ouili sunt Dei, & qui non intrant, latrones sunt; & hoc ea ratione factum est, quia illi Iudæi tanquam Pseudopphetam habebant eum & proclamabant: in quo etiam insinuat, nisi ipsi in eum crediderint, & non credentes, potestatem in oues Christi exercere voluerint; futuros etiam latrones, & fures, non pastores. cum autem que dicenda erant magni sint momenti, vtitur asseueratione in arduis docendis familiari, dicens; *Amen amen dico vobis,*

A N N O T A T I O I.

Communis
sensum reijci
tur.

CHRYSOST. homil. 58. Euthym. & Theophylactus, quos multi sequuntur, sic connectunt, & exponunt parabolam, vt Christus se esse verum pastorem per eam significet, idque ea occasione, quasi obiectioni tacite Pharisæorum respondeat. Cum enim eos dixisset cæcos, & qui non viderent: poterant respondere; nos tibi non credimus, quia seductor es, non verus Christus, & pastor; idcirco Dominus se esse verum pastorem hac parabola docet. Sed hæc communis expositio non probanda videtur. Primò quia non propter ea, quæ obijcere poterant Pharisæi verbis illis, *Vt qui videant, cæci fiant,* hæc Dominus docet, sed propter principale negotium, quo eijcientes à Synagoga, credentes in eum, factò ipso Christum seductorem declarabant, omnesque credentes in eum, seductos, & veluti hæ-

reticos iudicabant: hic enim cæcus fuit primus, in quem non verbis solum, sed etiam opere ipso propter Christum inuecti sunt. Idcirco Dominus protulit ea verba, nempe eos esse cæcos, & rursus adiunxit doctrinam contra imposturas eorum, non verbo tantum prolatas, sed ratione etiam confirmatas. Secundò, quia in hac parabola id solum Dominus voluit ostendere, se non esse seductorem; sed eos potius, qui ouibus præesse volunt, & ipsum non recipiunt, nec in eum credunt, esse seductores, fures, & latrones; quod si adiunxit se esse pastorem, id non ad scopum parabolæ pertinet. Tertio, quod si is esset scopus, concludenda erat parabola sic; Ego sum pastor; at non est talis conclusio, Ego sum ostium. Hæc omnia in prosecutione expositionis multo magis declarabuntur, & confirmabuntur.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.

C O M M E N T A R I V S.

quo differat
fur & latro

Parabolam proponit, Qui in ouile, inquit, ouium per ostium intrat, pastor est, qui verò aliundè ascendit, fur est & latro, ostium igitur ouilis discernit pastores à furibus, & latronibus; fures, quia latere, & securè rapere querunt, ostium fugiunt, ne in eos pastores insurgant, & deprehendantur. Latrones aditum, & ingressum facilem per ostium non sperantes, ab ostio diuertunt: vtrique ergo viam sibi facientes, septa aut maceriem transiliunt; ideo ascendere aliundè dicuntur. at pastor ingressum facilem habens, nec latere quærens, cum nihil timeat, non ascendit aliunde, sed intrat per ostium. Fures, vt docet Hiero. Osee. 7. insidiantur, & occulta fraude decipiunt; latrones audacter aliena diripiunt. Adde fures rebus; latrones etiam vitæ insidiari: Hæreticos furibus Ecclesiæ, Tyrannos latronibus comparare possumus. Fur arte, latro potentia nocent. Et attende verba, *Qui intrat per ostium, pastor est ouium,* intellege de ijs, qui intrant propter oues ipsas, de his enim est sermo, nam oues etiã præter pastorem intrant per ostium.

Hinc ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.

Conditiones pastoris prosequitur, vt à fure, & latrone adhuc magis secerentur: simul etiam quia aliquibus harum vsurus est postea, vt se esse verum pastorem, & Christum manifestet. Nam primus, & princeps pastorum Christus, ali-

stus, aliqua habet communia cum pastoribus suis, quos vt ministros, & vicarios in ouili constituit. Primò igitur accedenti ad ostium pastori aperit ostium, prius non autem furibus, aut latronibus. Secundò ingredientis pastoris vocem oues discernunt, & pastorem agnoscunt, ex consuetudine, & frequentia vocis: hoc enim significat *Vocem eius audiunt,* id est, eum ex voce discernunt. Tertio proprijs nominibus oues vocat. Quarto educit eas ad pascua. Hæc intellige; ingreditur pastor ouile, vt ad pascua educat oues, nominatim eas vocat, & ipsæ pastoris voces agnoscunt obediunt, & veniunt ipsum sequentes. Est igitur prima conditio pastoris, ingressus per ostium; secunda, ostiarius aperit; tertia, ab ouibus ex voce agnoscitur; quarta nominatim vocat eas; quinta, ex ouili ad pascua educit.

A N N O T A T I O II.

ostij & ostia
vij nomine
qui intelli
guntur.

Quid per ostium, & ostiarius hoc in loco intelligendum sit, tractant doctores, Chrysostr. homil. 58. Ostium diuinas scripturas legis, & scripturarum interpretatur; cum per has ingressus sit Christus: præmissæ sunt enim scripturæ, in quibus, quæ futura erant in Christo, & per Christum prædicarentur; vt adueniens Christus per ea agnosceretur, quæ prædicta sunt, hoc igitur est ostium. Ostiarius autem dicit esse Moysen, cui leges diuinæ concredite sunt. Idem Euthymius cum alijs sentit. At Aug. tract. 45. Christum ipsum ostium, Spiritum Sanctum autem dicit esse ostiarium tract. 46. quam expositionem amplectuntur alii: hi enim omnes parabolam de pastore verò, qui Christus est, exponunt. Ista tamen expositio maximè Chrysostr. non videtur accommodari posse; Cum enim Christus se esse ostium interpretetur, non video qua ratione aliud præter Christum alicui exponere liceat; quod si aliud ostium ab hoc discernas, erit profectò in verbis Christi confusio; dum vnum ostium in primis, alterum in proximis verbis intelligit, cum non explicuerit, quod sit illud primum. Ipse ergo est ostium, quatenus per ipsius fidem ingressus patet in ouile Ecclesiæ pastoribus, & ouibus, & per ipsum discernuntur latrones, & fures à veris pastoribus Ecclesiæ, & semper discreti sunt etiam ante aduentum eius; nam qui creditur nunc venisse, prius venturus credebatur. Hoc igitur est, quod statuit docere, se esse ostium hoc, adeoque à veritate abesse calumniam Pharisæorum eum seductorem dicentium; vt ij D

uerb. Beatus vir, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, ostium hoc Christus est, per quem ad Deum ingredimur, fores, & postes ostij huius, scripturæ sunt; ad quarum studium & obseruationem Spiritus sanctus exhortans dicit; Beatus ille, qui intentus est postibus & foribus ostij mei; id est, vigilat & considerat scripturas, vt dum videt impleri, quæ prædicta sunt in eis; sciat & discernat tempus aduentus Christi: sicut qui intentus est foribus, & postibus ostij clausi, quando motum, aut strepitum percipit, iam aperiri ianuam agnoscit. Christus ergo ostium ipsum est, clauum scripturæ legis, & Prophetarum, velut foribus, & postibus. Propterea Moyses non aperit ostium scripturarum credentibus in Christum, sed potius Spiritus sanctus ipse. Nec solis scripturæ Moysis continebatur Christus, sed etiam prophetarum: non igitur ipse est ostiarius. Ostium igitur Christus est, non sui, quia de se non loquitur in parabola, vt velit significare, se esse pastorem: solum enim docere conatur se non esse seductorem, sed eum, per quem in ouile Ecclesiæ ingrediendum est; & qui per eum intrat, verum esse pastorem: qui verò aliundè, furem, & latronem. Veri igitur pastores, & prælati per Christum intrant, his Spiritus sanctus aperit ianuam, quia fides ipsa, per quam ingreditur, donum est Spiritus sancti; potestatem veram eis impertit, vt quæ faciunt rata sint: oues etiam vocem agnoscunt, quia verus pastor docti nam antiquam, & iam in Ecclesia receptam docet, & per legitimam potestatem & veram doctrinam pascit, & ad pascua educit oues: &, si, vt debet, officium exercet, nominatim vocat, quæ postea omnia exactius declarabuntur.

Et cum proprias oues emisserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.

C O M M E N T A R I V S.

Sexta conditio boni pastoris est, ante educas, & emissas oues vadit, eas ducces, & viam dirigens ad pascua, & oues sequuntur eum ante eunt quia vocem agnoscunt. Nam pastor sonos & voces emittit, oues vocans, quas agnoscetes, ipsum

Ipsum præcipientem, & ducentem sequuntur. Alienum autem non solum non sequuntur, sed potius fugiunt, quia vocem eius non agnoscunt; non enim assuetæ sunt vocibus alienorum. Possimus hæc verba in duas condiciones distinguere, veri pastoris, ut sit sexta oves præire, septima autem oves sequi. Possimus etiam vnam, & eandem conditionem, ex vtramque perfectam facere. & erit sexta.

A N N O T A T I O III.

Pastoris est sequi, et etiã antecedere greges.

Atende pastores, & sequi, & antecedere solere oves, seu greges. quando enim educuntur ex ouilibus, aut in aliquem locum transferuntur, præcedit dux via pastor, dirigens ad pastum, vel locum in quem ducuntur, & hic est pastor notus ouibus, ut vocem eius audientes ipsum sequantur: Alij etiam sequuntur oves, ne aliqua ovis defessa maneat, aut aliqua de causa recedat à grege: indigent enim oves & greges, non ductore solim, sed & custode. Hinc est, quod in scriptura aliquando vnum, aliquando alterum legimus. Psal. 77 De post foerantes accepit eum. & 2. Reg. 7. Ego te tuli de pascuis, sequentes greges. Est enim vilis officium sequi, & solet esse seruorū, atque famulorum. Psal. verò 79. dicitur. Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph: Verbum deducis *וַיְדַלֵּךְ* Septuagiuta verunt *וַיְדַלֵּךְ*, à verbo *וַיְדַלֵּךְ* *וַיְדַלֵּךְ*, quod significat duco, seu dux sum, inde *וַיְדַלֵּךְ*, id est, dux, qui præcedit, & viam demonstrat. & Ierem. 17. Ego autem non sum turbatus te pastorem se-

Aquens. Ecce pastor præcedit. de hoc igitur pastore dicitur, Ante eas vadit. Hinc sequitur obiectionem Chryl. hom. 58. non esse validam: inquit enim solere pastores sequi non præcedere. nec responsio eius videtur satis accommodata, dum ait pastores quidem sequi, non præcedere, sed ut Christus se omnium ad veritatem iuueniendam ducem ostendat, contrarium pastoribus morem seruat, quæ responsio non videtur legitima, nam ex similitudinibus pastoris materialis, se verum pastorem esse ostendit: oportet ergo materialem pastorem oves præcedere; nisi enim præiret, potius se non esse verum pastorem probaret. Recentiores nescio quæ in hac parte sine auctoritate docent; veritas ex scriptura, & experientia ipsa satis patet. Sunt enim qui præeunt, & sunt qui sequuntur. illi ut dirigant, hi ut custodiant: dirigere est proprium eorum, qui noti sunt ouibus; non enim sequuntur, nisi cuius vocem, aut habitum ex frequenti ensatione cognoscunt.

Pastorem dicitur esse ducem.

Hoc prouerbum dixit ei Iesus; illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.

C O M M E N T A R I V S.

NON intellexerunt Pharisei, quid Dominus in parabola superiori significare voluerit; quamuis enim verborum corticem perciperent; tamen sensum prætensum non sunt affecti. Habet enim parabola seu similitudo, præter communem verborum intelligentiam, latentem quandam significationem, quæ ex collatione, seu similitudine intelligentiæ prioris accipitur. Hanc non perceperunt increduli illi homines, & rectè hoc est à Domino factum, ut se esse cæcos, & non percipere, quæ dicebantur, vel ipsa experientia discerent, & quod verbo non credebant, opere ipso probarent.

A N N O T A T I O IV.

Prouerbum quid significet.

Prouerbum hoc loco Græcè dicitur, *παραβολή*. Est autem dictum commune, quod per hominum ora passim circumfertur, quod alio nomine Adagium vocamus. Hoc autem loco, non in hac sumitur significatione, sed ut idem sit quod parabola. Græcè *παραβολή*, quasi comparatio & similitudo, frequenter enim vnum pro altero vsurpatur, & prouerbum parabola, & parabola prouerbum dicitur in scriptura, apud Hebræos autem est *מָשָׁל* Prouerbum igitur, parabolam significat in hoc loco, cuius cum alter sit sensus, præter eum, qui ex communi vocū significatione concipitur, explicatione indiget, aut diligenti studio, ut intelligatur, opus est. Verbum autem

hebræum cōmune est, & prouerbio, seu adagio, & parabole: nam Ezech. 18. pro adagio sumitur: Quid est quod parabolam vertitis in prouerbum? In Hebræo est verbum cum nomine, ut solent sæpe Hebræi facere, ac si barbare diceremus, quid est, quod prouerbum prouerbiatis? non enim latinum verbum habemus, sed nomen, id est, frequenter hoc prouerbum profertis. at Psal. 18. Inclino in parabolam aurem meam. In hebræo idem est nomen, & pro parabola accipitur: explicare autem differentiam inter parabolam, prouerbum & exemplum, & diffinire singula, non est nostri hoc loco instituti.

Dixit

Dixit ergo iterum eis Iesus, amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium.

C O M M E N T A R I V S.

CVM non intelligerent allegoriã sententiæ præcedentis; dignatus est Dominus explicare, & hoc illa particula *Ergo*, indicat, ac si diceret; cum non affecti essent Pharisei sensum, propterea Dominus hæc iterum, & secundo loco adiūxit, ut quæ non erant intellecta, exponeret. Assueuerant igitur se ostium ouium esse dicit; ut enim per ostium aditus, & ingressus patet in ouile; sic per Christum, & fidem in ipsum ingrediendum est in Ecclesiam Dei, & in regnum cælesti: qui enim de Christo non rectè sentit, ab ouili hoc excluditur, nec ei patet ingressus. quibus verbis significat illos Phariseos esse extra Dei, & Christi Ecclesiam, quamuis sibi maximè præcipuū locum in Synagoga tenere viderentur. Cæcū aut illum. ab eis reiectum, non esse verè exclusum ab ouili Dei: hic enim per ostium verū intrauit, illi autē ostiū hoc, per quod oportebat ingredi, respuerunt. Hinc patet causa, cur Dominus se ostium esse dixerit: quamuis enim pastor sit, ut inferius docebit; tamē quia parabola hæc eò tendebat, ut Phariseos ostenderet de ouili Dei non futuros, nisi in Christum crederent; decipi que valde, putantes de synagoga meritò eiectum cæcum, quia in eum crediderat; cum ipsi potius extra synagogā veram essent: propterea dixit, *Ego sum ostium*, Si enim pastorem se diceret, non videretur excludere eos ab ouili. sicut manifestè excludit, quando ostium se esse dicit qui enim non intrant per ostium. fures sunt. Et attēde non simpliciter ostiū se esse dixisse, sed *Ostium ouium*, ut veritatem etiam secundam superius narratam doceret, nempe non ostium tantum pastorum, sed etiam ouium esse; ut nec inter oves quidem Dei sit, qui per ipsum non intrauerit. Et rursus omnes intrantes esse oves, siue pastores sint, siue tantum oves. Hæc verba satis probant ostiū illud. de quo superius mentio facta est, non esse scripturas, sed ipsum Christum: Nec eam sententiam esse pronuntiatā propter Christū, sed propter alios ministros, & pastores, qui veri non sunt, nisi per eum ingrediuntur: ut ex eo Phariseos argueret, qui se veros pastores & prelatos existimabant; cum tamen Christum, qui ostium est, reiecerint, cæcumque illum excluderint; qui verè per ostium intrauerat. Esse autem hæc verba explicationem præcedentis parabole præter contextum ipsum, indicat illa particula *Ergo*, quæ eò posita est, ut significet Dominum hanc posteriorem addidisse sententiam, quia Iudæi non intellexerant priorem. Si autem non esset hæc explicatio prioris, non rectè, accommodatè ista connecteretur. Ostium igitur Christus est, per quod oves, & pastores oportet in Ecclesiam Dei ingredi.

Quomodo Christus ostium.

Quare Christus ostium dicitur ouium.

Omnes, quot quot venerunt, fures sunt, & latrones.

PROsequitur parabole explicationem contra pastores falsos, quos Latrones conuincit esse, quia se ostium ouilis, & ouium faciebant, & eas à vero Christo auertebant, sibi pastoris officium vsurpantes. Restringēda est autē sententia hæc generalis per præcedentem, ut sit sensus: Omnes, qui venerunt, se pastores ouium dicentes, aut Christum se esse iactantes. quia per ostium verum non intrarunt: fures fuisse, & latrones. cum non aliud sit ostium præter Christum, & qui per eum non intrant, oves non sunt, multo minus pastores. Hoc dicit propter nonnullos, qui ante eius aduentum, se tanquam Christum, & Messiam populo annuntiarunt, vel quod proprium Christi erat, sibi vsurparunt; quales fuerunt Theodas, & Iudas, de quibus habetur Acto. 5. & si qui sunt alij. hi. n. deceperunt multos Iudæorum, eis persuadentes, se esse pro-

Christum de eis loquitur, qui se veros pastores mentiebantur.

missum Christum, aut quod Christi erat profitētes. hi sunt fures, & latrones; at Christus est verum ostium, & qui per ipsum non intrat, de ouili non est. In Græco habetur, quotquot venerunt ante me, & ita Chryso. Euthymius, & cæteri Græci legunt.

A N N O T A T I O V.

Contra Manichæos, hoc Ioannis loco abuenies.

MANICHÆI Prophetas contemnētes & Adamnantes, hoc loco abutebantur, Quia quotquot ante Christum venerunt, fures & latrones fuerunt, ut auctor est Aug. lib. 5. contra aduersarium legis, & prophetarum, cap. 4. sed verbum sequens, ut rectè Chryso. hom. 58. dicit, hanc hæresim conuincit, Nam sequitur, oues non audierunt eos, quod in laudem ouium dictum esse nemo negabit: at oues audierunt Prophetas, & si non audissent, essent maximè reprehendenda: non igitur sententia hæc propter eos dicta est. Quia verò ratione Prophetæ ab hac sententia excludantur, non eodem modo omnes exponunt. Aug. loco citato dicit excludi illo verbo, *Venerunt*, veri enim prophetæ non venerunt, sed missi sunt: Pseudoprophetæ autem à se ipsis venerunt, iuxta illud Ierem. 13. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hæc ergo sententia secundum mentem Aug. omnes generaliter falsos prophetas concludit. idem dicit Hieron. Osee 7. & ante eos eandem explicationem adfert Clem. Alex. li. 1. Stromat. ut venire dicantur, quia non missi, sed à se ipsis venerunt: nec tantum Pseudoprophetas comprehendit in ista sententia, sed & illos Philosophos, qui dogmata erronea, & falsa tradiderunt, se hominū magistros & doctores faciētes. Sed hæc expositio non firmo innitur fundamento: nam venire etiam dicuntur, qui missi sunt. Ioan. 1. dicitur de Ioanne, Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine, qui tamen paulo ante dicitur à Deo missus. Præterea non esse sic limitandam sententiam, probant sequentia verba, cum dicitur, *Quotquot venerunt, fures sunt: ego veni, ut vitam habeant*, si, propterea quia venerunt, dicuntur fures, non erat dicendum *ego veni, sed ego sum missus*. quam obiectionem sensit Aug. tract. 45. & aliter limitauit. Aliqui nostro seculo limitant hanc sententiam sic, *Quotquot venerunt*, se Christum seu Messiam esse annuntiantes, fures fuerunt: sed nimis esset tunc restricta hæc sententia, nec constat aliquos tales præcessisse, qui se Christum iactassent, & mentiti essent. Iudam enim, & Theodam Christum se professos esse non legimus. Accommodatior erit expositio, si non de omnibus Pseudoprophetis, nec de his solis, qui se esse Messiam mentiti sunt interpretemur; sed de illis etiam, qui, quod Christo erat proprium, modo aliquo usurpabant; quales illi duo fuerunt, de quibus Act. 5. legimus. hi enim omnes non per ostium intrabant, quod verè est Christus.

Sed non audierunt eos oues.

C O M M E N T A R I V S.

Illos fures, & latrones fuisse, signo quodam probat veri, & falsi pastoris, quia oues eos non audierunt: prædicarunt quidem, & annūtiarunt se esse Christum, & Messiam, aut se eas habere virtutes, quæ Christi futuri erāt; sed oues vocem eorum, tanquam alienorū, non audierūt, nec eos secuti sunt: quāuis enim aliqui eos receperunt, ut habetur Act. 5. tamen omnes cum ipsis perierunt; electi autem, & fideles veri non audierunt eos, nec voci ipsorum auscultarunt: si autem veri fuissent pastores, oues vocem eorum audissent.

A N N O T A T I O VI.

AVG. tract. 46. magnam difficultatem mouet, qua ratione dictum sit, Oues non audisse ac Pseudoprophetas, fures, & latrones illos, cum certum sit multos ex electis aliquo tempore deceptos extitisse, sicut multi sunt reprobri, qui aliquo tempore veritatem sequuntur: modò autem multi sunt electi, qui inter infideles, aut inter peccatores adhuc viuunt pessimè, multi etiam hæresibus sunt obcæcati, qui tamen conuertendi sunt ad veritatem. sicut è contrario non defunt, qui nunc bene viuūt, malè postea victuri, & malo fine vitam finituri: ergo oues vocem latronum audire potuerunt, & sequi. Recitat August. quorundam responsonem: nempe tunc non esse o-

ues, quando fures audiunt, & sequuntur. Huic opponit Aug. illud Ezech. 34. Errantem ouem non reuocastis, ouis igitur erat, etiam quando errabat. Idcirco alteram ipse adhibet responsonem: oues non audisse eos, quia non in ea voce audienda perseverarunt: quamuis enim aliqui electi ad tempus falsos doctores, & Pseudoprophetas audiant; resipiscunt & recedunt ab eis, ad suumque verum reuertuntur pastorem. hæc Aug. Possimus etiam aliter respondere, ut non de electis tantum, & prædestinatis hæc exponamus: nam oues fideles omnes sunt, siue reprobi, siue electi, & ad ouile tam hi, quàm illi pertinent: oues igitur non eos audisse dicuntur, quia illi,

illi, qui populum à lege, & Prophetis auertebant, paucos sui erroris defensores, & discipulos habuerūt, breuique omnes perierūt: at verum Christum non pauci, sed innūmeri populi ex Iudæis, & Gentibus erant audituri, nec nomen eius vnquam cessaturum.

Ego sum ostium, per me, si quis introierit, saluabitur.

C O M M E N T A R I V S.

Iterum repetit se esse ostium; prius enim se ostiū dixerat ratione pastorū, ut parabolā explicare, & alios omnes, qui Pseudochristi extiterūt, reijceret. nūc iterum repetit se ostium esse; ut probet esse ostiū respectu ouium, sicut & pastorum, omniumque; qui in ouile intrant. *Qui per me*, inquit, *introierit*, vitam habebit, & *saluabitur*, & sumitur similitudo ab ostio ouilis: Sicut enim oues in ouile per ostium intrantes, ibi conseruantur, & tutæ, ac securæ manent à lupis vitæ earum insidiantibus; sic qui in Ecclesiam per Christum intrant, vitam habent, & ab hostium potestate liberantur, extra quam Ecclesiā salus, spiritualisque vita non est. Argumentum veri ostij est, quando per ipsum in ouile verum salutis intratur, illi fures ostia fuerunt, non ouilis, sed macelli; perierunt enim omnes illi, qui illos sunt secuti, ut patet Act. 5. ad hoc enim alludit Dominus dicēs, *Per me si quis introierit, saluabitur*. quasi ostiū sit non macelli, sed ouilis, vbi non macantur, sed saluantur oues.

Et ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

NON solum, qui per Christū ingredietur in ouile Ecclesiæ, salutem & vitā consequitur; sed in omnibus suis actionibus, & operibus, siue occultis, siue manifestis dirigitur, & prosperatur; iuxta illud: Omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur. & est metaphora ab ouibus, quæ siue ingrediātur, siue egrediantur, quocumque se conuertunt, inueniunt pascua; tanta est fecunditas, & vbertas ouilis Christi, quæ est sancta Ecclesia. Phrasis est Hebræa egressum, & ingressum appellare omnia negotia, & opera hominis. sic 2. Reg. 3. Ioab dixit ad Dauid. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum? id est, omnia opera tua, siue quæ in secreto, siue quæ in manifesto agis. & 3. Reg. 3. Ego sum puer paruulus, ignorans ingressum, & exitum meum; id est, ne sciens, quæ me oportet facere, siue in his quæ ad me, siue in his, quæ ad regni administrationem pertinet. & Psal. 120. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum; id est, in omnibus operibus tuis, siue quæ ad te, siue quæ ad alios spectant, siue publica, siue secreta proteget, & conseruet te. sic etiam nunc dicitur, vbi que inueniet pascua diuinæ doctrinæ, & gratiæ, iuxta illud Psal. 22. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. & Ezech. 34. In pascuis vberimis pascā eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua eorū. quæ verba Hieronymus de miliante, & triumphante Ecclesia exponit.

Ingressus & exitus nomine quid scriptura significet.

A N N O T A T I O VII.

Ingressi & egredi multi sariam exponunt.

Psal. 120.

AVGVST. tract. 45. duplicè superioris sententiæ adfert interpretationem; Vna est, ut per exitum opera exteriora, per ingressum opera interiora, intelligantur; in vtrisque enim à Deo oues Christi pascuntur. Et conformis est hæc expositio illi, quam Chaldaica pariphrasis adhibet illis verbis Psalms, Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum. introitum, inquit, id est, legis studium; exitum, id est, negotiationem. similem ferè expositionem adfert Basil. lib. de Spir. sancto, ca. 8. Altera est, ut per introitum intelligamus ingressum per viuam fidem in Ecclesiam militantem, vbi pascua salutis sunt; per egressum, mor-

tem temporalem, per quam si trāsitus in Ecclesiam triumphantē, & regnum cæleste, vbi sunt perfecta pascua, & perennia. Et conforme est illud Hieronymi super Ezech. 24. quod in commentario adduximus. Sunt istæ interpretationes quantum ad doctrinam veræ, & quantum ad sensum probabiles, nec in re diuersæ sunt ab ea, quam in commentario posuimus, præter id, quod phrasis illa est hebræa, significans veluti generalitatem quandam operationum, & actionum. Euthym. exponit, *Egredietur, & ingredietur*, id est, ad omnem mundi locum, ut significetur Ecclesiæ dilatatio. Aliqui recentiorum exponunt, *Egredietur, & ingredietur*, id est, liberè,

liberè, & securè conuerfabatur, iuxta illud I. Reg. 18. De Dauid, qui ingrediebatur, & egrediebatur in conspectu populi; id est, familiariter, & liberè conuerfabatur. & Act. 1. In omni

A tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Iesus, nobiscum est familiariter conuerfatus, quamuis hæc omnia vera sint, mihi tamen magis probatur, quod in commentario dixi.

Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat: ego ueni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

COMMENTARIUS.

Quid sit vitam habere, & abundantius habere.

SE esse verum ostium ouium, non autem illos, qui ante eum uenerunt, probat; quia illi in ruinam, & destructionem ouium uenerunt: perierunt enim, qui eos sequuti sunt: alludit uero ad illud Act. 5. At ipse ueni, ut vitam habeant, & abundantius habeant, nempe vitam habeant gratiæ in hoc sæculo, & abundantius in futuro æternam consequantur. Viuit enim iustus in hoc sæculo uita gratiæ, perfectiorem postea etiam per Christum consequetur vitam, beatam nempe, in gloria. sic Aug. tract. 45. & Chrys. hom. 58. exponunt. adhuc in hoc sæculo uita gratiæ datur, & abundantius datur, quia iustus in gratia augetur, & magis ac magis crescit. 1. The. 4. Sic & ambuletis ut abundetis magis Rursus ut vitam habeant, id est, liberentur à malis, Et abundantius habeant, id est, fruatur bonis: Venit enim, ut, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic exponit Olimpiodo. in Eccl. ca. 2. Rursus ut vitam habeant, quam per fidem in me uetorum habebant, Et abundantius habeant: nam maior, & copiosior est Euangelij, quam quæ in lege dabatur gratia. Omnia hæc uera sunt, & per Christum data, & ad huius sententiæ ueritatem pertinent.

Ego sum pastor bonus.

NE ostium solū Christum esse aliquis existimaret, quasi alius esset pastor, qui per eum intraturus esset, adiunxit se esse etiam pastorem, & quidem bonum, non quemcūque, sed illum uerum, & principem pastorum. Et nota artificium Spiritus sancti, si enim pastorem solum diceret, non excluderat alios à ratione pastoris, qui per ipsum non intrat; si ostium solum prædicaret, alium esse pastorem & Christum suspicari aliquis posset, ideo utrumque coniunxit: illud tamē ex parabolæ instituto, hoc uero ex data occasione, & hic est legitimus sensus huius totius contextus. Pastorem autē bonū se dicit, ut non solū à latronibus, & furibus se separet, & distinguat; sed ab alijs, qui curam ueri pastoris non habent, & mercenarij dicuntur, & ab ijs etiam qui boni sūt, per ipsum tamē intrant in ouile ouium. Est autē articulus Græcus appositus duplex, nempe, Ego sum ille pastor, ille bonus; ut hoc significet Dominus se esse illum uerum pastorem promissum in prophetis. Suscitabo super ea pastorem unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid; ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem: quæ uerba de Dauidis persona intelligi nequeunt, qui tunc mortuus erat, sed de Christo, qui ex eius semine erat uenturus, ut sacri Doctores, & Hebræi ipsi intellexerūt, ad hoc alludens dicit, Ego sum pastor ille bonus, insignis & pastorum omnium princeps, promissus olim uenturus: de quo 1. Pet. 5. Cum apparuerit princeps pastorum & 1. Pet. 2. Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum uestrarum. lege quæ in annotatione consequuntur.

Eccl. 34.

Quatuor Pastorum species in scriptura reperimus.

Qui alijs præsumunt, & eorum curam gerunt in scriptura dicuntur pastores per quamdam metaphoram, & similitudinem pastorum, qui ouium custodiæ incumbunt, Horum autem pastorum quatuor genera in eadem scriptura reperimus. Primum est eorum, qui cum nullam habeant legitimam potesta-

tem, & auctoritatem supra alios, eam sibi ipsi usurpant, intruduntque se in officia gubernandi, regendi & docendi, quæ ad ipsos non spectant, & ad quæ uocari uerè non sunt. de his dictum est Zachar. 11. Ecce ego suscitabo pastorem, qui derelicta non uisitat; nec dispersum queret. horum sub alio nomine meminit Iere-

nit Ieremias cap. 14. Falso, inquit, uocinanti sunt Prophetæ; non misi eos; non præcepi eis; non locutus sum ad illos. & Matt. 7. Attendite uobis à falsis Prophetis. contra hos dictum est Hebr. 5. Nemo assumit sibi honorem, nisi qui uocatur à Deo, tanquam Aaron.

Secundum genus pastorum est, qui legitimam habent potestatem, & auctoritatem, eam tamen non administrant, ut oportet, quos Basilius orat. pro Sancto Mamante unico uerbo describit, nempe qui non ouibus, sed sibi prodesse cupiunt. & August. tractat. 46. Ioan. qui ob honorem, inquit, aut lucrum temporale alijs præsumunt. de huiusmodi Ezech. dictum est; Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis; & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis; quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum non sanastis; quod contractum est, non alligastis; & quod abiectum erat non reduxistis; & quod perierat, non quaesistis, & cum auctoritate imperabatis eis, & cum potentia. Hi pastores ueri sunt, quia legitimam habent potestatem, non ut primi, qui non ueri, sed falsi sunt pastores, quanquam autem ueri sint, mercenarij tamen dicuntur: tales erant illi principes Sacerdotum, Scribæ, & Pharisei, de quibus dictum est Matth. 23. Super cathedam Moysi federunt scribæ, & Pharisei, quæcunque dixerint uobis, seruate, et facite, secundum uero operum nolite facere. quasi diceret, quia ueri sunt pastores, et potestatem habent, obedite eis; quia uero mercenarij sunt, eorum opera nolite imitari: malos enim principes & Prælatos, habentes potestatem legitimam honorare, eisque obedire, sed non illos imitari debemus.

Eccl. 34.

Quales flores fuerint scribæ & Pharisei.

Quis Christus sit fures, quos mercenarios, & quos P. No. ut app. det.

vera intelligentia huius contextus, Christum se bonum pastorem appellare, & talem esse confirmare; non tantum ut à furibus, & latronibus, & mercenarijs seipsum discernat, sed etiam ut à bonis pastoribus distinguat, ostendatque se esse bonum pastorem, non quencunque, sed illum unicum promissum in lege, & prædictum per prophetas, nempe uerum Christum & Messiam, quem inter alia cognomina, hoc ipsum etiam habiturum, prædictum erat. Hoc est ergo, quod nunc dicit, *Ego sum pastor bonus*, ille nempe unicus pastor per Prophetas prænunciatus. Hunc esse sensum legitimum huius contextus multa probant, primum est causa, ob quam Christus totum hunc habuit sermonem: ea enim fuit, quia Iudæi eiecerant e Synagoga cœcum illum, eod quod Christum confitebatur, quasi iudicantes, & declarantes Christum esse pseudopphetam, & falsum Christum: propter hoc Dominus cœcum defendens probat potius eos esse extra ueram Synagogam, & Ecclesiam: hoc autem confirmat, dum se ostium ouium, & se esse uerum pastorem dicit. quæ ad rem non facerent, nisi de pastore illo promisso, & unico loqueretur. Utitur enim his nominibus, ouilis, ostij, & pastoris, occasione eiectionis e Synagoga, à qua, uelut ab ouili, excluderunt cœcum. Alterum est uerbum illud, *Quotquot autem me uenerunt fures sunt, & latrones*, quod laud dubiè intelligendum est de ijs, qui falsò nomen Christi, aut aliquid, quod Christi futurum erat, sibi usurparunt: cum igitur ab his se discernens dicit, *Ego sum pastor bonus*, non quemcūque bonum pastorem, sed illum unicum significat, cuius officium falsò sibi tribuerunt fures, & latrones. Tertium est, quod inferius sequitur, *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*, quis non intelligit hoc esse peculiare pastori illi, nempe Christo? Quartum est, quod Dominus ad probandum se esse bonum pastorem; adducit: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ sicut ego cognosco patrem, & cetera* hoc nemo hominum dicere uerè potuit, & nec poterit, præter illum unicum pastorem Christum: igitur sententiæ hæc, *Ego sum pastor bonus*, in eum est interpretanda sensum, ut significet Christum esse bonum pastorem illum unicum, quem uenturum prophetæ prædixerant: talis enim à Iudæis legis, & scripturarum peritis, futurus credebatur, & expectabatur; eaque de causa, ut in commentario adnotauimus, cum duplici articulo Græcè legitur, *Ego sum ille pastor, ille bonus*. hinc est quod Dominus bis hanc sententiam repetit, *Ego sum pastor bonus*, prius quidem ut se à furibus, latronibus, & mercenarijs discernat: postterius uero, ut se etiam à bonis quibuscumque pastoribus longè differre doceat, utpote qui sit unicus, & princeps omnium pastorum: hoc enim nomen appellatus est à Petro 1. epist. cap. 5.

Bonus

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

COMMENTARIUS.

Robaturus se esse bonum pastorem primò se à mercenario secernit, & ut id efficiat, vnam differentiam inter vtranque constituit, nempe bonum pastorem, vitam omnibus periculis exponere in ouium defensionem, tutelam, & salutem: hoc autem mercenarius non facit, vt in sequenti sententia exponitur. Animam, hoc loco vitam corporalem intelligit, quod sæpè in scriptura fit. Matth. 2. Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Ioann. 13. Animam meam pro te ponam.

ANNOTATIO IX.

Quomodo commendatur pastor animam pro ouibus ponens, et hoc non liceat.

POSSET aliquis obijcere circa hanc sententiam, nempe metaphoram pastoris, mercenarij, & ouium non accommodari conuenienter præsentis instituto. Pastor enim non ponit animam suam pro ouibus: nam pluribus facit homo vitam temporalem quam oues omnes, quas possidet. Job. 2. Pelle pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: & quod magis vrget, si animam ponat pro ouibus, pro quarum conseruatione mori nõ recusat, nõ rectè facit, nec laudandus est, vita n. temporalis maius bonum, & præstantius est, quàm pecuniæ, & res temporales, non ergo virtutis ordo seruat, si pro eo quod minus est, maius exponitur. Vnde sicut pro honore, ita & pro rebus temporalibus vitiosum est vitam commutare temporalem: qui igitur pro hisce ouibus dat animam suam, bonus non est pastor. Aliqui hoc vrsi argumento de solis pastoribus spiritualibus, nempe qui per similitudinem pastores dicuntur, hanc sententiam intelligendam censent, quorum opinionioni, & expositioni contextus obstat: nam Dominus metaphoram prosequitur in tota sententia: Mercenarius, inquit, videt lupum venientem, & fugit, & dimittit oues, & lupus rapit, & dispergit: bonus autem pastor, & cuius sunt oues, animam dat, & vitam periculo se exponit pro ouium defensione. Non ergo negari potest, hæc omnia sumpta ex metaphora, & id mihi probabilius videtur.

Difficultatis solutio.

Quod autem in contrarium allatum est, facile soluitur: duo enim respondeo; Vnum est, non dici pastorem bonum, eò quod bene & rectè secundum virtutem agat; sed quia, quod officij sui est, accuratè perficiat. exemplum habemus Lucæ 16. in Villico illo iniquitatis, qui prudenter egisse dicitur, cum iniquè & iniuste sit operatus donando, quæ Domini erant: ita & bonus pastor dicitur, quia ouibus maximè consulit: sæpè enim in scriptura rebus malè gestis, bonæ significantur, vt docet Gregor. lib. 3. Moral. cap. 16. bo.

ANUS ergo prælatus pastori confertur, qui animam ponit pro ouibus, etiam si hic non in hoc laudandus sit, quasi rectè egerit: sicuti nec rectè egit Villicus, quem nihilominus iusti quodam modo imitari iubentur. Alterum est, quod magis ad rem facit; non semper esse vitiosum vitam dare, & periculo vitæ temporalis se exponere pro ouibus, & rebus temporalibus defendendis. Quando enim temporalia ad honestum finem ordinantur, & diriguntur, licet eas desiderare, acquirere, conseruare, & pro eorum defensione vitæ periculo se offerre, neque id est maius pro minori, sed potius pro maiori exponere: nam temporalia ad honestum finem ordinata, rationem boni honesti habent: de hac cautè licet ea defendere cum periculo vitæ etiam probabili, eaque recuperare cum eodem periculo, de bitis circumstantijs adhibitis: de hac tamen re non est locus hic plura dicendi, dicta autem ista sunt, vt ostendamus bonum esse posse pastorem, etiam secundum virtutem, qui pro ouibus vitam exponit temporalem, & id satis est ad metaphoram conseruandam, quæ maximè ad contextum facit. Non est autem quærenda similitudo in omnibus, id enim vitiosum, & præter loquentis institutum est: cogemur enim dicere, quæ falsa sunt: cum pastor ouium materialium, non diligat eas amore beneuolentiæ, sed vtili, & propter se ipsum. Prælati vero non debent diligere subditos eo amore solo, sed præcipue propter utilitatem, & bonum eorundem iudiciorum. non est ergo metaphora sic extendenda, vt ad dissimilia trahatur, sed ex tantum complectitur, quæ sermone exprimentur. Hoc vltimo adnotandum est, animam dare pro aliquo non semper esse mori pro eo, sed aliquando etiam significat vitæ periculo se exponere, quod satis constat Actuum 15. vbi de Paulo, & Barnaba, qui tunc vicebant, dicitur: Qui animas suas tradiderunt pro nomine Domini nostri.

Libet quædamque potest. Porro alij vitæ exponere.

Actuum potest. Porro alij vitæ exponere.

Mercena-

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, vidit lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues.

COMMENTARIUS.

NON sic se habet mercenarius, sed vitam propriam ab omnibus liberam periculis conseruat, etiam cum detrimento ouium: nam dum lupum venientem videt, non expectat, sed fugit, & dimittit oues in periculo; lupus enim venit nemine resistente, & oues rapit & dispergit; aliquas earum rapit, & mactat; cæteras autem, quas rapere nõ potest, dispergit, quia timore, & terrore omnibus perculsis, vnaque que in suum locum fugit, fuga salutem quærens. Non sic facit verus & proprius pastor; sed lupo occurrit, ac vitæ subiens periculum resistit, & oues defendit. Quod egregius ille pastor Dauid, de cuius femine pastor hic bonus secundum carnem natus est, faciebat: qui 1. Reg. 17. dixit ad Saul, Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me; & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. hoc profectò non mercenarij, sed veri pastoris erat. Mercenariũ describit Dominus; Qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, hæc duo ad idem pertinent; posterius enim est explicatio prioris, idcirco sine aliqua copulatione posita sunt. Qui non est pastor, nempe, cuius oues propria non sunt.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

CVR mercenarius fugiat causam adiungit; quia ipse mercedè solam quærit, proinde quando pereunt oues, ipsi non pereunt, sed Domino, cuius sunt; siue ergo viuant, siue pereant, nec lucrum, nec damnum ei referunt, quia solam mercedem ex custodia ouium habet; propterea fugit, & vitæ propriæ consulit. Hoc significat ista phrasis, Non pertinet ad eum de ouibus, id est, nõ pereunt in damnum ipsius, nec viuunt in lucrum. Marci 4. Non ad te pertinet, quia perimus? id est, non tua res agitur. Aliqui vertunt, & oues non sunt illi curæ; seu, non est cura illi de ouibus; & sic Græcè habetur, & sic interpres vertit. Lucæ 10. Non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare. quamuis autem sic legamus, ad eundem sensum refertur; Nam mercenarij etiam curam gerunt de ouibus, sed dicuntur non esse illis curæ, quia non ipsi, sed dominis pereunt.

ANNOTATIO X.

Mercenarium nomine Pharisæos significare.

ADVERTENDA sunt aliqua in exactioribus superioris sententiæ declarationem. Vnum est, per hos mercenarios Dominum significasse illos Pharisæos, & primos Iudæorum, curam plebis gerentes; qui avaritiæ, & ambitioni dediti erant decimantes mentam & cimum, & primos accubitus quærentes; hi non ouium utilitati, sed propriæ studebāt. Ita exponit Aug. tract. 46. & Basi. in orat. de S. Mamæ. Esse etiam similes in Ecclesia Evangelica improbable non est, de quibus ad Philip. 2. dicitur: Quæ sua sunt quærent, non quæ Iesu Christi. Tria ergo genera hominum distinguit: quosdam, quos fures & latrones, quosdam, quos mercenarios appellat; illi Pseu-

do prophetæ, qui cum auctoritatem, non habent, eam sibi vsurpant; hi prælati veri, sed debito modo suum officium non administrantes, sunt; à quibus se primo loco secernit, dum se esse asserit pastorem bonum illum, qui animam ponit pro ouibus, quia eius propriæ sunt: postea à bonis etiam pastoribus se esse diuersum docet, quos tertio loco significat. Secundò est aduertendum; hinc dubitationem suboriri; Si enim mercenarius est, cuius oues propriæ non sunt, omnes nostri Prælati, & pastores mercenarij sunt, quia oues ipsorum non sunt; non enim sunt fideles oues huius, aut illius prælati, sed Christi, cuius est Ecclesia. Vnde Ioan. 20. dictum est Petro; Pasce oues meas; non tuas. & Matth. 16. Aedificabo Ecclesiam meam; non tuam. & 1. Corinth. 3. Sic nos existimet

Prælati Mercenarij non sunt, quamuis oues non eorũ, sed Christi sint.



ei vitæ, aut perfectionis addit, nihil in se accipit ab eis Christus. Lue. 17. Postquam feceritis hæc, dicite, serui inutiles sumus. His igitur propositis verbis declarat Christus, non qualemcunque se esse pastorem, sed Messiam, & verum Christum Dei filium, nemo enim alius sic cognoscit, aut cognoscetur ab ouibus. Quis enim oues viuificat, vti Christus? quis seipsum dat ouibus? quis eas, vt ita dicam, deificat, & consortes diuinæ naturæ facit, sicut ipse? Rursus est alia similitudo, *Sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem*, vt nec à Patris cognitione, & affectu diuellatur filius, nec Pater etiã ab ipsi filij cognitione, & affectu: ita erit firma, & certa hæc cognitio inter me, & oues, quæ in æternū manebit.

A N N O T A T I O X I.

Interpretatio Chrylosomi & Euihy mij reijci idr.
CHRISOSTOMVS hom. 59. & Euthymius multo aliter hanc sententiã exponunt, & connectunt, non enim referunt hanc similitudinem ad cognitiones præcedentes, sed vt sit noua sententiã; qua Christus, vt Deus æqualem se habere cognitionem cum Patre asserit, sitque sensus. Sicut nouit me Pater, ita ego æqualiter cognosco Patrem, hoc autem dicitur, ne cum præcesserit; *Ego cognosco oues meas, & cognoscent me meæ*, aliquis existimet, æqualem habere oues cognitionem cum ipso: propterea adiunxit se æqualem habere cognitionem cum Patre, ad quam oues non possunt peruenire. Sed accommodatio multo est allata expositio in commentario: non enim verisimi-

lis erat hæc dubitatio: nec ex verbis illis aliquis eam æqualitatem concipere potuit. Potius dicendum est, cum præcedentia illa verba adhuc non exprimerent eam cognitionem, quæ à mercenarijs, aut ab alijs pastoribus bonis discerneretur: propterea adiunctam esse hanc sententiã, vt se verum Christum, & principem pastorum declararet ex propria quadam cognitione, & hæc videtur legitima expositio, & consonat, quod paulo post sequitur: *Ego cognosco eas, & sequuntur me. & vitã eternã do eis*, quasi hæc duo posteriora sint effectus huius cognitionis. Simile etiam illud est Ioã. 6. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, viuet propter me.

Et animam meam pono pro ouibus meis.

C O M M E N T A R I V S.

Hoc est tertium argumentum à signo discernere mercenarios à bonis, & proprijs pastoribus, & multo magis fures, & latrones, qui non solum vitam propriam non exponunt pro ouibus; sed potius ipsarum vitæ insidiantur. Christus autem verus, & proprius pastor vitam suam pro ouibus exposuit: hoc enim loco anima, vitam temporalem significat. Tamen aduertendum est etiam hoc signo ab omnibus pastoribus etiam bonis, Christum discerni: quia nõ quouis modo Christus animã posuit pro ouibus, sed eo, quo nemo alius posuit, hæc ponere potuit, vt hoc argumentum esse verum Christum, & principem pastorum probet; quod in quatuor maxime apparet. Primum quidem Apostoli, & Martyres vitam exposuerunt pro ouibus Christi; sed eorum mors ouibus in redemptionem & remissionem peccatorum non profuit: sola enim mors Christi peccatum delere potuit, gratiam restituere, & cœlum aperire. ipse ergo est, qui maxime pro ouium vtilitate animam posuit, ratione affectus, quia maxime profuit. Secundo, & hoc est valde perpendendum, homo vitam pro alio exponere potest, & exposuerunt multi; sed hi, qui exposuerunt, erant morituri, etiam si pro alijs eam non exposuissent, potius dicendi sunt, mortem pro alijs citò subiisse, & vitam diminuisse; at Christus nõ sic; ex vnione enim ad verbū, caro illa immortalis futura erat & ei impassibilitas, & immortalitas debebatur; at pro nobis, & ouium salute, se passibilem, & mortalem fecit; dispensatiuè impediendo, ne eius gloria ad carnem se extenderet; se ergo mortalem, & patibilem pro ouibus fecit; idcirco ipse solus est, qui pro eis vitam verè exposuit; id Paulus insinuat dicens 2. Corint. 8. Propter vos egens factus est, cum esset diues. Tertio homines potius pro se moriuntur, quam pro alijs, quia plus sibi profunt, quàm illis. Mors enim Martyrum plus ei profuit, quia gratiæ & gloriæ pondus illis contulit; nobis autem ad exemplum, & satisfactionem pro temporalibus pœnis profuit, maius tamen est gratiæ & gloriæ bonum, quod sibi per mortem conciliarunt. Vnde Aristoteles gentilis docuit; qui pro amico moritur, plus amare se, quàm amicum, quia sibi bonum honestum comparat; amico autem vitam

Quomodo vni Christo singulare sue vitæ animam pro ouibus ponere. Collatio mortis Christi, & Martyrum.

tam temporalem, pro cuius defensione vitam exponit; at Christus non sic; mors Christi nobis plus profuit, quia ad remissionem peccatorum, ad gratiæ consecutionem, ad æternam vitam necessaria fuit; horum nihil sibi per mortem comparauit, ex vnione enim omnia sibi debita erant, nec pro se mori ei erat opus; quod Isaie. 7. dicitur: Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Quarto denique, quia nullius vita in totum alteri profuit: multum tempus vitæ intercedit inutile alijs, etiam in his, qui mortem subierunt pro altero: non enim tota vita Apostolorum nobis profuit, sed illa pars vitæ, quam pro nostra vtilitate expenderunt; at Christus ab instanti suæ incarnationis nobis profuit: nam & tunc nostram redemptionem sua dilectione meruit. Ipse igitur est, qui propriè, & perfectè animam suam posuit pro ouibus suis, de quo solo prædictum est Isa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit saltem longæum.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.

Quartum argumentum est à quarto signo boni pastoris, & proprii: hoc est, errantes oues quærere & reducere. quod per Ezechi. 34. Dominus ostendit, malos pastores arguens. Quod abiectum, inquit, erat, non reduxistis, & quod perierat, non quæristis. Habebat Dominus multas oues errantes inter gentes, quæ non erant de ouili Synagoge; has per suos Apostolos quæsiuit, reduxitque ad ouile suum. His verbis vocationem gentium significat, vti Sacri Doctores explicat. Basil. hom. 28. in Psal. 28. in principio. Grego. hom. 14. in Euang. similiter & August. tract. 47. & Chryso. hom. 59. Adduxisse Christus dicitur, quia per Apostolos ab eo missos, eas oues reduxit, & conuocauit. *Oportet*, inquit, *Me adducere*. illud *Oportet*, Patris præceptum, & mandatum significat: habuit enim Christus homo Patris mandatum conuocandi, & reducendi Gentium nationes ad ouile Dei, pro quibus etiam mortuus est.

A N N O T A T I O X I I.

quibus aliam conuenit ecclesiam gentium cum Synagoga iudeorum.

NEMO dubitat hoc ouile fuisse Synagoga Iudeorum, in qua erant tunc cultus, & religio Dei, sed difficultas est, quia dum dicit: *Oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili*, insinuat aliud esse ouile, ad quod illæ pertinebant oues. Quod igitur hoc erat? Aduertendum est, ante aduentum Domini nostri, Ecclesiam sanctam in duos populos fuisse diuisam; in Synagoga, quæ erat Ecclesia Iudeorum; & in Ecclesiam gentium, quæ erat conuocatio iustorum, & fidelium, qui de Iudeorum semine non erant: quamuis enim inter gentes maxima ex parte Ecclesia perierat, quia idololatria, & veri Dei ignorantia vbiq; regnabat; tamen non in totum periit; non enim deerant aliqui, quamuis rari, & pauci, in quibus veri Dei fides, & mandatorum naturalium obseruantia vigeret: Iob enim, qui fuit ab Abrahamo quintus, fidelis, & rectus erat, & huiusmodi alij, tunc & postea inventi sunt. Hi ad Ecclesiam gentium pertinebant, quamuis, vti dixi, maximam partem eorum errasse, extra veram illam Ecclesiam notum sit. Hæc duæ Ecclesie, & populi, in tribus conueniebant, in multis autem differabant. Conueniebant primum in fidei necessitate: nemo enim siue ex vno, siue ex altero populo, remissionem peccati, & gratiam consequi potuit, sine vera fide Dei supernaturali. ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. verum quidem est,

non fuisse in omnibus æqualem fidei explanationem necessariam; quidem enim fidem distinctiorem, quidam obscuriorem habebant: de qua re non est opportuna nunc tractatio. Hoc satis sit, fidem omnibus ad salutem fuisse necessariam, quod ab exordio mundi semper fuit, vt Aug. epist. 90. rectè docet. Conueniebant secundò, quia tenebantur obseruare mandata naturalia, quæ in Decalogo continentur. Necessarium enim fuit semper omnibus præcepta naturalia implere ad iustitiam, & reus erat peccati, qui transgrediebatur. Conueniebant tertio in cultu, & religione: semper enim Ecclesia gentium habuit cultum exteriorum aliquem, quo Deum coluit, vt constat ex Iob, qui Deo sacrificabat; & ex partibus illis qui præcesserunt, ante quàm Iudeorum populus separaretur: quamuis cultus Iudeorum fuerit in multis ab illo diuersus: in his tribus vterque populus, & vtrumque in ouile conueniebat; at in multis erat discrimen. Primum *Discrimen inter gentium & ecclesiam, & Synagoga Hebræorum.* tur credere in vnum Deum Saluatorem, & diligentiū se remuneratorem, vt patet, ad Hebr. 11. at populis Iudeorum obligabatur credere distinctum venturum Christum, Messiam de semine suo: hunc credebant, & sperabant. Fuit autem ex priuilegio etiam aliquibus ex gentibus reuelatum hoc mysterium venturo Christo, vt ex historijs constat.

Secundò erat discrimen in præceptis ceremonialibus, & iudicialibus, quæ Deus illi Iudæorum populo imposuit, & seruari tenebatur; inter quæ vnum fuit de circuncisionibus hæc autem fideles ex gentibus non tenebantur implere: quamuis enim gentes ad Iudaismum transire tunc poterant, & circuncidi, si vellet; tamen non obligabantur; fide enim, & obseruantia mandatorum naturalium, Dei virtute, & gratia, sine qua fieri non poterat, exhibita, saluabantur etiam sine circuncisione, & cæremonijs illis. Tertio in antiquitate; Ecclesia enim gentium à principio mundi incepit, & vna processit vsque ad Abraham, in quo Iudaismus per circuncisionem incepit, remanente Ecclesia diuisa. Quarto in religione amplitudine, & perfectione; in Ecclesia enim gentium abundauit error, & Dei ignoratio, vt vix fidelis inuentus fuerit, postquam diuisus est ab ea populus Iudæorum; at in Synagoga abundauit fides, religio, Dei cultus, vt verè dictum sit Psal. 76. Notus

A in Iudæa Deus, in Israel, magnum nomen eius, multis etiam fuit beneficijs diuinis populus hic cumulatus super gètes, Psal. 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: propterea tunc Ecclesia gentium sterilis mulieris similitudinem obtinebat, Synagoga verò foecundæ, quæ vices post Christi aduentum in contrarium sunt commutatae, vt prædictum est Isa. 54. Latere sterilis, quæ non parit, contra laudem, & hymnum, quæ non parituriebas, quia multi filij deserta magis, quam eius, quæ habebat virum. ea de causa gentium Ecclesia dicta est tunc deserta, & in ea habitare dracones, & struthiones, & locus inaquosus, & multa alia, propter raritatem summam fidelium, & inopiam diuini cultus: hoc est ouile alterum à Synagoga, ad quod tunc pertinebant oues hæc adducendæ; quamuis maxima pars earum erraret, etiam à suo ouili proprio, donec à Christo reuocarentur, & adducerentur in ouile, non illud antiquum, sed nouum, vt statim dicit Dominus.

Et vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.

COMMENTARIVS.

PRædicantium, & Apostolorum voces, quos ad Gentium oues conuocandas misit hoc loco significat. audient, inquit, oues hæc tam errantes, quam si quæ intra ouile illud fuerint, vocem Christi, per Apostolos clamantis, non solum auditu aurium, sed cordium, quia fide, & dilectione, & obedientia, conuertentur ad pastorem suum verum, & fiet vnum ouile ex vtroque; nam ex Synagoga Iudæorum, & gentium Ecclesia, vna vniuersalis & catholica fiet Ecclesia, extra quam non est salus; vbi iam non est distinctio Iudæi, & Græci, sed vnum est ouile, vnus populus, vna fides, vnica religio, eadem sacramenta, vnum sacrificium; & sicut vnum erit ouile, erit etiam vnus pastor, vnum caput religionis, & vnicus supremus gubernator. Hoc non solum ad Christum Dominum refertur, sed ad suos vicarios, quos in ouili visibili militantis huius Ecclesiæ habet. Vnus enim est pastor Petrus post Christi ascensionem, vnicus etiam pastor successor Petri Romani Episcopi, qui vices Christi in terris gerens, vnus ouilis pastorem munere fugitur, sub quo inferiores militant multi; non toti ouili, vt ille, sed singuli singulis ouilis partibus præsidentes. Et perpende artificium: Ecclesia vna à principio per millia aliquot annorum vsque Abraham processit, diuisus est postea in eo populus, vt duo essent ouilia: per Christum autem sublata diuisione, ad vnitatem reducta est Ecclesia, in qua in æternum manebit. hæc conuocatio, & vnio prædicta est per Ezechi. Assumam, inquit, filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israël, & rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, & c. quæ verba Theodoretus ibi verbis Domini, quæ nunc explicamus, applicat. & quamuis Hieronymus exponat de populis Iudæ, & Israël, qui in Roboram diuisi sunt, & post captiuitatem coniuncti, tamen accommodatior est, & verior explicatio Theodorèti; tum quia decem tribus nunquam fuerunt restituta, vnde dici non possunt congregata vnum; & quamuis ita factum esset, id figura fuit huius mysterij in Christo, & per Christum perficiendi.

Propterea

Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.

Obiectioni tacite respondet, vt rem magis explicet, & declaret, Dixerat enim duo; nempe se ponere animam suam pro ouibus suis: & rursus habere alias oues, oportereque eas adducere, & vocem eius audituras futurumque vnum ouile, & vnum pastorem. Obijceret aliquis, quomodo si animam tuam pones, poteris postea adducere oues has, vt vocem tuam audiant, ac eris vnus pastor vnus ouilis? Respondet, quia ita Pater voluit me ponere animam, vt rursus eam assumerem; ita mori me decreuit, vt citò resurgerem, & hac ratione dicta mea constant, nec inter se pugnant; Ponam enim animam, & verum erit, me pro ouibus animam ponere: iterum sumam illam, & resurgam, & sic adducam; & congregabo oues meas, & audient vocem meam, & erit vnum ouile, & vnus pastor. Quod autem dicit, *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam*, eundem sensum facit, ac si diceret; in hoc Patri placeo, ac eius voluntatem facio, seu propter hoc Pater sibi in me complacet, quod pono animam, & rursus assumo; quod morior, & resurgo: non quod hæc sola causa sit, propter quam Pater diligit filium, & in eo sibi complaceat, cum multæ aliæ, & antiquiores sint; sed quod Patri placet in Christo: diligere enim appellat complacere in ipso. Hic est sensus, & connexio huius sententiæ.

ANNOTATIO XIII.

Superioris
sententiæ
quatuor in-
terpretatio-
nes rejiciuntur.

ELABORANT expositores in hac interpretanda, & connectenda sententia. In primis Chrylосто. homil. 59. verba hæc ex humilitate esse dicta à Christo homine cæset, vt sit sensus; Pater dilexit me propter oues, vt nempe meam vitam exponerem pro eis; non quod alijs rationibus non sit à Patre Christus dilectus, hoc autem dicit Dominus, ac si alijs verbis diceret; Vos me seductorem, & legis transgressorem iudicatis, at ego etiam si nihil inueniam in vobis, propter quod vos diligam, hoc tamen titulo diligo, quia Pater dilexit vos, ita, vt me animam pro vobis vellet ponere. Secundo loco Euthymi. sic exponit, Dilexit me Pater propterea, quia animam meam pono, id est, hæc causa est propter quam etiam me Pater diligit, licet complures aliæ non desint. Tertio, aliqui nostris temporibus aliter exponunt, propterea me dilexit Pater, quia animam pono, id est, ex voluntate & dilectione Patris est, quod animam meam pono pro ouibus. Sed hæc expositiones videntur violentæ. nam non dictum est, propterea dilexit me Pater, quia pono animam pro ouibus: sed quia pono animam, vt iterum sumam eam. Quod enim aliqui interpretandum censent, particulam *vt*, tanquam notam consecutioni, & separatam sententiam facere, vt sit sensus, Dilexit me Pater, quia pono animam, & rursus adiungatur, vt sumam eam, id est, consequitur, vt sumam eam; est manifesta euersio verborum & sententiæ: nihil enim de ouibus meminit hic. Et rursus totum hoc, scilicet, *Pono animam, vt sumam, est*, propter quod dicitur, *Pater dilexit me*. Alij recentiorum quarto loco hanc veritatem sentientes sic interpretantur, ac si dictum esset Ego pono animam meam, & propterea dilexit me Pater, quantum ad effectum hunc, vt resur-

agam, quasi gloria resurrectionis sit ex merito passionis. Hoc tamen est etiam ordinem verborum ad libitum disponere, & scripturas ad proprios interpretantium sensus trahere. Adde hanc phrasim, diligit me pater, vt sumam iterum animam, in eo sensu, quem hi interpretantur, non reperiri in scriptura. adeo vt quamuis ordo non inuenteretur, expositio non esset probanda, nullam præterea connexionem accommodatam expositiones hæc adferre videntur. propterea mihi expositio, & connexio in commentario posita, legitima videtur. nempe idcirco Pater sibi in me complaceat; seu hoc in me Patri placet, quod ita animam meam pono, vt rursus eam sumam: & magno consilio non absolutè dixit. Pono animam meam; sed ad Patris dilectionem; & quod illi ita complacitum fuerit retulit; vt mortem suam non ex odio Patris, aut culpa propria, sed secundum eius voluntatem esse significaret, Quamuis autem Pater in Christo homine propter vnionem sibi summè complacuerit, Matth. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: non obstat tamen quo minus sint multæ aliæ causæ complacendi, vt hoc complacere ordinem ad multas habeat causas, quemadmodum & meritum Christi se habuit; meruit quidem Christus redemptionem hominum, vel sola vnione, quia homo ille Deus erat, vel vno actu bono, vel vna gutta sanguinis; tamen multis titulis vnum, & idem meruit, singulis per se efficacissimis; ita etiam quod complacuerit Patri in Christo homine, se habuit. Complacuit enim Patri in Christo, etiam in hoc, quod modum subiit, & ita animam posuit, vt rursus eam assumeret. Et ex his intelligentia sententiæ superioris facilis est.

Autoris
& explicatio.

Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.

COMMENTARIUS.

Explicat sententiam præcedentem, & quia duo in ea continebantur, horum vnum modo exponit, alterum verbis sequentibus. Primum erat, Pono animam meam, ut iterum sumam: docet se non mori, vt ceteros homines, qui necessitate naturæ moriuntur, nec in potestate eorum est animam in corpore detinere, sed expellitur etiam ipsis nolentibus. Rursus animam expulsam à corpore non possunt reuocare, nec in corpus reducere; at Christus non sic, nemo animam illius à corpore separare valebat; nisi ipse separaret, & post separationem ipse potestatem habuit iterum coniungendi eam corpori. Nā diuina persona vnitam sibi habebat animam, & corpus; quando autem voluit, inuicem separauit, & quando placuit, inuicem ea coniunxit; à se tamen nunquam remouit, ad modum hominis habentis ensē in vagina, qui quādo vult exerit ensē; tamen quia vna manu vaginam, ita quodāmodo Christus fecit; habuit semper Dei filius humanitatem sibi vnitam, tamen per mortem animam à corpore veluti ensē à vagina separauit, vtraque tamen parte vnita suæ diuinæ personæ manente, per resurrectionem iterum animam corpori copulauit: quod non faceret, nisi Deus esset, qui semper manebat, & perseverabat idem animam, & corpus inter se separata, sibi habens vnita; sicut manet homo idem, ensē districtum, & vaginam habens. Merus autem homo se suscitare non posset, quia per mortem iam desinit esse hominis persona, quæ ante erat, propterea ab alio suscitandus est; at Christus seipsum suscitauit. Fuit igitur Christi mors hoc modo voluntaria, non solum quia voluntate acceptauit mori, hac enim ratione mors martyrum etiam voluntaria erat, mori enim pro Christo elegerunt, tamen mortis vulnere inflicto non erat liberum Martyri animā in corpore detinere, quod tamen poterat Christus, propterea dicit, Nemo tollit à me, ego à me ipso pono. nec à crimine mortis Christi propter hoc interfectores liberantur: nam causam efficacem mortis, quantum in se est, ipsi dederunt, vt ipsi ille homo Deus esset, mori esset ei necessarium. Hanc voluntariam mortem significauit Isai. cap. 53 Oblatus, inquit, est, quia ipse voluit. Hæc est explicatio illius verbi, Pono animam, ut iterum sumam, quæ non tam explicatio est, quàm etiam probatio quædam simul, vt ostendat etiam si moriatur, & animam ponat, posse tamen rursus eam sumere. Hoc loco vtitur Ambr. lib. de bono mortis cap. 10. ad probandam animæ immortalitatem, vbi multa de hoc docet.

Hoc mandatum accepi à patre meo.

Alterum verbum superioris sententiæ exponit, nempe, cur dictum sit, Propterea dilexit me Pater; causa est. Quia hoc mandauit mihi Pater, vt ponerem quidem animam, sed tamen iterum eam sumerem, & idcirco hoc illi in me placet, quia secundu[m] eius voluntatem, & mandatum est: Christus enim, vt homo, tanquam inferior, & obediens Patri, eius præcepta seruauit.

ANNOTATIO XIV.

MULTIS in locis euangelij Ioannis hæc An Christus præceptum, & mandatum Patris habuerit de ijs, quæ ad hominum salutem facturum erat, & maxime de morte subeunda. Eam hoc in loco indicauimus discutendam, qui primus est, ad quem cetera occurrentia loca postea referemus. Chryso. hom. 59. negat omnino Christum aut

Explicat Christi mortem & resurrectionem.

Christi mors aliter quam martyrum mors dicitur voluntaria.

An Christum præceptum moriendi habuerit à Patre.

aut præceptum non esse aliud, quàm voluntatem Patris, respectu voluntatis humanæ Christi: Christum autem implere mandatū Patris idem esse, ac concordantiam voluntatis suæ humanæ cum voluntate Patris, vt idem velit cū Patre; sed propter audientium infirmitatem, humilibus dicit vsu[m] esse verbis. Non solus est Chryso. in hac sententia, sed, quod valde miror, etiam Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 8. vbi negat Christum habuisse præceptum, & verba Ioannis exponit esse intelligenda sic; Voluntas actum, quem Pater ab æterno communicat cum essentia Filio, dictum esse mandatum aut præceptum, nam, quæ vult Pater, filio communicauit. Conuenit igitur cum Chryso. in hoc, quod negat Christum habuisse præceptum; tamen in explicatione differt. Chryso. ostendit enim concordiam voluntatis Christi humanæ cum voluntate Patris, vocat implere mandatū Patris; at Basil. etiam ad diuinitatem refert, vt traditio voluntatis paternæ, ab æterno filio exhibita, sic hoc mandatum. cum Chryso. sentit Euthy. aliter Cyrill. sentit lib. 10. in Ioan. ca. 20. vbi affirmat Christum vt homo erat, habuisse præceptum Patris, & implese eius mandatū. similiter & Aug. tra. 82. in Ioan. idem dicit Ambr. li. 5. de fide cap. 6. Clemens autem Alex. lib. 4. Stromat. in altero extremo est, negat enim mortem Christi ex Patris voluntate fuisse, sed ex permissione, quod multum distat à Præcepto, & mandato. Hæc tria antiqui Patres in hac difficultate scripta reliquerunt; at quia secunda sententia Cyrilli, & Augustini certa est, & vera, eam explicare, & confirmare conabor.

Sit igitur prima responsio; Christus vt homo, habuit Patris, seu diuinitatis præceptum, & mandatū ea omnia faciendi, quæ ad salutem hominum operabatur, nempe prædicandi, miracula faciendi, sicuti prædicauit, & fecit, nihilque horum faciebat, aut dicebat, nisi ex præscripto, & mandato Patris. Hanc primam responsionem multis, & efficacibus rationibus comprobo. Primum quidem argumentum sumitur ex scripturarum testimonio: Deuter. 18. vbi de Christo venturo secundum omnes catholicos Doctores Deus sic loquitur; Ponom verba mea in ore eius, & loquetur. quæ præceperō ei. Ioan. 12. Qui misit me Pater, ipse mandatū mihi dedit, quid dicam, & quid loquar. Ioan. 14. Sicut mandatū dedit mihi Pater, sic facio. Ioan. 15. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei seruauit, & maneo in eius dilectione. Perpende parem facere rationem præcepti Patris respectu sui, ac præceptorum suorum respectu discipulorum: quia vtraque erant præcepta. Sunt huiusmodi alia etiam testimonia, cum igitur verba sunt scripture expressa, nec aliquod absurdum sequatur, si seruemus propriam eorum significationem, non video, quæ ratione ad improprias significationes recurrere possit. Nec valet responsio Chryso. dicentis, verba esse humilitatis propter infirmitatem audientium. Nam propter humilitatem non est veritas relinquenda, quæ maxime ex verborum significatione sumitur.

Probatur ex scripturis.

nificatione sumitur. Si enim sunt verba humilitatis, ergo admittit Chryso. verba significare verum, & proprium præceptum, infirmitati autem audientium potius contrarium id erat. nam cum audissent, eum esse filium Dei, & verum Deum potius scandalizati essent in verbo præcepti & mandati. Non igitur ea de causa ita locutus est Dominus, sed quia veritas erat. Accedat his, locus Pauli rem hanc conuincens ad Philipp. 2. Factus obediens vsque ad mortem. Christus obediens fuit, & ex obedientia est mortuus, ergo habuit mandatū; non enim esse potest obedientia, neque vllus potest vlla ratione obedire, nisi ad sit mandatū, & præceptum, & qui tollit mandatū, seu præceptum Christo, tollit eius obedientiam, quod in solutione argumentorum manifestius fiet. Secundum argumentum sumitur ex multis, propter quæ conuenientissimum fuit hoc præceptum dari Christo, quorum aliqua sumuntur ex parte Dei, aliqua ex parte Christi, aliqua ex parte Iudæorum, aliqua ex parte nostra; ex parte quidem Dei valde conueniens fuit; tum, quia sic voluntas saluandi hominem magis significatur nobis, vt non satis illi fuerit Filio, quem sciebat etiam, vt hominem esse suæ voluntati summè conformem, significare quod faciendum erat; sed adhuc præcipere disposuerit; tum vt in hoc significaretur, quantum homo subditus sit, & Deo subijci teneatur, cum humanitas verbo vnita, ita sit Deo subiecta, vt præceptum acceperit, & mandatū. Ex parte autem Christi fuit etiam conuenientissimum; tum, quia sicut Adam ex inobedientia Dei præceptum transgrediendo, totam destruxit naturam humanam, ita Christus obedientia sua Patris præceptum seruando, totam reparauit; & in eo maxime obedientia Christi erga Patrem ostenditur, quod præceptum arduum mortis seruauit: & Adam inobedientia vituperatur, qui leue præceptum, & facile non custodiuit, quam collationem Paulus ad Roman. 5 tradidit, nempe obedientia vnus ad inobedientiam alterius: tum etiam; quia Christum ea ratione humilitatem maxime exercebat, si formam serui accipiens mandatū, & præceptum quoque acceptaret vt homo. Ex parte autem Iudæorum fuit etiam conueniens: hæc enim ratione os eorum obturabatur, qui Christum præuaricatorem diuinæ legis appellabant: At Christus in eo, in quo maxime transgressionis accusabatur, Dei mandatū, & præceptum seruabat, eaque ratione se etiam Dominus aliquando defendebat, quod voluntatem Patris faceret. Ex parte etiam nostra id fuit conueniens: vt in eo cognoscamus quanti sit faciendum Dei præceptum, & quanto honore amplectendum. Spreuit præceptum Dei homo primus, honorificauit homo secundus exemplum nobis dans, vt nos etiam honoremus debitam exhibentes obseruantiam, suoque exemplo docuit, qualiter nos præcepta, quæ daturus erat, obseruare deberemus, sicut etiam ipse Patris seruauit mandata. Ex his omnibus veritas primæ responsionis comprobatur.

Probatur ratione sumpta ex parte Dei, Christi, & hominum.

Alter Chri-
sto quam re-
liqua homi-
nibus præce-
ptum impos-
tum fuit.

Alter responsio est, Christo non esse im-
positum præceptum à Patre: sicut nobis. Explico;
hominibus præcepta dantur, malis quidem
propter coercionem, iustis, & bonis pro-
pter directionem & instructionem: Christus
nec coercionem, nec directionem indigebat, et-
iam ut homo: cuius intellectus plenus erat
omni scientia, & cuius voluntas erat confor-
missima diuinæ voluntati, nec declinare à re-
ctitudine, nec ab eo, quod Deus volebat, po-
terat. Præterea hominibus dantur præcepta
propter exercitium, & perfectionem virtutis,
& meriti personæ facientis. Maius enim est
meritum cæteris paribus in actione quæ ex
obedientia, & mandato fit; at Christus non ea
ratione mandatum habuit, cuius perfectio, &
sanctitas non habebat argumentum; quia ab
instanti incarnationis fuit summè Deo gratus
nec quicquam sibi de nouo meruit, aut gra-
tiæ acquisiuit. Non igitur præceptum habuit
his de causis, sed propter alia, quæ in secundo
argumento propriam responsionem attulimus;
quibus & hoc addimus. Opera Christi, si con-
ferantur ad personam operantem, esse æqua-
lis meriti, & quidem infiniti, quia, qui ea o-
perabatur, Deus erat, & homo, infinite gratus
Patri propter vnionem; at si inter se compa-
rentur, vnum esse maioris meriti, quam alte-
rum comperiemus: plus enim fuit fundere
sanguinem suum, quam ieiunare. hac igitur
ratione opera Christi perfectiora erant, quæ
obedientia, & maioris humilitatis erant: &
idcirco ex præcepto operabatur, non propter
se, qui sibi nihil meruit, quantum ad animæ
perfectionem, sed nobis, pro quibus meruit
redemptionem: non vno modo tantum, aut
vno merito, sed multis modis, & multis me-
ritis, at ubi abundauit delictum, supra modum
abundaret gratia Saluatoris & eius meritum,
& iustitia.

Christus ha-
buit præce-
ptum mori-
endi.

Tertia responsio est; Christus, ut homo et-
iam præceptum habuit vitam exponendi pro
nostra salute: ad hoc enim præcipue missus
est, ut sanguine suo hominem liberaret; & hoc
verba Ioannis aperte probant. Hoc, inquit,
mandatum accepi à Patre meo, nempe ponen-
di animam pro ouibus, & iterum sumendi.
& illuc Luc. 24. Oportuit Christum pati, &
sic intrare in gloriam suam, & quæ in hoc Eu-
angelio inferius exponemus, hoc idem con-
firmant; nec audiendus est in hac parte Cle-
mens citatus in principio, aut certè declaran-
dus est. Nam mors Christi dupliciter compa-
ratur, aut ad interfectores eius eam inferen-
tes; & hac ratione non est in præcepto, immò
contra præceptum, quia Deus præcipit; Non
occides: & sic permessa est à Deo; aut confer-
tur ad Christum acceptantem, & sic fuit in
præcepto, nec hæc doctrina est noua, nec vlla
ratione negari potest. Nam Martyres ex præce-
pto tenebantur mortem subire pro fide; at in-
terfectores contra præceptum Dei agebant oc-
cidendo; cum Deus præcipiat: Non occides;
at si occidere aliqui tentent contra iustitiam,
ut ab ea nos auertant, tunc Deus præcipit,
ut potius mortem subeamus quam à iusto, &

A quod est à Deo præceptum recedamus.

Quarta responsio est; hoc præceptum, &
diuinum mandatum tunc perfectè innouit
Christo homini, quando humanitas illa vnita
fuit verbo; sicut enim omnium scientiam in-
fudit, ita tunc hanc ordinationem manifesta-
uit, tum per scientiam infusam, tum etiam per
visionem in verbo; immò tunc Christus homo
acceperat Patris mandatum, & conformissi-
mam in omnibus, quæ facienda disponeban-
tur, exhibuit voluntatem: & quod maximi me-
riti pro nobis fuit, & summi erga Patrem, &
erga nos amoris.

Supereft, ut nonnulla argumenta contra
hanc doctrinam facta soluamus; ex quorum
solutione res hæc lucidior fiet. Primum argu-
mentum est Chryl. ho. 59. argumentatur enim
ex verbis præsentibus. A me ipso pono ani-
mam meam; ergo non ex mandato Patris. Hoc
argumentum non videtur efficax, moriendi
enim mandatum est acceptandi mortem illa-
tam à persecutoribus, quod Christus ut homo
fecit; ponere autem à se animam, est habe-
re potestatem separandi eam à corpore, ut igitur
homo acceperat, & obediuit Patris man-
dato, quod exequeretur per potestatem diui-
nam, nec hæc pugnant inter se: sicut rogatus,
ut homo, voluit ad preces aliquorum per di-
uinam potentiam miracula facere, sic iussus à
Patre, ut homo, voluit data mortis causa à per-
secutoribus animam à corpore separare, nec
impedire inimicorum gladium. Alterum ar-
gumentum facit idem Chrysof. eodem loco;

Christus est pastor bonus; ergo ex se opera-
tur, nec indiget hortatore. Hoc argumentum
firmum non est: non enim præceptum habuit
Christus, quia hortatore indigerit, quia nec
instructione; nec directione, nec incitamento
opus ei erat, sed accepit mandatum propter
ea, quæ diximus in secunda responsione. Ter-
tium argumentum est eiusdem homil. 68. qui
mandatum, inquit, accipit, non est sui domi-
nus: at Christus viuificabat, quos volebat: er-
go non ex mandato operabatur. Hoc argu-
mentum habet aliquid veritati minus conso-
num. Si enim intelligat Chrysofomus Chri-
stum viuificasse quos volebat, etiam si non esset
secundum voluntatem Patris, hoc est falsum:
sæpe enim Christus dicit, Non veni, ut faciam
voluntatem meam, sed eius qui misit me: si hæc
verba vera sunt, vti sunt, inferat modò Chry-
sofomus, ergo non erat sui Dominus. simile
est illud Matth. 20. Sedere ad dexteram vel si-
nistram non est meum dare vobis, sed quibus
paratum est à Patre meo. Dicendum igitur;

Christum ut hominem habuisse voluntatem
conformem diuinæ voluntatis præcepto, nec
propter ea desinit esse sui Dominus, id est, li-
beri arbitrij, quia spontè, & non coactè se Deo
conformabat: vti etiam beati, qui domini suæ
voluntatis dicuntur, nec tamen diuinæ volun-
tati, ac præcepto contrauenire possint. Quar-
tum argumentum est eiusdem homil. 75. quia
Christus legislator erat: ergo non tenebatur
lege. Hoc etiam non est firmum: nam Christus
aliqua præcepta condidit, quæ nobis dedit:
at ipse,

at ipse, ut homo; alia à Patre, quo ut homo
minor erat, habuit præcepta: sicut & modò
princeps non tenetur legibus suis, at tenetur
legibus superioris se; oportet ergo inter præ-
cepta distinguere, habuit ipse præcepta Pa-
tris, prædicandi, operandi, moriendi particu-
laria: ipse autem alia nobis dedit, quod Ioann.
15. docuit, Si præcepta mea seruaueritis, sicut
ego seruauit præcepta Patris mei. Quintum ar-
gumentum adiungere possumus, quia Chri-
stus, peccare non potuit; ergo præceptum non
habuit. Sed hoc debile est: præcepta enim pro
his fiunt etiam, qui non possunt peccare: Nam
Deus præcipit multa Angelis suis sanctis, quæ
ex mandato faciunt, nec peccare possunt: ne-
que verò est de ratione præcepti peccatum,
vel non peccatum, sed quod ex superioris

Præcepti re-
peritur etiam
in ijs, qui pec-
care non pos-
sunt.

A potestate procedat, & ex inferioris obedi-
entia acceptetur. Concludo hanc disputationem
hoc argumento; vel potuit habere præceptum
Christus, vel non: si quis neget habere potuis-
se, facillè falsitatis conuincetur: cum enim Chri-
stus, ut homo, sit minor Patre, subditus Patri,
obediens Patri, negari nulla ratione potest,
Patrem potuisse præcipere: Si igitur id fieri
potuit, non video quibus verbis expressiori-
bus scriptura id esse factum significare potue-
rit, quam ijs, quæ sæpissimè habentur, & in
principio adduximus. Rationes autem istæ
allatæ in contrarium probant potius fieri non
potuisse, idcirco etiam ex hac parte efficaces
non sunt. Hæc diffusè aliquantum discussa
sunt, ut multis locis exponendis, hac vna an-
notatione satisfacere mus.

*Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos
dicebant autem multi ex ipsis; dæmonium habet, &
insanit; quid eum auditis?*

COMMENTARIUS.

Iterum dissensio facta est inter Iudæos, qualis illa, cuius capite nono facta
est mentio; & scisma, inquit, erat inter eos. Hæc dissensio ex verbis, mira-
que doctrina Christi, illa verò ex mirabili facto, quo cæcum natum illumi-
nauit, orta est. quidam autem in tantum incredulitatis, & blasphemie pro-
lapse sunt, ut, quod ad lumen erat institutum, eorum vitio magis eos excœca-
ret; & quod ad diuinam virtutem recognoscendam efficax erat, in eam ob-
scurandam conuerterint. Dæmonio enim Verbum diuinum tribuunt, asse-
rentes eum dæmonium habere, quod eum insanire faceret, & dicere quæ di-
cebat. Hic est enim sensus; *Dæmonium habet, & insanit*, id est, dæmo-
nium habes, quo arreptus insanit, & sermones non ex propria mente, sed ex
Diaboli agitatione effundit; qua blasphemia cæteros ab audiendo arcebat.
Quid inquit, auditis eum, qui verba dæmonis, ipsum insanire facientis, lo-
quitur? quæ stultus non capit, per insaniam dicta putat. Erat autem multo-
rum hæc impia vox, ut notat Euangelista.

*Alij dicebant; hæc verba non sunt dæmonium habentis: nun-
quid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?*

Altera Iudæorum pars Christi causam defendebat argumento optimo
ducta. Cuius opera dæmonio non possunt adscribi, profectò nec verba;
at hic cæcum natum illuminauit, quod dæmonium non potest facere; ergo
verba eius non sunt verba dæmonium habentis, nec loquitur virtute dæmo-
nis, qui virtute dæmonis non operatur. Christus Dominus iniurias illorum
contemnens & vtilitatem, fidemque horum desperans, discessit, eos in sua
contentione relinquens.

Facta sunt autem Encænæ in Hierosolymis, & hyems erat.

NON continuò hæc, quæ modò narrantur, facta sunt, sed aliquot inter-
cesserunt dies. Quæ enim in capite nono, & huius decimi superiori
parte gesta describuntur, acta sunt paulo post festum Tabernaculorum,
seu Scænopegie, ut ex capite septimo, & octauo constat; at hoc in fine mensis
Nouembris, quando festum Encæniorum, id est renouationis celebraba-
tur: hoc enim Gæcum vocabulum est, idem significans, quod apud lati-
nos re-

nos renouatio, seu innouatio. Die enim vigesima quinta Nouembris, qui apud Iudæos erat mensis nonus, peragebatur illud festum, quando tempore Machabæorum altare à Gentibus prophanatum destructum est, & nouum edificatum: constitutumque est, vt singulis annis festum hoc venturis temporibus celebraretur, quæ quidem ex 1. Machabæorum cap. quarto nota sunt: & ex Iosepho lib. 12. Antiq. cap. 11. ea ratione Euangelista addidit, *Et hyems erat*: iam enim initium hyemis instabat: nam post quatuor, vel quinque dies erat initium Decembris, vbi hyems incipit. Sunt autem hi menses apud Iudæos lunares, cætera ex annotatione require:

A N N O T A T I O X V.

*Encæniõ
festi triplex*

TRIPLEX fuit apud Iudæos Encæniõrum festum. Primum quando à Salomone fuit primò templum ædificatum secundum, quando destructum à Babylonijs post captiuitatem fuit reædificatum. Tertium, quando altare solum, quod prophanatum erat à Gentibus sublatum fuit, & nouum erectum tempore Machabæorum. Primum celebratur septimo mense, qui est September, vt constat ex 3. Reg. 8. Secundum tertia die mensis Februarij, qui erat apud Hebræos duodecimus, & vocabatur Adar, vt apertè constat ex 1. Esdr. 6. & inde deprehenditur mendosus locus apud Iosephum lib. 11. Antiqui. cap. 4. vbi dicit fuisse vigesima tertia mensis vndecimi, qui dicitur Adar: duplex autem est mendum, vicio præli adscribendū: vnum, quia mensis vndecimus dicit ab Hebræis appellatū Adar; cum certa & indubitata res sit ex scriptura Hester 3. & 8. Adar esse vltimum, & duodecimum, qui apud nos est Februarius; alterum, quia dicit die vigesima tertia fuisse festum celebratū; cum tamen scriptura 1. Esdr. 6. tradat die tertia id fuisse gestum. Tertium autem fuit vigesima quinta Nouembris, qui est mensis nonus, vt constat ex 1. Machab. 4. cum igitur hæc tria sint Encæniõrum festa, dubium est, quod istorum fuerit præfens festum. Nonnus Græcus auctor primum esse affirmat; Chrysoströmus autem homil. 60. Theophylact. & Euthymius secundum fuisse sentiunt; Alcuinus autem in homilia huius lectionis, & Beda, tertium, quos in commentario sumus secuti. In primis illud primum non fuisse, certa res est; nam id celebratum est septimo mense paulo post festum Tabernaculorum; at hoc præfens tempore hyberno, vt Euangelista docet: non igitur illud esse potest, quod erat in primo mense autumnii. de secundo, & tertio est difficultas; nam vtrumque ad hyemem pertinere videtur: secundum enim erat ad finem fere hyemis, tertia Februarij, tertium autem ad initium, scilicet sub finem Nouembris, & loquor iuxta computationem mensium Iudæorum: nam vigesima quinta mensis lunaris, non est vigesima quinta mensis solaris, tamen Decembris lunaris non plus distabat à vigesima quinta Nouembris lunaris, quam distat Decembris solaris, à vigesima quinta Nouembris etiam solaris: Diuidebant enim etiam ipsi in quatuor tempora annum Lunarem, & tres menses singulis temporibus da-

*Quod istori
fuerit, cuius
Ioannes hoc
loco memi-
nit.*

Abant. Ex his patet non esse efficax argumentum, quo Recentiorum aliqui probant, non posse hoc festum, de quo hic agitur esse secundum; quia hoc affirmant fuisse tempore veris: tamen non ita se res habet. Nam ex scriptura liquet, fuisse tertia Februarij, qui mensis ad hyemem pertinet; quamuis sit prope ver. Nec est etiam firmum, quod alij asserunt, nempe ea de causa non posse esse tertium, quia id celebratum est in Nouembri, qui ad autumnum pertinet: cum iam fuerit finis mensis, & terminus vnus potest ad principium alterius referri; & ita solemus communiter loqui, immò potius hyemem dicimus adesse, quando incipit, quam quando desinit. Adde festum per octo dies celebratum esse; potuitque ad hyemem pertinere, quæ incipit mense Decembri.

Mihi probabilior est visa Alcuini, & Bedæ sententia, vt hoc festum sit tertium: & id mihi duo maximè persuadent: Vnum est, quia quæ gesta narrantur ab hoc tempore vsque ad Passionem Domini non possunt accommodari tempori quod intercedit, à secundo festo vsque ad Pascha, quod erat decima quarta Martij, pauci dies intercedunt, cum tamè ab hoc festo vsque ad Pascha, quando passus est Dominus, vt ex historia Ioannis, & aliorum euangelistarum patet, multa facta sunt, quæ tanta dierum paucitate facta fuisse, non est probabile: post hoc enim festum Dominus recessit in Galileam ad locum, vbi Ioannes baptizabat, & ibi dicitur mansisse: nec mansisse dicitur, nisi aliquot commoratus esset ibi diebus, vbi multa gesta sunt, quæ cæteri narrant Euangelistæ; postea venit Bethaniam, & Lazarum quatrduanum suscitauit; postea abiit in locum dictum Esren, & ibi morabatur cum discipulis; morari non diceretur, nisi per multos ibi dies esset: rursus ante sex dies Paschæ iterum venit Bethaniam; hæc omnia profecto plures indicant dies, quam sint, qui intercedunt inter secundum innouationis festum, & Pascha. Alterum mihi persuadet, quia non inuenitur in scriptura singulis annis agi festa Encæniõrum, præter tertium, quod perpetuò celebrandum institutum est. vt patet 1. Machab. 4. quod si celebrata sunt, est valde verisimile tempore Christi non celebrari vllum præter tertium. quod si illa aliquando peracta sunt per singulos annos, quod ex scriptura non habet.

habetur; illud festum primum vsque ad captiuitatem celebratum esse videtur post captiuitatem loco illius succedit festum reædificationis. Cum enim iam primum templum fuisset destructum, non videtur, cur festum celebraretur aliud præter restorationis, cui successisse tertium probabile est, quod tempore Christi obseruari ex Iosepho lib. 11. Antiq. ca. 4. etiam constat. Hæc sunt, quæ mihi visa sunt probabiliora.

Est autem circa illud verbum *Hyems erat*,

Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.

C O M M E N T A R I V S.

Quamuis à Babylonijs illud templum fuerit funditus euersum, tamen reædificatum, & restauratum est postea, & in memoriam veterem idem Salomonis nomen porticus hæc retinuit. Hanc porticum eam esse aliqui existimant, cuius fit mentio 3. Reg. 6. viginti cubitorum longitudinem, & decem latitudinem habentis; sed cum hæc porticus, quæ alio nomine dicitur vestibulum, interior fuerit in atrio Sacerdotum, non videtur verisimile Salomonem in eam intrasse, & ibi orasse, aut populi voces audisse, vti isti Doctores dicunt. Verisimilius est fuisse eam porticum, cuius meminit Iose. li. 6. de bello Iudaico sexto capite. collis enim partem orientalem vbi ædificatum erat templum muro Salomon circumcinxit, & planitiem aggere muniuit, & in planitie porticum extruxit. hæc erat prope atrium virorum, quod proximi fuit atrio Sacerdotum. In hac igitur porticu ambulabat Christus intra templum.

Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei.

In ambulante circumdant, vt stare faciant, & commodius alloquantur eum. hoc enim illa particula *Ergo*, indicat, quasi diceret; quia ambulabat, circumdederunt eum, vt nulla ex parte Christus diuerteret, sed sistens auditum sermonibus eorum præberet: nos quid dicant audiamus.

Quousque animam nostram tollis?

Ingunt desiderium vehemens agnoscendi eum, cum tamen dolose accedant, *Quousque*, inquit, *animam nostram tollis?* id est: quam diu nos suspensos, & incertos trahis? nimium te nobis manifestare differs, idcirco anxios & suspensos tenes, & discutias. In his verbis duo mendacia proferunt. Vnum est eos esse anxios, & suspensos præ desiderio cognoscendi, an sit Christus; in quo mentiebantur, si enim anxij & suspensi fuissent non dixissent toties, *dæmonium habet; à Deo non est; à Galilæa non surgit; hæc non sunt animi dubij, & suspensi, & anxij; sed increduli & obstinati.* Alterum est Christum esse causam huius dubitationis, & anxietatis eorum, quia nondum, quis sit aperuit. *Quousque*, inquit, *tollis?* tu tollis: tu es in causa; & hoc etiam mendacium erat; nam Christus iam sufficientissimè aperuerat, quis ipse esset, vt statim eis responderet. Non mirum est, si animus dolosus, & fraudulentus in mendacia prorumpat.

Si tu es Christus, dic nobis palam.

NON vnum, sed tria mendacia fraudulenta hæc verba continent: vnum est, *Dic*, inquit, *nobis palam*, quasi dicerent: hactenus non es palam; & liberè, apertèque locutus, te esse Christum; hoc verò mendacium superiora capita manifestant, quibus satis apertè indicauit. Alterum est, *Dic palam*, quasi dicerent, si dixeris palam, credemus tibi, nec amplius suspensio animo erimus: hoc etiam esse mendacium, vel quod paulo post secutum est, probat.

Verba hæc
Iudeorum,
mendacij &
fraudis ple-
na.

Quare inter-
rogatus Chri-
stum operibus
respondere
respondere.

Iudei con-
vincuntur
mendacij.

Tertium est, si hætenus non credidimus, id fuit in causa; quod tu non est locutus palam: iam enim credidissimus tibi si locutus fuisses. Hæc tria mendacia verbis istis significari, facile est vnicuique intelligere: Præter mendacia autem fraus est, ut Chrysostomus hom. 60. & August. tract. 48. annotarunt, hanc autem fraudem rectè explicuit Alcuinus: Existimabant enim Iudei Christum futurum regem temporalem, in solio David sessurum visibiliter in hoc seculo, ut superius diximus: quærebant igitur, ut se Christum confiteretur, ut calumniandi statim causam arriperent, quod se Regem faceret, & ad Cæsarem deferrent: qui enim se Regem facit, cõtradicit Cæsari, at Dominus fraudes eorum intelligens, & declinans; ita se apertè Christum fatebatur eis, ut ex verbo non haberent, quod deferrent; idcirco frequentius se esse Dei filium, & à Patre missum; & in scripturis promissum dicebat: quæ aperta erat confessio, quod esset Christus, idque Iudei intelligebant; at nomen dissimulabat, quia illi non ut intelligerent, sed ut accusarent, quærebant. hæc ergo fraude modò dicunt, *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Attende autem non ea de causa sola, quia fraudulenter interrogabant, Christum noluisse id expressè respondere, sed ne tanquam legis transgressorem eum punitum esse Iudei postea iactarent: idcirco operibus, quæ accusari non poterant, potius quam verbis respondebat, & loquebatur. Hanc causam reddit Chrysostomus homil. 7. in Ioann. cur Dominus non loquebatur de se magna, & sublimia frequenter.

Respondit eis Iesus, loquor vobis, & non creditis.

Mirabili artificio, vno verbo se esse Christum confitetur, & fraudem illorum declinat, & simul mendacia ipsorum reuincit. *Loquor*, inquit, *vobis*, ac si diceret, ego nihil aliud facio, quàm loqui & manifestare quod petitis. In Græco est de præterito, dixi iam vobis. ecce fatetur se esse Christum, & tamen verbo non exprimit: dixi, & tamen non creditis. Et perpende quomodo conuincit eos mendacij, dixi, & vos non creditis: non igitur verum est, nõ quod insinuatis, me non esse locutum palam: nec est verum, si locutus fuisssem, vos credidissetis; nam dixi, & tamen credidissetis; nec modo creditis; nec est verum à me vos teneri suspensos, & anxios; nam iam ante hunc sermonem locutus sum apertè, & palam: Vnico igitur verbo, & veritatem aperit, & omnia eorum repellit mendacia, simulque eorum laqueum declinat.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.

Adhuc eos magis conuincit; ipsi enim petebant, ut diceret. & verbo solo manifestaret, ut crederent, hætenusque esse locutum negabant; adiungit ergo Dominus; non solum verbo manifestauit, quis essem, sed operibus: nam *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei*, id est, virtute diuinitatis, ostendèdo me esse Dei filium, illa perhibent testimonium me esse verum Christum filium Dei; quomodo igitur dicitis, me non esse locutum palam? quomodo petitis verbum, ut credatis? quandoquidem & sermonibus, & miris operibus manifestauit me vobis, & tamen adhuc non creditis. Christus dicit se in nomine Patris opera fecisse, quia faciebat opera virtute diuinitatis, in confirmationem huius veritatis se esse Dei filium à Patre missum: hoc enim significat in nomine Patris opera facere.

Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, oues meæ vocem meam audiunt.

Cum causam suæ incredulitatis imprudenter Iudei in Christum reijcerent, postquam eos mendacij conuincit, causam veram eorū incredulitatis aperit. Et

rit. Et est sensus; non est, cur vos in me causam incredulitatis reijciatis, quasi non fuerim locutus: nam verbo & opere abundè me manifestauit: non sum ego causa, sed vos ipsi, & nequitia vestra, quia non estis de numero ouium mearum; nam *Oues meæ vocem meam audiunt*, mihi fidem habent, & voci obediunt; si tales non essetis, utique crederetis: at non creditis, *Quia ex ouibus meis non estis*; hæc est causa incredulitatis vestræ, non ego, nec taciturnitas mea, quàm falsò mihi imponitis. Attende duo, vnum est, in scriptura aliquando audire vocem, significare auditum exteriorem, & interiorem apprehensionem, qua, quid dicatur, percipitur; & hoc bonis, & malis commune est. Psal. 94. Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra; alterum est ultra prædicta, etiam assensum, & obedientiam voci præstare. Isai. 64. Omnes cæde corruetis, quia locutus sum, & non audistis: hoc posteriori modo in hoc loco accipitur. Alterum annotandum est, dum dicit, *Vocem meam audiunt*, significare ipsum prius loqui, prius conuertere se ad oues; Si enim non se conuertisset pastor ad oues, nunquam oues secutæ essent pastorem, nec eum adesse, nouissent; gratia est, quæ præuenit homines.

ANNOTATIO XVI.

Christi nomine ouium Iudæos quos intelligat.

AVG. tractat. 48. has oues, de quarum numero istos incredulos Christus esse negat, interpretatur electos, & eos, qui æternam salutem consecuturi sunt, quos prædestinatos appellamus de quibus dicitur Act. 13. Crediderunt, quotquot prædestinati erant ad vitam æternam. & 2. Timo. 2. Omnia sustineo propter electos, erit igitur superiorum verborum sensus; non creditis, quia non estis de numero eorum, qui æternam sunt salutem consecuturi, qui electi, & oues meæ sunt. Aduersum hanc expositionem aliquæ difficultates occurrunt. Vna est, quia tunc ratio, quam Christus adfert, adæquata non videtur; Vos, inquit, non creditis, quia non estis de meis electis; nam etiam si electi non essent, credere poterunt; multi enim crediderunt, & credunt in Christum, qui tamen electi non sunt, nec saluabuntur, sed cadent, & peribunt; non igitur ea causa propria est cur non credant, quia electi non sunt: credebat enim tunc Iudas, & electus non erat. Altera est, quia non videtur causa vera: nam poterant esse oues & electi, & simul nõ credere tunc, quando Dominus hæc verba proferebat: multi enim erant in Christum credituri, & electi inter eos, qui tamen in Christum prædicantem non crediderunt, quos ipsemet Augustinus tractat. 92. in Ioann. docet. quomodo igitur dici potest, *Vos non creditis, quia non estis de ouibus meis, & oues meæ vocem meam audiunt*, cum oues, & multi electi tunc non credebant, erat; quia electi, & prædestinati non erant, iam non fuisse in eorum potestate credere videbatur, excusareque se potuissent dicentes; non credimus, quia Deus non nos elegit, nec de numero tuarum ouium fecit. Theophylactus has oues aliter interpretatur, forsitan difficultates has præsentiens; & dicit oues esse iustos, & viros bonos: ut sit sensus; Non creditis, quia non estis probi, nec virtutem & iustitiam sequimini, sed mali & improbi estis. Sed habet difficultates & ista expositio; Prior est, quia non omnes, qui in Christum

credunt, viri probi sunt; sunt enim quorum fides mortua est, hi credunt, fidemque habent; sed non secundum eam viuunt: credebat Petrus in Christum, quando negauit eum, sed tunc iustitiam non complectebatur. Altera est, quia de his ouibus paulò inferius Christus dicit, Vitam æternam do eis, & nemo potest eripere eas de manu mea. hæc non de omnibus, qui iustitiam sequuntur, dicta sunt; sed de his, qui in ea perseverant vsque ad finem, qui electi dicuntur: verum quidem est omnes iustos oues esse, ut docet Hierony. libr. 2. contra Iouini. & Aug. lib. 6. cont. Iulian. cap. 3. & lib. 2. de doctrin. christiana cap. 6. at non omnes iusti permanent in iustitia, idcirco non omnibus vitam æternam dat pastor verus Christus.

Mihi sententia Augustini verbis Domini accommodatior videtur. Sunt autem pro obiectis difficultatibus aliqua aduertenda: Vnum est, non esse hanc Domini sententiam generalem ad omnes tunc non credentes, sed ad illos Phariseos obstinatos, obcoecatos, & similes, quorum Dominus damnationem præuidebat, & sic soluitur secunda difficultas. Alterum annotandum est illud verbum, *Vos non creditis*, non solum, & simplicem incredulitatem significare, sed maximè culpabilem, quia abundantissima habuerant, & efficacissima media, ut conuerti potuissent, ut sit sensus; Tot profectò habuistis remedia, tot, ac tanta argumenta, quibus credere potuissetis, ut iam credidissetis, si de numero electorum, mearumque ouium fuissetis: nunquam enim oues futuræ in tantam obstinationem prolapsæ sunt. & quamuis reprobatio causa non sit adæquata, quia etiam reprobi multi credunt, est tamen causa, & hoc satis est: nam multis, quia reprobi sunt, etiam ad tempus credere non datur, quales hi erant, quibus cum loquitur Dominus, & hac ratione soluitur prima difficultas. Tertium est annotandum: Deum neminem excludere à numero ouium, & electorum Christi, nisi culpa ipsius homi-

Theophylactus sententiam impugnat.

his: quando igitur dicit, *Mos non estis de ouibus meis*, culpa, & malitia eorum significatur, propter quam Deus reprobaui eos: & hac ratio-
 A ne soluitur tertia obiectio: & sententia Augustini omni ex parte vera, & legitima permanet.

Et ego cognosco eas, & sequuntur me.

COMMENTARIUS.

Dixerat eos non esse de ouibus suis, & probauit ab vno effectu, *Oues enim meae audiunt vocem meam*: addit alterum argumentum, ne quis enim obijceret forsan, hi oues tuæ sunt, sed tibi ignotæ; addit, nō sic est, *Ego cognosco eas*, nemo est inter meas oues, quem non cognoscam. Est autem cognitio hæc non solum mentis, sed affectus: quod tertium argumentum probat, *Et sequuntur me*, obediens verbis, & mandatis meis, vnde constat, eos oues non esse: effectus est enim hic præcedentis cognitionis; idcirco oues Christum sequuntur, quia ab ipso cognoscuntur, ipsius cognitio, ouium est tractio: verbum enim *Cognosco*, non solum cognitionem intellectus, sed etiam affectum, & dilectionem significat hoc in loco. Amos 3. Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.

Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.

Libenter quacunque data occasione Christus multa loquitur in audientium, & nostram vtilitatem; vt homines ad sui sequelam attrahat, & eos qui audire, & sequi renuunt, deterreat. Quid oues eius eum sequentes assequantur, & quo in periculo non credentes versentur, aperit. ne quis ergo de numero ouium Christi esse parum referre existimaret, adiunxit, ouibus his meis, qui me sequuntur, *Vitam æternam ego do*. Magna est hæc potentia, & Dei propria, vitam dare æternam, & magnum est præmium ouibus Christi: quod si hoc non allicit, terreat quod sequitur. Si oues non sunt, in æternum peribunt, nemo dicat, ouis non sum, solum mihi æterna vita negabitur, tamen nullum malum inde mihi impendet; decipitur profectò, in æternum peribit, morte æterna multabitur. Ea est causa, cur cum Dominus dixisset, *Vitam æternam do eis*, addidit, *Et non peribunt in æternum*, vt significaret, oues liberari ab æterna morte, & vitam æternam habere; contra verò, qui oues non sunt, non solum vitam æternam non assequi; sed in mortem æternam detrudi. Verbum præsentis temporis certitudinem rei significat; non quod statim det, sed quod tempore promisso certissimè dabit: & rursus ita iam esse constitutum, & determinatum. Solemus enim dicere; Iste vir mercenarius, & his, qui ei inseruiunt, dat singulis mensibus decem aureos, non quod tunc det, sed quia constituit dare, & præstituto tempore certissimè, & sine mora det.

Et non rapiet eas quisquam de manu mea.

Aliud subiungit, quod cum ouibus facit. Nemo, inquit, rapiet oues meas de manu mea: procurabant Iudæi auertere homines, ne in Christum crederent; conati sunt Tyranni credentes à fide Christi tormentis auertere; tentat dæmon in numeris artibus idem efficere; sed de Christi manu, & potestate nemo oues tollet, nec impediet, quo minus ad vitam æternam perueniant, & ad ipsum conuertantur.

ANNOTATIO XVII.

Superiorum
verborum
sensum exponit
dicitur.

Chryso. homil. 60. & Euthymi. hunc locum ita exponunt, vt nemo oues Christi rapere posse dicatur, quia nemo impedire valebit, quin oues, quæ Christi sunt futuræ, ad ipsum conuertantur, & eum sequantur; quod occasione ea dictum est, quia illi Pharisei, ne in Christum crederent, populos detertere conabantur. Alcuinus, & ante eum Basil. libr. 1. contra Eunomium aliter interpretatur, vt sicut

sermo de ijs, qui semel ad Christum sunt conuersi, & verè oues eius sunt permansuræ: hos nemo rapiet de manu eius, quia nulli tentationi in extremo vitæ succumbent, sed victores euadent. Forsan Alcuinus ita est interpretatus, quia existimauit non posse dici rapere oues de manu Christi, nisi quæ iam semel sunt in eius potestate. Alij de gloriæ statu hæc intelligunt, vt contineantur superioribus, *Vitam æternam*

æternam do eis, non peribunt in æternum, quia non potest vllus de manu mea rapere, nec à statu vitæ æternæ remouere. Mihi omnia hæc simul in hac significari sententia videtur, vt dictum sit, Nemo rapiet de manu mea, quia nec impedire poterit, quo minus pastoris vocem oues hæc audiant, ipsamque sequantur, nec à sequela auertere in perpetuum, nec vita æterna priua-

re valebit. Nec verbum illud, *Rapiet de manu mea*, obstat, quia oues etiam antequam ad Christum conuertantur, ad manum eius pertinent, & de potestate eius sunt; quamvis tunc à vero pastore ad tempus errent. Nemo, ergo, rapiet, quia nō sibi eas semper adscribet, nec adiudicabit, quia ad suum pastorem tandem venient, & sub eo perpetuò vitam agent.

Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.

COMMENTARIUS.

Probat duplici argumento, neminem posse rapere de manu oues eius. Prius est; Pater dedit mihi vnum, quod est maius omnibus; nemo ergo præualere poterit contra me, nec de manu mea rapere, cum ego habeam in me; quod est fortius, & maius, non solum ijs, qui rapere conabuntur, sed omnibus. Loquitur, vt homo, & sic Patrem dedisse ei id, quod maius est omnibus, dicit; quia diuinitatem illius humanitati coniunxit, & fecit, vt homo ille Deus esset. Huius loci, & sequentis maiorem explicationem annotatio continet.

Et nemo potest rapere de manu Patris: ego, & Pater vnum sumus.

Alterum argumentum est, *Nemo potest de manu Patris rapere*, cum Deus sit; igitur nec de mea manu rapere poterit, quia *Ego, & Pater vnum sumus*, vnius essentia, & potestatis: si igitur nemo de manu Patris rapere potest, nec de mea poterit. Expressis verbis, se Dei filium Patri consubstantialem significauit. Hanc secundam adiunxit rationem, vt prior manifestior esset; nam posset aliquis existimare, accepisse à Patre maius omnibus, nempe contradictoribus, & persecutoribus; tamē non absolutè maius omni re creata, aut quod si maius omnibus quæ modò sunt, tamen non quæ fieri possunt; præterea nō exprimebatur hoc maius omnibus, ita esse datū, vt à Patre non esset diuisū; propterea rationem hanc verbis sequentibus addidit, se à Patre accepisse maius omnibus; id nempe, quod supra totum, quod creari potest, est, & ita accepisse, vt indiuisum maneat in Patre, & filio, quia vnica est diuinitas & essentia vtriusque, secundum quam Pater, & filius vnum sunt: nemo ergo de manu Christi rapiet oues; quia vt homo est habet à Patre diuinitatem, cui est vnica humanitas; vt Deus, est vnum cum Patre.

ANNOTATIO XVIII.

Letitio Graecorum.

Sententia hæc in Græcis codicibus non sic habetur, sed genere mutato, *Pater, qui dedit mihi, maior omnibus est*; & ita Chryso. Theophy. & Euthymius exponunt, & legunt; & tunc sensus videtur facilis: est enim argumentum tale; Pater, qui dedit mihi oues has, maior est omnibus; Igitur nemo de Patris manu rapere potest; sed ego, & Pater vnum sumus, vnius nempe potentia, & essentia; igitur nec de mea manu potest vllus rapere. Latini tamen Patres aliter legunt, sicuti nos in commentario legimus, & exposuimus. Ita Hilari. libr. 7. de Trinit. Tertull. lib. aduersus Praxeam, & Ambrosi. lib. 3. de Spiritu Sancto capit. 18. & Hierony. Ezech. 18. & August. tract. 48. ita etiam legit Concil. Lateranens. 2. vnde de summa decretalis illa Firmiter. de summa Trinitate & Fide Catholica: & hi omnes Patres locum hunc constanter Arrianis opposuerunt. cum autem idē sensus sit, siue vno, siue altero modo lega-

ANNOTATIO XIX.

Atende illa verba; *Ego, & Pater vnum sumus*, esse intelligenda de vnitate virtutis, & potentia: de hac enim sermo est; vt sit sensus, nemo de manu, & potestate Patris potest eripere; ergo nec de mea, quia vnus, & eiusdem sumus manus, virtutis ac potentia. Ita exponit Basil. libr. 1. contr. Eunomi. & sic exponendum ex contextu probat. Eodem modo interpretatur Ambrosius libr. 3. de Spiritu Sancto, capit. 18. & libr. 1. de fide capit. 1. & Chryso. homil. 60. vbi annotat inferri optimè; Si vnus sunt potentia, & virtutis, esse etiam vnus & eiusdem substantia, ac essentia; eaque ratione Patres opposuerunt hæreticis Arrianis hoc testimonium, vt probarent Patris, & Filij consubstantialitatem, quo sæ-

Christum Patri consubstantialem esse, ex hoc loco 10. au. ostenditur.

pe vsus est Athanas. sermon. 4. contra Arianos, & in alijs multis locis. Notat etiam Amb. libr. 3. de Spiritu Sancto capit. 18. non solum substantię vnitatem, sed distinctionem etiam personarum significari contra Sabellianos: *Sumus*, enim, personarum pluralitatem indicat: sicut & *Unus*, substantię, & virtutis vnitatem. Idem Hierony. Isai. 6. *Unus*, inquit, ad naturam; *sumus*, ad diuersitatem personarum refertur. Conabantur autem hæretici Arriani vim huius testimonij infringere, vana & falsa responsione dicentes, Patrem, & filium vnum dici per concordiam voluntatis, sicut dictum est Ioannis 17. *Vt sint vnum*, sicut & nos vnum sumus, quã responsionem refert, & refellit doctè, & efficaciter Augustin. lib. 2. cont. Maxim. capi. 12. & lib. 3. capit. 22. ostendens non esse dictum, vt sint vnum nobiscum, sed vnum inter se, sicut & nos vnum sumus, quia aliter nos vnum nobiscum sumus, aliter Pater, & filius: nec est comparatio æqualitatis, sed similitudinis; sicut Matthæi 5. *Estote perfecti*, sicut Pater vester perfectus est; probatque ea, quæ diuersi sunt generis, vnum inter se non dici. Sed omiſſis, contextus iste hanc fallam repellit interpretationem, vt rectè annotat Basil. lib. 1. cont. Eunomium; nam de manu Patris neminem rapere oves posse probauerat, quia maior est omnibus; inde refert, ergo nec de mea rapiet, & illationem confirmans dicit; quia,

Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

COMMENTARIUS.

SE Dei filium Patri æqualem, verumque Deum esse, Christus visus est Iudæis affirmasse, nec in hoc sunt decepti: at cum hominem merum putarent, tanquam blasphemum iudicantes, lapidare eum voluerunt, particula *Ergo*, causam lapidandi indicat eam esse, nempe propter præcedens verbum, *Ego & Pater vnum sumus*, quo diuinitatem veram eandemque cum Patre habere significat.

Respondit eis Iesus; multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

Eorum animos furore turbatos sedat, & pacat, simulque veritatem dictã confirmat: & est sensus, Multis bonis operibus vos cum laui, sanatis multis vestris ac varijs infirmis, & mortuis suscitatis, quæ omnia opera ex meo Patre sunt, id est, virtute Patris sunt facta, & simul me esse filium eius ostendit, *Propter quod opus eorum me lapidare vultis*: ac si clarius diceret, operibus multis bonis in vos collatis, me esse filium Dei affirmo, non minus factis, quã verbis loquor: quod enim sermone assero, operibus etiam testificor, vt necesse sit vobis lapidare volentibus, propter opus bonum me lapidare, *Propter quod ergo opus bonum*, & beneficium horum *me lapidatis*: ostendere bona idem significat, ac afficere beneficijs, seu benefacere; nam ostendere siue bonum, siue malum apud Hebræos idem significat, ac facere, siue bonum, siue malum. Psal. 4. *Quis ostendet nobis bona*. Psal. 70. *Quantas ostendisti mihi tribulationes*. & Psal. 59. *Ostendisti populo tuo dura*. Perpède mirum Saluatoris artificium: iratus enim homo non considerat, quæ bona accepit, sed quod malum ei illatum est: idcirco cõtra conferentẽ quantũuis benefactorem inuehitur; iræ ergo medicamentũ est, irato ante oculos bona accepta proponere; propterea Dominus, vt eorum temperet furorem, ante ipsorum oculos representat, quæ bona

Bona, aut mala ostendere, apud hebræos significat benefacere, aut malefacere.

bona eis contulerat, vt iterum aliquanto pacatioribus factis, quod in furorẽ eos, & iram impulerat, confirmet, & verum esse manifestet; at non irascendum eis, sed potius credendum esse demonstret.

Responderunt ei Iudæi, de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.

Respondentes Iudæi fatentur se bona opera à Christo accepisse, negant tamen se pro vilo bonorum illorum opere eum lapidare, sed propter blasphemiam hanc, nempe, quia, cum sit homo, affirmat se Deum esse, vero Deo æqualem, & veri Dei consubstantialem filium. Miseri isti Iudæi, hominem esse impedimento quominus Deus esset, reputabant, quasi vtrumque simul esse non posset, nempe Deus & homo. Rectè Athana. in Epist. contra omnes hæreses, hunc locum edifferens, sic inquit. *Obmurmurârât Iudæi, cur, homo cum sis, facis te ipsum Deum? stulti, & animo obcæcati, quippe oporteret eos inuertere sermonem in hunc modum; tu cum esses Deus, homo factus es; nam & opera Deum esse declarabant. hæc Athanasius. Particula Et, & quia tu, homo cum sis, declaratiua est, loco, id est, quia homo cum sis, facis te Deum.*

Respondit eis Iesus: nonne scriptum est in lege vestra; ego dixi, Dij estis?

Blaspheмиæ notam sibi iustã Dominus repellit, & infirmitati illorum se accommodans argumento vtitur à lege eorũ sumpto. Est autem argumenti locus à Minori, quod Dialectici appellât: Si quod minus inesse videbatur, inest; inerit etiã id, quod magis videtur: tale autem est; si scriptura homines communes appellat Deos, quia sermo Dei ad eos factus est, nec vlla est blasphemia tales dicere Deos; multo profecto minus erit blasphemia, & multo verius sine vlla blasphemia is dicitur Deus, quem non sermo Dei sanctificauit, sed quem Deus misit in mundum. Huius argumenti partem verba proposita continent, nempe testimonium legis, in quo homines appellântur Dij & est Psal. 82. Attende autem Christum loqui vt Deum, & Dominum legis, ipsiusque datorem: propterea enim dicit, *in lege vestra scriptum est*, id est, in lege vobis tanquam seruis imposita: non mihi, qui filius sum, & Dominus. In sequenti sententia hæc perfecte explanabuntur.

ANNOTATIO XX.

Legis nomine, quandoque tenent libri Moysi, quoniam quoque etiam tota scriptura significatur.

LEGEM appellat totam scripturam veterem; aliquando enim lex restrictè sumitur, vt solos quinque libros Moysi significet, in qua significatione dictum est Luc. 24. Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Psalms, & Prophetis; aliquando latius vsurpatur, vt lex comprehendat etiam Prophetas, & Psalms, & totum vetus instrumentum. Ioan. 15. Vt sermo eorum impleatur, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis, hoc loco Psalms sub lege comprehenduntur. & 1. Corint. 14. In lege scriptum est, Quoniam in alijs linguis, & labijs loquar: hoc autem est apud Isai. 58. Ita etiam fieri solet, vt aliquando sub Prophetis etiam Psalms comprehendantur; nam & hi Prophetiæ sunt. Matth. 11. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. & cap. 22. In his duobus pendet lex & Prophetæ: aliquando Psalms à Prophetis, & lege separantur. Luc. 24. In lege, Prophetis, & Psalms. In præfenti loco, lex generaliter sumitur; vt om-

nem veterem scripturam significet: ideo testimonium, quod est ex Psalms, in lege scriptum esse dicitur.

Sed superest explicatio testimonij allegati, qui sint hi, qui Dij esse dicti sunt. Recentiorum aliqui existimant Iudices Deos esse dictos, sed expositioni huic non fauet, quod postea inferitur; si dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est: non ergo iudices sunt hi, qui dicuntur Dij, sed ij, quibus Deus legẽ suã dedit, & doctrinã suã manifestauit; quales erant filij Israhel, quos præ omnibus nationibus Deus erudiuit, & eis legem, & disciplinam dedit. Sermo enim haberi ad aliquẽ dicitur, quando Deus ei loquitur, & verbũ suum aperit. Nec videtur verũ, quod aliqui dicunt, sermonem dictum esse haberi ad Iudices, quia in officio, & munere sunt constituti à Deo: talis enim loquendi phrasis in scriptura non reperitur; sed sermo Dei habetur, quando alicui Deus loquitur; siue per se, siue per alios. Forſan, qui hæc

Dij qui dicuntur in scriptura.

dixerunt, considerarunt verba prima Psalmi: **A** Deus stetit in Synagoga Deorum, Deus autem Deos diiudicat. Vbi per Deos iudices significatur: tamen postea Dauid ad omnes filios Israel verbum extendit dicens: Ego dixi

Suos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum vos dicitis, quia blasphematis, quia dixi filius; Dei sum.

C O M M E N T A R I V S.

Colligit modò, & componit argumentationem, si scriptura, inquit, appellat Deos homines eos, ad quos sermo Dei factus est, id est, ea de causa, quia lex & doctrina Dei data est eis, *Nec scriptura solui potest*, id est, mendax, aut irrita esse non potest, vt Hil. lib. 4. de Trinitate exponit: si igitur hoc verum est, & falsum aut irritum esse non potest, quomodo vos dicitis, me blasphemare dicentem, *Filius Dei sum*, qui in numeris partibus illas excedo: nam me Pater sanctificauit, & misit in mundum: profectò hæc est blasphemia; sic et nec illa, quã scripturã profert. Hebraismus est, *Vos dicitis, quia blasphematis*, &c. id est, vos dicitis me blasphemare. *Quia dixi filius Dei sum*. hæc est argumentatio; cuius sensus est iste, Qui verè filius, & Deus est, profectò non blasphematur dicens, filius Dei sum: si non est blasphemia appellare Deos aut Dei filios, eos qui sermonem Dei receperunt. Pater dicitur filium sanctificasse, quia sanctitatem, quã ipse sanctus est, filio communicauit. dicitur autem misisse in mundum, quia quem ab æterno sanctificauit, carne induit, vt sit filius Dei, & simul homo.

A N N O T A T I O XXI.

Patrem sanctificare Christum quid significet.

Sanctificandi verbũ non eodẽ modo à sacris Doctoribus exponitur: aliqui. n. ratione diuinitatis, aliqui ratione humanitatis Christũ sanctificatũ esse asserunt. priorem expositionẽ sequitur Aug. tract. 48. cuius explicatio hæc est: Christus vt Deus est, sanctificatus dicitur, non participatione, sed origine, quia eandem sanctitatem habet, quam Pater, sed ab eo acceptam; & Pater eum sanctificat, ipsi ab æterno essentiam, & diuinitatem communicando: & tunc sensus est, *Quem nõ sermo Dei, sed Pater ipse sanctificauit*, suam ei ab æterno diuinitatem, ac sanctitatem communicando, misitque in mundum carne assumpta factum hominem, hic profectò non blasphematur se filium Dei esse affirmans. Idem est igitur dicere, sanctificauit Pater, atque à patre, procedit, & eandem ab eo accepit sanctitatem, non ab vlla creatura sanctificatus, sed à Patre, & ipse Patris diuinitate. Missus autem in mundum dicitur, id est, homo factus est. Sensus ergo verbis clarioribus est; qui sanctus sum per essentiam à Patre procedens, & habens sanctitatem, cum ipso communem, & homo simul factus sum, & in hunc mundum veni per carnem, non blasphemus, quando, etiam si homo sim, dico, filius Dei sum. Ita August. exponit, quem secuti sumus. huic tamen expositioni vnum obstat, nempe verbi improprietas; nam sanctificari eorum esse videtur, qui non ex propria natura sanctitatem habent, sed aliunde accipiunt; idcirco aliter exponit Athana. lib. de incarnat. Christi in principio, & Hilari. lib. 7. Trini. & Chrylосто-

Explicat a filij Christum sanctificatũ ratione humanitatis.

Dij estis, & filij excelsi omnes, pronuntians statum Euangelicum, in quo adoptionis filiatione perfecta promissa est. & sic Augustinus huc locum de filiis Israel verè, & doctè interpretatur in commentario super eundem Psalmũ.

Bmus hom. 60. hanc sanctificationem Christo, vt homo est, tribuentes. Christus autem, vt homo, sanctificatus dicitur à Patre per diuinitatem vnità humanitati in persona filij: sanctificatus enim Christus homo, non vt ceteri homines, sed ipsa diuinitate, vt sit homo, & Deus, quæ expositio satis est accommodata, hoc tamen difficultatis habet: quia verba indicant sanctificationem antequam mitteretur in mundum: dicitur enim, *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, quasi prior esset sanctificatio, quam missio in mundum, quod non potest intelligi nisi de sanctificatione ratione diuinitatis; sicut etiam missus dicitur, non quidem vt homo, sed vt Deus, cuius missionis terminus fuit, esse hominem factum, propter hæc, expositioni Augustini libentius consentio. Nec est admodum durum, Patre dici sanctificare filium, vt Deum, & filium sanctificari; quia per generationem accipit sanctitatem à Patre: nam dicitur discere à Patre, & Pater dicitur demonstrare filio: quæ verba remota imperfectione, accommodantur diuinis personis, propter originem; idem in hoc verbo dici potest. Attendendum autem est, quando dicitur, Sanctificauit, & misit mundum, insinuari missum esse in mundum ad sanctificandum: ex quo licet eius diuinitatem colligere: non enim alios sanctificat, nisi qui per sanctus est: quæ enim ex participatione sunt, ab eo pendent, quod per se tale est nisi igitur Deus esset Christus, qui per se sanctus est, alios sanctificare non posset, quod insinuat August. tract. 48. in Ioannem.

si non

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi:

C O M M E N T A R I V S.

Quia autem dicere poterant illi; vnde scimus, seu quo probat te esse à Patre sanctificatum, & missum, adiungit dicens; se non verbis tantum, sed etiam ipsis operibus ostendere; Et est sensus, *Si non facio opera Patris mei*, id est, quæ ostendunt me esse Dei filium & Patre habere Deum, qualem verbis profiteor, *Nolite credere mihi*, id est, aliquam excusationẽ haberetis, mihi nõ credendi: Est enim phrasis hæc loquendi communis, ad ostendendam abundantiam probationũ, vt nequeat aduersarius vlla ex parte se tueri, aut euadere.

Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

Alteram rationationis partem exponit: Si autem facio opera Patris, & vos mihi verbis asserenti non vultis habere fidem, saltẽ credite operibus: si sermo meus non vobis persuadet, persuadeant opera, vt cognoscatis ex eis, qui sim, & tunc credatis, me esse vnum cum Patre, vnus naturæ & essentię, & ratione cuius, Pater in me, & ego in Patre sum. Verba hæc, eundẽ sensum habent cum illis, Ego, & Pater vnum sumus; vt rectè Athana. serm. 4. cõtra Arrianos docuit: & in illorum probationẽ, & explicationem, dicta sunt à Domino: propter vnitatem enim naturæ, & substantiæ vtriusque, Pater in Filio & filius in patre dicitur. Particula *Et si*, vna est: etiam si mihi non credatis, credite operibus, id est, etiam si propter mea dicta mihi non credatis, propter opera tamen Patris, quæ facio vt Deus, credite.

Quarebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.

Quia repetijt se esse verum Dei filium, Iudæi rursum eum apprehendere, & lapidare quarebant. Hanc enim illationem, & causam particula *Ergo* indicat; At Dominus sua virtute diuina euasit de manibus eorum: nemoque eum potuit detinere. Quando signum, & miraculum magnum faciebat, ad tempus propter populi laudem, & plausum fugiebat; quando verò magnum aliquid de se loquebatur, secedebat propter Iudeorum furorem & rabiem, vt ex sua absentia cessaret, aut temperaretur, vt Euthymius dicit. In Græco codice est particula rursum seu iterum, nempe, quarebant ergo iterum apprehendere: iam enim antequam hoc proferret, id ipsum quæsierant, eum lapidare volentes.

Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic.

Ioannes baptizare incepit in Bethabara, seu Bethania, vt in ca. 1. narratum est, postea recessit in AEnon iuxta Salim, vt constat ex cap. 3. modò Dominus furori Iudæorum cedens in Bethabaram abiit; vbi prius Ioannes baptizabat. Aliqui illud *Primum*, seu prius exponunt, priusquam in carcerem coniectus esset, tamen verus sensus est, vbi primum baptizare incepit, prope desertum; in quem locum Dominus nunc recessit, vt aliquos ad se conuerteret Ioannis memoria dispositos, eaque ratione Euangelista dum locum describit, Ioannis baptismi meminit, quam recedendi causam sequentia verba confirmant. est autem Dominus aliquot diebus ibi commoratus, donec ascendit ad Lazarum resuscitandum.

Et mult.

Et multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes quidem signum fecit nullum.

DVM illic mansit, veniebant multi ad eum, qui & ipse & miraculorum eius notitiam habebant, dicebant autem, Ioannes nullum miraculum fecit. Hoc maximè illos impellebat, ut ad Christum venirent, & conuerterentur: Ioannes enim cum tantus esset, non fecit miraculum, hic autem multa, & magna edidit, certè igitur hic maior est Ioanne. Ecce quo inducebantur, ut crederent, & rectè memoria Ioannis ad fidem profuit: nam ex collatione utriusque veritas discernebatur.

Omnia autem, quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant.

Ecce alterum argumentum credendi, nempe quia quæ Ioannes prædixit de Christo, verifica erant, igitur hic est Christus: nã si vera fuerunt cætera quæ prædixit, etiam hoc verum esse oportebat. Profecto isti recto, & sincero iudicio agebantur, ex comparatione enim Ioannis, & ex complemento multorum prædictorum, optimè deducebant esse Christum verum: prædixit autem Ioannes, Christum fortio rem futurum propter magna miracula edenda, & ita euenisse experiebantur. Ex complemento horum deducebant verum esse, quod dixerat, ipsum esse Christum. Testimonium ergo Ioannis etiam post obitum eius profuit, & sic viuis ac mortuis Christum prædicauit, ipsique fideles conciliauit: id tamen totum non sufficeret, nisi Christus sua diuina virtute horum corda mouisset, quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

ANNOTATIO XII.

CHRYSTOMVS homil. 60. exponit hanc sententiam sic. Omnia, quæ de illo dixit, vera erant, ut sit approbatio Ioannis testimonij, nempe Ioannes nullum signum fecit, tamen non propterea eius testimonium indignum est fide, quia cætera quæ prædixit, vera fuerunt. Tamen accommodatior est expositio, ut sint duæ rationes, & argumenta, quibus isti ad credendum in Christum inducti sunt, & sic exponit Euthymius, eamque expositionem in commentario secuti sumus.

Et multi crediderunt in eum.

COMMENTARIUS.

HIS argumentis persuasi, & diuinæ virtutis auxilio illustrati, & tacti, multi crediderunt in eum; Iudæis interim in sua cæcitate, & malitia obduratis, ut, qui non vident, videant, & qui vident, cæcificent. In Græco legitur, & multi ibi crediderunt in eum, quam particulam versio latina non habet.

CAPVT

CAPVT VNDE- CIMVM.



ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Maria, & Martha sororum eius. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes, Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis, Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem IESVS Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Ut ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis, Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli; Rabbi, nunc quare ibi te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit IESVS: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo. Hæc ait. Et post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos, Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quattuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia IESVS: venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi IESVS, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit uiuet, & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Vtique Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum venisti. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens, Magister adest, & vocat te. Illa ut audiuit, surgit citò, & venit ad eum, nondum enim venerat IESVS in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes, Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum venisset ubi erat IESVS, videns eum cecidit ad pedes eius: & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo ut vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum: & dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi. Ecce quomodo amabat eum? Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæcinati, facere, ut hic non moreretur? IESVS ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait IESVS, Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat, Domine, iam fætet: quatuordecim dies enim.

Dicit

dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. IESVS autem eleuatis sursum oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti. Hac cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus, Soluite eum, & finite abire. Multi ergo ex Iudeis, qui uenerant ad Mariam, & Martham, & uiderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, & dixerunt eis quae fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisaei concilium, & dicebant; Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic: omnes credent in eum: & uenient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expediat nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, qua dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

Proximum autem erat pascha Iudaeorum: & ascenderunt multi Hierosolymam de regione, ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. Querebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes.

Quid putatis, quia non uenit ad diem festum?

Dederant autem Pontifices, & Pharisaei mandatum, ut si quis cognouerit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariae, & Marthae sororum eius.

COMMENTARIUS.

HISTORIAM illius insignis miraculi quando Lazarum resuscitauit; quando impij Iudaei Christum interficere animunt obfirmarunt, textu Euangelista: incipitque personas & loca describere; quo igitur tempore erat Dominus trans Iordanem, ut in fine superioris capituli narratum est, Erat quidam languore laborans Lazarus nomine de Bethania, quae erat castellum & vicus Mariae, & Marthae sororum eiusdem Lazari. Bethania, uti supra diximus, erat prope Hierusalem ad radices montis Oliueti, per milliaria fere duo Italica ab urbe distans, in quo sorores haec cum fratre habitabant; an autem castellum de earum dominio fuerit, an uero dictum sit earum, quia in eo natae sunt, incertum est. Illud *De castello* est per appositionem dictum, Erat de Bethania, castello nempe Mariae, & Marthae.

Maria

Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

Non sine causa Euangelista, quae haec sit Maria, hoc nomine describit, quod pedes unxit Iesu, & capillis suis tersit. Nec hoc ea sola de causa factum est, ut decernatur ab alijs, quae eodem vocabantur nomine: multae enim dictae sunt Mariae in Euangelio; si enim nihil aliud quam inter eas discernere uellet, satis erat dicere sororem esse Lazari, & Marthae. Nec propter id tantum factum est, ut eam esse declararet, quae postea in conuiuio post Lazarum resuscitatum in Bethania unxit, & tersit eius pedes: nam ex ipsa met historia ab ipso Euangelista narranda id constabat: non enim solet Euangelista ante narrare, quam gestum sit. cum enim capit. 7. de Nicodemus loqueretur, dixit eum esse, qui nocte uenerat ad Iesum: nam id iam capit. 3. descriperat; at in capite tertio non dixit eum fuisse, qui defenderat Christum in concilio quodam contra Iudaeos, quia tunc narratum id nondum erat; quando autem haec facta sunt, quae narrat Ioannes, nondum Maria unxerat pedes in illo conuiuio, in quo Lazarus unus erat de discumbentibus. Solent quidem Euangelista uti anticipatione, sed non quando ipsimet narraturi sunt, quae per anticipationem dicuntur. Vera igitur causa, propter quam Euangelista haec dicit; ea est, ut ostendat eam esse Mariam, quae, quando ista facta sunt, iam unxerat pedes Domini, in domo Simonis, cuius historiae meminit Lucas capit. 7: ac si diceret Ioannes; haec Maria soror Lazari illa eadem est, quae antequam hoc gestum esset, quod modo narro, unxerat pedes Domini, & capillis terserat in domo Simonis, & cui Dominus peccata remiserat. quibus uerbis inducit Ioannes lectorem ad Lucam Euangelium, ubi historia latius est descripta; & id factum est, ut eadem Maria haec esse significaretur, cuius frater infirmabatur, & quae unxerat iam Dominum.

ANNOTATIO I.

An eadem sit Maria, cui meminit Ioannes, & meminerunt alij Euangelistae.

Magna apud veteres Patres, & recentiores nonnullos est controuersia, an eadem sit mulier, quae Luc. 7. dicitur peccatrix, unxitque & tersit pedes Domini: & illa quae similiter unxit, cuius meminerunt Matthaeus 26. & Marcus 14. cum hac, quam Ioannes isto capite, & sequenti duodecimo describit: quidam enim tres: quidam duas: quidam unam, & eandem esse contendunt. Origenes tract. 35. in Matthaeum tres esse probare nititur: idem affirmant Chryso. hom. 61. in Ioan. & Nicepho. lib. 1. Histo. cap. 27. cum alijs multis: Alij duas tantum contendunt, unam, cuius Ioannes meminit; alteram, de qua alij Euangelistae mentionem fecerunt, quae Magdalene appellatur, quibus sanet locus Clemen. Rom. libr. 3. Constituit. Erant, inquit, nobiscum mater Domini, & sorores eius, praeterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria sorores Lazari. Huius sententiae est Hieronymus. Matth. 26. & idem Chryso. hom. 81. in Matth.

A cum alijs multis. Alij eandem esse sentiunt, cuius distinctas historias diuersi Euangelistae, & in diuersis locis describere: hanc tuetur Aug. lib. 2. de confen. Euang. cap. 78. & 79. Innocent. libr. 2. de sacram. altaris cap. 56. Greg. hom. 33. in Euangeli. cum alijs etiam multis, exactiorem huius rei discussionem in locum Lucae remittimus: sufficiat nobis nunc Ecclesiae auctoritas, quae unam; & eandem mulierem fuisse declarat, ut constat ex Romano officio, quod in Ecclesia latina recitatur, in quo eandem esse Mariam Magdalenam, & Lazari sororem, & mulierem peccatricem legimus. Non est ergo quod iam hoc in dubium reuocemus, quamuis argumenta secundae opinionis probabilem ualde illam uideantur facere: nec est res haec, quae ad fidei, aut morum perfectionem multum faciat: eaque de causa Euangelistae huiusmodi historias narrauerunt, parum curauerunt expressam huius rei facere mentionem.

Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes.

COMMENTARIUS.

CAusam, cur miserint nuntium sorores ad Christum, particula *Ergo*, indicat; nempe cum frater infirmaretur, idcirco sorores, quibus frater curae erat, miserunt ad eum, qui sanare poterat: Distabat locus, ubi tunc erat Dominus; nempè

nempe Bethabara à Bethania Lazari, iter duorum fere dierum, quantum Christum conficere solitum esse probabile est.

Domine, ecce, quem amas infirmatur.

HOC est nuntium à sororibus missum ad Christum: Domine, honoris causa dicitur; honore namque præuenimus, quos rogamus, Ecce infirmatur: Vox est significantis, & notum facientis, quod ignorasse eum arbitrabantur, Quem amas, causa est impetrandi; cum enim subuenire possis, & ames, subuenturum te speramus. cætera ex annotatione require.

ANNOTATIO II.

Nonnullæ referuntur rationes, quæ possent Christum ad misericordiam inclinare.

Breue quidem, sed sapiens, & prudens nuntium hoc est; quod ex multis licet conspiceret; Primò quidem, quia cum multas causas haberent, quibus animum Christi ad sanitatem præstandam inducere possent, potissimam elegerunt. Vna earum, quas adferre poterant, erant ipsarum preces, nempe infirmatur Lazarus: rogamus, ut eum sanes; preces autem amicorum multum valent ad impetrandum amicis, tam pro se, quam pro alijs, etiam apud Christum. Luc. 4. Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt pro ea, & imperauit febrim, & dimisit illam. Altera causa est ipsamet consanguinitas etiam sine precibus; Deus enim, & homines solent multa facere pro his, quos coniunctos sciunt amicis, quos diligunt. 3. Regum 11. propter Dauid percipit Deus Salomoni, ne regnum eo uiuente diuideretur. & Genes. 18. propter decem iustos, Sedomitibus omnibus parcere paratus erat. Sufficiens igitur causa nunc erat Lazaro obtinendi sanitatem, eum esse fratrem earum, quas Dominus diligebat, unde potuissent dicere, Domine frater noster infirmatur. Tertia causa erat ipsius infirmi erga Christum amor; petere enim solemus pro ijs, qui indigent, & impetrandi causa est, filij quibus petimus, beneuolo sint animo, & grato erga eum, à quo impetrandum est; ut enim inquit Ambros. lib. 2. de offic. cap. 7. amor vnus inducit alterum ad redamandum. & Augustin. libr. de catechizan. rudibus, capite quarto Rudis, inquit, est animus, qui dilectionem, quam nolit impudere, nolit rependere. Poterant ergo dicere,

A Domine, ecce qui te amat, infirmatur: ita Luc. 7. factum est, Dignus est, ut hoc ei præstes: diligit enim gentem nostram. Quarta causa est ipsius subuenientis amor, hæc est omnium potissima: quando enim, qui subuenturus est, amat eum, qui indiget, etiam si nulla cæterarum ad sit causa, sufficit; quando vero deest, cæteræ vix animos eorum, à quibus beneficia sperantur, mouent. Efficacior est enim amor subuenientis, ut benefaciat, quam amor indigentis, ut benefiat ei; ad hoc enim & preces, & cætera tendunt, ut voluntatem subuenientis inclinent erga eum, cui subueniendum est. Prudenter ergo, & sapienter hanc causam exprimunt, Ecce quem amas infirmatur. Secundò, in hoc nuntio sapientia, & prudentia cernitur: huic enim causa potissimæ, preces suas non admiscet; ipsa enim erat per se efficacissima, solam ergo indigentiam, & infirmitatem exponunt: unde rectè Aug. tract. 49. dixit; Amanti fat est nuntiasse. Tertiò quæ non orant ut veniat, ut enim Greg. lib. 6. Mora. c. 17. dicit, amor etiam mentes pigras ad opus excitat, nec calcaribus indiget. eadem de causa, nec rogant ut sanet; amanti electioni omnia prudenter committunt; Non tamen tantum fidei erat in hoc nuntio, quantum inerat prudentiæ humanæ; nam tanquam ad merum hominem mittunt nuntium, eum certiore facientes, quasi nescium infirmitatis. Ecce, inquit, infirmatur, vox est significantis, & scire facientis, quasi dicerent; scito infirmari, quem amas. credebant autem posse sanare, si vellet. hæc fidei imperfectio in sequentibus apparebit.

Verè filium Christi amoris meminit.

Legendum prudentiam.

Audiens autem Iesus dixit eis; infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.

COMMENTARIUS.

NON vnum, sed duos, vel plures missos esse verbum illud insinuat, Audiens dixit eis. est autem responsum Christi breue, sed plenum diuina sapientia: eam instructionem, & consolationem continet; instruit quidem; tum significando infirmitatē sibi esse iam notam, nec eam ut ipsæ sorores, & nuntij putabant ignorabat, quæ satis Dominus indicat, dum causas infirmitatis aperit; tum etiam docendo se esse filium Dei, non merum hominem, ut arbitrabatur; quod ostendit in verbo illo, Ut glorificetur filius Dei per eam. Consolatur etiā primò sanitatē promittēdo, Non est ad mortē hæc infirmitas, id est, non morietur ex hac infirmitate, sicut solent homines mori ex infirmitatibus, non amplius in hoc sæculo victuri; at Lazarus non sic infirmitatē habuit, quia etiā si mortuus est, ta-

est, tamen citò ad vitam eandem est reuocatus. unde Augustinus tract. 49. re. Et dicit; infirmitas non est ad mortem, quando nec ipsa mors, fuit ad mortem: habet enim mors duo, vnum est, animam à corpore separare, & compositum dissoluere, alterum est, vitæ huius seculi finem imponere. infirmitas Lazari ad mortem fuit; quia anima eius à corpore separata est: ad mortem autem non fuit, quia terminus vitæ huius non fuit; nam iterum est etiam corpori coniuncta, & reuixit in hoc seculo, sicut ante viuebat. Consolatur secundo, & simul instruit aperiendo causam, & finem infirmitatis; Est pro gloria Dei, id est, idcirco hæc infirmitas permessa est, ut ea Deus glorificetur, & dum Lazarus ad vitam reuocatur, Dei virtus, ac diuinitas in sanante, & suscitante cognoscatur, ut in eum homines credant. Quod aut additur, Ut glorificetur filius Dei per eam, explicatio est præcedentis verbi, pro gloria Dei, & ita factum est. Nullum enim extitit miraculum Christi quale hoc, in quo ita se esse Dei filium ostenderet, & tot credentes sibi conciliaret; ut verè per hanc infirmitatem filius Dei glorificatus dicatur. Magnum hoc est consolationis argumentum ipsis sororibus, scilicet fratris sui Lazari infirmitatem in maximam gloriam Dei cessuram: & in hunc finem esse à Deo permissam.

Explicatio quomodo Lazari infirmitas ad mortem non fuerit, quamuis ipse mortuus sit.

ANNOTATIO III.

Diverse lectiones super hunc versum.

IN lectione huius sententiæ, & expositione, aliqua ex parte varij sunt Doctores. Ambros. lib. 4. de fide cap. 6. sic legit, Pro gloria Dei, ut glorificetur filius eius per eum; & refert vtrumque relatiuum ad Patrem, ut glorificetur filius eius, scilicet Dei, per eum, scilicet, per Patrem: & in hoc sensu locum hunc obijciebant Arriani Catholicis, ut probarent minorem esse filium Patre, cum per Patrem glorificari dictus esset. quorum obiectio vana est: eodem enim argumento probarent Patrem minorem esse filio: nam Ioan. 17. dictum est, Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Hilar. lib. 9. Trinit. eodem modo legit, Pro gloria Dei, ut filius Dei glorificetur per eum, sed relatiuum refert ad Lazarum, ut filius Dei glorificetur per Lazarum, id est, occasio fiat illi diuinitatem suam, & se esse Dei filium manifestandi. August. autem tract. 49. solum legit, Pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei, non autem legit, per eum, neque per eam. Chryso. tomus hom. 61. legit Per eum, referendo ad infirmitatem, & ita nunc legimus, & est accommodatior lectio, sibi enim inuicem respondent hæc verba: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed ut per eam glorificetur Dei filius.

Ari. lib. 9. Trinit. Ambros. lib. 4. de fide cap. 6. & Chryso. hom. 61. exponunt. & huic fauet illud Ioan. 14. ut glorificetur Pater in filio: glorificatio enim filij est glorificatio Patris, qui misit eum. Alij tertiò hanc partem exponunt de filij passione, ut glorificetur filius Dei per eam, quia hoc miraculum in causa fuit, ut Iudæi mortem Christo omnino inferre decernerent: diuidit enim hæc, quasi dictum esset cum particula, Et pro gloria Dei, & ut glorificetur filius Dei, & tunc sensus est; Hæc infirmitas est pro gloria Dei: id est, ut suam in ea diuinitatem Deus ostendat: & ut filius Dei per eam morte, & cruce glorificetur.

Authentica explicatio.

Mihi accommodatior videtur expositio, ut de glorificatione ea sit sermo, quæ per miracula facta est, quæ Christus suam manifestauit diuinitatem mundo, quod maximè in hoc miraculo factum est, de quo dicitur; Totus mundus abijt post eum: si dimittimus sic omnes credent in eum. & rursus posterior pars fit prioris explicatio, ne intelligeretur infirmitas ita dici pro Dei gloria, sicut omnia quæ fiunt, in Dei gloriam tendunt. Hoc enim pro Dei gloria erat, ut modo quodam singulari, scilicet ut Christus ostenderet se esse Dei filium per eam: non nego cæteras expositiones etiam esse probabiles.

Diverse Patrum explanationes.

Sciendum est rursus, Doctores non eodem modo exponere hæc duo, Pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam, aliqui exponunt, ut vna pars sit alterius declaratio, illudque Dei, refertur ad filium, cum enim dictum sit, pro gloria Dei, explicat, ut filius Dei glorificetur per eam sic August. tract. 49. exponere videtur, & tunc aperte Christus se esse Deum confitetur. huic fauet expositioni, quia non est in ista sententia aliqua particula distinguens: non enim dictum est, pro gloria Dei, & ut glorificetur filius Dei per eam. Alij secundo loco etiam vnam partem alterius expositionem interpretantur, sed priorē partem ad Patrem, posteriorē ad filium referunt, nepe pro gloria Dei Patris: hæc autem est, ut glorificetur Filius per eam: gloria enim filij, Patris gloria est, ita Hila-

Sciendum est præterea Chryso. tomus hom. 61. & Euthym. particulam Ut, exponere consecutiue, ut sit sensus, Infirmitas non est ad mortem, sed consequetur ex ea gloria Dei: non enim causam, sed quod euenturum erat significat; ac verius est contrarium, causam enim finalem indicat; est enim in hunc finem infirmitas hæc illata, & mors subsecuta; non ut moreretur sicut cæteri, quorum vltimus vitæ finis aduenit, sed ut glorificaretur, & notus fieret Dei filius per eam: de causa enim huius infirmitatis Dominus agebat. Quamuis enim respectu causarum naturalium hæc glorificatio sit consecuta; tamen si ad diuinam prouidentiam confertur, in glorificationem Dei erat infirmitas ordinata;

dinata, quod doctè tradit Greg. Nisse. libr. de creatione hominis cap. 26. dicens expectasse Christum alios duos dies, vt mortuus quatrduanus esset, & in eo tantum miraculum operaretur: Diuina enim prouidentia effectus inferiores in superiores fines, & causas ordinat,

vt idem Gregor. libr. 2. de Philosophia cap. 2. docet: Deus enim vsus est naturalibus causis, mortem & infirmitatem inducentibus, tanquam ministrantibus diuinæ suæ dispositioni, in eum finem, vt glorificaretur Dei filius.

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.

COMMENTARIUS.

Quisum Evangelista mineris amoris Christi erga hos fratres.

Evangalista hanc dilectionem Christi erga sorores, & Lazarum exponit: primò ne quod non statim ad sanandum ierit, sed duobus expectarit diebus vllus adscriberet voluntati; quasi noluerit; sed mysterio, vt maius miraculum, & illustrius fieret: tum, vt verum esse, quod sorores dixerunt, confirmaret: Ecce quem amas: amabat enim Lazarum, & sorores eius: tum etiam, vt amorem hunc, & dilectionem, qua eas Christus prosequeretur, notam relinqueret fidelibus: demum quia ex notitia dilectionis huius aliqua, quæ narranda sunt, efficiuntur manifestiora: qualis autem hæc fuerit dilectio, in annotatione inuenies.

ANNOTATIO IV.

Dilectio Christi erga homines quadruplex.

Quatuor dilectionis genera considerare licet in Christo: Vna dilectio est, qua vt Deus ab æterno dilexit homines, eadem dilectione cum Patre; hæc enim causa fuit, vt homo fieret pro nostra salute. Altera est humana, qua vt homo diligebat, sed naturalis: dilectio autem & amor naturalis est, qui alicui vinculo naturali innititur; vt quando amamus alios, vel quia sanguine coniunctos, vel quia familiares, vel quia benefactores, vel simili vinculo naturali nobis colligatos habemus: hic amor non defuit Christo vt homini, in quo vera natura erat humana. Tertia dilectio est etiam humana, sed moralis, quæ innititur virtuti, & bonis moribus, ac honestis, qua virtuti deditos, & probos diligimus propter honestatem, quam etiam Christus, vt homo eadem de causa habuit. Quarta est Spiritualis, qua diligimus propter Deum, ita vt ratio amandi sit Deus ipse, qui finis est supernaturalis noster, & hæc est dilectio charitatis.

Ceteræ verò dilectiones non omnes fuerunt ab instanti incarnationis, sed temporaneæ saltem quantum ad actus, sicut & apud nos. Naturali enim quadam dilectione acquisita profectus est aliquos, qui sibi familiares fuerunt, vel à quibus aliquot temporale recepit beneficium: erat enim mortalium omnium gratissimus. Lazarum ergo, & sorores his omnibus modis diligebat, nempe vt Deus, & vt homo. vt Deum dilexisse res aperta est, non solum dilectione illa, qua sic dilexit peccatores, vt pro eis homo fieret, sed qua diligit iustos, & Patri gratos: tales enim erant hi. diligebat etiam vt homo naturali amore, quia familiares erant, & hospitio solitæ eum recipere. Morali autem dilectione propter honestatem, quia studiosi erant valde: charitate etiã amabat propter Deum ipsum, sicut & alios homines, quos charitate diligebat. Evangelista autem particularem amorem, & dilectionem significare voluit, nempe naturalem, & honestam seu moralem, qua vt familiares, & amicos, & studiosos, tanquam homo diligebat. Christus enim omnia nostra sumpsit præter peccatum, & ea, quæ ad peccatum tendunt, qualis est ignorantia, & carnis contra Spiritum pugna, & aliqua huiusmodi: at dilectiones hæc nihil habent cum peccato commune, nec coniunctum.

Non omnes hæc dilectiones ab initio fuerunt in Christo.

Hæc tres Christo inerant, vt homini. prima, vt Deo: hæc prima erat æterna; sicut & Deus est æternus: reliquæ tres temporales, quia homo in tempore factus est, sed adhuc antiquior vna altera: illa enim, quæ charitatis est, fuit ab instanti incarnationis, quâdo adeo nos dilexit charitate, vt mortem pro nostra salute libetif-

Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

COMMENTARIUS.

Mansit duobus diebus, postquam nuntiū accepit: vti diximus ex Gregor. Nisse. lib. de creatione hominis cap. 26. vt mortuum quatrduanū suscitaret: cum enim infirmitas hæc esset pro Dei gloria, eò est perducta à diuina prouidentia, vt miraculum gestum illustrius fieret, & per illud sanantis virtus maxi-

tus maximè nota euaderet. Hi duo dies computandi videntur eo numero, in quo perlatum est nuntium, quâdo etiam Lazarus est mortuus; post quo proficiscens die quarto peruenit Bethaniam, & suscitauit quatrduanum.

ANNOTATIO V.

Hi duo dies quomodo computandi.

CHRYS. hom. 61. & Euthym. existimant ab illo die, quo nuntius venit, alios duos expectasse, & quarto venisse, mortuum autem Lazarum fuisse eodem die, quo nuntius venit, id autem ideo dicunt, quia Christum existimant quindecim stadijs tunc à Bethania distasse, quæ vno die conficiuntur: nam octo stadia vnum milliari conficiuntur Italicum, sed hoc non videtur dici posse: erat enim quando nuntium accepit trans Iordanem, vt Aug. tract. 15. affirmat, & ex historia constat, verbum etiam Christi id indicat, *Eamus*, inquit, *in Iudæam*, erat ergo tunc extra fines Iudææ. Et ratio id ipsum confirmat: Iudæorum enim persecutiones deuitant, locum distantem eligere debuit, vno ergo die non potuit tantum itineris confici. Existimo probabilius quod nuntio accepto expectauerit duos dies, illum nempe quo nuntium accepit, quando Lazarus mortuus est; & sequentem; tertio autem dixit discipulis Lazarum mortuum esse, eodemque tertio profectus est

A in Iudæam, ac peruenit quarto die mortis & sepulturæ Lazari, quo die eum etiam suscitauit. Aliqui Lazarum non eodem die mortuum & sepultum dicunt, idque probant, quia quatuor dies habentem in monumento Christus inuenit: nec verisimile existimant, eodem die, quo mortuus est, fuisse sepultum, quod mihi non probatur: nam Martha foetorem corporis obijciens, quatrduanum esse dixit, ad foetorem autem à morte ipsa dies numerantur: nec est inconueniens eodem die mortuum, & sepultum esse: id enim sæpe fit, maximè quando in principio diei moritur infirmus. Hæc probabiliora videntur, quamuis parum referat hoc, dummodo sciãmus Dominum quarto die Lazarum suscitasse, & duos expectasse, vbi nuntium accepit: à quo autem termino computandi sint, ex locorum distantia pendet, existimo probabiliora esse, quæ diximus in commentario.

Deinde post hæc dicit discipulis suis; eamus in Iudæam iterum.

COMMENTARIUS.

Transactis diebus duobus, discipulos, vt iterum veniant secum in Iudæam, inuitat; erat enim Bethania in Iudæa. Sciebat Dominus timiditatem eorum, ideo id prædicit, & vt eorum ignauiam tacitè arguat, & ne re insperata turbarentur postea, quando in Iudæam peruenissent.

Dicunt ei discipuli, Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?

Consulebant quidem Christo, sed magis sibi, quod sæpe inter nos accidit, vt sub specie charitatis erga proximū res nostras agamus. Particula *Nunc*, significat paulo ante: nam in festo Encæniorum proximè elapso, Iudæi lapidare Christum voluerunt, vt ex capite decimo constat.

Respondit Iesus; nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte offendit, quia lux non est in eo.

Dominus metaphora quadam timiditati eorum medetur, ostendens nõdum esse suæ mortis, & passionis tempus; & idcirco adhuc non esse timoris causam. Metaphora autem hæc est: dies duodecim horas habet: & qui ambulat in vna harum, etiamsi vltima sit, quia adhuc lux est, & nondum tenebræ superuenerunt, securè ambulare potest sine offensionis periculo: nam in quæ impingi solet, manifesta sunt, & declinare facile vnusquisque potest. At quando nox aduenit, minus securè homo ambulat: cum enim deficiente lumine offendicula non videantur, facilè impingit. Duodecim horis diei tēpus vitæ suæ Dominus significat, quâdo nemo ei nocere, nec

Quid per ho-
ras diei, &
noctis, Chri-
stus significet

eum cōprehendere potuit: quia quæ disposuerat secundum diuinū beneplacitum, omnia erat complexurus: noctem verò tempus passionis appellat, de quo dixit, Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Erat quidem iam vicina nox, quia imminēbat passionis tempus; tamē adhuc hora erat diei, quādo nemo ei nocere poterat, nec in eum manus iniicere. Hoc est ergo, quod dicit, quasi clarius respondisset sic; dixistis nunc, me interficere Iudæos quæsiuiste, scitote sicut non vnam, aut alteram horam, sed duodecim habet dies, nec idcirco quia decem, aut vndecim transierunt, propterea dies est completa, vt non liceat securè ambulare, ita etiam superest mihi tempus, quamuis paruum, in quo licet securè, & sine periculo ire in Iudæam, & vos etiam liberè mecum potestis venire; nam vestrum periculum, & securitas ex meo periculo, & securitate pendet. hic est sensus. Similis est sententia apud Luc. admonentibus enim quibusdam, vt fugeret ab Herode, quærente eum interficere, respondit, Dicite vulpi illi; ecce eicio dæmonia, & sanitates perficio hodiè, & cras, & tertia die consummor; veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare. ac si dicat, nemo potest me ante tempus à me decretum, & statutū interficere, aut impedire; quamuis faciam quæ facturus sum, & hoc tempus nondum aduenit, adhuc cras, & hodie dæmonia eicio, id est, adhuc tempus est operandi opera Patris, nondum mortis meæ tempus aduenit. Per has duodecim horas, hoc idem nūc significauit. Duodecim autem horas diem habere, dicit more Hebræorum, qui dies semper in æquales duodecim partes, & in totidem noctes diuidebant.

Lucæ 19.

ANNOTATIO VI.

Dici & no-
ctis metapho-
ra quatuor
diuersis mo-
dis exponi
potest.

Superiorem sententiam variè Doctores exponunt. Primò Chrysof. hom. 61. duas affert expositiones. Prior est, vt per diem virtutem, & innocentiam, per noctem malitiam significet, sitque sensus, qui in virtutis via ambulat, in periculum non incidit, nec offendit: sed is, qui in malitia, & scelere est. Hæc tamen expositio non videtur accommodata; mali enim bonos persequuntur, & qui in rectitudine ambulant, in magna incidunt temporalia pericula, & aliquando maiora, quàm mali, & iniqui: & rursus, quia si id verum esset, nec Christus vnquam in hoc periculum incidisset, cuius innocentia maxima erat, & tamen à persecutoribus est comprehensus, & interfectus: Apostoli enim de his periculis temporalibus loquebantur. Altera expositio est, vt per diem Christum ipsum intelligamus, qui lux & dies est; & sicut, qui ambulat in die, non impingit, sic nec qui cum Christo ambulat, in vllum offendere poterat periculum: virtus enim & potentia illius custodiebat eum. Hanc videtur secutus Amb. I. de mysterio passionis Christi ca. 5. sed nec hæc expositio accommodatur verbis istis. Hæc etiā duas expositiones refert Euthy. Tertia expositio Aug. tract. 49. vt per diē Christum, per duodecim horas duodecim Apo-

Astolos intelligamus, qui Christum sequebantur, sicut horæ diem, & tunc est sensus, vt Dominus his verbis eorum deprimat præsumptionem, qui ei consilium dare volebant eorum, quæ facturus erat; ac si dicat, nonne horæ diem sequuntur, non autem dies horæ ita vos me sequi deberis, & non dare mihi consilium. Addit Aug. Iudam non in hoc numero esse, sed eum, quem loco ipsius collocandum sciebat Dominus; tamen videtur violenta hæc expositio, sensum quidem connectit, tamen verba accommodatè non interpretatur. Aliqui recentiorum quarto loco exponunt, vt sint verba prouerbialiter dicta, ad significandam mutationem faciliem hominum; temporis enim variatione mutantur; ac si dictum esset; duodecim horæ sunt diei, & non semper homo persistit in eadem voluntate, sed quod manè cogitat, vespere mutat: quod si nihil aliud esset præter hoc; *Nomen duodecim sunt horæ diei? fateor, quod facile hæc expositio textui accommodari potest; tamen verba sequentia durè huic sensui applicantur, idcirco commentarij expositio mihi omnium aptissima, & quantum ad verborum sensum, & quantum ad sententiæ connexionem, visa est.*

Rectius in
terpretatio.

Discipuli ad
huc rudes, nō
dum magi-
stri verba
callebant.

Hæc ait: & post hæc dicit eis; Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum.

COMMENTARIUS.

Aperit causam, cur in Iudæam eat: nam se illuc ire velle, nullumq; periculum imminere verbis præcedētibus significauit: causam autē verbis metaphoricis prius exponit. *Lazarus*, inquit, *amicus noster dormit*, vado autem vt à somno excitem eum. somnū vocat mortem illam breuē; tum quia suscitādus citò erat;

tò erat, tum etiam vt facilitatem indicet, qua mortuos suscitatur; tam enim illi facile erat mortuos à morte, quàm alijs dormientes à somno excitare. Amicum communem appellat, *Amicus*, inquit, *noster*, meus nempe, & vester, vt animos eorum, amici communis causa, faciles ad viā reddat: sunt enim pro amicorum salute spernenda pericula. Est etiam perfecta misericordia, quando non tantum venientibus ad nos subuenimus, sed etiam ijs, qui venire nequeunt, benefacturi accedimus.

Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit saluus erit.

Ad huc timentes sibi, Domino in Iudæam reditū dissuadebant, & dicunt, *Si dormit*, nō indiget amplius medicina; *saluus erit*, somnus enim salutis recuperandæ signum, & causa est. Ex hoc loco constat discipulos audisse nuntium de Lazari infirmitate, quamuis hætenus Euangelista non expresserit: his autem verbis eos infirmitatis conscios fuisse insinuat. Particula illa *Ergo*, illationem indicat ex verbo præcedenti, nempe quia dormire eū audierunt, dixerūt hoc, quod sequitur; *Si dormit, saluus erit*: est autem hominū nō admodum expertorum regula hæc; si dormit, sanus erit infirmus. Fallax nimium est: somnus enim aliquando mortis est indicium; nisi velit aliquis dicere; illos intellexisse à nuntio morbi, & infirmitatis qualitatem, quod Euangelista prætermisit, morbi autem qualitate intellecta & cognita, protulisse hæc verba; sunt enim infirmitates, in quibus somnus recuperandæ salutis maximum est indicium; sed non existimo tunc discipulos adeo fuisse medicinæ peritos, vt id discernere possent, sed secuti sunt dictum commune.

Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.

Declarat Euangelista verbum Christi, quod tunc discipuli non perceperunt; Dominus enim mortem somnū appellauerat, at illi hūc somnū dormitionem esse conceperant. Percunctabitur aliquis; quomodo id concipere potuerunt, cum Christus diceret; vado vt à somno excitem; improbabile enim valde erat tantum itineris, & cum periculo velle Dominum conficere, vt à somno quodam communi, eum excitaret: Respondeo has discipulorum sententias esse considerandas, tanquam hominum imperfectorum, & qui nondum Christi fidem, & notitiam, vt par erat, assecuti erant; quod timidas ipsorum, & difficultas redeundi cum Christo in Iudæam satis indicant, ex hac imperfectioe factum est, vt existimarent Christum protulisse hanc sententiam in eum sensum, Lazarus dormit, quasi somnus esset illi noxius, à quo tanquam à re noxia, & contra sanitatem eum liberari opus esset; ideoq; se opponunt dicentes; non esse somnum noxium, sed vtilem, & sanitatis indicium. Non enim mirum est, eos, qui Christum admonere periculi voluerunt, quasi nescius, aut impotens esset, dicentes, Nunc te quærebant lapidare, & iterum vadis illuc; etiam in hoc admonere voluisse, somnū non noxium, sed vtilem esse Lazaro; Dominus enim ea de causa hac vsus est verborū metaphora, cum sciisset discipulos non intellecturos, vt nobis eorum imperfectio, & ruditas constaret; tanto enim eius virtus in ipsis perficiendis illustrior facta est mundo. Chrysof. hom. 61. & Euthym. huic percontationi respondent; discipulos putasse Christum in ænigmate locutum esse; sed responsio hæc non videtur satisfacere, nec accommodari verbis.

Tunc ergo Iesus dixit eis, Lazarus mortuus est.

CVM non intellexissent discipuli verbū, apertè, & sine vlla verborū metaphora rē Dominus narrat; *Mortuus*, inquit, *est Lazarus*; particula *Ergo*, illationem ex præcedentibus indicat, nempe quia non intellexerunt sensum verborum præcedentium; idcirco verbis clavis idem exprimit, vt intelligat.

Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.

Gaudere licet quando que in malis proximi.

Coniungendum est vltimum verbum primò; gaudeo me ibi non adfuisse, & hoc propter vos, ut credatis; si enim adfuissem, aut sanassem eum, occasio tanti miraculi sublata fuisset, fidesque vestra minus promoueretur; aut si non sanassem, vestra periclitata esset fides; nam me non potuisse sanare arbitrati fuissetis; gaudeo igitur me non adfuisse, & hoc vestri causa, quia non solum nihil fides vestra detrimēti passa est, sed maximè augebitur, quando mirabile videbitis opus, quale nunquam factum est, nempe quadruidanū, & foetentem mortuum verbo ad vitam reuocatum. Gaudere licet in malis, quæ hominibus à Deo immittuntur, nō propter eorum malum: sed propter eorundem, aut aliorum spiritualement salutem, aut profectum, quando per ea ad Deum conuertuntur, vel in melius proficiunt.

Sed eamus ad eum.

Christus inuisit mortuos, sicut nos egros.

Quamuis tamen mortuus sit, *Eamus ad eum*. Homines solēt infirmos amicos visitare, mortuos destituere; nihil enim visitatione sua eis præstare valent; at Christus etiam mortuos visitat, sicut & viuos; tam facile enim est ei mortuis vitam, quàm infirmis sanitatem cōferre. His verbis insinuat Christus velle se reuocare ad vitam, velut à somno aliquis excitatur ad vigiliam: id enim significat veebum hoc, *Eamus ad eum*.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus, ad condiscipulos; eamus & nos, & moriamur cum illo.

Verba Thomae à dilectione, et fortitudine orta.

CVM verbis suis à reditu in Iudæam Christum abducere discipuli non possent, sed eum animo redeundi obfirmato viderent, vnus ex eis reliquos ad sequēdum exhortatur dicens, *Eamus & nos, & moriamur cū illo*: sentiebat enim illos omnes adhuc trepidantes, & animo non omnino ad sequēdum firmo. Particula *Ergo*, illationem indicat, quæ sit partim ex verbo Christi, *Eamus ad eum*, partim quia ægrè ferentes, & tardos condiscipulos videns hæc protulit, *Eamus & nos*. Verba sunt dilectionis erga Christum, & fortitudinis; dilectionis quidem, quia sine Christo vitam contemnebat propriam; fortitudinis, quia à periculo, quod animo conceperat, non retardabatur, quominus sequeretur magistrum; Sed tamen fides imperfecta erat: nondum enim virtutem, & potentiam Christi à quā cunctis periculis, quos volebat, liberare poterat, agnoscebat; nec verbo Christi omnimodè habuerat fidē: *Qui ambulat in luce non offendit*: quod in Græco codice notius est; nam legitur, *Eamus, ut moriamur cum illo*, quasi sibi persuasisset moriendum esse in reditu ad Iudæam. Thomas Didymus dictus est à Græcis, quod apud Latinos Gemellus, seu qui simul cum fratre nascitur: idem autem apud Hebræos significat Thomas, ut in cap. 20. declarabitur.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

QVO die mortuus est Lazarus, eodem in monumento positus videtur: erat autem dies à morte, & monumento quartus, quo Dominus Bethaniam peruenit, & quo etiam eum à mortuis suscitauit.

Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindécim: multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

MILLIARIB⁹ duob⁹ Italicis vno stadio minus, distabat Bethania, vbi hæc gesta sunt, à Hierusalē. huius paruæ distantie idcirco Euāgelista meminit, ut fa-

vt facile Iudæos ad consolandas sorores à Hierusalem venire potuisset; ostenderet. Charitatis opus est mœstos consolari. & quoniam nobiles erant sorores hæ, ideo multi Iudæorum ad eas conuenerant.

Martha ergo, ut audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Martha autem domi sedebat.

CVRA domus, & rei familiaris Marthæ incumberebat, idcirco prior aduentus Domini nuntium audire potuit: nam Maria sedebat, consolationes aduentatium excipiens. prius autem Martha audiuit, quā vidit: celeberrimi enim hominis aduentū fama tacere non potuit; sed gressus eius præueniens, ad aures Marthæ peruolauit; nā quæ læta sunt, prænuntiare vnusquisque satagit.

Dixit ergo Martha ad Iesum; domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

PARTICULA *Ergo*, tacitam indicat illationem, nēpe quia ipsa prior venit, Martha autem domi mansit, idcirco ipsa Dominum prior alloquitur. Attendendum autem est verba hæc Marthæ ex triplici capite orta fuisse. Vnum est fides, credit enim si adfuisset Dominus, fratris mortem impedire potuisse, & ab infirmitate liberare; sed erat imperfecta hæc fides, nōdum enim sciebat, absentem etiam sanare potuisse, quæ si credidisset, utiq; dixisset sic, Domine, si voluisses, frater meus non fuisset mortuus. Alterū caput est, spes, & fiducia quædam: fidebat enim, & certa erat de clementia Christi, quod si adfuisset, sanitatis beneficium fratri non denegasset: neque tamē hæc spes, & fiducia erat perfecta virtus; aliquando enim est maioris clementiæ diuinæ, sanitatem corporalem negare, quàm concedere, idcirco hæc temporalia non sunt absolute petenda, nec desideranda; nisi quādo ad maiorem Dei gloriam, & ad salutem spiritualement conducunt. Martha autem solam clementiam considerauit Domini, tamen, quod desiderabat, nō admodum perpendit, & decepta est; cum multò vtilius, & cōducibilius fuerit mori Lazarum, cum per talem mortem filius Dei glorificandus esset: si autem præsens fuisset Christus, quod maioris gloriæ diuinæ est, fecisset. Tertium caput est dolor, & animi tristitia de morte fratris; conquerebatur enim de absentia Christi, quasi ea fuisset causa illius; erat autem etiam imperfectio in hoc; si enim sciuisset Dominum etiam absentem nihil ignorasse, & omnia potuisse; noluisse tamē sanare, quia non expediebat, non adeo doluisset. Laudanda tamen est modestia Marthæ, ut dicit Chrysostomus hom. 61. non enim eiulatus, & clamoribus est vsa, ut aliquæ in his casibus facere solent; sed temperatè, & modestè dolorem animi, qui iustus erat, de morte fratris expressit: nec enim sciebat, quid diuina prouidentia in illa morte statuerat, quod si sciuisset, omni ex parte diuinæ voluntati suam conformasset.

Martha vna ex fide, spe, & animi tristitia orta fuit.

Commendanda Marthæ modestia.

Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

ADIUNGIT Martha priori sententiæ sequentem; si adfuissem, mortuus non fuisset frater meus; sed non propterea diffido te posse iuuare, immò certum Deum tibi daturum, quæcumque ab eo poposceris, adeo ut nunc etiam possis fratrem à morte reuocare, si à Deo poposceris. Maior est fides hæc, quæ præcedens; plus enim erat confiteri Christum posse suscitare mortuum, quàm sanare infirmum; & facere ne moreretur; tamen adhuc est imperfecta fides, quia Christum non confitetur Deum, se purum hominem: nec propria id virtute facere posse, sed petitione, & oratione, quæ, si à Deo peteret, impetraret, ut notat Chryso. hom. 61. si enim perfectam fidem habuisset, dicere oportebat; scio, quæcūque tu volueris, facies. Modestā petitionem verba hæc continēt; non enim expressè rogat, ut à Deo poscat, sed potentiā eius confite-

Proficere in fide sua.

tur amanti autem satis est posse, & nosse: iam autem sciebat esse mortuum, ideo solam potentiam confitetur; ab amante vero sciente, & potente superuacaneum iudicauit aliquid petere: sensus igitur est, Domine, potes, si vis, me iuuare; quia, qui vis à Deo, habes, si peras.

Dixit illi Iesus, resurget frater tuus.

Verba sunt consolantis, et docentis.

Simul & consolatur, & docet vnicò verbo. promissio resurrectionis consolatio est; at dum absolute dicit, Resurget frater tuus, non autem dicit, poscam à Deo, se habere potestatem significat: suamque diuinitatē exprimit, vt non necesse habeat poscere, & orare Deum, cum ipse sit Deus. Hoc autem instructionis est, & doctrinæ.

Dicit ei Martha; scio, quia resurget in nouissimo die.

Existimauit Martha verbum Christi esse communem quandam consolationem, qua homines solent in similibus casibus mortuos consolari, resurrectionem futuram in memoriam reuocantes, maximè quia tunc erat Saducæorum secta, negantium resurrectionem, vt patet Matth. 22. crediditque Martha, Christum velle eam consolari certitudine resurrectionis fraternæ, quasi Christus diceret; Scito certam, & veram esse mortuorum resurrectionem; ideoque hilari animo esto, & tristitiam deponere, quia resurget frater. Argumentum enim consolationis in similibus casibus, resurrectionem esse, docet Paulus I. Thessalo. 4. Nolumus, inquit, vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & gentes, quæ spem non habent. in hunc sensum verbum Christi Martha est interpretata adhuc rudis, & imperfectæ fidei; idcirco respondit; scio resurgeturum in die ultimo, neque adhæreo sectæ illorum, qui futuram negant resurrectionem, quare nec indigeo hac instructione.

Dixit ei Iesus; ego sum resurrectio, & vita.

Offedit Christus se Deum esse, qui vitam omnibus uiuentibus donet.

Aptis verbis Dominus eam instruit, & imperfectam fidem eius corrigit, ad docetque; se non indigere poscere quidquam à Deo, sed se esse Deum, qui mortuos suscitare, & vitam pristinam restituere possit. His igitur verbis, quis sit ipse, aperit; sequentibus autem ad veram, & perfectam hanc fidem exhortatur: Ego, inquit, sum resurrectio, & vita, id est; ego ipse sum, qui suscitare, & viuificare possum, & suscito, ac viuifico eos, quos volo; & qui suscitabo, & ad vitam reuocabo omnes, qui suscitandi, & viuificandi sunt; non opus est mihi poscere à Deo, qui sum ipsemet Deus. Hebraismus est, sensum causalem efficiens, Resurrectio, & vita, id est, causa resurrectionis, & vitæ, & effector earum in vniuersum; qui omnem resurrectionem, & vitam efficio. Hoc articuli Græci significant, Ego sum ipsa resurrectio, & ipsa vita.

ANNOTATIO VII.

PRIMO loco considerandum est, vitam in hac sententia non accipi pro vita, quæ contra mortem distinguitur, & communis est bonis, ac malis; & ad quam credentes, & non credentes sunt suscitandi, de qua dictum est I. Cor. 15. Sicut in Adâ omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificabuntur: tunc enim superuacaneum esset addere; Ego sum vita: nam si resurrectionis fons, & causa est, utique est causa vitæ; nemo enim resurgit à mortuis, nisi reuocatus ad vitam, nec sine vita constat resurrectio: de hac enim resurrectione loquebatur, de qua dixerat; Resurget frater tuus. vita ergo in hoc loco, accipitur pro vita beata, & felici, ad quam resurgunt credentes in Christum, de qua dicitur Ioan. 5. Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitæ, & ita accipi verba sequentia probant: Omnis, qui credit

in me, viuet, etiam si mortuus fuerit. Si generaliter vita acciperetur, non esset promissio creditiui; nam credentes & non credentes oēs uiuent. Est igitur resurrectio communis creditibus, & non creditibus, bonis, & malis. Vita autem propria creditibus, fide uiua, & perfecta. Omnes quidem resurgemus, sed non oēs immutabimur, uti Paulus I. Corin. 15. dicit. sensus igitur verborum est; Ego sum causa generalis resurrectionis, qui mortuos omnes ad vitam reuocabo, & adhuc sum causa vitæ, & felicitatis his, qui immutandi sunt: uti enim docet Aug. lib. 6. de Ciui. cap. 12. damnatorum vita, quæ in cruciatus est, morti potius comparatur, idcirco mors æterna in scriptura appellatur: beatorum vero felix, & beata resurrectio. vita æterna dicitur.

Secundò annotandum est, Christum Dominum

Christus causa est, vt eriam mali, & impij resurgant in corpore.

quid vitæ in se habet malis resurgit.

Christus resurrectio causa quæ duplex.

num omnibus esse causam resurrectionis, siue bonis, siue malis; sua enim morte mortem omnium superauit, & ex gratia Christi factum est, & fiet, vt omnes resurgant, tam boni, quam mali; ita docet Tertul. lib. de resurrect. carnis, & probat illo verbo I. Cor. 15. Sicut in Adâ omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. idem etiã docet Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 51. & confirmari potest illo Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ; & illo etiam I. Corin. 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: quòd igitur mali resurgant gratia, & meritum, & virtus est Christi; ideo nunc dicitur; Ego sum resurrectio, Percontaberis. quid utilitas adfert resurrectio malis, vt ex Christi dicitur gratia, & merito procedere? Respondeo in magnum cedere detrimentum & grauiorem poenam illis, sed hoc culpa eorum fit: nam ea vita perpetua data est, vt perfecte in anima, & corpore felices essent, quod si malè vixerunt, ipsi, quod optimum erat, in suam verterunt perniciem. Simile quid inquit Iustin. lib. explicat. Gen. quæst. 3. de fide. Quam, inquit, utilitatem malis affert habuisse fidem? Responderet, multum detrimenti, quia maiori afficiuntur poena. 2. Pet. 2. Melius erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quam post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. & tamen fides donum Dei est, ex gratia Christi pro cedens Medicina utilis est ad sanitem, at si quis sumpto medicamento, quæ necessaria sunt, non curat, nocet vehementer.

Tertiò annotandum est, Christum esse causam resurrectionis nostræ secundum quadruplex causæ genus. Primò quidem est causa prima, & suprema effectrix resurrectionis; & hoc habet, vt Deus est; ipse enim prima causa est suscitandi, & reuocandi mortuos ad vitam. I. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Secundò est causa meritoria, qui suo merito, & iustitia omnium hominum liberationem à morte obtinuit, & hoc habet, vt homo: vt enim Adam suo demerito, & inobedientia omnes nos morti adduxit; ita secundus Adam Christus homo sua iustitia à morte reuocauit ad vitam. I. Corin. 15. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. & Rom. 5. idem docet Paulus obedientiam Christi, iustitiam opponendo inobedientiam Adæ. Tertiò est causa instrumentalis, & hoc habet, vt homo; erat enim illa humanitas instrumentum, & organum quoddam diuinitatis, per quod miracula edebat, quod Athana. ser. 4. con. Arrianos docet; Per carnem, inquit, cœcum illuminauit, & Lazarum resuscitauit, eadem ratione per carnem in die nouissimo suscitabit omnes. Quartò est causa etiam, vt homo exemplaris; ad exemplar enim ipseus caro iustorum surget gloriosa, & impatibilis, de hoc exemplari dictum est Philip. 3. Re-

formabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; quod etiam Ambro. I. Corin. 15. docet dicens, Prior resurrexit, vt esset forma creditibus sibi; verè igitur dictum est; Ego sum resurrectio, & vita, vt Deus, & vt homo, modo iam exposito.

Quartò annotandum est, verbo hoc resurrectionis duas hæreses à sacris Doctoribus contrariè reuincunt. Vna est eorum, qui resurrectionem futuram quidem, in anima tamè sola, affirmabant, negantes corporum resurrectionem. huius hæresis meminit Photius lib. de septem Synodis cap. 5. Irenæus autem lib. 1. cap. 23. tribuit eam Basilidi heretico. Tertullia lib. 5. con. Marcion. tribuit etiam Marcioni. Hi hæretici, vt refert Epiphani. hæres. 64. decepti sunt illo verbo, Matth. 22. In resurrectione erunt sicut Angeli Dei; at hæc hæresis, vt Photius, & Epiphanius doctè considerarunt, vel solo hoc verbo resurrectionis conuincitur: Non enim dicitur surgere, nisi quod cecidit, nec ad vitam redire, nisi quod mortuum est; at homo compositus ex corpore & anima, mortuus est & cecidit; igitur is est, qui surget: anima enim immortalis est, nec moritur, vnde Hiero. in epist. con. Miqueri. & Alexan. Resurgere, inquit, dicitur, qui prius moriendo cecidit. Tertullia etiam Lazari exemplo eandem hæresim refutat; non enim est dictus Lazarus surgere, nisi quia assumpto corpore ad vitam reuocatus est. Multa sunt testimonia scripturæ pro hac veritate Catholica. Iob. 19. In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Luc. 21. Capillus de capite vestro non peribit. Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ. sed hæc omittamus, cū non sit nostri instituti hæc diffusus tractare: satis est verbum Domini annotasse. Locus autem ille Matthæi ab hereticis allegatus, longè alium habet sensum: vt enim dicit Epiph. secundum quodam subiectam materiam comparatio illa procedit: In resurrectione, inquit, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli, nimirum in eo, quod nullis vacabunt, nec incumbent nuptijs.

Alter hæresis eodem conuincitur verbo, & exemplo: Eutyches enim, vt refert Gregorius li. 4. Mora. cap. 29. affirmabat futuram integram resurrectionem, sed corpus assumendum spirituale, non carneum, & ossuum, quem errorem Hieron. epist. ad Pammachium, & Oceanum, inter Origenis errores numerat; Sed hoc eodem verbo refutatur: non enim resurgeret homo, nisi eadem substantia quæ cecidit surgeret, & qui mortuus est vitæ redderetur. Adde loca allegata contra priorem hæresim: nam Iob pelle sua iterum se circundatum iri confitetur, & oculis suis Christum se conspecturum sperat. Luc. 24. Corpus suum Dominus palpandum obtulit, dicens, Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Hæc pro loci præsentis declaratione sufficiant.

Qui cre-

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis, qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.

C O M M E N T A R I V S.

Fidem hanc perfectam ad huc explicat, & dicit: Omnis *Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, uiuet* iterum, si autem adhuc inter uiuos est, non morietur in æternum: quia quamuis temporaliter mortem subibit, ad vitam reuocabitur æternam. Non hic, uti diximus, de ea vita loquitur, ad quam omnes etiam mali surgent; sed vita, quæ verè vita est: illa nimirum beata, & foelix. Illud autem *Qui uiuit*, idem significat ac qui nondum est mortuus; ut sit generalis sententia, omnes credentes in me, siue mortui sint, siue adhuc uiuant in seculo, non morientur in æternum, sed ad tempus, restituendi tamen postea in æternam, & gloriosam vitam. Quibus uerbis ad fidem allicita tantum facta promissione. Per fidem autem, non nudam fidem intellectus, sed perfectam, quæ est cum obedientia mandatorum eius & charitate, intelligere oportet, ut aliàs ostendimus; Nec satis est credere ipsum Christum esse Messiam, nisi simul credamus ipsum esse Dei filium, & verum Deum omnis resurrectionis, & uitæ causam primam, ut probat Hilarius lib. 6. Trinitatis, ubi locum etiam huc adducit.

Credis hoc? ait illi, utique domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti.

Ad fidem hanc exhortatur Dominus Martham, *Credis*, inquit, *hoc?* non quod ignoret, sed ut ad fidem hanc perfectam prouocet: Martha autem mysterium tantum non assequens, ad fidem, quam de ipso conceperat, recurrit dicens; *Ego Domine credidi, quia tu es Christus ille filius Dei*, qui uenturus erat in hunc mundum, & qui expectabatur promissus nobis. Existimauit Martha, se credidisse omnia quæ Christus dicebat, dum credidit ipsum esse uerum Messiam promissum: & verè credebat, sed implicitè: fidem igitur adhibet dictis Christi, sed implicitam, generalem. Sicut si rusticus aliquas fidei propositiones, quas non assequitur, interrogatus, respondeat, credo sanctam Ecclesiam; ita nunc Martha, ego credidi Domine, te esse uerum Christum, & omnia, quæ dicis uera esse; at non distinctè ea percipiebat, nec Christum filium Dei appellat, intelligens esse filium Dei Patri consubstantialem, qui carne assumpta homo factus est, sicut nos credimus, & confitemur; sed filium Dei supra omnes prophetas & iustos, non discernens, nec assequens qualis esset filius Dei: Iudæi enim Messiam filium Dei futurum etiam expectabant; at non omnes huius mysterij distinctam habebant notitiam. In Græco codice sic legimus; *Tu es Christus ille filius Dei*, qui uenturus erat: parum distat hoc in sensu à nostra lectione; idem enim est dicere, *Tu es Christus filius Dei*, qui iam uenisti, cum ante esses promissus, & expectatus.

A N N O T A T I O VIII.

Martha non intellexit perfectè uerba Christi. **A**vgust. tract. 49. existimat Martham intellexisse uerba, & respondisse se ea omnia, quæ de resurrectione sunt dicta credidisse, quando credidit Christum esse uerum Dei filium: propterea enim quia filius erat Dei, est resurrectio & uita, credentelque in eum non moriuntur in æternum. Hilari. lib. 6. Trini. hæc uerba, *Tu es Filius Dei*, sic exponit, nempe ipsam credidisse uerum esse Dei filium, sicut & nos credimus. Chrysostr. autem hom. 61. & Euthym. non assecutam esse uerba Christi, sed magnificum quid concepisse, & unum interrogatam, aliud respondisse asserunt. Si

Autem legamus uerbum in præterito, ut etiam Græcus codex habet, *Ego credidi*, profectò uerum non erat, eam credidisse, fuisse uerum Dei filium, qualem nos credimus, & qualis uerè est: ut enim ex uerbis superius expositis constat, merum reputabat hominem: si uero legere mus (*Ego credo*) ut aliqui legunt, affirmantes Græcum uerbum talem posse admittere interpretationem; facilius id dici posset, nepe tunc quando hæc loquebatur, credidisse esse uerum Dei filium, essetque sensus; *Utique Domine credo, te esse resurrectionem & uitam, quia credo esse Dei filium; tamen sequentia non indicant talem*

talem fidem Martham tunc concepisse. Existimo igitur expositionem probabilioram eam esse, quæ in commentario posita est; interrogata enim de tali fide, implicitè omnia ea confitetur, nondum assecuta sensum distinctum, & explicitum, sed affirmasse omnia sibi uisa est, dum retulit fidem, qua credidit eum esse uerum Messiam; idcirco non respondit Martha aliud ab eo, quod interrogabatur à Christo, ut putat Chrysostr. etiam si de resur-

rectione & uita nihil dixerit, de qua Christus interrogabat: respondit tamen aliter, quia, quod distinctè interrogabatur, ipsa implicitè confitetur. Hac etiam ratione filium Dei confessa est, nesciens tamen, nec distinguens, qualis esset filius Dei; erat enim adhuc imperfecta fides. Dominus autem uerba hæc doctrinæ protulit; quæ etiam si tunc non perciperentur, postea tamen intelligenda erant, & prædicanda.

Et, cum hæc dixisset, abiit, & uocauit Mariam sororem suam silentio, dicens; Magister adest, & uocat te.

C O M M E N T A R I V S.

Verba Marthæ significat Christum ei, ut Mariam sororem uocaret, iussisse: id enim retulit, *Dicens, Magister adest, & uocat te*, & ea est causa, cur abierit relicto Christo eo in loco, in quo ei occurrerat. Breuitati enim Euangelista studens, miro artificio utitur, ut & breuis, & simul in scribendo plenus sit; multa narrat; multa insinuat; & conuenienter omnia disponit. Erat autem Maria non sola, sed multis comitata Iudæis eam consolantibus, ea de causa Martha silentio, eam aduocat, ut solam sciat se à magistro uocari; hoc enim nomine solebant Christum appellare.

Ille ut audiuit, surgit citò, & uenit ad eum: nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

Amoris magnitudo, quo Dominum Maria prosequabatur, nullas admittit moras. *Surgit, & citò uenit ad eum*: uenit autem, quia nondum Christus intrauerat castellum, sed manebat in loco, ubi cum Martha collocutus erat, expectans Mariam. Non est autem ingressus, quia ad locum monumenti Lazarum resuscitaturus uenire decreuerat: erat autem ille locus inde uicinius, quam si in castellum intrasset: rursus enim iterum egrediendum illi erat: & quia ea de causa multi Iudæi conuenerunt, ut ex sequentibus patet, quo miraculum manifestius, & illustrius factum est.

Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum uiderent Mariam, quia citò surrexit, et exiit, secuti sunt eam, dicentes; quia uadit ad monumentum, ut ploret ibi.

Nesciebant Iudæi Christum adesse, & uocasse Mariam, ideo repentinos eius passus & ita celeres, ut nec uerbum ullum presentibus dixerit, non alteri causæ tribuerunt, quam quod dolore tacta nimio, ad monumentum, ut ibi ploraret profecta esset, idcirco secuti sunt eam. Mansio igitur Christi extra castellum multos conuocauit Iudæos, coram quibus gestum est miraculum.

Maria ergo cum uenisset, ubi erat Iesus, uidens eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei; Domine, si fuisses hic, non fuisset mortuus frater meus.

Agnoscebat pedes Maria, quos uiderat, & lacrymis rigans suorum obtinuerat remissionem peccatorum. Ad pedes hosce dolore oppressa prosternitur, & uerba, quæ soror protulerat, enuntiat; quibus enim communis erat causa moestitiæ, & non dissimilis fides, communia etiam fuerunt uerba.

Iesus ergo ut vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit se ipsum.

Videns Dominus Mariam, & Iudæos plorantes, omnibus omnia factus, & dolentibus condolens, ac patientibus clementissimè compatiens, *infremuit spiritu*, id est, fremitum edidit intra se, non in aliquem circumstantium conuersus. Rursus etiam se ipsum turbat, excitauit enim in parte sensitua affectus, & propassiones corporeas, quibus motus, & turbatus interius vsque ad exteriorem vultus commotionem prorupit: illud indignantis, hoc condolentis, & compatiens fuit: indignabatur enim cōtra infidelitatem Iudæam, propter quā Lazarus mortuus, & sororibus his sanctis afflictionis causa data est: nā mors hæc acciderat, vt filius Dei manifestaretur, quæ manifestatio necessaria non erat, si Iudæi tot iam signis & miraculis, conuersi fuissent; Nec Lazarus mortuus esset, si illi iam credidissent. Compatiebatur autem præsentium dolori, & lacrymis. Plura in annotatione require. Notanda tamen est particula *Ergo*, indicans, idcirco Dominum esse indignatum, & cōmotum, quia vidit Mariā, & circumstantes etiam cōmotos, & lacrymātes.

ANNO TATIO IX.

*que sint ur
batio, & fre-
mitus Christi.*

QUIS hic Christi fremitus, quæ turbatio fuerit, variè exponunt Doctores. Primo loco Chryso. hom. 62. & Euthymi. exponunt fremitum esse cohibitionem quandam, qua affectum commiserationis expressit, ne vltèrius prorumperet, & in lacrymas se effundens vocem lachrymantium emitteret: solemus autem, quando huiusmodi motus, & affectus reprimimus, toruum, & austerum vultum facere; *Infremuit*, ergo, *spiritus* id est, affectum commiserationis repressit, & cohibuit vultu, & intuitu auctero, & toruo: spiritum enim affectum hunc interpretantur. Sed hæc expositio mihi probabilis non videtur propter duo. vnum est, quia illorum est cohibere, & reprimere huiusmodi affectus, qui eos inuoluntariè patiuntur, ipsisque nolentibus insurgunt, & propterea conantur quoquo modo eorum impetum reprimere; at Christus non sic hos patiebatur affectus animi, sed voluntariè eos, quando, quomodo, & quantum volebat, assumebat, vt paulò post dicemus; non ergo erat, cur eos cohiberet, & vultu toruo reprimeret. Alterum est, quia quando infremuit, nondum commiserationis affectum assumpserat; non enim dixit Evangelista; turbauit se ipsum, & infremuit; sed prius infremuit, & postea turbauit se.

Secundo loco Theophylactus eandem cohibitionem interpretatur; hoc tamen à Christo modo differens, quod per spiritum, nō affectum ipsum humanum, sed diuinitatem interpretatur, per quam cohibuit huiusmodi inhumanitate affectum. Meminit Euthymius huius expositionis, sed eiusdem argumentis refelli potest, quibus & prior. Adde etiam, si diuinitate repressisset affectum hunc, non diceretur infremuisse; nam humanitatis fremere est, non diuinitatis.

Tertio loco Eusebius Emisenus in quadam sua homilia de hac lectione sic exponere videtur, vt idem sic infremuisse, quod ingemuisse, vt nos doceret super peccantes gemitum

debere; de quibus gemitibus dicitur Rom. 8. Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; at hæc expositio verbi proprietatem seruare non videtur; verbum enim Græcum, *ὀδυρμῶν*, non gemitum, sed potius comminationem quandam significat, quod latinè vertitur fremere: gemitus autem, & fremitus, quamuis in aliquo conueniant, nempe quia sonitus, & voces inarticulatae sunt, & tracto, ac emisso spiritu, & anhelitu sunt: tamen gemitus doloris signum, & tristitiæ est, & suauius emittitur; at fremitus est indignantis indicium, & cum quadam austeritate vultus profertur, seu potius erumpit. & sic Mar. 14. dicitur, fremebant in eam, nempe indignatione commoti. quod liquorem tantæ estimationis effuderit.

Mihi igitur legitima expositio ea visa est, vt spiritus hoc in loco sumatur, sicut Ioan. 13. Turbatus est spiritus; id est, intra se ipsum infremuit, non in circumstantes, sicut illi dicuntur in Magdalenam infremuisse, quia in eam signo indignationis expresso se conuerterunt; non sic Christus fecit, ideoque infremuisse spiritu dicitur, vt significetur in se ipso emisisse fremitum, non in aliquem circumstantium: interius ergo, & intra se infremuit, quāuis exterius sonitum ediderit frementis.

Fuit autem hæc indignatio contra eum, qui causa, vt Christus infremuit, qui causam huius mortis inuexit, propter quam hos lacrymātes aspiciēbat; solemus enim quando aliquem miseria & afflictione vexatum, causa iniustitiæ alicuius videmus, primò quidem indignari in eum, qui afflictionis iniustitiæ fuit causa; postea passio, & afflictio condolemus. Ita nunc Christus infremuit contra Iudæicam perfidiam Phariseorum, & Scribarum illorum, propter quam Lazarum morti depositum est, excus morte tot lacrymæ, & afflictiones processerunt. Aliqui in dæmonem hanc indignationem referunt, sed ea causa à præsentis instituto longè petita est. prior est, & verbis paulo post se quen-

sequentibus magis consona, quam dedimus. A Cyrill. libr. 9. in Ioan. cap. 13. comminationem quandam in mortem exponit. hoc autem non ita facilè accommodatur, sicut id quod iam diximus.

*Christi in-
batio, & fre-
mitus.*

Post indignationem hanc Christus compassionis & tristitiæ, propria voluntate sumpsit affectum; *Turbauit*, inquit, *se ipsum*: turbatio hæc motus est corporeus interior, quo viscera commouentur ad compatiendum, quique lacrymas excitat. hunc motum non inuoluntariè, sicut nos, passus est Christus, qui quando voluit eum accepit: huiusmodi compassionis motu lacrymas præcedente Genes. 43. Ioseph videns Benjamin dixit, Misereatur tui Deus fili mi, festinauitque domum, quia cōmota erant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit. ita nunc Christus turbatur, sed voluntariè, quia viscera calore compassionis commouet, sic autem commotus, vnum profert verbū. *Vbi posuistis eum?* quo prolato, statim lachrymatus est. Assumpsisse autem Christum huiusmodi humanos, & sensituos affectus, certa res est; Nec locus dubitandi de hac re Catholico datur. Matth. 26. Cœpit contristari, & moestus esse, & dixit: Tristis est anima mea. Mar. 14. Cœpit tædere, & pauere. Ioan. 12. Nunc anima mea turbata est. docent etiam sancti Doctores, inter quos est Ambro. lib. 2. de fide cap. 3. & Aug. libr. 14. Ciui. cap. 9. cum alijs multis; Veritatem enim susceptæ carnis in his multum demonstrabat: Eos etiam instrumenta quædam virtutis esse, & sanctè aliquando exerceri posse docebat. affectus enim in Christo aliter, ac in nobis fuere. In his autem affectibus vnum nobiscum habebat commune, sed in pluribus differebat: illud commune erat, quando hos affectus siue timoris, siue tristitiæ, siue alium quemcunque Dominus assumebat, semper præcedebat obiectum aliquod, quod

sibi per considerationem proponens, affectus tales in se efficiebat: Nos enim non timemus, nec tristamur, nec alio commouemur affectu, nisi prius aliquam rem, & obiectum concipiamus, quod talem affectum excitat: idem etiam faciebat Dominus; at multo aliter quàm nos; Primò quidem nostri affectus liberi non sunt; quando enim nolumus, sæpe insurgunt; & quando volumus, sæpe deficiunt, propositoque obiecto impedire non possumus: at in Christo non sic; liberos enim habebat affectus, quando volebat, & quantum volebat, etiam obiectis propositis: erant enim voluntarij, sicut loqui sicut ambulare motus sunt voluntarij ita docet August. lib. 14. Ciui. cap. 9. & Gregor. libr. 3. Moral. capit. 11. propterea Matth. 26. dicitur, Cœpit contristari, quia sua voluntate assumpsit tristitiam. Eadem de causa ibi Hieronymus non passiones, sed propassiones appellat, & nunc etiam dicitur seipsum turbasse. Secundò hi affectus in Christo non præueniebant rationem; nec subuertebant, sed sequebantur, & ei semper subdebantur. tunc timebat, aut contristabatur, quādo ratione iudicabat esse timendum, aut dolendum, aut simili motu afficiendum, & tamdiu afficiebatur, & eo modo, quo ratio dictabat; at nostri affectus præueniunt sæpe rationem, & aliquando adedò insurgunt, vt subuertant eam, & ad ijs consentiendum quæ non licent, attrahant. Tertio in nobis affectus humanis sæpe ex iniustis, & turpibus, aut vanis, & falsis, seu apparentibus obiectis procedunt: Timemus enim non timenda, & afficimur ijs, à quibus remouendus esset affectus; at nihil horum in Christo fuit, in quo nihil erat, quod nō esset sanctum, purum, & diuinæ voluntati conforme. Hæc satis sint pro huius loci explicatione; præter institutum enim nostrum esset amplius in his morari.

Et dixit, vbi posuistis eum?

COM MENTARI V S.

NON ignorabat, vbi esset, qui absens mortuū esse nouit, & qui à mortuis reuocare venerat; sed id, tum propter significationem; tum propter mysterium interrogat: propter significationem quidem, vt annotat Chryso. ho. 62. vt miraculum ab omni calumnia liberaret, ne aliqui calumniarētur ex communi aliquo consilio factum, vt mortuus fingeretur, & sic crederetur suscitatus, propter quam causam multa ad huc facta sunt, vt omnibus mors Lazari esset prius manifesta: propter mysteriū autē, vt se non causam mortis hominum dedisse ostenderet. Ita hunc locum exponit Seuerianus, vt refert Gregor. li. 8. epist. 42. quasi Dominus per mysterium exprobraret mulieribus Eux culpam memorans, & dicens. Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulchro. sed illud ad literalem sensum, hoc ad spiritualē facere videtur: sicut & id, quod dicit Ambrosius libr. 2. de pœnitentia cap. 7. vbi hæc, & sequentia verba doctè, & piè, vt solet, spiritualiter exponit. quod autem ad litteram facit præter id, quod prius diximus, illud est; in gestis suis modò se Deum, modò se hominem Christum significare voluisse, vt vtrāque verè habere naturam comprobetur; ideo rectè Athanasius in oratione

ad Maximum Philosophum de diuinitate Christi; percontatur, inquit, humanitus, vbi Lazarus situs sit; sed tamen excitat eum prorsus diuinitus.

Dicunt ei, Domine veni, & vide.

Intellexerunt sorores Dominum interrogasse, vbi positus esset, animo ad monumentum eundi: idcirco respondent, *Veni, & vide*, non ad verba, sed ad intentionem interrogantis responsionem accommodates, vt fieri solet. Hoc etiam paruę fidei est, si enim credidissent perfectę, non *Veni, & vide*, sed, Tu omnia nosti, respondissent. Vt annotat Epiphanius in Ancorato.

Et lachrymatus est Iesus.

Accepto responso iter ad monumētum direxit, & lacrymas effudit; turbauerat enim se interius commiserationis, & compassionis affectu, & ad lacrymas vsque commotionem, & turbationem erumpere sinit; vt cum plorantibus plorans, misericordię suę daret argumentum.

ANNOTATIO X.

Causa lachrymarum Christi.

CAUSA huius tristitię, & lacrymarum inquirenda est; varię enim Doctores in hac parte loquuntur. Primò Basil. orat. de gratiarum actione negat Christum propter mortem Lazari fleuisse; quia, inquit, sciebat de proximo suscitandum; sed fleuisse asserit, vt nobis daret exemplum modestię, temperantię in similibus casibus. Et in homil. de mœrore & tristitia, reprehendit excessum hominum in his fletibus, & iterum repetit Christum propter nostrum exemplum fleuisse; quam etiam fletus causam dat Augu. tract. 49. Secundò Hilari. lib. 10. Trinit. consentit non fleuisse propter mortem Lazari, sed adducit aliam causam, cur non propter eam fleuerit, nempe, quia illa erat pro gloria Dei manifestanda; nec etiam fleuit, inquit, eadem de causā, qua absens fuit, nam dictum est, Gaudeo, quia ibi non eram, ad ostensionem autem suę humanitatis fleuisse affirmat, at ipsemet Hilarius in Psal. 68. adfert causam aliam, cur fleuerit, nempe propter Iudæorum infidelitatem, qui tanto miraculo adhuc credituri non erant, idemque sentire videtur Epiphanius in Anchorato, dicit enim lachrymatum esse Dominum, propter hominum obstinatam duritiem, nimirū Iudæorum illorum perfidiam. Tertio loco Ambros. lib. 2. de pœnitent. cap. 7. fleuisse dicit propter lacrymas Marię scilicet ex affectu, & pietate quadam. conformis est in hoc Chryso. hom. 62.

Pro hac difficultate soluenda, aliqua respondeo. Vnum est, quamuis verum sit ad humanitatis suę ostensionem, & ad nobis præbendum exemplum fleuisse Christum, tamen necesse est causam, & obiectum aliquod interfuisse, de quo contristatus est, & propter quod flebat, Sicut enim comedit, & alias operationes fecit ad ostensionem humanitatis, tamen necessarium erat illas actiones habuisse obiecta, circa quę versabantur: non enim comederat sine cibo, nec ambulabat sine loco, in quę tendebat, ita etiam nec tristabatur sine obiecto aliquo, & re proposita, circa quam est tristitia. Secundum est, non esse improbableem fleuisse mortem Lazari, vt suas lacrymas confor-

maret sororibus & Iudæis plorantibus, nec rationes allatę in contrarium efficaces sunt. Quod enim mox suscitandus esset, & quod mors illa esset pro gloria Dei, non impediebant, quo minus esset aliquod in se malum pœnę, quod absolutę, & sine circumstantiis consideratum effectiuum erat tristitię. hęc enim ratione Dominus ipse pro nobis de sua morte, & passione mœstus factus est, & timuit, quamuis pro Dei gloria, & nostra salute moriturus, & mox resurrecturus erat. Sibi enim proponebat mortem, & passionem absolutę, & sine circumstantiis, vt ex hac consideratione tristari mœrere, & timere posset: quod in sequenti capite exactius declarabimus, ita nunc mortem amici, & sibi chari absolutę considerauit, & contristatus, & lachrymatus est, Nec video cur hoc negari debeat, immò verum esse videtur; non enim Dominus decipere voluit sorores, & Iudæos, qui omnes eum propter Lazarum flere arbitrati sunt, sicut & ipsi flebant, & est Augustinus in hac sententia lib. 1. Hypogno. contra Pelagianos dicentes, Deum mortem fecisse, atque etiam si homo nõ peccasset eum tamen mortalem futurum & moriturum. Argumentatur autem August. contra hoc, quia Dominus mortuum Lazarum fleuit, non autem, quod ipse fecit, dolere debuit. Quidquid sit de hoc argumento, tamen sententia eius est, fleuisse Lazarum mortuum. Idē sentire visus est Irenę. li. 3. ca. 32. dicens: Christum lacrymatum esse super Lazarum. Tertium est, non tolam Lazari mortem fleuisse, sed præsentem sororum afflictionem, & lacrymas, ex quadam compassione, & affectu, & in hoc placet sententia Ambros. & Chryso. quam causam indicat Euangelista dicens: *Vt vidit, Martham, & Mariam, Iudæos plorantes, turbauit se ipsum;* ac si diceret, propter lacrymas, & afflictionem sororū, propter quas Iudæi etiā plorabant, ipsi etiam pro sua benignitate, & pietate contristari voluit, & lachrymatus est. Quartum est, probabile esse multa alia sibi Dominum ante oculos proposuisse, nempe infidelitatem Iudæorum, damnationem & reprobationem eorundem, huma-

nas

rum enim causa exposita est, nempe mors Lazari, sororū afflictio, & calamitas præsens: at huius fuit infidelitas; & dura perfidia Iudæicā, vnde hæc mala sunt orta, vt superius dixim⁹.

Dixerunt ergo Iudæi; ecce quomodo amabat eum.

COMMENTARIVS.

CVM lacrymantem Iesum Iudæi viderent, existimantes eum mortem Lazari flere, vt verè flebat, dixerunt, rectę argumentantes ab effectu ad causam, *Ecce quomodo amabat eum*, id est, multum certę amabat Lazarum; quādo tantus Propheta, & tantorum operum effector, quasi homo quidam communis propter eum lacrymatur. Dilectio interior per exteriora opera, & signa cognoscitur, & commendatur. *Ecce quomodo amabat*, Vox est admirantiū magnitudinem dilectionis Christi erga Lazarum, & admiratio procedebat ex maxima opinione, quam de Christo conceperant: eis enim videbatur tāto homine indignum flere, nisi grauißima ex causa, idcirco amoris magnitudini tribuerunt.

Quidam autem ex ipsis dixerunt; non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?

ILLI amoris magnitudinem, hi autem impotentiam admirantur; existimant enim impedire mortem Lazari non potuisse, & causam admirationis exprimunt, nempe quia, *Aperuit oculos cæci nati*, quod non videtur minoris potentię, quā infirmum a morte præseruare, idcirco admirantes dicunt, Mirum est, quomodo, cum aperuerit oculos cæci nati, non potuerit facere, ne hic moreretur: hunc enim sensum verba faciunt. Non dicunt autem nõ potest suscitare mortuū, quia hoc multo maius erat, quā oculos cæci aperire; sed quod minus est assumunt, nempe facere ne moreretur: hoc enim minus videbatur illis, quā cœcū illuminasse. Hi Iudæi inducti sunt, vt crederent Christum non potuisse impedire mortē Lazari, quia eum lacrymantem viderant, quasi de Lazari morte doleret. Sic enim argumentabantur, Lacrymatur ergo dolet de morte: nõ igitur potuit, ne moreretur, impedire. At errarunt isti valde: nam potuit facere, ne moreretur, sed non fecit, vt mortuum suscitaret: nõ effecit, quod minus erat, vt faceret maius, & in hoc filius Dei glorificaretur. Rectius, & verius argumentati sunt priores, qui dilectionem erga Lazarum nouerunt; quā posteriores hi, qui ex eo quod non fecit, falso facere nõ potuisse collegerunt. Nec vitio caret & reprehensione talis argumentatio; nam ex facto cæci nati deducere facillē erat, infirmum præseruare potuisse, si voluisset. Sicque oportebat eos discurrere. Oculos cæci nati aperuit; ergo potuit hic facere ne moreretur, quod si nõ fecit, & amabat eum, vt ex lacrymis constat, igitur aliquod in hoc latet mysteriū, & forsā suscitare disposuit. In Græco codice legitur, vt & hic non moreretur; id est, vt etiam hic non moreretur, sicut fecit, vt cæcus illuminaretur, & ita legendum videtur.

Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.

PARTICULA *Ergo*, causam fremitus huius & superioris, simul etiam sententię declarat: nam illationem habet ex præcedentibus, & sensus est. Quia isti increduli in sua perfidia manebant, impotentię tribuētēs, quod Lazarus mortuus fuerit; iterum infremuit & indignatur, quasi fremitū ingeminans, cum & Iudæi infidelitatem ingeminarent. Hoc facto, venit ad monumentum; in quod Iudæicā perfidia Lazarum detruferat. Hic est sensus, & connexio dicitur autē fremere in semetipso, quod prius dixerat, infremuit spiritu. hoc enim

enim indicat Euangelista dicens, *Rursus fremēs in semetipso*, quod nostram superiorem expositionem maximè confirmat: dicitur autem, *in spiritu, & in semetipso* infremuisse, quia neminem circumstantium exprimebat indignationem hanc: non enim fremuit aduersum illos, sicut Mar. 14. dicuntur discipuli fremuisse contra mulierem illam; sed fremitum emisit in seipso, contra infidelitatem & perfidiā ipsam Iudaicam; sicut & nos solemus aliquando fremitum aliqua ex causa coram alijs edere, sed non in eos, & hoc est in semetipso fremere.

Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.

Describit Euangelista monumentum, *Erat*, inquit, *spelunca* quædam, in qua iacebat mortuus, & lapis erat speluncæ ori superpositus, quo spelunca clauderetur: huiusmodi sepulchris utebantur Iudæi, vt etiam nunc aliquæ nationes vtuntur.

Ait Iesus, tollite lapidem.

Potuit virtute propria lapidem remouere, qui potuit mortuum de sepulchro facere exire: at vt miraculum fieret manifestius, ipsis iubet, vt tollant: vt eum tollentes, proprijs sensibus, & mortuum videant, & eius foetorē sentiant, oculisque ac sensibus, tanti miraculi virtutem agnoscant. Hanc causam huius rei adfert Ambro. lib. 1. Examer. cap. 7. & lib. 2. de penitentia c. 7. cui alteram spiritualem adiungit Orig. & tom. 28. spiritualem alium adducit: literalis tamen ea est, quam diximus.

Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat, Domine iam foetet, quatruiduanus est enim.

Martha nescia futuri miraculi, & adhuc imperfectæ fidei, Christi præcepto humiliter resistit, ac modestè tollendū esse lapidē negat, ne foetor erūpens adstantium sensus offendat: Foetere autē facile sibi persuadebat, quia quatruiduanus erat mortuus. Hæc verba indicant non solum quatuor dies in monumēto habuisse Lazarum, vti supra dictū est, sed à morte ipsius solos quatuor intercessisse dies: ex quo fit, vt quo die mortuus est, eodem sit in monumēto positus. Permisit Christus hæc verba à Martha proferri, vt adstantibus mors Lazari quatruiduana innotesceret, vt tanto illustrius fieret miraculum. Non autem sine mysterio Euangelista addit tot verba: nēpe, *soror eius, qui fuerat mortuus*, cum aliàs sepe solo nomine Marthæ vsus sit; his enim verbis significare voluit miraculi magnitudinem: nam erat Lazarus ita iam corruptus, vt nec sorori propriæ gratus eius fuerit aspectus.

Dicit ei Iesus, nonne dixi tibi, quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei?

Reprehendit Dominus Marthæ incredulitatem, & fidei inconstantiam; non enim credebat fratrem suscitandum ante diem nouissimū. Verba autem reprehensionis sunt, *Nonne dixi tibi*: quasi diceret, reprehensione tãto magis es digna, quanto plus es à me iã edocta. dixi enim tibi, *si credideris, videbis gloriam Dei*, id est, videbis miraculū in signe diuinitatis meæ, in quo mea diuinitas cōprobabitur, & innotescet; hoc est videre gloriam Dei, nempe opera diuinitatis magnifica videre, quibus ostendebat Christus, se esse filium Dei; qua ratione etiam dictum est supra in capite primo, Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre. Interrogabit aliquis, quando hoc ei dixit Dominus: Respondeo, quando ei occurrit, & cetera quæ scripta sunt audiuit, tamē hoc Euangelista nō narrauit, breuitati studēs, quia iterū repetendū erat, satif. que duxit nūc narrare; sicut superius fecit, quādo Martha dixit, Magister ad est, & vocat te, nec ante narrauerat, iussisse, vt vocaret. Ita respondet Euthy. est legi.

est legitima responsio; quamuis alteram etiam adferat, nempe verba illa narrata, Qui credit in me, &c. hunc habuisse sensum: responsio prior tamen est vera, & propria.

Tulerunt ergo lapidem.

Adhuc perseuerante Dominio in suo præcepto, ministri tulerunt lapidē; hoc indicat particula *Ergo*, ac si diceret; quia Dominus in proposito suo permanebat, & Marthæ obiectionē repulerat, idcirco ministri Christo obediētes lapidem tulerunt. Vnum est, quod annotauit Origen. tom. 28. nempe Martham sua incredulitate retardasse miraculum Christi: distulerunt enim ministri lapidem tollere propter verba Marthæ. quod Origenis dictum non est intelligendum, quod extra tempus à Deo constitutum, & dispositum factum fuerit miraculum: nam in hoc etiam fuit præuisum, quod Martha obiecit, & retardauit, sed intelligendum sic est, Dominum tardius disposuisse facere miraculum propter Marthæ verba, quàm statuisset, si ea non intercessura essent, quamuis modica mora hæc fuerit.

Iesus autem, eleuatis sursum oculis, dixit.

Oculos extollit in cœlum, vt hoc facto exteriori, se virtute cœlesti, & diuina facere, quæ facturus erat, significaret: seque esse eius filium; qui in cœlis habitare dicitur, qui est gloriosus Deus, quem etiam allocuturus, oculos conuertit: solemus enim oculos in eos figere, quibuscum loquimur: locuturus ergo cum Patre, ad cœlum oculos erigit.

ANNO TATIO XI.

quid oculo-
rum eleuatio
in cœlum fig-
nificet.

OCULORVM eleuatio ad cœlum, & in signum. & in professionem fit. In signum quidem eleuationis mentis in Deum: quando enim interius mentem ad Deum attollimus, siue contemplationis, siue petitionis, siue gratiarum actionis, siue alterius cuiusvis actionis gratia, oculos etiam corporis in cœlum: interiorem contemplationem significantes, figimus. In professionem autem: nam sicut mentis conuersione ad Deum profiteamur animam ab ipso Deo pendere, & ipsius subesse dominio, & prouidentia, ita etiam oculorum in cœlum motionem corpus nostrum eiusdem Dei subesse dominio, & prouidentia confitemur: sicut enim tam anima quàm corpus, ipse est, ita vtroque ad eum conuertimur: vt enim mens in anima, sic oculi in corpore se habent: hinc est eleuationem oculorum hanc in cœlum esse actum religionis, & patriæ. quo colimus, & veneramur Deum, ipsumque confitemur, à quo omnia humana bona procedunt: ea igitur de causa in scriptura prohibetur oculis ad idola leuare. Ezech. 18. In montibus non comederit, & oculos suos ad idola non leuauerit: è contrario autem ad Deum attollere, laudi ducitur. Psal. 122. Ad te leuavi oculos meos, qui habitas in cœlis. In scriptura bis extulisse oculos Christum in cœlum legimus: semel etiam ex Ecclesiæ traditio

Ane habemus, quamuis probabile, & indubitatum sit, læpius id accidisse. Primò quidem nūc Lazarum suscitaturus, oculos sursum dicitur extulisse: Secundo (& hoc ex Ecclesiæ traditione habetur) quando in nocte cœnæ sub panis, & vini speciebus suum corpus, & sanguinem obtulit. Ecclesia enim in canone refert, Eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem, benedixit, & fregit: Tertiò quando peracta cœna, & habito sermone illo mirabili Ioann. 19. orauit ad Patrem, & subleuatis oculis in cœlum dixit, Pater clarifica filium tuum. neque verò insigni caret mysterio oculos in cœlum sustulisse vicinum morti, & passioni. Voluit enim significare iam adesse tempus redeundi ad eum, qui misit illum, vt qui descenderat de cœlo, ascenderet in cœlum: istaque est causa, cur etiam in hoc miraculo oculos extulerit, quod in alijs fecisse miraculis non legitur, nimirum significans: id quod facturus erat, occasionem & causam futurum Iudæis, vt eum morti traderent, & rediret in cœlum. Attende oculorum eleuationem cæremoniam quandam esse exteriorē, qua vsus est Dominus, & qua vtitur ecclesia ipsius exemplo propter causas dictas: non igitur exteriores cæremonia sunt reprobandæ, vt hæretici nostri temporis temere, & nullo consilio reprobant.

Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.

COM MENTARIVS.

ERat Christus vna persona, nempe Dei filius habens duas naturas diuinā & æternā, secundum quam erat Deus; humanā & in tempore factam, secundum quam erat homo. Vt igitur hanc vtrāque naturam habere se ostendat, in vnica & eadē sētentia verbū quoddā profert vt Deus; & quod-

dam vt homo; vt sicut vna persona Deus erat, & homo, ita vnica sententia verbum Dei, & verbum habeat hominis. Patrem appellat, vt Deus; Auditur, & gratias agit vt homo. Auditus autem dicitur à Patre, vt homo, quia voluit, vt homo Lazarum suscitare; & hoc idem voluit Pater voluntate diuina, vt fieret; gratias agit vt homo, pro hoc beneficio; nam Deum voluntati humana annuere, vt quod homo vult, Deus velit, & faciat, beneficium est homini collatum, gratiarum actione dignum. Agit ergo Christus, vt homo, gratias Patri, quia vt homo exauditus est, dum quod voluit humana voluntate facere, hoc ipsum voluit Deus Pater. exactiorem interpretationem in annotatione perlege.

A N N O T A T I O X I I.

Quomodo
Christus au-
dit à Patre.

P R I M O loco interrogare aliquis posset, si Christus auditum se dicit à Patre, ergo aliquid petiuit à Patre non enim exauditus dicitur, nisi qui petiit: quando igitur Christus petijt, vt nunc dicat se auditum? Aliqui ita factum esse existimarunt, nempe prius preces fudisse ad Patrem pro Lazaro suscitando, pro quarum exauditione nunc gratias agit, sed hæc responsio non habet solidum fundamentum: Ioannes enim verborum, & actionum Christi diligentissimus scriptor tanti momenti rem non prætermisisset, si verè facta fuisset: præterea quia Martham dicentem, quæcunque petieris à Deo dabit tibi Deus, correxit; ostendens se non indigere precibus, & petitione: non igitur conueniens videbatur, precibus hisce uti, ne Martha in suo errore confirmaretur. Adde argumentum non procedere, nec efficaciam habere: Auditus est, ergo petijt. in scriptura enim Deus audire non solum dicitur, quando quod petitur facit: sed etiam quando id facit, quod homo vult aut desiderat, etiam si non petat: de priori audiendi modo plena est scriptura: satis autem constat. I. Ioann. 5. Quodcunque petierimus secundum voluntatem, scimus, quia audit nos: de posteriori Psalm. 9. habetur, Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. & Iob. 31. Desiderium meum audiuit omnipotens non igitur, quia nunc Christus à Patre auditus dicitur, preces fudit aliquas pro Lazaro suscitando, sed dicitur exauditus, quia Pater voluit facere sua omnipotentia, quod Christus, vt homo, & voluntate humana volebat, nempe Lazarum suscitare; ita Orig. to. 23. exponit. Chryf. autem homi. 63. qui Christum fudisse preces affirmat, hanc actionem gratiarum appellat preces; hoc tamen difficile accommodatur, iam enim exauditus erat, quando gratias agit.

Quomodo
Christus gra-
tias egerit
Patri.

Interrogabit iterum aliquis; Nemo dicitur gratias agere, nisi pro accepto beneficio: si igitur gratias agit Christus, ergo beneficium accepit aliquod à Patre. Respondeo ita esse, in primis Christus beneficia accepit, vt homo, in se, & in sua humanitate: fuit enim primum, & in signe beneficium illi humanitati collatum, & assumptio ad diuinam personam, ex qua vnione infinita dona in eam effluerunt præter beneficium creationis, (nã anima, & caro illa à Deo facta sunt) pro quibus beneficijs gratias egerit, in instanti primo suæ creationis. Quæ-

cunque etiam opera faciebat, & miracula edebat, beneficia erant Dei, & qui per eam humanitatem efficere tanta opera dignabatur; quamuis autem iam à principio egerit pro omnibus tunc acceptis, & accipiendis, postea tamen successu temporis agebat, quando ita expedire iudicabat. Rursus in suis membris accepit multa dona, & beneficia à Deo, de quibus Psalm. 67. dicitur: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: accepit dona in hominibus, & pro his etiam egit gratias Deo, non solum in illo suo in carnationis exordio, sed etiam postea, vt habetur Matt. 11. Confiteor, inquit, tibi Pater, Domine coeli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Non ergo mirum, si nunc gratias agat, quia beneficium in suis membris, & in sua etiam humanitate accepit; Beneficium enim magnum humanitati fuit, vt Deus vellet facere, quod humana voluntas disponebat: beneficium enim grande fuit Lazaro, sororibus, multis etiam Iudæorum qui per hoc miraculum crediderunt. Rectè ergo gratias agit, vt homo, Patri Deo.

Inquires iterum, cur Patri agit gratias, & non sibi, cum sit Deus vnus cum Patre? Respondeo, sibi etiam vt Deo gratias agebat vt homo: non enim diuidebat se à Patre in hac gratiarum actione; sed ipse, vt homo solus agebat gratias Patri, & sibi vt Deo, & Spiritui sancto, exprimitur autem Pater, (vti alias etiam dixi) vt se esse filium Dei significaret, distinctionemque personarum Patris, & filij indicaret: nam se esse Deum vnà cum Patre verbis proximè subiunctis exprimit, ne aliquis gratias agere, vt homines cæteros suspicaretur, quamuis satis se à meris hominibus distingueret, dum Deum Patrem appellabat. Est enim obseruandum in veteri testamento sapissimè è legi, Patres ad Deum preces fudisse, & ad Deum frequentissimè fuisse conuersos, neminem tamen vnquam cum Deo colloquentem, eum nomine patris inuocasse, qua appellationis nouitate super omnes Prophetas, & Patriarchas significabat Christus se esse Dei filium: immo oec nobis in Euangelio concessit Christus, vt absolute Patrem vocaremus, sed Patrem nostrum, quo verbo adoptio exprimitur: distincti enim ab eo sumus, qui non adoptione, sed natura est filius: idcirco Ioann. 20. dicebat: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.

Ego

G ratiarum actione completa, duos errores, quos audientes poterant concipere remouet: dum enim audirent gratias agentem Patri, quia auditus est, suspicari possent, & dicere nesciebat igitur se auditum iri à Patre, idcirco gratias agit, postquam auditus est. Rursus, dum gratias agit, quia nunc auditus est, possent etiam opinari, non igitur semper auditur, ideoque quando auditur, tunc agit gratias. Hos errores duos præcauet Christus propter adstantes adhuc cum Patre loquens, priorem in verbo *sciebam*, posteriorem in verbo, *Semper*, & est sensus, ò Pater has ego gratias ago tibi nunc, quia audisti me, non quod nescirem prius me à te auditum iri, nec quod aliquando à te non exaudiar: sciebam enim iam ante, me audiri à te semper, & quæcunque volo, & quodocunque volo, etiam vt homo, eadem te velle, & facere semper; nec his de causis has ago tibi vt homo gratias, sed alia de causâ, quam mox adiungit: Interrogabit aliquis, quo modo Christus dicit se semper audiri à Patre, cum in horto petierit calicem transferri à se, & non sit exauditus. huius responsionem inuenies cap. 12. annotat. 9. adiunctis ijs, quæ in eo commentario scribuntur.

Sed propter populum, qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti.

C ausa propter quam, ò Pater, has tibi ago nunc publicè gratias, ea est, vt populus, qui adest, & coram quo opus tam insigne, tua virtute molior, credat me esse filium tuum à te in hunc mundum missum: credent autem dum vident me virtute tua, & voluntate tua talia facere, quæ facio; vident autem tua me virtute ea facere, dum te confiteor, & tuæ potentiæ hoc tribuo factum, nec dæmonis aliquo, aut humano ministerio; sed nomine tuo, & in nominis tui manifestationem, & confirmationem operor: ea est causa, cur oculos ad te attollo, cur has publicè tibi ago gratias.

A N N O T A T I O X I I I.

Difficilius in
interpretatio.

A M B R O. li. 4. de fid. ca. 3. & Chryso. hom. 63. & Euthymius, verba illa *sciebam quia semper me audis*, ad diuinitatem referunt, ratione cuius filius semper à Patre auditur, quia vna est vtriusque voluntas, qua quæ vult filius, simul vult & Pater, estque iuxta hanc intelligentiam verborum sensus: *sciebam, quod semper me audis*, id est, hæc dico, nempe gratias ago tibi, non quod indigeam precibus vllis; scio enim me esse vnum Deum tecum, vnamque habere voluntatem, vt quæ volo semper velis etiam & tu: Hæc expositio est accommodata; accommodatior tamen videtur, si dicamus eum loqui, vt homo est: nam hæc verba declarant præcedentia, in quibus aguntur gratiæ, qui auditus est vt homo: ad eandem ergo pertinent auditionem: Explicat enim non sibi nouum esse, nec inopinatum, audiri etiam vt hominem, quia sciebat iam à principio incarnationis facturum Patrem, quæcunque ipse humana sua voluntate voliturus erat, distincteque omnia tunc nouit, & gratias tunc egit. Non igitur pro re noua, aut inopinata, nec nouæ gratiæ aguntur, quasi non actæ fuerint, sed factum hoc est propter populum circumstantem, vt credant à Deo esse, dum in Patris testificationem, & manifestationem tantum, & tam mirabile opus facit. Cum enim dicit: vt credant, quia tu me misisti; significat se hoc quod facturus erat, miraculum facere, non solum virtute diuina, sed ad confirmandum, & attestandum se esse filium Dei, missum à Patre, quod superius cap. 3. latè explicauimus.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit; Lazare veni foras.

C O M M E N T A R I V S.

C lamat, vt omnibus innotescat se esse, qui mortuum suscitatur: clamat etiã, quia Lazari resurrectio figura quædam erat futuræ resurrectionis nouissimæ, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: Clamor autem hic futuram vocem illam significabat Archangeli, quando omnes surgent, quod annotat Ambro. li. de fide resurrectionis. Sed prior causâ litteralis

litteralis est. *Lazare, inquit, veni foras*, imperantis vox est *veni*, nec dicitur nomine Patris, ut notat Chryso. sed tanquam potestatem in se habes, *Veni*, nomineque proprio eum vocat, ut suo imperio illum suscitari indicaret. Tantæ enim virtutis erat, ut vocaret ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sũt, cui mare & venti, mortui & viuentes obediunt.

Et statim prodijt, qui fuerat mortuus.

NVlla morâ facta, non solum quatrduanus mortuus ad vitam reuocatur, sed quasi viuus extitisset, vocemque iubentis, ut egrederetur è monumento audisset, prodijt. Inaudita profectò vocis hæc virtus est, ut animã trahere loco in quò morabatur; & corpus recipiendæ animæ disponere, simulque vtrunque venire, & coniungere; & ut reuocatus ad vitam mandato obediret, efficere, vnico momento potuit. Virtus hæc altissimi Dei est, cui instrumentum vox illa erat. quæ cū debilis sonus ex natura sua sit, ratione mouentis, & loquentis, quod tota naturæ potentia non potuit, affecuta est.

Ligatus manus, & pedes institis; & facies illius sudario erat cooperta.

Plura miracula in Lazari resurrectione.

HOc nouum est, & distinctum miraculum, ut doctè annotauit Basi. Ora. de mœrore, & tristitia; Opertis enim oculis, & ligatis manibus, & pedibus, nemine auxiliante, de spelunca egreditur. Rectè proindè idem Basilus inquit, O res admirationis plena, fascijs constricti erant pedes, ne tam impedimento fuerunt mortuo; maius erat robur impedimento. hæc omnia facta sunt in maiorem miraculi attestacionem; nam profectò, etiam si viuus fuisset, de monumento prodire sic impeditus solus, & tam celeriter non posset, nisi virtus adfuisset diuina.

Dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire.

PRæcipit ipsismet Iudæis, ut soluant, & oculis suis videant, manibusque contrectent ligamina, quibus tenebatur, quibusque cõstrictus incedere nemo poterat, ipsumque viuentẽ, cõspiciebant; abireque iubet, ut ab omnibus videatur viuus, & sanus. Cõmodior enim singulis dabatur occasio videndi, si non in vno loco staret; & vero vitæ receptæ ipse incessus maius, & illustrius erat argumentũ: omnia enim hæc facta sunt, ut omnis occasio calūniæ, & falsa suspicio tolleretur: quod Ambro. lib. 1. Exam. cap. 7. rectè docuit dicens, Suscitaturus Dominus Lazarum iussit, ut Iudei remouerent lapidẽ de sepulchro, ut mortuum videntes, postea resuscitatum crederent: Deindè vocauit Lazarum, & resurrexit, & ligatis manibus, ac pedibus exijt foras: nõnè poterat remouere lapidem, qui poterat mortuum resuscitare? & qui poterat defuncto vitam reddere, nõ potuit nexus soluere vinculorum? cui vincis pedibus gressum dedit; huic nõ potuit ruptis vinculis incessum reddere? sed vtique aduertimus, quod voluit primò demonstrare mortuum, ut oculis suis crederet, deindè resuscitare, tertio iubere, ut ipsi vincula funeris soluerent, ut intus ista fides infunderetur infidelibus, & per gradus quosdã credulitas nasceretur. Hæc Ambro.

A N N O T A T I O XIV.

QUATVOR sunt, quæ miraculum resurrectionis Lazari inter cætera celeberrimum efficiunt. Quorum primum illud est, quod omnium miraculorum, quæ in suæ diuinitatis manifestationem Christus gessit, maximum est, auctore Augustino sermo 52. de verb. Domini. Quod etiam Dominus verbis illis significauit: *Infirmas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*, quasi diceret, hoc opere mea diuinitas est maximè confirmanda, & ex infirmitate hac procedet argumentum illius efficacissimum: Si miracula quidem diuinæ potentia comparamus, vnum altero non est maius, quia ab eadem omnipotentia effecta sunt, imò ut dicit Augusti. tract. 17. in Ioan. miracula non sunt dicenda. Deum enim,

enim, cuius est infinita potentia, quique ex nihilo fecit omnia, mortuos suscitare, aut alia huiusmodi opera facere, mirum non est. Respectu verò virtutis creatæ, & potentia rerum factarum opera sunt, & dicuntur miracula. Nam quo magis opus quoddam virtutem creaturæ superat, eò non solum miraculum, sed etiam maius miraculum censetur: inter ea quæ naturalem & creatam potestatem, & virtutem maximè excedunt, resurrectio mortuorum est; idcirco hæc inter miracula primum locum tenet. Nam tres mortuos à Christo suscitatos legimus, inter quos Lazari resurrectio mirabilior fuit, quippe quæ virtutem creaturæ magis transcendebat. Adde prophetas mortuos aliquos suscitasse, quatrduano verò, & foetido solus Christus vitam restituit, tanto ergo mirabilior hoc opus, quanto rarius fuit, ideo inter cætera miracula hoc maximum est.

Quæ Christus in fine prædicationis Lazari suscitauit.

Meritò autem Dominus tantum opus in suæ prædicationis finem reseruauit; tum propter Iudæorum incredulitatem: nam sicut Medicus potentiora medicamenta in principio morbi non adhibet, sed quò magis is ingrauescit, eò efficacioribus vitur remedijs, ita Christus crescente, & inualecente Iudæorum infidelitate, & pernicacia, maiora edidit miracula, veritatemque firmioribus argumentis persuadere conatus est; tum etiam propter Discipulos, & propter eos, qui in ipsum credebant, ut sic eorum fidem magis confirmaret, & roboraret. Nam imminēbat passio eius, & mors, quæ illis scandalo graui futura erant; ut ergo significaret se non necessitate, aut infirmitate, aut culpa, sed spontè, & diuino mysterio moti, idcirco morti proximus maximum perficit opus, & veritatis grauisimum profert argumentum.

Secundum, quod huic miraculo est singulare, illud est, quod plures ad Christum conuertit, quam cætera omnia: Iudæis enim magnam admirationem mouit, & auctorem verum esse Christum quam plurimis persuasit.

Hoc Euangelista verbis illis significauit, *Multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecerat, crediderunt in eum*. Turbæ etiam ex omni loco Hierosolymis id temporis celebrandi Paschatis ergo congregata obuiam venit Christo cum ramis acclamans, *Benedictus, qui venit in nomine Domini rex Israel*, verbis enim hisce Messiam esse palam cõfitebatur, quod factum est propter id miraculum, referente Euangelista paulo inferius, *Propterea venit ei obuiam turbæ, quia audierat eum hoc fecisse signum*. Denique omnium animos adeo commouit ut aduersarij furore perciti, & veritate,

Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

COMMENTARIVS.

IAm impleri incipit, quod prædixerat Dominus, Infirmitas hæc est, ut glorificetur filius Dei per eam: ecce propter hoc tã mirabile opus, multi Iudæorũ, qui il-

A conuicti dicerent, *Totus mundus abijt post eum.*

Tertium, quod hoc miraculum celebre facit, illud est, nemini eorum, quibus Christus vitam, aut sanitatem restituit, perfidos Iudæos quicquam mali inferre aulos fuisse præter Lazaro, quem, quia multi propter illum credebant in Christum, occidere cogitarunt, & nisi diuina virtute eos impedisset, vtique interfecissent, quòd argumento est miraculum hoc maximè omnium animos commouisse, lumenque veritatis eorum oculos perstrinxisse. Nec hoc tantum contra Lazarum cogitarunt; sed quòd horribilius est, ipsi persecutores iam antè contra Christum accensi, eo miraculo adeo exarserunt, & inflammati sunt, ut communi consilio, & firmo animo illum interficere decreuerint, testante Euangelista, *Ab illa die cogitauerunt, ut interficerent eum*: timuerunt enim, si eum dimitterent, omnes in eum credituros esse. Quòdque illorum animos illustrare, & ad veritatem agnoscendam, attrahere debuit, ipsorum vitio, & prauitate magis excœcauit, & auertit. tanta est inuidiæ, & odij vis: quæ quorum corda possidet, eos magis, ac magis ad scelera, & flagitia excogitanda, & perpetranda impellit.

Quartum, quod hoc miraculum spectabile facit, illud etiam est; totam ferè diuinæ dispensationis rationem in eo representari: Lazarus enim figuram, & formam gessit peccatorum omnium, vt affirmant Irenæ. lib. 5. cap. 13. Augu. tract. 49. & Gregor. lib. 22. Moral. cap. 9. Eius etiam resurrectionem eam, quæ omnium futura est in die vltimo significasse docent Tertul. lib. de resurrect. carnis, & Ambro. libr. 2. de poenit. cap. 7. Propter hunc venit Christus ex Galilæa, vbi tutò conuersabatur, in Iudæam, in qua obitus est, quia propter peccatores carnem induit passibilem, & de cœlo, vbi immortalem agebat vitam, ad nos carne sumpta descendit, & occidi pro nobis voluit. Lazarum etiam suscitaturus fletu, frémitu, lachrymis, oratione vitur, & postremò potestate, & imperio excitat, & de sepulchro excitat: peccatores enim passione, & morte sua à peccato liberauit, & in Patris gratiam restituit. Secundo verò aduentu potestate, & dominio à corporum morte in æternam vitam eripiet: quos enim passione & morte redemit, potestate, & Maiestate mortuos suscitabit. hæc singula in concionibus diffusè persecuti sumus, quæ ad præsens institutum non faciunt, idcirco superiedemus. Illud annotandum est, Epiphanium in catalogo dogmatum Manichæi referre ex traditione haberi Lazarum triginta fuisse annorum, quando suscitatus est, aliofque superuixisset triginta.

qui illuc visitandi sorores causa conuenerant, in Christum crediderunt. Particula illa *Ergo*, causam, cur crediderunt, indicat, nempe præcedens miraculum. Narrat autem Euangelista hos credentes de eorum fuisse numero, qui venerant ad consolandum, & visitandum sorores Lazari, ut per hoc exprimat mortem Lazari occasionem dedisse, ut isti crederent, sicq; eam verè pro gloria Dei euenisse.

Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus.

Non defuerunt perfidi & obstinati, qui quo conuerti debuerunt, peiores facti sunt: aliqui enim ex Iudæis peruerso, & iniquo animo abierunt ad Phariseos, & narrarunt quæ fecit Dominus. Plures extitisse credentes quàm deferentes, & calumniatores Euangelista indicat, dum eos multos, hos verò quosdam fuisse dicit. Calumniatores istos, & delatores de numero eorum fuisse, qui dicebant: *Nonne hic, qui aperuit oculos cæci nati potuit facere, ut & hic non moreretur?* affirmat Euthymius.

Aduerte incertum planè esse, quid hos Iudæos impulerit ad annuncian- dum Phariseis, quod fecit Iesus, signum: An nempe odium, quo vna cum illis Dominum prosequabantur; an potius timor, ne de numero eorum, qui in Christum crediderunt, Iesumque confitebantur, esse viderentur: ut enim supra dictum est, Iudæi iam conspirauerant, ut si quis eum Christum confiteretur, extra Synagogam fieret. Probabile est hosce timore id fecisse: nam erant de turba, in qua paucissimi Christum oderant. Ex hoc causam conijcere possumus, cur potius ad Phariseos, quàm ad pontifices abierint, cum hi illis maiores, & principaliores fuerint: Nam Pharisei erant obseruantiores, & legis zelum vehementiorem præ se ferebant: ad illos ergo isti adierunt, à quibus magis sibi timuerunt. Fieri etiam potuit hos nec timore, nec odio motos, sed quædam vanagloria, & ambitione, ut se legis zelum habere ostenderent, & à Phariseis pluris fierent, maximè quia nouerant se eis rem gratissimam facere: affectus enim huiusmodi plurimum possunt, & animù à veritate agnoscenda auertunt, & in errores & iniquitates impellunt, ut pluries diximus. Siue vnum, siue alterum sit, hoc certum est Iudæos istos de numero eorum fuisse, qui tanto viso miraculo non crediderunt: eodem enim facto quorundam cor emollescit ad fidem, quorundam obduratur per incredulitatem, & nequitiam, sed non eadem causa; illi namque diuinæ lucis radio oculos mentis diuina adiuti virtute aperuerunt; isti verò proprii arbitrij malitia clauferunt.

Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisei concilium.

Cum audirent Pontifices, & Pharisei signum mirabile, & inexpectatum; quod Dominus fecerat, & multitudinem propter id in eum credetium mortem ei inferre differendum amplius non esse censerunt; idcirco conuocant concilium, & in vnum conueniunt; ut quod omnibus sit suffragijs & sententijs, firmiter, & efficacius sit. Particula *Ergo*, causam, cur conueniunt; indicat, nempe propter ea, quæ de Christo narrata eis fuerunt.

A N N O T A T I O X V.

Quale concilium contra Christum.

CONVOCANT concilium inter se Pontifices, & Pharisei, ut quid agendum sit deliberent: multi enim simul rem exactius discutiant quàm singuli, & quid in negotijs agendum sit, prouident. Sunt hic quinque, nempe concilium, personæ conuocantes, & conuocata, causa conuocationis, & finis. Concilium est multorum conuentus, qui in grauibus negotijs, & difficilibus casibus cogitur,

& rectè, ac iustè id fit; quando cætera iusta sunt. Personæ conuocantes sunt Pontifices, & Pharisei. Pontifices quidem utpote, apud quos erat auctoritas, & doctrina rerum Ecclesiasticarum, idcirco ipsorum erat conuocare, Pharisei verò tanquam instigatores: conuocati sunt autem legis doctores, & primi Iudæorum, hiq; vna cum Pontificibus, & Phariseis conuenerunt. Hoc etiam rectè fit, ut negotia Ecclesiastica

Negotia ecclesiastica per personam ecclesiasticam definienda.

Causa Concilij.

Finis Concilij.

ecclesiastica per eos tractentur, & discutiantur, apud quos est auctoritas, & scientia: neque enim seculares immiscere se debent in rebus religionis definiendis & discernendis: erat enim negotium hoc de Messia, & Christo vero agnoscendo, Ecclesiasticum & ad religionem maximè pertinens.

Causam autem huius congregandæ, & conuocandæ multitudinis illa particula *Ergo*, indicat: *collegerunt ergo*, nempe cum audissent Christum tantum fecisse miraculum, multosque in eum credere, idcirco conuocati sunt Pontifices, & Pharisei cum cæteris; ut mutuo in re tam graui deliberarent, quid agendum esset: & hoc quidem rectè fit, sunt enim euentus graues in re publica considerandi, & tractandi, & consilium commune capiendum; ne si negligantur, damnum, & detrimentum communitas patiat.

At si finis huius congregationis consideretur, omnia hæc tria, quæ in se bona erant, & prudenter siebant, pessima inueniuntur, tanto amplius, quanto ea erant in se bona, & laudabilia: finis enim huius conuocationis est contra Christum Dominum, ut constat ex ipsa consultatione, quæ subsequuta est. Hic finis pessimus inficit tria præcedentia: tanto

A enim peius concilium congregatur contra innocentem, & contra Christum, quanto magis congregandum erat pro ipso: similiter tanto damnabilius Doctores, & Pontifices conueniunt contra Christum; quanto magis ipsorum erat eum agnoscere, & recipere, & populo demonstrare. Rursus causa eos penitus damnat. *Collegerunt ergo*, quis vnquam audiuit tale? quia mortuum quatruiduanum suscitauit, propterea conuenerunt contra ipsum: cum causa hæc eos mouere debuisset, ut conuenirent ad eum recipiendum, & venerandum. Si quod homicidium perpetrasset, iusta fuisset causa conueniendi contra eum; at mortuum ad vitam reuocantem nemo damnare tentasset, præter eos, qui diabolica nequitia pleni erant, quibus rectè dictum est: Vos ex patre diabolo estis. Breuibus igitur verbis has partes Euangelista indicat, *Collegerunt, ecce concilium; Pontifices, & Pharisei*,

B ecce personæ conuocantes & conuocata, *Ergo*, ecce causam, illatio enim ex præcedentibus finem verò sequentia demonstrant. In aliquibus textibus, maximè qui in missalibus leguntur, habetur, *Aduersus Iesum*, sed hæc particula non est Euangelista; sed ad intelligentiam ex sequentibus apposita; verum enim est, aduersus Iesum conuenisse.

Et dicebant; Quid facimus?

C O M M E N T A R I V S.

Avdiamus, quid conuenientes discutiant, & consulant. *Quid*, inquit, *facimus?* vox hæc est se mutuo accusantium, & insimulantium negligentia, & tarditatis in decernendo eo, quod contra Christum faciendum est, seque mutuo incitantium, & stimulantium, ut citò, & sine mora Christum tollant de medio. Et est sensus; nimia tarditate, & periculosa negligentia detinemur in hoc negotio decernendo. Quanto consultius, & utilius miseri, & cæci isti consultores suam damnassent in credendo duritiem, & perfidiam dicentes; quid facimus, nimio profectò & lethifero somno premimur, tandiu Christum recipere differentes; graui nos exponimus periculo, eius vocè non audientes.

Quia hic homo multa signa facit.

CAusam tarditatis, & negligentia suæ in Christo de medio tollendo exponunt; *Quia multa signa facit*, quasi diceret; ipse nō cessat signa efficere, & maiores semper progressus in suis operibus, quibus ad se homines trahit, facere; nos autem nihil effcimus, sed eum liberè quæcunque vult agere dimittimus, in nostra inertia perseuerantes. In sequenti annotatione hæc sententiam accuratius expositam inuenies.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

Tarditatis suæ periculum, & necessitatem præsens capiendi consilium, remediumque adhibendi, proferunt, quæ talis est. Iste homo non cessat signa facere, continuo maiora, ac maiora in sui testimonium miracula, & opera edendo; si autem nos dimittamus eum sic, negligamusque negotium istud, omnes in eum credent, quod si omnes in eum crediderint, maius malum eueniet nobis, nimirum, veniēt Romani, locumque nostrum, id est ciuitatem,

uitatem occupabunt, & tollent etiam gentem, nos omnes in captiuitatem redigentes, quasi Regem alium sequamur præter Cæsarem; non igitur negligendum est hoc negotium, sed opportunum, & instans consilium capiendum.

ANNOTATIO VII.

Vitiosa consultatio: contra Christum.

CŒCA, & impia consultatio hæc est; cæca quidem, quia errarunt in discursu, & illatione: deduxerunt enim omnino contraria ijs, quæ ex principijs, & argumentis eorum conſequebantur, illos autem errare contigit quadrupliciter. Primò quidem sic isti deducunt. *Iste homo multa signa facit*, igitur oportet in eum insurgamus, nec differamus amplius eum de medio tollere. hic discursus continetur in illis verbis, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit*, at cæcus prorsus est, & deprauatus discursus; nam ex hoc principio, *Hic homo multa signa facit*, quod ipsi farebantur non erat inferendum, ergo inuehamur in eum, & obſistamus ei, sed potius recipiamus eum, & credamus ipsi, vt anorat rectè August. tractat. 49. & Chryl. hom. 63. sic enim admoniti iam fuerant Iſaiæ 35. vbi ea miracula describit, quæ facturus erat Messias venturus; vt per ea ipsum agnoscerent, & reciperent. Christus etiam capite præcedenti eos ad hoc induerat: *Si mihi, inquit, non creditis, op. vibus credite*. Alter discursus cæcus fuit, *Si dimittimus*, inquit, eum sic, omnes credent in eum, profectò decepti sunt; imo quia non dimiserunt sic, sed occiderunt, omnes crediderunt in eum. Hoc multo ante prædixerat Iſaias capit. 53. Si poluerit, inquit, pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. hoc idem ipse Christus eis significauit, cap. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Tertius discursus est; si crediderint omnes in eum; *Venient Romani, & tollent Gentem, & locum*, ratio recta non hoc inferendum esse dictabat; sed venient Romani, & credent etiam in eum: nam qui cæcos illuminabat, & mortuos suscitabat, & Iudæos ad se conuerterat, Romanos etiam potuisset ad se trahere: non enim Romani habuerunt Deorum falſorum vllum, quos ipsi tanquam veros colebant, talem, quem vel per mendacium talia fecisse miracula, faterentur; maximè quia multis testimonijs scripturarum prædictum erat gentes venturas, & credituras in Christum. Iſa. 2. fluent ad eum omnes gentes. & ibunt populi multi. & cap. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. sunt quæ multa huiusmodi testimonia. Quod si Romani non crederent, & vi eos opprimere vellent, profectò eius, qui mortuos suscitabat, auxilio fidere debuerant, se contra Romanos præualituros. Nam innumeras Gentes contra eos insurgentes, vnus Propheta interuentu à Deo dispersas, & superatas esse experti erant. Vna Iudith Holophernem occidit, & exercitum eius dissipauit. Elifæus latrones excœcauit. Helias quinqueagenarios duces igne de caelo immisso consumpsit. hæc omnia ex scripturis non ignorabant Iudæi: nemo autem tanta opera fecerat, nec talia; quanta & qualia Christus fecit. Quartus discursus est ta-

citè insinuat; Si non dimittimus sic, Romani non venient, nec tollent locum & gentem. Decepti sunt etiam in hoc, & errarunt; imo quia non dimiserunt, sed occiderunt, propterea venierunt Romani, & tulerunt locum, & gentem: hoc enim prædixerat Daniel capit. 9. Occidetur, inquit, Christus, & ciuitatem cum sanctuario dissipabit populus cum duce venturo, quod etiam Dominus eis significauit dicens, Lucæ 19. Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognouerit tempus visitationis tuæ. Et multo ante etiam Iſaias capit. 65. Numerabo vos in gladio, & omnes cade corruetis, pro eo quod vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis; & faciebatis malum in oculis meis. idcirco rectè dicit Augustinus lib. 4. Ciuit. cap. 34. Si Iudæi Christum non occidissent, in suo regno permanſissent. Vide quam cæca consultatio, & quam stulta. Iusto autem Dei iudicio factum est, vt excœcartur, qui contra Deum consilium inierunt, & non solum excæcarentur, sed quibus vijs fugere mala tentarent, eisdem in ea prorsus inciderent, & in laqueo suo comprehenderentur, vt rectè annotat Basil. sermon. de humilitate, & est egregia doctrina Gregor. lib. 6. Moral. cap. 12.

Non solum autem cæca, & stulta, sed impia fuit consultatio hæc, finem enim medio positauerunt, & temporalia spiritualibus prætulērunt, quod est summa peruersio, vt dicit Augustin. lib. 4. doctri. Christi. cap. 27. dicunt enim. *Omnes credent, & venient Romani, & tollent locum*. Perpende hoc, aut enim existimabant veram esse hanc fidem, esseque verum Christum, aut non; si vera fides, verusque Christus erat, elegerunt magis conferuare temporale regnum, quam credere, & quam veram fidem in Christum habere: nam verborum hic est sensus, ne tollant Romani locum nostrum, faciamus, ne credant in eum: Si autem non existimabant esse veram fidem; potius dicendum erat: si dimittimus sic, credent omnes in eum, & religio vera destruetur, & fideles peribunt, maius enim erat damnum spirituale, quam temporale. At hi non curarunt spiritualia, sed temporalia, ac si diceret, inter nos Princeps aliquis impediamus hæresim, ne pereat iurisdicção mea, & potestas, quasi hoc esset, quod ante omnia se conseruare proponeret: profectò non sic dicendum est; sed ne diuinus cultus tollatur, & ne pereant animæ. Ethnicorum est, res fidei, & religionis accommodare temporalibus Christianorum verò, & fidelium, temporalia accommodare rebus religionis, & spiritualibus, quarum detrimento omne temporale postponendum damnum est. Sive ergo veram fidem verumque Christum, sive falsam existimarint, conuincuntur isti prætulisse temporalia spiritualibus: in quo etiam valde

valde decepti sunt. Nam vera religio, & fides non destruit, sed conseruat regna temporalia, idcirco iustam eis Deus pœnam inflixit. vt enim Aug. tract. 49. dicit, quia temporale regnum spirituali prætulērunt, vtrumque amiserunt. Nec isti cœci considerarunt in scriptura nunquam Deum eos puniisse, quamdiu verum cultum, & mandata eius seruarunt, sed quando ea neglexerunt, vt annotat Chrysol. hom. 64. & ex historia Achior Iudith. 3. fac-

le id poterant Iudæi scire. debuērunt ergo examinare, an verè credendum erat: si enim considerassent, & credidissent, certi profectò esse debuissent ex scripturis se à Deo non puniendos, sed conseruandos, & multiplicandos fore. Vides igitur quam cœca, impia, & peruersa hæc fuerit consultatio. Hæc omnia sub breuissimis verbis istis contineri visa sunt, idcirco in declarationem litteralis sensus sunt annotata.

Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit ei.

COMMENTARIVS.

Discutientibus alijs causam hanc, & quid decernendum esset, non inuenientibus, vnus ex ijs, qui erat illius anni summus Pontifex, Caiphas nomine, sententiam fert; & quid sentiendum, & agendum sit, decernit. Dicitur autem *Pontifex anni illius*, quia quamuis summum sacerdotium ad vitam secundum legem Exod. 28. duraret, & filij succederent parentibus, tamen avaritia, & ambitio id mutauerat: dabatur enim in singulos annos, modò huic, modò illi pro principum, & Præsidentum arbitrio, vt refert Ioseph. lib. 18. Antiquit. cap. 3. idcirco Caiphas Pontifex anni illius dicitur. Iste auditis cæteris, protulit, quæ sequuntur.

Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota pereat.

Eos arguit ignorantie, quod nesciant, quid vtile, & expediens sit inuenire, & decernere. *Nescitis*, inquit, *quicquam*, & causam, seu ignorantiam explicat, quia non cogitatis, nec aduertitis, nec petpeditis nobis expedire vnū potius mori, quam totum populū & gentem perire: ac si diceret; pro communi salute, ne omnes pereant, vnum etiam innocentem, & sine vlla aliqua culpa occidere expedit. Attende hoc in loco difficultatem istorum totam in eo maximè versatam esse, quia viam tollendi de medio, & interficiendi Christum non inueniebant, cum in eo culpa non esset reperta; si enim peccatum inuenissent, propter quod iure occidi posset, cōcilio, & consultatione tanta non erat opus: nec esset cur nescire isti dicti essent. at cum innocēs esset Christus, & ex alia parte eum interficere vellent, qua ratione, quouē colore id fieri posset, non inueniebatur. Solus Caiphas consilium inuenisse visus est, nempe pro communitatis, & populi salute, ne gens, & Iudæorum natio periret, expedire etiam sine vlla culpa hominem vnum innocētem interficere: Hic est sensus, quem Caiphas intendebat.

ANNOTATIO XVII.

Attende Caiphæ sententiam in eo, quem ipse conceperat sensu, iniquam fuisse & falsam. Falsam quidem, quia innocentem nec licet, nec expedit occidere pro temporali Republicæ salute; rursus quia expediens, & vtilis illis ista occisio non fuit iuxta eorum sensum; nam temporalem populi conseruationem intendebat; cui occisio Christi fuit potius contraria, cum propter eam vastati sint, & euersi. Iniquam, quia contra iustitiam est innocentem occidere, peccauitque grauissimè Caiphas cum omnibus consentientibus, talemque sententiam probatibus, de qua prædictum est Psal. 40. Verbū iniquum constituerunt aduersum me. in hunc sensum verba Cay

Biphæ interpretatur etiam Chryl. hom. 64. Attende iniustitiam hos Iudæos commississe, non solum quia innocentem morti tradere decreuerunt; sed etiam quia pro re illis tunc incerta, mortem certò infligere statuerunt: quamuis, n. certa res esset, non tamē licebat, nec expediebat, multo minus in causa incerta, qualis ea tunc erat. *Venient Romani, et tollent Gentem, & locum*. In hoc Caiphæ decreto apparet, & constat innocētia Christi: confessi sunt enim multa signa facere, nec causam vllam mortis se in eo inuenire; excogitarunt autem sibi expedire vnum mori pro omnium salute, nec inter se vbi ferid res agebatur, seductorem, aut dæmonium habentem, aut blasphemum aut le-

gis transgressorē esse proponunt; sciebant enim ipsi omnia hæc facta esse ab ipsis, nec posse Christum horum conuinci. In Græco, & in latinis exemplaribus legitur. *Expedi vobis*, aliqui Latini textus habent, *Expedi vobis*, sensus

idem est. Aliqui adnotant dici, *Vnus moritur homo*, mirum sic interpretantes, vnus qui Deus est moriatur homo, scilicet in quantum homo, hæc tamē annotatio solida non est, quia Græcè legitur, vnus homo moriatur.

Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit.

COMMENTARIUS.

VERBA sunt hæc Euangelistæ adnotantis verba Caiphæ, non ab illomet profecta esse, sed à Spiritu sancto, qui per os eius prophetauit, quod futurum erat, nempe mortem Christi vtilem futuram, & expedientem saluti hominum, vt verbis sequentibus explicatur. Cur autem Dominus per eum prophetauisset sit dignatus, causam adfert; quia *Erat Pontifex anni illius*: quāuis enim homo iniquus, & scelestus tamen dignitas sancta erat, quod rectè aduertunt August. tract. 49. & Chrysost. ho. 64. nempe non tolli dignitatis sanctitatem per vitam malam ea fungentis. Sacerdos malè viuere potest; tamē sacerdotium in eo sanctum est, et quæ potestatis eius sunt; vitia non inficiunt nec tollunt.

ANNOTATIO XVII.

Quaratione Caiphas prophetauisset dicitur.
OBIICIT aliquis, quomodo Caiphas dicitur esse prophetauisset, & à Spiritu Dei hæc pronuntiasse, si impia & falsa protulit? Respondeo prophetauisset quidem Caipham, tamē sensum Spiritus sancti non percepisse, nec intendisse; sed alium sentum longè diuersum in eis verbis concepit. In cuius declarationem attende; sicut vnadictio plures habere significationes, ita & vna oratio plures sensus, à diuersis que auditæ variè accipi, & intelligi possunt. Exempla habemus in scriptura Ioannis 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: Christus de morte & resurrectione sui corporis loquebatur: Iudæi autem de templi materialis euersione & reedificatione dictum intelligebant. Simile est Ioan. 13. Quod facis, fac citius. Christus traditionem à Iudæis excogitaram significabat; Discipuli verò de cibis emendis pro Paschæ preparatione sermonem interpretabatur. Hæc enim eo facta sunt, quia tales sententiæ diuersos patiebantur sensus: sunt multa huiusmodi exempla. Hoc idem in hisce verbis propositis euenit, quæ duos admittunt sensus. Vnus est expediens fuisse vnum morti tradere pro liberando toto populo, & ne tota gens in captiuitatem Romanorum traderetur. Alter est, mortem vnus, nempe Christi necessariam, & conuenientem fuisse pro hominum salute, vt à peccato & morte liberarentur. Priorem sensum prætendebat Caiphas, quando hæc verba protulit; Posteriorem intendebat Spiritus sanctus; & ad eum mouit Caipham, vt ea verba proferret. Inter vtrumque sensum triplex est discrimen. Primum Caiphas intendebat dicere expedire, vt Christum interficerent pro populi liberatione; at Spiritus sanctus non sic, sed mortē Christi esse expedientem. Hæc autem longè sunt diuersa; nam iusto persecutio illata, & martyri mors inflicta expediunt,

& optima sunt; at persequi & occidere, pessimum est ipsis persecutoribus. Matth. 26. Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo, vā homini illi, per quem filius hominis hominis tradetur: Bonum erat illi, si natus non fuisset. Sic Spiritus sanctus mortem pati Christū & mortem ab ipso acceptatam expedientem, & necessariam dixit, & hoc ita erat; Caiphas verò, & Iudæis, eum interficere, pessimum fuit. Secundum discrimen est, Caiphas intendebat temporalem liberationem, nempe ne Romani venirent, & tollerent gentem & locū, & ad hoc euitandū iudicauit expedire occidere vnū, nempe Christū. At Spiritus sanctus loquebatur de liberatione à peccato, & morte æterna, & salute spirituali animæ & corporis. Tertium discrimen, Caiphas per gentem populum Iudaicum intelligebat: nam id vocabulum aliquando ita accipitur, Luc. 7. Diligit gentem nostram, & Ioan. 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: At Spiritus sanctus vniuersaliter etiam gentiles significabat: aliquando enim sic accipitur, Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium. Pro salute ergo gentis totius, Iudæi & gentilis mors Christi necessaria fuit, quod Euangelista significans, *Non solum*, inquit, *pro gente, sed et filios Dei, qui erant dispersi*, &c. Græcè habetur cum articulo (non solum pro ea gente, nempe Iudaica) significat per hoc Euangelista etiā pro omni gente Christum mortuum. Longè ergo diuersi sunt hi duo sensus. hinc duo sequuntur. Vnum est Caipham dictum esse prophetauisset, tamen non fuisse prophetam, vt notat Orig. to. 30. non solum propter rationem Origenis, nempe, quia vnus actus non facit habitū, sicut non dicitur artifex propter vnū opus; sed etiam, quia non intelligebat Caiphas sensum Spiritus sancti; ad prophetiam enim necessaria est intelligentia. Vnde Ambro. serm. 15. in Psalm. 118. dixit, Caipham

Caipham vnum intendisse in his verbis, & aliud significasse. vti iam diximus. Alterum est Caipham peccasse in hac sententia, quia proponebat sensum iniquum, & malum; at Spiritum sanctum non participasse eius peccato, quia ipse sensum sanctissimum intendit eidem verbis, quibus Caiphas abusus est in malū sensum proferendo. Propterea Chryso. hom. 64. dicitur Caiphæ non fuisse motum à Spiritu sancto, sed linguam, quia ille pessima intentione loquebatur. Dicitur autem prophetauisset propter sensum Spiritus sancti.

Quod Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

COMMENTARIUS.

EXPONIT Ioānes, quid in verbis suis Caiphas prophetauerit, & quem sensum in verbis illis Spiritus sanctus prænderit. Hic autem est; Christum in salutem Iudæorū moriturum esse, hoc est mori pro gente, nempe pro natione illa Iudaica: rursus non solum pro Iudæis, sed etiam pro gentibus, vt nempe multos filios Dei, electos, nempe, & prædestinatos in Dei filios, qui tunc erant in varijs erroribus, & inter gentium nationes dispersi, congregaret in vnum ouile, & vnam Ecclesiam, in qua viuerent, & salutem consequerentur. Hæc duo Caiphæ verba exprimunt; sed ipse, quid diceret non percipiebat: nam dum dixit, *Mori pro populo*, Spiritus sanctus per populum Iudaicam nationem intelligebat; dum verò dixit, *Ne tota gens pereat*, Spiritus sanctus per Gentem, gentiles significabat, qui erant dispersi ab ouili Domini errantes: inter quos erant innumerabiles electi morte Christi conuocandi, & saluandi; at Caiphas per Gentem non gentiles, sed ipsos Iudæos significabat: per populum enim intelligebat multitudinem ipsam Iudæorum; per Gentem, nationem; nempe, ne si totus populus Iudæorum periret, natio ipsa Iudaica eradicaretur, & aboleretur. hic est sensus. Vbi attende mortem Christi fuisse necessariam, & vtilem mundi saluti; occidere verò eum fuit graue peccatum: sicut mors martyrum gloriosa est. iniquum tamen eos interficere. Illud Spiritus sanctus prædixit, hoc Caiphas expediens iudicauit: idcirco Spiritus sanctus verum prædixit, iste falsum, & iniquum decreuit.

Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum.

PLACUIT omnibus decretum, & sententia Caiphæ; idcirco ab eo die firmiter proposuerunt, & constituerunt eum interficere. Particula *Ergo*, causam indicat, nempe propter Caiphæ consilium, quod ab omnibus illis est receptum conuenerunt, & citra vllam iam controuersiam firmarunt Christum Dominum interficere. Adhuc in decreto cæci isti sunt; omittunt enim vnum, quod maximè erat consultatione dignum, nempe qua ratione cōprehendere possent, quem sapè lapidare, & cōprehendere volentes, non potuerant: quomodo occiderent eum, qui cæcos illuminabat, & mortuos suscitabat; si enim hæc poterat, quæ faciliora erant; poterat certè excæcare vidētes, & viuos occidere. Helias non ea fecerat, quæ Christus, & tamen quinquagenarios venientes ad eum apprehendendum, igne de cælo misso cum omnibus suis combussit: debuerunt profectò existimare Christū non minora posse; & propterea inquirere, an quod decreuerant, executioni possent mandare; at malitia, & odio excæcati, & stimulatī, omnia præcipitant, nihil sibi ob stare, quod peruersum eorum animum impedire posset, cogitabant.

Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem, qua dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

COGNITO Iudæorum impio, & nefario proposito, quia nondum erat suæ passionis tempus; recessit in regionem, iuxta desertum Iudææ in ciuitatem paruulam, vbi Iudæorum frequentia non erat; & ibi cum suis discipulis moras trahebat, tempus suæ dispositionis expectans.

Ciuitas hæc dicta est Ephrem. textus Græci habet Ephraim. Aliqui existimant eam esse, quæ dicta est Ephron, de qua legitur 2. Paralip. 13. sed non videtur ita esse; nam Ephron erat ultra Iordanem, idcirco non erat ciuitas Iudææ. vt constat 1. Mach. 5. at hæc erat iuxta desertum Iudææ. nec enim Dominus nunc Iudæam

A deseruit, nec trans Iordanem profectus est, sed in desertum, ideo non videtur Ephrem, seu Ephraim esse eadem, quæ Ephron: præterea Ephron in Hebræo habet primam litteram *א* in *פ*, at Ephraim, *א*. Aleph, immo etiam in ultimis litteris est differentia: alia igitur hæc ciuitas esse videtur.

Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi de regione Hierosolymam ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.

Vltimum hoc est Pascha anni quarti à baptismo, quando Dominus est passus, quod proximum cum esset, multi de regione illa Hierosolymorum ante tempus ascenderant, vt votis se sanctificarent. erant hæc sanctificationes Nazaræorum: quidam enim pro sua deuotione vouebant Deo diebus, quos eligebant, quædam poenitentia, & sanctitatis opera facere, & hi dicebantur Nazaræi, quorum vota, & opera, ac leges describuntur Num. 6. multi ex his ascenderant ante Pascha, vt vacarent his sanctificationibus, & Pascha purius, & deuotius sanctificati peragerent; hi sunt, qui nunc dicuntur ascendisse, vt se sanctificarent, & vouerent Deo, iuxta leges præscriptas Nazaræorum.

Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem in templo stantes; quid putatis, quia non venit ad diem festum?

EXistimabant Iudæi etiam Christum venturum ante Pascha, & quærebant eum: particula *Ergo*, causam indicat, cur eum quærent: cum enim venissent multi, Iesum etiam venturum sperabant, idcirco quærebant, maximè quia non erat solitus expectare ipsius Paschatis diem; cum autem non inueniretur, colloquebantur inter se stantes in templo, quo multitudo conueniebat; inuicem autem interrogabant, *Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* sensus est; putatisne non venturum ad diem festum hunc? modus est communis loquendi, quando inter se colloquuntur homines de futuro aliquo euentu. Aliqui exponunt in hunc sensum; quid causæ putatis esse, quod non venerit ad diem festum istum? sic Euthymius interpretatur; sed cum nondum dies festus aduentasset, non erat, cur quærent, cur non venerit. Sensus prior est legitimus, & huic consonant, quæ sequuntur, verba. Hi de numero eorum videntur esse, qui venerant, vt se sanctificarent, eumque quærebant videre; tum propter solitam doctrinam; tum maximè propter miraculum illud insigne Lazari. argumento est, quod quando audierunt venisse Iesum Hierosolymam, occurrit multitudo maxima videre eum propter miraculum hoc. Chrysost. hom. 64. malo animo hos quæsisse affirmat, sed quod diximus, est probabilis.

Dederant autem Pontifices, & Pharisei mandatum, ut si quis cognouerit, ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

QVod contra nefarios, & scelestos, & latrones viarum fit, impij homines contra innocentem, & mortuis vitæ restituente facere non erubescunt. Hæc verba Euangelista adiunxit; tum vt rem ipsam narraret: tum etiam, vt causam, cur de aduentu ipsius illi dubitauerint dicentes, putatisne venturum, significaret: dubitabant enim an venturus esset, quia mandatum hoc iam erat promulgatum, & hoc probat expositionem superiorem legitimam; nam cum sciuisent hoc mandatum emanasse, non dixissent, quæ causa est, cur non venerit.

CAPVT



ESVS ergo ante sex dies Pascha venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piscici pretiosi, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, quærat eum traditurus, Quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & oculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo IESVS, Sine illam, vt in diem sepulturae meae seruet illud: Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est: & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem Principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. in crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum cum audissent, quia venit IESVS Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Et inuenit IESVS asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae. Hac non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit. Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes, Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andrea. Andreas rursum & philippus dixerunt Iesu. IESVS autem respondit eis dicens, Venit hora vt clarificetur Filius hominis. Amen amen dico vobis nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo dicens, Et clarificauit, & iterum clarificabo. Turba ergo quæstabat & audierat, dicebat tonitrum esse factum. Alij dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit IESVS, & dixit, Non propter me hæc vox venit; sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? quis est iste Filius hominis? Dixit ergo eis IESVS, Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habebitis, credi-

sf +

te in

te in lucem: ut filij lucis sitis. Hac locutus est IESVS: & abiit, & abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum: ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro: & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excœcauit oculos eorum, & indurauit cur eorum, ut non viderent oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hac dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter phariseos non confitebantur, ut in synagoga non eicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei. IESVS autem clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, habet qui iudicet eum, non enim veni, ut iudicem mundum: sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.

COMMENTARIVS.

Accedit iam Dominus ad subeundam mortem, Agnus ad victimam, pro totius mundi peccatis immolandus. Venit autem Bethaniam, ut inde solenni pompa in Hierusalem locum supplicij ingrediatur. Meminit autem Euangelista miraculi narrati; tum ut causam, cur Bethaniam primo venerit, reddat; tum etiam ut causam, cur tam honorificè susceptus, cœnaque sit ei facta, indicet. Notanda est particula *Ergo*, causam enim cur non Hierusalem, sed Bethaniam primò venerit significat: ut sit sensus; cum Pontifices mandatum dederint contra eum, ut apprehenderetur, à Hierusalem diuertit, ac Bethaniam venit, ubi Lazarum suscitauerat, & multos beneuolos habebat, ac securè poterat agere: hac enim de causâ, uti diximus, mentio facta est miraculi facti. Tempus autem, quando venit Bethaniam, fuit *Ante sex dies Paschæ*, id est sexto die ante Paschæ. dies hi sex sic intelligendi sunt, ut excludantur dies Paschæ primus, & dies quando venit, ut sex dies intercesserint inter diem aduentus eiusdem, & primum Paschæ diem, dies enim aduentus eius in itinere consumptus erat, nec computatur in numero dierum aduentus eius in Bethaniam; iuxta hanc computationem peruenit Bethaniam die veneris, & vsque ad diem veneris sequentem, qui fuit primus Paschæ, sex intercesserunt dies, aliqui die sabbati, peruenisse existimant, sed verba sequentia non facile id admittunt.

Fecerunt

Fecerunt autem ei cœnam ibi.

Cœna ei facta est, à quibus autem sit facta, Euangelista nō explicuit. Chrysi-
som. 64. & Euthym. censent à fororibus ipsius Lazari, & probabile est, nec obstat in domo Simonis leprosi factam fuisse, ut paulò post dicemus: nā id fieri potuit propter loci commoditatem: erat enim cœna solēnis, & ampla, ad quam multi conuenturi erāt, idcirco verisimile est locum amplum quæsītū esse, qui fuit domus Simonis: qui erat forsan vicinus, & familiaris, seu consanguineus fororibus. Dicit etiam nō improbabiler potest, ciues illos Bethanię commorantes communi consensu, cœnam hanc ei parasse in domo Simonis, propter loci amplitudinem, & cōmoditatem, quod indicare videtur Euangelista dicens, eum venisse Bethaniam, & cœnam ei factam esse: dum enim personam nō exprimit, tacitè insinuare videtur, loci homines eam fecisse. Hæc verba probant Dominum venisse Bethaniam die veneris, & non sabbati; si enim sabbato venisset, cœna ei præparari non potuisset, quia sabbato cibos præparare non licebat. Venit ergo die Veneris, cognitoque eius aduentu præpararunt cœnam, ad quam die sabbati inuitatus fuit, & exceptus, & hac ratione potuerunt existentes in Hierusalem aduentum Christi in Bethaniam scire, venireque ad videndum eum.

Et Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo.

Sorores deuotæ, & gratæ, non potuerunt virorum abesse conuiuio. Vnâ enim ministrabat Domino, altera pedes eius vnxit, & caput: frater autē discumbebat, veræ resurrectionis testis existens: siue igitur sorores, siue alij cœnam hanc parauerint, cum in recognitionem, & celebritatem miraculi ea sit facta, etiam in aliena domo fororum obsequium non defuit.

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi.

CVM sororem ministrare, & fratrem discumbere mēsa Christi Maria videret, indignum, si ipsa otiosa maneret, iudicauit; obsequium etiam suum sollicita præstat. hoc enim particula *Ergo*, indicat, ex præcedentibus illationem quandam faciens, ac si diceret Euangelista, cum Martha ministra ret, & Lazarus discumberet; idcirco altera soror Maria suo etiam obsequio interesse decreuit. Accepit igitur libram unguenti ex nardo pura, & pretiosa confecti, & in alabastris vase, ut refert Matth. 26. contenti, ut Dominum vngeret.

ANNOTATIO I.

De nardo scribit Dioscorides, libr. 1. cap. 6. & Plinius libr. 12. capit. 12. frutex est graui, & crassa, sed breui, ac nigra, fragili que radice, quamuis pingui, redolente ut Cyperi, aspero sapore, folio paruo & denso; cacumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas, & folia celebrant. Nardo delibuta oleo fit unguentum pretiosissimum, maximè quod ex spicis conficitur, quo antiqui capita ungebant, ut poëtis celebre est. Tibullus inquit, Illius puro distillent tempora nardo. & iterum, lamdudum Tyrio madefactus tempora nardo. quem locum aliqui corruptum existimant, & loco *Tyrio*, legendum existimant, *Syrio*: abundat enim Syria nardo, cuius pars Iudæa est. Prædicti auctores differentias varias nardorum referunt, inter quas est pseudonardus, qua unguenta impura conficiuntur, &

Anon sincera, ea de causa Propertius puram nardum appellauit, ut verum, & pretiosum unguentum significaret, quod Euangelista verbo Græco expressit, *Nardi*, inquit, *Pistici*: pisticum enim Græcè fidele significat, ut nardum veram, puram, & sinceram fuisse ostenderet, ex hac enim unguentum preciosum conficiebatur. Aug. tract. 50. pistica interpretatur à loco, unde afferabatur, tamen vera interpretatio est, quam Euthy. sequitur, ut sit pistica pura, & fidelis, non falsa, & pseudonardus, quam pisticam Propertius appellauit puram, & Plinius sinceram. Apud Marcum 14. legimus, nardum spicatam; tamen in Græco codice legimus pisticam, quod si spicatam legamus, id significat fuisse unguentum valde pretiosum: hoc enim erat, quod ex nardi spicis conficiebatur.

Et un-

Et unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti.

C O M M E N T A R I V S.

VNGUENTI pretium, & perfectionem indicat effectus, quia effusum domum totam odore repleuit; quod idcirco narrat Euangelista, ut significet inde occasionem Iudam indignationis suae accepisse; nam ex odore perfectionem unguenti, pretiumque cognouit, & trecentis denarijs venundari potuisse iudicauit. Matth. cap. 26. & Marcus 14. super caput effudisse narrant, sed non est vlla in hoc contradictio, nam & super pedes, & super caput effudit; quod enim vnus praetermittit Euangelista, alium narrare nouum non est. Recte autem Aug. lib. 2. de consen. Euang. cap. 79. perpendit, prius unxisse pedes unguento, quod autem superfuit super caput effudisse vale ipso fracto, ut nihil superesset, & hac ratione conuenit cum Marco, referente fracto alabaastro effudisse super caput eius, si autem prius in caput effudisset, vngere pedes non potuisset, iam vase con fracto: prius ergo sunt uncti pedes, postea totum unguentum fracto alabaastro est effusum in caput. Est autem attendendum, quamuis Ioannes narret, unxisse pedes Mariam, & tersisse, intelligendum tamen est, prius tersisse, & postea unxisse: non enim vngebat, ut tergeret. Luc. 7. Lacrymis lauit, & capillis tersit, & postea unxit: at lacrymae hic defuerunt, quia non nunc ad Dominum a peccato conuertebatur, ut prius: tergebat autem a puluere pedes, ut vngeret postea unguento.

A N N O T A T I O II.

Concordia Euangelistarum in unctione Christi.

CONTROVERSA est inter antiquos Doctores, an haec unctio sit, cuius mentionem Matth. 26. & Marc. 14. fecerunt. Origenes tracta. 35. in Matth. qui plures assererat mulieres, quae Dominum vnixerunt, ita affirmat. & Chrysostom. hom. 64. id etiam insinuat; At Augustin. in libr. de consent. Euang. cap. 79. vnam, & eandem mulierem esse tradit, & defendit, ut re vera fuit; nec enim est verisimile intra duos, vel tres dies, duas distinctas ad unguendum Dominum mulieres concurrisse, tot circumstantijs similibus interuenientibus; & quod nostram magis confirmat, id est, quod argumenta, quibus duas fuisse Doctores confirmant, robur habere non videntur.

Dicunt enim primò, quod Mattheus, & Marcus narrant, factum esse biduo ante pascha post ingressum Domini in Hierusalem, at quod Ioannes describit ante ingressum cum esset in Bethania, & si hoc ita esset, certè duas unctioes fuisse nemo negare posset, tamen non propterea sequebatur, duas fuisse mulieres: vna enim, & eadem bis potuit Dominum distinctis vnge temporibus & locis. At re vera argumentum falso nititur principio: nec enim Euangelistae illi affirmant biduo ante Pascha unctum fuisse, quod ex verbis ipsorum constat, quia dicunt Dominum discipulis dixisse, Scitis post biduum pascha fiet, & tunc congregatos esse principes, ut Iesum dolo tenerent, ita addunt, cum esset in Bethania, mulierem hanc accessisse: quae verba non connectuntur immediatè praecedentibus, sed Euangelista causam, & occasionem, quam Iudas eum tradendi accepit, describere volentes, haec verba adiunxerunt, reuersiq; sunt ad de-

scribendum, quod ante praecesserat in Bethania ea de causa, quia unguentum hoc occasio fuit Iudae tradendi Dominum, indignanti unguenti pretiosi effusionem. Si igitur rectè, & attentè legamus illos Euangelistas, nostram non infirmant sententiam, nõ est autem noua Euangelistis haec narrationis forma. nam Matth. 14. & Mar. 6. postquam narrantur Herodem dixisse, Ego Ioannem decollavi, & surrexit a mortuis, historiam decollationis descripserunt, quam certum est tunc iam peractam fuisse; Ex occasione enim verbi Herodis, quod factum iam erat, illa narrantur, ordinemque temporis non seruantes, ad praerita reuersi sunt describenda: ita nunc factum est; nam propter Iudae traditionem, quae facta est post biduum illud, huius unctiois mentionem fecerunt, quae praerita iam erat.

Obijciunt secundò Doctores isti: nam Mattheus, & Marcus referunt unxisse caput, & Ioannes unxisse pedes. Sed debilis est haec probatio, ad quam respondet August. lib. 2. de consen. Euang. cap. 79. Vtrumque esse factum, & prius unctos esse pedes, postea caput: in cuius unctiois vas fractum est, uti in commentario exposuimus.

Opponunt tertio; nam Ioannes refert Iudam indignatum fuisse, reliqui verò Euangelistae discipulos indignatos. Sed neque hoc argumentum efficax est, sed quod respondent August. & Chryso. locis citatis Iudam, & discipulos indignatos fuisse, licet non eadem de causa; Iudam quidem ex auaritia, quamuis zelum pauperum fingeret; at discipulos ex misericordia in pauperes: prior ergo Iudas indignatus est, & hoc refert Ioannes; postea disci-

discipuli zelo ipsius decepti, indignati sunt. At referunt singuli Euangelistae; expressit autem Ioannes, quod alij non explicuerant: merito autem illi nominis non fecerunt mentionem, quia non ex primo instituto eam conscribebant historiam, sed ut Iudae prodicionis rationem, & causam indicarent; at Ioannes eam narrandam suscepit, idcirco nomen exposuit, nec praeter ordinem, aut temporis rationem, sed suo loco & tempore gestam descripsit. vna igitur est mulier, & vnica unctio, non duae (ut aliqui sibi persuaferunt nostri temporis auctores) cuius hi tres Euangelistae fecerunt mentionem.

Opponunt quartò: nam Euangelistae illi duo non expresserunt nomen mulieris, sed hoc facilem habet responsonem: non enim omnia

Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariothes, qui erat eum traditurus.

C O M M E N T A R I V S.

Particula Ergo, causam huius indignationis indicat, nempe, cum domus tota unguenti odore esset repleta, nouit auarus discipulus unguenti pretiantiam & valorem, doluitque, & indignatus est non esse conseruatum, ut postea in manus eius perueniens (nam ea, quae Christo offerebantur, ipse seruabat) posset vendere, & pretij partem sibi vsurpare. Dicit autem Euangelista Iudam, *Qui traditurus erat eum*, ut distinguat ab Apostolo Iuda Thadæo, & simul etiam ut insinuet ex hoc tempore coecepisse Christum tradere, eo excitatum, quod occasionem tantam rapiendi, & lucrandi amiserit.

Quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?

FAcile vitia virtutum specie operiunt mali, & ouina veste se contegunt lupi. Auarus & raptor misericordiae viscera in pauperes fingit: erubescibat enim se prodere, & iram ac cordis rabiem ex lucri occasione amissa, zelo exteriori charitatis vestiuit: impius, ac ingratus discipulus unguentum trecentis denarijs aestimauit, magistrum autem triginta tradidit. vnde Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. Rectè, inquit. O Iuda proditor unguentum passionis eius trecentis denarijs aestimas, & passionem eius triginta denarijs vendis, diues in aestimatione, vilis in scelere.

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quae mittebantur portabat.

NON est passus Dominus latere, quod iniquè Iudas occultauit, sed animi malitiam, quam dissimulauit, Euangelista aperuit, *Non*, inquit, haec dicebat, *Quod de egenis pertinebat ad eum*, id est, quod aliqua cura permeretur aut affectu aliquo erga pauperes tangeretur: sed quia consuetus erat furari ex his, quae in Eleemosynam Domino offerebantur cum ipse haberet loculos & munere accipiendi oblata, simulque conseruandi, & ministrandi fungeretur, sperabat ergo bonam partem denariorum sibi rapere, sed spe ista unguento effuso frustratus, indignatus obmurmurabat. Attende Dominum eleemosynas accepisse, & pecunias habuisse, ut necessaria emeret: quandoquidem enim cum discipulis incedebat multis, ne grauis, & onerosus esset hospitibus, hinc inde collata in expensas quotidiana asseruabat, hancque curam Iudae demandat, quae ille infidelissimè gerebat: sibi enim, quae erogabantur; & dabantur Christo, subripiebat. Illud, *Quae mittebantur portabat*, Graecus codex distinctius habet,

habet, nepe iniecta, seu intromissa; id est, quæ reseruanda, & reponenda erant, ipse conseruabat; non autem significat quæ mittebatur Christo, ipse portabat, vt latinum verbum significare videtur, Græcè autē dicitur τὰ βαλόμενα.

A N N O T A T I O III.

Percontabitur aliquis quare Dominus, cum Iudam futurum furē præciteret, seruare marsupium permiserit? Hiero. lib. 3. cont. Pelagian. respondet, Dominum præsentia iudicare, non futura: elegit enim Saul, quamuis malum futurū nosset; ita Iudam elegit, eiq; marsupium tradidit, qui bonus tunc erat. Aliter respondet Euthymius, nempe propter eius imbecillitatem id factum, vt inde suam fouēs auaritiā in præceptoris non incideret pro-

ditionem: permittuntur enim minora mala, vt maiora euitentur. Idem respondet Chryf. hom. 64. dicens, voluisse Dominum omnem illi prodicionis tollere materiam; sufficientes enim oculi erant, vt eius satisfacerent cupiditati. Aliam ante hos Doctores etiam causam reddidit Orig. hom. 4. in Cantica; nempe Dominum nouisse illum esse cupidum, & vt à cupiditate cessaret possessionem aliquam dedisse; at ille medicina non est sanatus.

Dixit ergo Iesus; Sine illam.

C O M M E N T A R I V S.

Potuisset Dominus, & Iudæ malitiam detegere, & discipulorum indiscretum zelum reprehendere; tamē cos ratione voluit potius instruere, quā reprehensione eorū animos exulcerare; maximē quia iam scādalum crucis graue imminabat; suauiter ergo defendit Mariam ab indignatione, & murmuratione Iudæ. *Sine*, inquit, *illam*, id est, nec indigneris contra eam; permittite facere, quod facit; quando enim hæc verba Christus dicebat, adhuc Maria vngebat; Iudas enim ante finē vnctionis murmurare inceperat, vt à proposito deterreret; idcirco Dominus dicit, *Sine illam*. Aliqui textus habēt. *Sinite*, & ita Chryf. legit, & legendum videtur; nam simul discipulis, & Iudæ respondebat. & statim sequitur verbū plurale. *Habebitis*, tamen Græcus codex, qui modò habetur, habet in singulari; quia Ioannes solius meminit Iudæ, idē est sensus; tamen prior lectio magis placet. Vno enim verbo vsus est Christus, & id plurale fuit, quia multos alloquebatur.

In diem sepulturæ meæ seruauit illud.

Adfert Dominus argumētum defensionis; quia, inquit, hoc vnquentū, *In diem sepulturæ meæ seruauit*, id est, vnctio hæc facta est in officiū sepulturæ meæ: Vnxit enim me, sicut mortuum corpus ad sepeliendum vngi solet: si autem ego mortuus essem, utiq; non indignemini, quod corpus meum hoc vngeret vnguēto: nec igitur modò indignemini, quia idem est officium: ac si dicat; hæc vnctio loco illius est, quam corpori meo in sepulturā exhibitura erat. Significat Dominus his verbis proximā mortem suam, cuius hæc vnctio signum erat. Cæteri Euangelistæ hunc sensum Ioānis magis explicant. Mattheus inquit, Mittens hæc vnquentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. & Marcus præuenit vngerere corpus meum in sepulturam: quæ omnia verba non sic sunt intelligenda, vt Maria nouerit Christū iam iam mortū proximū eoque consilio vnixerit præueniens, quod postea non erat factura: nondum enim Maria hæc sciebat; tamen Spiritu Sācto ducebatur, vt faceret id, quod sepulturæ erat officium, & mortis inditium. Loquitur autem Christus morte communi vsus verbo præterito: nam erat citò moriturus, & vnctio illa mortis præsagium erat, & signū: ita enim solemus loqui quando euentus rerum tribuimus ijs, quibus euenerunt, tanquam si fuissent effectuum illorum causæ. 3. Reg. 17. ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum: & tamen Elias non ea de causa ingressus erat. Gen. 20. Induxisti super me, & super regnū meum peccatū grande, nec tamen Abraham id intendebat. & Caiphas propheta se dictus est, cum non intelligeret, quod futurum erat, ita nunc Maria in sepulturam hoc vnquentum seruasse dicitur, quia reuera ita erat, quamuis ipsa non

ipsa non ea intentione seruasset, nec effudisset. His verbis Dominus satisfacit obiectioni discipulorum, & Iudæ. Dicebant enim perditionem esse hanc effusionem, at Dominus non perditionem, sed officium esse docet; & quamuis ipsa non intelligeret, satis erat ex intentione Spiritus facti talem esse effusionem, & ipsam Mariam in Christi deuotionem, vt refrigaretur, fecisse. Aduerte multos latinos textus antiquos habere, *sine illa, vt in diem sepulturæ seruet illud*, at Græcus habet, *Sine illam, in diem sepulturæ seruauit illud*, idē tamē est sensus: nam verba illa hunc sensum faciunt, sine vt seruet illud, id est, sine seruare, seu seruasse illud in diem sepulturæ.

Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Respondet alteri obiectioni Iudæ, & discipulorum de pauperibus. Pauperes, inquit, semper erunt a quod vos, quibus poteritis benefacere, oportunitas pauperibus benefaciendi continua est, & durabit; at mihi benefaciendi nō semper erit oportunitas; iam enim mortis sum proximus; dū igitur hoc breue superest mihi tempus, finite illam mihi benefacere, non deerit tēpus & occasio cæteris benefaciendi. Loquitur Christus de præsentia sua visibili, qua inter nos vixit mortalis, & passibilis, & hominum obsequijs egens. Aliqui secundum verbum legunt de futuro, *Habebitis*, & Græcus codex, & latini multi ita legunt, nempe de præsentia primum, de futuro secundum. idem tamen sensus est: sunt enim præsentia indefinita, quæ præsens & futurum cōplectuntur: quamuis legitima lectio ea videatur, quæ primum verbum præsentis, posterius futuri habet.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

Turba, quæ erat Hierusalem, nouit Dominum adesse Bethaniæ, venitque multitudo magna non tantum vt Christum post tantum miraculum editum, sed vt etiā Lazarum suscitatum videret. Intra quædā enim est mortalium cordibus curiositas huiusmodi noua, & mirabilia inquirendi. Qui erant de Hierusalem, tempus commodum habuerant Lazarum videndi; iam enim dies aliquot intercesserant ab eius resurrectione; at turba hæc multa longè illo tempore aberat propter Pascha autem conuenerat tunc primum Hierusalem, idcirco audiens rei nouitatem tantam, & Christum, Lazarumque adesse, certatim veniebat Bethaniam. Particula *Ergo*, relationem habet ad superiora verba, ante historiam vnctionis huius, ad quam Euangelista de scribendam diuertens, non potuit narrare, quod ex aduentu Christi in Bethania factum est: modò autem describit dicens, Cū venissent Bethaniam proximo tempore paschatis, quando multa turba Hierusalem conuenire solet, cumque turba nouisset eum ibi adesse simul & Lazarum, (erat enim locus vicinus Hierusalem) venit miraculi magnitudine tracta, vt videret mortuum suscitatum, & tanti miraculi auctorem.

Cogitauerunt autem Principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

EX his, qui veniebant, multi propter tantum miraculum ad Christū conuertebantur, at Principes sacerdotum in peius prolapsi. *Cogitauerunt*, nō solū Christum, sed *Et Lazarum interficere*, quia multi videntes eum, magnitudine miraculi, & præsentia moti, in auctore eius credebāt. Dæmoniaca hæc est iniquitas, innocentem Lazarum occidere velle, itēque ea de causa, quia pro-

pter illum multi credebant in Christum. Perpende quales hi erant Pastores, non errantes oues ad verum pastorem reuocare, sed errare eas facere, & occidere studebant. Magna autē est in ista cogitatione dementia, quasi non posset etiam occisum, qui potuit quatruiduanum, suscitare. Illa particula *Et*, augmenti est, vt sit sensus; non solum Christum, sed simul etiam Lazarum interficere cogitarunt. Verbum autem *Cogitauerunt*, Græcè est, *βουλεύσαντο*, id est, consularunt, & consilio communi decreuerunt, sicut superius dictum est: *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.*

In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audisset, quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obuiam ei.

IN crastinum, id est, die sequenti à cœna venit Dominus Hierosolymam, quod turbam de Christo cogitantem, & loquentem, latere non potuit, Deo ista disponente: cum enim vidissent, qui venerant Bethaniam, Christū iter versus Hierusalem capientem probabile est præcurrisse, & certiores eos, qui Hierusalem manebant fecisse. breuique temporis spatium totam vrbe famam peruagatam esse: occurrit igitur ei turba multa extra ciuitatem cum ramis palmarum in signum lætitiæ, & triumphi; acclamationibusque perhonorificis verum Regem Regum recepit.

A N N O T A T I O IIII.

Quare cū ramos palmarum vñ turba obuiam venit Christo.

AVG. tract. 50. Euthy. & Theophyl. ramos hos palmarum in signum victoriæ turbam portasse existimant: Erat enim consuetudo palmam victoribus dari; at quæ victoria hæc esset, non eodem explicant modo. Euthymius enim interpretatur victoriam, quam de morte consecutus erat suscitato Lazaro. August. verò, quæ consecutus erat de Diabolo, & morte, & peccato in cruce; at huic obstat turbam non intellexisse id temporis hanc victoriam, quam Christus obtinuerat, aut obtenturus erat; idcirco hac intentione ramos hos afferre non poterat. Mihi non improbabile videtur Iudæorum more etiam palmarum ramos afferri ad lætitiā magnam significandā, licet non præcessisset hostium victoria: sic Simō in arcem templi ingressus est in hymnis, & canticis, & ramis palmarum, vt habetur 1. Mac. 13. & festum tabernaculorum celebratum fuit cū ramis palmæ 2. Mach. 10. & Ioseph. 1. 3. Antiqui. cap. 10. refert Iudæos solitos celebrare hoc tabernaculorum festū cum ramis mirri, salicis, & palmæ; hoc enim Hebræis lætitiæ magnæ, & communis signum erat; nec solius palmæ, sed aliarum etiam arborum ramos portabant, vt ex alijs etiam constat Euangelistis. Quod si quis contendat, victoriā significari, vt & in citatis superioribus locis victoriæ quædam memoria contineatur, quia hæc omnia Iudæi celebrabāt, memores victoriæ; qua Dominus omnibus inimicis, & hostibus superatis, eduxit eos in templum, & in terram promissionis, non rehuo: & tum dicere possumus, turbam hanc ramos palmarum etiam in victoriā attulisse, quam sperabant certissimam se coniecturos esse, per verum Messiam, quem

A regem temporalem futurum credebant; vera tamen victoria erat, quam Christus in cruce facturus erat. Annotandum rursus est hunc Domini ingressum fuisse ante figuratum Exodi. 12. Præcepit enim Dominus agnum, decima quarta lunæ immolandum, in domum propriam vniuscuiusque adferri prius, nempe decima die eiusdem mensis, quo die vnusquisque cum lætitiā agnum immolandum in domū excipiebat: Christus igitur verus agnus, pro totius mundi peccatis decima quarta huius mensis die immolandus; hodie, quæ est decima dies, cum lætitiā & pompa magna Hierusalem, vbi erat occidendus, ingreditur. Attende rursus, Ioannem multa omisisse, quæ alij narrarunt Euangelistæ. Nam Christus videns Ciuitatem fleuit super illam, & mala ventura vaticinatus est; quæ etiam nos præmittimus, quia cæteros Euangelistas modo interpretandi munus non suscepimus. Illud tamen non est præmittendum, hoc festum esse manifestationis ipsius Christi, quo se verum Messiam, & Christum mundo manifestauit eo, iam tempore, quo per mortem discessurus erat, ad modum Solis, cuius Eclipsis tunc maximè perspicitur, & agnoscitur, quando dimotis, & repulsis nubibus, paulo ante nitidus lucet sic Christus mortis suæ eclipsim passurus, verus sol iustitiæ, mundo prius nitidus clarescere voluit, ostendens hoc factum non necessitate, sed volūrate mortē, & passionem subire; nisi enim tam frequentis turbæ Deus mentes illuminasset, & corda sua mirabili virtute, qua mortuū Lazarū suscitauit, mouisset; eum non agnouissent, nec ipsi obuiam cum tanta lætitiā, & honore, vt par erat, processissent.

Et cla-

Et clamabant hosanna.

C O M M E N T A R I V S.

Qui ramos palmarum afferbant, simul etiam clamabant hosanna. Verbum est Hebræicū, nec est vna dictio, sed duplex, nempe verbum *וְשִׁירָה* quod significat saluum fac, seu salua, & *נָא* quæ est interiectio quædam deprecātis, quod Latine dicimus, salua obsecro, qua voce saluatorem esse confitebantur, & salutem se ab ipso sperare proferebant, quod in annotatione libet prosequi copiosius.

A N N O T A T I O V.

quod significat Hosanna.

SVNT hoc loco nonnulla annotanda. Primum est, non esse hanc vocem Hosanna, interiectionem nihil significantem, sed animi quandam deprecationem indicantem, vt existimauit Aug. tract. 51. nam est verbum tertiæ coniugationis, apud Hebræos idem significans quod salua, seu saluum fac; estque adiuncta interiectio *נָא* seu *נָא* quæ est deprecantis, vt sit sensus; Salua obsecro. Aug. autē toti dictioni Hosanna tribuit, quod erat vnus partis proprium.

Alterum est, non esse verum, quod recentiorum aliqui plus nimio subtilia inquirentes dicunt, particulam *נָא* esse vnum ex Dei nominibus; ac veritas est, quam Hieronymus in Epist. ad Damasum, vbi copiosè de hac re tractat, docet, nimirum esse interiectionem deprecantis, quæ dicitur *נָא*, & *נָא* quod Latine significamus verbo *τ* obsecro, fac obsecro.

Tertium est, aliquos legendum esse censere Hosanna *וְשִׁירָה* est enim in tertia coniugatione, vbi verba habent litteram iod, & ita Hieron. in Epist. citata censet corruptè legi Hosanna; nam verbum hoc sumpsit Turba ex Psal. 17. O Domine saluum me fac, benedictus qui venit in nomine Domini; In hoc autem loco cum iod legitur; ad hoc tamen dici potest, turbam locum quidem Psal. mi huius recitasse: tamen non exactè singulas literas retulisse: nam etiam addiderunt filio David, quod in illo Psalmo non est, & ita etiam potuit fieri, vt verbum hoc sine Iod recitauerint; nam in Hebræo sermone vtroque modo pronuntiat, & legitur: nam Psal. 85. Saluum fac seruum tuū: sine iod dicitur *וְשִׁירָה* & Hieremias 31. Saluum fac populum tuum: habetur etiam sine iod. Nulla igitur est corruptio sermonis etiam sine iod, vt communiter nunc recitat Ecclesia, & in Euangelij legimus.

Quartum est, multas huius dictionis datas fuisse interpretationes à veteribus, quas recitat Hieron. loco citato. & Chrysost. hom. 37. in Math. aliqui enim gloriam, aliqui redemptionem. alij aliter interpretati sunt: ea tamen vera est, & legitima, quam ipse Hieron. adducit, nempe, saluum fac obsecro; est enim verbum *וְשִׁירָה* in tertia coniugatione significans saluatē facere, à quo verbo, nomen Iesu tractum est, & hæc significatio ex Matth. habetur, Vocabis, inquit, no-

Amen eius Iesus; ipse enim saluum faciet populum suum: vbi sine dubio Angelus vsus est hoc eodem verbo.

Quintum est, hoc verbo non precari turbam salutem Christo à Deo, quasi sit sensus: saluum fac Christum, vt nostro tempore aliqui sentiunt, eo decepti, quia dictum legunt, Hosanna filio David Matth. 21. existimantque esse casum verbi, saluum fac filium David, & re vera interpretatio non est legitima; salutem enim ab eo petebant, saluum fac, vt rectè Hieron. Matth. 21. & in Epist. ad Damas. docet interpretans saluum fac, nempe populum, aut mundum: sine limitatione enim ab eo salutem exorabant. Hanc veritatem id probat, quod in Psal. 117. vnde hæc sumpta est acclamatio, non habetur filio David, sed absolute, salua petitur: O Domine saluum fac, salua obsecro, nempe nos omnes; non autem ausi fuissent Iudæi hanc salutem ad Christum ipsum conuètere. Præterea idem confirmat, quod si salutem ipsi precarentur, non erat aliquid, in quo à cæteris hominibus eum distinguerent; nec quod Iudæorum illi primi scandalizati dicerent, Audis quanta isti dicunt? adhuc confirmatur: nam hanc clamationem esse ex Spiritu sancto ipsemet Dominus comprobauit, allegans versum David: Ex ore infantium perfecisti laudem. Erat igitur vox, verum Christum, & Saluatorem consentientium, alludentiumque ad nomen eius: Iesus enim dictus est, non à salute sibi consequenda, sed à salute danda mundo. Saluator enim, non saluatus dicitur. Ita etiam nunc saluum fac, id est, saluos nos fac. Nec obstat ille catus, filio David, immo veritatem hanc nostram probat: nam sensus hic est, ac si dicerent, Hosanna filio David, id est, iure ac merito filio David, acclamamus, saluum fac, salua nos: liberauit enim David sæpe populum, ita & nos filius eius promissus liberabit. Est enim cum articulo, illi filio David. Hebræus autem sermo concisus est, & breuis valde. Et hæc est vera interpretatio, omnis alijs, quas nonnulli adferunt.

Sextum est, non esse probandum, quod Recentiores affirmant, scilicet hanc vocem relictam ab Euangelistis, Hosanna, quia erat propria acclamatio Iudæorum, sicut Romanorum io triumphæ, sed hoc falsum est: non enim hoc verbo vsi sunt Hebræi; nisi quando salutem à Deo ipso petebant, nec in victoris tali acclamatione

Tt a matione

matione vsos legimus: relicta autem est, sicut A primi non valet; tum etiam propter tantæ celebritatis memoriam. & alia multa, quia eius significatio, vt inquit Hieronymus, in alio idiomate perfectè ex-

Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

COM MENTARIVS.

LAudis vox est, sicut quando etiam dicimus, Benedictus Dominus Deus Israel: Deus enim benedicit homini bona ei faciendo; at homo benedicit Deo. eius laudes, & perfectiones decantando; homo autem homini, tum benefaciendo, tum bene ei precando, tum demum laudando. Verba hæc laudis sunt. *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, dicitur autem venire in nomine Domini, sicut supra Ioan. 5. dictum est; Ego veni in nomine Patris mei; quia non solum à Deo missus erat, sed cum diuina potestate, & virtute veniebat, per quam sanitates operabatur, & mortuos suscitabat. Regem autem Israel appellant, quia talem futurum Messiam sperabant.

Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum.

CAeteri Euangelistæ distinctius hoc narrant, idcirco Ioannes prætermisit; misit enim discipulos, vt soluerent asinam, & pullum, & adducerent ad eum, adducentesque discipuli vestimenta sua posuerunt super eos, vt mollius, & decentius sederet Dominus; seditque super asellum, id est, pullum. inuenisse autem dicit, quia misit discipulos in castellum, qui inuenisse asinam, & pullum dicuntur.

ANNOTATIO VI.

Concordia Euangelistarum circa asinum, & pullum asinae.

TRES Euangelistæ super pullum asini sedisse referunt; Matthæus autem super asinam & pullum. Hiero. Matth. 21. existimat sedisse super vnum tantum, nempe pullum, nec ei videtur verisimile super duos sedisse, modò super vnum, postea super alterum propter breuitatem viæ: distabat enim quindecim stadijs Bethania. Euthymius eodem loco idem tenet, immo vnum animal interpretatur fuisse, qui asinus, & pullus asini dictus est; asinus quidem natura, pullus verò ætate. At Chrysofom. hom. 65. in Ioan. super vtrumque sedisse, modò super vnum, modò super alterum sentit; idemque Theophy. in Matt. Auctor verò imperfecti, hom. 37. in Matt. super asinam sedisse tantum dicit. Placet recentioribus quibusdam prima sententia, at reuera probabilior, & verior multo est media, nempe super vtrumque sedisse; primò super asinam, quæ Iudæorum populum significabat, postea super pullum, in quo ingressus est Hierusalem: eaque de causa meminerunt huius tres Euangelistæ: per quem Gentes in domitæ, & iugo legis non assuetæ significabantur. Hanc sententiam verba prophetiæ allegata ex Zacharia probant: Ecce, inquit, Rex tuus sedens super asinam, & super pullum asinæ: ecce super vtrumque sedisse affirmat. probant etiam verba Euangelij Matthæi 21. Iolui vtrumque iussit, & dicere: Dominus his opus habet. Rursus adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt: vtrumque tegerent vestimentis, super vtrumque sedere fecerunt. Illud enim desuper, ambiguum est in Græco, an super vestimenta,

Ban super animalia, sed parum hoc refert: Cum enim vtrique vestimenta imposuerant, quando dicitur, sedere fecerunt desuper, intelligendum est super vtrumque, quem instruxerant. Præterea significatio mysterij hoc idem confirmat: nam asina Iudaicum, pullus Gentilium populum significabat, vterque autem ad Dei, & Christi populum pertinebat. Præterea cum verba prophetæ, & Matthæi indicent super vtrumque sedisse: hoc enim nec Hieronymus negare potest, nempe verba Matthæi, & Prophetæ multo magis, ostendere super vtrumque sedisse, quam super vnum tantum, oportebat causam vrgentissimam esse, propter quam interpretari deberemus, & explicare in eo sensu, vt super vnum tantum sederit; at hæc ratio, & causa non est; Dicere enim breue esse spatium viæ, nihil habet efficaciam: nam propter mysterium hoc factum est à Domino, non propter viæ commoditatem: maiora enim spatia pedes conficere solitus erat. nihil igitur est, quod remoueat à plano, & proprio sensu verborum scripturæ. Dicent recentiores tres Euangelistas mentionem fecere, aselli seu pulli. hæc responsio nihil concludit; tritum enim est, quod vnus omisit alium narrare, & sæpe Ioannes refert, quæ alij tres Euangelistæ omiserunt. Dicunt ipsi in Hebræo apud Prophetam loco asinæ legi יוֹנָה quod non asinam, sed asinum masculinum - lini generis significat, at hoc ad rem non facit; nam Matthæus & propheta super duo animalia sedisse referunt: siue ergo asina, siue asinus fuerit ad veritatem scripturæ sustinendam id non facit.

facit. Adde secundum doctissimos, & peritissimos linguæ huius, vtrumque sexum hoc nomine significari, & est locus expressus 2. Reg. 19. vbi in genere foeminino legitur. Adde verborum consecutionem, & connexionem indicare etiam rem ipsam, adduxisse enim asinam & pullum, discipuli referuntur; pullus non patrem, sed matrem sequitur, & agnoscit; quãdo ergo simul fuisse dicuntur, non asinus, sed asina significatur. Græcum autem vocabulum hoc ambigui generis est. Quod autem Euthymius dicit, vnum esse animal asinum & pullum, est contra scripturam expressam; nam Matthæus

A plurali numero ea exprimit, tanquam distincta: & communis Doctorum sententia ita interpretatur. Multo durius, & periculosius id est, quam si asseret super vtrumque sedisse, sicut veritas postulabat. Attendendum est autem olim apud Iudæos in maiori fuisse pretio vsus huius iumenti, quam hodie est: solebant enim nobiles insidere asinis. Iud. 10. Iair habebat triginta filios, sedentes super triginta pullos asinarum. & Iud. 12. Abdon habebat quadraginta filios, & triginta nepotes, sedentes super septuaginta pullos asinarum.

Sicut scriptum est; noli timere filia Sion; ecce Rex tuus venit super pullum asinae.

COM MENTARIVS.

PROPHETIA est Zachariæ. 9. nec recitat Euangelista omnia verba, vt moris est, sed ea, quæ ad rem, de qua agitur, faciunt. Propheta autem dicit, Exulta filia Sion; pro quo Euangelista sensum respiciens, *Noli*, inquit, *timere*, quod verbum mansuetudinem Christi, & clementiam, qua non ad iudicandum, sed ad saluandum venerat significat, & quo Iudæus, & totus mundus ad deponendum timorem, & capiendam lætitiã & exultationem inuitatur. Erat autem Christus Rex, sed non qualem Iudæi illi arbitrati sunt.

Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt; quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

NE quis arbitratus esset hanc prophetiã discipulos tunc intellexisse, quãdo pullum, & asinam soluerunt, & adducentes vestimentis suis adorarunt, Christumque super ea sedere fecerunt, idcirco Euangelista hæc verba addit: Non, inquit, tunc intellexerunt totum illud, quod fiebat, fuisse prædictum; at *Quando glorificatus est Iesus*, id est, post ascensionem Christi in cœlos, misso Spiritu sancto illustrati sunt. nouerunt hoc totum fuisse prædictum, & hanc prophetiam in eo veram fuisse. Illud verbum *Hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei*, idem significant ac si diceret, Recordati sunt hæc scripta fuisse de illo, & hæc eadem fuisse facta, sicut scripta erant. Hebraismus mihi videtur, ac si Latine dicas, hæc, quæ fecerunt ei, seu, quæ facta sunt ei, scripta erant de illo; Aliqui *Hæc fecerunt ei*, ad ministerium discipulorum referunt, nempe hæc fecerunt ei ministrantes, nam adduxerunt ei asinum, & pullum, & vestimentis appararunt. Euthymius refert ad Iudæos, qui eum receperunt cum hymnis, & ramis; potius tamen ad vtriusque referendum est; vt sit sensus, *Hæc fecerunt ei*: id est, omnia hæc, quæ facta sunt à Iudæis, & discipulis, de eo prius erant scripta; quod Aug. trac. 51. insinuare videtur.

Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quãdo Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.

CAUSAM Ioannes explicat, propter quam mota est tanta multitudo, vt Iesum ita honorificè exciperent. nempe quia turba, quæ adfuit Bethaniæ, & audiuerat vocem illam magnam Christi Lazarum vocatis, videratque mortuum suscitatum, eddebat palam testimonium omnibus, Christum tale ac tantum opus fecisse. Particula *Ergo*, tacitam habet illationem hanc, nempe, quia turba multa fuit Bethaniæ, & vidit miraculum, & audiuit vocem Christi, idcirco perhibebat testimonium, affirmans Christum Lazarum mortuum suscitasse: & turba conuocauit turbam, eamque excitauit.

*Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt,
eum fecisse hoc signum.*

A Vdiens tota multitudo, & turba Iudæorum, quod pars turbe testabatur, venit ei obuiam, dignū tali in honore & laude censens, verumq; Christum confitēs eum, qui mortuum quatruiduanum suscitare potuit. Fuit qui dem exterior causa mouens miraculum hoc, sed nisi virtus Christi eorum corda mouisset, & mentes illustrasset, adhuc in sua cœcitate māsissent. Sic factum est in Euangelij prædicatione: opera enim exteriora, quamuis vrgētissima, & maxima non sufficiunt, nisi Spiritus Sancti virtus interior cor excitet, illustret, & adiuuet.

Pharisæi ergo dixerunt ad se metipsum, videtis, quia nihil proficimus; ecce mundus totus post eum abiit.

S Vam confusi Pharisæi imbecillitatem contra Christum agnoscunt, oreq; proprio confitentur, dum mundum, id est, totam populi multitudinem, Christum sequi, & recipere proprijs vident oculis, & audiunt auribus, hæc vlla valent ratione impedire. Verba sunt ista indignantium, ac ægrè ferētium, quod ex Luc. 19. constat, Quidam, inquit, Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum; Magister, increpa discipulos tuos, & in Aug. tract. 31. hæc Ioannis verba interpretatur; at Chryso. hom. 65. vocem eorum, qui beneuoli erant Christo, esse affirmat, qui ipso euentu rerum conatus iniquos persequentium reprimere studebant. Euthym. vtramque expositionem probat, Legitima videtur prior, vt ex verbis Lucæ colligitur. particula *Ergo*, causam indicat, nēpe, quia viderunt turbam obuiam venientem Christo, & audierunt magnificas eius acclamationes, propterea hæc inter se Pharisæi confusi, & dolentes, indignantesq; proferebant.

Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorent in die festo.

G Entiles multos venire solitos Hierusalē deuotionis gratia, vt adorarent in templo Deum Iudæorum, certa res est: habemus enim Actor. 8. exemplum de Eunucho Candacis Reginæ Aethiopiæ & 2. Mach. 3. Heliodoros adorauit, & obtulit oblationem. Reges etiam Gentium dona mittebant, vt constat de Ciro & Dario lib. 1. Esdræ. De horum numero erant isti, qui aderant quando Dominus tanta est exceptus pompa. Chryso. hom. 65. hos Gentiles esse affirmat, qui fieri profelyti volebant. Interli: nearis glossa profelytos iam, & circumcisos fuisse affirmat, sed nulla ratio vnum, aut alterum affirmare nos compellit. Ex Euangelio solum habemus Gentiles fuisse, quos in templum solitos tunc ascendere, etiam si circumcisi non essent, nec circumcidi vellent, certum est: ad oblationes autem & sacrificia Gentiles admittebantur, non tamen ad esum agni, nisi circumcisi iam essent, & Iudaismum profiterentur vt constat Exodi 12.

*Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes; Domine volumus
Te videre.*

P Articula *Ergo*, qui essent hi Gentiles aliqua ex parte explicat; nam ex præcedentibus deducit, quæ sequuntur; ac si dictum esset, erant Gentiles, & propterea, *Accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ* gentium, prope quam gentes habitabant, & quam multi Gentiles incolebant, de quorum numero hi erant: nam Euangelista ea ratione meminit Philippum esse de Bethsaida Galilææ, vsusq; est particula illatiua, vt significaret hos esse de illorum

illorum numero, & idcirco accessisse ad Philippū, qui cū esset de Galilæa, & vicinus, aliquam cum eo habebant familiaritatem, aut cognitionem. hic sensus legitimus videtur. Exponunt igitur Philippo, se desiderio videndi Dominum teneri, aditumq; quærere id assequendi. Perpende quanta reuerentia Gentiles profecuti fuerint Christum: non enim per se ipsos accedere ausi sunt. Hos non interfuisse quando cum pompa ingressus est Dominus, apparet: quia nondum Iesum viderant, sed venisse postea videntur, idcirco quærere eum videre.

Venit Philippus, & dicit Andrea, Andreas rursus, & Philippus dixerunt Iesu.

P hilippus Andræ refert tanquam maiori, vt dicit Chryso. hom. 65. at nec ipse solus est ausus, sed ambo simul referunt Domino. Chryso. vtrumque per se discipulum illud retardasse affirmat, quia audierant à Christo; in viam gentium ne abieritis. Perpende discipulorum ordinem; cedebat enim vnus alteri, & rursus omnium reuerentiam erga magistrum, vt nihil facere præter eius voluntatem voluerint.

*Iesus autem respōdit eis, dicens; venit hora, ut clarificetur
filius hominis.*

M Agnum mysterium hic aduentus Gentilium significabat, quod Apostoli tunc non intellexerunt, nouit tamen, quem nihil latuit, Christus; erant enim gentes ad eum venturæ, & conuocandæ, post mortem tamen, & resurrectionē suam; dum enim in terris erat, nō missus fuit, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel; at morte sua gentes omnes congregaturus erat ad se, nomenq; suum toti orbi manifestaturus. Hi igitur gentiles venientes, & desiderantes eum videre, velut oratores taciti erant totius gentilitatis, significantes, tempus imminere iam mortis, & passionis, vt per eā gentes videant tandem Saluatorem; idcirco ad Apostolos isti accedunt, quia per eos verbum Christi prædicandū eis erat. Dominus ergo, quando adesse gentiles quæreres eum videre audiuit, futuram gentium conuersionem, & mortis suæ imminenti indicium, & velut prognosticum agnouit, ideo de sua morte, & gentium vocatione copiosè locutus est dicens, *Venit hora*, quasi dicat; gentiū hic aduentus, adesse iam horam, & tempus quando filius hominis clarificandus est, & notificandus, non Iudæis solum, sed gentibus omnibus, significat: hoc autem tempus, & hora est mortis, & passionis, post quam prædicandum est nomen meum mundo, & clarificandus sum gentibus, & populis: hic est sensus legitimus; promissio enim gentium implēda erat post ipsius Christi mortem. Eiectis enim, & repulsis incredulis Iudæis, caput gentium, & Iudæorum fidelium effectus est, locumq; perfidorum Pharisæorum, & Sacerdotū principum, cæterorumq; incredulorū occuparunt, & implerunt in nfiti gentiū populi. Dicit autem, *Clarificetur filius hominis*, id est, qui apparet filius hominis, noscatur esse simul verus Dei filius, & mundi salus, vt omnes eum venerentur, & adorent.

*Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram
mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum
fuerit, multum fructum affert.*

S Imilitudine explicat hanc clarificationem, & exponit simul qualiter futurus sit nempè per mortem. Vt enim granū frumenti seminatum nisi corrumpatur, & mortificetur, non multiplicatur; sed vnum, & solitarium manet; ac si mortuum fuerit multiplicatur, granaq; multa facit; sic Christus granum cadens in terram, id est, filius Dei homo factus, si non mortuus

fuisse, in sua perfectione solus mansisset: per mortem suam multiplicem fructum attulit fidelibus, iuxta illud Isa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longauum. Granum igitur cadens in terram. Christus ipse est, mortificandum, vt inquit August. tract. 51. in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide omnium populorum. & attende vnum, quod rectè annotauit Orig. ho. 8 in Hierem. Iudæos existimasse morte Christi se effecturos, vt nomen eius obscuraretur: at contrarium illis euenit: ipsa enim morte in multis clarificatus est. Venite, inquit, mittamus lignū panem eius, & eradamus eū de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. At contra, Christus inquit, si mortuum fuerit granum frumenti, multum fructum affert. Iudæi ergo nolētes inseruierunt Christo, vt in gentibus, & populis innumeris clarificaretur. Quando ergo quærūt occidere Iudæi, gētiles veniūt videre Christum. Magnū mysteriū in hoc, vti diximus, cōtinebatur. Attende Christum Deum, & hominem granum esse cadens in terram, & nisi mortuus fuisset, humanum genus redemptum non esset; non quia non potuisset saluare, sed quia id diuina voluntate dispositum erat, vt morte sua mundum redimeret, & sic intelligendum est. *Iesus solum manet*, id est, in sua tantum perfectione Christus mansisset, neminemq; à morte liberasset: mors enim eius non ex absoluta necessitate erat, quia vnico opere meruit salutem hominum; sed ex ordinatione diuina, sic enim Deus disposuit. Hac ratione est accomodanda similitudo grani: nam & granum poterat multiplicari sine corruptione sui; at Deus hūc ordinem naturalem instituit, immo & potuit Deus sine grano multiplicare gramina, sicut etiam potuit homines saluare sine filij incarnatione. Sūt igitur hæc ex diuino beneplacito disposita. Attende rursus aliud esse cadere in terram, aliud mori: cadere in terram, significat ipsius incarnationem, cui adhuc mori opus fuit, vt nos saluaret: Nihil enim nobis nasci profuisset, nisi mortuus esset.

Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Connexionem huius sententiæ cum præcedenti non est facile intelligere. Mihi ea esse videtur, vt velit Dominus sententiam præcedentem, quā de se, & morte sua pronuntiauit, extendere ad omnes eos, qui in ipsum credituri, eumque secururi erāt; nempe vt necesse sit eos etiam mortificari ad afferendum fructum, adeo, vt nisi mortificentur, non solum fructu priuentur sed perituri etiam sint. Non autem præter rem hanc facit extensionem; nam cum dixisset, se, si mortuus fuerit, multum fructum allaturum; cōtinuò hūc fructum exprimit, insinuans multos, & innumerabiles futuros, qui commoritur sint ipsi, & propter ipsum sanguinem suum fusuri, quales sunt Martyres gloriosi, quorum omnium magnus est fructus: nec enim inutiliter moriuntur, sed maximo cum scōnore, vt ex hoc cognoscant discipuli, mortē Christi, non derrimentum, sed lucrum esse incomparabile. hæc est connexio. Sen sus autem hic est, *Qui animam suam amat*, id est, qui vitam hanc temporalem conseruare vult, potius quàm in me credere, & qui vult appetitui suo indulgere, & desideria huius vitæ perficere, potius quàm mea mandata exequi, mihi que obedire, perdet eam, quia mortem æternam contrahet: qui verò odit eam in hoc mundo, exponēdo eam pro me, mortemq; eligendo potius, quàm negare me, qui que suis desiderijs, & appetitibus contredicit, vt meis obediatis mandatis: hic profectò custodit eam in vitam æternam, non enim est odium hoc, sed potius custodia; nam sic conseruat eam, vt in æternum viuat.

A N N O T A T I O VII.

AVGUSTINVS tract. 51. prioris partis huius sententiæ, nempe, *Qui amat animam suam perdet eam*, duos adhibet sensus. Vnus est, vt de vero amore intelligatur, nempe, qui verè animam suam diligit, & verum bonum ei vult, perdat eam, exponendo morti propter

propter Christum, & negando ei desideria propria contra legem Dei. Alter sensus est de falso, & malo amore; nempe, *Qui amat animam suam*, vitam conseruare temporalem potius eligendo, quàm me confiteri, & illi satisfacere potius, quàm mihi obedire, iste perdet eam, per æternam mortem. Posteriorē hunc probat sensum, & meritò, quia pars posterior huius sententiæ priorem sensum non admittit: nam sunt duæ oppositæ partes, qui odit animam suam, & qui amat animam suam; vt igitur, *Qui odit in hoc mundo, seruat in vitā æternam*, ita qui amat in hoc mundo, eam in mortem inducit æternam: amare igitur sumitur in malam partem sicut odisse in bonam. Attende rursus dupliciter contingere amare, & odisse animam. Vno modo quantum ad realem effectum, sicut fecerunt, qui vitam temporalem pro Christo exposuerunt, velut Martyres; hi in odio habuerunt animam in hoc mundo; qui vero elegerunt potius viuere, quàm Christum confiteri in persecutionibus, vitam amarunt; & in hoc

A sensu videtur Aug. tract. 51. hæc verba exponere. Altero modo, non in effectu ipso, quia occasio moriendi pro Christo non est, sed in similitudine quadam. Ille enim odit animam, qui suis resistit appetitibus, nec facitea, quæ vellet, vt mādatis Christi sati sfaciat, quales cōfessores multi, & serui Dei sunt, & fuerunt: ille autem amat animā, qui indulgere potius vult suæ voluntati, quā legi Christi. in hoc sensu exponit Chryso. ho. 66. Euthym. vtrunque complectitur, & ea est legitima interpretatio: Christus enim generaliter loquitur de his omnibus, qui ipsum secururi, & qui mortis eius erant futuri fructus. Attende rursus ex his verbis occasionem accepisse, aliquos errandī grauius. Existimarunt enim licere sibi manibus proprijs mortem inferre, vt dicit Aug. tract. 51. quàm hæresim tenuerunt quidam dīcti Circumcelliones, quos non sola Catholica fides, sed etiam ratio naturalis redarguit, & cōuincit. Verba etiam, quæ sequuntur, veritatem apertè ostendunt.

Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic & minister meus erit.

C O M M E N T A R I V S.

Ad doctrinam superius expositam exhortatur, nimirum vt animam odio habeant in hoc mundo, & opportunè quidem; erat enim iam proximus passioni, & morti, in qua discipuli scandalum passuri erant, quibus medicamentum præseruans exhibuit, docens mortem istam fructum maximū allaturam; Atque etiam eum, qui salutem æternam concupiscit, mortē modo aliquo subire debere, significans. Post hanc igitur doctrinam verbis superioribus exhibitam, exhortatur eos nunc ad hanc mortem subeundam: quasi diceret, ne scandalizemini in morte mea, quia fructus est, & vita mūdi, immo vos exhortor, & inuito, simul etiā omnes eos, qui mei ministri, & serui esse volunt, vt me sequantur; ego præcedo primus, post me veniant: nō enim erit viæ error, nec terminus mors, vbi dux ego, qui vita sum, præco: nam perueniet, qui me sequitur illuc, *vbi ego sum*, id est, ad cælestem gloriam; Non dicit, vbi ego ero, significans se Deum esse, qui est in cælo, similiter animā eius beatam esse, & Deo frui. Veniet ergo minister me sequens, ad fruendum diuinitate mea, qua ego fruor. Si sequēdus est Christus, igitur non licet se occidere; Christus enim mortem illatam passus est, sponte ipse vero sibi mortem non intulit. Vti igitur diximus, Circumcelliones hæc verba condemnant.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

Omnia clementia, & humilitas Saluatoris nostri; ne enim dedignaretur aliquis vocem audire ministerij, *Si quis mihi ministrauerit*, postquā dixit (qui me sequitur, illuc perueniet, vbi ego sū) verbū ministrandi repetit, & quod in eo offendere aures poterat, remouet; ac si diceret; dixi vobis, Si quis mihi ministrat, non humile, & abiectum vobis hoc verbū videatur; quia qui mihi ministrat, à Patre meo, qui Deus est, honorificabitur: Si nō vile, sed gloriosum est à Deo Patre honorificari, nec vile profectò, sed gloriosum valde, & honorificum est mihi ministrare. Honorat Deus ministros Christi, dum eos facit honorabiles, & in eam prouehit dignitatem, & auctoritatem, vt honorificetur ab hominibus, & Angelis. Perpende in quantum honorem, & gloriam Apostoli sunt prouecti, vt piscatores, & humiles cū essent, ipsorum nunc imaginibus, & reliquijs Reges, & Principes enua flectant, dici non potest quanto honore in cælis, ab Angelis afficiantur, quàm honorificè à Deo ipso tractentur, quos filiorum sibi charissimorum, & nomine, & hæreditate cumulauit; vt verum illud sit Psal. 138. Nimis honorificati sunt amici tui Deus.

Nunc anima mea turbata est?

Horum, & sequentium verborum connexio, & sensus maximè sunt consideranda: in cuius gratiam sciendum, horum gentium aduentum duo significasse, & representasse Christo: vnum, gentium vocationem, & conuersionem ad fidem eius; alterum mortem ipsius imminentem, postquam erant vocandæ, & venturæ gentes. occasione igitur aduentus, & representationis huiusmodi, Dominus duo etiã effecit; vnũ est de fructu isto futuro per mortem suam tractare, & hoc verbis præcedentibus fecit: alterũ est ad mortis suæ, & passionis iam iam imminentis considerationem se conuertere, & hoc nunc Ioanes describit; præ desiderio autem subeundi mortem, per quam tot, ac tanti ferendi erant fructus, modo quodam eam præuenit excitans in sermone, & horrorem ipsius, vt vel sic iam pati incipiat. turbat ergo se timore mortis & passionis, & turbatus verba hæc, & quæ sequuntur pronuntiat, *Nunc turbata est anima mea*, ac si diceret, Iste gentiles mihi suo aduentu mortem meam proximam prænuntiant, & significant, idcirco nunc turbata est anima mea. occasione ergo gentium eum videre cupientium, mortis, & passionis imminentis considerationem assumit, sequitur timore, & horrore turbat; & hoc præ nimio amore & desiderio nostræ salutis, & gentium vocationis, veluti pati, & mori gestiens. Hæc est conexio, & sensus verborum. Damascenus li. 3. de fide c. 23. illud aduerbium, *Nunc*, significare affirmat voluntarias, & spontaneas Christi propassiones, ac si diceret, *Nunc* quando volo, *Anima mea turbata est*.

Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora, sed propterea veni in horam hanc; pater clarifica nomen tuum.

Verba sunt ista Christi hominis timore, & turbatione, quam ipse voluntarie, & spontè assumpsit, commoti, indigent autem declaratione. Sciendum igitur Christum præter diuinam etiam humanam habuisse voluntatem, vt multa loca scripturæ, & ratio ipsa demonstrant; humana autem voluntas, quæ vt homo habebat, in naturalem, & in deliberatam diuiditur; non quod hæc duæ sint voluntates, cum vna sit potentia, seu facultas, sicut vnus est intellectus: sed ratione diuersorum obiectorum, modò naturalem, modò deliberatam appellamus. Naturalis quidem voluntas dicitur, quæ fertur in rem aliquam secundum se ipsam consideratam: deliberata verò, quæ fertur in rem non solam, sed cum circumstantiis suis per intellectum propositam: quod exemplo declaro. Mors ipsa, & passio considerari dupliciter potest. Vno modo vt mors, & passio est, & sic habet rationem mali. Est enim quoddam peccatum malum, voluntas auersatur mortem, & renuit eam, potest iterum considerari apposita circumstantia, nempe esse hanc mortem secundum diuinam voluntatem, eamque mundi esse redemptionem, & hac ratione habet rationem boni, & voluntas eam acceptat; illa dicitur voluntas naturalis; hæc deliberata, sæpeq; contingit, vt quæ nolumus voluntate naturali, velimus voluntate deliberata: Christus igitur, vt in affectu suo non tantum sensitiuo, sed etiã rationali pateretur, & timorem, pauorem, tristitiã propter nos in se excitaret, vt eatur hac voluntate naturali: id est, sibi proponebar res eas, quæ timoris, & tristitiæ causæ & obiecta erant, & hac ratione contristabatur, pauebat, & timebat; vt autem Patri se conformaret, deliberata vt eatur. Sicq; volebat, & prosequabatur quæ naturali voluntate auersabatur: hanc autem luctam, & agoniam in se ipso exercebat propter nos. Verba igitur præsentia sunt ipsius hominis positi in hac agonia, turbat se timore & dicit, *Quid dicam?* verbum est hominis positi inter duas voluntates in contrarias partes tendentes: naturali enim voluntate mortem auersabatur: at deliberatam acceptabat, *Quid dicam?* id est, habet anima mea hinc inde agitata, *Pater saluifica me ab hac hora*, vox est ex naturali vo-

Quomodo anima Christi turbata est

In Christo voluntas naturalis, & deliberata quomodo se habuerint.

tali voluntate procedens, qua mortem, & passionem horribilem in se consideram auersabatur, & timebat; idcirco petit à Patre liberari à morte. Saluum, inquit, me fac, ne in hanc horam veniam, at voluntas deliberata in aliam trahit partem: proponit enim ratio, mortem hanc assumptam esse pro humana salute, & missum esse à Patre, vt morte sua saluat mundum, *Propterea*, inquit, *veni in horam hanc*, id est, mors hæc redemptio est hominum, ad hoc veni, & missus sum à Patre. Sequitur voluntas deliberata, *Pater clarifica nomen tuum*, id est, mortem accepto, mori volo, pati placet, *Clarifica nomen tuum*, in morte & passione mea, quam libens subeo; ostende me esse filium tuum, sicut ante mortem innumeris, & mirandis tuæ potentie operibus clarificasti. Hanc clarificationem petit non propter se, sed propter nos; quorum salus est ipse clarificatio, vt innotescat nobis nomen eius; hic est sensus legitimus.

ANNOTATIO VIII.

THEOPHYLACTVS aliter exponere superiora verba videtur, quæ expositio aliquibus placet hoc tempore, nempe vt Christus in timore positus proferat hæc verba, sitque sensus: quid dicam? dicamne Pater saluifica me ex hac hora? minimè; nam propterea veni in horam hanc. Sed huic expositioni multa obstant: Primo, nam ipsi legunt per interrogationem verba, *Saluifica me ex hac hora?* quæ tamen omnes textus Græci, & Latini sine interrogatione habent. Secundo, quia falsum efficiunt sensum; nempe, minimè dicam saluifica me ex hac hora, immo dixit, Transeat à me calix iste, & ea voluntate, cui timorem incutiebat, non acceptabat mortem, nec mori volebat: constat autem in præsentia de ea voluntate habere sermonem; nam turbatus, & timens hæc priora verba pronuntiat. Tertio, quia verba in hoc sensu non connectuntur aptè; non enim dicendum erat, *Sed propterea veni*, sed (quia propterea veni in horam hanc.) Quarto, quia hæc expositio non exprimit, quod verè erat in Christo, quando huiusmodi sibi propassiones excitabat, nempe actus voluntatis naturalis, & actus voluntatis deliberatæ, sequentes duas intellectus considerationes, nempe obiecti nudi, & obiecti circumstantiis coniuncti, vt in commentario explicuimus; idcirco eam esse legitimam expositionem, quam Chrysostr. homilia 66. & Euthymius secuti sunt, quamuis non ita eam illustrauerint, vt nos fecimus. Eadem etiam est expositio Aug. tract. 51. quamuis connexio, quam Chrysostr. & Augusti. adferunt, non sit eadem cum ea, quam in commentario proposuimus, hæc tamen diuersitas non tollit sensus identitatem. Connexionem autem nostram legitimum esse putamus.

ANNOTATIO IX.

VIDES hic duplicem deprecationem, vnam de vitanda morte verbis illis expressam, *Saluifica me ex hac hora*, alteram de expectanda verbis sequentibus significatam, *clarifica nomen tuum*, vtraque repetita est in horo. Luc. 22. Transfer calicem hunc à me, verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Vtraque etiam est voluntatis humanæ, sed prior ratione affectus naturalis, posterior ratione

Rejectione quorumdam expositione.

A voluntatis deliberatæ, illa conditionalis, si vis, inquit; hæc absoluta, non, inquit, mea, sed tua voluntas fiat. Velle enim voluntatem Patris fieri, humanæ fuit voluntatis, sed deliberatæ, idcirco ratione huius est exauditus, non ratione illius; quia etiam si petierit calicem transferri à se, sub conditione tamen petijt, & Patris voluntatem absolute fieri voluit, & rogauit; propterea responsum est à Patre, *Et clarificauit: iterum clarificabo*. quæ responsio facta est deprecationi procedenti à voluntate deliberata. Hinc facile est locum Pauli ad Hebr. 5. intelligere, loquens enim de Christo ait, Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset eum saluum facere à morte, cum clamore, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Preces, & supplicationes hæc sunt, quas & ratione naturalis effectus, & humanæ seu deliberatæ voluntatis effudit. non est autem exauditus ea parte, qua mortem effugiebat, quod voluntate naturali petebat; sed qua parte expetebat mortem, fierique Patris voluntatem volebat, quod ex deliberata voluntate procedebat: hoc est, quod dicitur exauditus est pro sua reuerentia, id est, pro voluntate, qua Patrem reueritus est, eiusque voluntatem fieri rogauit, & voluit. Fuit enim maxima erga Patrem reuerentia, mortem, quam naturalis voluntas sum moperere detestabatur, acceptare, pro voluntate Patris. Hic est sensus huius loci Pauli, quem ante nos protulit Photius apud Oecumenium in catena huius epistolæ, scio alios aliter exponere. Ex ijs facile est respondere est ad id quod supra cap. 11. proposuimus, & in hunc locum remisimus, nimirum, qua ratione Christus ibi dicat, *Scio, quia semper me audis*, cum non fue-

Bta est deprecationi procedenti à voluntate deliberata. Hinc facile est locum Pauli ad Hebr. 5. intelligere, loquens enim de Christo ait, Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset eum saluum facere à morte, cum clamore, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Preces, & supplicationes hæc sunt, quas & ratione naturalis effectus, & humanæ seu deliberatæ voluntatis effudit. non est autem exauditus ea parte, qua mortem effugiebat, quod voluntate naturali petebat; sed qua parte expetebat mortem, fierique Patris voluntatem volebat, quod ex deliberata voluntate procedebat: hoc est, quod dicitur exauditus est pro sua reuerentia, id est, pro voluntate, qua Patrem reueritus est, eiusque voluntatem fieri rogauit, & voluit. Fuit enim maxima erga Patrem reuerentia, mortem, quam naturalis voluntas sum moperere detestabatur, acceptare, pro voluntate Patris. Hic est sensus huius loci Pauli, quem ante nos protulit Photius apud Oecumenium in catena huius epistolæ, scio alios aliter exponere. Ex ijs facile est respondere est ad id quod supra cap. 11. proposuimus, & in hunc locum remisimus, nimirum, qua ratione Christus ibi dicat, *Scio, quia semper me audis*, cum non fue-

Explicit locus Pauli, quo modo fit exauditus Christus.

C parte, qua mortem effugiebat, quod voluntate naturali petebat; sed qua parte expetebat mortem, fierique Patris voluntatem volebat, quod ex deliberata voluntate procedebat: hoc est, quod dicitur exauditus est pro sua reuerentia, id est, pro voluntate, qua Patrem reueritus est, eiusque voluntatem fieri rogauit, & voluit. Fuit enim maxima erga Patrem reuerentia, mortem, quam naturalis voluntas sum moperere detestabatur, acceptare, pro voluntate Patris. Hic est sensus huius loci Pauli, quem ante nos protulit Photius apud Oecumenium in catena huius epistolæ, scio alios aliter exponere. Ex ijs facile est respondere est ad id quod supra cap. 11. proposuimus, & in hunc locum remisimus, nimirum, qua ratione Christus ibi dicat, *Scio, quia semper me audis*, cum non fue-

D moperere detestabatur, acceptare, pro voluntate Patris. Hic est sensus huius loci Pauli, quem ante nos protulit Photius apud Oecumenium in catena huius epistolæ, scio alios aliter exponere. Ex ijs facile est respondere est ad id quod supra cap. 11. proposuimus, & in hunc locum remisimus, nimirum, qua ratione Christus ibi dicat, *Scio, quia semper me audis*, cum non fue-

E xauditus in translatione calicis, quia non absolute petijt, immo petijt non exaudiri, sed patris voluntatem fieri, verè exgo in omnibus exauditus est, etiã in illa translatione calicis, quia petijt eam sub conditione voluntatis paternæ, quæ voluntas non fuit, rursus petijt non exaudiri ratione affectus naturalis, sed pro voluntate deliberata, quæ erat conformis paternæ voluntati. Quomodo autem petierit cum conditione, qui nihil

Explicit locus Iohannis.

Impugnatur
heretici
antiqui.

nihil ignorabat, alterius est loci discutere. A Errarunt enim hæretici antiqui ansam, & occasionem ex hoc accipientes impugnandi veritatem, contra quos Ambro. lib. 2. de fide, cap. 3. Basii. lib. 4. contra Eunom. Aug. epist. 121. cap. 14. doctè responderunt. Hoc vnum adiungam ijs, quæ dixi, nempe Plal. 21. prædictum esse, Christum non exaudiendum ratione humani & naturalis effectus, Clamabo, inquit, & non exaudies, & non ad insipientiam mihi. quasi diceret; clamo & peto, quæ exaudiri nolo, quia clamo naturali affectu, deliberata autem voluntate volo Patris voluntatem fieri: id eo non est ad insipientiam mihi. Sic septuaginta hoc verterunt, licet in Hebræo aliter nunc legatur: hunc locum Psalms Justinus in dialogo cum Trypho: de hac Christi oratione interpretatur.

Quare Christi
petij ca
liem à se
transferri

Non est autem silentio prætereundum, quare Dominus affectu & voluntate hac naturali mortem vitare petierit: communis quidem doctrina. & vera est; quia mortem ipsam tanquam malum quoddam, & acerbissimam poenam, ut verè erat, considerabat. hæc enim mali consideratio timorem, & tristitiam naturali affectui incuriebat, sicque voluntas effugiebat, & auerfabatur. Ultra hanc communem doctrinam, est alia interpretatio, quam adfert Origen. libr. 2. contra Celsum: exponens enim illud Luc. 22. Transfer à me calicem, quod simile est huic, *Saluifica me ex hora hac*, sic inquit; Non me fugit alia quoque interpretatio huiusmodi, quod videns Saluator, qualis populus, & Hierusalem patientur in vindictam à Iudæis perpetrati cõtra se facinoris, non ob aliud, quam propter benevolentiam, qua populum illum prosequeretur,

voluit vitare futuram passionem dicens, Transfer à me calicem: quasi diceret; quandoquidem propter à me epotum supplicij calicem tota gens à te deseretur, precor Pater, si fieri potest, ut transeat à me calix hic, ne populus meus propter auidax in me facinus, à te deseratur. hæc Origines. non est hoc improbabile. Dominus enim potuit ultra mortis acerbiter, hoc quoque considerare, quo se affligeret, quodque naturalis affectus auerfabatur, idque confirmare possumus eo, quod paulo ante hanc populi vindictam etiam obortis lacrymis peplorauerat, quando Luc. 19. videns ciuitatem fleuit super eam: & quando crucem baiulans Luc. 23. filias Hierusalem huius tantæ futuræ calamitatis admonuit; quippe qui nimium de ea dolebat, in huius confirmationem facit, quod Grego. Nazian. apolod. 1. & Hierony. Ionæ 1. de Iona adnotarunt. Hic enim à prædicatione Ninuitarum gentilium fugiebat, quia reuelante domino populi reprobationem, gentiumque cõuersionem significari sciebat, dolebat autem, ut dicit Hieronymus, non quidem gentium saluti iniudens, sed populum suum perire nolens, fugiebatque tantum malum in ipso significari, hæc de Iona prædicti doctores tradunt, quod proposito præsentis non est dissimile. Ionas enim figuram mortis Christi gerebat, qui etiam in se præsignauit dolorem hunc & affectus naturalis auersionem, qua Christus mortem, ne populus ita periret, auerlabatur, & refugiebat, qua de causa dixit, & petijt, Transfer à me calicem, & *Saluifica me ex hora hac*, ultra causam à principio expositam, nempe passionis suæ acerbiter.

Quare Iona
fugit.

Veniet ergo vox de cælo, dicens.

COMMENTARIUS.

Ne audientes verba hominis turbati, & timētis, quamuis suā volūtatem diuino beneplacito conformantis errorem conciperent, merumque hominem cæteris similem existimarent, Vox opportunè de cælo venit Patris dicentis, & confirmantis, quod petebat, nempe clarificationem. Et attende diligenter si solum consideres, quod petebat Christus, & quod responsum ei est, diuinitas Christi probari non videtur: nam homo merus petere potuit à Deo clarificationem, & vocem audire exaudientis; at dum Christus in sua petitione Patrē appellat, & à Patre exaudiri petit, responsio non solum indicat exauditum esse, sed esse Patrem, qui respondebat, & ipsum esse filium, qui Deum patrem vocabat. nemo enim respondet alteri, nomine alieno vocatus; at Deus tanquam pater vocatus, respōdet: Pater igitur erat, & est: Semper ergo Christus humilibus admiscet diuina, ne verbis hominis occultetur Deus est autem particula *Ergo*, notanda: indicat enim cõsecutionem quādam, nempe, quia filius petijt à Patre clarificari, idcirco vox de cælo venit significans clarificationem. in textu Græco non legitur illud, *Dicens*.

Et clarificauit, & iterum clarificabo.

Sicut ante mortem, & passionem clarificauit, nempe dum operibus potentis, & virtutis diuine (inquit Pater) ostendi te esse filium, ita etiam in morte clarificabo. quod factum est; tum in ipsa morte, in qua signa miranda facta sunt in sole, & terræ tremore, lapidum concussione, veli scissione. & alijs, quibus multi commoti reuertebantur, & filium Dei cõfitebantur; tum etiam post

post mortem: nam suscitauit eum Pater post triduum gloriosum, & immortalem; innumeraque postea sunt facta filium esse Dei testificantia; idcirco dicit Pater, *Et clarificauit, & clarificabo iterum.*

ANNOTATIO X.

Quomodo
clarificatus
est Christus
à Patre.

CLARIFICATIO est manifestatio quædam honorifica. Pater autem in Christo nomen suum clarificasse dicitur, quia se esse Patrem, illumque filium suum esse, operibus diuinitatis suæ declarauit. superius autem diximus Christum, quæ diuinitatis suæ sunt, sæpe tribuere Patri, aperuimusque causas, propter quas id sit factum. Clarificatio autem, quam his verbis exprimit Pater, & quam in præcedentibus petit filius, ea esse videtur, quæ in morte effecta est, quando signis multis, & miris eum, qui in cruce moriebatur, filium Dei esse ostendit, & sic interpretatur Euthymi. ac Chrysol. hom. 66. exponit de his signis, & virtutibus, quæ factæ sunt post resurrectionem,

per quas mundo manifestatum est nomen Patris, & Filij. Verius tamen exponemus, si de vtraque claritate intelligamus; petit enim, ut in morte clarificetur, & post mortem per resurrectionem, & alia multa, quibus gentibus, & populis nomen Dei innotuit in Christo, & per Christum; & responsum accepit; clarificabo iterum, sicut & prius clarificauit. Expositionem hanc id persuadet, quia ista verba gentilium occasione dicta sunt, quibus nomen Patris etiam clarificari petit, quod post mortem factum est. Cum igitur & de morte, & de gētib; sit hic sermo, vtriusque clarificationis mentio videtur facta.

Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat; tonitruum esse factum; alij autem dicebant; Angelus ei locutus est.

COMMENTARIUS.

Urba non omnis vocem distinctè percepit, quidam enim sonitum magnum tantum audierunt, idcirco tonitruum esse existimarunt; alij distinctius percipientes voces humanas agnouerunt, & significationem non intellegentes Angelum ei locutum esse putarunt: in scriptura namque legarant Angelos Prophetis locutos esse. Particula *Ergo*, cõsecutionem indicat; quia vox de cælo venit, idcirco quidam de turba tonitruum esse, alij verò Angelum locutum arbitrati sunt. Ex hoc contextu deducimus, quando Christo relatum est à duobus discipulis adesse gentiles, ut viderent eum, non eum fuisse in loco manifesto, ut videri ab omnibus posset, tamen egressum esse foras, vocemque de cælo, tunc emissem; argumento id est, quod sequitur: turbisenim dixit, non propter me hæc vox venit.

Respondit Iesus, & dixit; non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

Reuissimis verbis vtrumque turbæ errorem remouet: dum enim vocem affirmat, tonitruum fuisse negat: dum non propter se venisse docet, sed propter eos, Angelum esse, qui ei locutus sit, inficiatur: non enim, inquit, Angelo ego indigeo, qui mihi aliqua nuntiet, qui omnia noui; non venit propter me, sicut veniebat propter Prophetas, ad annuncianđū eis, quæ Deus volebat; at, *Hæc vox non propter me venit, sed propter vos*, ut me esse Dei filium, & de cælo descendisse credatis. Itā Chryostomus hom. 66. exponit, & rectè, nec Christus pluribus errorem remouet illorum, qui Angelū esse arbitrati sunt, satis esse iudicans, si modò credant se esse de cælo, & quæ facit, ex voluntate Dei facere, testimoniumque de cælo accipere: turba enim rudis, capax non erat tunc altioris doctrinæ; verba tamen, quæ subiungit illū esse supra hominē indicant, multa autem facta sunt, quæ etiam si, quando efficiebantur parū utilitatis afferre videbantur; tamen postea ad fidem declarandam, & confirmandam maximum apportarunt emolumentum.

Nunc iudicium est mundi.

Prima opus,
quæ clarificatus
est Christus
suu.

Exponit Dominus hanc clarificationem suam futuram per mortem, & passionem, quæ in tribus claris, & illustribus operibus consistit, quorum vnum his verbis exprimitur, *Nunc, inquit, iudicium est mundi*, id est; adest iam tē-

pus, quando morte, & passione mea ferenda est sententia pro mundo contra dæmonem, & iusto iudicio eripendus homo, qui traditus prius fuerat demonis potestati, ab ipsius dominio & subiectione, & imperio, qua liberatione e- go à Patre clarificandus sum, dum mundus me suum agnoscat liberatorem, & Salvatorem. Exactiorem leges ni annotationibus duabus sequentibus, de- clarificationem.

ANNOTATIO XI.

Quomodo mundus indi- catus sit.

VT autem, quod sit hoc iudicium, exactè manifestemus, sunt aliqua annotanda. Primo ex Augustino libr. 3. de lib. arbitr. cap. 10 ubi docet, quia homo à dæmone vinci se permisit, iustè à Deo ipsius dæmonis potestati traditum, & eius subditum esse imperio, ac dominio. Est autem potestas hæc dæmonis per peccatum in homines tanta, vt nemo hominum proprijs viribus se à peccato, in quod dæmon eos detulit, valeat liberare; nec eius tentationibus in peccatum nouum impellentibus in vniuersum eripere; nec mortem, in quam per peccatum coniecit, superare. hac ratione propter peccatum regnabat dæmon in hominibus iusto Dei iudicio. Non autem hæc verba Augustini dicentis, iustè traditum esse hominem dæmoni, sic sunt intelligenda, vt iustitiã aut ins habuisse dæmonem in hominem ex se ipso existimemus: non enim habuit ex se, sed quia Deus iustè hominem ei tradidit, & potestatem in hominem permisit. quem admodum cum iudex propter crimen hominis tradit eum tortori, tortor ex se ius non habet in reum, sed iudex iustè illum tradit, & ex iudicis potestate tortor habet potestatem reum puniendi. Qua ratione etiam intelligendus est Gregorius libr. 18. Moral. cap. 3. dicens; potestatem dæmonis in hominem iustam esse, voluntatem tamen iniustam, nimirum, quia mala intentione punit hominem; quem Deus iustè ei tradit puniendum.

Explicatur doctrina Augustini Gregorij.

Secundò annotandum est ex eodem Augustino eodem loco, & libr. 13. Trinitatis cap. 12. & 13. & Leone serm. 5. de passione Domini, ac Grego. libr. 17. Moral. cap. 18. potuisse Deum liberare hominem ab hac dæmonis potestate, & imperio sua virtute, & potentia, intelligi sine vlla iniustitia in dæmonem commissa; sicut & Princeps post traditum reum tortori puniendum, nulla tortori facta iniuria, aut iniustitia liberare potest, & absoluerè reum; tamen noluisse hac virtute & potentia vti; sed voluit potius agere rem via, & ratione iustitiæ; perinde ac si dæmon propriam iustitiam in hominem habuisset, & iustè hominem suo subdidisset imperio, vt autem hoc fieret, homo factus est; & Christus homo factus, via & ratione iustitiæ mundum liberare de manibus, & potestate dæmonis contendit.

Tertiò est annotandum ex eisdem Doctõribus citatis hanc iustitiam, & causam in hoc esse positam: propter peccatum enim Deus dæmonis potestati hominem tradidit, donec autem in peccatores læuit dæmon, diuinæ huius iustitiæ limites non transgreditur; at venit filius Dei homo factus, liber ab omni peccato, plenus innocentia, dæmoni non subditus; dæmon verò suæ concessæ potestatis termi-

A num iniquè transijit. Sæuijtenim in Christu tentando, occidere procurando, quasi vnus esset de ijs, qui maximè sibi subditi erant, propterea dæmon damnatione factus est dignus. Causa igitur corã supremo agitur Deo: Christus homo ex parte vna, innocens, immunis ab omni peccato, dæmonis potestati non subditus: ex altera parte dæmon nullam in eum potestatem habens, tam iniustè opprimens, tentans occidens, & vt reum, iniquumque ac sceleratum puniens: propterea sententia fertur à Deo contra dæmonem, ea autem est, vt qui manum immisit iniquè in eum, qui ipsius dominij non erat, dominio priuetur eorum, quos prius sub se habebat, sicque iusto iudicio homo eripitur à dæmonis potestate per Christum, ferente sententiã Deo contra dæmonem.

Qualis sententia contra dæmonem.

Ex his liquidus est sensus verborum: *Nunc, inquit, iudicium est mundi:* hominem enim mundum vocat; iudicium mundi vocat sententiam iustam, quæ ferenda erat à Deo, quo mundus liberaretur, & eriperetur à dæmonis potestate, non propter iustitiam, & innocentiam mundi, quia reus erat; sed propter Christi iustitiam & innocentiam, qui sibi mundum de dæmonis dominio ereptum applicuit, & iuri suo restituit: & tanquam ad rem iam suam pertinentem illuminare, conuertere, & attrahere disposuit. Mors igitur Christi est, per quam iudicium hoc est factum, & omne ereptum est dæmoni in hominem dominum: qui enim ipsi adhærer, non necessitate, sed voluntate subiiciuntur; cum in Christo liberationem habeant. & hic est legitimus sensus.

ANNOTATIO XI.

AV G. tract. 62. hoc iudicium liberationem redemptorum à dæmonis potestate interpretatur: quos enim Christus sua morte redemit à dæmonis captiuitate, qua per peccatum captiui tenebantur, eripuit. Chrylost. autem homil. 66. & Euthymius iudicium hoc, punitionem dæmonis, & vltionem mundi esse affirmant; quia enim dæmon mortem Christo, cui non debebatur, intulit, punitus est, punitioque eius fuit vltio mundi: vitus enim est Christus mundum contra dæmonem, qui eum in peccatum detruisit, & per peccatum in mortem. Hæc omnia vera sunt, tamen non expriment sententiæ proprietatem: nam liberatio fieri poterat ex potestate Dei, & non secundum ordinem iustitiæ, sed solius misericordie; at hæc liberatio, de qua hic loquitur Christus, est ex iustitia facta: præterea punitio effectus est iustitiæ: prius enim est iudicare secundum iustitiam; nam ideo punitus est dæmon, quia iudicatus est secundum iustiti-

Explicatio Augustini Chrystostomi.

iustitiam. Idcirco vera, & legitima expositio mihi visa est, vt iudicium mundi dicatur sententia, quam tulit Deus secundum suam iustitiam contra dæmonem; liberando mundum,

A seu priuando dæmonem dominio, quod exercebat in mundo, propter iniustitiam, quam contra Christum commisit, vt in commentario expositum est.

Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

COMMENTARIVS.

Quid ex supradicto iudicio prouenire debebat, explicat, & hoc est alterū opus quo Christus est clarificandus à Patre. Sesus est, Ex hoc mudi iudicio, *Nunc*, id est, mea iam imminente morte, futuro, fiet, vt *Princeps mundi huius*, diabolus, qui sub suo dominio, & principatu mundum detinebat, eo priuetur, & mundus eripiat, & in pristinam libertatem, quam ante peccatum habuit, restituatur, vt valeat iam Deo, non autem Principi mundi inferuire. Hoc est Principem eijci foras. Quis sit hic principatus Diaboli; & quo modo sit eo priuatus, in annotatione proxima explicuimus. Nomine mundi omnem hominem intellige; quatum enim est, ex parte peccati Adæ, omnes sub diaboli potestate, & principatu fuerunt; nemoque potuit, nec à peccato se liberare: nec diabolo tentanti resistere; nec mortem, in quam diaboli inuidia inciderat, superare, Christus morte sua hoc iugum confregit; hunc principatum destruxit; à tam misera seruitute mundum eripuit. cetera in annotatione sequenti inuenies.

Secundum opm, quo clarificatus est Christus.

ANNOTATIO XIII.

De diaboli principatu.

PER principem huius mundi diabolum significari omnes Doctores affirmant, hoc quippe nomine sæpe appellatus est. Ioan. 14. Venit Princeps huius mundi. Ioan. 16. Princeps huius mundi iam iudicatus est. & in præfenti loco, Princeps huius mundi eijcietur foras. Quare autem dictus sit Princeps, & huius mundi, & quomodo sit foras eiectus, in his tribus exponendis non omnes sunt concordēs. Quantum ad primum Cyril. libr. 10. in Ioan. cap. 40. duobus modis hunc explicat principatum. Vnus est, eum dici Principem, quia homines errantes, & decepti illum tanquam Principem coluerunt, & venerati sunt, iuxta illud Psalm. 95. Dij gentium dæmonia. Cum enim diabolus per superbiam principatum appeteret, nec in cælo habere posset, eum in terra quæsiuit, vt dicit Gregor. Nazian. in orat. de calamitatibus animæ lux. quem enim principatū & excellentiam verè non habebat, sic tam saltem, & in opinione hominum præ superbia assequi studuit, & ideo totum orbem idolatria & falsis cultibus, ac superstitionibus repleuit, & hic est eius principatus. Alter modus, quo Princeps dictus est, prouenit ratione peccati, & hunc amplectitur August. lib. de Agone Christiano cap. 3. & Basil. hom. Quod Deus non sit auctor malorum. & hic est verus modus exponendi hunc principatum, atque his sententijs Euangelicis accommodatus. Pro cuius explicatione, licet iam superius multa dicta sint, id adnotandum superest; in principatu duo considerari. Vnum est finis, quem Princeps intendit; alterum potestas perducendi ad finem eos, quorum Princeps est. Finis diaboli est, homines à Deo auertere per peccatum: Potestas autem est, qua eos tentat, inducit, & pertrahit ad peccandum. Antè redemptionis quidem gratiã, pro-

Pter primi Parentis peccatum, homines erant sub dæmonis potestate, ita vt eos in peccata pertraheret, suoque fini consentire faceret, cui nemo eorum resistere, nec se à peccato eripere valuit: hoc enim virtutis est Christi, per quam principatus diaboli destructus est: quantum autem est ex parte peccati primi hominis, nemo est nec fuit, qui hanc diaboli potestatem vincere potuerit. hic est igitur principatus diaboli, & propter hoc dictus est Princeps.

Quare diabolus huius mundi princeps dicitur.

Quantum ad secundum, nempe cur huius mundi Princeps dictus sit, respondit Basilius homilia Quod Deus non sit auctor malorum: per mundum totam hanc machinam sensibilem significari, cuius diabolus dictum Principem affirmat, quia in hoc solo sæculo, & mundo potestatem habet tentandi & pertrahendi homines ad peccatum. August. tract. 95. in Ioan. per mundum homines malos significari asserit in quos habet prædictam potestatem, quosque Paulus Ephes. 6. tenebras appellat, Aduersus mundi, inquit, rectores tenebrarum harum. Mihi legitima ratio, & significatio hæc videtur, nempe mundum homines omnes significare in peccato natos, & in peccatis viuentes, quantum enim ex parte primi hominis, vti diximus (remota, seu non considerata gratia redemptoris) omnes sunt peccatores, nasci in peccato, & viuere in peccato necesse erat; nemoque diaboli laqueos, & imperium effugere poterat, nec se de manibus illius liberare: eius enim potestati propter illud peccatum, iusto Dei iudicio Deus omnes homines illi tradidit: & hoc est, quod scriptura sæpe dicit, & pronunciat sine limitatione omnes esse peccatores. Rom. 3. Causati sumus Iudæos, & Græcos omnes esse sub peccato. sicut scriptum est, non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes decli-

Deo in principatu huius potestas.

nauerunt, similiter inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. & iterum, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Galat. 3. Conclufit fcriptura omnia sub peccato, vt promiffio ex fide Iefu Chrifti daretur creditibus. Roman. 11. Conclufit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miferetur. Principatus ergo diaboli est in omnes homines, quantum est ex parte hominum. Hunc principatum Chriftus destruxit, ab hoc nos eripuit, & ad fe tranfultit. In prafenti igitur loco confideratur, quod est ex parte hominum. & ex parte peccati, & fic dicitur mundi huius princeps Diabolus. Cauenda est autem hærefis antiqua afferentium, diabolum dici principem huius mundi, quia verè est Dominus & factor haru rerum lenfibiliu, quæ hærefis fuit Carpocratis, vt refert Irenæus lib. 3. cap. 24. idemque affirmarunt Manichæi, vt fcribit Auguft. libro de hærefi cap. 46. vaniffima est, & blafphema horum doctrina, quam fati aperte confutat illud Ioan. 1. Omnia per ipfum facta funt, & illud Pfalm. 94. Ipfius est mare, & ipfe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.

Quomodo diabolus fit suo principatus priuatus

Quantum ad tertium, nempe quomodo foras fit hic princeps eiectus, Augft. tract. 52. & Gregor. lib. 17. Moral. capite 20. fic exponunt; nempe diabolum eijciendum de cordibus fidelium, ne animas per peccatum poffideat, fed tantum exterius tentet. Hæc expositio nec fati aperta, nec perfecta videtur; ideo in huius rei declarationem aduerte; eijci diabolum feu Principem huius mundi foras non aliud esse, quam principatu suo, quem in homines propter peccatum exercebat priuari, & fpoliari. Duo autem in principatu confiderari poffunt, nempe, potestas, & poffeffio. Sunt enim hæc valde diftincta. Contingit enim aliquem poffidere Regnum non suum, tuncque hic poffeffionem, non autem potestatem habet: ille autem, qui Dominus est, potestatem habet, non poffeffionem. priuari ergo principatu euenit, quando vtrumque, aut vnum illorum aufertur. Per Chrifti ergo aduentum diabolus fuit toto suo principatu priuatus quantum ad potestatem, quam in homines ratione peccati obtinebat, non folùm respectu fidelium & iustorum, qui Chrifto adhærent, fed respectu omnium etiam peccatorum, & infidelium. Nam per Chriftum facta est libertas, & potestas cui libet peccatori & infideli à peccati ftatu emergendi, & diaboli tentationi refiftendi, ipfumque vincendi, non vt ante, nempe feclufa gratia redemptionis, quando neceffario sub peccato tenebatur, & in peccatum trahebatur. Vnde per Chriftum, iugum & feruitus, & dæmonis potestas fracta, & ablata sunt: & quantum est ex parte Chrifti, omnes liberati funt, & erepti à dæmonis principatu. Sicut fi quis supremus Princeps abfolueret fubditos, & vafallos al-

terius inferioris Principis à iuramento & obligatione fubiectionis; diceretur verè potestatem Principis inferioris destruire, & priuare eum principatu, forasque eijcere, quantum ad dominium & potestatem; quamuis multi illorum manere vellent sub eo, quia iam non ex neceffitate, nec ex fubiectionis obligatione, fed spontaneè illi manerent; fic Chriftus diaboli principatum destruxit, & foras eum misit, quantum ad potestatis rationem; non ergo iam homines sub iugo peccati funt, nisi qui volunt, cum à Chrifto virtus & gratia liberationis volentibus fit oblata. At quantum ad poffeffionem non est penitus foras emiffus & eiectus, quia multi adhuc manent, & manebunt sub peccato, & infidelitate, quia volunt. Noluit enim Deus inuitos liberare. Hinc est, quod Regnum diaboli non est destructum quantum ad poffeffionem omnino. Est tamen magna ex parte, etiam quantum ad poffeffionem, suo principatu diabolus priuatus, & eiectus per Chrifti aduentum: nam ferè orbem totum poffidebat, idolatria & cultu diaboli per totum orbem grassante. At per Chrifti aduentum, regna plurima & prouinciæ, eiecta idolatria & impio cultu, Chrifti religionem complexæ funt; in quibus & quantum ad potestatem, & quantum ad poffeffionem eiectus est foras diabolus, & quotidie eijcitur, & eijcietur, quod si in his diabolus aliquam exercet potestatem tentandi & inducendi ad peccatum: iustos enim etiam tentat, hic profectò non est principatus, fed feruitus Diaboli. ipse enim infernit iustis, & exercet eos, dum tentat; dumque occasionem fubministrat maioris meriti, & coronæ, de qua re legendus est Ambr. libr. 1. de poenitentia. cap. 13. quod si aliquos ruere facit, nec id est potestatis, & principatus; fed voluntatis hominis illi cedentis: per redemptionis enim gratiam ita inftitutus erat, vt non succuberet.

Vnam his poffet aliquis obijcere; quod erit ad maiorem huius rei declarationem: Nonne ante aduentum Chrifti hæc Dæmonis potestas destructa fuit, cum fuerint multi iusti & sancti homines, cur dictum est igitur, *Nunc Princeps eijcietur*, quasi nõ ante eiectus fit? Respõ deo, quotquot iusti fuerunt ante aduentum, propter Chrifti redemptionem futuram tales facti funt, & Dæmonis potestas etiam à mundi principio fuit destructa, propter Chriftum venturum; dicitur tamen eiectus diabolus nunc in aduentu & morte Chrifti, vt significetur ipsum Chriftum esse causam verã, propter quam illius potestas destrui incepit. rursus quia quantum ad poffeffionem multo latius & efficacius erat eijciendus diabolus per prædicationem Euangelij propagandam per totum mundum, & per vberiore gratiam omnibus offerendam, & impartendam post Chrifti aduentum.

Et ego,

Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum.

COMMENTARIVS.

Hoc est tertium opus, quo clarificandus est Chriftus. & est fensus, diabolo per iudicium eiecto, & à suo principatu expulso, ego traham ad me omnes, & mundum ipsum in meam potestatem, & principatũ conuertã; vt iã non ille, fed ego fim huius mundi princeps. Matth. 12. Quomodo potest quis intrare in domũ fortis, & vasa eius diripere; nisi prius alligauerit fortem, & tunc domũ eius diripiet; hoc autẽ fiet, si exaltatus fuero, id est, quãdo in cruce moriar: morte enim mea hic principatus accedet mihi. Iſa. 9. Factus est princeps moriar: morte enim mea hic principatus accedet mihi. Iſa. 9. Factus est principatus eius super humerũ eius. Chrifti ergo morte & iudicium mundi, & eiectio diaboli, & tractio mudi ad ipsum Chriftũ simul facta funt. Ordo inter hæc est, non temporis, fed causæ & effectus: Ex morte enim processit iudiciũ, ex iudicio dæmonis expulso, ex hac verò mundi ad Chriftum attractio.

ANNOTATIO XIV.

PARTICVLA Si, græcè δὲ, non conditio- nem, sed tempus significare loco, cum, seu, quando. notat Aug. tract. 52. immo Cypria. in expositione Symboli, ibi (resurrexit à mortuis) & Ambro. term. 12. in Pfal 118. legunt, *Cum exaltatus fuero*. Eadem particula Si, etiam aliud significat, nempe causam: mors enim quædã fuit causa, per quam, ppter quam ad se traxit omnia. Quantum autẽ ad rem pertinet, nõ est parua difficultatis verũ & legitimũ fensum attingere huius sententiæ, *Omnia trahã ad me ipsum*: dubiũ enim est, quæ sit ista tractio, & quomodo fit generalis omnium. Senserunt antiqui Patres hanc difficultatem, & variè soluerunt. Primo loco Iustinus in explicat. quæst. genti. respon. 29. Si omnes, inquit, ad se tracturum Dominus Chriftus, postea quã exaltatus esset, promissit, cur non omnes ad fidem eius confugerunt? Respondet sic: ex fine suo omnis sermo iudicatur, finis autem huius verbi, omnes ad se esse tracturum, tunc adierit. cum omnem principatum, potestatem, & virtutem sustulerit. Cor. 15. hæc Iustinus, qui hanc sententiam in fine saculi implendam censet, quando iudicaturus veniet omnes. Secundo loco Augustinus tract. 5. in Ioan. tres responsiones adhibet huius difficultatis. Prima est, legamus, *Omnia*, ita vt generalis hæc particula non ad personas, sed ad integritatem partium referatur, nimirum non quod omnes traxerit homines, sed omnes partes hominis, nempe carnem, animam, & spiritum, seu mentem, omnia hæc tracturum se promittit. Altera reiponsio est, si legamus *Omnes*, & ad personas referatur, tunc de prædestinatis censet intelligendum, quos omnes ad se trahet Chriftus, cui expositioni consentit Gregorius libr. 6. Epist. 15. & hom. 22. in Euang. Tertia est, si legamus *Omnes*, sed vox communis non ad singulas personas, sed ad personarum genera referatur, nimirum quia ex omni natione, sexu, ftatu, conditione personarum multi tracti funt, quomodo illud dicimus, omne animal fuisse in arca Noë, quia ex qualibet specie aliqua fuerunt. Sic Augustinus huic difficultati satisfacere vilus est. Tertio loco Ambrosii. Epist. ad Rom. cap. 1. aliter exponit, dicens; *Omnia traham ad me*, id est, omnium cognofcar Dominus, allegat illud Ioan. 8. in simili fensu; *Cum exaltaueritis*

A filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum. Quarto loco idem Ambro. serm. 12. in Pfal. 118. aliter exponit. Aduerte, inquit, quem admodum trahat ad se, Pater volo. vt vbi ego sum, & isti sint mecum. Ioan. 17. & ad latronem Luc. 19. Hodie mecũ eris in Paradiso. aduerte quomodo omnia trahat, exaltatus est in cruce, & totus credidit mundus. hæc Ambro. vt autem ex fequentibus eius verbis constat, mundum totum appellat Iudæos, & gentiles, quibus est Euangelium annunciatum, quamuis non singuli horum crediderunt. Quinto loco Leo serm. 13. de passione hanc vniuersitatem multo aliter interpretatur. Refert eum ad figuram, & prophetias sic dicẽs; dicẽte Domino, *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me*, nihil legatum instructionum, nihil propheticarum recedit figurarum, quod non totum in sacramenta Chrifti transferit: nobiscum est signaculum Circumfionis, sanctificatio chrismatum, consecratio Sacerdotum, nobiscum puritas sacrificij, Baptifimi veritas, honor templi, vt meritò cessarint nuntij, postquam nunciata venerũt, hæc Leo. & in Sermon. 8. de passione amplius dilatat hanc sententiam, nempe ad omnia etiam elẽmenta, quæ in Dominipassione signa dederunt. Terra enim tremuit, fo- obfcuratus est, velum templi scissum est. Ex- I tendit etiam ad totum mundum, qui fidem Chrifti recepit. Existimo hunc insignem Do- ctorem maximum fundamentum suæ expositionis fecisse, quia dictũ est *Omnia*, & non *Omnes*. Sexto loco Cyprianus in expositione symboli in illo articulo; Resurrexit à mortuis, quamuis de generali voce huius sententiæ nihil dicat; tamen tractationem extendit ad mortuos, sic dicens; Redijt victor à mortuis, inferni seculum spolia trahens, eduxit eos, qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat, vbi ait; *Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham*, hæc Cypria. Chryfost. & Euthym. tractationem de fide interpretantur. similiter Athanasii. in serm. de passione Domini, & Basili. hom. in Pfal. 45. in illud, Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra, de generali vocabulo nihil dicunt. Hæc sunt. quæ antiqui Patres in explicandis his duobus, nempe tractatione, & vniuersitate dixerunt, quos ex allegatis constat varios inter se fuisse.

Tertium pus, quo clarificatus est Chriftus.

Hærefis antiqua refutata.

Quomodo diabolus fit suo principatus priuatus

Quæritur Chrifti aduentum diabolus dicitur à suo principatus priuatus

Adiungam quæ mihi visa sunt probabiliora iuxta ea, quæ in commentario exposita sunt. Illud primo adnotandum est græcè non legi *Omnia*, sed *Omnes*, ut ad personas referatur, & quamuis legeretur *omnia*, personas nihilominus & homines significaret: hanc enim phrasim scripturæ esse constat. Ioan. 6. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. Ioan. 17. Omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Rom. 11. Conclufit Deus omnia in infidelitate. Gal. 3. Conclufit scriptura omnia sub peccato, quibus in locis certum est ad homines referri, ac si dictum esset: omnes homines conclufit sub peccato aut infidelitate. ita hoc loco, *Trahã omnia*, id est, omnes homines ad me. Hoc supposito existimo hanc tractationem connexam esse cum eiectione seu expulsionem Principis huius mundi, eo enim eiecto, & priuato suo principatu, mundus totus, nempe omnes homines, quibus Diabolus dominabatur, transferuntur in principatum, & Regnum Christi; nam credentes & boni, qui Christum secuti sunt, & diabolus deseruerunt, quam mali, & infideles, qui diabolo volentes adhererunt. Omnium enim est Dominus & princeps Christus, quamuis qui diabolus sequuntur, sint velut subditi rebelles & inobedientes, non tamen propterea desinunt esse serui Christi, & ad ipsius iurisdictionem pertinere; quia omnium est redemptor, & omnium peccata in se puniendâ suscepit; omnibus libertatem, quantum est ex se obtinuit, & omnes tandem à morte reuocabuntur. 1. Corint. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur; propterea omnium erit iudex, & omnis caro ad eum veniet. Nam omnis carnis Princeps est & Dominus: omnia ergo traxit morte sua, quia omnes homines de suo fecit principa-

tu, & seruos sibi constituit, soluto pro eis pretio, & diabolo iudicato, damnato, & ipoliato. De hac generali omnium comprehensione est illud Ioan. 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis; potestatem habet omnis carnis, id est, omnium hominum tanquam redemptor, princeps, Dominus, & iudex eorum. Non enim malos punire, & bonos remunerari posset, nisi principatus eius generalis esset, & omnes ad se traxisset, & suos fecisset; trãserens ad se, quos diabolus sub suo principatu habebat. Sic est ista tractio, & generalitas exponenda. Multos quidem, immo innumeros ex his traxit etiã ad se conuertendo & illuminando, & perficiendo, qui partes eius sequuntur, & amici ipsius sunt. Alios non sic traxit, tamen traxit etiam eos, quia seruos sibi fecit, potestatem veniendi ad se eis obtinuit, & denique ad suum tribunal omnes à morte ad vitam reuocatos iudicandos trahet. De qua generali tractatione illud est Ioan. 5. Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Omnes tamen audient vocem eius, quia omnes vocandi, omnes trahendi, & iudicandi; sicut omnes redempti, omnes serui illius facti sunt. Hęc de huius sententiæ explicatione. Superest vnũ dubium, quod Iustinus & Chrysostomus loci citatis proponunt. Cum enim hanc sententiam exponerent detractio ad fidem, opposuerunt, quod dictum est Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, dicentes; si Pater trahit, quomodo nunc dicit se tracturum? Respondent esse vnã & eandem tractationem vtriusque, cum vna sit essentia, & virtus: quos enim trahit Pater, trahit etiam Filius, vnde non sunt contraria hæc loca. Vera est solutio & doctrina.

Hoc autem dicebat, significans quamorte esset moriturus.

COMMENTARIUS.

Explicat Euangelista verbũ illud Christi, *Si exaltatus fuero*, dicitque eo verbo significare Dominum voluisse mortem crucis, quam subiturus erat; quod fecit Euangelista, ut ostenderet Christum præsciuisse omnia, nihilque ei præter opinionem, & scientiam euenisse; sciebat enim se mortem & mortem crucis passurum, ne quis Paganus diceret: si sciuisset talem mortem sibi inferendam, non exposuisset, nec tradidisset illorum manibus, at non sic factum est. sciebat enim se in cruce exaltandum.

ANNOTATIO XV.

Refutatur
Celsus Iu-
deus.

CELSVS, vt auctor est Origen. lib. 2. con. eundem; Christum imprudentiæ, aut impotentis arguebat, quod præsciuit alia non vitare, Si enim præsciuit, inquit, aut vitare potuit, aut non, si potuit & non vitauit, imprudens fuit; quod si nec impotens, nec imprudens fuit, consequitur non præsciuisse, quæ passurus erat. At iste impius Iudeus errat. Præscire enim mala poenæ, & non vitare, etiam cum factas ad est, non semper est imprudentiæ, sed aliquando sapientiæ, & prudentiæ; mala enim poenæ, quæ propter honestum conseruandum, & promouendum sustinentur, non vitare, laudabile, honestũ, & pru-

dentis opus est. Cum igitur mors Christi in Dei gloriam, mundi salutem, ipsius Christi nominis exaltationem, cederet, etiam præsciuit non vitasse, cum posset summæ sapientiæ fuit. Fortis etiam vir propter honestum, subit pericula graua, etiam præsciuit futurorum etiam si vitare possit, sed cū dedecore & vitio timiditatis mauult enim fortiter agere etiam mortem subeundo, quam vitam conseruare inhonestè, & indecorè, & hoc laudabile est. Origenes exemplis Philosophorum contra Celsum agit, tamen quæ dicta sunt, satis ad responsionem ineptæ, & impiæ huius obiectionis sufficiunt.

Refutatur

Respondit ei turba; nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis; oportet exaltari filium hominis? & quis est iste filius hominis?

COMMENTARIUS.

Intellexit turba de morte sua loqui Christum, idcirco obijcit eum contraria, & pugnantia loqui. Et est sensus; Tu dicis, & prædicas Christum te esse, & ex alia parte exaltandum, & mortem subiturum affirmas: hæc simul stare non possunt; nam ex lege habemus Christum in æternum mansurum, lex autem vera est: quod si respondes, quando dicis oportere exaltari filium hominis, te non esse hunc filium hominis, quis igitur iste sit, aperi nobis; modò enim dicis te exaltandum; modò exaltandum filium hominis. Legem isti appellant diuinam scripturam completetam legem, & Prophetas, ut diximus cap. 10. Multis autem in locis hæc Christi eternitas prædicta est. Psalm. 72. Sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius. Psalm. 109. Tu es sacerdos in æternum. Dan. 6. Potestas eius, potestas æterna, & regnum eius, regnum omnium sæculorum. Sũt multa huiusmodi testimonia, sed isti cæci non considerant, etiam in lege eius exaltationem prædictam. Psalm. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos. Isa. 53. Si posuerit pro peccato animam suam. Danie. 9. Occiderunt Christus, nec intellexerunt hanc mortem non repugnare eius æternitati, nec regni perpetuitati; nã citò resurrexit, morte in sempiternum victa; nec nouerunt hunc filium hominis esse simul filiũ Dei, exaltarique secundum hominis, non autem secundum Dei naturam, nec morte ipsam personam eius petire, quæ semper erat. Vna igitur veritate intellecta, cæteris ignoratis mentes eorum confusæ erant.

ANNOTATIO XVI.

AVG. tract. 52. turbam mortem crucis per A verbum exaltationis à Christo fuisse significatam, intellexisse, malitia eis miuisstrante intellectum affirmat; mortem enim crucis ei machinabantur, idcirco facillè intellexerunt. Aliqui recentiorum consentiunt turbam mortem crucis intellexisse, causam tamen eam esse putant, quia verbo tali mors crucis appellari solebat; quæ ratio mihi non probatur; Tunc enim Christi verba apertè crucis mortem indicassent; at Euangelista non apertè significatam, sed insinuatam docet; hoc enim in tendit Ioannes docere, cum dicit, *Hoc dixit, significans, quæ morte moriturus esset*; si enim expressè id dixisset, non erat cur Ioannes hoc adiungeret, & interpretaretur. Euthymius asserit, & Chryso. hom. 67. sensisse videtur, turbam mortem concepisse ex hoc verbo, non tamen mortis genus; cum enim diceret exaltationem à terra, è viuis excessum existimarunt, idcirco respondent, quomodo si Christus est, exaltabitur, quia Christus non moritur, sed manet in æternum. Ne hoc mihi probatur; nam quo verbo mors, eodem genus mortis intelligendum erat; nam si ex verbo exaltandi, mortem turbam concepit, simul genus mortis intelligere oportebat. Probabilius igitur est; quod Aug. dicit, hoc tamen adiecto, turbam intellexisse mortis genus non ex malitia propria, sed quia sciebant ex vna parte Pharisæos, &

principes illius vitæ insidiari, ex altera verbum hoc exaltandi audiebant, ex vtroque simul nouerunt Christum de crucis morte loqui.

At grauius dubium est, qua ratione turba retulerit, quæ Christus non dixit; non enim legimus Christum dixisse, oportere exaltari filium hominis. Respondent aliqui, Christum solitum esse vti hoc vocabulo, Filius hominis; propterea isti nunc repetunt. Sed hæc responsio videtur improbabilis; nisi enim nunquam Christus protulisset verbum, *Oportet exaltari filium hominis*, non id tam asseueranter opposuissent, dicentes, *Quomodo dicis, oportet exaltari filium hominis? & quis est iste filius hominis?* Idcirco respondeo Ioannem seruasse morem scripturæ frequetem: quando enim bis aliquid verbum pronuntiat, nempe à dicente, & referente, non solet nisi semel describere; aliquando in persona dicentis, aliquando in persona referentis, per vnum insinuat alterum. Exemplum habemus ex ipso Ioanne ca. 11. Dixit Martha, Magister adest, & vocat te, tamen non legimus vocasse, sed dum describit verbum Marthæ, insinuat Christum dixisse prius, *Voca fororem tuam*; ita nũc verbis hisce indicat Christum dixisse, *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*, & *Oportet exaltari filium hominis*; quod verbum, quia repetendum erat, Ioannes prætermisit, donec turbam verbum Christi repetentem referret.

Vu 4

Dixit

Dixit ergo eis Iesus; adhuc modicum lumen in vobis est, ambulante dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant.

C O M M E N T A R I V S.

Noluit Dominus eorum solvere obiectionem, sed ad simplicem, & sine contradictionibus fidem sibi, verbisq; suis praestandam exhortatur; terrorem eis incutiens, citò ipsis defuturum magisterium, & doctrinam veritatis; periculoq; expositos esse incidendi in tenebras spirituales ignorantiae, & erroris. Et est sensus; Adhuc modicum tempus superest, in quo lumen est in vobis. nempe, qui vos veritatem doceat, & viam vitae vobis tradat. Ambulate igitur, dum hanc lucem vobiscum habetis, ne si hoc modico tēpore, quo vobiscum lux est, veritatem recipere neglexeritis, incidatis in tenebras à quibus vos non liberabitis vnquā: comprehendent enim vos. hic est sensus. Se Christus lumen appellat. quia veritatem, & viam salutis docet; modico tempore in illis futurum lumen dicit, quia per mortem iam proximam amplius eum visuri non erant, nec vocem eius audituri. Et quamuis magisterium nō defuit, quandoquidem Apostoli praedixerunt & multos docuerunt, & conuerterunt; tamen id non impedit, quominus ipsi se exposuerint periculo incidendi in tenebras, & errores; & multi etiam ex his, qua lumen hoc neglexerunt in cœcitatē, & errorem mentis abire permisi sunt; seductiq; à suis Pontificibus in sua cœcitate perierūt. Quāuis enim Deus peccatoribus multis parcat, tamen rectè eis dici solet: ne legē Dei cōtemnatis, ne aeterna mors vos comprehendat. certa autem res est, multos eorum, qui Christo praedicati, & miracula facienti credere noluerunt, post mortem ipsius iusto Dei iudicio in reprobum datos esse sensum, & obstinatiores factos in sua cœcitate & malitia, à tenebris comprehensos perijisse. Et hoc est, quod Dominus eis nūc praedicat, & ut praecaueant, monet.

A N N O T A T I O XVII.

Christus lumen.

AVG. tract. s. 2. superiorem sententiam aliter exponit, ut modicum sit adiectiuum: luminis, sitque sensus; *Adhuc modicum lumen est in vobis*; nam Christum in aeternum mansurum scitis. Ambulate dum lumen habetis. At hac expositio Graecis verbis accommodari non potest; ibi enim legimus, Adhuc modicum tempus; & sic Chryso. Theophy. & Euthymi. legunt, & exponunt. & quamuis non legemus tempus, sed, solum modicum; ad tempus referendum esset, nec coniungi lumini deberet: nam est cum articulo graeco, qui adiectiuum illud ei cohaerere obstat. Lumen igitur ad Christum referendum est, qui lux est vniuersi in mundum, & illuminans omnem hominem. Annotat autem Chryso. hom. 67. lumen dici hoc in loco, ut mortem suam translationem quandam esse significet; ut enim Sol non perit, quando ab Horizonte recedit, & ita Christus post mortem manet: nam persona aeterna est. Hæc doctrina vera est; quantum tamen ad sensum attinet, lucem se Christus appellat propter doctrinam, & praedicationem, qua homines ad aeternam vitam instruebat, quod autem sit hoc modicum tempus, Chryso. hom. 67. explicat esse totum tempus vitae huius, etiam post Christi mortem. Multi enim inquit, conuersi sunt post Christi mortem: sensus ergo talis est, *Adhuc modicum tēpus lumen in vobis est*, id est, dum hanc vitam agitis, hoc tēpore am-

bulate; at rectius Euthymius de tempore modico exponit, quod supererat vsque ad passionem eius: ut sit sensus; Adhuc modico tempore ego vobis salutis viam demonstro, & vos instruo, ambulate dum me habetis, praedicationem, & doctorem, ne me discedente visibiliter à vobis, ab alijs seducamini, & tenebrae vos comprehendant. Nec argumentum Chryso. efficax est. Fateor enim esse multos conuersos post Christi recessum ad Patrem; multos tamen excœcatos & in sua infidelitate obstinatos perijisse, negare nō possumus: qui verò Dei gratia, & misericordia respuerunt, quantum ex eorum parte fuit, periculo incidendi in similes tenebras se exposuerunt: Dominus igitur periculi eos admonet, quod re vera magnum erat, dum praesenti Christo credere noluerunt. Connexionem autem huius sententiae cum superiori sic explicat Chryso. ut Christus velit significare mortem suam non obitare, quo minus maneat in aeternum, sed dura mihi videtur; non enim opuserat tunc tunc in exhortatione, quanta vsus est Christus in his verbis; propterea connexio, quae in commentario posita est legitima videtur; non enim eos, ut depositis obiectionibus, & contradictionibus, credant verbis eius, caueantque valde, ne si hoc negligant facere, citò in tenebras labantur spiritus, à quibus nunquam liberentur.

Et qui

Et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat.

C O M M E N T A R I V S.

Non parum damni, & detrimenti est à tenebris comprehēdi, ut enim qui in tenebris exterioribus ambulat corporaliter, nescit, quò vadat: non enim videt viam, in qua ambulat, & dum existimat se tendere domum, incidit in praecipitium; qui enim viā nō potest discernere, nec terminum cognoscit; sic qui ambulat in mentis errore & ignorantia, nescit, quò vadat: existimat enim se viam, & iter facere salutis, & tamen iter est mortis. Timendum est igitur in tenebras labi mentis, imminet enim mortis aeternae periculum. Attende, qui in errore, & infidelitate est, ipse quidem ignorat, quò vadat: nam putat se peruenturum in salutis portum, & tamen mortē inueniet; at fidelis, qui in luce ambulat, rectè scit quò ille vadat: nos enim scimus; qui infideles omnes finis expectet: pereunt enim omnes, qui verā fidē non habēt.

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Ecce alterum argumētum, quo, ut sibi credant, suadet Dominus: primum erat, ne in tenebras incidant, nesciantque, quò vadant, quod ad timorem pertinet; hoc secundum amoris & spei est ex fructu lucis. *Dum*, inquit, *lucem*, id est, me inter vos *habetis*, *in lucem credite*, eritisque filij lucis, id est, filij vidētes, quò, & qua ambuletis. Filium lucis appellat vidētem, qui oculos habet lucidos, ut videat, & tenebras expellat; non enim satis est habere oculos, nisi lumen adsit; filius ergo lucis est, qui videt: habet enim oculos sanos, & in luce versatur. Insinuat etiam hoc verbo Dominus, credentes in se filios Dei fieri, iuxta illud Ioan. 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. si igitur Christus Deus, & lux est, qui in eum credūt, filij Dei, & lucis sunt: eamque lucem participabunt, quam Christus habet.

Hæc locutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis.

Quò abierit Matthæus 21. explicuit: Relictis, inquit, illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit, manē autem reuertēs in ciuitatem esuriit. His enim paucissimis diebus Dominus extra ciuitatem nocte recedebat, ne ante tempus à ludæis caperetur, manē autē reuertebatur. Iudæi enim metu turbæ propter miraculum Lazari, non audebant in die eum comprehendere; similiter, quia conati erant aliās eum capere in die, & non poterunt; idcirco noctem, & tenebras, ut pote tenebrarum filij quærebant. Qui enim malè agit, odit lucem.

Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebāt in eum.

Finem impositurus Euāgelists miraculis narrandis Christi, quæ coram populo ludæorum in suæ doctrinæ confirmationem fecit, optimo vtitur epologo, illorum exaggerās incredulitatem, ne quis eam imperfectioni miraculorum adscriberet. Cum tot, inquit, ac tāta miracula Christus fecerit, quæ omnia digna fide erant adhuc tamen Iudæi in eum non credebant, in sua infidelitate pertinaces. Verbum *Non credebant*, non simplicem fidei negationem significat, quod non crederent; sed continuam, & perseuerantem infidelitatem, quæ perfidia est vox Graeca *Ἐσθρα* numerum, & magnitudinē indicat, nempe tot & tam magna. Et re vera vtrūque miracula Christi habebāt, & numero copiosissima, & magnitudine maxima, & omni digna admiratione, & fide erant; tantoque erat damnableior, & inexcusabilior incredulorum perfidia. Aliquos credidisse certum est, multo tamen plures increduli erant, ut more communi loquendi dicat, Iudæos tunc non credidisse.

ut sermo Isaia impleretur, quem dixit.

Testimonio Prophetæ horum perfidiam comprobatur: & sensus est, Nō crediderunt in eū, cum tot ac tanta fecisset signa, ex quo fit verissima fuerit sen-

rit sententia, quam de eis pronuntiauit multo ante Isaias. Particula *Et*, nō indicat causam finalem, quasi eos non credidisse dicat, ea causa, vt impleretur prophetia, sed denotat euentum, nempe inde factum est, vt verissima sint, quæ Isaias prædixit: nec hoc adducit Euangelista tantum, vt veritatem prophetiæ doceat, sed etiam, vt Iudæorum perfidiam damnet & accuset: quæ tanta erat, vt Isaias tot seculis superior eam prædixerit, & abominatus fuerit. sitque sensus, Isti Iudæi, tot, ac tãtis signis non crediderunt; iure ergo Isaias tantam perfidiam detestatus est. omniaque, quæ ipse prænuntiauit, vera fuerunt. Alia etiam de causa hoc testimonium citatur, ne scilicet Iudæi suam perfidiã occultarent, aut defenderent se negantes perfidos esse, testimonio prophetæ vtitur, qui eos perfidos, ac infideles prædixit. & arguit, plura in annotatione sequuntur.

A N N O T A T I O X V I I I.

Diuina præscientia aut prædictio nō fuit causa infidelitatis Iudæicæ.

ATHANASIVS ferm. de passione & cruce Domini, hunc locum Ioannis doctè discutit & declarat. Refert primo loco quorundam hæresim, quam ex verbis hisce conceperunt, asserentes Iudæos idcirco non credidisse, quia prædictum erat per Prophetam, eos non esse credituros: dicebant vltius Iudæos causam nō fuisse incredulitatis suæ, sed eum, qui prædixit: nec etiam peccasse, culpãque contraxisse in ijs, quæ fecerunt, sed potius laude dignos, eò quod non vt delinquentes, sed vt obsequentes scripturis ista fecerunt; Verba enim hæc Ioannis in hunc sensum interpretabantur, vt idcirco non credidisse dicantur, quia Isaias talia prædixit, quæ, si non fuissent prædicta, vtique credidissent. Athanasius tanquam impiam, & falsam hanc damnat doctrinam, & meritò: Nam Iudæos peccasse grauius non credentes, ipsemet docuit Christus sæpe: Ioannes 15. Nunc, inquit, excusationem non habent de peccato, quia non crediderunt in me. Esse etiam eorum malitiam, & propriam voluntatem causam, docuit Christus Ioan. 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem capitis? Scrutamini scripturas, in quibus vitam æternam habere putatis, & non vultis venire ad me. Et multis alijs in locis similia habentur. Rectè autem dicit Athanasius nō fuisse eos incredulos, quia Propheta prædixit, sed quia Prophetæ quæ futura erant, nouerunt, & ipsi tales sua malitia futuri erant, propterea eorum incredulitatem prædixerunt. si enim ipsi aliter se habituri fuissent, & credituri essent, vtique nouissent Prophetæ, nec eorum infidelitatem prædixissent. Præscientia enim hæc non facit re tales, sed quia res tales futuræ erant, ipsi, qui nouerunt futura, prædixerunt. quando igitur Ioannes dicit non credidisse, vt sermo Isaiæ impletur, non causam, cur nō crediderint, indicat, sed eorum infidelitatem, vt omnibus nota sit, nec occultari, aut negari possit, testimonio prophetico comprobatur. ita Athanasius respondet. Et est vera, & docta responsio. Particula enim *Et*, in scriptura sæpe, non causam, sed euentum & consecutionem significat. Psal. 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis. Certa, & indubitata res est, non peccasse Dauid, & malū se

cisse, hac de causa, vt iustificaretur Deus in sermonibus suis; sed ex illius peccato conuequebatur, Deum iustificari in iuis promissionibus. & 3. Reg. 17. Ingressus es ad me, vt interficeres filium meum. certa res est non fuisse Eliã ingressum in domum mulieris illius, vt filium interficeret. & Ioan. 9. dixit Christus in iudicium veni, vt qui vident cæci fiant. doctrinam hanc & responsionem, etiam Chrysostr. hom. 67. & Euthymius, & inter Latinos August. tra. 53. sequuntur. Aliqui tamen nostro tempore nouam responsionem excogitant, vt particula ista etiam causam finalem, non quidem principalem, sed accessoriam significet, vt sit sensus; Deum permisisse hos Iudæos in infidelitatem labi, vt vera esset Isaiæ prophetia, & hanc probant sententiam similibus locis scripturæ, in quibus talis particula causam accessoriam indicat, Math. 1. Hoc totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit. & Ioan. 16. Vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. Huiusmodi sunt multa loca, in quibus facta hæc dicuntur, quia in scriptura prædicta erant: non quod hæc sola causa, sit, sed accessoria: non enim incarnatus est, vt scriptura impleretur, sed propter redemptionem nostram, simul etiam, vt promissa impleret. Ita dicendum in hoc loco existimant. Athi non attendunt Ioannem non dixisse, hos permisisse Deum non credere, vt impleretur sermo infidelitatis autem huius prophetia nec principalis, nec accessoria causa fuit: longè enim differunt ea quæ rectè fiunt, ab ijs, quæ male: illorum enim causa Deus est, horum autem arbitrium humanum: Ideo quando Christus aliqua faciebat, dici potest fecisse, vt scriptura impleretur, quasi ea sit causa accessoria: at de peccatis, & malè factis, qualis erat horum infidelitas, nequaquam id dici potest. Quod si dicas Deū iussisse permisisse, fateor, Ioannes tamen non dixit Deū permisisse, sed eos non credidisse, & de infidelitate, non de permissione adiunctum est, vt sermo Isaiæ impleretur. Vera igitur responsio, & doctrina est, quam olim sacri Doctores secuti sunt. Quæ in annotatione sequenti exactius discutentur.

Domine,

Domine, quis credidit auditui nostro?

COMMENTARIVS.

Hæc sunt Isaiæ verba quæ recitat Euangelista, & habentur apud Prophetam cap. 53. quorum exactior declaratio ad illius libri commentarium spectat; tamen quia à Ioanne referuntur, sine declaratione nō sunt omnino prætermittenda. His verbis Isaias paucitatem eorum Iudæorum, qui erant Christo credituri, nō solum ante mortem, sed etiam post Apostolorum prædicationem prædicit, & in hoc sensu allegantur à Paulo ad Rom. 10. quamuis à Ioanne in præsentem referantur propter eos, qui Christo ipsi prædicanti non crediderunt. Per pauci enim fuerunt credentes, considerata pene infinita non credentium multitudine. Verbum illud *Domine*, in Hebræo nunc nō legitur, tamen Septuaginta habent, & credendū est, eos legisse, & in vero Hebræo textu ita legi debere: nam & Paulus, & Euangelista cum Septuaginta legunt, non ergo probandi sunt, qui secundum Hebraicam veritatem nō esse legendum sentiunt. Verba autem hæc Prophetæ non ipsius nomine, aut Apostolorum, vt aliqui existimant, sed nomine Christi cum Patre loquētis dicta sunt. Christus enim Patri loquēs, *Quis*, inquit, *credidit auditui nostro?* id est, verbis nostris, quæ ipsorum auditibus suggeremus. Erant enim verba Christi verba Dei, & Pater in ipso, & cū ipso loquebatur; sermones ergo suos cum Patre facit communes & raritatem, ac paucitatem credentium sermonibus, & verbis Dei miratur: ac si dicat, rari sunt credituri verbis, quamuis sint verba Dei. Sermonem autem auditum appellauit, quia auditu percipitur, vt significaret se locuturum carne assumpta ad aures exteriores Iudæorum, & sensibiliter: non igitur sermonem suum vocat auditum suum, quia ipse audiat, sed quia ipse alios audire faciat, ita 1. Thessa. 2. dicit Paulus: Cū accepissetis à nobis verba auditus Dei, id est, quæ Deus audire vos facit. Vtitur autem verbo præteriti, *Quis credidit*, loco futuri; tum, quia commune est Prophetis, ad certitudinem exprimendam futurorum, vti præterito; tum, vt dicit Augustinus lib. 3. con. Maximi. cap. 14. qui Prophetæ vident futura in Dei præsciētia, in qua iam præsentia, & facta sunt; quibus etiam verbis Christus Deum se vnum cum Patre significat; dum communem vtriusque dicit esse sermonem; quis auditui, & verbis nostris crederet.

Et brachium Domini, cui reuelatum est?

Sunt hæc etiam verba apud Prophetam raritatem credentium indicantia. Christus autem se brachium domini appellat, loquiturque de se in tertia persona, prænuntians raros futuros, qui brachium Domini, nempe se in carne agnoscent. Et perpende, quàm appositè se brachium Domini dicat: per brachium enim potentia significatur, Christus autē non solum est potentia & virtus Patris, per quem omnia facta sunt; sed etiam venit ad nos in virtute, & potētia operibus multis, & magnis diuinitatis: idcirco brachium Domini se appellat. Et est sensus, Rari admodum sunt, qui meam diuinitatem agnoscerent, & confitebuntur ex Iudæis, quamuis ego opera diuinæ potentie multa, & magna sim effecturus apud eos; & hoc verbum respondet illi; *Cū tāta signa fecisset, non credebant. Cui*, enim, *brachium Domini reuelatū est?* Est igitur Christus brachium dictus, quia à Patre procedit, quia virtus est ipsius, quia in carne apud nos virtutis, & potentie opera exercuit.

A N N O T A T I O X I X.

Brachium Patris filius diuini.
BRACHIVM hoc esse Dei filium docet Hieronymus in expositione Isaiæ & Eusebius lib. 3. de demonstratione Euangelica cap. 2. & Augustinus tract. 53. & ante eos Athanasius in libro de communi essentia Patris & Filij & Spiritus sancti: quo nomine in alijs locis scripturæ etiam appellatus est. Isaiæ 51. In brachio meo gentes sperabunt. & cap. 52. Parauit Do-

minus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium; non quod corporeus sit Deus, sed metaphoris spiritualia explicantur; Vt enim filium Dei, carne sumpta diuinæ potentie opera facturum significaret Prophetæ, brachium appellauit; operatur enim brachijs. Attende tamen Sabellium, vt refert Augustinus tracta. 53. ex hoc nomine collegit.

collegisse vnicum esse suppositum, & personam Patris & Filij, sicut vnum sunt suppositum brachium & corpus. Nec considerauit hæreticus in metaphoricis locutionibus id solum accipiendum, in quo, & propter quod metaphora, & similitudo consistit: similitudo autem nõ in vnitatis suppositi est, nec scriptura ea ratione filium brachium appellat, sed propter hoc, quia sicut homo brachio operatur, ita Deus verbo, & filio cuncta fecit; omnia enim per ipsum facta sunt; quam metaphora rationem indicat Hieremias cap. 32. Tu, inquit, fecisti cœlũ, & in terrã in fortitudine tua magna, & in brachio tuo excelso. Alteram etiam dat causam Athanasius loco citato, nempe vt consubstantialitas filij cum Patre significetur: vt enim brachium procedit à corpore, sed vnica est substantia cum eo, ita filius à Patre procedit, vnica tamen vtriusque est substantia. Est tamen adhuc verbum perpendendum, *Cui*, inquit, *reuelatum est brachium Domini?*

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias.

C O M M E N T A R I V S.

Incredulitatem Iudæorum testimonio Prophetæ probauit Euangelista; nunc causam incredulitatis altero eiusdem Prophetæ testimonio confirmat, quod testimonium paulo inferius declarabimus. Attende autem horum verborum sensum esse talẽ; *Propterea isti, non poterant credere, quia Isaias dixit; Excœcauit oculos eorum*, id est, quia excœcati sunt, sicut Isaias prædixit. non enim est causa incredulitatis prædictio Isaiæ, sed id quod Isaias prædixit, nempe excœcatio, & obduratio populi: quia enim excœcati, & obdurati erant, propterea non crediderunt. Particula igitur illa *Quia*, causam indicat, sed nõ ipsam prædictionem Prophetæ, quia ipse dixit, sed id quod prædixit. Et in hunc sensum interpretanda sunt verba, *Non poterant credere*, quia Isaias dixit, *Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor*, id est, quia excœcati, & obdurati erant, sicut Isaias prædixit. Certum autem est, dum excœcati, & obdurati erant, eos credere non potuisse. Qui ad prædictionem particulam, *Quia* retulerunt, non casualiter, sed consecutiue interpretati sunt. Sed non est hæc legitima expositio; causam enim incredulitatis Ioannes docet: nam prius incredulitatem, posteriore causam ostendit, & vtrumque testimonio Prophetæ comprobatur. Hæc tamen in sequenti commentario magis explanabuntur, qua autem ratione, non potuisse credere dicti sunt, in sequenti annotatione expositum inuenies.

A N N O T A T I O XX.

VT multa scripturæ loca, inter quæ vnus est iste noster, facile intelligantur, annotanda est doctrina Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia, vbi sex modos tradit, quibus aliquid posse, & non posse fieri, dici contingit, tam in communibus locutionibus, quam in scriptura sacra. Primus est secundum defectum certi temporis, ac personæ habita ratione, vt quod puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut aduersus aliquem decertare: luctabitur enim aliquando, & cernet; decertabit etiam aduersus alterum, etiam si aduersum hunc nequeat. ad hunc modum mihi videtur illud reduci i. Ioan. 3. Non potest peccare, quonia ex Deo natus est; & illud Matth. 7. Non potest arbor mala fructus bonos facere: nempe

A ergo velabitur brachium hoc, & ita est: nam diuinitas filij carne velata erat; quo verbo Prophetæ, seu Christus per Prophetam suam prædicit incarnationem, vt enim Leo epistola 22. ad clerum Constantinopolitanum dicit; humanitas velamen fuit diuinitatis. Dicitur autem *Cui reuelatum est*, quia Deus est, qui reuelat, & illuminat, homo enim suis viribus non potest fidei mysteria assequi; tamen quia ipsius hominis est, Deo illuminanti oculos claudere, propterea raritatem, & paucitatem credentium scriptura miratur, culpa tacite in audituros reiecta. In eisdem verbis annotat Tertullianus li. con. Praxeam; bis dicit Domini, & Domine; non enim dicitur, & brachium tuum, sed, *Brachium Domini*, vt distinctio personarum Patris, & Filij significetur. Hic igitur verbis prophetæ raritas credentium Iudæorum; & incredulorum multitudo etiam post miracula multa prædicta est. Et hæc sufficient pro huius loci explanatione.

facere non posse dicimus; vt est illud Ioannis 6. Non potest mundus odisse vos. & Matth. 12. Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali? sub hoc quarto modo comprehenditur: quod difficile & arduum est, hoc enim dicimus aliquando impossibile: nam quod abhorret voluntas difficile, & arduum est facere. Quintus modus est secundum naturam; quod enim secundum naturæ potentiam fieri non potest id impossibile dicimus. Vt est illud Ioan. 3. Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? & Matth. 19. Non potest camelus transire per foramen acus hæc enim fieri non possunt secundam naturam. Sextus modus est, quando nulla ratione fieri potest; sic dicimus non posse Deum esse malum, non posse fieri, vt sex & quatuor non conficiant decem. tale est illud Ioan. 5. Non potest facere filius, nisi quod viderit Patrem facientem: cum enim vna sit vtriusque essentia, & potentia, nihil facit Pater, quod non & filius faciat. Hos sex modos doctẽ, & verẽ, ex scriptura, & communi loquendi modo colligit, & cõprobat Gregorius, ad quem autem horum referendum sit, quod nunc dicitur considerare oportet. Quod vt facilius assequamur, inquiramus, qua ratione excœcatus & obduratus, non posse credere dicitur. Nam talis modus aptabitur loco præsentis; vt enim ex commentario constat, sensus verborum Ioannis hic est; Non poterant credere propter excœcationem, & obdurationem ab Isaiæ prædictam. id igitur sensus est, ac si dicas: excœcati, & obdurati erant, idcirco credere non poterant. Quomodo autem excœcatus, & obduratus credere non possit, non eadem ratione exponunt Doctores. Aug. tractat. 53. eos non potuisse credere sentit, quia re vera absolutè non poterant, non quod Deus non posset illos illuminare, & conuertere sed quod non haberent illi à Deo auxilium, quo se possent conuertere: qui modus ad quin-

A tum reduci potest. Iudæi ergo voluntate sua in eam se coniecerunt cœcitatẽ, & obdurationem, quia voluerunt; at postquam tales extiterunt, iam non eis liberum fuit, ne potuerunt resipiscere, & credere, iusto Dei iudicio, propter illorum malitiam & prauitatem excœcati. Hæc est mēs Augustini. Aliter Chryso. ho. 67. & Euthy. sentiunt; nempe & excœcatos, & obduratos absolutè potuisse credere, si voluissent; & dictos non posse, propter auersam voluntatem eorum, quia abhorrebant inimum à credendo, quod autem maxime nolimus, dicimus non posse facere, sicut & illud Ioan. 6. Non potest mundus odisse vos; modus hic est quartus secundum annumeratõnem Gregorij. Augustini sententia non mihi multum probatur, quia nititur huic fundamento, obduratos, & excœcatos omni auxilio diuino destitui, quo conuerti possint. quod non video ratione sufficienti probari posse: nemo enim in hoc seculo ita destituitur auxilio Dei, vt conuerti nequeat, quamuis propter peccata aliqui multis auxilijs priuentur, & ijs sine quibus difficillimum erit conuerti, at non impossibile. de qua re non est hic locus plura tractandi. Modus Chryso. mihi magis probatur, nempe non potuisse credere, quia præ excœcatione, & obduratione valde abhorrebant credere in Christum, auersissimæque erant eorum voluntates ab eo. id tamen non fecit, vt absolutè non potuissent credere: potuerunt enim credere, sed vt diximus, difficillimè; tum multis destituti auxilijs; tum nimia obduratione, & voluntatis auersione. Hæc doctrina probabilior, & communior est; & est similis sensus illius Ioan. 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem capitis? Sententia tamen Augustini non est improbabilis: De hac autem excœcatione, & obduratione in commentario, & annotatione sequentibus tractabitur.

Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.

C O M M E N T A R I V S.

Hæc sunt Isaiæ verba, quæ habentur cap. 6. vbi quantum ad verba spectat, attende Ioannem non tam verba, quam sensum ipsum, vt sæpe Euangelistæ faciunt, allegasse: in hebræo enim sic habetur, Excœca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claudet. Septuaginta autem aliter vertunt, nempe, Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauitate audierunt, & oculos suos clauserunt. quam versionem Matthæus cap. 13 & Paulus. Act. 28. secuti sunt, & ea verba retulerunt; quæ res probat sensum Spiritus sancti non esse solum eum, quem verba Ioannis præ se ferunt, sed simul quem verba Matthæi. Rursus vnum & eundem sensum esse, siue legas, vt in Hebræo legimus. siue, vt Ioannes allegat, siue vt Matthæus, & Paulus referunt. Verba enim diuersa sunt, sensus tamen idem est; idcirco nulla est repugnantia, nec contradicatio. sensus enim præcipue est attendendus. Existimo ego hanc verborum varietatem Spiritus sancti consilio factam esse, vt ex vna lectione sensum alterius sine errore comprehenderemus, vt paulò inferius cõstabit. Esse autem Deum, qui nunc dicitur excœcasse, & obdurasse, docet Paulus, qui ad Rom. 11. hunc eundem locum sub alijs verbis allegauit, sensum etiam respiciens

picieus. Dedit, inquit, illis Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videant, & aures, ut non audiant. Ecce vides Deum esse, de quo Isaias dixit; Excœca cor populi huius aures aggraua; & Ioannes etiam, Excœcauit oculos eorū, & indurauit cor. quod. n. futurū erat, prænuntiavit per propheta, quamuis sub forma illa loquendi; Excœca, & obdura: non enim imprecabatur Iudæis excœcationem, sed quā futuram nouerat, sub illa forma prophetis consueta prædicebat. Ioannes autem modum mutauit loquendi, Excœcauit, & obdurauit, ut exponeret Isaiam non imprecatum fuisse, sed prænuntiasse. Ne autem verba Ioannis alijs occasione errandi essent, existimantibus Deum causam esse excœcationis, & obdurationis, quasi ipse iniecit eis tenebras, & cor eorum molle indurasset; idcirco Matth. & Paul. aliter hæc verba retulerunt, ut ex eis intelligeremus, qua ratione Deus excœcasse, & obdurasse dicitur fuerit. Auribus, inquit, grauitate audierunt, & oculos ipsi clauerunt. ecce ipsi sunt causa suæ excœcationis, & obdurationis, quia oculos clauerunt nolentes lumen veritatis recipere; ipsi aures aggrauauerunt, & cor obdurauerunt, odio prosequentes loquentē dominū. Quando igitur dicitur Christus, seu Deus excœcare, & obdurare, intellige id dictum ex accidēti quodam, quia ipse locutus est, ipse verbum veritatis docuit, lumen fidei suæ sparsit, non utique ut illi excœcarentur, vel obdurarentur; at ipsi sua malitia nolentes recipere, excœcati dicuntur verbo & lumine Christi, qui nihil minus, quā excœcationem eorum proponebat. Hoc expressit Salomon cap. 2. Excœcauit, inquit, eos malitia eorum. Excœcatio ad intellectum, obduratio ad affectum pertinet. Iudæi enim nec veritatem intellectu perceperunt, nec affectu voluerunt percipere.

ANNOTATIO XXI.

quid sit excœcatio, & obduratio.

DVO in præsentī loco declaratione indigent. Vnum est, quæ sit ista excœcatio, & obduratio Iudæorum. Alterum, qua ratione Deus excœcasse, & obdurasse eos dicitur sit. Sunt autem hæc difficulta quidem cognita, sed necessaria ad loci præsentis, & multorum, quæ in scriptura occurrunt, intelligentiam; quam si nostri temporis Hæretici affectus essent, non tam grauitate in hac parte errassent, nec de Deo impiè sensissent, docentes Deum causam esse peccati. quantum igitur ad primum spectat, attende neminem propriè excœcari dici, nisi qui prius videbat: excœcare enim est cœcum facere, & excœcari cœcum fieri; cœcus autem non fit, nisi videns. Iudæus igitur, si excœcatus est, prius videbat, & ita est; nam ante Domini aduentum veram fidem habebat, scripturarum sensum assequabatur, Christum venturum, aliaque multa diuinitus reuelata credebat, ut verè videns fuerit, & inter videntes & fideles computatus; Gentes enim in tenebris Iudæi in lumine ambulabant. Adueniente autem Christo, quem venturum Iudæus credebat & sperabat, lumen hoc amisit, & ex vidente cœcus factus est. Dum enim in venientem non credit, fides in eo non mansit: nam præsentē Christo, credere in vèturum fides nō est, sed error. debuerat autē Iudæus transitum quemdam facere, & quem venturum credebat, venientem recipere, in eumque credere, & hac ratione fidem conseruasset; at veniente non recepto, omnino fidem amisit, & excœcatus est. Erat autem fides illorum ante aduentum talis, ut si sapiissent Iudæi, potuissent venientem agnoscere: nam multa signa à Deo acce-

Aperant, ut eum possent discernere. lumen ergo habebat Iudæus, sed amisit, excœcatus igitur est. Adde etiam excœcatum dici non solum, quia lumen amisit, sed quia à lumine nimis remotus est, sic enim solemus aliquem excœcatum dicere, ut sic nomen etiam argumenti, & cuiusdam habitus in luminis priuatione: non enim solum non viderunt sed in hac priuatione luminis nimium inhæserunt, & nimis à veritate recesserunt, plurimis erroribus contra veritatem conceptis. Ecce qualiter excœcati dicuntur Iudæi illi. Dicuntur etiam nostri temporis Iudæi excœcati, quamuis nunquam ipsi viderint, quia tamen parentes, à quibus descendunt, viderunt. solet autem totum corpus, & multitudo pro vno reputari. sic Matthæi 23. dicitur. Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quamuis non id facerent illi ipsidem, quibus Christus tunc loquebatur. hæc de excœcatione.

CObduratio autem ad voluntatem, & affectum pertinet: dicitur autem voluntas obdurata, ratione habita ad aliud; quando non solum non inclinatur, ut illud velit, sed aliquo contrario affectu multū impeditur, & detinetur, ne illud velit. Sit exemplum; est aliquis, qui pacem cum inimico inire non vult, non hoc solo obduratus dicitur: sed quando multa adfunt, quæ eum detinent, ne id faciat, auertuntque voluntatem eius à pace, & in contrariam partem impellunt, hic obduratus dicitur, metaphora sumpta à corpore duro, quod non facile tactibus cedit. sic affectus obduratus resistit precibus, & rationibus inducentibus,

Abus, ut aliquid velit, & acceptet. Cor Iudæorum ante Christi aduentum non erat obduratum, ne Christi reciperet; At quando prædicatē, miracula facientem, vocantemque ad se omnes audierunt, & viderunt tunc increduli obdurari cœperunt. obdurauerunt autē affectū eorū, ne in Christū inclinaretur, ambitio, auaritia, superbia, odium capitale contra Christum: hæc omnia, quorum passim diuina scriptura mentionem facit, in contrariam partem voluntates eorum auerterunt; & ita obdurauerunt, ut miraculis stupendis, & vocibus apertis Christi non cederent. Ecce qua ratione obdurati dicuntur. Hæc excœcatio igitur, & obduratio est, quam prædixit Isaias, & quam Euangelista dicit causam esse, quod non crediderint, nec credere potuerint.

CObijciat aliquis vnum, nempe incredulitatē potius videri causam excœcationis, & obdurationis, quā contra, excœcationem, & obdurationem causam, quod non crediderint. Respondeo obijciatur, sed ut res hæc declaretur, aduerte Ioannem non adferre excœcationem, & obdurationem tanquā causam, quod non crediderint, sed quod credere nō potuerint. Verum est enim, dum Christo fidem non adhibuerunt, excœcatis, & obduratis fuisse: hæc tamen excœcatio, & obduratio effecit postea, ut quāuis plura, & magna miracula Christus ediderit, quamquam apertē eis locutus fuerit, adhuc non crediderint; à principio igitur non crediderunt, & lumen amiserunt, & indurari cœperunt; quæ excœcatio, & obduratio tanta fuit postea, ut nec in suscitantem mortuum quatruiduanum crederent. Et hoc est quod Ioannes nunc dicit. loquitur enim de incredulitate eorum post tot signa; cum, inquit, tanta signa fecisset, non credebant. Perpende, Non credebant, id est, adhuc in sua infidelitate perseuerabant, & perfidi erant, & huius perfidia, & obstinate infidelitatis, causa erat eorum excœcatio, & obduratio. Nō enim, uti diximus, excœcati erant, quia lumen fidei amiserant; sed quia nimis distanti erāt à veritate multis erroribus, & falsis opinionibus contra Christum conceptis, quem dæmoniacum & seductorem, & legis transgressorem reputabant. De obduratione autem hoc est peculiare, fuisse prius ambitiosos, & auaros; tamen hæc non obdurauerunt eorum cor, sed postquam Christum audire primò noluerunt, cœperunt obdurari corda eorum, & effectum est, ne postea vlla ratione acceptarent, immò ut eum morti traderent. Hæc de illa priori difficultate proposita; posteriori autem, ne prolixitas indistincta, confusionem generet, ad sequentem annotationem remittimus.

ANNOTATIO XXII.

POSTERIVS illud propositum examinandum nunc est, nempe qua ratione Deus excœcasse, & obdurasse dicitur sit. Aduertendum maximè est, effectum tribui alicui & in scripturis, & in communi vsu loquendi tripliciter. Vno modo, quando impedire cum potuisset talem effectum, noluit, maximè autem cum impedire ad eum pertineret. hoc

A modo illud Act. 20. dictum est; mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis; significans si non annuntiasset, mundum se à sanguine non fuisse futurum. & illud Ezechiel. 33. Si speculator venerit, & non intonerit buccina, sanguinem de manu speculatoris requiram. iuxta hanc significationem dixit Ambrosius; Si pauperem fame pereuntem non paupisti, occidisti.

B Altero modo tribuitur alicui, quando id fecit, unde occasio nata est, ex qua effectus ille euenit: quamuis ille non intenderit talem effectum, nec quod fecit, ad talem effectum esset ordinatum; hoc modo dictum est illud 3. Reg. 17. Ingressus es ad me, ut interficeres filium meum. sciebat mulier illa Eliam non interfecisse, nec venisse, ut filius interficeretur; tamen aduentum Eliæ occasionem fuisse, quod filius eius mortuus est, existimabat: credidit enim se tantum Prophetam in domum suam, non ut debebat, honorificè recepisse, & ea de causa culpam contraxisse, propter quā in filio puniretur, idcirco effectum tribuit Eliæ; ut interficeres, inquit, filium meum. Iuxta hoc locutionis genus dicimus, quando aliquis visitat infirmum, & admonet status, & periculi, ut corrigatur; si infirmus irascatur, & præ ira morbus ingrauescat, & moriatur; mortem visitanti tribuimus, & eum occidisse infirmum affirmamus, quia occasionem, quamuis remotam, nec ad talem effectum ordinatam dedit. Tertio modo tribuitur effectus illi, qui veram causam, unde effectus sequitur, exhibuit; sicut qui gladio occidit, aut id adhibet, unde mors sequitur; ad quem modum, qui iuuat, & consulit, aut mandat, reducitur.

E His suppositis, ut proposito applicemus, sciendū, tripliciter posse vnum excœcari ab altero. Primo modo, quia impedire potuit, ne visum amitteret, & in cœcitatem incideret: noluit autem, sed permisit. Altero modo, quia fecit aliquid, quod occasio fuit illi errandi, & visum amittendi. Tertio, quia ipsum visum abstrahit, immittendo errorem, & deceptionem. Sunt horum exempla (loquimur enim de spiritali excœcatione intellectus) Est aliquis, qui vidit vnum alteri falsam doctrinam tradentem, quam auditor suscipiens excœcatur, & errat, nec tamen ille impedit cum posset; talis eum excœcasse dicitur. Rursus est aliquis prædicator, qui veram doctrinam prædicat, ut doceat veritatem: tamen aliquis auditor ignarus, non rectè percipiens, falsum concipit sensum; similiter odio, vel aliqua alia iniqua affectione dispositus, non recipit, nec vera existimat, quæ prædicat; talis excœcatur, & prædicans dicitur excœcasse. Rursus est alius, qui falsa prædicat dogmata, & talia audientibus persuadet, iste excœcat verè, & causa est propria excœcationis. Qui etiam inducit audientes, ut talia recipiant, etiam excœcat. Hæc eadem de induratione dicimus; indurat enim, qui cum possit emollire animum alterius, negligit; indurat etiam,

qui aliquid facit, vnde alius occasionem obdurationis accipit: solemus enim dicere, quando aliquis rogat alterum, & preces fundit, vt aliquid faciat, si iste nolit, & in suo perseueret proposito, induratum esse à rogante; non quod rogans verè duritiem effecerit, sed quod ille occasionem pertinacius suo inhærendi proposito acceperit: indurat etiam, qui inducit, & veram causam adhibet, vt aliquis in suo iniquo proposito perseueret. Cùm igitur hi tres sint modi, & Deus excœcare & indurare dicatur, quo horum modorum excœcare, & indurare dictus sit, inquirendum est. In primis nemo Catholicus, nec pius dubitat, Deum non excœcare, nec indurare modo tertio, quasi ipse sit causa, qui errorem immittat, & decipiat hominem, & humanos affectus induret, & obstinatos ac pertinaces faciat: longè hæc à Deo, & Christo domino absunt; Si enim Deum peccare posse impium est affirmare, quia bonus est, & bonitas infinita; impium etiam est affirmare causam esse veram, & propriam peccati; hoc enim infinita bonitati repugnat: quod Matth. 7. docuit nos Christus dicens; Arbor bona non potest malos fructus facere, quia igitur ratione fons ipse bonitatis malos fructus faciet, si quod participatione bonum est, non potest facere? Iacob. 1. monet nos Apostolus; Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus. n. intentator malorū est, & neminè tentat. Sēsus est: Sicut ipse tentari nequit à malo, quia malum in se non valet recipere: ita etiam neminè tentat ad malum. Plena est scriptura huiusmodi testimonijs. est de eadem materia doctæ, & elegans homilia Basilij, cuius titulus est; Quod Deus non sit auctor malorum.

Primo autem modo Deus excœcat, & indurat, quia non prohibet, cùm possit, ne homo incidat in errores, & indurationes, sed dimittit eos incidere: & hac ratione August. tractat. 53. intelligendus est, & est communis doctrina Catholicorum: declaratione tamen indiget, quàm adhibebimus, si tamen prius obiectioni cuidam responderimus. Dicit enim aliquis, qui potest impedire malum, & non impedit, causa mali est, et peccat; igitur Deo imputabitur peccatum, quia cùm possit non prohibet? Respondeo duo: Vnum est, Deum non dici non prohibere, aut non impedire, quia nihil faciat, quominus malum non fiat: non enim sic est; nam hominibus semper id præstat, quo ipsi possint, si velint, in malum non labijis autem, qui præstat quod alteri factis est, vt malum caueat, si velit, à culpa est immunis, etiam si ille alter in malum labatur. F quamuis igitur Deus sua omnipotentia posset omne malum, & peccatum impedire, tamen cùm hominibus ea exhibeat, quibus possint, si velint, malum cauere; culpa, aut propria causa mali, Deo tribui non potest, sed ipsi homini. Alterum est, non semper etiam apud homines, qui potest impedire malum, aut effectum aliquem, si non impediatur, causa dicitur illius propria, nec ei culpa imputatur, nisi ad sit etiam aliud, vt illi incumbat ex officio, aut particulari aliqua ratione id impedire: multa

Anim sunt in ciuitatibus homicidia, quæ si ciues omnem adhiberent diligentiam, non euenirent, nec perpetrarentur, sed ea cura non incumbit, nisi publicis personis, idcirco non ipsis culpa imputatur. Cùm igitur Deus non teneatur impedire homines omnino, ne peccent, & errent, & obdurentur, cùm sit summa hæc gratia, qua ipsi efficiuntur indigni, immò iustè posset denegare id auxilium, quo possunt non peccare, si velint: non est cur vlla ratione Deo malum hoc imputetur. Obijcies iterum, quare ergo excœcare, & obdurare dicitur? Respondeo, vt nos timeamus, scientes propter peccata nostra sapè Deum negare nobis suum auxilium, quo impedirentur mala: & finire in cœcitatē mentis, & voluntatis obdurationem labi; quamuis non neget propter suam misericordiam auxilium, vt liberum sit nobis, si velimus, in ea mala non præcipitari. Deus igitur excœcare, & obdurare, similiter decipere, immittere spiritū erroris, in scripturis hac ratione, & modo dictus est.

Præter hunc autem modum etiam secundò dicitur excœcare, & obdurare, quia nimirum ea facit, quæ occasio sunt, peccatoribus; & malis cœcitatē & obdurationis, quamuis non ea intentione à Deo fiant, quem modum doctè, & eleganter tradit Hieron. epist. ad Hedibiam, quæst. 10. hoc vtens exemplo. Sol lumen suum expandit, quo calefacit, ex diuersa tamen corporum dispositione fit, vt vnum rarefiat, alterum obduret; mollescit enim cera, indurefcit lutum. sic vno diuino opere bono, mali ob suam malitiam peiores fiunt, boni verò meliores: nam vitam bonis, & malis Deus impertit, temporalia bona his & illis communia facit, vt bene operentur: at mali vita longiori, & temporalium copia peiores fiunt, boni verò meliores. Hac ratione Christus sua doctrina, & miraculis excœcasse, & obdurasse Iudæos dicitur: nam illi auari, inuidi, & superbi odium maius contra eum conceperunt, & inde magis occasionem errandi rapuerunt, vt dicerent esse seductorem, & dæmoniacum; Et quod omnibus, vt verum cognoscerent, & salutem complecterentur, à Christo factum est, ipsi in suam perniciem conuerterunt. Non igitur Christus causa fuit, sed ipsi sibi causa fuerunt erroris, & obdurationis, iusto Dei iudicio id permittente. bonis enim malum ad bonum prodest; at mali etiam bona in malum conuertunt, & in licentiam, & occasionem peccatorum. Ex his facile est cognoscere, quæ sit causa vera, & propria excœcationis, & obdurationis tertio modo, ipsimet nimirum improbi, qui oculos aperire recusant, & affectum conuertere, cùm nunquam denegetur auxilium diuinum, quo possint resipiscere. Sic igitur Deus excœcat, & indurat, vt non ipse causa sit tertio modo, sed homo & ipsius malitia; idcirco rectè Matthæus, & Paulus, vt in commentario diximus, interpretati sunt verba hæc. Clauserunt, inquit, oculos, & grauitè audierunt. Sunt multa quæ de hac materia dici possent; sed ad intelligentiā sententiæ huius hæc sufficere videtur.

vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

COMMENTARIVS.

Verba sunt eiusdem Prophetæ superioribus coniuncta, & particula *vt*, non ponitur casualiter, sed consecutiue. vt sit sensus, Excœcati, & obdurati sunt Iudæi, ex qua excœcatione, & obduratione prouenit, vt oculis mentis non viderint, nec corde intellexerint; id est, non agnouerunt, nec crediderunt: mens enim per cœcitatē nō agnouit, & voluntas per obdurationem intellectum ne crederet, auertit. Intelligere enim corde, quod credere est, ad effectum simul, & cognitionem refertur; videre autem oculis, ad agnitionē pertinet: ac si diceret; non agnouerunt Christum, nec in ipsum crediderunt: non agnoscentes autem, nec credentes, non sunt cōuersi à vijs suis prauis ad verum medicum, nec à peccatis liberati, & sanati sunt. Vide quanta mala sint ob excœcationem, & obdurationem consecuta. Ille negationes etiā duo verba posteriora complectuntur. ac si diceret; non intellexerunt, & non intelligentes, non sunt conuersi, non conuersi autem, non sunt sanati.

ANNOTATIO XXIII.

Deposito ad ipsi non probatur.

AVG. tract. 53. verba duo *Conuertantur, & sanem eos*, affirmatiue legit, in hunc sensum, Excœcati, & obdurati sunt, vt non videntes, nec intelligentes tanquam à Deo puniti, & castigati, hac ratione conuertantur, & sanentur. Sed non est expositio sensui Prophetæ conformis; omnia enim verba negatio comple-

ctitur modo exposito, quam etiam expositionem Augustinus probat. Reculit autem Iohannes hæc verba, vt incredulos in Christum terrore percutiat, & ad ipsum conuertat, docens sanari non posse, nisi deposita excœcatione, & obduratione, in Christum ex corde credant.

Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.

COMMENTARIVS.

Verba sunt hæc Euangelistæ. Relatiua autem illa *Eius, & Eo*, ad Christum referuntur, in quem Iudæi non credebant, cùm tanta signa fecisset, vt sit sensus; hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam Christi, & locutus est de Christo. Hoc factum fuit in illa magnifica, & illustri visione cap. 6. quando vidit Dominum sedentem in solio maiestatis suæ, & alia, quæ ibi referuntur. Gloriam appellat illam splendoris, & maiestatis speciem, diuinitatis quoddam exterius signum, quæ etiam ratione Moyses dictus est gloriam Dei vidisse. quibus verbis diuinitas Christi confirmatur. Interrogabit aliquis, quid Isaias tunc locutus est de Christo? Respondet Euthym. hoc esse, quod modò refert Ioannes, nempe excœcationem, & obdurationem Iudæorum futuram Christi aduentus tempore. Iterum interrogabis, quare Euangelista hæc adiunxit verba, nōne satis erat testimoniū Isaiæ adduxisse? Respondeo hoc factū, vt diuinitatem Christi testimonio eodē comprobaret, & eo infidelitatem Iudæorum magis cōinceret, & damnaret; simul etiā fideiū corda, ad legenda, quæ de eius morte, & passione iam iā narrare incipit, disponderet; Scādalum enim mortis eius tollitur, quando oculus mentis in eius diuinitate figitur.

ANNOTATIO XXIV.

De Trinitate in persona in visionibus veteris testamenti apparet.

Difficilis est controuersia inter antiquos Patres, an in visionibus illis veteris testamenti, quæ sub speciebus sensibilibus fiebant, Pater apparuerit. Hilarius enim lib. 5. de Trinitate tenet generaliter Filium semper apparuisse patribus, nunquam autem Patrem. consentit huic sententiæ Tertul. aduersus Praxeam. similiter Amb. Luc. 1. cap. de Angeli apparitione.

& ante eos Clemens lib. 5. Constitur. cap. 16. Contrariam partem tuetur Irenæ. li. 4. cap. 37. docens etiam Patrem apparuisse, & visum esse eadem etiam sentiunt Athanas. lib. de communi essentia Patris Filij & Spiritus sancti. & Basil. lib. 5. contr. Eunomi huius duo doctores etiam de hoc loco Isaiæ tractantes, Patrem visum dicunt sedentem in

folio; at quia Ioannes tribuit hoc filio, & Paulus Act. vlt. Spiritui Sancto, respondet Athana. lib. de incarna. Christi, id dictum esse, quia vna est vtriusque essentia, quod vna persona facit, facit altera, & qui videt Patrem, videt Filium. Cyril. autem lib. 3. in Ioan. cap. 19. & lib. 12. Thesau. cap. 2. & Ambr. lib. de Spiritu sancto cap. 23. tenent Filium apparuisse in hac visione Isaia, & Ambr. respōdet Patrē, & Spiritum sanctum dici visum ratione vnius essentia. Quod enim dicit Athanasius de filio, qui visus dicitur, quia vnius est essentia cum Patre, hoc Ambrosius respondet de Patre, qui visus dicitur ratione vnius essentia cum Filio; tamen speciem illam filij fuisse existimat, non Patris, vt Athanasius sentit.

*Autoris
sententia.*

Negandum non est probabile esse Patrum tantorum sententias; mihi tamen probabilius videtur Patrem esse etiam visum in veteri testamento, nec esse generaliter verum, filium semper apparuisse, non Patrem. Et vt omitam alia multa, illud vnum mihi multum persuadet. Deutero. 18. relatum à Moysē; quando enim Deus dedit legem, & sub ignis, & tonitruū specie apparuit, populo timente accedere, Deumq; per se audire detrectante, ac perente audire per tertiam personam loquentem, dixit Deus Moysi. Bene sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, ponam verba mea in ore eius, & qui non audierit, ego vltor existam. Hæc verba de Christo sunt, tunc incarnando, per quem nobis locutus est Deus verbum salutis; qui igitur loquebatur Pater est, qui hæc promissit, & qui salciatit eum mittendo; ipse etiam est, qui iudicat incredulos, restante ipso Domino Ioan. 8. Ego non quæro gloriam meam, est, qui quærat, & iudicet. quibus verbis significauit Patrem, à quo missus erat. Superius etiam Ioan. 5. iterum loquens de Patre dixit, Vocem eius non audistis, & speciem eius non vidistis, quæ de Patre esse intelligenda, cuius vocem audire timuerunt, in eorum expositione o-

A stendimus. Negari igitur vix potest, Patrem visum fuisse patribus sub specie aliqua sensibili.

Si autem de hac visione Isaia loquamur, existimo speciem illam, quæ in folio sedebat, non vnam solam personam, sed tres representasse, vt non imago Patris, aut Filij tantum, sed totius Trinitatis fuerit: sicut & Abraham tres vidit, & vnum adorauit. mihi que hoc persuadeo; Primum quia Seraphin, qui adstant, tribus acclamationibus utebantur; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, quod profectò indicat speciem illam totius Trinitatis fuisse. at quia vnus Deus est; idcirco in singulari loquitur; Vidi Dominum sedentem. Secundò, quia nisi fuisset imago totius Trinitatis, non esset ad Spiritum sanctum relata à Paulo, vt diximus: non enim responsio Athan. & Amb. satisfacit nempe ratione vnius essentia Trinitatis, imaginem modò vni,

C modò alteri tribui personæ; nam quamuis vnica sit essentia Trinitatis, nihil prohibet, imaginem vnius personæ, non alterius esse signum. columba enim illa in baptismo Christi Spiritum sanctum solum representabat, nec dicimus Patrem descendisse in specie columbæ, vel Filium, sed solum Spiritum sanctum ita in hac visione Isaia, nisi imago etiam Spiritum sanctum, & Filium representasset, nunquam Filio à Ioanne, Spiritui sancto à Paulo adscripta esset; at quia totius Trinitatis imago erat, hinc est, quod Ioannes ad Filium, Paulus ad Spiritum sanctum referunt. ibi enim visus est Filius, visus est Spiritus sanctus sub illa specie: ita autem visum dicit Ioannes Filium, vt non excludat Spiritum sanctum, similiter & Paulus filium non excludit, nec etiam Pater est excludendus, non tantum propter vnitatem essentia, vt Athanasius & Ambrosius sentiunt, sed etiam propter speciem ipsam, quæ tres personas representabat modo diuino, & ineffabili. Hæc satis sunt pro huius loci explanatione.

Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur.

COMMENTARIUS.

Post Iudæorum incredulitatem, qui, cum tanta Christus fecisset signa, non credebant, narratam, & testimonio Prophetæ conuictam; Aliorum fidem reprehendit, & est sensus; Non solum Iudæi, cum tanta signa fecisset, non credebant, sed multi etiam ex maioribus, & primoribus eorum credebant quidem, tamen non confitebantur metu Phariseorū, nec è Synagoga eijcerentur; illi in fide, hi in confessione defecerunt, quæ necessaria est ad salutem. Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Notanda est rabies Phariseorum contra Christum, quam etiam primi Iudæorum formidabant; erant enim in rebus ad religionem pertinentibus maximæ auctoritatis apud Iudæos, quibus sacerdotū Principes multum in his deferebant. Aduerte hos credidisse in Christum, quia ipsum verū Messiam existimabāt, vt verè erat; tamen reprehendi ab Euangelista, quia cū fide Dei charitatē non habebant, diligētes plus gloriā hominum, vt inferius dicitur, quod hæreticos nostri tem-

stri temporis conuincit, negantes fidem esse posse sine charitate; at hos Ioannes credidisse affirmat, dilexisse autem negat. Particula *Verūtamen*, aduersatiua est, & facit sensum hunc; quamuis maior pars Iudæorum non crediderit in eum, tamē aliqui crediderunt ex primis, sed hi adhuc imperfectè nimis, quia non confitebantur. Illa etiam particula *Et*, indicat etiam alios præter Principes credidisse, sed hi, & illi metu Phariseorum non confitebantur, & propterea dicebant Pharisei superius Ioan. 7. Nemo ex principibus credidit in eum; credebant quidem, sed occulta erat eorum fides, deficiente exteriori confessione præ metu, & ideo Pharisei ignorantes talem fidem, illos credidisse negarunt.

Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei.

Causam, cur non confiterentur, exprimit Euangelista; nempe quia prætulerunt magni fieri ab hominibus, potius quā à Deo, hoc est diligere magis gloriam hominum, quā gloriam Dei. Idem est sensus cum verbis illis superioribus, cap. 5. Accipitis gloriam ab inuicem, & gloriam, quæ solo Deo est, non quæritis. Gloriam hominum appellat claram notitiam, & honorificam opinionem, quam de aliquo homines habent, gloriam autem Dei existimationem etiam bonam, & magnā, quam habet Deus de homine, iuxta illud ad Rom. 4. Habet gloriam, sed non apud Deum. Isti autem principes plures fecerunt apud homines magnificari, quā apud Deum; cum enim se è Synagoga eijci, & contemni à suis timerent, si Christum confiterentur, noluerunt confiteri. Ita hunc locum exponit Aug. lib. 5. ciui. ca. 19. vbi ostendit Apostolos contrarium fecisse, qui pro nomine Iesu contumelias, iniurias, flagella, & mortem pati, & nihili ab hominibus fieri elegerunt.

Iesus autem clamauit, & dixit; qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

Rectè Euangelista hæc verba coniunxit superioribus, ostendens occasiōne incredulorum, & trepidantium ea Dominum protulisse; nihil enim eum latebat. Magnificat autem fidem, quæ in ipsum habenda erat, vt ex hoc incredulos terreat, grauitate infidelitatis eorum considerata; & trepidos roborat ad confessionem proposita excellentia fidei, idcirco clamat liberè, & palam loquens vel ipso clamore illorum metum, & occultam trepidationē arguens, & dicit: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, id est, qui mihi credit, ne existimet se homini soli fidem dare, sed simul Deo: non est humana fides, sed diuina illorum, qui in me credunt; credere enim mihi, credere etiam Deo est. Perpende ergo eius, qui non credit, à sensu contrario, infidelitatem non esse contra hominem solum, sed etiam cōtra Deum, timeat etiam non tantum incredulus, sed simul, qui occultat, & dissimulat fidem: non enim fidem humanam, sed diuinam celat, & occultat, reusque vterque efficitur contra Deum, tam qui non credit, quā qui credit, & non audet confiteri. Huiusmodi verba non sunt negationis absolutæ, sed vt sæpe iam diximus, exaggerationis cuiusdam in hunc sensum. *Qui credit in me, non tantum credit in me, sed etiam in eum, qui misit me*. Simile illud est Mar. 9. Qui me suscipit, non suscipit me, sed eum qui misit me, vt non hominis solius, sed etiam Dei hominem considerent, qui suscipiunt, & credunt. Quibus verbis, se non hominem tantum, sed simul Dei filium, à Patre missum testatur; idcirco qui in eum credit, credit in Patrem, qui misit eum. Ita exponit Ambr. lib. 5. de fide cap. 5. repellens vanam quorundam obiectionem dicentium, in Christum non esse credendum, quia dixit ipse; *Qui credit in me, non credit in me*; nec attendebant hoc dictum esse, vt non in solam humanitatem, quæ exterius appareret, sed simul in diuinitatem eius oculos mentis conuerterent.

Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

NE quis existimaret superiorem sententiam; *Qui credit in me, credit in eum qui misit me*, in eo sensu pronuntiatā esse, sicut dici solet; qui credit Prophetæ misso à Deo, credit in Deū, non tamen quod ipse Propheta sit Deus; addit; *Qui videt me, videt eum, qui misit me*, id est, non sum ego sicut Prophetæ à Deo missi; est enim in me ipsamet diuinitas Patris huic vnita humanitati, quia ego sum Filius eius, eandem cum eo habens Deitatem, & substantiam. Prophetæ quidem à Deo fuerant missi, sed in eis non erat diuinitas, sicut est in me. Qui ergo videt me, etiā Patrem videre dicitur, quia in me est eius substantia. Sensus est de visione corporali, non quod Deus oculo corporeo videatur immediatè, & per se, sed mediante humanitate, cui diuina substantia Patris, & Filij est vnita, vt in annotatione explicatur.

ANNOTATIO XXV.

Quomodo in Christo videri pater dicitur.

Verba hæc Christi, *qui videt me, videt Patrem*: possunt vera cenferi de visione corporali; qui enim videbat oculis corporeis Christum, Deum videbat; non quidem per se, & immediatè, quia Deus inuisibilis est, oculo corporeo, sed mediatè: Sicut dicimus nos videre substantias, medijs tamen accidentibus, & videre personas hominum, cum non nisi figuræ eorum nostris se oculis obijciant: ita videbatur Deus, sed per humanitatem vnitam diuinitati; & sicut Deus dicebatur pati, & crucifigi, quia humanitas crucifigebatur propter vniōnem: ita etiam eadem de causa, & ratione videbatur Deus, sicut etiam videbat, & loquebatur, & audiebat Deus: omnes enim hæc enun-
B tiationes veræ sunt, cumque eadem esset diuinitas Patris, qui videbat Christum, videbat Patrem ratione vnius diuinitatis, & hoc commune fuit credentibus, & non credentibus; quamuis qui credebant, nouerant se, dum videbant Christum simul videre Patrem & Deum; at qui non credebant, id non agnoscebant.

Huic expositioni repugnare videtur illud verbum Græcum, *ὁραῖν*, quod significat potius mentis visionem, & contemplationem; & sic interpretantur Chryl. hom. 68. & Euthymius, & Ambros. libr. 5. de fide cap. 5. & Aug. tract. 54. quamuis de visione, & contemplatione, quæ per fidem est, exponant, nempe, qui credit in Filium, credit in Patrem simul. Idem etiam sentit Origen. libr. 7. con. Celsum, & hom. 3. in Canti. vbi absurdum putat affirmare, qui videbant Christum oculo corporeo, posse dici

Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

COMMENTARIUS.

Cum dixisset se Patrem habere Deum eiusdem substantiæ, & vnius naturæ ab eoque esse missum; reddit causam quare sit missus, & cur, cum sit Dei filius, in mundum venerit. Et attende quàm sapienter, & artificiosè finē suis prædicationibus ad populum imponat; vltima primis coniungens, & totam rationem aduentus exponens. Ego, inquit, qui lux eram, in hunc veni mundum, vt illuminarem omnes, & in me crederent. Erant omnes quidem in tenebris mortis: Ego verè lux eram æterna sine principio, veni carne assumpta eripere ex his tenebris omnes, qui in me voluerint credere, nec alia via à tenebris vllus liberabitur, nisi per fidem in me: necesse enim est, præter credentes, omnes alios manere in tenebris. hic est sensus. Perpende verba, *Ego lux veni in mundum*, indicat lucem esse ante aduentum suum, non vt Prophetæ,

A videre Patrem; tamen non video, qua ratione id negari possit, modo enim aliquo, qui videbat Christum, Deum videbat, vti diximus, qui enim videbatur, Deus erat, ergo qui videbat eum, Deum videbat. Nec ista expositio de fide accommodari potest: Christus enim in illa visibili humanitate diuinitatem vnitam, & latentem significare volebat, seque non merū hominem, sed simul esse Deum; quod multo magis perfectè, & verè significatur, loquendo de visione corporali, vti diximus, qua, qui videt filium, videt & Patrem, quia vnius sunt substantiæ. Iam enim præcedentibus verbis dixerat de fide, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me*: nunc se consubstantialē significat Patri ex visione vtriusque inseparabili. Si igitur de fide exponamus, esset repetitio non probatio præcedentis sententiæ. Nec obstat verbum Græcum; positum enim est loco verbi *ὁραῖν*, quo vsus est Ioan. 14. Qui videt me Philippe, videt & Patrem meum: & consultò vtitur nunc hoc verbo *ὁραῖν*, vt significet, qui eum videt, vti debere mentis speculatione, & contemplatione, vt latentem agnoscat diuinitatem. Possent etiam hæc verba exponi de visione mentis, & intellectus clara, qualis est beatorum; qui enim videt clarè Christum, videt simul in eo Patrem, vt sit sensus; Si me apertè agnosceretis, & intueremini, videretis etiam Patrem; at quia de præsentī loquitur, & cum hominibus, Qui videt me, videt & Patrem, idcirco accommodatior est expositio prior.

phetæ, non vt Ioannes: non enim erant hi lux priusquam venirent in mundum, idcirco lux participata omnes fuerūt; at Christus lux vera erat sine principio, qui dignatus est venire: vt illuminaret eos qui sedebant in tenebris, & in vmbra mortis. Perpende iterum verbū, *Vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, igitur antequā crederet, etiam si sapientiam omnem mundi habuisset, in tenebris erat. Rursus, qui non credit, in tenebris manet, non tantū est, sed manet, quia sine fide, tenebræ hæc in æternū manebunt: nec enim alia est via, nec ratio eas fugandi, & lumen diuinum recipiendi, nisi fides in Christum, per quam ipsum Dei filium, & mundi Saluatorem credimus, & mandatis, ac verbis ipsius obedimus.

Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum, non enim veni, ut iudicem mundum, sed, ut saluificem mundum.

Prosequitur explicare sui aduentus rationem, & institutum, & terrēt non credentes in se, vt vel timore conuertantur. Et est sensus; Veni, vt credentes in me, in tenebris non maneat, qui verò nō credunt verbis meis, ego qui dē nunc non iudico eos, nec sententiam profero, vt condēnem eos, quia hic aduentus meus non est ad iudicandum, nec ad ferendū sententiā contra mundum, sed ad saluandū. Quibus verbis insinuat eos esse damnatione dignos; Nā dum causam assignat, cur non credentes non iudicentur, nempe quia nō venit nunc ad iudicandū, significat, si venisset, vti que eos iudicasset, & damnasset. Non ergo miremini, o Iudæi, nec dicatis in cordibus vestris, impunè non credimus tibi; quid enim mali habemus si non credimus? hoc non est, quod culpa, & quidem grauis desit; sed quod non venio nunc ad iudicandum. Non dicit, non iudicabo, sed non iudico de præsentī; dum tamen præsens tempus exprimit, tacitè se iudicaturum postea insinuat. In Græcis codicibus non habetur, *Custodierit*, sed crediderit, *Qui audierit verba mea, & non crediderit*, Sēsus tamen vnus & idem est.

Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum.

At ne sine iudicio manere non credentes existiment, adiungit; quamuis Ego non iudicem nunc, tamen qui me spernunt, nempe mea verba non recipientes, nec mihi fidem dantes, habent qui iudicet, etiam nunc in hoc meo aduentu: non ergo arbitrentur increduli se iudicium euasuros, quamuis ego nunc eos iudicare non venerim. Patrem hunc iudicem intelligit, de quo Ioan. 8. dixerat, Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. in memoriam reducit his verbis illud Patris verbum, & iudicium contra nō credentes Christo, Deuter. 18. Quicumque non audierit, ego vltor existam. Attende verbū, *Qui me spernit, & non accipit verba mea*: Hebraismus enim est, posterius est prioris declaratio; ille spernit, qui non accipit verba, & qui Christo fidem non dederunt, iniuria, & contemptu eum affecerūt, sed iudicium Dei omnipotentis non euaserūt: puniti enim sunt paulo post temporali, & spirituali pœna in hoc sæculo, & in futuro æterna: quando in captiuitatē & vastationem traditi sunt Romanis propter hoc peccatū, vt alijs in locis diximus.

ANNOTATIO XXVI.

Dvo sunt hoc in loco annotanda. Vnum, cōmunem fere expositorū sententiā esse, vt is, de quo nūc dicitur; *Habet qui iudicet eum*, sit sermo, de quo statim dicitur; *Sermo, quē locutus sum, iudicabit illū*; vt verba sequentia explicent hanc præsentem sententiam. Ita exponunt Chryl. hom. 68. & Aug. tract. 54. & Euthymius; tamen mihi non est visa expositio hæc legitima propter duo. Prius est, quia in his verbis, *Habet, qui*

iudicet, verbum iudicandi sumitur in eadem significatione, in qua sumptum est in illis verbis, *Ego non iudico eum*: Est enim sensus; Ego nunc non iudico, tamē habet, qui iudicet; ac si dicat; Ego iudex nūc nō sum, habet tamē iudicem; at sermo non est iudex, nec iudicare dicitur, sicut iudex, & sicut Deus, & Christus iudicāt; sermo autē iudicare dicitur, quia est argumentū iudicandi, & ratio, quæ eos dignos dānatione facit, sicut &

sicut & Regina Austri dicta est iudicatura. A Verba igitur quæ sequuntur, non pertinent ad hæc, quasi explicent ea. Alterum est, quia verbum hoc est de præsentia, Ego non iudico, sed habet iudicantem, nempe nunc in hoc seculo, & tempore huius aduentus; at *Sermo*, qui sequitur iudicaturus dicitur in nouissimo die, non igitur ad hæc verba illa referuntur, propterea expositio commentarij mihi probabilior apparet. Alterum annotandum est, quod miror neminem annotasse, Ambrosium libr. i. de pœnitent. cap. ii. illa verba, *Si quis audierit verba mea, & non custodierit*, legere affirmatiuè, *Si quis audierit verba mea, & custodierit ea, ego non iudico*. ita Nouatianus legebat, & Ambrosius talem probat lectionem, vt sit sensus; Si quis me audit, & credit, ego non iudico eum, sed potius saluo: quia non veni iudicare, sed saluare; & tunc est eadem sententia cum illa: Qui credit, non

Diversa le-
ctio Ambro-
sij.

iudicatur. Et fateor me valde suspicari hanc lectionem esse legitimam, quam sequens sententia confirmat; sequitur enim altera pars opposita: *Qui me spernit, & non accipit, habet qui iudicet*. prior igitur tota pars de credentibus erat, nempe qui audierit, & custodierit, non iudico eum: & tunc est integra illa sententia similis illi, *Qui credit non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est*. si autem prior pars esset de non credentibus, dicendum erat, *Qui audierit verba mea, & non custodierit, seu non crediderit ea, ego non iudico, quia non veni iudicare, habet tamen, qui iudicet eum, nec erat opus addere, qui me spernit, & non accipit verba mea* horum additio videtur antithesis superiorum, & proinde legenda sunt affirmatiuè; at quia communis lectio Græca, & Latina aliter habet, nos secuti sumus eam in commentario, tamen hoc annotasse non erit inutile.

Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

COMMENTARIUS.

TAcitè insinuat Dominus se venturum in nouissimo die, iudicaturum eos, vt annotat Aug. tract. 4. & est sensus. præter iudicium præsens, quod non credentes subibunt, habet aliud in nouissimo die. *Sermo*, inquit, *quem locutus sum, in nouissimo die iudicabit eos*, id est, eos dignos damnatione, & condensatione apertissimè demonstrabit: iuxta illud Ioannis 15. Si non venissem, & locutus eis fuisset; peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent. Hebraismus est, & supplenda particula coniungens, nempe. *Et sermo, quæ locutus sum: solent enim Hebræi illam aliquando prætermittere*. Hanc sententiam exponit Athan. orat. contra Arianos, quod ex Deo Deus est verbum.

Attende verbum iudicandi non in eadem significatione sumi, in qua prius: non enim sermo sententiam fert nec iudex est, sed ratio, & causa iustissima, & clarissima damnationis eorum. Hoc autem verbo insinuat Dominus aduentum suum secundum ad iudicandum in nouissimo die. Si enim sermo iudicabit eos in nouissimo die, id est, dignos manifestabit, & erit ratio, & causa iustæ damnationis: erit igitur qui tunc iudicet, & sententiam ferat, vt iudex. hic non erit alius, nisi cuius sermo eos iudicabit, vt ipse sit iudex, & sermo ipsius causa sit iustam ferendi contra eos sententiam damnationis, ac si diceret; *Qui non credit, nec verba mea accipit, ego non iudico nunc eum; tamen in nouissimo die iudicabo, & eisdem verbis, quibus non credidit, iudicabo, & damnabo eum; non tamen propter hoc nouissimum iudicium euadet præsens; nam etiam si ego non iudicem visibiliter vt homo, tamè Pater meus iudicabit, & damnabit in hoc etiam seculo incredulos Iudæos similiter in futuro*. Hic est huius contextus sensus, qua autem ratione sermo iudicaturus sit eos, explicant verba sequentia.

Quomodo ser-
mo Christi
iudicabit.

Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed, qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.

Causam dat vtriusq; sententiæ, nempe, *Qui non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, & sermo meus iudicabit eum*. Et est sensus, sermo meus non est hominis meri, sed Dei; nam quæ ego loquor, Patris sunt, & quæ mihi Pater mandauit, hæc locutus sum; qui igitur est incredulus sermoni meo, verbis Dei contradicit; Dei sermonem negat; idcirco Pater, & ipse sermo ab eis negatus, & spretus ipsos reos, & damnatione dignos efficient: & iudicabunt tãquam contemptores sermonis Dei, & verborum Patris incredulos. Attende hæc verba Christum proferre, tãquam hominè, & propterea dicit, se nihil locuturum esse, nisi

se, nisi quod Pater ei mandauit. A seipso loquitur, qui propria auctoritate loquitur, & non alterius; at Christus quæ loquebatur auctoritate Patris, & diuina loquebatur. Non dicit autem, qui misit me Deus, & mandatum dedit mihi Deus, sed Pater, vt se filium Dei significet, non solum hominem, quales Prophetæ erant, qui à se ipsis non loquebantur, sed quæ Deus, non quæ Pater mandabat eis. commemorat etiam hæc verbis, vt rectè Cyril. lib. 9. cap. i. annotauit, quæ Deuter. 18. narrantur, vbi dixit Deus; Loquetur quæcunq; mandauero ei, & ponam verba mea in ore eius, hoc nunc dicit Christus; Ecce ego à me non loquor, sed quæ mihi Pater mandauit, sicut promissum est: sermo igitur hic iudicabit incredulos, & inobedientes; superius cap. 10. latè discussimus, qua ratione Christus vt homo acceperit præceptum Patris.

Aduerte hoc argumētō sumpto ex qualitate sermonis vsū esse Paulum contra Iudæos, vt quam seuera Dei pœna sint puniendi exponeret, epistol. ad Hebr. cap. 10. dicens; Irritam quis faciens legem Moyſi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quāto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit. Attende etiam sermonem, qui dicitur eos damnaturus in nouissimo die, non esse intelligendum solum, sed confirmatum miris operibus; testantibus esse sermonem non meri hominis, sed filij Dei. Dices, quare dictum est, *Quid dicam, & quid loquar?* respondeo, plus esse dicere, quàm loqui; vt igitur Christus pondus sui sermonis exprimeret, dixit Patris esse totum, quod dicebat vsque ad minimam sententiam, seu verbum, quod hic loqui appellat. Euthym. existimat, vtrunque idem significare.

Quo argumēto
vsū sit
Paulum.

ANNOTATIO XXVII.

Responsio
Chrysoſtomi
non probatur.

Chrysoſt. hom. 68. particulam *quia*, non casualiter exponit, sed loco particulæ *quod*, vt sit declarans, non autem reddens causam, eritq; sensus; sermo, quem locutus sum, iudicabit eum, sermo nempe his verbis contentus (à me ipso non sum locutus, sed qui misit me, dedit mihi mandatum) sed difficile accommodatur verbis hæc expositio: Christus enim de ijs etiam omnibus loquebatur, quæ prius docuerat, & de tota sua prædicatione, ideo verbo præterito vsus est, *Non*, inquit, *à me ipso sum locutus*, & sic Athanasius loco citato in superiori commentario exponit, particula ergo *quia* causalis est, nempe sermo faciet illos dignos datione, quia erat filij Dei, & non hominis meri, & etiam erat ex præcepto Patris.

A quid loquar, & hoc hominis est; idcirco verbum hoc, *A me ipso non sum locutus*, exponendum est, vt loquatur, qua ratione homo est, dicitque; ego *Non sum à me ipso locutus*, quasi humana sola voluntate prædicauerim, quæ hæcenus dixi; sed à Patre est mihi totus meus sermo demandatus, & præceptus. At ne quis eum non esse locutum à seipso, tãquam Prophetam aliquem existimaret; idcirco dicit, *Pater dedit mihi*, quod nemo Prophetarum, aut cæterorum hominum dicere potuit, nimirum ego loquor quæ Pater mihi præcepit, quantumcunque ex Deo esset. His ergo verbis se filium Dei significat, sed non propterea quia dicit, *A me ipso non sum locutus*, sed propter verbum adiunctum, *Pater dedit mihi*. Insinuat etiam se Deum esse, quia vnum ex his, quæ locutus erat, fuit se esse Dei filium. Chrysoſt. hom. 68. *A me ipso non sum locutus*, exponit in hunc sensum; id est, non contraria prædicaui Deo sed consentientia; & mandatum de diuinitate exponit, interpretando consensum voluntatis, at quia cap. 10. hæc diffusè tractaui, & ostēdi Christum vt hominem habuisse Patris præceptum, idcirco nunc prætermitto.

ANNOTATIO XXIX.

Attendendum est illud, *A me ipso non sum locutus*, Ambrosium libr. 5. de fide cap. 5. exponere ratione diuinitatis dictum, quia filius est à Patre, non à se, consentit Augustinus tra. 54. ideo, inquit, à me non sum locutus, quia à me ipso non sum, & vera doctrina est. at quia sequitur, sed qui misit me, dedit mihi mandatum,

Et scio, quia mandatum eius vita æterna est.

COMMENTARIUS.

CONcludit causam damnationis, & iudicij. Sermo meus iudicabit eum, quia mandatum est, & præceptum Patris, & ego scio, quia mandatum eius vita æterna est. id est, in his seruandis quæ mandat, & quæ ego de mandato eius denūcio, posita est vita æterna, vt qui crediderit, & seruauerit ea vitam habeat æternam, qui verò non priuetur æterna vita, & mortem incurrat sempiternam. Mandatum vita æterna dicitur; id est, quæ Christo mandauit prædicari, causa sunt vite æternæ;


æternæ; quia credentibus & custodientibus illa, vita datur æterna: & non dicit; Mandatum eius vita æterna, sed, *ego scio mandatum eius vitam æternam esse*, ut sententiæ grauitatem augeat, eosque terreat testimonio hoc suo, *Ego scio*: simul etiam ut se à Patre distinctam personam significet; ipsi tamen æqualē, ut qui humilia dixerat, dum mandati meminit, sublimia loquatur, *Ego scio*. simul etiam illos impugnat, qui deceptorem eum appellabant.

Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

EX prædicta sententia infert, hæc etiam quæ modò loquitur esse verba Patris; Si enim generaliter à se ipso non est loquutus, sed quid dicat, & quid loquatur, de Patris habet mandato: hæc etiam, quæ nunc vltimò dicit, nempe se lucem esse, & sermonem suum illos in nouissimo die iudicaturum, & cætera quæ affirmavit, sunt etiam de eodem Patris mandato. hic est huius vltimæ sententiæ sensus.

FINIS PRIMI TOMI COMMENTARIORVM
IN EVANGELIVM IOANNIS.

COM-



COMMENTARIO
RVM DOCTORIS FRAN-
CISCI TOLETI, DE SOCIE-
TATE IESV, IN SACROSAN-
CTVM IOANNIS EV-
ANGELIVM

TOMVS SECVNDVS.

NEs res planè diuerfas vno volumine confunderemus, vltimum est opus totum in duos partiri tomos. agitur in priore (qui duodecim capita comprehendit) de ijs quæ in vita & prædicatione Domini contigere. agitur in secundo de ijs quæ ad Sacrosanctam eiusdem Domini Passionem, & Resurrectionem spectant: ideoque à decimotertio capite initium sumit posterior tomus; Cùm inde Sacer Euangelista ordiatur miranda illa, quæ Christus Dominus sub finem vitæ operari dignatus est.

CAPVT DECIMVM-
TERTIVM.



ANT E diem festum Pascha, sciens IESVS quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cæna facta, cum Diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, surripit à cæna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteam, præcinxit se. deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus; Domine tu mihi lauas pedes? Respondit IESVS, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus; Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei IESVS; Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis: sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua: & cum recubisset iterum, dixit eis; Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & domine: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hac scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elogerim. Sed ut adimpleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, prius quam

quàm fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cum hæc dixisset IESVS, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu IESV, quem diligebat IESVS. Innuuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicis? itaque cum recubisset ille suprapectus IESV, dixit ei: Domine, quis est? Respondit IESVS: ille est, cui ego intinctum panem porrexi. Et cum intinxisset panem, dedit iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, tum introiuit in eum Satanás. Et dicit ei IESVS: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei: Quidam enim putabant, quia oculos habebat iudas, quod dixisset ei IESVS: Eme ea quæ opus sunt nobis addiæ festum: aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit IESVS: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. Filio-li, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modò. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit IESVS: Quò ego vado, non potes me modò sequi sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponã.

Respondit ei IESVS: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico nõ tibi, cantabit gallus, donec ter me neges.

Ante diem festum Paschæ.

COMMENTARIUS.

Incipit Euangelista noster passionem & mortem Domini describere: quæ autem priusquã pateretur, egerit, & docuerit, enarrat. præmittit ergo tempus, quando hæc facta sunt, Ante, inquit, diem festum Paschæ, sensus est, pridie quàm pateretur Dominus: festo enim Paschæ passus est: ante hunc ergo diem, hæc, quæ modò narrantur, facta sunt: cum autem passus sit decima quinta lunæ, die sexta hebdomadæ; consequitur, quinta feria, decima quarta lunæ primi mensis anni, qui apud Iudæos Martius erat, hæc quæ describuntur à Ioanne, gesta esse. Cætera in annotationibus require.

ANNOTATIO I.

Diuersa lectiones in peioribus textibus

Quantum ad lectionem spectat, Græci autem nunc codices habent; Ante autem festum Paschæ; tamen vera lectio est Latina nostra, & antiquos Græcos codices ita legisse non est dubitandum: nam & Cyril. lib. 9. cap. 2. & Chrysof. hom. 69. Euthym. & inter Latinos Aug. tract. 51. legunt, Ante diem Paschæ. Cyril. Euthym. & August. legunt ante diem festum. Chrysof. nõ legit festum, sed ante diem autem Paschæ. Illud festum, non legit, sed credendum est, librum Chrysof. mendosum vicio Typographi: omnes tamen legunt, diem. Cyril. adhuc legit, Ante diem festum autem. Quamuis autem non legemus, diem, sed tantum, ante festum Paschæ, intelligendum esset, & supplendum illud nomen diem. Aliqui nostra tempestate mysterium excogitant in hoc, quod ante festum dictum sit, quia erat paulo ante festum, sed non pridie

pridie: nam festum incipiebat ad vespèram de cimæ quartæ lunæ, & hæc fuerunt eo die facta, sed ante vespèrum diei. Verum non habet fundamentum firmum hæc doctrina: nam antiqui Patres interpretantur omnes ante diem festum; nec cur ad has cõsiderationes, & distinctiones recurramus, cum veritas semper certa, & stabilis manet, etiam si dictum sit pridie, seu ante diem, vt paulo post aperiemus.

ANNOTATIO II.

Nomen Paschæ est Hebræum, vt notat Hieronymus Matthæi 26. à verbo פסח quod significat transire: inde est nomen פסח significans transitum. ex quo fit, nõ esse probandum etymologiam eorum, quorum ibidem meminit Hieron. affirmantium esse nomen Græcum, à verbo πασχω, quod significat patior. huic enim etymologiæ aduersatur scriptura: nam habemus Exod. 12. dictum Pascha à verbo Hebræo transeundi, vt paulo post dicemus. Attendendum tamen hoc nomen potius esse Chaldæum, sicut Græcè, & Latine profertur: nam פסח dicitur Hebraicè, id est, Phasè, at apud Chaldæos פסחא pischa, inde pascha. Quare autem dictum sit Pascha. id est, transitus, habemus Exodi 12. & docet Hierony. Matth. 26. ab Angelo exterminatore, qui in Aegypto occidit omnes primogenitos Aegyptiorum, per singulas domos discurrens: domos enim Iudæorum, quorum vncti erant postes sanguine agni pertransibat, nec quicquam damni inferebat. hic transitus dicitur Pascha, & celebritas huius mysterij, quæ in singulis recolabatur annis, dicebatur Pascha. Nec est in hac parte probandum, quod Augustinus tract. 55. dicit, hunc transitum esse maris rubri, quod sicco pede filij Israel pertransierunt: nam reuera Pascha non hunc transitum, sed illum priorem Angeli significat. idcirco agnus in celebritate ista immolabatur, representans liberationem illam primogenitorum ex Israel, per sanguinem Agni.

ANNOTATIO III.

Pascha, quæ nunc significat in scriptura.

Si attentè sacras scripturas consideremus, Pascha quatuor habet significationes. Primò significat agnum ipsum, qui occidebatur, & immolabatur: & hæc significatio est in veteri scriptura, & apud Euangelistas. 1. Eld. 6. Omnes mundi ad immolandum Pascha vniuersis filijs transmigratiõnis. 3. Eld. 1. Immolare Pascha, & sacrificia parate fratribus vestris, Matth. 26. Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Luc. 22. In qua necesse erat occidi Pascha. Secundò, Pascha significat celebritatem diei, in quo immolabatur agnus, qui erat decima quarta lunæ. in hac significatione dicitur Nume. 28. Decima quarta die mensis Phasè Domini est, & decima quinta solemnitas, & Luc. 22. Appropinquabat dies, festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Aduertendum

autem est aliud esse Pascha, seu diem Paschæ, aliud festum, seu diem festum Paschæ: Nam decima quarta dicebatur Pascha, tamen non dies festus Paschæ; sed dies decima quinta, vt patet ex verbis allegatis Num. 28. Decima quarta Phasè est: decima quinta solemnitas, & dicitur etiam nunc à Ioanne, ante diem festum Paschæ. Tertio significat Pascha totam solemnitatem, quæ incipiebat à decima quarta lunæ ad vespèram, & continuabatur per septem dies azymorum, quamuis primus dies qui erat decimus quintus, esset omnium celebrerrimus, quemadmodum & vltimus, vt habetur Num. 28. in hac significatione dicitur, Esdr. 1. fecit Iosias Pascha Hierosolymis, & iterum; Non est celebratum tale Phasè in Israel: Ioan. 2. Prope erat Pascha Iudæorum; Act. 12. Volens post Pascha producere eum populo. Quarto; quod est valde attendendum pro resolutione eorum, quæ dicenda sunt; Pascha significat etiam animalia, quæ offerebantur illis septem diebus Azymorum: nam præter agnum illum primum, & præter diem, quo immolabatur, etiam tempus totum septem dierum dicebatur Pascha; & similiter animalia quæ tunc immolabantur. In hac significatione habemus locum Deutero. Immolabis Phasè Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus. Ecce Phasè dicebatur victima ouium, & bouum, quæ illis diebus tunc fiebat: illis enim diebus magna animalium copia immolabatur, quæ non nisi à mundis comedebantur, vt patet Num. 28. Contra hanc tamen significationem obijciat forsitan aliquis, quia in Hebræo non legitur immolabis Phasè de ouibus, & bobus, sed immolabis Phasè ouem, & bouem, quasi sint tria, Pascha, oues, boues. Respondeo, sensum eundem facere, ac si dictum esset, immolabis Pascha de ouibus, & bobus. Vt enim peritissimi linguæ huius annotant, sæpe in Hebræo sermone, supplenda est particula ו argumentato est Chaldaica paraphrasis, quæ habet expressè, immolabis Pascha de ouibus, & bobus: & defectum præpositionis, insinuat defectus coniunctionis copulatiuæ: non enim dicitur, Immolabis Phasè, & ouem, sed Immolabis Phasè ouem, & bouem, vt Phasè ad ea, quæ sequuntur, referatur. præter hoc testimonium sunt etiam alia duo manifestiora 2. Paral. vbi habetur. Princeps domus Dei dederunt Sacerdotibus ad faciendum Pascha pecora commixta duo millia sexcenta, & boues trecetos: & in Hebræo est in plurali, Dederunt in Paschata, ecce boues dicebantur Paschata iterum ibidem dicitur, Dederunt leuitis ad celebrandum Pascha quinque millia pecorum, & boues quingentos. in Hebræo dicitur, in Paschata. Omnia ergo animalia, quæ illis offerebantur diebus, dicebantur etiam Pascha, & non solum agnus, quamuis ille esset præcipuum Pascha, propter quod cætera sic dicebantur. Aliqui graues Doctores azymos panes, Pascha appellari affirmant; sed quia non est locus in tota scriptura, in quo talis significatio

Pascha significat quando que animalia ipsi, quæ offerebantur.

Deutero. 16.

2. Paral. 35.

Pascha nunc quam pro panibus reperitur.

ficatio reperitur, omittimus; quia nunc, quæ ex scriptura habentur, referimus. Ad duas igitur significationes reduci possunt hæc quatuor: nam Pascha aut significat, id quod offerre- batur, siue agnus, siue animalia cætera; aut ce- lebritatem ipsam, siue primi diei, quando ag- nus immolabatur, siue omnium dierum, qui erant præter diem immolationis septem azy- morum.

ANNOTATIO IV.

Quomodo co- ueniant ver- ba Ioannis cum cætero- rum Euange- listarum te- xtu.

VT propius ad rem accedamus; soluenda est quædam difficilis dubitatio, & quæ multis occasio fuit errandi: Nam Ioannes tri- bus Euangelistis videtur contrarius: Cæteri enim primo die azymorum comedisse Pascha Christum affirmarunt; at Ioannes, ante diem festum Pasche, coenasse asserit: & dubio pro- cul de agno paschali loquitur: dies autem primus azymorum incipiebat decima quar- ta ad vesperam, durabatque tota decima quin- ta; si igitur ante diem festum, ergo ante pri- mum diem azymorum; at Euangelistæ ipso die primo azymorum docent comedisse pas- cha. Verba Matth. 26. sunt hæc: Prima die a- zymorum accesserunt discipuli ad Iesum di- centes: ubi vis paremus tibi comedere Pas- cha? Verba Marc. 14. sunt hæc: Primo die azymorum, quando pascha immola- bant, dicunt ei discipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Verba Lucæ 22. sunt ista: Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Pe- trum, & Ioannem. Concordant omnes pri- ma die azymorum agnum comedisse: qua igitur ratione dicit Ioannes, Ante diem festum Pasche? hic enim dies erat primus azymorum. Græci postquam in suum scisma lapsi sunt, etiam hunc suis erroribus addiderunt, tres Euange- listas errasse, & à Ioanne correctos esse, & e- mendatos. Non vident totam scripturæ veri- tatem labi, si vel minimum in ea admittatur mendacium, aut falsitas, vt rectè dicit Augu- stinus epistol. 19. ad Hieronymum. Vana est ergo, & indocta, ac blasphema in spiritum sanctum, qui locutus est per Apostolos, & Euangelistas, responsio ista. Certissimum est enim vera esse omnia, & consona, eundem- que in omnibus quamuis varijs verbis, con- tineri sensum.

Diversis ho- ris agni esum, & eiusdem immolatio fiebat.

Pro responsione igitur sunt duo potissimè consideranda, & pro intelligentia multorum memoriæ mandanda. Primum est distincta esse tempora immolationis agni, & esus ip- sius, non solum quia quo tempore immola- batur, comedi non poterat, quia præpari ne- cesse erat; sed quia comedendi, & immola- di tempus erat determinatum: nam deci- ma quarta lunæ ante solis occasum immola- batur, & comedebatur post occasum. Hoc Exo. 12. satis apertè colligitur, si vera hebreæ con- sideremus, nam dicitur; Immolabit multitu- do filiorum Israel ad vesperam; & postea di- citur; Edent carnes nocte illa; & paulò infe- rius; Quarta decima die ad vesperam come-

detis azima; quamuis in vtroque loco Latine, & Græcè sit eadem vox ad vesperam; tamen apud Hebræos est varia: nam agnus immolan- dus dicitur כֹּהֵנִים id est, inter duas vespere; Est enim nomen du- ale; at in eodem loco agnus dicitur comedē- dus nocte. & rursus ad vesperam, sed in singu- lari, פֶּסַח est autem magnum discrimen nam agnus immolabatur verè in deci- ma quarta lunæ, qui finem habet ad solis occa- sum: ab occasu enim solis iam incipiebat sole- nitas decimæ quintæ, & panes azymis; agnus igitur immolabatur ante solis occasum, & come- debatur post occasum; cum azymis enim come- dendus erat, quæ non comedebantur, nisi in- grediente decima quinta; propterea dicitur nocte, seu ad vesperam comedendus; at immo- landus, inter duas vespere. Habebant enim duplicem vesperem Hebræi, vt notant peritifi- simi illorum; vnus erat post occasum solis pro- pe noctem; alter erat post meridiem inclinan- te iam sole; quod etiam Latina Ecclesia seruat: nam tempus horarum post nonam vocat ves- peræ, & ab eo nuncupat horas vespertinas, tempus etiam complectorij appellat vespe- rom; Largire, inquit, clarum vespere; & Hispa- ni etiam post meridiem iam sole inclinante appellant, tarde. Erat igitur tempus inter du- plicem vesperam ante occasum, & post meri- diem, ferè quando nos celebramus vespere, quo tempore agnus immolabatur, postea præ- parabatur, & post occasum cum azymis come- debatur.

Duplex quæ hebraei vsper.

Alterum annotandus est, quamuis apud Iudæos solemnitates celebrarentur à vespere, id est, occasu solis, ad vesperam, id est, oc- casum sequentis diei, & idcirco à vespere, seu solis occasu decimæ quartæ inciperet prima dies Azymorum, quæ erat decima quinta lu- næ; tamen illa vespera aliquando computa- batur in annumeratione dierum cum sequen- ti, aliquando cum præcedente die: Cum enim esset inter duos dies, finis vnus, & initium alterius, modò ad vnum, modo ad alterum re- ferebatur. idcirco factum est, vt vesper deci- mæ quartæ, aliquando decimæ quartæ, ali- quando decimæ quintæ adnumeraretur. Habemus in scriptura ipsa veteri expres- sum exemplum Exodi 12. Primò, inquit, mense quartæ decimæ ad vesperam azyma co- medetis. Rursus; Immolabitis decima quarta die, & nocte illa comedetis; Ecce apertè, nox illa quartæ decimæ annumeratur, & dicitur quarta decima die azyma comedenda; Ite- rum dicitur; Septem diebus azyma comedetis in die primo non erit fermentum in do- mibus vestris; Ecce vespera, & nox illa, se- quenti diei annumeratur: nam vespera deci- mæ quartæ, non erat fermentum, sed azyma. Ex hac verissima doctrina, quam alijs etiam veteris instrumenti testimonijs confirmare possemus, sequitur concordia, & explicatio Euangelistarum in locis propositis: tamen Ioannes, quàm cæteri Euangelistæ, noctem, & vesperam illam, in qua agnus comede- batur, annumerarunt decimæ quartæ diei lunæ,

Euangelistæ vnum conce- dia.

CAPVT XIII.

lunæ, & decimam quintam appellarunt se- quentem diem. Idcirco decimam quartam dixerunt diem Azymorum, non quia in deci- ma quarta azyma comederentur, sed per Sy- necdochen, quia illa nocte erant azyma eden- da, ideo dixerunt diem azymorum: nam no- stem illam, & vesperam computabant pro decima quarta, quando Dominus misit disci- pulos, vt præpararent Pascha illo vespere co- medendum: Ioannes etiam dixit: Ante diem festum Pasche, nempe vespere decimæ quartæ, quem etiam computans cum decima quarta, dixit, ante diem festum, id est, decimum quintum: hic enim solemnissimus erat dies, & diceba- tur solemnitas Paschæ, vt patet Num. 28. non solum igitur Ioannes non est contrarius cæteri Euangelistis, sed nec diuersus, imò eadem dicit, & eundem diem significauit; nempe de- cimam quartam lunæ, tamen vesperam com- putauit cum decima quarta, sicut & cæteri Euangelistæ. Quod autem aliqui recentio- rum dicunt, dictum esse ante diem festum, quia paulo ante vesperam, quando incipie- bat decimus quintus dies, hoc factum est; nul- lo modo accommodari potest: nam Ioannes tractat, & describit tempus, quando lauit pe- des, & quando coenauit, & hoc factum esse nar- rat ante diem decimum quintum; at lotio, & coena erant post vesperam, & solis occasum. Vera solutio est, quam explicuimus, Est etiam altera responsio, non minus vera, & legitima pro D. Ioanne explicando, cuius inferius ca- pite vltimo mentionem facimus; nempe He- bræos vsu scripturæ sequentes, nunquam so- litos esse appellare dies, nisi, qui à nocte di- stinguantur; nec scriptura vnquam diem appel- lat, nisi eam temporis partem, quæ à nocte se- cernitur, noctes autem annectit diebus sequen- tibus. Ioannes igitur quando Ante diem festum di- xit, diem non intellexit ab occasu solis, sed ab ortu; quamuis igitur solemnitas festi ab occasu inciperet, tamen dies ab ortu initium suum habebat. Ante diem ergo festum Pasche, fuit nox illa præcedens inter decimam quartam, & decimam quintam diem: cæteri Euange- listæ diem primum azymorum appellarunt, de- cimam quartam, quia in ea conficiebantur a- zyma comedenda nocte sequenti; à præparan- dis igitur azymis decima quarta dies dicta est, prima azymorum, & hac ratione verum habent verba Marci & Luc. Prima die azymo- rum, in qua necesse erat occidi Pascha. Pas- cha autem non occidebatur, nisi decima quar- ta ante solis occasum. ipsam ergo decimam quartam diem azymorum appellarunt, nem- pe ab azymis præparandis, & quia forsitan mul- ti tunc comedebant azyma, ante tempus præ- ceptum: non enim id prohibitum erat. hoc ita esse testimonio Iosephi confirmo, qui lib. 2. de Antiqui. cap. 5. refert Iudæos vocasse dies azymorum octo, hoc autem esse non poterat, nisi etiam decima quarta appellaretur dies azymorum, non quod tunc ex præcepto co- mederentur azyma; nam decimus quintus erat primus, cuius solemnitas erat ab oc- casu præcedentis diei, sed quia decima quar-

Ioannis tex- tu aliter ex- plicauit.

ra conficiebantur, & comedebantur à mul- tis.

ANNOTATIO V.

His velut præambulis quibusdam suppo- sitis, grauissima difficultas occurrit, quo- ta luna Christus Dominus immolauerit ag- nus fecerit Phase, & passus fue- rit. Si enim hoc non discu- timus, locus iste Ioannis nondum manet per- fectè explicatus. quamuis autem antiqui, ac recentiores plurima scripserint, & nos etiam dum materiam de Eucharistia publicè lege- remus, multa proposuerimus; non tamen si- lentio nunc rem istam præterire vtile iudica- uimus. ad cæteros Euangelistas, & ad intelligen- tiam multorum, quæ dicenda sunt, hæc dif- ficultas necessaria est. prætermisissis igitur mul- tis, ea quæ ad præsens institutum necessaria sunt, proponemus. Aduertendum igitur est, præcepisse Deum Iudæis Exod. 12. vt anni ini- tium ab eo mense caperent, quo educti sunt de Aegypto, qui mensis fuit Martius: præce- pit etiam, vt decima quarta die mensis huius, secundum dies lunares (Iudæi enim diebus hisce suos menses computabant) ad vesperam agnum immolarent in memoriam beneficij tanti, quod à Domino acceperunt; liberatio- nis à seruitute Aegyptiaca; decima quinta au- tem die vsque ad vigesimam primam, qui sunt septem dies, azymis vescerentur; dice- banturque dies azymorum, per singulos- que dies certa quædam sacrificia immolarent; quorum septem dierum primus, & vltimus e- rant maximè solemnes: incipiebat autem Azy- morum festiuitas à vespere præcedentis diei, nempe decimæ quartæ, quando agnus comede- batur cum azymis. Hæc omnia trita sunt, nec est qui ignoret. certum etiam est, & sine contro- uersia, Christum quinta die septimanæ, qui di- citur dies Iouis ad vesperam agnum comedisse Paschalem, sequenti autem die, quæ erat feria sexta passum, & mortuum.

Quota luna Dominus Iesus fecerit Phase, & passus fue- rit.

Septem die- bus azymo- rum immola- bantur ani- malia.

An Christus Pascha cele- britatem an- ticipauerit; referuntur quatuor sen- tentiæ.

Difficultas tamen & controuersia est, an illa feria quinta, quando agnum comedit, fue- rit tunc decima quarta lunæ, & quando pas- sus est, fuerit decima quinta. In qua contro- uersia sunt quatuor sententiæ diuersæ. Prima est Euthymij Mart. 26. asserentis illum diem, quando Dominus celebravit Pascha, fuisse de- cimam tertiam lunæ, & passum decima quar- ta, quando secundum legem celebrabatur Pas- cha, & Iudæi omnes agnum immolabant, Christus enim anticipauit vno die Paschæ ce- lebritatem, & passus est, quando verè agnus Paschæ à Iudæis immolabatur, secundum le- gem. quæ sententia videtur Cyrilli lib. 12. in Ioan. cap. 2. & eam hodie Græci defendunt contra Latinam Ecclesiam à multo iam tem- pore, vt constat ex Nicephoro lib. 1. cap. 28. Se- cunda sententia est nostro seculo quorundam, qui Christum quidem comedisse Pascha decima quarta, & passum decima quinta die lunæ affirmant; Iudæos tamen celebrasse tunc Pascham, quando Christus celebravit, negant; sed transitulisse asserunt ad decimæ quintæ

Secunda opi- nio: quod Iu- dai transu- lerin: festum Paschæ.

Iudæorum observatio circa primam diem mensis Martij.

vesperam, quando mortuus est Christus: & qui dem re vera Christus decima quinta die passus est; tamen Iudæi illam diem computabant pro decima quarta. In cuius sententiæ explanationem attendenda est Iudæorum observatio, quam nunc etiam habent; quando enim dies prima lunæ primi mensis incipit feria secunda, quarta, aut sexta, tunc non incipiunt numerare ab illa die, sed à sequenti; & illo anno prima dies mensis aliter computatur secundum numerum verum cursus lunaris, aliter secundum observantiam Iudæorum: causa autem cur sic dies commutentur hæc est; ne duo festa simul consequantur, in quibus nihil operari licet. esset enim valde onerosum, duobus diebus continuè ab omni opere servili, & itinere vacare. Si autem novilunium Martij, seu prima dies esset feria secunda, tunc festum Expiationis, quod est decima Septembris, celebrandum esset die Veneris, essentque duo festa successivè, dies nempe Veneris, & Sabbati: si autem prima Martij esset feria quarta, idem festum Expiationis esset die Dominica, & sic Sabbatum, & Dominica essent observanda: si autem prima dies esset feria sexta, tunc Scenopægia, quod erat festum Tabernaculorum decima quinta Septembris, celebraretur in Dominica, essentque simul Sabbatum, & Dominica: eadem ratione, si feria sexta esset prima Martij, tunc prima dies Azymorum esset dies Veneris, quæ erat decima quinta, tunc autem essent duo coniuncta festa, dies Veneris, & Sabbati. Dicunt igitur isti, quando Christus passus est, tunc novilunium fuisse feria sexta, idcirco Iudæi transtulerant in sequentem; unde factum est, ut dies Iouis fuerit vere decima quarta, & dies Veneris, quando passus est, decima quinta; tamen propter translationem non reputabatur, quando Christus passus est, nisi decima quarta, & quando comedit agnum decima tertia. Christus autem voluit comedere agnum secundum verum tempus à lege præscriptum, non secundum Iudæorum traditionem, quam Iudæi nunc observant. Hæc sententia multum à prima differt; huius enim assertores affirmant, Christum verè decima quarta celebrasse Pascha secundum legem, & decima quinta mortuum; Iudæos verò propter translationem prædictam, festa commutasse; at qui primam defendunt sententiam, asserunt decima tertia verè die à novilunio comedisse agnum, & passum decima quarta. Tertia sententia est, Christum agnum comedisse decima quarta, & passum decima quinta, & tunc etiam Iudæos agnum comedere solitos, quando Christus comedit; tamen illo tempore, quia occupati erant morti, & neci Christi procurandæ distulisse esum, & celebritatem agni in decimam quintam; non tamen quod sic facere soliti essent. Huius sententiæ meminit Theophylactus Ioan. 18. in illud verbum: Non introierunt prætorium, ne contaminarentur, ut possent comedere Pascha: & aliqui eam Chrysofostomo hom. 33. in Ioan. tribuunt, sed eius

Tertia opinio: quod Iudæi distulissent esum agni.

verba non apertè id indicant. Quarta sententia est communis, nempe verè decima quarta die Christum agnum comedisse, & tunc etiam Iudæos celebrasse Pascha, quam sententiam tenet Hiero. Matth. 26. & Aug. Epist. 86. ad Cassulanum. Ansel. epist. de fermentato, & multi graues antiqui, & recentiores doctores, eam sequuntur. ista que est vera, & legitima, adeoque firma, ut mirum sit aliquos in contrarias diuertisse sententias. Tres igitur sententiæ priores in vno conveniunt, nempe Christum non edisse agnum, nec peregrinasse Pascha, quando Iudæi celebraverunt, sed eos prævenisse. est tamen diuersitas; nam Græci prævenisse affirmant, quia comedit decima tertia; recentiores verò, quia Iudæi illo anno propter traditionem Pascha in decimam quintam transtulerant, Christum tamen dicunt non usum translatione, sed comedisse decima quarta. Tertia verò sententiæ auctores, quia Iudæi etiam observabant ritum eundem, sed propter necem Christi in decimam quintam distulerant. Fundamenta harum sententiarum eadem fere sunt, quæ paulò post referemus & refellemus.

Pro veritate igitur stabilienda, sunt aliquot confirmandæ responsiones. Prima est, Christus dominus non prævenit celebrationis tempus, secundum legem statutum, ita, ut agnum decima tertia lunæ comederit. hæc responsio certissima est, omnesque Catholici rejiciunt sententiam Græcorum, confirmatur autem a superioribus quatuor annotationibus produximus Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. omnes affirmant die azymorum, quando occidi necesse erat Pascha, & quando immolabant Pascha dominum mississe discipulos, ut præpararent sibi Pascha; igitur Christus non prævenit tempus. Affirmare autem Evangelistas illos deceptos esse, error est Christianis indignus. Sunt argumenta multa ad hanc responsionem confirmandam; at ubi expressa est scripturæ auctoritas, non est cur tempus in ijs, quæ non sunt necessaria, conteramus. Secunda responsio, quando Christus celebravit Pascha, etiam reliqui omnes celebraverunt, nempe decima quarta lunæ ad vesperam. Ista est contra secundæ opinionis translationem: miror autem Catholicos hos doctores Iudæorum nostri temporis, fabulis fidem adhibuisse, scripturæ testimonijs non consideratis, aut violentis expositionibus adhibitis. dicitur enim Matt. 26. Primo die azymorum, quando necesse erat occidi Pascha, quid est quando necesse erat occidi Pascha, nisi quando observandum erat ab omnibus, & ne respondeat aliquis, necesse erat, at Iudæi non id faciebant: fateri ergo necesse est, omnes illos peccasse, & translationem esse contra legem, quod profectò illi ritibus hifce deditissimi nunquam commisissent. Sed his omissis, audiamus Marc. 14. explicantem; Die azymorum, quando immolabant Pascha; verbum hoc immolantium, & servantium legem est. tunc ergo, quando ceteri immolabant, celebravit etiam Christus. Audiamus ite-

Quarta opinio: vera sententia decima.

Et Christum & Iudæos celebrari Pascha die à lege statuta.

Iudæorum traditio salutaris cognoscitur ex Iosepho.

Convincitur etiam auctoritate Rabbinorum.

rum Lucam; Appropinquavit dies azymorum, qui dicitur Pascha; si translatio talis erat, dies ille non dicebatur Pascha. Talis igitur sententia pugnat profectò cum scripturæ testimonijs. Confirmo adhuc; discipuli accedunt, & dicunt; Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? Dominus autem mittit illos ad quendam cui dicerent; Apud te facio Pascha: non utique discipuli accessissent ad eum, nec mitteret ad aliquem cum tali nuntio, nisi quia tunc omnes celebrabant Pascha. Necesse profectò est, ut hoc solvant argumentum, qui tenent hanc translationem. fingunt multa facta fuisse, quæ Evangelistæ non narrant, sed præterquam quòd hæc ab ipsis confingantur, & sine auctoritate dicantur, his verbis Evangelistarum nunquam accommodabuntur. Opponent nobis Iudæorum hoc tempore observationem, respondebunt; id modo affirmare Iudæos se antiquissima traditione hanc consuetudinem accipere. Vana est responsio profectò; Iudæos perfidos, mendaces, & qui nihil fere legis oblerent, accersere in testimonium tantæ veritatis, ubi expressa testimonia scripturæ clamant in contrarium.

At ut Iudæos ipsos mendacij conuincamus, audiamus Iosephum digniorem fide omnibus ipsis: qui libr. 13. Antiq. capi. 16. habet hæc verba. Antiochus erecto trophæo ad Lycum fluuium, ubi Indatem Parthorum ducem profligauerat, hæc sibi per biduum ad preces Hyrcani Iudæi, quod in id tempus forte quædam Iudæorum festiuitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere. Et verum est, quod ille scripsit: nam pentecoste instabat post Sabbatum, quo tempore nostris iter facere nefas habebatur. Hæc Iosephus. Vide aperte duo festa simul Sabbatum, & Pentecosten observari, & necesse est, si Sabbatum, & Pentecoste simul occurrerunt, etiam Pascha, & Sabbatum fuisse coniuncta. Falsa igitur recentiorum Iudæorum est traditio, & huius sententiæ fundamentum. At, ut etiam testimonio ipsorum met Iudæorum perfidorum nostram veritatem comprobemus, constat apertè ante non nullos annos talem translationem in eis ipsos non fuisse, sed simul celebratum Pascha feria sexta, & postea Sabbatum, & manipulum mississe vespere feriæ sextæ etiam Sabbato incipiente. Rabbi Isaac Arama auctor libri Achidach Isaac; id est, ligationis Isaac, vir maxime apud Hebræos auctoritatis, super illud Leui. 23. Cum veneritis in terram, quam ego do vobis, & messueritis, & cætera, habet hæc verba; Impossibile est colligere, & demerere manipulum, nisi nocte decima sexta lunæ, sicut scriptum est in libro Menahoth; id est, oblationum farinacearum in hanc sententiam. quomodo igitur si delegati senatus egrediuntur post vesperam diei festi, & colligunt manipulum demetiendum prope radices, ut facilius demeti possit; ciuitates proximæ congregantur; ut maior præcepti merces sit; postquam tenebræ factæ sunt, metens dicit astantibus; occubuit

ne sol? idque tribus vicibus, quibus respondentibus occubuisse, iterum per tres vices interrogat, an illa falx, & area sit in hunc vsurum destinata? respondentque rem ita se habere; quod si fuerit Sabbatum, interrogat eos, est ne Sabbatum? Est; inquit. Metamne? addit ille, Mete respondent; & omnia hæc tribus interrogationibus absoluuntur. hæc iste. Est autem liber Menahoth pars talmud multis annis post Christum composita, ubi vides Iudæos ante aliquot annos talem non habuisse translationem, sed celebrasse Sabbatum immediatè post primam diem Azymorum, in cuius vespere metebatur manipulus. Adde adhuc contra fundamentum istorum. ipsi enim tribus diebus transferunt, feria secunda, quarta, & sexta, sed necesse erat etiam transferre primam feriam, quæ dominica est: nam si novilunium esset prima feria, seu dominica, necesse erat duo festa simul Sabbatum, & primum Azymorum agi. parum enim refert, ut vnus altero prior sit. tam enim difficilis esset obseruantia diei primi Azymorum, & Sabbati, quam Sabbati, & primi dierum Azymorum, siue præcedat, siue sequatur, ut ipsemet de festo expiationis dicunt. Adde rursus ipsos supponere ab omni opere Iudæos vacasse in die prima azymorum, quod falsum est: nam Exod. 12. expressè dicitur, licere cibos parare in die azymorum prima. Vana ergo est translatio Iudæorum nostri temporis, nec oblationes nec sacrificia habentium, à paucis retro annis, conficta: nec sententia, quæ illi innititur, est probanda, maxime cum Euangelium, ut ostendimus, tam expressum sit in contraria sententia.

Tertia responsio; Iudæi non distulerunt celebrationem Paschæ illo anno propter necem Christi; hæc est contra tertiam sententiam, quæ tolerabilior est duabus prioribus; sed tamen falsa est, & sine fundamento: non enim ausi fuissent Pharisei illi, qui legem exactissimè profitebantur, astantibus tunc ex omni parte Iudæis, contra præceptum expressum Dei quicquam agere: non enim Christo opponere etiam fingendo, & mentièdo potuerunt tantam transgressionem, quanta illa esset, Deo expressè præcipiente, ut nocte, & die illa immolaretur, & comederetur, pascha. Quarta responsio est; Dominus agnum comedit decima quarta ad vesperam, quando omnes Iudæi comederunt; & passus est decima quinta die feria sexta. Hæc ex aliarum sententiarum expugnatione liquida, & certa manet, quam Ecclesia Latina seruat, & Evangelistæ docent. omnes aliæ sententiæ non alio fundamento sustentantur, nisi quibusdam locis scripturæ, quæ solui non posse visa sunt, nisi secundum eorum proprias sententias; at veram & legitimam eorum solutionem nos adferemus, ut omni ex parte veritatis inconcussa maneat.

Primus locus est hic Ioannis, Ante primum diem scripturæ festæ Paschæ, cum igitur festus dies inciperet à ca, que cum vespera præcedentis, consequitur pridie quæ Iudæi celebrarent, Christum celebrasse. hoc Iudæi celebrarent, Christum celebrasse. hoc Græci vtuntur argumento, & qui festum videntur.

Iudæi non distulerunt Paschæ festum.

Explicatur primus locus est hic Ioannis, Ante primum diem scripturæ festæ Paschæ, cum igitur festus dies inciperet à ca, que cum vespera præcedentis, consequitur pridie quæ Iudæi celebrarent, Christum celebrasse. hoc Iudæi celebrarent, Christum celebrasse. hoc Græci vtuntur argumento, & qui festum videntur.

transferunt; illi anticipasse Christum, isti, Iudæos postposuisse, affirmant. Sed quam fallax sit hæc coniectura, & argumentatio in annotatione quarta præcedenti demonstrauimus, ibique ostendimus Ioanem uesperam decimæ quartæ adnumerasse ipsi decimæ quartæ diei, vt ex scriptura veteri probauimus, idcirco ante diem festum dixisse, nempe ante decimam quintam, quando etiam Iudæi obseruabant. similiter, & diem festum Ioannes dicit. quamuis enim festiuitas ab occasu præcedenti inciperet, tamen dies ab ortu numerabatur: diem enim à noctu secernunt Hebræi, vt diximus in eadem annotatione quarta. Alter locus est eiusdem Ioannis. *Ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, vt possent comedere Pascha;* nondum igitur Iudæi Pascha manducauerunt. Hoc argumentum fortissimum apparet. tamen procedit, quia existimant hi Doctores, Pascha hoc loco significare agnum Paschalem, vt solet in alijs locis significare: at non ita est, sed significat sacrificia, & hostias, quæ diebus Azymis offerre Deus iussit; quæ Pascha appellari constat Deutero. 16. & 2. Paralipo. capit. 25. vt ostendimus in annotatione tertia. Aliqui ad azyma referunt, tamen quia in scriptura non legimus azyma appellari Pascha, neque necessariam mundiciem ad vescendum solis azymis, verior est doctrina, & responsio data, nempe significare hostias, & victimas, quæ illis diebus offerebantur, quibus vesci non licebat nisi mundis, vt constat Exod. 12. & Numero, 28. & mihi hanc responsionem visus est Chrysostom. h. 82. significasse, dicens, Pascha hoc loco, totam celebritatem significare, quod intelligendum est de huiusmodi sacrificijs. Tertius locus est eiusdem Ioannis: *Erat autem parasceue Pasche.* Si igitur erat parasceue Pasche, quando Christus crucifixus est, igitur nondum erat celebratum Pascha: nam parasceue præparationem significat. Hoc argumentum debile valde est: non enim dicitur parasceue Pasche, quia erat parasceue ad ipsum Pascha; sed quia erat Sabbati parasceue, & simul erat vnus ex diebus Pasche. Nullius enim festi in tota scriptura dicitur parasceue, nisi Sabbati, quia in solo Sabbato non licebat præparare, quæ ad esum necessaria erant; proptereaque feria sexta præparabantur, & idcirco Parasceue dicta est. In die autem Azymorum primo, non erat talis prohibitio, imò expressa concessio. Exod. 12. non erat igitur parasceue ipsius Pasche, quasi præparatorius ad Pascha, sed quia erat vnus ex diebus illis Pasche, & simul præparatorius Sabbati, quod satis aperte indicat Marcus cap. 15. Et cum iam, inquit, serò esset factum, quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum, venit Ioseph, &c. non erat igitur Parasceue Pasche, sed Sabbati. Quartus locus est, eiusdem Ioannis, *Erat enim magnum dies ille Sabbati;* igitur in Sabbato illo erat Pascha, & prima dies Azymorum; propterea enim dici videtur magnus dies Sabbati. Non video profectò huius argumenti efficaciam: nam dies septem erant

Azymorum, & quia vnus concurrebat cum Sabbato, ideo illud Sabbatum dicebatur magnum, quia præter celebritatem Sabbati conuetam, adiungebatur celebritas azymorum; quod autem tunc esset primus dies Azymorum, non inde infertur. Quintus locus est Luc. Mulieres reuertentes mortuo Domino, parauerunt aromata, & vnguenta, igitur tunc non erat prima dies azymorum: in festo enim hæc non licebat facere. Nec hic locus conuincit: nam Lucas dicit reuertentes parasse aromata, at non dicit, tunc quando reuertuntur parasse; sed vsus est quadam anticipatio, vt solent Euangelistæ. nam subiunxit quæ parauerint. & ne gratis hæc dicere alicui videamur, audiat Marcus capit. 16. dicentem; Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Non ergo præparauerunt in parasceue, seu feria sexta, si Sabbato transacto emerunt partem aromaticum; omnia enim prius emerunt, & postea parauerunt. Sextus locus est Ioannis dicens Ioseph, & Nicodemum aromata attulisse, & corpus vnxisse, & deposuisse de cruce, & sepulturæ tradidisse. hæc non facerent, cum iusti essent, si dies prima azymorum esset. Inefficax est argumentum hoc, quando ex ipso Ioanne solutio manifesta est. Vt non, inquit, remanerent corpora Sabbato; Erat enim magnus dies ille Sabbati; insinuat ergo zelo religionis id esse factum, & hoc non propter festum azymorum, sed propter Sabbatum. His accedat in Deuteronomio esse diuinum præceptum expressum, ne corpora remanerent in patibulo, sed eadem die sepelirentur; non ergo contra religionem, sed pro religione vi debantur hi viri iusti agere, etiam si in prima die azymorum deposuerint. Adde in festis diebus licuisse sepelire propter necessitatem; habemus exemplum Tobie 2. qui cum esset dies festus, & annuntiatum esset ei cadaver iacere in foro, surrexit, & sepeliuit etiam in festo. quæ enim opera pietatis differri non poterant, non prohibebantur; quia & asinus si in foueam cadebat, continuò extrahebatur, etiam Sabbato ne periret. Cum igitur non debuisset corpus manere in cruce, iuste sepulturæ traditum est, etiam in festo, sicut etiam Iudæi latrones crucifixos sepulturæ tradiderunt: non enim, vt canes super terram proieciabantur. Vltimus locus est ex diuersis Euangelistis narratis facta Iudæorum; nam comprehenderunt, acularunt, & alia omnia fecerunt, quæ, si dies festus fuisset, non fecissent. Hoc argumentum conscientiam Iudæorum videtur defendere, tamen qui innocentem, & sanctum occidere non timuerunt, non est mirum si & hæc, quæ illis pia visa sunt, neglexerunt. Adde, festum Encaniorum erat etiam solemnissimum, & nouissimus dies tabernaculorum, & tamen eum lapidare, & comprehendere voluerunt Iudæi, vt constat Ioann. 7. & 10. Adde etiam aliquem præ-

textum hos habuisse, seu finxisse: nam crimina aliqua grauiora, maximè quæ erant contra Dei honorem, statim puniebantur. Exod. 22. Maleficos non patieris viuere. Numeris cum essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in Sabbato, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, quem Dominus lapidare iussit; ita prætexentes Dei honorem, & legis defensionem, non timuerunt hæc in festo facere, maximè cum per Romanos occidendus esset. Adde adhuc non defuisse inter eos, qui id obijcerent, non propter conscientiam, sed propter timorem populi: Matthæi 26. dicebant aliqui; Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Erat ergo dies festus, in quo occiderunt, & hæc fecerunt; quamuis autem timuerint populum, rabies tamen, & odium omnia impedimenta superauit. Tandem obijciunt, quia

cum agnus fuisset figura, tunc debuit mori, & pati Christus, quando agnus offerebatur. Hoc etiam non conuincit: nam quamuis non fuerit occisus decima quarta, fuit tamen comprehensus, ligatus, sanguinem sudauit, & pati incepit, ac quodam modo mori. Merito etiam tempus figuræ protraxit, significans figuram finem habituram: veritatem autem supra figuram ipsam permanuram, & duraturam: nouamque legem venturam, nempe Euangelium, cuius festum, & agnus immolabatur, non in die Iudaico, sed nouo. Vt ergo impleteret illud, incepit tunc, sed non consummauit propter hanc noui mysterij significationem. Ex his omnibus certè, & firma manet vetus, & communis sententia explosis contrarijs, & locus Ioannis propofitus explanatus videtur.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.

COMMENTARIVS.

Præmittit Euangelista Iesum sciuisse horam passionis, & mortis suæ iam imminentis, tum, ne eorum aliquid, quæ narranda erant de morte, & passione, ei ignoranti, & non consideranti accidisse aliquis existimaret, quod esse non potuit, cum omnia diuina eius prouidentia fuerint disposita; tum, vt amorem Christi erga suos maximè commendaret, qui cum ad Patrem properaret, tamque acerba, & crudelis morsei immineret, non solum eos amare non destitit, sed maiora dilectionis erga illos exhibuit argumenta; tum demum, vt, quæ de lotionepedum, & de Eucharistiæ institutione, & de insignis doctrinæ sermone gesta sunt, diuina quadam ordinatione, & mysterio, non casu, aut inopinato in hanc horam esse ab eo reseruata, manifestaret. Verba perpendamus. Sciebat venisse horam, & non quando venit hora, tunc primò sciuit; sed ab instanti suæ incarnationis sciebat horam hanc. Hora est, prout nunc aduentasse dicitur, non scientia, quæ antiqua erat. Hora eius, dicitur, quia disposita est ab eo, non fatali aliqua necessitate imposita, erat, eius, secundum potestatem, non secundum necessitatem. Erat autem hora, vt transeat, mortem transitum appellat, quia ab vno termino ad alterum recedebat, manens semper eadem persona, quæ filius Dei erat. Alludit autem ad verbi Hebræi similitudinem: sunt enim eiusdem verbi etymologia Pascha, & transiret: ac si latinè diceret, Ante diem festum transitus, sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat: ipse enim Pascha nostrum immolatus est, vt nos simul transire faciat. Optimus igitur terminus transitus huius est, ex hoc mundo ad Patrem; ex hoc mundo vbi miseria est, ad Patrem, vbi summa est beatitudo. Dicitur autem transire ex hoc mundo, non quod inuisibiliter mundo per prouidentiam adesse desistat, non quod etiam nobiscum in Sacramento non maneat: Matth. 28. dicitur, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi; sed quod ab hac mortalitate, & corruptione, & ab hominum oculis, & sensibus remotibus, in cœlis immortalis & pati nescius secundum humanitatem regnaturus proficiatur.

Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Sensus est, cum horam quam sibi ad patiendum, mortemque pro hominibus subeundam elegerat, aduentasse sciret, quo amore suos, qui erant in mun-

Ioan. 13.

Ioan. 18.

Comedere Pascha quid sit.

Ioan. 19. Parasceue Pasche quid sit.

Ioan. 19.

Quamuis Agnus figura Christi esset, non oportuit illum mori quando comedebatur agnum.

Singula verba textus expenduntur.

in mundo, profecutus erat ante, etiā passioni, & morti proximus, prosequi non destitit: quod magnis argumentis, & signis declaravit, suos, appellat discipulos, quos in mundo esse dicit, quia ipso ad cælos recedente, multo tempore in hoc erant seculo permanfuri, quasi ea de causa hæc, quæ narranda sunt, fecerit, nempe pedes lauit, suæ carnis & sanguinis Sacramentum reliquit, ac doctrina cælesti instituit. Nomine suorum discipulorum omnes etiam electos futuros significavit. Dicitur autem in finem dilexisse, quia amorem inceptum sæper continuavit: non, enim dicitur in fine, sed *in finem*, id est, usque in finem, ut amoris perpetuitas ostendatur. Attende quàm miro artificio Ioannes amorem Christi erga suos electos commendat. amicorum huius seculi amor valdè est imperfectus. Serò enim amare incipiunt, citò desinunt, parum amant. Serò incipiunt, quia magna pars vitæ iam est transacta, quando amici amicitiam ineunt: citò desinunt, quia raræ sunt amicitia, quæ usque ad mortem perueniant; quod si aliquæ tales sunt, morte complentur: parum etiam amant: nam pauci sunt, qui vitam pro amico exponere sint parati, & qui amici utilitati vehementer studeant: at Christus Dominus, etiam ut homo, perfectè suos dilexit discipulos, & electos, citò incepit, qui ab instanti suæ incarnationis intensissimè suos dilexit, nunquam desijt, nec desinet: nam nec mortè amor ille finem habuit. multum, & supra modum amavit; qui morte, & passione sæuissima, & horribili, quando patres etiam filiorum obliuiscuntur, imminente; quamque pro ipsis subibat; adhuc tenerrimè amans, seipsum in cibum, & sacrificium perpetuum dedit. Rectè igitur dicitur, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Perpendit mirum Christi amorem erga suos.

ANNOTATIO VI.

Christum quos appellat suos.

CHRYSTOM. homil. 69. & Euthymi. *Suos qui erant in mundo*, ad distinctionem eorum, qui mortui iam erant, positum dicit; præcesserant enim Patriarchæ, Prophetæ, & iusti multi. Cyrillus libro 9. capit. 2. ad differentiationem Angelorum dictum censet: Est enim Christus omnium Dominus, & Angelorum, & hominum: at erga homines amor hic est, qui nunc narratur. Mihi magis placet ea ratione hoc esse dictum, ut significet causam, cur huius amoris signa, & argumenta à Christo data sunt, nempe quia discipuli, & electi innumerabiles adhuc in hoc seculo remanebant, ipso visibiliter recedente. Ut sic sensus; *Cum dilexisset suos*, qui in mundo adhuc erant permanfuri, & in hoc seculo dicturi, idcirco dilexit eos in finem, ostendens, & declarans amorem suum effectibus miris. Illud enim, *erant*, perseverantiam significat, id est, adhuc erant, adhuc remanebant electi, & sui in hoc mundo. Attendendum rursus illud, *In finem dilexit eos*, Euthy. & Chryostomum locis citatis exponere, vehementer dilexit eos; ac si dicat; nihil omisit, quod vehementer amantem diceret: cum eos enim relicurus esset, vehementiorem dilectionem ostendit. Cyrillus autem aliter

In finem diligere, quid sit.

Et cæna facta.

COMMENTARIUS.

TEmpus determinatè describit, quando hæc facta sunt. *Cum*, inquit, cæna esset facta; id est, cum iam cæna fieret, omnesq; discumberent: hæc enim lotio

lotio pedum inter cœnandum facta est. Duplex erat cœna, vna legalis, in qua agnus paschalis comedebatur, & hæc præcessit, de qua dicit Paulus 1. Cor. 11. Postquam cœnauit dicens; hic calix nouum testamētum est: altera sequebatur cœna communis, cui Christus illa priori peracta accubuit; & dum cœnaret cum eis, interrupta cœna solus surrexit, ut pedes discipulorum lauaret, quibus lotis, iterū discubuit. De hac igitur cœna communi dicitur, *Et cæna facta*, id est, iam incepta: de his enim, quæ in motu, & successione consistunt, sic loqui solemus. Ita August. tract. 55. exponere videtur. Non, inquit, quasi consummatam, & iam transactā cœnam intelligere debemus; adhuc enim cœnabatur; sed quia iam erat præparata, & ad vsum conuiuātium perducta.

ANNOTATIO VII.

Sententia nonnullæ reijciuntur, de tempore, quo surrexit à cœna, & lauit pedes discipulorum.

ALIIQVI ante cœnam inceptam etiam legalem, Dominum lauisse pedes discipulorum affirmant; sed hi verbo paulo inferius ipsius Ioannis conuincuntur: dicitur enim; postquam lauit pedes discipulorum, accepisse vestimentum, & iterum recubuisse, non diceretur, iterum recubuisse, nisi præcessisset accubitus. Non igitur ante cœnam lauit pedes. Alij post completa omnia, etiam Eucharistiæ institutionem, lotionē factam affirmant, in qua sententia est Cypria. homil. de ablutione pedum: sed sententiæ huic obstat, quod ad lauandum à cœna surrexisse dicitur, & post lotionem iterum recubuisse. Non erat autem, quod recumberet, si iam vtraque cœna completa erat. panem etiam intinctum Iudæ porrexit, ut narrat Ioannes, nondum igitur cœna erat absoluta. Alij post cœnam legalem, sed ante cœnam communem, factam esse asserunt, sed nec hoc est probandum, & eodem verbo sequitur refutatur. Surrexit, inquit, à cœna, & iterum recubuit. Sedebat ergo, & recumbebat prius, igitur incepta erat cœna communis: nam in legali cœna non recumbebant, sed stantes cœnabant. licet enim in scriptura nõ legamus expressè stare eos debere, qui agnum comedebant, tamen facillè deducitur. Exod. 12. festinanter enim, & cum baculis in manibus comedere præcipiebantur, ad modum citò iter capientium: non est autem recumbentium baculos gestare, nec in recubitu talis festinatio repræsentabatur.

Rectius igitur Augu. tract. 55. inter cœnandum factam esse lotionem hanc censet, & an-

te Eucharistiæ distinctionem, & hæc est communis Doctorum sententia. Ut igitur ordo historiæ huius certus, & dilucidus, & cum alijs Euangelistis concors statuatur, maximè quia Ioannes institutionis Eucharistiæ non meminit, quam alij tres narrant Euangelistæ; tenenda est sententia August. libr. 3. de consen. Euang. cap. 1. qui verè, & doctè hæc ita connectit. Peracta iam Paschalis agni cœna, & communi incepta, illis cœnantibus, surrexit Christus, lauitq; discipulorum pedes, quibus lotis, iterum recumbens locutus est omnia hæc, quæ Ioannes narrat; & Spiritu turbatus de suo loquitur traditorè; & interrogat vnusquisque nunquid ego sum? & audit Iudas; Tu dixisti. His peractis Eucharistiam instituit; qua instituta, & mysterio peractò, iterum de traditorè loquitur, ut refert Lucas, cap. 22. Veruntamen, inquit, ecce manus me tradentis mecum esse in mensa, & c. tunc interrogat Petrus Ioannem; quis est, de quo dicit; quod refert Euangelista noster, & Ioannes interrogans Iesum audit, Cui ego panem intinctum porrexero. Et post hanc buccellam introiuit in Iudam Sathanas, & recessit, quo recedente, & cœna omninò absoluta, Christus habet ad suos discipulos mirabilem concionem, à Ioanne paulo post descriptam. Hic est gestæ historiæ ordo. Scio aliquos in aliquibus discordes esse. hæc enim humani ingenij natura est, ut in ijs, quæ euidencia non conuincit, semper diuersitas opinionum reperitur. tamen hæc est solida,

Communit cæna iam incepta, Christus lauit suorum pedes.

vera, & communis doctrina.

Cum Diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas, Simonis Iscariotis.

COMMENTARIUS.

Cogitauerat iam ante instigante, & stimulante Dæmone, Iudas Christum inimicis, & persecutoribus tradere, priusquam à cœna surrexit, & lauit pedes: non tamen absque diuino mysterio Euangelista hoc verbū interserit, & præmittit ante tanti operis narrationem; sed ut Christi dilectionis magnitudinem, & humilitatis profunditatem commēdet, qui & eius, qui iam eum tradere decreuerat, pedes lauare nõ recusarit, & ei ei seipsum in cibum ministrare dignatus sit. Quam rationē annotauit etiam Chryl. ho. 69. Nõ solùm autem Ioannes, sed etiam Lucas cap. 22. expresserunt, Iudam Diabolo instigante hæc fecisse: id etiam repetit Ioannes paulo inferius, quod non est factū; vt cul-

Commendatur Christi charitas humilitas.

vt culpa Iudæ in Dæmonem transferatur: nemo enim propter Dæmonis tentationem à culpa excusatur, sed vt iudicium contra Diabolum insurgētem in Christum significetur: princeps enim huius mūdi iudicatus est, qui a vna cum Iuda, & Iudæis Christo innocenti mortem intulit. non tamen culpa vacarunt Iudas, & illi. Dæmon enim suadet, non vim infert, prauas excitat cogitationes, sed voluntatem nō cogit; liberum enim relinquit hominem. Misit autem in cor Iudæ, quando effusione vnguenti indignatus abiit ad Iudæos, & de tradendo Domino precio statuto cum eis conuenit.

ANNOTATIO VIII.

Caianorum
hæreses duæ
reijciuntur.

HAc sententia conuincuntur duæ hæreses Caianorum, quarum meminit Epiphanius in hæresi 38. quidam affirmabant Iudam tradidisse Christum, quia Christus malus erat, & legis doctrinam peruertebat; sed hi non solum errabant, sed blasphemæ in Christum erant. Alij Iudam tradidisse Christum asserunt, ex reuelatione, & cognitione, quia sciebat, mortem eius salutem esse hominum, vnde laudandum censebant Iudam. Epiphanius multis testimonijs scripturarum has hæreses redarguit; at hoc vno satis conuincuntur falsitatis: nam si eo spiritu fecisset, & laudandus esset, non diceretur instinctu Diaboli fecisse, nec diceretur ipse Iudas Diaboli Ioan. 6. Et filius perditionis Ioan. 17. Adde quamuis illi reuelatum fuisset, quod verè non fuit, mortem Christi salutem esse hominum; non licuisset illi eum trahere, nisi mandatum speciale Dei habuisset.

ANNOTATIO IX.

Quomodo
mittere &
intrare duæ
in diabolum.

AVGUST. libr. 3. de consen. Euangel. capi. 1. dubitationem proponit: nam hoc in loco dicit Ioannes; *Cum iam Diabolus misisset in cor, & tamen paulo inferius dicit, Post buccellam intravit in eum Satanas*: nec sufficit respondere, aliud esse, misisse in cor, aliud intrasse: nam non dicitur intrasse, nisi ratione malarum cogitationum, quas stimulante Dæmone concepit, vt dicit

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cæna.

COMMENTARIUS.

Profunda sunt hæc Euangelistæ verba. descriptis igitur circūstatijs temporis, quando quæ narraturus est gesta sunt, nempe prope horam passionis, & post cœnam lealem, & inter cœnandum, iamque traditore cogitante, & deliberante eum tradere; nunc incipit causas explicare Ioannes, quæ Christum ad ea facienda, quæ post cœnam facta legimus, induxerunt. Quæ autem post cœnam fecit Christus tria sunt; pedum ablutio; sacramenti, & sacrificij corporis & sanguinis sui institutio; & mirandæ doctrinæ sermo. quorum duorum, nempe primi & tertij Ioannes meminit; secundum tanquam à cæteris Euangelistis copiosè narratum, prætermisit: intentus his describendis duobus, præcæteri omiserunt. Primum igitur, quod induxit Christum ad hæc tria præstāda, est; scire omnia data sibi à Patre in manus, id est, hominum salutem, & redemptionem ei esse à Patre commissam. Eximia est hæc cōsideratio. nam ratio, & causa præcipua, propter quam Christus homo nostram salutem vehementissimè appetijt, & diligentissimè, & efficacissimè operatus

Euangelista
tres causas
proponit quæ
Christo induxerunt
ad hæc mirabilia
facienda.

operatus est, illa fuit, quia à Patre suo, quem infinitè diligit, & reueretur, sibi iniuncta, & imposita fuit. Hæc ergo consideratio induxit, vt miranda opera faceret hominibus antequam discederet. Alterum quod induxit est, scire, & considerare se, à Patre exiisse; id est, se esse Dei filium naturalem, eiusdem cū ipso substantiæ, & potentiæ. hæc consideratio induxit, vt faceret, quæ tanto amori erga Patrem debebantur: considerabat enim ex vna parte. quantum rebus à Patre suo demandatis, incumbendum erat; ex altera sciebat se tantæ esse potentiæ, vt posset digna Patre æterno exhibere, idcirco voluit opus suæ omnipotentia pro hominibus à Patre dilectis, & sibi commendatis facere quale opus fuit, seipsum in cibum eis dare, & sacrificium infiniti, & inexhausti valoris relinquere: amor enim tātus erga Patrē non minus postulat opus à filio, qui omnia poterat, nec se ob impotentiam excusandi causam habebat. Tertium est considerare, se ad Patrem vadere, id est, instare iam tempus hominum saluti consulendi: iam enim ad Patrem vadit, & visibiliter ab hominum conspectibus se remouet, per vicarium hominē iam tam Ecclesiam suam gubernaturus, assistentiamque hanc visibilem depositurus. Tempus igitur adest opportunum, quātum sibi cordi salus hominum sit, manifestandi. discessurus ergo exemplo, doctrina, & opere hominibus consulit. lauat suorum pedes, summæ humilitatis dans exemplū: mira docet, doctrinamque cœlestem instituit, qua intellectū suorum illustrat, & affectum allicit; opus facit, supra omne miraculum, quo victū perpetuum ministrat. Digna profectò hæc sunt eo, qui summè amabat, & reueretur Patrem, & qui omnipotens erat, à Patreque exierat, atque etiam opportuna, quia ad Patrem se recipiebat. Hæc igitur sciens, Surgit à cœna, & lauare incipit pedes, vt & exemplum præbeat, & rursus ad cœlestis cibi instituendi disponat sumptionē, & tātæ doctrinæ tradendæ capaces faciat. hæc enim tria præambula, ad tria hæc opera referuntur. *Surgit à cœna*, in græco est significatio expressior: *Surgit à cœna*, id est, inter cœnandum.

ANNOTATIO X.

Mem ad
da peccati,
sed ad Chri
sti opera, ve
ferri debent
verba hæc
Euangelistæ.

CHRYSOS. hom. 69. totam hanc superiorum sententiam ad Iudam refert in hunc sensum. Iudas eum tradidit, cū sciret Patrem omnia tradidisse Christo in manus, & à Deo exiisse, & ad Deum vadere, quæ omnia summopere Iudæ peccatum aggrauant, quem hæc omnia à proditione non cohibuerunt. Hæc expositio singularis est, cui cæteri expositores antiqui non consentiunt: omnes enim, & merito, ad Christum referunt. August. tract. 55. Cyril. lib. 9. cap. 3. Euthym. imò aliqui Græci codices legunt. *Sciens Iesus, quia omnia tradidit ei Pater in manus*. & ita legit Gregor libr. 3. Moral. cap. 11. quamuis autem non legamus, sed absolutè, *Sciens, quia omnia dedit ei Pater*, ad Christum sunt verba referenda, nec Iudæ vlla possunt ratione accommodari: nec enim ille tam perfectam fidem habebat, vt sciret omnia tradita Christo à Patre in manus, & à Deo exiisse, & ad Deum tendere; & quamuis habuisset tantam fidem, quam re vera non habebat, non ea considerauit, nec sciuit tunc Christum ire ad Patrem: moriturum enim ignorabat, & quem proderet constituerat, eum occidendum non cogitauit. Adde, non esse cur tam sublimia verba de proditore Euangelista pronunciarer. tenendum igitur certissimè est, de Christo Domino esse dicta, id quod series ipsa verborum, & contextus indicat. *Surgit, inquit, à cœna*. nimirum sciens omnia Patrem in ma-

Anus tradidisse. Prædicti autem Doctores August. Cyril. & Euthym. quamuis ad Christum referant, tamen eò dicta censent, vt Euangelista eius humilitatem extollat, cui cum tantus esset, non se à lauandis discipulorum pedibus continuit: & re vera ita est; magna enim humilitas eius; qui sciens omnia sibi data esse in manus, & à Deo exiisse, etiam proditoris pedes lauit. tamen si sensum Ioannis consideramus, profectò non hæc ad humilitatem tantum extollendam dicta sunt; non enim erat, cur hac locutionum forma vsus esset Euangelista ad dignitatem Christi significandam: *Omnia tradidit ei Pater in manus*, nec erat, cur adderet; *ad Deum vadit*, non enim hoc facit ad humilitatem extollendam, cum iam sit dictum à Deo exiuit. Mihi igitur legitimus sensus is visus est, quem in commentario exposuimus, vt hæc ad institutionem Eucharistiæ etiam referantur, & causam exprimant, quæ Christum induxit, vt hæc opera tam mira recessurus iam ad Patrem ederet. Aduertendum est etiam illud, *Omnia tradidit Pater in manus*, dictum esse propter hominum salutem à Patre Christo demandam, & ita rectè exponit Chrysoitom. causa assigne homil. 69. & ante ipsum Origenes tom. 32. in *cur mirabilia Ioannem*; at Cyrillus & August. & Gregor. quæ fecit locis citatis generalius hanc sententiam interpretantur; omnium enim potestatem dedit filio Pater. & vera est doctrina, vt superior

Superiora
Euangelistæ
verba non
tam propter
Christi humi
litate dicta
sunt, quæ vt
mandatam, &
ita rectè exponit
Chrysoitom. causa
assigne
homil. 69. &
ante ipsum
Origenes tom.
32. in *cur mirabilia*
Ioannem;

rius etiam annotauimus; tamen non ad sensum Iohannis, qui de omnium salute hominum, eorumque redemptione Christo à Patre commissa loquitur, cui propter Patris

A dilectionem summam, & reuerentiam, quibus eum Christus, ut homo prosequeretur, diligentissime, & efficacissime incubuit.

Et ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteam, præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

COMMENTARIUS.

Singulas circumstantias minutissime Iohannes describit. Sunt enim omnia Splena mysterijs, Dominus lauandi ministerium ita exercere decreuit, ut non solum lauare, quod ministerij erat, sed etiam ministrantis habitum induere, linteo præcinctus, & deposito suo vestimento voluerit; socii autem, vel comitem non accersit, sed solus ipse aquam mittit in peluim, & linteo pedes extergit, quæ præter miræ charitatis erga proximum, & humilitatis profundæ exemplum quid in hominum redemptione ipsa fecerit, & adhuc futurus erat, significabat. Ipse enim exinaniuit se, formam serui accipiens, cum in forma Dei esset; & qui in cælis regnabat, sedes in throno cum Patre, ad nos descendit suam occultas maiestatem, & in nostra apparens humilitate. Ipse est, qui solus torcular nostræ salutis, & redemptionis calcavit. Ipse est, qui solus nostrorum obtinuit remissionem peccatorum, sordesque scelerum abluuit, & extersit linteo suæ humanitatis, quia gratiam, qua lauatur, & gloria, qua exterguntur, nobis obtinuit. Ipse est, qui solus lauare potuit alios, qui mundus totus, nulla alterius indigebat ablutione, quia iustus est, & iustos faciens, mundus, & mundos reddens.

Venit ergo ad Simonem Petrum.

Particula ergo, tacitam quãdam, ut solet, illationem indicat, quasi diceret, quia cepit lauare pedes discipulorum, consequens erat, ut ad Simonem Petrum deueniret lauandum, qui inter discipulos erat, quorum pedes lauabat. Particula hæc probat, & indicat, non fuisse Petrum primum, cuius lauare pedes incepit; quoniam hæc deductio, & consecutio; non videretur accommodatè posita, Venit ergo ad Simonem Petrum: potuit enim ad alium quempiam venire, tamen si exponamus cœpisse lauare pedes discipulorum, consequens, ut post alios, à quibus inceperat, veniret etiam ad Petrum, quod si ab eò initium cœptum est, dicendum erat; Venit autem ad Simonem: hæc enim particula apud Iohannem, ut sæpè annotauimus, magnam habent significationem, & multa occulta indicant, nec temerè, & inconsultò, sed ex scientia, & diuino consilio posita sunt: in scriptura enim sacra minutissime etiam particula magnum continent mysterium, ut annotat Basil. lib. de Spiritu Sancto. cap. 1. maximè autem hoc Iohannes obseruat.

ANNOTATIO XI.

AVGVST. tractat. 36. asserit à Petro ablutionis initium esse cœptum, primumque omnium esse lotum, idem Bernard. sermon. 2. de cœna Domini; nescio qua ducti ratione, præter eam, quia erat Apostolorum princeps. Contrariam sententiam tenent Origen. tom. 32. & Chrysostom. hom. 69. euthym. etiam, qui non solum negant primum fuisse, sed Iudam fuisse primum affirmant. cuius causam dat Origen. ut medicina, ubi magis morbus vrgebat, citius adhiberetur; additque Petrum vltimum omnium fuisse. In primis quod ad Petrum attinet, eum primum lotum non fuisse,

probabilius videtur, idque mihi persuadet Primò quod dicitur; caput lauare pedes discipulorum, & adiungitur, venit ergo ad Petrum, iam ergo cœperat lauare; & Augu. ipse fateatur, hunc sensum faciliorem esse, & accommodatiorem verbis. quid igitur est quod nos ab hac explicationis facilitate retrahat? ratio enim non conuincit, quia erat Apostolorum primus. non enim hunc ordinem Christus seruabat in humilitatis exemplo: imò hæc ratio contrarium probat, ut qui maior erat, fieri omnium minimus disceret, sicut & paulo post verbis Dominus docuit. Persuadet hoc idem secundo

Circumstantiæ hæc quid mystica significent.

Christum quæ discipulorum lauerit primo.

Probabilis est Christum non à Petro accepisse.

secundo illa particula, ergo, cuius significationis vim in commentario exposuimus: indicat enim Petrum non fuisse primum, alioquin deductio, & illatio apta non esset. Tertio ledendi ordo, quia probabilissimum est, Christum in lauandis pedibus discipulorum ordinem discumbentium conseruasse, & non sine ordine modo hunc, modo illum lauiffe: in ordine autem discumbentium Petrus primus non erat post Christum, quod certissimo argumento probatur: Iohannes enim ad latus vnum erat Christi, ad alterum verò Petrus esse non poterat; aliàs recumbente Christo, non potuisset Iohannem secreto interrogare, seu innuere, ut peteret à Christo, quis esset traditor. necesse est ergo Petrum recubuisse inferius Iohanne, non ergo in ordine discumbentium primus erat, & idcirco non credo primò esse lotum. An autem fuerit vltimus, & an Iudas primus, incertum mihi est, nec ratio-

nem reperio probabilem; aut efficacem negandi, aut affirmandi. hoc tamen certum est, nec probabiliter negari potest, Iudam fuisse inter hos, qui loti sunt, eiusque ablutos esse pedes; quod quidem negauit Cypria. hom. de ablut. pedum, sed affirmant August. tract. 56. Cyril. lib. 9. cap. 7. Chryl. hom. 69. & Orig. tom. 32. & Euangelista ipse satis aperte demonstrat, dum dicente Christo, Vos mundi estis, sed non omnes, interpretatur, propter Iudam hoc esse dictum, aderat ergo Iudas: nam ad omnes adstantes verbum hoc Christi referebatur, ut doctè annotauit Augustinus libro 2. contra literas Petiliani capite 22. Accedit etiam his Iohannis contextus, & historia series: post hanc enim lotionem iterum recubuit Dominus, & buccellam intincti panis Iudæ porrexit, proditoremque declarauit; an tamen corpus Domini, & sanguinem acceperit, paulò inferius discutiemus.

Non constat quis in lotionem pedum fuerit primus.

Aderat Iudas inter eos, qui loti sunt.

Et dicit ei Petrus, Domine, tu mihi lauas pedes?

COMMENTARIUS.

Nesciustanti mysterij Petrus, sed lotionem esse communem ad laborè itineris temperadum existimans, ut Cyril. lib. 9. cap. 4. annotat; & ex altera parte Christi dignitatem fide viua considerans, ab hoc officio Christum remouere conatur, taciteque argumentum hoc facit; Tu Dominus es, ego famulus, & seruus; non igitur decet, te mihi lauare pedes: hoc enim est seruorū officium erga Dominos suos, non autem Dominorum erga seruos. Reuerentia, & fides erga Christum, quamuis non secundum scientiam quia mysterij rationem ignorabat, Petrum ad hæc pronuntianda inducunt: quam reuerentiam, & fidem acceptauit Dominus verbis sequentibus, sed ignorantiam repellit. Perpēde autem modestiam Petri, non dicit; Tu nobis lauas pedes? ne alios, qui se lauari permiserant, arguere videretur; sed ad seipsum, ut indignum verba conuertit, Tu mihi lauas pedes? nondum lauare eum inceperat sed dicit lauas? quia lauare volebat, ut annotauimus cap. 10. Pondus magnū & inexplicabile singula verba continent, si quis eorum perfectam velit considerare significationem, Tu, & Mihi: nam quis dicere poterit quantum inter hoc, tu, & illud, mihi, intersit discriminis? & rursus, lauas pedes, quibus nihil humilior est in homine. hæc magis intelliguntur mente, quam explicantur sermone.

Petri commendatur modestia.

ANNOTATIO XII.

Petrus defenditur in tribus, quæ illi ab Origene impunitè.

ORIGENES to. 32. vltra modum Petrum arguit, maximè in tribus. Primum est, quia aliorum, qui se lauari permiserant, factum accusauit: in ea enim est sententia, ut alij prius sint abluti. Sed hæc reprehensio iusta non videtur, uti enim diximus in commentario, non dixit, tu nobis lauas, sed tu mihi, ne alios carpere videretur. Alterum est, quia voluit pudore iniecto Christum ab opere remouere, quasi rem non consentaneam rationi faceret. sed nec in hoc reprehensio locum habet: non enim ad hæc proferenda, & facienda Petrus mouebatur eo iudicio, quasi iudicaret Christum rem pudendam facere; sed potius tantæ illius maiestatis, & suæ humilitatis consideratione, quæ pauorem quendam incusserunt. nec tamen voluit Christum ab opere remouere, quam se ipsum propter suam indignitatem

subtrahere. cuius exemplum est Luc. 5. idem enim Petrus in captu piscium copioso dixit: Exi à me, quia peccator ego sum; & statim Euangelista causam annectit; Stupor enim circumdederat eum. Similes excusationes legitur in sanctis, non ex inobedientia, sed ex quadam humilitate, & reuerentia profectas. Sic Moyses se excusabat Deo mittente, sic etiam Hieremias. Ex quo sequitur, non esse etiam probandum tertium, quod dicit Origenes; nempe inobedientem fuisse. non enim hæc inobedientia; sed reuerentiæ, & humilitatis pauor est; in tanta maiestatis Christi, & vilitatis suæ collatione, & ad hunc pauorem tantæ maiestatis hoc dictum Petri referunt, Cyril. lib. 9. cap. 4. Aug. tract. 56. Chryso. autem hom. 69. ad dilectionis vehementiam. Ambro. verò libr. 3. de sacramen. cap. 1. & Cypri. hom.

Petri excusatio vnde profecta.

de ablutione pedum, & Basil. etiam reg. bre. A resp. 301. ad humilitatem. Et vera est, & legitima causa. Sunt autem fides, & dilectio, ac reuerentia erga Christum, & humilitas ista laudanda; quamuis ignorantia sit admixta, & incvnsideratio quædam, tanti quam mysterij pauor induxerat. Aug. tract. 56. qui primum

Petrum ablutum censet, affirmat; etiam si ab alio incepisset, nihilominus quicumque primò lotus esset, hæc eadem pronuntiaffet, & expauisset sicut Petrus, at nescio qua ratione id probare posset August. non enim omnium erat eadem fides, cum nec in alijs eos similes Petro legamus.

Respondit Iesus, & dixit ei, quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

COMMENTARIUS.

Fides, & reuerentia Petri, non secundum scientiam, sed ex tanti mysterij ignoratione orta, cum vt se à pedum ablutione excusaret, inducebant. vt igitur Dominus hanc ei lotionem persuadeat, ignorationem remouet, dicens; Nescis, ô Petre, huius rei mysterium, & causam; idcirco mei reuerentia motus lauari recusas; scito te nunc mysteriû ignorare, paulo autem post aliquid in hoc factò latere disces, quod si nunc scires, non te excusares. Attende illud, scies postea, eo dictum esse, quia paulo post ablutione perfecta, mysteriû aperuit; Scitis, inquit, quid fecerim vobis? ita Cyril. lib. 9. cap. 4. exponit, quamuis Chryso. hom. 69. ad tempus post resurrectionem, & Spiritus sancti aduentum referat. Præmisit autem Christus facta verbis: efficacius enim verba audientium permouent animos, quando facta præcedunt: incepit enim Iesus facere, & docere. Voluit autem Dominus discipulorum animos inducere, vt sibi crederent, obedientiamque prius præstarent, quam ratione obediendi intelligerent. Ea enim est perfecta inferiorum erga superiores obedientia, quæ cæca vocatur, de qua Gregorius libr. 2. expositionis in lib. 1. Reg. cap. 3. inquit; Vera obedientia, nec præpositorum intentionem discuit, nec præcepta discernit; nescit iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, præceptum in hoc pensari debet, quod maioris est, hæc & alia Gregorius.

Dicit ei Petrus, non lauabis mihi pedes in æternum.

Petrus verbum Christi nondum penetrans, in sua excusatione persistit, Non, inquit, lauabis mihi pedes in æternum, id est, nunquã patiar, nec ferã te mihi lauare pedes, vt rectè exponit August. tract. 56. Vehementis affectus hæc vox est, non lauabis mihi pedes in æternum, excusata à culpa, quæ à fide perfecta, reuerentia, dilectione, timore, & humilitate procedebat.

Respondit ei Iesus; si non lauero te, non habebis partem mecum.

Quem à proposito ratio non amouit, detrimentum, quod non lotus passurus erat, ad pròptam obedientiam conuertit. si, inquit, non lauero te, nõ habebis partem mecum. non leui detrimento Petrus deterretur, sed quod à Christo separabat, & dilectioni eius, quam ille maximi faciebat, cõtrarium erat. Ac si diceret; tu propter me, & ex dilectione mei pedum ablutionem recusas, scito te minus me dilecturum, & longius à me futurum, si non te lauero. Attende non habiturum Petrum partem cum Christo dictum esse, quia nisi lotus esset, corporis & sanguinis Christi sumptione priuatus fuisset, per quã Christus in eo, & ipse in Christo mansurus erat. ad hoc enim præcipuè lauabat suorum pedes, vt dispositis, & mundis seipsum in cibum daret, & realiter cum eis vniretur. Et hoc est, quod Petro comminatur; si non te lauero, non eris particeps mei: nam conuiuium mei ipsius modo præparo, ijs solis, quos lauero, daturus. Petrus verbum hoc distinctè non intellexit, tunc quãdo prolatum est, sed id tantum concepit, nihil se cum Christo habiturum commune, ab eoque esse separandum, nisi lotus fuisset, quod quidem magna erat pœna. postea tamen rei mysterium cognouit.

ANNO.

ANNOTATIO XIII.

Magna est inter Doctores de huius loci intelligentia controuersia, quorum etiam sententias distinguere, & percipere est difficile. Quæ omnia, vt dilucida fiant, sciendum ad tria capita eorum opiniones, & expositiones reduci. Quidam enim sentiunt, hanc sententiam Christi intelligendam esse de ablutione reali pedum, nec tantum dicta esse Petro, sed ab alijs omnibus, nempe nisi loti fuerint pedes eorum, partem cum Christo non esse habituros. in qua sententia sunt Ambrosius libr. 3. de sacram. cap. 1. & libr. de ijs, qui sacris mysterijs inicianur cap. 6. & Bernard. serm. de cœna Domini: sed non in omnibus hi duo consentiunt, adeo vt in hoc capite primo, duæ possint distingui opiniones. Ambrosius enim sentit, omnibus baptizatis esse hanc ministrandam pedum ablutionem, antequam ad Eucharistiam accedant, & ita ipsemet in sua diuina faciebat, quamuis Romanam Ecclesiam, id non seruasse fateatur: prodesseque talem lotionem affirmabat, vt baptizati fortiores contra dæmonem fierent, minusque in pugna contra illum ratione carnalis fomitis, qui in baptizatis remissa culpa manet, succumberet: ad sanitatem ergo spiritualem non ad mundiciem lauabantur. Bernardus autem ulterius procedit; affirmans ablutionem hanc pedum esse vnam de sacramentis, & prodesse ad remissionem venialium, quibus non remissis, non potest homo ingredi regnum cælorum; nihil enim coinquinatum illuc intrabit. Hæc duæ sententiæ, multum innituntur illi verbo, non habebis partem mecum, propterea necessariam hanc ablutionem, vt pars habeatur cum Christo, opinantur. Sed id verbum potius mihi eorum euertere sententias videtur: nam si necessaria est pedum ablutio, vt partem habeamus cum Christo, igitur baptizatus nõ potest intrare in regnum cælorum nisi pedibus ablutis, quod nemo admittet Catholicus. Deinde Ambr. dicit prodesse, vt minus homo succumbat tentanti dæmoni; poterit igitur sine ea vincere, quamuis non ita facile, habebit igitur partem cum Christo. præterea Bernardus asserit valere ad remissionem venialium, & peccatorem, quæ quamuis non sunt ad mortem, istis tamen nondum remissis, nemo ingreditur cælum. Fateor hoc; sed venialium remissionem multis alijs modis cõsequimur; & quamuis in hoc seculo non remittantur, si recedant morientes in gratia, in purgatorio per satisfactionem tandem soluuntur. Non igitur necessaria est hæc pedum ablutio, vt partem habeamus cum Christo. Si igitur hoc verbum Christi generaliter omnibus baptizatis dictum esset, non video qua ratione secundum Ambr. vel secundum Bernard. verum sit illud, non habebis partem mecum.

Secundo loco alij Doctores exponunt, verbum hoc generaliter quidem dictum omnibus baptizatis; sed non realiter de pedum materiali ablutione, sed spiritualiter de interiori mundicie, & sanctificatione, cuius hæc ex-

terior signum erat, interpretantur. vt sit sensus; Nisi lauero te, id est, nisi mundiciem interiorem assequaris; cuius hæc signum est exterius, non habebis partem mecum. hæc autem omnibus est baptizatis necessaria; non enim ita immunes sunt à peccato baptizati, vt nequeant deinceps peccare: quorum peccatorum nisi remissionem consequantur per Christum, quamuis venialia sint; non poterunt ingredi regnum cælorum. Non ergo hæc ablutio materialiter, sed spiritualiter est intelligenda. In hac sententia sunt Cypri. hom. de ablutione pedum, & August. tract. 56. sed non eodem modo procedunt. August. enim de sanctificatione à venialibus exponit, quorum mundicies necessaria est, vt ingressus pateat ad regnum: at Cyprianus generaliter de omnibus etiam mortalibus post baptismum commissis interpretatur; dicens hanc ablutionem esse figuram, & signum poenitentia, per quam mundatur baptizatus à peccatis post baptismum commissis. baptismus enim repeti non potest. At in hac sententia probabilior est opinio Aug. nam dicitur; qui mundus est, non indiget, nisi vt laues pedes, non ergo mortaliu, sed venialium remissio, & sanctificatio significatur. Huic sententiæ siue cum Cypri. siue cum August. senserit, Cyrillus fauet libr. 9. capite 5. cuius verba sunt ista; Illud quoque puto his verbis significari; nisi quis peccati sordes per gratiam meam lauerit, atque absteriserit, regni cælorum non erit particeps, non enim intrabunt impuri in beatas illas mansiones. hæc Cyril. quamuis aliam adhibeat expositionem, quam proximè exponemus. Hæc expositio siue Augusti. siue Cypri. non mihi posse accommodari videtur: nam Dominus de ipsa reali pedum ablutione loquebatur, ad quam Petrum tali comminatione inducebat, Si non lauero te, non habebis partem mecum. Violentum est professio ad mundiciem hanc spiritualem solam confugere, ratione cuius dictum sit, non habebis partem mecum, cum etiam de reali ablutione sermo, & comminatio. Tertio loco est sententia aliorum, qui non generaliter hæc verba exponunt, sed soli Petro dicta: & in hac sunt tres expositiones. Prima est Chryso. hom. 69. quæ etiam est Cyril. lib. 9. cap. 5. nempe ratione rei significatæ dictum esse, Non habebis partem mecum, vt sit sensus, nisi susceperis humilitatis documentum, quod ego hac lotionem pedum tibi trado: non habebis partem mecum; ne autem diceret Petrus; ego suscipiam documentum humilitatis etiam sine ablutione, Dominus non id explicuit, sed vsus est hac locutione; si non lauero te, non habebis mecum partem; Hoc vltimum est Chryso. sed & ista expositio difficile accommodatur: Nam ad hanc ablutionem realem Christus Petrum inducebat, & hæc erat necessaria, vt partem haberet cum Christo.

Altero ergo in hac sententia est expositio omnium probabilissima, quæ est Basilij orat. de peccato, vt soli Petro verba hæc sint dicta, & comminatio ista sit propter inobediẽtiam;

BB 3

vt sit

Vox postea, ad quod tempus referenda sit.

Obedientia cæca commendatio.

Ambrosius & Bernardus sententias necessarias esse pedum ablutionem, vt sit sensus.

Cyprianus & August. de lotionem spirituali explicantes, locum Ioannis, etiam resiciuntur.

Reiciuntur & alij qui de documento humilitatis sentiant Dominum loqui.

Vera sententia est Basilij explicantis inobediẽtiam in Petro re præbendi.

ut sit sensus; si non lauero te, nec mihi obedieris vobis. Ite lauare, non habebis mecum partem, tanquam inobediens; non quod ablutio necessaria esset, sed obedientia, quam tunc exigebat à Petro. Inter alia multa habet hæc verba Basilii. Hanc ob rem eiusmodi iactæ sunt minæ, ut nisi promptitudine, ac velocitate obedientiæ voluntatem suam correxisset, non illi illæ beatitudines à Deo in eum profectæ, non dona, non promissiones, non etiam illa ipsa Dei, & Patristalis, ac tantæ erga vnigenitum filium propensæ voluntatis declaratio sufficissent, ad præsentem inobedientiam expiandam. Hæc Basil. Secundum hanc expositionem ipsemet Basil. duas regulas morales tradit egregias libr. Mora. reg. 12. cap. 1. ex hoc loco Ioannis. Vna est, qui iussis Domini aduersatur, licet id pio, & amico animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur à Domino. Altera est, quod quidquid à Domino dicatur, id summa cum animi expletione debemus suscipere. Idem Basil. in regu. breui. resp. 60. eundem sensum sequens alteram adhibet regulam. Rescindendum, inquit, est quicquid præter præceptum Domini ante statutum est. hoc apertè demonstrat in Apostolo Petro, qui ante statuerat, non lauabis mihi pedes in æternum, vbi vero affirmatiuè audiuit Dominum dixisse, nisi lauero te, non habebis partem mecum, confestim sententiam inuauit, & dixit; Domine non tantum pedes, sed & manus, & caput. Idem Basil. regu. breui. resp. 233. quartam regulam, & documentum ex hoc loco colligit, nempe ex omnibus rectè factis, si vnum alicui abfuerit, salutem nemo adipiscetur: verba eius sunt hæc; Petrus cum ei talium, ac tantorum rectè factorum testimonium à Domino

Egregia Basilij documenta.

A fuisse datum, atque eo modo appellatus, & beatus laudatus, vbi vna tantum in re, ac obedientia visus est discedere, atque hoc ipsum non ex negligentia, superbiaue, sed ex reuerentia, honoreque erga Dominum suum, propter hoc ipsum tantum ei dicitur, nisi lauero te, non habebis partem mecum, hæc omnia docet Basilii, cuius expositio mihi supra omnes alias placet. & accommodata videtur. At quia non dictum est, nisi meis obtèperaueris dictis, aut nisi mihi obedieris, sed, nisi lauero te, videtur hæc comminatio, nõ tam ad inobedientiam, quam ad ablutioem ipsam referenda. Ea igitur de causa in commentario produxi, quod mihi ad sensum legitimum facere visum est, ut non de regni ingressu, nec de gratiæ priuatione dictum sit, Non habebis partem mecum, sed de priuatione sumptionis corporis, & sanguinis Christi; ad quam ablutio, & mundicies ordinabatur quam comminationem Petrus tunc non omnino intellexit, sed puandam à Christo leparationem percepit, quæ satis ei fuit, utpote maximè diligenti, ut permitteret se lauari. Petro igitur soli hæc dicta sunt verba, & de ablutioe illa materiali sermo erat, & sensus comminationis est de priuatione esus corporis, & sanguinis Domini, quæ proximè lotis discipulis Dominus communicauit: non ergo est, cur ablutioem hanc pedum, tanquam sacramentum aliquod, nec tanquam remedium obseruemus cõtra fomitem, quia hæc in Petro completa sunt ad literam. Nobis autem mundicies seruanda est, ad hanc sumptionem, non ablutioem pedum, sed confessione & contritione comparanda.

Non habere partem cum Christo, hoc loco significat, a iusticia mentis participatione excludi.

Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.

COMMENTARIUS.

Vehemens Petrus fuit in recusanda, sed vehementior in permittenda lotionem: illud quidem ex quadam humilitate & timore, hoc vero ex dilectione, & amore erga Christum procedebat. totum ergo se lauandum offert, potius quam à Christo vel minimum diuelli patiatur. Vtilis fuit recusatio, quæ tam feruentis dilectionis, & deuotionis ignem accendit prudens magister erat, qui tam cito in tantum augmentum virtutis promouit discipulum. Petrus hæc offert lauanda, quæ frequentius lauari solent, nempe manus, & caput.

Dicit ei Iesus, qui lotus est, nõ indiget, nisi ut lauet pedes, sed est mundus totus.

Recusat Dominus liberalè Petri voluntatem, & indicat hanc pedum ablutioem propter spiritualem munditiem & sanctificationem fieri. Dicit igitur, non esse opus manus, & caput lauari, sed solos pedes. Ut enim, qui ablutus est semel, mundus est, nec est opus ad munditiem iterum lauari, sed sat est, si pedes lauet, qui propter viciniam ad terram, quæ calcant, facillimè & citissimè sordes contrahunt. ita Petrum lotionem interiori grauius peccatorum non indigere, sed ea tantum, quæ erat ab aliquibus leuibus culpis, à quibus illa pedum lotio mundabat. Similitudinem igitur verba hæc continent ab eo,

ab eo, qui lotus iam est, qui sola pedum ablutioe indiget propter facilitatem qua contrahunt sordes, ut totus sit mundus: ita & Domini discipuli loti erant, & mundi interiori Christi gratia; indigebant tamè aliqua lotionem scilicet ea, quæ pedum, est propter culpas leues, sine quibus, qui hanc terram incolunt, & calcant non viuunt, & idcirco eorum pedes lauantur. Attende verba, qui lotus est, non indiget nisi ut lauet pedes, sed est mundus totus, hunc facere sensum. Sicut qui lotus est, totus est mundus, quia totum habet corpus mundum, eo solo indiget, ut pedes lauet, qui facile puluere inficiuntur, ita & vos quantum ad munditiem spiritualem mundi estis. Illa autem particula, sed, vim habet causalis, ac si diceret; Non indiget lauari, quia totus est mundus. hæc igitur lotio pedum ad interiorem munditiem ordinabatur, eiusque signum erat.

Purgationem venialium lotionem pedum etiam ab.

ANNOTATIO XIV.

AVG. epist. 108. ad Seleucianum ex his verbis deducit Petrum prius baptizatum fuisse Christi baptismo, quia lotus dicitur, & inde ceteros Apostolos etiam baptizatos, ante Christi mortem arbitratur. Mihi eius sententia placet, sed ex hoc loco non deducitur. Ista enim verba sunt similitudo quædam, non tam pro solo Petro, quam pro ceteris etiam Apostolis dicta, ut sicut qui lotus est, mundus est totus, nec indiget nisi ut pedes lauet, ita & ipsi munditiem habebant animæ, tamen à quibusdam leuibus purgari indigebant, quæ non impediunt absolutam munditiem, quæ est pro gratiam. Et sic Cyrillus libro 9. cap. 7. exponit. Fieri potest, & probabilissimum est,

quod tempore apostoli sint baptizati.

A eos iam esse baptizatos, sed non propterea loti nunc dicuntur: imo existimo ante baptismum mundos etiam fuisse: quando enim vocati sunt à Christo, mundati sunt gratiæ eius virtute, etiam ante aquæ baptismum. Aduerte rursus aliquos verba illa, sed est mundus totus, sic exponere: postquam lauerit pedes, totus mundus est: at non sic est hoc intelligendum: sed cum Aug. tr. 2. 56. & Greg. li. 9. Epist. 39. qui lotus est, neo indiget lauari, sed est mundus totus, sola opus est pedum ablutioe. Totum enim mundum dicit, propter totius corporis mundiciem: nam pes non impedit, quin simpliciter mundus dicatur; sic iustus purus homo dicitur absolute, etiam si à venialibus opus illi sit purgari.

Apostoli etiam ante baptismum mundati sunt.

Et vos mundi estis, sed non omnes.

COMMENTARIUS.

Applicat similitudinem ad discipulos, & vos, inquit, mundi estis, idcirco nõ indigetis nisi pedum ablutioe. Mundos appellat propter gratiam, & animæ sanctificationem, quam tunc habebant: nec lotionem alia opus erat illis; præter eam, quæ à leuibus culpis, quæ facile contrahuntur, purgarentur. Hoc probat, non ad exemplum hu militatistantum hanc lotionem factam esse, sed simul etiam ad significationem, & purgationem quandam, quæ non aliò tendebat, nisi ut dignè cõuiuio futuro corporis, & sanguinis Christi vescerentur. Ab hac munditia excludit proditorè dicens, mundi estis, sed non omnes, non eum distinctè indicauit, ne alij in ipsum commoti furore insurgerent; dissimulare tamen, & tacere noluit, ut Iudas suæ conscienciæ omnino stigmatum, magistrique clementiam, qui eius sciens proditionem pedes lauerit, latereque permiserit, sentiens, resipisceret, nosque omnia Christo nota fuisse intelligeremus; eiusque clementiam, & prudenciam cum inimicis imitari pro mundo nostro studeremus.

ANNOTATIO XV.

CHRYS. hom. 69. legit in hunc modum; Vos mundi estis propter verba, quæ locutus sum vobis: & interpretatur mundos dici, non à quouis peccato, sed ab erroribus Iudæorum. propter Christi doctrinam, tamen adhuc egere sanctificatione. Insinuat autem his dictis Chryso. non fuisse à graui culpa mundos. At nec eius lectio, nec interpretatio probatur. textus enim Græcus non habet, nisi, vos mundi estis, in cap. 15. adiectum est, propter sermone meum. quæ verba non habentur hoc loco, & ita legit Cyril. & reliqui. præterea Apostoli non tantum mundi erant ab errori-

Chryso. lectio & interpretatio non probatur.

bus Iudæorum, sed etiam à grauibis, & mortalibus culpis, nec lotio hæc pedum erat ordinata. nisi in leuium peccatorum mundationem, quæ facile contrahuntur, sicut pedes facile sordes & puluerem recipiunt et ita Cyril. lib. 9. cap. 7. sentit; nimirum iam discipulos fuisse tunc gratia præcedente sanctificatos. Et est communis sententia Doctorum, ipsaque verba hoc indicant. excipitur enim ab hac generali munditie Iudas solus, & tamen non propter errorem Iudæorum excipitur, quasi ipse erroribus Iudæorum teneatur, nisi propter grauem auaritiæ culpam,

Apostoli etiam Iudam mundati erant à culpis mortalibus.

& proditionis. Erant igitur cæteri à graui & mortali culpa, & non tantum ab errore mundi. Præterea qui culpa mortali fordidus est, non dicitur totus mundus, nec absolute purus; at discipuli dicti sunt toti mundi, etiam ante pedum abluitionem. hic enim est sensus;

Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes.

COMMENTARIUS.

EXponit Euangelista verbum Christi, cur adiectum sit, *non omnes*, quod propter ludam proditorem appositum docet, vt Christum omnia præsciuisse significet. Rectè Aug. lib. 2. cõtra literas Petiliani cap. 22. ex his verbis ludam tunc præsentem fuisse colligit. adiungens quando egressus fuit, cæteri que manserunt, dictum esse, sine limitatione, Vos mundi estis, vt habetur ca. 15. quod superius annotauimus aduersus sententiam Cypriani, negantis ludam lotum fuisse, & lotioni interfuisse.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis.

PARticula, *ergo*, causam indicat, cur vestimenta sua, quæ deposuerat accepit, quia nẽpe lauerat iam eorum pedes, cuius rei causa vestimenta deposuerat, & linteo se præcinxerat; idcirco vestimenta propria iterum accepit. iterumque recubuit: è cœna enim lotionis huius causa surrexerat. Vnico verbo cæterorum discipulorum lotionem Euangelista descripsit, quia nihil particulare erat, præter ea que de Petro narrata sunt. postquam autem Dominus recubuit, lotis illorum pedibus, nihil cibi communis sumpsisse eum legimus; discipuli verò cœnam nondum completam continuârunt; ante cuius finem sacramentum Christus instituit, & quæ sequuntur pronuntiauit. Propterea Matth. 26. Cœnantibus, inquit, eis accepit Iesus panem &c. indicans Christum quidem, quando sacramentum instituit, cœnam suam nondum discipulos expleuisse, quando igitur è cœna surrexisset dictus est, ipse iam compleuerat, nondum tamen cæteri.

Scitis, quid fecerim vobis?

EX facto suo, humilitatis, & mutui inter eos obsequij argumentum dedit. Eicit efficacissimum. *Scitis*, inquit, *quid fecerim vobis*: non est opus verbo, & sermone explicare, quæ oculis vestris vidistis, & ipsa experientia cõperistis. Habent autem hæc verba energiam; ego vobis quid fecerim; quam verborum significationem, & energiam, in qua pondus argumẽti, & documẽti consistit, ipse statim exponit, nempe ego Dominus, & magister vobis discipulis & seruis laui pedes, humile & vile ministerium exercens; quanto igitur priori iure, vobis non debet videri vile, alterum alterius lauare pedes.

Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: si etenim.

EXplicat duo illa verba, Ego, & vobis. Vos, inquit, *vocatis me Magister, & Domine*: fatemini vos me Dominum, & magistrum esse, & eadem confessione vos seruos, & discipulos agnoscitis, nec opus est me hoc persuadere vobis, quando vos ipsi dicitis, & re vera rectè dicitis, quia sum Dominus, & magister, & talis, qualem me confitemini. Ecce igitur, quis ego, & qui vos sitis. Non vtitur Dominus verbis hisce, vt suam iactet magnitudinem, sed vt eos tanto exemplo ad humilitatem exhortetur: licet enim aliquando de se magnifice loqui etiam inter nos, quando ad proximi vtilitatem id confert, quod & Paulum 2. Cori. 11. fecisse legimus.

ANNO.

ANNOTATIO XVI.

QVIA Dominus Iesus seipsum Magistrum & Dominum confitetur, pauca de eius Magisterio & Dominio dicamus.

Venit Christus hominem vt redimeret, & vt fructum redemptionis ipse homo caperet: venit vt doceret, & viam salutis ipsi manifestaret. De priori dictum est Luc. 19. Venit filius hominis saluum facere, quod perierat. de posteriori Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: propter illud Saluator, propter hoc doctor & magister dictus est, & per Prophetas prænuociatus. Zachar. 9. Ecce Rex tuus venit iustus & Saluator. Ioel. 2. Latamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ. Vtrumque enim ad redemptionem necessarium erat, & saluare, & docere homines viam salutis, alioquin illam ignorantes non possemus redemptione frui.

Magisterium autem Christi fuit supra omne humanum magisterium, quod ex multis manifestum est. Primò quidem homines sunt magistri, sed prius fuerunt discipuli, & didicerunt, quæ ante ignorabant; at Christus ita fuit magister, vt nunquam fuerit discipulus: si enim loquamur de eo, vt Deus est, sicut ab æterno à Patre habuit substantiam, ita cum ea habuit & scientiam eiusdem Patris, vnde ab æterno Deus, ab æterno sapiens, simul Deus, & simul sapiens est. Si loquamur de eo ratione humanitatis, non prius fuit discipulus discens, & postea magister docens. quia eodem instanti, quo illa est humanitas creata, fuit simul verbo Dei vnita, & omni scientia, & sapientia repleta, ita vt nunquam quippiam ignorauerit aut didicerit. in quo non solum homines, sed etiam Angelos excelluit; qui quamuis creati simul cum substantia scientiam acceperint infusam, tamen multa ignorârunt, quæ postea didicerunt. Secundò homines plura ignorant, quàm sciunt; & eorum, quæ sciunt, non omnium certam scientiam habent, quia multa opinantur, & in multis errant; at in Christo nulla fuit ignorantia: in eo enim erant omnes diuinæ scientiæ thesauri, nullus error, sed plena, & omni ex parte perfectissima scientia. Tertio, quia magistri non tantum est scire, sed & docere, scientiamque communicare. multum etiam in hoc discriminis est: homo enim docet exterius mouendo, non autem intellectum immediatè illustrans, vnde nisi auditor ingenio polleat, fructum doctrinæ non accipiet; at Christus docet interius etiam illuminando, ideoque rudes & incapaces, facit capacissimos, & perspicacissimos, linguasque infantium efficit disertas. Quarto homo docet temporis interuallo, & assiduo labore discipulus discit; at Christus momento docet, quem, & quæ vult. Quinto homo non valet persuadere, quæ docet, nisi vi argumentorum, & demonstrationum; at Christus persuadet altissima mysteria, facitque credere, quæ ratio non attingit, virtute propria. Sexto homo non excitat, nec mouet discipulorum affectus ad ea,

quæ suadet, & docet faciendâ; At Christus rebelles etiam compellit voluntates, non coactione, sed efficacia virtutis: sermo enim eius est penetrabilior omni gladio ancipiti. Hebr. 4. Postremò doctrina Christi est vitæ æternæ. Ioan. 6. Verba vitæ æternæ habes. hominum doctrinæ, præter eam quæ Christi est, aut parum vtilis, aut inutiles, & aliquando noxiæ sunt: vbi enim fides non est, eius generis sunt doctrinæ. Verè ergo Christus magister à suis Apostolis prædicabatur, quia ipse solus Magister est, & cæteri omnes discipuli eius sunt.

ANNOTATIO XVII.

EGIMVS præcedenti annotatione de Magisterio, dicamus modò de dominio Christi: quia verè Dominus ipse est, & eius dominium ita perfectum, vt nullum aliud cum ipso comparari queat. Si ergo de dominio ratione diuinitatis loquamur, eius magnitudo & perfectio ex multis constabit, in quibus omne hominum dominium excedit. Primò quidem hominis dominium seruituti admistum est: nam indiget ijs quorum Dominus est; at Deus intra se habens omnes diuitias, nulla re indiget, quæ sub eius est dominio, ideoque Augustinus in illud Psal. 69. Deus adiua me: negat homines propriè & absolute dominos esse, sicut Deus est, allegans illud Psal. 15. dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges. Hoc idem repetit lib. 8. super Genes. ad liter. cap. 11. imo. lib. 12. Ciui. cap. 17. affirmat Deum ea de causa noluisse mundum ab æterno producere, vt significaret se nulla indigere creatura: & Cyrillus. lib. 1. Thesau. ca. 6. asserit creaturarum productionem fuisse Deo superuacaneam quantum ad hoc, quia nullam ex eis accipit perfectionem, nec vlla indiget: est ergo dominium Dei vndiq; perfectum, sine vlla prorsus seruitutis admixtione, quale non est hominis dominium. Secundò hominum dominium est valde angustum, nemo est omnium hominum dominus, & si esset, non adhuc dominium haberet angelorum: insuper nec plenum habet dominium eorum, quibus dominatur: non enim animarum est dominus, nec pro libito vti illis in omnibus quæ vult, potest, at Deus omnium est Dominus, & proinde eis suo arbitratu vti valet. Psal. 118. Omnia seruiunt tibi. Hester. 13. In ditione tua cuncta sunt posita. Tertio dominium Dei coniunctum est cum omnipotentia & fragilitate: non enim imperare potest suis arboribus vt crescant, vt fructus ferant: non lapidibus vt vno ex loco in alium transferantur: non animalibus vt se multiplicent, aut hoc vel illud faciant: non febri, vt recedat: non ventis vt quiescant, multiplex denique in omnibus humani Domini infirmitas est; at Deus omnibus imperat, & cuncta obediunt ei in omnibus, quæ vult. Mat. 8. Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei. Mat. 21. Si dicitis monti huic, tolle, & iacta te in mare. fiet.

Christi dominium non solum intellectum illuminat, sed etiam effectum mouet.

De Dominio Christi, vt Deus est.

Dominium hominum seruituti admistum habet.

Dominium hominis certis continetur limitibus.

Dominium hominis infirmum est.

Ex hac

Deus an ab a
terno Domi
nus dicatur.

Ex hac differentia consequitur resolutio cuiusdam antiquæ difficultatis, nempe an Deo dicendus sit Dominus ab æterno. Augustinus libro 12. ciuit. cap. 15. noluit definire. At Tertul. libro aduersus Hermogenem in principio, affirmat in tempore fuisse dominum, quando creaturæ inceperunt: nam Dominus, inquit, nomen est potestatis, non substantiæ; in tempore ergo incepit esse Dominus: quod confirmat, quia Gen. 1. per totum caput, dicitur, dixit Deus, quando omnia creabat, at cap. 2. post creationem dicitur Dominus: multi in scholis hanc doctrinam amplectuntur, & est valde probabilis: mihi tamen videtur non abique probabilitate dici posse, Deum ab æterno Dominum fuisse, etiam nondum creaturis existentibus, quia creatura, etiam priusquam esset, Dei imperio subdita erat: homo quidem non imperat ijs, quæ sub se sunt, nisi postquam sunt, quia infirmus est, nec plenum habet dominium; at Deus Dominus est etiam antequam sint, quia imperat vt sint, & ex nihilo in aliud conuertantur, quod ex Psal. 32. probari potest: Ipse, inquit, dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. non possent per mandatum fieri, quæ non erant, nisi dominium præcederet, ratione cuius præceptum vim habet. Romanorum quarto: Vocat ea, quæ non sunt: tanquam ea quæ sunt: antequam igitur sint, præcedit dominium. Duo ergo in dominio considerare licet, & potestatem, &

Probabile
est Deum ab
æterno Do
minum fuisse.

Duo in domi
nio confide
re aude.

relationem ad ea, circa quæ est potestas; quantum ad potestatem Deus ab æterno est Dominus: quantum ad relationem verò actualem, quæ in Deo realis non est, sed potius creaturæ, referuntur ad ipsum, Dominus in tempore dicitur, quia ergo propter potestatem Dominus dicitur, ideo ab æterno est Dominus, sicut & creator, quia ab æterno habuit potentiam creandi. Quartò hominis dominium est communicatum, seu participatum, & est subalternatum. Communicatum, quia à Deo est, Rom. 13. Omnis potestas à Deo est. subalternatum verò, quia dominio alterius subditur, Colo. 4. Domini, quod iustum est, præstare seruus; scientes quod & vos Dominum habetis in cælo. Deus aut dominium nõ ab alio, sed à seipso habet, & nulli alteri subditur, sed est primū, & supremū. Christ⁹ igitur, qui Deus erat, rectè affirmat se verè Dominum esse. Erat verè Dominus etiam vt homo, duobus maxime titulis, vnus erat ratione vnionis humanitatis ad Verbum: illi enim humanitati propter vnionem ad Verbum data est omnis potestas, & omne dominium omnium creaturarum. Alter erat ratione redemptionis, propter quam vltra dominium omnium generale, habuit dominium singulare vniuersorum, quos suo sanguine redemit, & de tyrannica Diaboli potestate eripuit: de qua re inferius plura dicemus. Verè ergo Christus & magister & Dominus erat.

B

C

Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

COMMENTARIVS.

Colligit argumentum. Si igitur ego, cum sim magister, & Dominus, pedes vestros laui, & hoc feci vobis, qui serui, & discipuli estis, profectò & vos inuicè debetis alter alterius pedes lauare, cum non sit distinctio tanta inter vos ipsos, quanta est inter me, & vos: nam omnes conserui & condiscipuli estis. Argumentum est à minori; si quod minus videbatur fieri debere, factum est, id profectò fiet, quod magis fieri debere videtur.

Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Confirmat argumentum declarans, se lauiffe pedes eorum, vt exemplū eis daret humilitatis mutæ & attende clementiam, & suauitatem: multo enim maiora poterat exigere ab eis: si enim Dominus lauat pedes, profectò ad viliora obligabitur seruus, non ad paria: vt quanto superat maior minorem, tanto inferius, & humilius sit minoris officium & ministerium; at non hoc voluit, sed satis, inquit, est, si quod ego feci, id etiam vos inuicem faciatis.

ANNOTATIO XIX.

Non præceptur lauo pedum, sed commendatur humilitas.

NON sunt hæc ita intelligenda, vt Dominus velit ad literam, & iuxta verborum significationem ea absolute obseruanda, sed in animi præparatione, vt si opus fuerit, illa proximis impendamus; nec dedignemur opus etiam seruile pro salute animarum subire. Rursus vt superiores, sic alijs imperent

Dexterius, vt humilitatem. interius reseruant, sibi eos, quibus iubent, præponant. Sensus horum verborum, huiusque exempli, egregie Be- filij docent leganter Basilius expresse duobus in locis. lib. Mor. reg. 70. cap. 10. vbi ex hoc loco id deducit, qui alios docendi munus suscepit, seipsum exemplar reliquit ad res omnes honestas præbere

præbere, præstareque prius ea, quæ alios docet debere. Rursus cap. 24. alterum colligit; qui alijs, inquit, in Ecclesia docendis præest, data sibi potestate nequaquam ad subiectorum contumeliam abuti debere, neque se supra illos efferre, sed potius gradum illum tantquam materiam quandam exercendæ erga eos humilitatis tenere. Hæc sunt, quæ Basilius ex hoc loco Ioannis annotat. In multis autem Ecclesijs illa consuetudo viget, vt feria quinta, quam dicunt in cœna Domini, superiores pauperum, vel subditorum pedes lauent: quod non eo fit, quasi his verbis id Dominus præceperit, sed vt tantæ humilitatis Christi exemplum renouent, deuoteque colant, & ad humilitatem omnes exhortentur. Attendendum rursus est, non solum Dominum lauiffe pedes propter humilitatis exemplum; sed propter munditiem discipulorum, quibus cibum carnis suæ mox erat ministraturus. quod satis

A eo verbo probatur, qui lotus est, non indiget, nisi vt lauet pedes, & vos mundi estis, sed non omnes. quibus verbis declarauit se de spiritali munditie, quam tali lotione effecit in discipulis suis, loqui, eamque munditiem à nobis procurari debere significauit, quo dignè ad conuiuium hoc sacratissimum accedamus; quod Sacri Doctores annotatione duodecima citati docuerunt. Non autem absque causa & prudentissima consideratione ad humilitatem eos prouocat, præter purificationem factam, & munditiem: præuidebat enim, quod paulo post futurum erat: dum contentio facta est inter eos, quis litatus suæ, eorum videretur esse maior, vt narrat Luc. 22. præuenit futuram inter discipulos contentionem de primatu, & in peiora ne laberentur effecit: ea de causa in commendanda humilitate multa infudit verba.

Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque apostolus maior illo, qui misit illum.

COMMENTARIVS.

Prosequitur idem argumentum, vt efficacius humilitatem persuadeat, & cordibus discipulorum tenacius infigat, eis enim superbiæ tentationem imminentem, ita vt de primatu inter seipsos disputarent, præuidebat. quod autem affirmando deduxerat, iterum negando idem colligit. Si dominus lauit, lauet ergo seruus; argumentum est affirmationis, iterum seruus non est maior domino, nec Apostolus, & legatus, illo à quo mittitur; nõ egitur dedignetur seruus, & legatus facere, quod Dominus, & qui misit, fecit; argumentum est negationis, ad eundem sensum vtrumque tendens. Est autem argumentum ab etymologia; Apostolus enim Græcè idem est ac missus, missus autem, seu legatus; maior eo, qui mittit non est, nec censetur.

Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Quia res aperta, & omnibus manifesta erat, idcirco dicit, *Si hæc scitis*, ac si dicat; non hæc dico vt vos doceam, seruum nõ esse maiorem domino, nec apostolum, eo qui misit eum: scio vos hæc scire, si autem vt scitis, ita facitis, beati eritis: & ea ratione dico, vt faciatis, & beati sitis. Iusti beati dicuntur spe, & iure, quia ipsorum est regnum cælorum, & beatitudo. Beati in spe, non autem in re: est enim communis locutio, vt constat Matth. 5. sententia hæc non tantum conditionalis est, sed etiam absoluta: facturos enim hæc prædicat, & idcirco beatos futuros, ea de causa in sequenti sententiâ excipit iudam à qua tamen si solum conditionalis esset, non erat excipiendus.

Non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim.

Ne ignorasse suum proditorem videretur, & vt eundem pudore, & confusione, à proposito retraheret, quodque suum erat faceret, licet nihil esset illi profuturum; excipit ab hac generalitate nomine iudam, dicens; nõ vos beatos omnes fore dico, quos hæc facturos scio; scio enim, quos ego elegi, nempe quales sint, qualesque futuri. scio etiam non omnes hæc facturos, nec beatos futuros, nec ignorans elegi, sed sciens omnia, & quia scio, propterea hæc dico.

ANNO

Communis
sententia, de
eterna ele-
ctione expli-
cat hunc lo-
cum.

Auctor sen-
tentiæ Christum
loqui de ele-
ctione ad A-
postolum.

OBSERVVM esse hunc locum cenfer Cyril. lib. 9. ca. 10. & merito. Aug. tract. 59. ad electionem regni cælorum hoc verbum referens, existimat Iudam electum non esse, vt sit sensus; Scio, quos elegerim, & scio non omnes electos: cõciliatque hunc locum cum illo Ioann. 6. Nonne ego vos elegi duodecim? dicens ad apostolum duodecim electos, tamen ad regnum, & beatitudinem non omnes. & communis hæc expositio videtur, tamen re vera si quis attentè consideret, & sequentibus conferat, longè alium sensum esse, inueniet. Loquitur enim Christus de ea electione, quam fecerat, quando Luc. 6. dicitur; Vocauit ad se discipulos, & elegit duodecim ex ipsis; quos & Apostolos nominauit. nec à numero horum electorum Iudam nunc excipit, imò complectitur, & est sensus; Scio, quos elegerim, id est, Ego scio, qualis sit nunc, & qualis futurus vnusquisque eorum, quos elegi, & meos discipulos, & familiares feci: & quia scio hoc, idcirco dico, non de omnibus me ista pronuntiare, quia non omnes tales sunt, nec erunt. similis est locutio Luc. 7. Si hic esset Propheta, sciret, quæ, & qualis mulier est, quæ tangit eum, quia pec-

Sed, vt adimpleatur scriptura, qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum.

C O M M E N T A R I V S.

TAcitè obiectioni respõdet, nempe si sciebas omnes, quos elegisti, quales futuri essent, quare proditorem elegisti: respondet; Scio, quos elegerim; sed vt impleatur Prophetia, seu scriptura, adde, elegi etiã proditorẽ futurum sic enim prædictũ est Psal. 40. *Qui manducat mecum panem, id est, vnus ex meis discipulis, & familiaribus, leuauit calcaneum contra me, id est, me supplantauit, dolo, & fraude me cadere fecit: hoc enim est, supplantare, plantam, seu pedẽ inter alterius crura emittere in lucta, aut cursu, & eũ cadere facere: metaphoricè significans eos, qui dolis, & fraudibus alterum in ruinã impellunt; quod Iudas fecit, qui osculo pacis perdidit Christũ, & sub specie discipuli magistrũ occultè persecutoribus vendidit, à quibus morti traditus est.*

ANNOTATIO XX.

Diuersa
ratione bona,
& mala in
scriptura præ-
dicuntur.

CONSIDERANDVM est hoc loco, longè aliud esse, quando scriptura hominum facta, & peccata, quæ sunt facturi, prædicat, & quando opera illa quæ Christus, vt homo effecturus erat, præscribit. Na enim mala quæ homines facturi sunt, idcirco prædicta sunt, quia futura erant: non enim idcirco mala faciunt homines, quia prædicta erant, sed prædicta sunt, quia ipsi facturi erant, vt latius capite 12. explicuimus: at quæ Christus fecit, non sic sunt prædicta: vt enim Christus homo ea de causa cuncta faciebat, vt patris æterni impleret voluntatem, ita etiam faciebat, vt impleret, quæ prædicta sunt: nam multa, quæ æternus Pater voluit, ipsum facturum scripturis, & prophetijs prædixit, & præsignificauit. Idem ergo est dicere, elegit Iudam, quãuis sciret proditorẽ, quia nouit patrem æternum voluisse, ac dicere, elegit proditorẽ, quia scriptum erat hoc: nam voluntas Patris manife-

stata est in scripturis. Sensus igitur horum verborum liquet; nempe, Christus homo elegit sciens futurum malum, vt impleatur scriptura; id est, vt impleret voluntatem Patris, quam prædixit, & significauit per Prophetas. Particula igitur, *vt*, in hoc loco non tenetur consecutiue, vt arbitratur Cyril. lib. 9. ca. 10. sed causaliter, longèque alia ratio est illius loci; Non credebant in eum, vt impleretur sermo. mala enim, & peccata non prædicta sunt, vt fiante sed quia futura erant; verum, quæ Christus faciebat, cuncta erant à Patre prædicta, vt fierent, eaque faciebat Christus, vt voluntatem Patris faceret. Multa sunt humusmodi loca, quæ de Christo dicuntur. Ioan. 19. Vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio. Matthæi primo: Hoc totum factum est, vt impleatur, quod dictum est. Sunt alia etiam testimonia: Valde igitur consideranda est, & attendenda distinctio eorum, quæ prædicta sunt;

Dei quare
voluit Iudã
elegi. Aposto-
lum, quẽ no-
ni fore pro-
ditorem.

Astrumento quodam ad filij mortem, qua mundum redimeret; sicut etiam odio, & iniquitate Iudæorum vsus est, vt ipsis Christum occidentibus, morte sua nostram mortem superaret. Deus enim malis etiam ipsis in bonum vertitur, ideoque ea permittit, vt bona ex ipsis eliciat. Quantum autem ad locum ex Psalmo allègatum attinet, vt à Ioanne citatur; habetur in Hebræo, nec multum differt à Septuaginta interpretatione, Magnificauit super me supplantationem. hoc tamen annotandum est, non esse sensum, quem Aug. tract. 59. adfert, nempe supplantare esse conculcare; & opprimere. non enim verbum Hebræum *דפן* id significat, sed quod verè verbum, latinum, supplantare, pede interiecto alterius pedes impedire, vt cadat; quod maxime in lucta fit. Vnde metaphora est translata ad eum, qui fraude, & dolo, alteri causa est ruinæ, & in hac sanctificatione est frequens verbum in scriptura veteri: sicque Chrysostomus. & Euthym. exposuere.

Quod si interrogas. Cur Deus voluit proditorem, & iniquum futurum ad Apostolatam eligi; quæstio est, cui soluendæ multum inhæ- rere non debemus, vt doctè, & piè respondet Cyril. li. 9. cap. 10. & Hero. lib. 3. contra Pelagianos. posses enim eadem ratione petere, cur fecit Angelos, quos sciebat futuros Dæmones; cur fecit Adam, quem sciebat peccaturum; cur creauit homines, quos damnandos præsciuit. hoc sit nobis satis, nullum à Deo creatum hominem, aut Angelum, vt peccet, aut malum faciat; non esse etiam electum Iudam, vt proderet; ipsorum est vitium, liberique arbitrij culpa, quod peccent: quod malum faciant; at Deus noster malo illorum ad bonum vtitur. Iudæ enim proditio, cuius ipse Iudas suo vitio fuit causa, visus est Deus, vt in

Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

C O M M E N T A R I V S.

Cvr hæc prædixerit, exponit, vt ipsa expositione eos cautiores, & ad fidem præptiores faciat. Dico, inquit, nunc hæc vobis, vt cum impleta videritis credatis me esse verum Christũ promissũ, Deiq; filium, qualẽ me esse prædicaui vobis. Non solum, vt rectè Cyril. lib. 9. cap. 11. annotat, hoc intelligitur de proditioe Iudæ, sed etiam de ipsius Iudæ perditione, vt quando Apostoli viderent Christum traditum, & Iudam mortem laqueo sibi intulisse, recordarentur verborum Christi, qui vnum futurum proditorem, & hunc non esse mūdum reuelauit, nec saluatum iri, prædixit, hacque ratione in fide cõfirmarentur. Tali enim confirmatione, propter scandalum crucis futurum quo eorum fides debilitanda erat, multum indigebant. His etiam verbis exhortatur Dominus tacitè, vt recordentur, & teneant memoria, quando eum morientem viderint, hæc omnia prædicta esse: hæc enim consideratio proderat multum, vt Christi mortem voluntariam cognoscerent, nec necessitate aliqua, sed voluntate, & ex mysterio pati. Hæc autem verba. (Hæc dico vobis, vt credatis tunc, quando factum fuerit) idem significant, ac si diceret, quando impleri, quæ prædixi, videritis, in fide stete fortes, & firmi, credentes me esse Dei filium, & Christum. Credebant quidem tunc, quando hæc dicebat, sed propter periculum imminens passionis future dicat, *Vt credatis*, id est, vt tunc tentatione insurgente, in fide perseveretis. illud aduerbium, *Amodo*, Græcè *ἀπ' ἀρ' ἄρ'*, aliquando post hac, seu deinceps, aliquando confestim, seu citò significat: ita sumitur in præsentem, confestim, & citò, dico priusquam fiat.

Christus su-
a prædica-
uit, vt suo-
rum fidem
cõfirmaret.

Amen amen dico vobis; qui accipit, si quẽ misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

QVia dixerat, non esse seruũ maiorem Domino, nec Apostolum eo, qui misit eum, argumentoque à Minori, quod appellant, ostenderat eos debere inuicem lauare pedes, ne propter hanc humilitatem eos paruipendendos

Non parripē
dendi qui hu
milibus ope
ribus incum
bant.

dendos aliquis existimaret: aut ne ipsemet contristarentur ex hoc ministe-
rio, arbitantes futurum, vt minoris fierent ab alijs, idcirco Dominus huic
cogitationi medetur. Non sic, inquit, erit; quamuis enim dico vos seruos, &
legatos, ac nuntios esse, & lauare pedes inuicē iubeo; scitote tamē me eo vos
in loco ab omnibus haberi velle, vt qui recipit aliquē, quem ego misero, me
ipsum recipiat, & qui me recipit, sciatis ab eo recipi eū, qui misit me: Ergo de
primo ad vltimū q̄ meos legatos recipit, recipit Deū: & honor qui eis impē-
ditur, Deo impenditur: & quia iniuria eos quis afficit, Deū eadē afficit. Sermo
generalis est, vt eos, & omnes alios, qui mittēdi erant, complecteretur: quib⁹
omnibus præceptū commune est, vt alter alterius lauet pedes. Hoc in loco
obseruandum est documentum in signe, nempe, Dei ministros humilitatē
debere seruare, si opus est etiam subditorum lauando pedes; tamen non de-
bet vlli id esse argumento, aut occasione contemptus eorum. sed tanquam
Christum, & Deum debere eos venerari; nempe, vt superiores, & prælatos om-
ni humilitate, obedientia, & reuerentia prosequi. nec ex his verbis colligas
parem reuerentiam deberi ministro, quæ debetur Domino, & Christo; sed
quod reuerentia exhibita ministro, aut contemptus in eum refertur, cuius
est minister: ministrosq; non vt meros homines, sed simul vt Dei, & Christi
ministros recipiendos esse. Hic est verus sensus, & connexio verborum cum
præcedentibus.

ANNO TATIO XXI.

Tres exposi
tiones supe
riorum ver
borum reij
ciuntur.

Laborant interpretes in connexionione horū A
verborum cum superioribus. Non enim
cohære sententia videtur. Cyril. lib. 9. cap.
12. exponit sic, vt nouo quodam argumento
velit Iudam à suo malo retrahere proposito;
nempe terrore, & minis, quas incurit non ex-
pressis verbis, sed à contrario sumptis, scilicet
à contumelia, quam Pater irrogabat non
recipiendo filium. Si enim qui recipit Chri-
stum, recipit eum, à quo missus est; igitur, qui
non recipit, iniuria, & contumelia afficit mit-
tentem Patrem. Violenta videtur interpreta-
tio, nec accommodari potest: nam non de se
loquitur, sed de his, quos mittit ipse, de qui-
bus non erat, cur loqueretur, si tales minas
Iudæ incutere volebat. Chrysost. hom. 71. ali-
ter connectit, vt duplici argumento console-
tur discipulos ad ea ferenda incommoda, quæ
missi in orbem terrarum passuri erant. Vnum
argumentum fuit ipsius memoria; id est, tene-
re memoria, quæ ego passus sum; hoc insinua-
tur illis verbis, Si scitis, beati eritis: id est, sci-
tis, quæ ego feci: alterum est humanitas, qua
recipiendi erant in orbe: nam accepti sunt tam
quam à Deo missi; inueneruntque in finitorū
hominum domos sibi patere, in quibus bene-

uolè ac liberaliter recepti sunt. Sed difficile
est hunc sensum accommodare: nihil enim de
his, quæ passuri erant, hoc in loco agitur, sed
de exemplo humilitatis ex lotione pedum. A-
liqui recentiorum aliter connectunt, vt cum A
postolis iusserit pedes inuicem lauare, moue-
at nunc omnes fideles, vt ipsos reuereantur, &
officia humilitatis ipsis impendant. Sed neque
hæc expositio bene aptatur: ad discipulose-
nim totus hic sermo dirigitur. Est igitur ve-
rus sensus, & connexio, vt dimisso sermone de
proditore, occasione illius verbi, Beati eritis,
sententiam prosequatur de lotione mutua pe-
dum. Et cum dictum esset, eos vt seruos, & nun-
cios debere inuicem lauare pedes; quando &
Dominus, & qui misit, eorum lauit pedes ipsos
consolatur, ne ex hac humilitate, siue ex hoc,
quod serui, & missi dicti sunt, se minoris esse
habendos, aut contemnendos ab aliquo existi-
marent: propterea cæteris omnibus eos mag-
no in precio habere, æstimare, & reuereri & co-
lere præcepit. Amen amen dico vobis, qui reci-
pit, si quem misero, & me, & eum, qui me mi-
sit, recipit. Humilitas ergo vera honor est ma-
ximus.

Cum hac dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est
& dixit, amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis, tradet me.

COM MENTARI V S.

Spiritu tur-
bati quid sit.

Videns semel ac iterum Iudam suæ impiæ cogitationis tacite admonitū,
nempe dum audiuit; Non estis mundi omnes, & rursus, Non de omnibus di-
co, nihil profecisse, sed potius in sua pertinacia confirmatum hære; con-
tristatus est, præ nimia sua charitate, & salutis hominum desiderio, dum ei⁹
perditionem considerauit. Hoc est turbari spiritu, id est, interius contristari,
& eius animā dolore, & tristitia affici, vt exponit Athan. li. de incar. Christi.
& tertio iterū eum admonet multo manifestius dicēs, Vnus ex vobis me tradet.

Primò

Primò quidem occultè, & tacite id fecerat, quando dixit: *Mundi estis non om-
nes: Secundo apertius; Qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum.*
At tertio palā, nō tamē nominata persona, Vnus, inquit, ex vobis, me tradet, hoc
est protestari, palam testari, & affirmare rem omni obscuritate, & ambigui-
tate verborum deposita: Merito autem Dominus tristitia, & dolore cordis
verbum hoc profert. Magistro enim dulcissimo, & Patri amantissimo flebile
erat, & lacrimabile vnum ex discipulis, & filijs tam miserabiliter labi, & in
præcipitium mortis æternæ propria malitia, & culpa ruere, nec vlla persua-
sione velle reuocari. De huiusmodi Christi propassionibus, & humanis af-
fectibus, dictum satis est cap. 11.

ANNO TATIO XXII.

An superio-
ra verba au-
te Eucharis-
tice institui-
oni dista-
nt?

Existimant aliqui, ante horum prolationem A
verborum post ea, quæ proximè narrata
sunt, Dominum sacramentum sui corporis, &
sanguinis instituisse, & discipulis distribuif-
se, sicut cæteri Euangelistæ narrarunt. his au-
tem peractis hæc verba protulisse. At Aug. lib.
3. de consens. Euan. cap. 1. quem supra annota-
tione 7. secuti sumus, censet hæc verba ante
sacramenti institutionē esse prolata, continua-
rique præcedentibus, quæ etiam ante institu-
tionem sacramenti dicta sunt, idque probabi-
lius est. quod insinuaue & Ioannes videtur,
dum inquit, Cum hac dixisset, turbatus est, significans

superioribus verbis sequentia esse coniu-
cta. Cyril. lib. 9. cap. 13. hanc turbationem indi-
gnationem, & iram interpretatur aduersus
tantam Iudæ impietatem, qui tot beneficijs ab
impio proposito diuelli noluit, & probabile
est: nam minas adiunxit, Vnus, inquit, homini
illi sicut Medicus morbum tenacem vincere
non valens, quadam indignatione in ipsum fer-
tur. August. tract. 60. turbatum dicit suæ passio-
nis tristitia, sicut supra dictum est: Nunc ani-
ma mea turbata est: & hoc etiam, probabile est,
tamen probabilior mihi visa est expositio, &
causa in commentario posita.

Cyrl. & Au-
gust. aliter
turbationem
Christi expli-
cant.

Aspiciabant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de
quo diceret.

COM MENTARI V S.

Propter hoc verbum discipuli mutuo se aspiciébāt, hæsitantes de quo di-
ceret. Mutuus hic aspectus erat ex desiderio cognoscendi quis esset: ocu-
los enim in seipos inuicem conuerterunt, vt si ex signo aliquo, vultus id co-
gnoscere possent. Marcus cap. 14. plura scribit; Cœperūt, inquit, discipuli cō-
tristari, & dicere singularim: Nunquid ego? & Matt. ca. 26. addit Iudam etiam
dixisse: Nunquid ego sum Rabbi? quod existimo Iudā interrogasse, quia cete-
ros interrogantes videbat. Ne enim detegeretur, si solus sileret, tutius duxit
etiam cum alijs interrogare: dubitabant igitur singuli, quamuis nemo eorū,
præter Iudam, à sua propria conscientia accusaretur, nec talis proditoris si-
bi conscius esset; tamen propter verbum Christi etiam innocentes hæsitārūt
& id insinuat particula, ergo, nempe, quia Christus id dixit, hæsitārūt, quis es-
set, etiam dubitantes de seipsis. Ex quo loco pulchrum elicit documentum
Basilii in reg. breui. reg. 301. qualiter plus aliquando alijs quàm sibi creden-
dum est. verba eius sunt hæc; Multi sunt morbi, quos non sentiunt, qui in il-
lis sunt, tamen ij maiorem adhibēt fidem medicorum peritiæ, quàm suo ip-
sorum stupori. similiter etiam in morbis animi, peccatis videlicet, licet quis
seipsum non repræhendat, quod peccatum suum non sentiat, nihilominus
adhibere ijs fidem debet, qui res eius prouidere melius possunt, quàm ipse, q̄ a-
nimaduertimus factum fuisse ab Apostolis. quo tempore cum de sua erga
Dominum sincera animi affectione nihil dubitantes, dici sibi audiuisent,
Vnus ex vobis me tradet, maiorem domini verbis, quàm conscientie suæ au-
toritatem tribuerunt, altercabāturque ac dicebant, Nunquid ego sum Do-
mine? sed apertius hoc ipsum videmus in Petro; qui cum ex vehementi hu-
militate ministerium Domini Dei, ac magistri sui nollet admittere, tamen
vbi illud audiuit, nisi lauero te, non habebis partem mecum, hisce Domini
verbis summa adhibita fide dicit; Non tantum pedes, sed & manus, & caput.
Hæc Basilii, à quo eandem sententiam mutatus est Chry. ho. 71.

Quorūm Apō-
stoli mutuo
se aspicerēt.

Salubre Basī-
lij documen-
tum.

Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

Verba haec quomodo praecedentibus connectantur.

Post verba superiora, quibus turbatus spiritu proditorem manifestasse dicitur est, Dominus Eucharistiā corporis, & sāguinis instituit, & ministravit: qua re peracta secundum Augu. l. 3. de consen. Euang. ca. 1. iterum de proditore locutus pronuntiavit: quod scribit Luc. cap. 22. Ecce manus tradentis me mecum est in mensa; admirās hominis obdurationem, qui coelesti cibo, & potu accepto, adhuc in suo persisteret nefario proposito; adiunxitque comminationem; Filius hominis vadit, secundum quod definitum est, veruntamen vā homini illi, per quem tradetur. & ipsi coeperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturum esset. Hæc ex Luca. prius ergo singuli interrogant Christum, postea rem inter se ipsos discutunt. Huic inquisitioni connectuntur, quæ modò narrat Ioannes. Erat, inquit, recumbens in sinu Iesu unus discipulus, nempe is quem diligebat Iesus; Hac autem periphrasi seipsum Ioannes describit: discipulus enim hic dilectus, Ioānes erat, qui hæc scripsit. Dicitur autem recumbere, in sinu Iesu, quia ad latus eius in mēsa recumbebat; recumbebant enim, qui erant in mensa, super dexteram, qui autē ad sinistrā sequebatur, dicebatur in sinu præcedentis recumbere. Dicitur autem Dominus Ioannem diligere, quamuis alios etiā diligeret discipulos, quia maioribus dilectionis signis erga eum utebatur, quoniam omnium ætate minimus & maximæ puritatis, & honestatis erat, particulari etiam quodam humano amore prosequeretur eum, sicut & Lazarum, & sorores dilexisse dictus est. ut supra ca. 11. explicuimus. Dicit aliquis, quid particula, ergo, insinuat, & quam indicat illationem. Erat ergo recumbens? Respondeo, sæpè Ioannem illationē præmittere sequentium, ut sit sensus; quia Ioannes recumbebat in sinu, & erat proximus Iesu, idcirco Petrus innuit, ut interrogaret eū; quam particulā iterum repetit, in verbis sequentibus.

Quomodo in mensa recubuerunt.

ANNO TATIO XXIII.

An Ioannes præ alijs dilectus dilectione charitatis.

Inquirunt aliqui, an dilectio ista, qua Ioannes dilectus est præ cæteris, fuerit charitatis; si enim hæc esset, consequeretur eum cæteris sanctiorem fuisse, cumulationemque habuisse gratiam. Hieron. in epist. ad Heliodorum, de vita heremitica, & in epist. ad Præcipiani in epitaphio Marcellæ, id videtur sentire, quamuis non expressè afferat. Euthym & Chryl. hom. 71. consentire videntur: propter raras enim eius virtutes plus esse dilectum affirmant, & Cyrill. lib. 9. cap. 15. propter puritatem dilectum plus alijs docet: sed hi omnes Doctores non sunt sic intelligendi, ut velint affirmare Ioannem sanctiorem alijs, maioreque Dei gratia cumulationem fuisse: qui enim talis est, à Deo, & Christo plus alijs diligitur, nec credendum est Ioannem hoc verbo vsum fuisse in ea significatione; sed dilectus magis dicitur, quia familiarius Christus cum eo agebat: sæpèque fit, ut familiarius aliquem tractemus, & suauioribus amoris signis erga eum

vtamur, quem non idecirco magis diligimus, hoc autem Christus fecit, quia virgo erat, quia honestissimus, quia adolescens, & ætate minor, alijsque de causis nobis ignotis, & hac ratione aliqui hanc exponunt dilectionem; & vera est doctrina; at mihi videtur quod dilectio, quam erga Ioannem habere dictus est Dominus, sit cuiusdam amicitie humanæ: non enim omnes, quos charitate diligimus, eos tanquam amicos amicitia humana, & honesta complectimur. habuit hanc Christus erga Ioannem, quem præter dilectionem charitatis amore humano, & honestæ amicitie etiam prosecutus est supra omnes alios: ex qua non licet inferre, Ioannem meliorem esse, & sanctiorem alijs fieri enim potest, ut charitate diligamus plus alios, & tamen amicitie huius amore non prosequamur eos. habuisse autem Christum hanc etiam humanam dilectionem ostendimus cap. vndecimo, & Sacros Doctores intelligo hoc modo locutos fuisse.

Non charitate dicitur Ioannes magis dilectus, sed humana amicitia.

Innuvit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, quis est, de quo dicit?

COM MENTARI V S.

Petrus innuisse, & dixisse Ioanni dicitur; innuisse quidem gestu, & vultu ut à magistro peteret, dixisse autem, quia verbo usus est, dicens; quis est, de quo dicit? Sic exponunt Cyril li. 9. cap. 15. & Chrysoft. hom. 46. in Ioan. ubi huius ver-

Ius verbi mentionem facit. noluit enim Petrus expressè Ioanni dicere, intere roga magistrum, sed nutu, & signo indicavit, quod inter nos fieri aliquando solet. Petrus ergo verbo interrogavit Ioannem, quis esset; & innuit gestu ut magistrum interrogaret. Aug tract. 61. nullum verbum protulisse Petrum asserit, sed totum nutu, & signo indicasse; tamen accommodatior est, & verior prior expositio, quia dicitur, innuisse & dixisse.

ANNO TATIO XXIV.

Quomodo Petrus interrogaverit quis est proditor.

CYR. lib. 9. ca. 15. dicit Petrum nomine omnium interrogasse, tanquam eis præsentem; sed quia non video, quo argumento hoc probari possit, verisimilius credo pro se interrogasse: certum est Petrum non ex curiositate aliqua id scire voluisse: quia tamen de causa id quæsierit, & quare per Ioannem, non est ita manifestum. Chrysoft. hom. 46. in Ioannem hanc proponens dubitationem respondet; nunc quæsiuisset, quia de seipso dubitabat, & timebat: nam audierat iam Matth. 16. Vade post me Sathana; quod si quando Ioan. 6. audiuit: Unus ex vobis Diabolus est, non timuit de se, mirum non est; nondum enim verbum à Matt. relatum audierat. Quamuis probabile sit, quod ex timore id interrogauerit. Mihi magis probatur, Petrum animi affectione qua Christum prosequeretur, fretum, nihil de se tunc dubitasse, nec timuisse: quod mihi persuadeo, quia paulò post ab ipso Christo audiens expressè, Ter me negabis, respondit; Non te negabo. Si ergo ita constans erat in sua opinione, etiam

Christo ea loquente, multo magis, quando generaliter loquentem audiuit. non ergo quicquam de se tale cogitavit, non quidem ex superbia, sed ex amore erga Christum: puto igitur illum scire voluisse ex zelo, ut impediret, si posset modo aliquo: quo zelo legimus eum in militem insurrexisse, & auriculam abscidisse. Per Ioannem autem interrogat, tum, ut Chryl. hom. 71. dicit, quia sciebat eum à Christo particulari quadam deinctum dilectione; amicorum autem est secreta sibi manifestare; tum, quod mihi magis probatur, quia Christo erat Ioannes proximus, & secretò rem scire desiderabat, & quam causam simul cum priori adfert Euthymius Matth. 26. & verbis sequentibus ipse indicat Ioannes, & hæc etiam causa videtur, cur non per se ipsum interrogat, sed per tertium; secretò enim loqui tunc eum Christo non poterat; quamuis Chrysofto. homil 71. dicat timore factum esse, quia reprehensus paulò ante erat, quod pedes Christum lauare prohibuerit.

Itaque, cum recubisset ille supra pectus Iesu, dixit ei, Domine quis est? respondit Iesus, ille est, cui ego intinctum panem porrexero.

COM MENTARI V S.

Insinuat causam Euangelista, cur ipse potius interrogauerit Christum, Cum, inquit, ille recubisset supra pectus Iesu, essetque proximus sinui, & lateri eius, Dominum de proditore interrogat, accipitque signum secretum agnoscendi, panis bucellam condimento intinctam: nondum enim expleta erat communis cœna.

Et cū intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.

Porrexit igitur Christus bucellam Iudæ, & Ioanni suum reuelavit proditorem. fuit enim panis hic communis, iamque præcesserat communicatio corporis, & sanguinis Domini, cui Iudas etiam interfuit, ut paulò inferius dicemus. Fuit autem bucella omnibus manifesta, esse tamen signum, & notam proditoris, soli Ioanni notum erat.

ANNO TATIO XXV.

Per bucellam panis quare Christus proditorem manifesta-uit.

QVARE per panis bucellam suam proditorem Dominus reuelauerit, merito aliquis percontabitur. Ad quod respondent primò Cyril. lib. 9. cap. 16. & August. in Psal. 40. id eò factum, ut quod prophetatum esse dixerat, impletet. Qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum. Chryso. hom. 61. secundam adfert responsonem; ut hac via, & modo etiam suum reprehenderet proditorem, qui mensæ cōmunicationem non reuereretur, tradereque vellet eum, cuius

mensæ assidebat. Hæc duo probabiliter dicuntur. mihi tamen id eò factum esse videtur, ut significaret Dominus, quomodo eum traditurus erat: tradidit autem Iudas osculo pacis magistrum suum, idcirco Dominus signo pacis, & amicitie ipsius, futuram proditorem reuelat: ut & personam proditoris, & qualitatem proditoris simul manifestaret. Quod autem intinctum dedit Aug. tract. 62. respondet factum, ut fictionem animi illius significaret. Mihi ea causa videtur, quia nuda panis

Auctoris sententia.

buccella inter conuiuantes nemo alterum inuitare solet, nisi fuerit intincta: hæc causa literalis est, necesse necessarium omnium factorum querere spirituales significationes. Aduertendum autem est, hoc signum Ioannem accepisse, sed nec Petro, nec vlli tunc reuelasse Christo prohibente, quamuis scriptura nihil amplius exprimat; in quo omnes expositores consentiunt.

Et post buccellam introiuit in eum Sathanas.

C O M M E N T A R I V S.

Quid sit Sathanā in Iudā introire.

IN Iudam dæmon ingressus dicitur, non, vt tãquam dæmoniacum eū corporaliter agitaret; nec, vt de nouo malas, & nefandas contra magistrū cogitationes persuaderet; iam enim tentationibus hisce consenserat; sed commotus, & indignatus, quia se signari proditorem presensit, locum omnē cordis Dæmoni instiganti aperuit, animoque suo obfirmavit Christum trade re, & quod conceperat, opere complere. Intrat ergo Sathanas in eum, velut quandam in eo stabilem possessionem accipiens: nam à Christo nunc se Iudas disciplinatus renuntiāns, separauit, ab eoq; omnino recedere decreuit. Sicque intelligendus est Amb. lib. 2. de Cain, & Abel cap. 4. dicens, vbi se Sathanas immisit in cor Iudæ, Christus recessit ab eo, momentoque eo, quo illum recepit, hunc amisit: denique sic scriptum est, *Post buccellā introiuit in eū Sathanas*, intellige hoc de cōpleta, & integra separatione. Et eadem ratione intelligendus Chryso. hom. 71. dicēs, Donec in aliorum numero fui, nō est ausus in illum ingredi, sed extra oppugnabat; post quā verò palam factus est, licenter iam irrupit; neque enim inemendabilis erat amplius in aliorum numero tolerandus, ideoque eijcitur. Quibus verbis significat Chrysof. hanc Dæmonis possessionem in animum Iudæ, quā iam in totum à Christo recedit, & eius consortio renūtiat. Non autē huius ingressus buccella causa fuit: quæ bona, & signū dilectionis ad emendationem erat: ille verò bonum sua malitiā & peruersitate, in malum conuertit: bonū enim malè vtentibus nocuit, quia malè accepit beneficiū, vt docet Aug. trac. 62. propter ingratitudinē, qui tot beneficijs ingratus à suo malo proposito nō destitit. idemq; dicit Cyril. lib. 9. cap. 16. beneficium enim ingrato nocet, nō ex se, sed ex ingratitudine accipientis: animus enim iniquus beneficio efficitur peior. præterea, quia Iudas se iam manifestum alijs arbitratus est, videns Petrum ad Ioannē conuersum, & Ioannem secretè cum Christo colloquentem, post hæc autē sibi soli buccellam datam, cum sibi maximè conscius esset, existimauit iam suam iniquitatem alijs reuelatam esse; idcirco in malo omninò obfirmat^r est, vt fieri solet. licentiosius enim peccat homo, quando peccatum, quod occultè perpetrabat, iam ad aliorum notitiam, peruēnisse cognoscit. *Intrauit, igitur, Sathanas in eum.*

Beneficia in gratis nocēt.

Et dicit ei Iesus, quod facis, fac citius.

Christus Dominus bis verba tria iudicare voluit.

Videns Dominus inemendabilem Iudæ malitiam, & firmū proditiōnis propositum, ne ille existimaret, se timore aliquo eum beneficijs affecisse, nepe lotionepedum, cōmunionem corporis sui, & buccella intincta. quasi his omnibus sibi timens eum retrahere vellet, & nō potius illi consulere, idcirco dicit, *Quod facis, fac citius*, id est, ne me existimes timore aliquo te tot beneficijs retrahere à mala tua cogitatione studuisse, *quod facis*, id est, quod facere iā decreuisti, exequere citò, & celeriter: non contradico, nec obisto, nec tibi meo. Rursus, ne existimaret Iudas, se à Christo nō posse impediri, & suas fraudes inanes reddere si vellet, pprerea dicit, *fac citius*, quasi dicat; *quod facis* vtiq; facere, nisi me pmittente non posses, ne me tibi resistere nō posse atbitreris, *fac citius*, nō prohibeo; si enim prohibere vellem, non valeres efficere. Rursus ne ignorasse, quis recumbentium esset eum proditurus, Iudas putaret; idcirco

circo hæc verba profert: quasi dicat; scio te esse, & tuam sciens proditiōnem, tibi consului; nec ergo ignorantia, nec vllò timore, à malo proposito tuo te auertere curavi, sed tuo bono; nec potentia mihi deest te impediendi si vellem, fac igitur, quæ facis. hæc enim tria his verbis indicantur. Est autem modus quidam loquendi, *quod facis, fac citius*, ad significandum nihil illius facta curare, nec timere, Comparatiuum, *citius*, est loco, *citò*, comparatiuum enim pro absoluto positum est. Attende autem his etiam verbis Dominum, Iudā inemendabilem à suo expulisse consortio; non igitur sunt verba præceptientis, quasi eum inducat ad malum, sed permittentis propter causas tres prædictas, & simul etiam incorrigibilem à cœtu bonorum excludentis. In Græco est particula, *Ergo*, dixit ergo ei, & sensum habet notandum; quasi diceret; quia iam Sathanas intrauit in eum, & inemendabilis effectus est; idcirco eū excludit à se, & permittit facere, quæ vult.

Citius pro eo ad puniendū.

A N N O T A T I O XXVI.

In Christi proxima verba dixerit Iudas, an ve vi Diabolo, vt Cyr. voluit.

CYRIL. lib. 9. cap. 17. hæc verba non Iudæ, sed Diabolo dicta censet; quia dictum est, *Intrauit in eum Sathanas*, suntque verba potius inuoluntatis, quàm hortantis: nam quemadmodum, inquit, si vir fortis, aduersus quem fremens quispiam feratur, ipse verò viribus suis fretus casurum illum non dubitet, magnaque voce militans dicat, quod facis, fac citius, vt meæ dexteræ vires experiaris, non tam properantis mori verba esse diceremus, quàm præscientis potius, quia cadet aduersarius. Sic Dominus noster velocius currere Diabolum ad ea, quæ præparauit, iubet, vt citius victus, atque vincus à tyrannide sua orbem dimittat. Hæc expositio non mihi videtur conformis verbis Ioannis: nam subiunxit; *Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei*, non dicit Ioannes: *Ad quid dixerit, sed, ad quid dixerit ei*; quo verbo docet, verbum hoc dictum esse Iudæ: & rursus in principio dicitur; *dixit ergo ei Iesus*, nempe Iudæ; non ergo ad Sathanam hæc sunt verba referenda, sed ad Iudam, quem iam

Sathanæ ministrum firmum, & stabilem factum agnouit Dominus, & sic expositores interpretantur. Amb. lib. 2. de Cain & Abel cap. 4. dicit sententiam hanc esse præceptientis, non vt malum faceret, sed vt à consortio suo recederet. quod facis, inquit, fac celerius. Quid illud? vt, quia introierat in illum Sathanas, ipse abiret à Christo; eijcitur itaque, & excluditur, eò quodiam cum Domino Iesu esse non posset, qui cæperat esse cum Diabolo. hæc Ambrosius Tertio loco Chrysof. homi. 71. dicit, non esse hoc verbum imperantis, neque consulentis, sed exprobrantis, & reuocantis ad emendationem. Quarto loco Augustin. tractat. 62. dicit esse verbum non imperantis facinus, sed prædicentis malum Iudæ, nobis verò bonum. Recentiorum aliqui existimant esse verba præceptientis, vt Christus iubeat, quod facit, citius facere, nepe tempore statuto à Patre æterno, sed violenta est expositio. Verba sunt permissiōnis, & expulsionis, vti expositum est in commentario.

Verba sunt prædicentis, exprobrantis, & deniq; eò cludentis Iudam ab aliorum consortio.

Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. quidam enim putabant (quia oculos habebat Iudas) quod dixisset ei Iesus, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret.

C O M M E N T A R I V S.

Verba sunt Euangelistæ narrantis, quod Christus Iudæ dixerit, à nemine tunc discipulorum fuisse intellectum, nec ab ipso Ioanne, quamuis enim Ioannes Iudam esse proditorem, & eum, qui traditurus esset Dominum, à Christo intellexisset; tamen illa nocte traditum iri, & ad hoc exequendum à mensa tunc Iudam surgere, & superioribus verbis id Dominum voluisse significare, Ioannes non cognouit, longè enim aliud est nosse, quis eum esset traditurus, & aliud scire, quando id effecturus esset, eumque dominum expulisse ab aliorum consortio, tamquam iam tradere volentem. Illud Ioanni reuelatum est, hæc verò tunc nemini erant manifesta; Iudas verò nouit, & intellexit, non reuelatione, sed suamet conscientia edoctus. Sermonem autem Christi in varios sensus interpretati sunt discipuli: cum enim duo ministeria Iudas exercebat: nam & temporalium administrationem, & pauperum etiam curam gerebat; aliqui ad rem vnius, aliqui ad rem alterius officij retulerunt: tamen omnes verbum Christi considerarunt.

Nec Ioannes nouit tunc, quorsū Christum dixisset Iudæ, fac citius.

Cum ergo accepisset ille buccellam, continuo exiuit.

Recte dicit, *Cum ergo accepisset*, Particula, *ergo*, illationem indicat: nam cum buccella Sathanas intrauit in eum, idcirco exiuit, utpote iam Sathana eum possidente, & instigante ad malum, & ad Christum tradendum impellente. Refertur etiam ad verbum Christi expellentis, quasi diceret; buccella ergo accepta, quam porrexerat Christus, continuo exiuit, Christo expellente, & Dæmone intrante; vtrumque enim particula hæc significat. dicitur autem suscepisse buccellam, non solum, quia de manu Domini accepit, sed quia simul comedit. interim enim verbum Christi prolatum est, *Fac citius*, & continuo exiuit, cœnæque est finis impositus, hymno dicto, ut alij narrant Euangeliste.

A N N O T A T I O XXVII.

Cur Iudas continuo exierit

Cyrill. lib. 9. cap. 19. rectè annotat, cur continuo Iudas exiisse dicatur. Magnas, inquit, Diabolus ad imperandum eis, quos omnino iam cepit, possidet vires: timet ne morâ do locus poenitentiae detur, & quasi à temeraria mentem suam rectius cogitans homo eripiat, ea de causa festinat, & impellit. nam & Iudam, cum post panem separauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderet, ac inde illuminaret, & ad meliora retraheret, magna præcipitem agit celeritate. hæc Cyril. Nota Diabolum timuisse, ne virtute Eucharistiæ sumptæ Iudam poeniteret, si mora daretur ei: quod sanè consideratione dignum est, ut quantum valeat virtus Christi etiam in malo, & abutente agnoscat. Simile quid docet Orig. libr. 2. contra Celsum de Iuda; ex Christi ante acta conuersatione, factum esse dicit, ut criminis vehemensimè eum poeniteret postea, quamuis vitio suo modum non adhibuerit. Verba Orig. sunt hæc. Habuit Iudas vna cum auaritia, perdendi que Domini mala volunta-

A te admixtam in anima innatâ ex Iesu verbis quandam (ut ita loquar) bonitatis speciem, quod ita scriptum est; Iudas proditor, videns eum damnatum, poenitentia ductus, restituit triginta argenteos Pontificibus, dicens; Peccavi tradens sanguinem iustum; illi vero dixerunt; quid ad nos tu videris, & proiectis argenteis in templum, laqueo se suspedit. Quod si auarus ille Iudas, furari solitus, poenitentia tactus, restituit triginta argenteos Pontificibus, & senioribus, satis apparet Iesu disciplinam efficacem in eo fuisse ad mouendam poenitentiam, quæ non omnino contempta, & proculcata proditori fuit, sed & ipsa verba (Peccavi tradens iustum) contentis erant, & vide quam flagrans, & vehemens poenitentiae dolor eum corripuerit, ut nec viuere sustineret amplius, sed in templum proiecta pecunia digressus sese præfocaret, ipse sui condeminator, & carnifex: ostendens quantum poterit Iesu doctrina etiam in peccatore fure, & proditore. non valente in totum contemneret, quæ à Iesu didicerat. hæc Orig.

Erat autem nox.

C O M M E N T A R I V S.

Tempus notatur, ut dicit Chrysof. hom. 71. ad Iudæ temeritatem significantam, qui nec temporis importunitate ab exequendo malo est abductus: & rursus ut temporis hac circumstantia tenebræ, in quibus Iudas versabatur, indicarentur, ut dicit Ambr. lib. 2. de Cain, & Abel: tandem etiam, ut tempus, quo Christus traditus est, ostenderetur.

A N N O T A T I O XXIX.

An Iudas participauerit Eucharistiam in cena.

Controuersia est inter Doctores, an Iudæ ministrauerit Dominus corporis, & sanguinis sui sacramentum; de qua re non est nostrum institutum tractare, cum Ioannes ministerij huius mentionem non fecerit, breuiter tamen rem attingam. Hila. can. 30. in Matt. negat Iudæ sacramentum esse datum; tamen communis sententia Doctorum tenet contrarium. ita enim docent Dionys. lib. de eccles. Hierarch. cap. 3. in principio, Cypri. hom. de pedum ablutione, Hieronymus li. 2. aduersus Iouini. & epist. ad Hedibiam quæst. 2. Aug. li.

C2. con. literas Petili, cap. 22. Cyril. li. 9. cap. 19. Chrysof. ho. 83. in Matth. & Leo ho. 3. de passione, cum alijs multis: & maxime id confirmat illud verbum Marci 14. Biberunt ex eo omnes; & re vera contextus historiæ Euangelicæ rectè consideratus id indicat. nobis tamen in præfenti sufficiat communis sacrorum Doctorum sententia: noluit enim Dominus eum qui oculus tunc peccator erat, reuelare; nec prætermittere aliquid ex parte sua eorum, quæ ad illius salutem, & conuersionem facere poterant.

Cum

Cum ergo exisset, dixit Iesus, nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.

C O M M E N T A R I V S.

Exente Iuda, de morte sua discipulos Dominus consolatur, & instruit edocens, non tam mortem, quam glorificationem esse dicendam, & particula *Ergo*, causam indicat; quia nempe Iudas abiuit, ut eum traderet, & iâ iâ ad mortem comprehendendus erat, idcirco dicit; *Nunc clarificatus est filius hominis*. est autem attendendus verus horum, & sequentium verborum sensus, qui talis est; *Nunc clarificatus est filius hominis*; id est, nunc ego, qui filius hominis videor & sum, clarificandus sum, & manifestandus, quis sim, nempe filius Dei. Loquitur autem in præterito, quia id proximè erat futurum. Rursus addit (filius Dei clarificatus est in eo) ecce quomodo clarificabitur, seu glorificabitur filius hominis, dum manifestabitur esse filius Dei, & Deus clarificabitur in eo; id est, filius hominis manifestabitur esse simul filius Dei: quasi à perioribus verbis diceret; nunc est tēpus, quando homo hic, nēpe ego, cognoscatur esse filius Dei, & filius Dei, qui in me latebat, reueletur, & innotescat mundo. Ad eandem personam hæc pertinent: erat enim Christus Dei filius & homo. in eoque homo ignorabatur Deus esse, & Deus ignorabatur homo esse: vtrumque manifestabitur, inquit, iam, nempe filium hominis esse filium Dei, & Dei filium, simul esse filium hominis. hoc est manifestari Deum in eo; id est, diuinitas in ea humanitate latens agnoscetur. clarificare appellat notam facere rem notitia illustri, & honorifica: tali enim notitia Deus in carne, & caro in Deo nota facta est: in morte autem Christi hoc factum est: nã, & hominem illum Deum esse, & Deum hominem illum fuisse, est cognitum ex ipsis mortis effectibus, qua mundum, Diabolum, mortem, & peccatum, superauit: & ex signis miris, qualia nunquam visa, aut facta sunt, quæ in morte sunt effecta, ut capite decimo diximus.

Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.

Prosequitur sententiam, assumendo quod affirmauit. Si, inquit, Deus clarificatus seu clarificabitur in eo, id est, si clarificabitur Deus in ipso esse, quia Deus est homo, igitur Deus declarabit eum in semetipso, id est, non indigebit declaratione externa, sicut Sancti, & Prophetæ, quos Deus manifestauit: sed Deus in eo existens, quia homo ille Deus est, ipsemet declarabit, & manifestabit eum in morte sua; quia & si ut homo morietur, tamen diuinitas eius mira opera edet, quibus eum declarat esse Dei filium. Deum clarificare eum in semetipso, idem significat ac diuinitatem in eo existentem declarare, ipsum hominem Dei filium esse. adhuc adiungit, & continuo clarificabit eum, quia eum resurgere faciet: ipse enim, qui mortuus est ut homo, virtute propriæ diuinitatis in eo existentis, se suscitabit, & seipsum clarificabit resurrectione, & alijs miris operibus, quæ subsequuta sunt. Verbis igitur hæc Christus significat adesse iam tempus, quo diuinitas eius manifestanda est mundo, operibus miris in morte gestis, & gloriosa eius resurrectione, & alijs, quæ gesta sunt postea: hæc autem omnia, diuinitas, quæ in ipso met est, effecit: ut idem sit, qui moritur, idem qui se suscitatur, idem qui clarificatur. Hic est legitimus sensus totius huius orationis. Prior clarificatio ad mortem, posterior ad resurrectionem, & opera gloriosa refertur, quæ omnia sunt propriæ diuinitatis virtute facta: ut enim notat Orig. ho. 6. in Exo. exponens illud; Gloriosè magnificatus est: duplex fuit glorificatio Christi, altera gloriosa, altera non gloriosa, sed humilis; vtraque tamen glorificatio est: in morte quidem glorificatus est in humilitate; at in resurrectione gloriosè glorificatus est. Verbum Græcum clarificandi; idem est quod aliàs vertitur per glorificandi verbum, & idem est sensus.

ANNO.

Cyrillus & Chryl. superiora verba referunt ad Patrem.

Cyrillus. libr. 9. cap. 20. & Chrysofost. hom. 71. de passionis, & resurrectionis glorificatione, superiorem sententiam exponunt, sicut & nos, quantum ad glorificationem; tamen per Deum exponunt Patrem, qui per Christum est clarificatus; & qui ipsum Christum in morte, & resurrectione clarificauit. Illud autem, in eo, & in semetipso, exponunt per eum, & per semetipsum. Pater enim per filium glorificatus, & clarificatus est, & Pater clarificauit filium per seipsum, non per Angelum, nec per alium, sed per se, nempe quia operatus est ea, quibus clarificatus est filius: ad Patrem ergo refertur illud, in semetipso, illud, in eo, ad filium. Aug. tract. 63. ad Patrem etiam refert; quamuis hanc clarificationem, de qua dicitur, nunc clarificatus est filius hominis, refert ad eam, quæ futura est in vltima resurrectione omnium, quando separatis malis, regnabit in bonis: dicitur autem nunc clarificatus in figura, quia recedente Iuda solis cum bonis mausit. clarificationem alteram, de qua dicitur, *continuo clarificabit eum*, refert ad resurrectionem. Duo ergo illa, *clarificatus est filius hominis*, & *Deus clarificatus est in eo*, ad vltimam refert mortuorum resur-

Aug. exponit de clarificatione, quæ ex mortuorum resurrectione Christo promouiet.

rectionem: sed dura est expositio, quod ipsa met Aug. presentiens, exponi etiam posse affirmat de resurrectione, quæ proxima erat; & idcirco Christum nunc clarificatum se dicere affirmat. Cyril. autem, & Chrysofost. expositio non explicat verborum proprietatem, nec efficaciam orationis. *Deus glorificatur in eo, & glorificabitur in semetipso*, aliud enim est, glorificabitur in eo, aliud, per eum, quod ipsi exponunt, nec ex ea expositione Christum esse Deum aperte deducimus, vt verè in hisce verbis Christus dixit, & docuit. Propterea legitima expositio est, vt ad diuinitatem ipsummet Christi referamus. Ipse filius Dei glorificatus est in homine, quando in eo homine, in quo latebat, innotuit, & tunc homo agnitus esse Dei filius: hæc etiam diuinitas in homine latens, & verè existens clarificauit eum, & in morte, & in resurrectione: cum enim Deus esset, ratione suæ diuinitatis se suscitauit, & moriens, miracula, & opera mira simul edidit. & ideo seipsum illustrauit. & hunc sensum ante nos docuit Hilari. libr. 5. Trinitat. & ex parte aliqua repetijt libr. 12. & is est legitimus.

Augustinus in eod. lib.

Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.

COMMENTARIUS.

Filioli dicuntur, quia tenere diligebantur.

Affectum paternum erga eos aperit. *Filioli*, inquit, filij diliguntur, at filiolli tenerè amantur. Erant tunc filiolli discipuli; necdum enim ad ætatè maturam spiritus peruenerant, paterno ergo affectu prosequens eos ad amoris vehementiam, & sui desiderium excitat, admonens iam iam tempus mortis suæ instare, per quã ab hac sensibili conuersatione erat separandus. parũ, inquit, temporis ero vobiscum, conuersans, & conuiuens, sicut hæctenus feci. Quis charitatis illius magnitudinem, & ardorem, vnde hæc verba procedebant, cogitare, nedum explicare poterit: quæ corda, etiam saxea, sermo hic non emolliret: quãdo discedere iam volens verbis suauissimis velut amplectitur, & osculatur filios, quos parturierat, & suamet carne nutrierat. Aug. tract. 64. modicum tempus, interpretatur vsque ad ascensionem: nam etiam eo tempore conuersatus est Dominus cum discipulis, & verũ est: tamen Christus de morte sua loquens, hoc, quod supererat, vsque ad eam, significare voluit; post resurrectionẽ. n. nõ sic vt ante conuersatus est. Cyr. l. 9. c. 21. notat etiã filiolos dici, quia omnis homo quantũcunq; perfectus, Christi collatione infans, & paruulus est. verum id est; tamen hoc in loco, quia nondum plenitudinem spiritus acceperant, & ad exprimendum tenerum affectum dilectionis, id dictum iudico.

Modicũ tempus dicit quod vsq; ad mortem restabat.

Queretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modò.

Postquam paternũ affectum erga eos aperuit, eorũ, quæ passuri erant, tacitè illos admonet. *Queretis*, inquit, *me*, id est, desiderabitis me habere vobiscum in tribulationibus, & persecutionibus, quas post meũ discessũ patiemini, non, n. potestis venire quo ego vado; quod etiã Iudæis dixi: id est, nondum est tempus discessus vestri; oportet vos in hoc seculo manere, in quo multa feretis aduersa, & incommoda. Non posse venire dicit discipulos, quia nondũ diuina dispositio obitus eorum erat impleta: oportebat per mundũ discurrere. verbũ Christi gentibus prædicare, & annũtiare, testes Christi resurrectionis esse; nondum ergo veniendum illis erat ad Christum, & ad requiem caelestẽ, ad quam se Christus recipiebat. Est autem sensus iste: *Sicut dixi Iudæis, quò ego vado*

vado, vos non potestis venire, ita, etiam vobis dico, nempe, quò ego vado, vos non potestis venire. Annotat tamen Cyrillus. libr. 9. capit. 22. Iudæis additum esse, & non inuenietis, at non discipulis; notat etiam Chrysofost. hom. 71. non esse dictum Iudæis, *Filioli*, sicut dictum est discipulis; vt ex hoc intelligant, non eodem affectu nec eadem ratione verbum idem vtrisque esse dictum. Attende autem illud, *vobis dico modò*, insinuat enim hoc verbo, *modò*, nõ id semper futurum. ac si diceret, modo dico, non potestis, quia aliquando venire poteritis, & venietis: quod paulò post clarè expressit, dicens Petro: Nõ potes venire modò. Queret aliquis, quare meminit Iudæorum *sicut*, inquit, *dixi Iudæis*. Respondet Chry. ho. 71. vt significet se multò antè præuidisse mortem suam, & ea, quæ modò passurus est: non enim ea scit, quia proxima sunt, sed multò prius nouerat. Altera etiam huius est causa; vt ostendat eos passuros etiã, quæ & Iudæi, nempe persecutiones, afflictiones, & pressuras maximas, & necem, quamuis non eadem de causa, nec eodem fructu: illi enim propter peccata, & in pœnam, ac punishmentem, principiumque æternæ damnationis; at discipuli passi sunt ex Dei, & Christi dilectione, eorumq; passio principium fuit æternæ gloriæ. Attende autem non ad timorem, sed ad fortitudinem his verbis Dominum hortari discipulos, vt rectè Cyril. lib. 9. cap. 22. annotat: magna enim ad patientiam fundamenta iacit præparatio, iuxta illud Psal. 118. *Paratus sum, & non sum turbatus.*

Aliter Apostolus Iudæis dixit quò ego vado non potestis venire.

Duabim de causis Iudæorum meminit hoc locum.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.

Per aeterno affectu demonstrato futurorum periculorum admonitione præmissa, viuendi normam breui compendio docet. Hoc, inquit, *nouum mandatum do vobis, vt diligatis inuicem*, quod vt mentibus, cordibusq; tenacius inhereret, vsq; in vltimum hunc diem reseruauit. *Nouum mandatum* dicit, quia multa mandauerat discipulis suis prius, hoc tamen mandatum non imposuerat, quod nunc discedens expressit, ac si diceret. Nouum hoc, præter omnia alia adiungo mādatur, quod à principio non exposui, sed distuli: nouũ etiam, quia tale præceptum nunquam est datum; est enim de dilectione, qua Christiani hoc nomine, & titulo, quod sub vno capite Christo, & vno corpore sunt, se mutuò diligunt. Attende mandatum hoc Christi ex nimia dilectione, & ex insigni prouidentia erga suos procedere, si enim referas mandatum ad singulos, hæc duo inuenies: nam quid aliud est dicere, diligite inuicem, quàm iniungere omnibus, vt diligant singulos. Ne hæreat cogitatio in eo, quod huic, vel illi dicitur, dilige alios, sed considera omnibus iniungi, vt diligant hunc: & illum, & tunc dilectio nimia, & vehemens Christi splendet erga suos; quorũ singulos ab omnibus diligi præcipit. Rursus prouidentia singularis cognoscitur: Si enim seruetur eius præceptum, nemini deerit aliquid: qui enim ab omnibus diligitur, omnium auxiliũ habet, nulla re indiget. aliorum enim res dilectio facit cõmunes. quapropter rectè Chryl. ho. 71. dixit, Si vos inuicem dilexeritis, fortiores eritis. Adde non tãtum fortiores, sed abundantiores, securiores, beatioreseq; eritis. De nouitate huius mandati annotationem sequentem leges.

Hoc Christi mādaturum est eim charitate & prouidentia orũ.

sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.

Sententia hæc verba superiora explicat, vt doctè annotarunt Cyril. l. 9. ca. 23. & Chryso. hom. 71. & particula illa, vt, id indicat, ac si diceret; do vobis mandatum, vt inuicem diligatis: nimirum, vt sicut ego vos dilexi, ita vos alios diligatis, sitque mutuus amor inter vos omnes, sicut inter me, & vos. Particula similitudinis, *Sicut*, non indicat aliam similitudinem præter ipsam dilectionem, vt sit sensus; vos diligite alios, sicut etiam ego dilexi vos, vt similes mihi sitis in aliorum dilectione. veluti, si quis dicat, scribẽ, sicut ego etiã scribo; nõ dicit, vt scribat similes characteres, sed vt scribat, similisq; fiat ipsi in eo, quod vterq; scribit. ita nunc diligite alios, & vos inuicem, sicut & ego vos dilexi. Continentque verba in se argumentũ efficax inducens ad dilectio

Dilectionem mutuam cõmendat.

lectionem: nempe, si dilexi ego, diligite vos: dignum enim est, ut quos dilexi, vos etiam diligatis. & rursus; si ego dilexi vos, ut quoniam inter vos estis coniunctiores, inuicem diligatis. Aliqui hæc verba exponunt, ut similitudo sit in modo, & qualitate; diligite alios eo etiã modo, quo & dilexi vos. quod in annotatione perfectius exponemus. Aug. tract. 63. sic exponit, sicut dilexi vos ad hoc, ut vos inuicem diligatis. sed hoc non potest accommodari: imperfecta enim maneret oratio. sed sensus est; mandatum do, ut sicut vos ego dilexi, ita etiam vos inuicem diligatis.

A N N O T A T I O XXX.

Dilectio mutua, quare non mandatum à Christo dicatur. Prima sententia Cyrilli.

CONTROVERSA est inter Doctores, quæ ratione dilectio mutua sit nouum mandatum, cum in lege olim fuerit præcepta dilectio proximi; Diliges proximum sicut te ipsum. Sunt variae Doctorem responsiones. Prima est Cyril. lib. 9. cap. 23. Respondet enim nouitatem, non in dilectione esse positam, sed in qualitate dilectionis, quæ exprimitur in verbo illo; Sicut dilexi vos. nempe ut quem admodum Christus nos dilexit, nostram salutem, suæ vitæ temporali præponendo (nam cum in forma Dei esset exinaniuit se, & humiliavit vsque ad mortem, & eoque ipso diuitias, honores, & vitam postposuit pro nostra salute) ita & nos omnia hæc bona temporalia, ipsam etiam vitam, si opus est, debemus pro spirituali proximorum salute. posthabere. Hoc dicit Cyril. esse diligere proximum supra se. prius enim dictum est; Diliges proximum sicut te: at nunc præcipitur, diliges supra te; & idcirco nouum dicitur. Sequitur Euthymi. hanc responsionem, & doctrina vera est, proximos tali esse dilectione prosequendos: tamen non video, qua ratione hoc nouum dicatur; cum etiam ante Euangelium pro salute spirituali proximi, quando opus erat, temporalis vita exponenda esset: mercenarijque erant, non pastores, qui lupum venientem videntes fugiebant, dimissis quibus: quod non aliud est, quam quod pro vita temporali seruanda, spiritualem subditorum salutem contemnebant. Secunda responsio est Chrysof. homi. 71. qui consentit nouitatem in modo consistere, qui exprimitur illis verbis; Sicut dilexi vos: tamen modum dilectionis aliter explicat, nempe sicut ego dilexi vos nullis vestris meritis præcedentibus, sed prior incipiens; ita & vos oportet alijs benefacere, eosque diligere, non solum amicos, sed etiam à quibus nullo estis affecti beneficio, eos præuenientes. Doctrina vera est, sed non video nouitatem quam querimus: nam dilectio proximi antiqua erat propter Deum. diligendus enim Deus propter se; & proximus propter Deum. Si igitur propter Deum diligendus est, siue merita præcedant, siue non, diligendus est, eo ipso, quo proximus est. Tertia expositio est Aug. tract. 65. qui non ad modum hanc refert nouitatem, sed ad effectum; ut mandatum nouum dicatur, quia per dilectionem exiit homo veterem hominem, & induit nouum, qui est in Christo, ut nouum præceptum dictum sit, quasi innouans, & renouans hominem. Sed cum hoc præceptum detur iam exiit à veteri homine, nempe discipulis in gra-

Secunda sententia Chrysofomi.

Tertia est Augustini.

Atia existentibus, & datur nunc baptizatis in Christo, & renouatis; nouitas hæc non satisfacit. Quarta responsio est, quæ colligitur ex Cyrillo libro & capite superius allegato, nempe quia per Christum omnia noua facta sunt, veteri ablata lege, & nouitate Euangelij stabilita, propter quod nouum hoc mandatum dicitur, quia nouis hominibus, & nouo in statu collocatis datur. Quæ responsio aliquibus nostro tempore probatur; sed neque nouitas hæc difficultatem soluit, cum reliqua etiam præcepta dici possent noua eadem de causa. Quinta responsio est recentiorum quorundam, qui nouum præceptum hoc dicunt, quia ex nouo spiritu procedit: veteris enim legis spiritus erat timoris, & seruorum; at Euangelicus filiorum, & dilectionis. Sed hæc responsio difficultatem non tollit: nam omnia mandata decalogi eadem de causa noua dicerentur. Sexta responsio est etiam recentiorum qui nouum interpretantur, quia antiquatum erat primum & vetus præceptum, modò autem renouatur per Christum, nouumque dicitur, quasi renouatum. Sed nec hoc placet; vigeat enim in cordibus Iudæorum legis præceptum; Diliges dominum Deum tuum, & proximum, sicut te ipsum, & quotidie legebatur, & à multis obseruabatur: quod patet Matth. 22. Vbi accessit legis doctor tentans Christum, & petens, quod est maximum mandatum, & secundum simile huic. non ergo dici potuit antiquatum mandatum de proximi dilectione. Adde etiam, si antiquatum esset, iam à Christo renouatum, & amplificatum, seu declaratum maximè fuit. Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. & multa de proximi dilectione iam docuerat, ut non esset, cur modò hoc de nouo iniungeret. Hæc sunt Doctorum responsiones, eligat lector, quæ placuerit.

Mihi iuxta eam rationem, quam in commentario adduxi, visum est, ut duplici de causa nouum hoc mandatum dicatur; primo quidem, ut diximus, quia tunc primo iniungebatur eis hoc præceptum; altera, quod maximè annotandum cenfeo, non esse hoc mandatum de dilectione proximi, quòd ad omnes homines diligendos extenditur: nemo enim à tali dilectione in hoc seculo excluditur, de qua iam Dominus sæpius locutus fuerat; sed est de dilectione, quam Christiani inter seiplos, eo quod Christiani sunt, habere tenentur: debemus enim nos Christianos inuicem diligere, non tantum tanquam proximos propter Deum;

Reliquæ sententiæ recentiorum.

Deum; sed ut Christianos sub vno capite, & vnius corporis membra, propter Christum: & de hac dilectione loquitur Dominus dicens, Inuicem diligite: Quid est, inuicem, nisi discipulus diligit discipulum, sicut Christus dilexit eos singulari quadam ratione, tanquam suos, & de suo corpore? Hæc est dilectio mutua Christiana, quæ à principio tanta erat inter Christianos, ut Actorum 4. dictum sit: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Hæc dilectio non est illa proximi, quæ ad infideles extenditur; sed qua mutuo se Christiani prosequabantur, quia Christiani erant, in Christo, & propter Christum. hæc est, quam Tertul. li. de patientia dicit, esse summum fidei sacra mentum, id est, signum, & symbolum Christianorum.

& Dominus paulò post dicit: In hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei estis. nulla enim natio, nec vllius sectæ professores, ita se tenaciter, & vehementer dilexerunt, nec diligere debuérunt, sicut inter sese Christiani nominis professores: & ad hanc dilectionem supra omnes gentes, & populos Dominus suos inducit. Ex hæc nominis Christiani dilectione procedit, ut Christianus feruenti desiderio anhelet, & quantum fieri potest procurer ad hoc corpus, & Ecclesiam omnes alios, qui extra sunt, attrahere, & eos nouo diligere titulo, nempe per Christum. Hoc autem nouum est præceptum, tum quia à solo Christo impositum, tum quia non illud ante Christum iniunxerat, nisi nunc: & hæc responsio mihi omnium probabilissima videtur.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

C O M M E N T A R I V S.

Confirmat hæc oratio nostram expositionem, ut de mutua inter Christianos charitate seu dilectione sit sermo: hæc enim symbolum, & signum est, quo Christus suos discerni vult à cæteris gentibus & populis, & verè olim tale fuit. ex historijs enim habemus miram, & inexplicabilem, qua se mutuo Christiani prosequabantur, dilectionem: ut ex vno patre & matre nati viderentur; quos nec lingua, nec natio, nec patriæ consuetudo, nec natiui loci diuersitas, diuidebat: & quam gentes admirabantur, ut refert Tertulli. Apolog. cap. 39 dicentes, & murmurantes; videte, quomodo se inuicem diligunt. Hæc est, quam nobis iniunxit Christus; hæc est, quam si seruaremus omnes, sicuti non natio beatior vlla, quam Christiana, ita nec fortior, nec potètiore esset: sed vbi maior vnio iniuncta est, & esse debuit; ibi Dæmon maiora, & plura schismata seminat, odiaque nutrit, & fouet. Rectè autem notat Chrysof. hom. 71. non hoc mysterium miraculis, quæ à malis etiam fieri possunt, sed dilectioni concessum esse, quæ solis bonis, & iustis inest.

Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis?

Non discendi, sed magis sequendi Christum desiderio, & cupiditate, Petrus interrogat, quò vadat: paratum se exhibens ipsum sequi, ut annotat Chrysof. hom. 72. adhuc enim vehemènter erga Christum dilectioni, & affectui suo fidens, verbis illis. non potestis venire, plenam fidem non adhibet: sed existimans dictum esse, quia Christus eos recufaturos venire secum propter pericula arbitrabatur; idcirco petit, Quò vadis? quasi diceret; quod est hoc iter, quod peragis, tam plenum periculis, & difficultatibus, ut non possim ego tecum venire? Adhuc Petrus passionis, & mortis mysterium ignorabat, nec perfecte assequeretur. Zelus bonus, & affectus laudandus, studium etiam, quò, quæ ignorabat, interrogare non puduit, commendandum est: ut dicit Cyril. li. 9. c. 25. interrogare enim, & studere, ut discas, quæ nescias, laude dignum est: tamè hoc in Petro probandum non est, quod suis viribus plus æquo fidebat, & quod non poterat, præsumebat.

Dicit ei Iesus, quò ego vado, non potes me modo sequi.

Negat sequelam, sed spè cõcedit. Non inquit, potes sequi, non absolute, sed modo; tum, quia nondum completa erant, quæ de Petro diuina ordinatione disposita erant: multa enim per ipsum facienda decreuerat Deus, quæ post ac-

Dilectio mutua inter Christianos, noua & singularis.

Petrus affectu sequendi Christum, quò vadat, quaerit.

post ascensionem Christi effecta sunt; tum, vt dicit Cyril. li. 9. cap. 26. nondū acceperat robur, & vires illas spiritus, quibus mortem intrepidè subiret: oportebat Christum præcedere & mortem superare, vt Augu. eleganter tract. 66. dicit. & tunc alios ipsum sequi.

Sequeris autem postea.

De morte Christi loquitur Dominus.

NON priuat Christus feruentem dilectionem Petri spe expressa sequēdi, sed quam tacitè insinuauerat, apertè declarat, *postea sequeris*, Placet interpretatio Cyrilli lib. 9. cap. 26. mortem crucis hoc verbo significari, quod Petro mortis genus fuit concessum. vt verè secuturus dicatur Christum.

Dicit ei Petrus, quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam.

NON satis sibi iudicauit Petrus sequi postea, ideo respondet, *Quare nō possum te modò sequi?* in est, etiam modò possum, quia, *animam meā ponam pro te*, id est, paratus sum pro te mori, nec me vllus mortis timor retardabit. Putabat Petrus, vt ex hoc verbo deducitur, repulsam præsentem se pati propter aliquē timorem, idcirco satis se posse sequi modò existimabat, si mori pro eo paratus esset: nō enim intelligebat mysterium mortis Christi, nec quare dictum ei esset; Non potes me modò sequi, nescius eorū, quæ Deus per Apostolos facere in mundo disposuerat. Existimabat autē Petrus aliquò Christū abire, quò sine magno vitæ periculo ire nemo posset illorū, sicut quādo Thomas dixit; Eamus & nos, vt moriamur cum illo: vt superius cap. II. dictū est.

Respondit ei Iesus; animam tuam pro me pones? amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.

Nimiam sui confidentiam Petro Christus improperat. Tantū abest, inquit vt animam tuam pro me ponas, vt citissimè, antequam gallus cantet, te nosse me sis negaturus, tu animam offers, & quod multò minus, & inferius est, nempe fateri me nosse, non præstabis: nō enim semel, aut bis, sed ter, intra breuissimum tempus nempe antequam gallus cantet, me negabis. Illa interrogatio repetitionis, *animam tuam pro me pones?* negantis est cum quadā depressione, quasi diceret; longè abes, vt animam pro me ponas. Permisit autem Deus Petrum ad tempus cadere, vt non suis viribus, sed diuinæ virtuti, & gratiæ, qua non iuuante necesse est vinci, & cadere, confidere disceret.

ANNOTATIO XXXI.

Iesus ter prae dixit Petro quod esset eum negaturus.

Quantum ex cōtextu, & serie Euangelistarū accuratè consideranti apparet, non semel Dominus Petro hæc verba dixit; imò Aug. lib. 3. de conf. Euangel. ter existimat diuersis occasionibus id prædixisse: semel nūc, quādo Ioannes narrat, quando interrogauit: Quò vadis? priusquam è domo egressus esset; postea iterū sermone completo, antequam in montem ascēderet, quòd Lucas narrat, tertio, quando completo sermone, egressus est in montem oliueti, quòd cæteri duo Euangelistæ narrant. nam Matthæus, & Marcus expressè dicunt; postquam in montem egressus est, Petro dixisse, Ter me negabis: & Marcus addit; Priusquam gallus bis cantet, siue igitur bis, siue ter, id certum est, non tantū semel prædictum id esse. Primo loco factum est, quòd narrat hoc loco Ioannes, nempe ante egressum, & ante sermonem, aliaque occasione; quòd argumento est, non semel à Domino hoc

esse dictum Petro; & qui ad eandem sententiam cum alijs Euangelistis hoc pertinere docent, putantes semel prædictum esse, historiarū ordinem perturbant, nec conuenienter accommodant. Aliud ergo est, quòd Ioannes nunc refert, cuius cæteri nullam habuerunt mentionem. Nec mirum est, quòd dixerit, *Antequam gallus cantet, ter me negabis*; cum bistatum negauerit antè primum galli cantum, vt postea Christus dixit referere Marco; nam vel id verbum omissum est à Ioanne, vt solent Euangelistæ, sicut & Matthæus, & Lucas omiserunt, quòd probabile mihi est: vel hoc ita dixit Dominus nunc, *Antequam gallus cantet ter me negabis*. cantum galli intelligens totum cantum, qui multiplicatis vicibus conficitur; at egressus in montem Petro adhuc sibi fidenti expressius dixit, antequam bis cantet, ter me negabis.

Cetera Euangelistarum.



NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quò minus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quòd ego vado scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit eis **I E S V S**: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum utiq. cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei **I E S V S**, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado: & quodcunq. petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea seruare. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nescit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos: Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos viuētis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo? Respondit **I E S V S**, & dixit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus qui non diligit me, sermones meos non seruatur. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quacunq. dixero vobis. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utiq. quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est: Et nunc dixi vobis, prius quam fiat: vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Non turbetur cor vestrum.

COMMENTARIUS.

Plura turba-
bant discipu-
lorum corda.

Multa discipulorum mentes, & corda timore, & mœrore turbabant. Christum nempe discedentem audire, rursus se non posse, quod ille ibat, venire, sicut nec Iudæi poterant; præterea vnum eorum Christi proditorem futurum; ad hæc Petrum, qui primus erat eorum, ante galli cantum ter negaturum Dominum; ex his omnibus tristitia, & formidabilia concipientes, contristati sunt, & timuerunt: tristitia de Domini, & Magistri discessu erat; timor verò de his, quæ sibi iam iam superuentura metuebant. Turbatum ergo est cor eorum. Magister autem, & Dominus eos consolari, & instruere, miris modis, & argumentis non destitit: idque diuino sermone ad eos habito, qui omnibus fidelibus in huius mundi pressuris, & periculis degentibus, maximam, & consolationem animi, & mētis illustrationem adfert. Incipit ergo ab hac animi eorum turbatione, *Non, inquit, turbetur cor vestrum*, deponite discipuli timorem, & tristitiam, quam de meis verbis concepistis: non est, cur turbari aliqua ratione debeatis. Rectè annotat Cyril. lib. 9. cap. 29. nec nimis turbationem reprehendisse, nec turbati, & adhuc turbandi desperarent; nec eam probasse, ne ea absorberentur, sed modestissimè eos admonuisse, *non, inquit, turbetur cor vestrum*: non autem dicit, nolite turbari; cum non sit in manu hominis turbationem omnem expellere, nec vitiosa semper est; quia & Christus turbatus est; sed dicitur, *Non turbetur cor vestrum*, id est, ratio à recto, & vero, his passionibus succumbens, ne dimoueatur: sed si turbatur, & commouetur inferior pars, & sensus, cor tamen & mens, recto & vero inheret, & immobilis perduret. Cætera in annotatione require.

ANNOTATIO I.

Discipulorum
turbatio qua
his fuerit.

Aliqua annotanda in hac sententia sunt. Primum est, Chryl. hom. 72. & Cyril. lib. 9. cap. 29. hanc turbationem timorem interpretari, eumque conceptum esse, quia Petro eorum primo dictum audierant: *Ter me negabis*: principem enim Apostolorum tam feruidum ante galli cantum ter negaturum audientes, magnam calamitatis expectationem conceperunt, taliq; consideratione timore perculsi sunt. Sed, si quæ sequuntur, consideramus, non hoc tantum cor discipulorum turbauit, sed & Christi discessus, & quia dictum audierunt; *non potestis venire, quod ego vado*, & alia, quæ in commentario expressimus; idcirco non solo timore, sed etiam tristitia affecti sunt: talia enim dicta profectò vnumquemque & timore, & tristitia turbassent. Alterum annotandum est, turbationem esse communem omnibus, & singulis passionibus partis appetitiuæ, timori, iræ, tristitiæ, gaudio, & cæteris. Dicuntur autem turbationes, quia coniunctæ sunt cum quadam corporis alteratione: sanguis enim, bilis, & spiritus alterantur, & commouentur, quando affectus hi exercentur; nempe quando timemus, tristamur, lætamur, irascimur: cuius turbationis etiam in vultu exteriori sæpe fit signum, & indicium. Ex ijs motionibus solent aliquando magnæ prouenire in corpore perturbationes, & morbi, vt docet Basil. orat. de mœrore & tristitia. ea de causa turbationes dicuntur; & qui timent,

A & contristantur, conturbantur. In cuius rei maiorem declarationem, est tertio annotandum, in his affectionibus tria concurrere. Primum est motus prædictus corporeus; alterum est actio, seu actus ipsius potentie appetitiuæ, quo dicimur timere, aut tristari, proce-
*Tria in his
mi passio-
bus reperimur.*
dens ex apprehensione obiecti timorem, aut tristitiam, aut similem aliam affectionem appeti incurrere; tertium est actio, seu actus rationis consentientis, aut dissentientis ei, ad quod effectio ipsa impellit, siue fugiendum, siue prosequendum. Duo priora sæpe nobis nolentibus sunt: nec enim in manu hominis est semper motus illos corporeos reprimere: nec actus ipsos partis appetitiuæ, quamuis hi etiam aliquando in nostra sint potestate; at ratio semper voluntaria & in nostra potestate est, vt consentiat, vel dissentiat. Affectiones sunt partis inferioris, licet non trahant rationem ad se necessariò, cum ea semper in hominis sit potestate, tamen multum efficaciz habent ad inclinandam eam ad se, eaque de causa, quando inordinatae sunt, timeri debent, ne rationem subuertant. minus enim ratio, quæ agenda sunt, videt, quando inferior pars turbata est; sicut oculus minus videt, quando instrumentum humore aliquo non naturali affectum est, faciliusque dæmon decipit hominem his affectionibus turbatum, sicut aqua turbata piscatorum solet capere pisces. Hæc turbatio discipulo-
rum

Turbatio cõ-
mune quid
est passioni-
bus appeti-
t.

Discipulorum
turbatio ex
timore &
mœrore con-
stabat.

rum gemina erat; ex vna parte contristabantur a decreuit roborando, & instruendo, & consolando rationem, ne succumberet; & ideo dicit, *ne turbetur cor vestrum*; in hoc suam diuinitatem ostendit, vt Chrysofost. homil. 72. aduertit, qui potuit internam cordis turbationem inspicere.

Creditis in Deum, & in me credite.

COMMENTARIUS.

Tristitia, & timor, omnisque turbatio discipulorum maximè ex eo procedebat, quia ea solum considerabant in Christo, quæ erant humana, discessus nempe eius, ipsorum in hoc seculo mansio, & alia, quæ ex his cõsequi videbantur; idcirco accommodatum, & optimum Christus adhibet medicamentum, nempe vt remota consideratione rerum humanarum, mentem figant in diuinis: sicut qui transit fluuium, dum aquam labentem intuetur, caput eius & spiritus necesse est turbari; at si conuertat oculos in montem stabilem, cessat turbatio. ita nunc monet Dominus, vt non ea, quæ humanitatis sunt respiciant; sed quæ diuinitatis sunt, intueantur: tunc enim cessabit timor omnis, cum credent eum, qui moritur, & qui vadit, Deum esse, ab omni periculo liberare potentem, qui si nolisset mori, aut pati, eum nemo cogere potuisset, quo protegente nihil eis nocere poterit. Dicit ergo, sicut vos creditis in Deum, & fatemini ab omni eum posse periculo, & malo liberare, credite in me etiam, quia Deus sum. Hebraismus est, sicut & illud Ioan. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: id est, quemadmodum operatur Pater vsque modo, ita etiã ego operor. sic nunc dicitur, quæadmodum creditis in Deum, ita in me credite. Est ergo sensus: me æqualem, & eundem cum Patre Deum credite, & in hoc mentis aciem figite: & non erit, cur vestrum cor turbetur in omnibus, quæ euenient; me enim volente, & disponente fiet. Si me ita potentem confitemini, & cõsideratis, & ante oculos habetis, nihil est, quod aliquem timeatis, nec de meo discessu tristeminij, nec vllum vestrum malum formidetis; sum enim ego Deus, qui omnia possum. Vide quantum ratio contra omnes turbationes fide firmetur: nullus enim mœror, nec tristitia, nec timor rationem auertet à vero, quãdiu in hoc fixa manebit; nempe Christum illud, qui moritur, patitur, vadit, ipsum esse Deum, cui nihil mali accidere potest, & qui ab omni malo suos liberare valet. Discipuli vero quæ solius hominis erant considerantes, in his turbabantur, sicut qui scalam alteram ascendit, & deorsum respicit horret. iubet ergo Christus ne deorsum respiciant, sed sursum oculos attollant, sic fiet, vt ratio non turbetur, nec concutiatur.

Diuinitatis
sua fide, Do-
minus suorum
turbationis,
medetur.

ANNOTATIO II.

Diverse hu-
ius textus le-
ctiones, idem
sensen tenen-
t.

IN Græco verbum, *creditis*, & *credite*, vnum est & idem, & ambiguū, vt vel per modum temporis indicantis vertatur, *creditis*, aut etiam per modum imperantis, *credite*: hinc fit, vt aliqui in vtroque loco legant imperantis modo, *credite in Deum*, & *in me credite*, ita legit Hilarius lib. 9. de Trin. sic interpretantur etiam Cyril. lib. 9. cap. 30. & Chrysofost. hom. 72. vt sit sensus; *Credite in Deum, & in me credite*, id est, quam habeatis fidem de Deo, habete de me, quia ego sum Deus. Alij legunt, *Creditis in Deum, & in me credite*. Ita nostra habet lectio vulgaris, & Aug. tract. 67. idem autem est sensus, siue hoc, siue illo legas modo. Rectè autem aduertit Cyrillus. non

Besse dictum, *credite me esse Deum*, sed, *credite in Deum, & in me credite*, vt fidem Euangelicam à Iudaica distinctam insinuet. Iudæus enim ignarus Trinitatis mysterij, vnum Deum confitebatur, personas non distinguens; at Christianus distinctiorem fidem profitens, ita vnum credit, & confitetur Deum, vt tres in vna Deitate venereretur personas. & eadem est doctrina Basili. lib. 2. contr. Eunomi. hanc distinctionem inter nostram, & Iudaicam fidem docens. Ad hanc fortissimam fidem suos hortatur, quæ in perturbationibus hisce firmum est, & immobile fundamentum, ne labantur, & cadant.

DD 3

In domo

In domo Patris mei mansiones multae sunt.

COMMENTARIUS.

Prosequitur, & instruit, ac consolatur eos ex illa parte, qua dictum erat, Non potestis venire, & rursus Petro: Sequeris postea. Et est sensus, ne etiam contremis, nec timeatis, quia audistis me vadere, nec vos posse venire, solumque Petro promissum aduentum: non haec dicta existimetis, quasi non sit locus pro omnibus vobis; non enim ita est: nam in domo Patris, quod ego vado, sunt multae mansiones: non pro me, aut Petro tantum, sed pro vobis etiam, & pro innumeris alijs. Non est haec causa, cur vos non possitis venire, sed quia necesse est me prius ire, ut vobis praepararem locum. Hoc in sequentibus explicat verbis.

ANNOTATIO III.

Cauenda haeresis Iouiniani de aequalitate beatorum.

Das oportet cauere haereses in huius loci intelligentia: una fuit Iouiniani, qui, ut refert Hieronymus libr. 2. contra eundem, has mansiones de Ecclesia militante interpretabatur, in qua diuersi sunt gradus, & ordines credentium. hoc autem iste fingebat, ne cogere retur fateri, diuersos esse beatorum gradus, nec omnes aequalem habere beatitudinem: ita enim hic haereticus sentiebat, nempe aequalem esse omnium beatorum gloriam. aduersus quem Hieronymus verè, & catholicè disputans, docet, non has esse mansiones militantis, sed triumphantis Ecclesiae, & consequenter, diuersos esse ordines beatorum, & hoc manifestè probari potest. Primum quidem, quia id est, quod Apostoli timebant, ne forte quo Christus ibat, locus non esset pro ipsis; at Christus ad Patrem ibat, & ad caelestem habitationem, vado, inquit, parare vobis locum. Secundò ex verbis subiunctis; Veniam ad vos, & assumam ad meipsum. de gloriae igitur mansionibus sermo hic est, quod etiam Ambrosii. annotat libr. de bono mortis, cap. 12. & est communis Doctorum interpretatio. pro cuius rei intelligentia adhuc aduertendum est, per has mansiones, non solam multitudinem significari, nempe multas esse; sed etiam diuersitatem, & inaequalitatem: quod Iouianus ille haereticus sentiens, ad Ecclesiam militantem referebat. Et in hoc sensu Catholici doctores hunc locum intellexerunt; ut non tantum multae mansiones dicantur, quia plures, sed quia variae, & inaequales, sicut & iustorum vita, inaequalis est, iuxta sententiam Pauli, Corint. 15. Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. Erit ergo inaequalis beatitudo sanctorum. Has autem mansiones in sensum eundem expresserunt Doctores & Patres antiqui, inaequalem multitudinem intelligentes, ita Irenaei libr. 3. cap. 21. & Hilar. in Psal. 64. in illud, Beatus, quem elegisti; interpretati sunt. similiter Cyril. lib. 9. cap. 31. & Hiero. loco allegato. & Aug. lib. de Sancta virginis. cap. 27. Basil. libr. de

Mansionum nomine, & multitudinem & inaequalitatem signifi-
ficari.

A Spiritu Sancto cap. 16. & Gregor. libr. 9. Moral. cap. 39. cum alijs multis, & hunc sensum etiam contextus indicat: non solum enim pro se, & Petro, qui primus erat Apostolorum, sed etiam pro alijs mansiones erant. & tamen certum est, sicut non erant inter se aequales, nec cum Christo, ita nec aequales promittebantur mansiones. Multis locis scripturae haec haeresis contuitur; ac nobis satis sit verum huius sententiae sensum aperuisse, vel hoc enim testimonium, & locus allegatus Pauli veritatem satis comprobant.

B Altera haeresis fuit Pelagianorum; cuius meminit Aug. libr. 3. de anima, & eius origine cap. 11. & libr. 5. Hypogno. & tract. 67. in Ioann. affirmabant hi, pueros ante usum rationis sine baptismo recedentes, saluos fieri, habiturosque mansiones non in regno, sed in domo Patris. dictum enim est, In domo Patris mansiones multas esse, quasi domus Patris, & regnum idem non sint; sed hic idem locus eos redarguit: nam haec mansiones Apostolis promittebantur: Christus etiam venturum se dicit, & assumpturum eos, ut sint vbi ipse est: at Apostolos in regno esse Patris una cum Christo, nemo negare potest, qui scripturae auctoritatem recipit, Matth. 26. Cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Luc. 22. Ut edatis, & bibatis in regno Patris mei. domus ergo, & regnum idem sunt. imò si licet sic argumentari ex nominum diuersitate, dignius videtur in domo manere, quam in regno: qui senim in domo sunt, propinquiores sunt principi, perfectior ergo status, & gloriae gradus maior significatur, dum in domo mansuri dicuntur. Quod, si paruuli in domo manent; consequitur beatiore eos esse, qui sine baptismo recesserunt, quam qui baptizati sunt; si illi in domo, hi in regno mansuri sunt. Sed sunt ista figmenta haereticorum, qui à veritate aberrantes, & in tenebris ambulantes, etiam in praegrandes lapides impingunt.

Pelagianii reijciunt, dicentes paruos sine baptismo decedentes saluari.

Domus & Regnum Dei idem sunt.

Si quo

Si quominus, dixisset vobis, quia vado parare vobis locum.

COMMENTARIUS.

Coniunguntur priora verba superioribus. Multae, inquit, mansiones sunt in domo Patris mei: si quominus, dixisset vobis, id est; si non essent, certè vos eius rei admonerem, nec vos deceptos esse paterer. Ista ergo verba sic sunt legenda, ut in verbo, dixisset vobis, terminetur sententia in hunc sensum: si quominus, id est, si non essent, id certè dixisset. quare autem dixisset, causam adiungit, quia vado parare vobis locum. causa vestri discedo & vado, ut apud Patrem locum vobis praepararem. Si igitur non essent mansiones, profectò vos certiores facerem, quando quidem ea de causa vado. In Graeco textu non habetur particula quia, sed absolute dicitur, vado parare vobis locum, & hic sensus idem ferè est; si non essent mansiones, vobis dixisset, at sunt, & vado, ut praeparare vobis locum. Obijcies, si mansiones haec sunt apud Patrem, quid opus erat praeparatione? Respondeo, fuisse quidem mansiones, tamen ianua caelestis erat clausa: nemo enim quantumcunque iustus & sanctus ingredi potuit regnum caelorum, nisi prius Christus aperiret morte sua ianuam: omnes enim Patres antiqui in limbo detinebantur visione diuina priuati, donec Christus precium redemptionis morte sua solueret, nec ingressi sunt regnum caelorum, donec Christus resurgens, & ascendens, viam faceret, hoc est praeparare locum, in quo mansiones sunt: aperire ianuam caeli, soluere precium mansionum ipsarum, iter, & viam sternere caelestè. Haec omnia Christus fecit morte, & resurrectione sua, ideo parauit locum, ut ad mansiones, ab aeterno à Deo iustis destinatas, perueniri possit.

Quid sit parare vobis locum.

ANNOTATIO IV.

Parare quomodo interpretatio.

CYRIL. lib. 9. cap. 31. & Chrysostr. homil. 72. Euthym. & Aug. tract. 68. & ante eos Origenes homil. 27. in Numer. aliter sententiam hanc interpretantur: coniungunt enim posteriorem partem priori in hunc sensum, Si quominus, id est, si non essent mansiones haec, dixisset vobis, quia vado parare, id est, me ire, ad parandum vobis locum: hoc est, quod dixisset. tanto enim desiderio, & affectu vos mecum esse cupio, ut quamuis mansiones non essent, profectò irem, ut pararem vobis eas; ac non hoc dico, quia verè iam sunt mansiones. Si autem legamus, quia, secundum hanc expositionem, est nota declarans, non reddens causam, ac si dicat; dixisset quod vado parare vobis locum. Haec expositio patitur aliquot difficultates; prima est quantum ad veritatem sensus, qui talis est; si non essent mansiones, dixisset vobis me vadere, ut vobis eas pararem: existimo hoc esse factum; nisi enim mansiones ab aeterno dispositae essent, à Deo, nec Christus homo factus fuisset, nec nobis locum parasset. ideo enim filius Dei factus est homo, & Christus venit in mundum moriturus, & resurrecturus, ut homines, quos ab aeterno Deus in ipso elegerat, salutem, & mansiones dispositas consequerentur, & ad eas peruenirent. non ergo verum esset dicere, si non essent mansiones, dixisset vobis, me ire, ut pararem vobis locum. Secunda est; quod haec expositio sequentibus verbis contradicit, & repugnat: nam

Reijciunt in prior expositio.

A sensus maximè secundum Cyrillum, & August. est, si non essent mansiones, dixisset me ire, ut vobis pararem locum; ac non hoc dico, quia sunt; quomodo igitur statim adiungit, & si abiero, & praeparauero; ibat ergo praeparare. Volentes praefati Doctores euadere haec difficultatem, aliter exponunt priorem praeparationem, dixisset vobis, vado parare, aliter posteriorè; quod est profectò violentum. nam verba sequentia sunt quaedam continuatio praecedentium; Vado, parare; & si abiero, & parauero, veniam ad vos. Quis asseret aliud esse vadere, & aliud abire; nemo profectò; ita etiam eadem est praeparatio. Euthymius aliter euadit: nam quae sequuntur, coniungit praecedentibus in hunc sensum; dixisset vobis me abire, ut pararem vobis locum, & dixisset etiam, si abiero, & parauero, &c. sed nemo non videt, sensum nulla ratione accommodari verbis posse, ut proximè dicemus. Tertia est, quia hi Doctores non distinguunt locum à mansionibus, quando dicitur, si non essent mansiones, dicerem me ire, ut pararem vobis locum; & re vera idem non sunt. si enim sensus esset, què hi Doctores sequuntur, dicendū esset, dixisset vobis, quia vado parare vobis mansiones; ac non id dictum est: mansiones enim gradus sunt gloriae, & beatitudinis destinatae iustis; parare autem locum non est parare, aut ordinare mansiones, sed aperire ianuam regni caelestis, in quo sancti, & iusti gloria fruuntur: aditu enim caelorum

non factio, nemo ad gradum gloriae potuit pervenire. Vera ergo, & legitima expositio, videretur, quam adhibuimus in commentario, ut sententia terminetur in verbo, dixissem, si non essent mansiones, dixissem vobis, & admo- nuissem; at verè sunt, & vado parare locum, vi- am sternere, ianuam aperire, ut ad has mansio- nes aditus pateat.

Et si abiero, & preparaverò vobis locum, iterum venio, & acci- piam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

C O M M E N T A R I V S.

Continuat sententiam, eos certos faciens venturos secum, quamvis non modo. Vado, inquit, parare locum, & postquam abiero, & paraverò iterum veniam ad vos in secundo adventu, & assumam vos, ut mecum sitis apud Pa- trem: non igitur est, nec cur tristemi, de meo discessu, qui tam utilis, & ne- cessarius est vobis, per quem aditus patebit in domum, & regnum Dei: nec cur timeatis, quia dictum est, vos non posse venire, quia venietis mecum: mo- dò non potestis, quia non est locus paratus, via non est strata, aperta non est ianua: tamen quando hæc facta fuerint, poteritis: imò ego veniam, & assumam vos, ut mecum sitis in æternum.

A N N O T A T I O V.

Euthym. sen- tentia exponit dicitur. EUTHYMIUS, ut in annotatione superiori diximus, hanc sententiam connectit, cum superiori, nempe, Dixissem vobis, vado parare vobis locum, & si abiero, & paraverò, veniam ad vos, & c. ut totum hoc ad verbum, dixissem, referatur; sed ex sententia ipsa aperte constat; eam à Christo absolute esse dictam & affirmatam: ut cæteri expositores dicunt, & ipsemet Euthymius id sentiens, alteram adfert expositionem, ut satisfacti difficultati illi, quam in annota- tione præcedenti fecimus. Aug. tract. 68. dubi- tationem proponit, quomodo si dictum est, mansiones esse, & si non essent, dixisset se ire eas parare, nunc dicit se paraturum? Respon- det, mansiones esse quantum ad æternam præ- destinationem, at parari à Christo, quantum ad effectum, & operationem, ut ad eas iusti perveniant. Cyrill. libr. 9. cap. 31. respondet pa- ratas esse mansiones, sed viam non fuisse strata- m; erat enim imperium cælum ante Chri- sti mortem, & resurrectionem, quod nos diximus in superiori commentario: & quam- vis verba diversa sint, sensus idem est Augu- stini, & Cyrilli, cum eo, quem nos superius exposuimus: & hac ratione loca alia scriptu- ræ cum hoc conveniunt. Matth. 20. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matth. 25. Possidete paratum vo- bis regnum. Isa. 64. Quæ præparavit diligenti- bus se. Christus ergo parare nunc dicitur, quia

ianuam aperit, & viam sternit, ut expositum est, & in hoc Doctores idem sentiunt. Hoc di- versitatis est, quod illi Doctores, parare vobis locum, referunt ad verbum, dixissem, & exponunt; dixissem vobis, me ire, ut facerem, & pararem mansiones; quando autem iterum dicitur, paraverò, aliter exponunt, nempe impedi- menta viæ abstulero, & fecero, ut pervenire ad eas possitis: At mihi eadem significatio utrius- que verbi videtur; Christus enim paravit lo- cum, aperiendo cælum, & soluendo preci- um mansionum, & viam sternendo; quæ om- nia iam sunt exposita. Vnum advertendum est, illud, Iterum venio, de adventu secundo in- telligi, quando Christus visibiliter venturus est in hunc mundum, & suos electos, in cor- pore, & anima secum assumpturus. Hoc enim est, quod promittit Apostolis suis, & in ipsis electis omnibus, qui adventus, licet tempori collatus, serus videatur, tamen æternitati si comparetur, citò venturus dicitur in scriptu- ra, & ita in veritate est. 1. Ioan. 2. Filioli novissi- ma hora est. 2. Petri 3. Mille anni apud Domi- num sicut vnus dies, Apocal. 1. Quæ oportet fi- eri citò. Hanc brevitatem Dominus verbo illo præsentis indicat, Iterum venio, non dicit, veniã, sed, venio, quasi dicat iam iam proximè adue- tus meus adest. Solet etiam præsens aliquando loco futuri poni.

Et quò ego vado, scitis, & viam scitis.

C O M M E N T A R I V S.

Scrutator cordium Christus novit discipulorum desiderium. scire enim cupiebant, quò vaderet, ideoque adiungit & hæc verba, ut occasionem, & animum excitaret interrogandi: sicque rem ipse explicatius aperiret, ut re- & dicit Chrysol. hom. 72. Scitis quò vado, nec solum hoc, sed etiam viam, qua ad locum, quò vado, perveniendum sit, novã etiam ratione eos conso- latur, quia discedente eo, quem diligimus, maximum adfert solatium scire, quò vadat, & viam, qua ad eum pervenire possimus:

ANNO-

A N N O T A T I O VI.

Obijciet, verba hæc pugnare cum his, quæ sequuntur. Nescimus, quò vadis, & quo- modo viam scire poterimus? nemo enim di- cet Christum deceptum, putasse illos scire, quæ nesciebant, aut ipsos mentitos, negasse sci- re quæ sciebant. Dico vtranque sententiam ve- ram esse, nullamque in eis esse repugnantiam; quod enim vno modo scitur, altero modo ig- noratur: Hoc etiam Philosophi tradiderunt, & consuetudo communis loquendi docet; id- que multis modis accidit. In primis novèrant Christum ipsum, qui re vera erat Via, per quam ad cælum patet aditus, tamen nesciebant ip- sum esse viam; sic etiam novèrant Patrem, & sciebant esse regnum cœlorum; tamen ignora- bant hunc esse locum, & terminum, ad quem Christus iret. propterea verum est; scitis viam; & ignoratis viam: & utriusque verum dicunt, scitis, quò vadam, & nescimus, quò vadas. Hic modus in scriptura reperitur. Ioan. 9. Tu, in- quit, credis in filium Dei? quis est, ut credam in eum? & vidisti, inquit, & ipse est, qui loqui- tur tecum; si dicitur, vidisti, quomodo ipse tanquam ignorans petit, quis esset? viderat quippe, quia novit eum, qui erat filius Dei; ta- men talem esse nesciebat. Hic modus discipu- lis non omnino accommodatur: iam enim au- dierant, & novèrant, per Christum salutem esse consequendam, & novèrant, Christum ad Patrem iturum. Altero igitur modo scimus aliquid in habitu, tamen ignoramus actu, quia non recordamur, nec mentem appli- camus; sic Apostoli sciebant viam, & quò Chri- stus iret, habitu tamen, non actu, quia non cõsi- derabant; nec quò novèrant, applicabant. & sic Euthymius exponit. Tertio modo scire dici- mur, quando scire potuimus, tamen re ve- ra nondum ad scientiam pervenimus; sic di- ctum est supra Ioan. 7. Et me scitis, & vnde sim, scitis; ut aliqui exponunt, de quo supra egi- mus. Et hac ratione nunc interpretari possu- mus. Scitis, quò vado, & viam, quia vnde sci- re potuissetis, vos docui, & declaravi: at ipsi de facto ignorabant; iam enim de morte sua, & de reditu ad Patrem locutus erat; iam se De- um esse declarauerat, & eum, per quem vita æterna consequenda erat. per quæ facile po- tuissent verba hæc intelligere, & scire, quò nunc vaderet, & viam; qua eum sequi debe- bant. Aduerte rursus; viam posse ad Christum, & ad discipulos, & nos referri. Via per quam Christus ibat ad Patrem mors, & passio eius est. Luc. 24. Oportuit Christum pati, & ita in- trare in gloriam suam. Via, per quam nos se- quimur, fides in eum vera & viva est, per quam credentes salvi fiunt. vtranque discipuli mo- do aliquo sciebant, modo aliquo ignorabant; præcipuè tamen Christus de ea, per quam ad eum locum, quò ipse abibat, & Apostoli, ali- que pervenire possent, loquebatur: nam in hunc finem hæc prolata est sententia; ut non desperarent se posse venire, quò ipse ab- iret, quando & locus, & via nota sibi essent.

Dicit ei Thomas, Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?

C O M M E N T A R I V S.

EX affectu, & cupiditate sciendi quò abiret, obijcit Thomas, Nescimus, quò vadis, viam ergo non possumus scire; ignorato enim termino, viam ad il- lum ignorari necesse est. Thomas etiam de ea via loquitur, per quam ipsi Ma- gistrum sequi possent. Ut autem ignorantiam hanc faterentur, & occasio in- structionis daretur, pronuntiauit sententiã superiorem Christus. Thomas er- go, ut induceret Christum, ad explicandum, quò abiret, omnium ignoran- tiam proponit. nescimus, inquit, non ego solus, sed omnes nos. Quam cetero- rum ignorantiam facile sibi persuasit Thomas, quia primum eorum Petru- m interrogantem audiuerat; quò vadis? nec responsum acceperat. si igitur Pe- trus ignorabat, ceteros ignorare non dubitavit Thomas; ignorato autè ter- mino, quò vaderet, indubitata res erat viam nesciri. hac ergo ratione omni- um nomine generalem denunciat ignorationem. Est autem cum reverentia, & humilitate digna discipulo erga tantum magistrum prolata sententia nõ ut argueret inscientiæ magistrum, qui nesciret eos ignorasse; sed ut suam tan- tum ignorantiam, & discendi desiderium proponeret: ex vna enim par- te non intelligebat, qua ratione scire dicti sint: ex altera senten- tiam Domini veram esse sciebat. interrogat igitur quomodo hæc cohæreant.

Dicit

Dicit ei Iesus; ego sum via, & veritas, & vita.

NON solum ad verba Thomæ respondet Dominus, sed ad animos discipulorum: non enim confirmati erant in promissione Christi, *Si abiero, & preparauero, veniam ad vos, & assumam ad me, ut ubi ego sum, & vos sitis*, idcirco declarat viam, & promissionem confirmat. *Ego*, inquit, *sum via*, per cuius fidem oportet venire: *ego sum veritas*, quæ ergo promisi, faciam: *ego sum vita*, quia etiam si mortui fueritis, & occisi, reuocabo vos ad vitam, ut assumamini ad me, quando veniam. Græcè hæc habent singulos articulos Dicitur autem Christus *Via*: ut enim via est, per quã à termino vno ad alterum fit transitus: ita per Christum à peccato in iustitiam, & ab hoc seculo in æternam beatitudinem veniendum est: nempe fide in ipsum, & obedientia mandatorum ipsius. Ephes. 2. Per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem. Vnde rectè Aug. lib. 11. ciui. ca. 2. homini, inquit, est iter ad Deum, per Deum & hominem, qui Christus est. *Ego sum veritas*, qui non solum non mentior, nec fallo, sed, quæ promitto, impleo; idcirco non est, cur dubitetis me venturum ad vos, & assumpturum ad me. mihi ergo, & in me credite, quia via sum, & quæ promisi, certò sperate, nec diffidatis, quia veritas sum; at ne aliquando turbemini, cum vos occidi, & necari propter me videritis, dicentes, quomodo ergo ibimus ad te? *Ego sum vita*, qui vos resurgere à morte faciam, ut assumam vos ad me: mors. n. non poterit impedire, quo minus ad me veniatis, quia ego sum vitæ causa. Hic est sensus legitimus, & accommodatus, quem Chryso. ho. 72. breuibus visus est verbis attigisse: *Ego*, inquit, *sum via*, quia per me venietis; *veritas*, quia sine dubio hæc erunt, & in me non est mendacium; *vita*, quia nec mors prohibere poterit, quin ad me veniatis. hæc Chryso. His ergo verbis instruit, dum docet viam; confirmat, dum promissa stabilit; allicit, dum vitam promittit.

ANNOTATIO VII.

Quatuor Patrum in-
terpretationes.

Verba hæc cum sint admodum fecunda, si in se ipsis considerentur plures recipiunt sensus. Vnde factum est, ut Doctores varietate ea exposuerint; & veræ sint omnes eorum expositiones, si doctrinam consideremus: tamen ad contextum præsentem; quæ in commentario dicta sunt, maximè facere videntur. Primo loco Cyril. libr. 9. cap. 33. hæc tria sic exponit. Tria, inquit, sunt, per quæ ad æternas perueniendum est mansiones; Vnum est, varia operatio virtutum; alterum fides recta; tertiū spes vitæ, propter primū dicitur; ego sum via; ipse enim legē operum virtutum nobis dedit; propter secundum; ego sum veritas; quia rectæ fidei auctor; propter tertium; ego sum vita. ipse enim nobis vitam restituit. Idem videtur sentire Leo serm. 2. de resurrectione. Ego, inquit, sum via, sanctæ conuersationis; veritas, doctrinæ diuinæ; & vita, beatitudinis sempiternæ. Ista vera sunt; tamen non omni ex parte accommodantur: non enim via dici potest per solam operationem virtutum: nisi enim fides adsit, omnis operatio virtutum non est via ad vitam. in via igitur non sola operatio virtutum, sed recta fides in ipsum constitui debet; quod Basil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 8. doctè fecit. Quoties, inquit, Dominus appellatur via, ad sublimiorem intelligentiam potius, quam ad vulgarem animo ferimur; audientes enim viam, seriem, & ordinem intelligimus, per opera iustitiæ, perque illuminationem scientiæ ducentem ad legitimum profectum, semper ad anteriora festinantes, & ad ea,

quæ restant, nosmetipsos extendentes, donec perueniamus ad beatum finem, qui est Dei cognitio, quam Dominus per se se in ipsum creditibus largietur. hæc Basil. Vides vtrunque coniunxisse in ratione viæ operationem iustitiæ, & illuminationem scientiæ, quæ fides est: & ita hæc verba explicat; Ego sum via: quod etiã nos in commentario diximus. Secundo loco Hil. 7. Trinit. hæc tria aliter exponit; cuius verba sunt hæc: Non nos in erratica, atque in inuia deducit ille, qui via est; nec illud per falsa, qui veritas est; nec in mortis relinquit errore qui vita est. ac si clarioribus verbis dicat; Ego sum Via non fallax, sed certa, quæ non ad mortem; sed ad vitam ducit. Vt. n. Prover. 16. dicitur, est via, cuius nouissima ducunt ad mortem. Secundo hanc expositionem duo posteriora ad viam referuntur; quæ qualitatem viæ declarant: est enim certa, & viuifica. Tertio loco Ambr. libr. de bono mortis cap. 12. aliter explicat. In via, inquit, possibilitas; in veritate, fides; in vita, præmium significantur: quasi diceret; dū dicit se viam, ostendit per ipsum posse nos venire; dū dicit veritatem, docet per fidem veniendum; dū dicit vitam, ostendit, quò sit veniendum. Quarto loco Bern. serm. 7. in coena Domini cap. 1. de gradibus humilitatis multa dicit in horum explicatione verborum, quæ veram doctrinam continent; sicut etiam prædictæ expositiones; ad rem tamen non faciunt: idcirco omnium accommodatissima expositionum ea videtur, quæ in commentario est allata.

Nemo

Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

COMMENTARIUS.

ITa se viam esse ostendit, ut simul terminum, quo vadat, exponat. *Nemo*, inquit, *ad Patrem venit, nisi per me*. nempe per fidem in me perfectam & viuam. Terminus igitur, Pater est, quò ipse vadit & quò discipuli venturi erant. Sensus ergo est; ego sum via, & non est alia via perueniendi ad Patrem, & caelestem gloriam, nisi per me. Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus sub caelo, in quo oporteat nos saluos fieri. Dum dicit, *Per me*, indicat se esse mediatorem Dei, & hominum, per quem habemus reconciliationem, & accessum ad Deum; cuius gratia, & merito, & virtute iustificamur, & saluamur. Est ergo via, ut homo, ad Patrem ut terminum, & ad seipsum, ut vnus est cum Patre Deus.

Si cognouissetis me, & Patrem meum utique cognouissetis.

Ostendit via & termino, Dominus proponit radicem unde procedit eos nescire, quo vaderet, seu terminum ignorare: nempe quia eum perfectè non nouerunt; *Si cognouissetis me, utique meum Patrem cognouissetis*, qui enim mei perfectam, & integram fidem habet, Patris etiam fidem habet: vna enim vtriusque est diuinitas, & substantia, quæ sicut diuidi non potest, ita & cognitio, & fides indiuisa. hæc est ergò causa, cur nesciatis, quò vadam, quia me perfectè non nostis.

ANNOTATIO VIII.

Superior
Christi sententia
explicandi
int.

Cyril. lib. 9. cap. 34. de cognitione, quæ est per fidem, hanc explicat sententiã, ut qui credit in filium, credet etiam in Patrem. Aliiter tamen connectit, nepe hanc esse adiectã sententiã; ut ostenderet non satis esse, si vnum Deum confiteamur, ut Iudæi faciunt, nisi per sonas etiam distinguamus. Ad connexionem hanc proposito accommodare difficile est. Chryso. homil. 72. rectius connectit, ut cum dictum sit; Ego sum via, & nemo potest venire ad Patrem, nisi per me, his verbis Patri se equiparet: solet. n. Christus post verba humanitatis, & dispensationis suæ, verba connectere diuinitatis. exponit autem Chryso. de cognitione per fidem. Sed dubium est, quo modo dicantur discipuli non nouisse eum: tam credebant eum esse Dei filium. Respondet Cyrill. lib. 9. cap. 35. non hoc dictum esse propter discipulos, sed generaliter propter omnes. Aug. tract. 70. propter aliquos dictum censet: aliqui enim nouerant, aliqui non, & hoc verum esse credo. Petrus enim, quam fidem confessus erat, Matth. 16. non amiserat. Chryso. vero non distinguit, sed propter discipulos etiam dictum censet: non enim perfectam fidem habebant, qui quantumuis filium Dei crederent, nondum tamen eum consubstantialem Patri, ab ipsoque procedentem prorsus intelligebant; sicuti postea nouerunt, quando Spiritus sancti lumen receperunt: qui autem perfectè in filium credit, necesse est Patrem in eo confiteatur, quia vtriusque vna est diuinitas; & quamuis non distinguat Chryso. idem tamen cum Aug. sensisse credendus est: Eius autem connexionem accommodatior ea videtur, quam in commentario attulimus. Hilari. lib. 7. Trinit. legit de præsentibus. Si scitis me, & Patrem meum scitis; tamen lectio nostra est conformis Græco exemplari, & quam Doctores Græci sequuntur; quamuis nonnisi ita videatur interpretatus; Si cognouissetis me, cognouissetis Patrem meum: nam & Græcum verbum talem admittit sensum; tamen accommodatior est lectio nostra, quam & Augustinus tract. 70. sequitur.

Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

COMMENTARIUS.

Promittit cognitionem hanc, & fidem perfectam citò dandam, *Amodo*, enim, id est, deinceps, seu ex nunc cognoscetis Patrem, & me; nempe quando post ascensionem missus est Spiritus sanctus infundens fidem perfectissimam, & integerrimam, qua nouerunt Patrem, ad què Christus, ut homo abiit, & ad quem ipsi perducendi erant, *Amodo*, inquit, *cognoscetis eum*. at ne se omnino diuersum esse aliquid à Patre significare videretur, quia dixit, se esse viam ad Patrem, cum sit verè vnus cum Patre substantiæ; & ne eos omni

cogni-

Quomodo videndo Christum Ap. si li viderint Patrem.
 cognitione Patrishaenus priuatos visus esset significare, adiunxit, & *vidisti eum*, nempe in me ipso existentem. Viderant enim eum in Christo per humanitatem, quia cum sit vna diuinitas filij, & Patris, qui per humanitatem videbat Deum, videbat etiam Patrem similiter per opera miraculorum. nam etiam Pater illa opera mira per humanitatem efficiebat vna cum filio. Qui ergo videbat Christum, videbat Patrem, tamen non agnoscebat, nisi is, qui perfectam fidem habebat; sicut is, qui videt eum, qui Rex est, nescit tamen Regem esse. videt Regem, sed Regem non agnoscit: sicuti etiam superius ca. 9. caeco dicenti, Quis est filius Dei, vt credam? & vidisti, inquit, eum; viderat prius, sed non agnouerat; vidistis ergo iam, sed amodo cognoscetis per fidem in me perfectam.

ANNO TATIO IX.

Lectiones diuersae.
 IN Graeco textu habetur, *Amodo cognoscitis siue vouistis eum*; & ita legit, & exponit Cyrill. libr. 9. cap. 35. Nouistis ergo per fidem in me habitam, & vidistis per signa, & miracula, quae in me operatus est. Ita etiam legit Tertul. lib. aduersus Praxeam; & nouistis, & vidistis: at Chrysof. homil. 72. in futuro, sicut nos legit, & ita censet exponendum, vt vnum in futuro, alterum sit in praeterito. Similiter & Hilar. lib. 7. Trini. & hanc lectionem cum editione communi sequimur. quam uis vterque sensus accommodari possit. Hanc uisionem Patris, Chrysof. homil. 72. ratione carnis vnitate diuinitati, quae Patri, & Filio

communis est, exponit: no quod in se videatur, & in sua nuda natura, sed in humanitate vnitate naturae diuinae in persona Filij. Hilar. loco citato idem sentire videtur. Cyrill. ratione operum, & miraculorum, quae Patris etiam erant, visus dicitur. lib. 9. ca. 33. Vera autem expositio est, si vtrunque coniungamus. Hoc tamen est attendendum, quantum ad connexionem, hoc maxime dictum esse, ne filius alienus crederetur a Patre, quasi aliquid extra eum, sicuti via extra terminum; & terminus extra viam est: at non sic filius, qui licet vt homo sit via, vt Deus idem est terminus cum Patre, ad quem perueniendum est.

Dicit ei Philippus; Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.

COM MENTARI V S.

Ardens desiderio dicit, *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Sufficit, inquit, ad deponendum omnem timorem, & tristitiam: ac si diceret; tu nos de tuo discessu, & alijs, quae dixisti, tristes, & timidos, consolari, & confirmare conaris, promissione aduentus tui, & assumptionis nostrae ad te, & preparationis mansionum; at ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, vt timore, & tristitia depositis, non opus sit te pluribus vt rationibus.

ANNO TATIO X.

Sufficit nobis, quatuor modis declaratur a Patribus.
Variè Doctores exponunt illud verbum, *sufficit nobis*. Cyrill. libr. 9. cap. 36. duas affert expositiones. Vnam, quam simpliciore, expressioremque appellat, nempe ad beatitudinem sufficit nobis: quasi diceret; Ostende nobis Patrem, & omnes nos gaudij plenos confitebimur, nihilque ad beatitudinem nobis deesse arbitrabimur. Alteram, quam occultiorè, & curiosiorem, dicit, nempe, sufficit nobis ad confundendum Iudaeos; & ipsorum obturanda ora, qui te legis transgressorem, & demonium habere contendunt; at tu ostende nobis Patrem, & hoc nobis sufficit, vt contra eos prauealeamus. Chrysof. hom. 73. aliam, quae tertia est, interpretationem profert; nempe, sufficit nobis, nec aliud intendimus: non enim, vt Iudaei, cibum corporalem quaerimus, nec studio calumniandi inquirimus, sufficit

B nobis, id est, solum agnoscere Patrem volumus. Hilar. libr. 7. Trini. adhuc quartam adhibet; dicit enim, Christum tria in praecedentibus verbis pronuntiasse, nempe cognoscetis me amodo, & Patrem vidistis, & per quod est a vobis visus per hoc est cognoscendus; Philippus autem non ausus contradicere, verbo Christi, respondet; *Ostende Patrem. & sufficit nobis*. Sufficit, inquit, vt dicto tuo fidem adhibeamus. In hac Hilarij expositione non inuenio, vnde ipse deducat, Christum dixisse, per id esse cognoscendum Patrem, per quod est visus ab Apostolis; nec in his quatuor expositionibus facile est accommodatum contextui reperi sensum, idcirco mihi expositio in commentario posita visa est legitima: consona enim est, his, quae praefecerant.

Dicit

Dicit ei Iesus, tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?

COM MENTARI V S.

Arguit ignorantiam Philippi, ex qua talis procedebat petitio. Patrem enim a Christo separatū, quales humani patres sunt, existimabat, quorum filij videri, & cognosci possunt, non visis, nec cognitis parentibus; idcirco Patrem sibi ostendi petit, quasi iam nouerit filium, Paterque solus cognoscendus superesset. Multum autem in hoc decipiebatur; filius enim Dei non est a Patre separatus, cum vna, & indiuidua sit vtriusque natura, & substantia, vt, qui videt, & cognoscit filium, videat, & cognoscat simul Patrem. Ex hac ignorantia petit; *Ostende nobis Patrem*, at Dominus ad radicem, & causam petitionis conuersus, dicit, *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* quasi diceret; putas Philippe te me nouisse, & Patrem tibi cognoscendum superesse; non sic est, non enim me nouisti, quem profecto debuisses nosse, tanto tempore a me doctus. Si enim me nouisses, nouisses & Patrem. Graece in singulari legimus: *Non cognouisti me*. & ita Chrysof. hom. 37. & Cyrill. lib. 9. cap. 37. interpretantur. & Hilari. lib. 7. Trini. videtur etiam hanc sequi lectionem, coniunguntque nomen illud verbo sic; non cognouisti me Philippe; parum hoc refert, siue ad vnum, siue ad multos referatur sermo; in vno enim multi similes comprehendebantur. Aliter Euthymius haec verba exponit, vt paulò inferius referemus annotatione 12.

Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.

Postquam ignorationem redarguit, veritatem docet, dicens, *Qui videt me, videt & Patrem*. cum enim vna sit vtriusque diuinitas, qui videt me, eum necesse est videre Patrem. Tu existimas te videre me, & non patrem, quasi alia sit natura Patris a mea, & ideo petis videre Patrem; eumque ostendi tibi: scito autem, qui me videt, Patrem etiam videre simul. Graece est in praeterito, & idem est sensus. Duplex est visio, mentis, & corporis; visione corporis Deus non potest videri per se, tamen videtur per aliud. Quando etiam olim Deus in corporis figuris apparebat, videri dicebatur etiam oculo corporeo, non quidem in se, sed in figura representante. ita etiam in humanitate assumpta Deus videbatur: erat enim Deus vnitus homini, qui videbatur, & e ratione, qui videbant Christum, videbant Deum, non per se, sed per humanitatem illam. Cum igitur natura, & diuinitas illi vnita humanitati, sit eadem Patris, & Filij, non poterat videri filius, quin simul videretur Pater, quod esse non posset, nisi vna esset vtriusque natura, & simul etiam homo ille Deus esset. Idcirco ex his verbis multi articuli fidei comprobantur; nempe hominem illum Deum esse, Si enim non esset, nisi merus homo, qui eum videbat, non diceretur Deum videre. rursus Patrem, & Filium eiusdem, & vnus esse substantiae. Si enim non ita esset, non subito, qui videt Christum, videret Patrem; & id annotat Hilari. lib. 7. Trini. rursus alium esse Patrem, alium Filium in personis, quod annotat etiam Basil. hom. 27. contra Sabellianos. Et de hac visione sententia ista procedit; quamuis Hilar. non admittat. Si autem loquimur de visione mentis, tunc aut fides est, aut visio intuitiua: si de intuitiua loquamur, verissimum est, qui videt Patrem, videre filium, & qui videt filium, videre Patrem; si autem de fide, quae etiam in scriptura visio dicitur: 1. Corin. 13. Videmus nunc per speculum, etiam vera est sententia; Qui videt filium, videt Patrem: Qui enim diuinitatem filij confitetur, eum patris diuinitatem fateri necesse est; cum vna, & eadem sit. In omnibus his vera est sententia Saluatoris: magis tamen mihi videtur ad contextum facere, vt de visione ista sensibili intelligatur: nam visionem distinguit a cognitione, quasi viderint, & non

Videre Deum spiritualiter, & corporaliter contingit.

Articuli fidei ex his verbis deducuntur.

De qua visio
ne intellige
da sit Christi
sententia.

nouerint: fides autem, & intuitiva visio, ad cognitionem potius spectant. Erit igitur hic sensus. Existimabat Philippus Patrem esse alterius substantiæ à Christo, idcirco eum videre cupiebat: respondet Christus, non me nouisti: si enim nouisses me, sciisses me esse filium Dei eiusdem substantiæ cum Patre, & si hoc nouisses, intellexisses eum qui videt me, videre etiam Patrem: & sicut mea diuinitas per hanc carnem assumptam videtur, ita etiam videtur diuinitas Patris, quæ eadem est, & non quæsiuisses videre Patrem, quasi à me separatum: nam sicut me vides, ita & Patrem iam vides. De hac re superius plura diximus, & hunc existimo sensum esse legitimum.

ANNOTATIO XI.

Contra Pra-
xam con-
fundentem
personas Pa-
tris.

PRaxæus hæreticus, vt refert Tertull. libro aduersus eundem, negans Trinitatis mysterium, & eandem esse Patris, & Filij personam affirmans, hoc abutebatur loco; si enim, inquit, qui videt filium, videt Patrem, ergo eadem est vtriusque persona. Contra quam hæresim eisdem verbis inturgunt Hilar. lib. 7. Trini. & Basil. hom. 27. contra Sabellianos, & lib. de Spiritu sancto cap. 18. Chryso. & Cyril. in commentario, affirmantes huic verbis personas non confundi, sed potius aperte distingui: Nisi enim duæ essent personæ, non esset dictum, si cognouissetis me, cognouissetis & Patrem, & qui videt me, videt & Patrem. Sententia igitur intelligenda est propter vnitatem naturæ, & essentiæ Patris & filij; vt qui vnus diuinitatem videt, & eo modo, quo videt; videat etiam Patris diuinitatem. & sic Basil. Chryso. & Cyril. ad vnitatem naturæ, & diuinitatis hoc referunt, similiter & Athan. in orat. contra Arrianos; Quod ex Deo Deus est Verbum. Vnde non probatur, illorum sententia, inter quos videtur Hilar. lib. 7. de Trini. qui ad similitudinem referunt, vt qui vnus videt simile, alterum consimile in eo videat:

A non enim ad similitudinem solam, sed ad naturæ identitatem hoc refertur, vt allegati Doctores asserunt, & verba ipsa confirmant, quæ propter solam similitudinem vera esse nequeunt, nisi valde improprie, & violenter. Aduertendum tamen est, per humanitatem assumptam, Pater & Filium videri ratione Deitatis, quæ vnica est vtriusque; filius tamen videbatur ratione etiam personæ, non Patris: nam persona filij vnica erat naturæ humanæ, non autem persona Patris; at Christus nõ dicit; qui videt me, non videt Patrem: si enim sic loqueretur, occasio daretur errandi, vt existimaretur, alterius esse naturæ à Patre; sed considerans vnã diuinitatem vtriusque, quæ erat in natura humana, & per quam mira faciebat opera, dixit; qui videt me, videt & Patrem. hoc etiam verbo respondet Philippi petitioni, & ignorantie eius medebatur, qui videre cupiebat Patrem, quasi iam vidisset filium, & Pater alterius esset naturæ. propterea dicit, si vidisti me, aut putas te iam vidisse filium, scito eadem ratione te vidisse Patrem, quia eadem esse vtriusque diuinitas. hunc existimo esse sensum horum verborum & huius contextus.

Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?

COMMENTARIUS.

Ostenfa veritate, dictum Philippi carpit, quasi ex imperfecta fide procedens. Si igitur, inquit, qui videt me, videt & Patrem, cur ergo petis, vt ostendam tibi Patrem, quasi à me separatum, cum ego in Patre, & Pater in me sit, vnaque sit vtriusque diuinitas? Suauis reprehensione vtitur, dum interrogat, non credis? quasi diceret, caue, ne ita dicas: attēde, quid petis: nam id dicere & petere, est non credere me esse vnum Deum cū Patre. Obijciat aliquis; Philippum quæsiuisse videre aperte, & distincte Patrem. Respondeo, si hoc quærebat, petere debuerat Filium etiam sibi ostendi: nam nec filium viderat; at ipse existimabat Filium ostensum esse sibi, & visum; Patrem autem quem videre cupiebat minimè; propterea reprehenditur: nam sicut viderat Filium, viderat etiam Patrem, quantum ad naturam, & diuinitatem, quæ vna est: viderat autem per humanitatem, vt expositum est.

ANNOTATIO XII.

Euthymij ex-
positio refel-
litur.

Euthymius præter communem expositionem, totius huius responsionis alteram adfert interpretationem: legit enim illa verba: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, non interrogatiuè, sed negatiuè. existima-

Dbat enim Philippus se nosse filium, quod Dominus negat, dicens, tanto tempore, quo mecum es conuersatus, non me nouisti. Qui enim videt me, & meam cognoscit naturam, simul videt Patrem: at tu sicut non me vidisti, ita nec

ita nec Patrem; quomodo ergo dicis, ostende Patrem, quomodo me noueris? nonne credis me esse in Patre, & Patrem in me? non igitur meam vidisti substantiam, sicut nec Patris. Subtilis magis expositio est hæc, quam ve-

ra, multasque patitur difficultates: imò violentiam quandam infert verbis: at quia ipse Euthymius non multum probat, nec nos etiam probemus, nec in ea impuganda immeremur.

Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.

COMMENTARIUS.

A B effectu probat se esse in Patre, & Patrem in se, nempe ex verbis, & doctrina sua: quæ satis indicabat eum nõ esse hominem merum, sed Deum, vnus cum Patre substantiæ, & hoc est, quod dicit, Verba, quæ loquor, à me ipso nõ loquor, id est, ostendunt, non me esse hominem merum, sed Dei filium à Patre procedentem; & diuinitatem eius habentem. Verba autem Christi id significabant, non solum quia Christus suis verbis id exprimebat, & affirmabat, sed quia doctrinæ qualitas, & verbi efficacia hominis meri non erant, vel inimicis fatentibus; Nunquam sic locutus est homo. Non solum ergo verba significabant illum à Deo loqui, quasi Prophetam, & Sanctum: sed etiam quasi Dei filium, in quo diuinitas existeret. Attende, verba illa, quæ per humanitatem proferebantur, fuisse Patris, & Filij, quantum ad verborum substantiam: nam effecta erant à diuinitate, quæ vna est Patris, & Filij, nihilque efficiebat filius, quod non faceret pater: tamen quantum ad significationem filio tribuebantur, quia persona filij erat vnica humanitati illi, non autem persona Patris, & hac ratione Christus dicebat, se esse filium Dei, non autem dicebat, se esse Patrem, quamuis verbum hoc factum esset à filio, & patre: quia à filio procedebat per humanitatem, tanquam instrumentum suæ personæ coniunctum, & à Patre per eandem humanitatem, sed tanquam per instrumentum separatum respectu personæ. de qua re plura diximus superius cap. 5.

Verba filij
iã erant Pa-
tris, sed di-
uerse.

Pater autem in me manens, ipse facit opera.

Fortius argumentum ex operibus colligit, quam ex verbis: si enim sola verba essent, dicerent increduli, nescimus an verba ista sint Patris; at de operibus, nisi per impiam blasphemiam, & deploratam malitiam, id dicere non poterant. Suscitare enim mortuos, illuminare cæcos, & alia huiusmodi, apertè opera Patris erant. Ex operibus igitur confirmat Patrem in se manere: id est, eandem cum Patre habere diuinitatem, qua eadem facit cum illo. Sensus igitur totus hic est, Pater in me est, & ego in Patre sum; quia vna est vtriusque diuinitas: quod ex eo colligere potestis, quia verba, quæ ego loquor, diuina sunt, nec hominis meri, sed Deo propria. est ergo in me diuinitas patris; at si nõ hoc vobis satis est, opera considerate, quæ solius esse Dei negare nemo potest, & ex hoc colligetis, me esse in patre, & patrem in me: id est, me eandem cum Patre habere diuinitatem: inde enim procedit, si ego loquor, ipsum etiam mecum loqui: & si operor, ipsum etiam operari. Attende particulam, Autem, Græcè adde, potius verti sed; vt dicamus, Sed Pater in me manens. Vnum percontabitur aliquis, quod etiam proposuit Chryso. hom. 73. cur non dixit, Verba, quæ loquor, à me ipso non loquor, Pater autem in me manens, ipse loquitur; sed dixit, Pater in me manens, ipse facit opera. Respondeo esse Hebraismum, & breuitatis causa sic dictum loco huius sententiæ. Verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor, & opera, quæ operor, à me ipso non operor; sed Pater in me manens ipse loquitur, & ipse mecum operatur: vt communia sint vtriusque verba, & opera, sicut etiam natura.

Quare non di-
xit, Pater lo-
quitur verbis,
sicut dixit,
facit opera
quæ ego fa-
cio.

Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite.

Concludit, quod probare intendebat, & est sensus; Si non creditis me in Patre, & Patrem in me esse, id est, si propter verba sola mea, & mihi sim-

placiter affirmanti fidem non habetis; saltem propter opera ipsa, quæ Patris sunt, credite: hoc enim argumentum fortius est; nisi enim Pater in me maneret, opera talia non facerem. Hinc confirmata manet illa sententia, qui videt me, videt Patrem: huius enim occasione reliqua dicta sunt.

ANNOTATIO XIII.

Diverse le-
giones.

IN Græco exemplari legimus; *Credite mihi, quia ego in Patre, & Pater in me est.* Et ita Euthymius legit. Cyril. autem lib. 9. cap. 39. legit; credite: non autem legit; mihi; sed facile intelligitur. Hilar. lib. 7. Trini. legit sicut Euthymius Credi-

te mihi; & rursus legit; Pater in me manens, ipse facit opera sua. Aug. autem tract. 71. legit sicut nostra communis habet editio. Hæc varietas nullam in sensu adfert diuersitatem, idcirco non est, cur lectio nostra relinquatur.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

COMMENTARIUS.

in rationis
deklaratur
& expendi-
tur.

CONNEXIO sententiæ huius cum præcedenti talis est. Exhortatus erat discipulos, ut crederent eum esse in Patre, & Patrem in se, ex operibusque ipsis facile illos posse cognoscere Patrem esse in se: ad hanc eandem fidem præter opera, nouum inducit argumentum, ac si diceret; Si opera, quæ ego facio, non vobis suadent, me esse in Patre, & Patrem in me: suadeant saltem opera, quæ facturi sunt credentes in me, & me esse in Patre, & Patrem in me: nam hi facient opera, quæ ego facio, nempe opera patris, & diuinitatis. Vis, & efficacia huius argumenti in hoc est posita: qui me esse in Patre, & Patrem in me, hoc est, me esse filium Dei, Patri consubstantialem credent, facient opera mira, quæ ego facio, propter fidem hanc. igitur verum est me esse in Patre, & Patrem in me: nisi enim hoc verum esset, qui id credit, non efficeret opera talia per hanc fidem. Et re vera magnam, & validum argumentum ad veritatem Christi confirmandam fuerunt, & sunt opera, quæ virtute talis fidei fiunt, & effecta sunt. Auger argumentum: non enim, inquit, hæc facient, quæ ego facio tantum, sed adhuc meliora his, quæ ego feci. Non significant hæc verba, omnia miracula per credentes facta fuisse maiora his omnibus, quæ fecit Christus, sed multa fecisse maiora multis, quæ per Christum effecta sunt, maius enim fuit Petri vmbra sanatos esse infirmos, quam tactu simbriæ Christi ut dicit Aug. tract. 72. nec est generalis hæc promissio, quasi omnes credentes id facturi sint: hæc enim verba ad confirmandam sententiam illam pronuntiata sunt, nempe, Christum esse in Patre, & Patrem in eo, ad quod sufficit, si virtute huius veritatis, & fidei fiant, & facta sint opera diuina: non tamen necessarium est semper fieri, & à quocunque, quod ipse Dominus paulò inferius exponit.

ANNOTATIO XIV.

quid per ma-
iora illa ope-
ra intelligat
Patres.

INquirunt Doctores, qua ratione dictum sit, maiora esse facturos credentes in eum. Orig. hom. 7. in Nu. sic explicat, Verè, inquit, maius mihi videtur; quod homo in carne positus fragilis, & caducus fide tantum Christi & verbo eius armatus, superet Gigantes, & Dæmonum legiones, quamuis ipse sit, qui vincit in nobis, plus tamen est, quod per nos, quam quod per se vincit. hæc Orig. Opera igitur hæc maiora interpretatur spiritualia opera, quæ iusti faciunt, reportantes victoriam contra mundum, Dæmones, & carnem propriam, maiusque esse virtutis, & potentia argumentum, per fragiles homines hanc victoriam Christum operari, quam per seipsum. Idem Origenes homil. 6. in Isai. aliter exponit, &

hæc opera maiora sunt, conuersio tanta, quanta facta est per credentes, & per discipulos. His, inquit, quæ ego feci corporaliter, vos maiora facietis; ego feci resurgere ex mortuis corporaliter, vos resurgere facietis ex mortuis spiritualiter; ego cæcis sensibile hoc lumen infudi, vos spiritualemente lucem non videntibus dabit. hæc Orig. huic consentit Aug. tract. 72. in hunc sensum hoc exponens verbū. Maiora, inquit, fecerunt discipuli, quia multo plures conuerterunt, quam Domino ipso prædicante conuersi sunt: quod non solum in gentibus factum est, sed in ipsismet Iudeis. Chryst. hom. 12. in Acta Apost. loquens de Petro, ad cuius vmbra ponebant infirmos, & sanabantur, inquit; hoc in Christo non est factum.

etiam, proinde videre licet, re ipsa impletū esse, quod dixerat; qui in me credit, opera, quæ ego facio, & ille faciet, & maiora horum faciet. hæc Chryst. & hoc idem probat Aug. tract. 72. ut non solum verum habeat sententia Domini in miraculis exterioribus, sed etiam in conuersione

populorum, quæ re vera vnum ex maximis miraculis est. & hæc fuit multo maior, quam quæ per ipsummet Dominum facta est. eius enim diuinitas valde confirmatur, qui per alios tanta operatus est, & cuius fides adeo efficax est, ut mundum totum ad se conuertat.

Quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.

COMMENTARIUS.

CAUSAM adfert, cur credentes in eum faciant opera, quæ ipse fecit, & maiora. Illud autem primum verbū, *Quia vado*, causa est, cur credentes faciant, quasi diceret; iam ego in hoc seculo visibiliter non ero, nec amplius cum hominibus, ut hæctenus conuersabor, idcirco hoc munus meæ manifestationis credentibus in me relinquo, & ipsi facient, & prosequantur facere opera mea. Ita Chryst. ho. 73. exponit. Secundum verbū, *ad Patrem*, causam reddit, cur maiora faciet, *quia*, inquit, *ego, iā, ad Patrem vado*. tēpus humilitatis meæ, & abiectiois completum est, gloriam meā recipiam, non est cur iam vultū abscondam in paupertate, & humilitate, sicut feci, quia passurus, & pro hominibus moriturus veni: ideo opera feci mira, quibus in me homines credere potuissent, si voluissent: at non ea omnia feci, quæ si fecissem, ad me omnes traxissem: non enim locum darem morti meæ, & redemptioni; at nūc ad Patrem gloriosus vado; nomen meum manifestandum est gentibus, & populis: idcirco maiora, & quæ ego non feci, facient discipuli, & fideles mei. Ita exponit Cyril. lib. 9. ca. 41. Tertium verbū, *& quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, vtramque complet rationem. Vado quidem, & ad Patrem vado, non ut ociosus sim, non ut ab opere vacem, sed facturus quodcunque petieritis in nomine meo; id est, ad nominis mei inuocationem faciam omnia, per quæ Pater glorificandus est in filio; id est, quibus manifestabitur diuinitas mea, secundum quam Pater est in me: glorificatur enim Pater in filio, dum filius consubstantialis ostenditur ipsi Patri per illa opera, quæ facit filius, qui Christus est. Hæc igitur est causa, cur facietis opera, & maiora; quia ego vado, & ad Patrem, & sic vado, ut faciam quidquid petieritis in nomine meo: quidquid, inquam, per quod mea diuinitas, quam habeo cum Patre communem, manifesta est. Hæc verba omnia sunt coniuncta, nec diuidenda: aliqui enim diuidunt, *quia vado ad Patrem*, ibique punctum adnotant: alij terminum faciunt ibi; *hoc faciam*: at verus sensus est, ut continuata sit sententia; *hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio*. quasi dicat; iam non est, cur meam occultem gloriam, ut prius, imò faciam per vos omnia, quæ ad mei manifestationem necessaria fuerint, idque ad vestram petitionem, quam facietis in nominis mei inuocatione, & in virtute fidei declaranda. Attende, *hoc faciam*; se enim Deū ostendit, qui hæc operatur, nec esse discipulos, qui propria virtute efficiunt, sed Christum in ipsis. maiora ergo facient, at non erunt maiores; eadem facient, sed non erunt æquales, quia Christus est, qui per eos facit. Attende rursus, *ut glorificetur Pater in Filio*, non semper miracula fiunt, nisi quando ad fidei manifestationem, & gloriam Dei opus est. In Græco non est, *Patrem*; sed quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: & ita legit Euthym. at nostra lectio vera est, & ita Chryst. hom. 72. & Cyril. lib. 9. cap. 41. legunt; sed siue legas, siue non, sensus idem est.

Causam reddit ob quam maiora facient, ut sint Apostoli quæ ipse fecit.

Verba hæc quomodo legendum sint.

EE

Si quid

Sed quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

Postquam ad fidē exhortatus est discipulos, optimo ordine alia adhibet documenta. post primum ergo, quod ad fidei instructionē & cōfirmationem pertinet, adhibet secundum de inuocatione, & petitione, quā fidem sequitur. Dixerat, credite in me, & me esse in Patre, ac Patrē in me, hoc est, diuinitatē meam; at quia ego discessurus sum, vosq; manebitis in hoc seculo, ne putetis destitutos vos esse in his omnibus, quibus opus vobis fuerit, Petite, inquit, à me, & quidquid petieritis in nomine meo, faciam non minus quā presens. Post fidem rectē ponitur inuocatio, nisi enim fides precedat, inuocatio esse nō potest. Rō. 10. Quomodo inuocabunt, in quē nō crediderunt? Rursus ante cætera omnia meritō inuocatio, & petitio statuitur: ad ea enim omnia assequenda auxiliū diuinum necessariū est, idcirco ab eo petere oportet. Percontaberis, cum iam dictum sit, quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam; quare hoc iterum repetitur? Respondeo ad distinctam sententiā hoc pertinere: priora enim illa verba posita sunt, vt ostenderet credentes facturos operā mira, quæ fecit Christus, & maiōra: & ratio adiuncta est; quia ad Patrem vadit, facturus ea, quæ petierint credentes, vt pater in filio glorificetur, id est, ad fidei veræ ostensionem. idcirco ad documentum fidei, nempe vt credant in eum, illa pertinent; at verba ista aliam habent sententiā, & documentum generale omnibus credentibus, & non de miraculis, sed de his, quæ vnicuique ad propriam salutem spiritūalem necessaria sunt, procedunt: loco enim presentis suæ relinquit, & dat petitionem in nomine suo. Et hic est verus sesus, & connexio. Dicitur autem *petieritis in nomine meo*, petere Christum, est orationem, & petitionem dirigere ad Christum; petere autem ipsum in nomine eius est, ea quæ rogamus ipsiusmet merito, & virtute ac fide petere; vt ipse sit, quē petimus, & ipsemet sit, cuius merito impetrare speremus, quod petimus, quod sine fide in ipsum esse non potest. de hac tamen re paulo inferius plura dicenda sunt.

ANNOTATIO XV.

Diuersæ lectiones nō videntur sensum. **C**hrysol. hom. 73. totam hanc relinquit sententiā, siue quia arbitratus est non pertinere ad textum, siue quia satis exposuisse sibi visus est, propter verba præcedentia similia, prætermisit etiam eandem Nonnus; tamen re vera ad textus veritatem pertinet, & exemplaria Græca, & Latina habent, & Cyril. lib. 9. cap. 42. ita legit, & exponit; nec est eadem sententiā, vt aliqui existimant, ad maiōrē confirmationem repetita, sed nouum sensum habens, vt diximus in commentario. In Græco exemplari non habetur illud, *me*, sed dicitur; *si quid petieritis in nomine meo*; & ita Cyril. & Euthy. legunt; at non mutatur sensus, si legamus, *me*, vt nostra habet editio communis, quam secuti sumus in commentario. Aliqui recentiorum omnino legendum censent, vt cum su-

perius dictum sit; quidquid petieritis Patrem; dicat nunc, petieritis me, ostendatq; se æqualem cum Patre; at id non est ea de causa necessarium; cum verbum, *faciam*, diuinitatem eius probet, quippe qui exaudiat, & faciat ea omnia, quæ petūt, & Cyril. lib. 9. cap. 42. eo verbo diuinitatem significari asserit. In Græcis autem, vt diximus, exemplaribus, in priori sententiā non habetur, *patrem*, sed re vera legendum est, vt Chryso. & Cyrill. etiam legunt: potius non esset legendū in his verbis illud, *me*, vt ad Patrem etiam referatur petitio, vt vnus Deus cum Patre intelligatur: Pater quidem in eo, quod ipsum petimus; ipse verò, dum, quæ petuntur, facit; & hac ratione pater, & Filius vnus significantur Deus.

Si diligitis me, mandata mea seruare.

COMMENTARIUS.

Tertium adhibet documentū, quo in suo discessu discipulos instruit. Post fidem, post petitionem, *Mandata*, inquit, *mea seruare. si me diligitis*: ac si diceret; aliter in meā dilectione non manebitis. si ergo me diligere cupitis, seruare omnia, quæ vobis mandauī, sine quorum obseruatione nemo me diligit. Rectē aduertit Cyrillus lib. 9. capite 43. mandata sua dicere, vt se in hoc Deum significet. cum enim prius Patris mandata pronuntiaffet; Ioannis 12.

Quorsum cum petitione iungat mandatorum obseruationem.

nis 12. nunc sua affirmat. Aduertit iterum cum petitione coniungi mandatorum obseruationem: ille enim petit, & impetrat, qui eius, à quo petit, mandatum & voluntatem facere studet: multi enim non exaudiuntur, quia malè petunt, vt dicitur Iacobi 1. malè autem petit, qui mandata nolens custodire petit. Euthymi. exponit. Si diligitis me, mandata mea seruare, quia signum dilectionis est impletio mandatorum. At hæc verba non tantum signum expriment, sed necessariam conditionem: qui enim non seruat mandata Christi, non habet dilectionem, quod postea apertius dicitur, qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit.

Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.

Videtur sententiā hæc superiori connexa: mandata mea seruare, & ego rogabo Patrem, vt det vobis alium Paracletum præter me: seruantibus enim mandata promittit hunc paracletum: qui non nisi diligentibus datur. Ita Aug. tract. 74. intelligit esse connexas, docens mandata non posse seruari, nisi in Spiritu sancto. At hæc promissio fit de plenitudine Spiritus Sancti, quam plenitudinem præcedit mandatorum obseruatio. sunt etiam verba & argumentum consolandi eos, & confirmandi, vt Christo discedente perseuerent in fide & dilectione, & obseruantia mandatorum eius. Paracletus hic Spiritus Sanctus est, quem dedit Pater post ascensionem Christi in cælum, loquitur autem Christus vt homo, *Rogabo Patrem*, vt det, cum re vera ipse vnā cum Patre dederit: at vt ostenderet suis meritis, quæ habuit, vt homo, & sua intercessione, qua etiam intercedit vt homo, factum esse, vt Spiritus Sanctus mitteretur, idcirco dicit, *Ego rogabo Patrem*. Rursus vt induceret eos, ad magno, & læto animo ferendum hunc discessum; quasi diceret, non sit vobis molestus discessus meus: ego enim apud Patrem existens rogaturus sum, vt det Paracletum alium vobis, eum quē meis precibus dabit. Alium dicit paracletum, vt Cyril. lib. 9. cap. 44. & Chryso. hom. 74. vt personalis distinctio inter filium, & Spiritum Sanctū significetur: est enim filius paracletus, est Spiritus Sanctus Paracletus, sed alius, quia distincta persona; vt in hoc, quod vterque paracletus est, consubstantialitas, in eo, quod alius, distinctio personalis insinuentur. si paracletus promittitur, nō est, quod tristitia sit de discessu: paracletus enim consolationem promittit: quoniam idem significat, ac consolator. Rursus si paracletus dabitur, recedat timor; est enim paracletus etiā exhortator, & incitator. quod ad fortitudinem maximè spectat. Cætera in annotatione require.

Hæc promissione consolatur eos in discessu suo.

ANNOTATIO XVI.

Chrysol. hom. 74. percontatur, cur dictum sit; *Ego rogabo Patrem*, & non potius, ego mittam alium Paracletum? Respondet id esse factum, vt rem ipsam credibiliorem faceret, quasi arduum esset credere dicenti, ego mittam eum. Ego tamen, non video hanc credendi difficultatem, cum paulò inferius manifestè dicat, quem ego mittam à Patre. Grego. Naorat. 5. theolog. respondet id esse dictum, ne Dei aduersarius Spiritus hic esse videretur, neue alterius alicuius potestatis nomine verba facturus putaretur. Sed nec hoc plenè satisfacit, quia vtrumque inconueniens remoueretur, si diceret. Ego mittam eum. missus enim à Christo nec Deo aduersarius, nec alterius alicuius nomine verba facturus existimari poterat: Propterea, quæ in commentario dicta sunt, probabiliora videntur. In quorum declarationem aduertendum maximè est, inter missionem filij, per quam carnem sumpsit, & homo factus est, & missionem Spi-

ritus sancti, per quam in credentes per dona, & virtutes descendit; esse differentiam notandam in eo; quod illam nullum hominum meritum præcessit: nemo enim meruit, nec mereri potuit filiū Dei hominē fieri. quoniam omnes homines erant peccatores, filij iræ & mortis: quicumque autem gratiam aliquā obtinuit, eam propter hanc filij incarnationem aut futuram, aut factam obtinuit; meritum ergo nullum sic præcessit, vt à Deo obtinuerit filium eius hominem fieri, sed hoc ex solo gratuito amore processit. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: Ac Spiritus sancti missionem meritum præcessit. Christus enim gratis & ex amore homo factus, meruit & obtinuit sua iustitia & merito, vt Spiritus Sanctus mitteretur; non solum in discipulos per dona, & virtutes, sed in quoscunque alios, etiam ante & post aduentum eius in carnem. Incarnationem quidem non præcessit aliquis homo & Deus, qui eam

Et differentia inter missionem filij & spiritus sancti iustis.

mereretur : at missionem Spiritus sancti præcessit filius Dei & homo, cuius iustitia & merito factum est, ut Spiritus mitteretur in omnes à mundi principio, in quos quouis modo missus est, & post hac mitteretur. Volens ergo nunc Christus hoc significare dicit; *Ego rogabo Patrem*, ac si diceret; quâuis ego ut Deus vna cum Patre dabo, & mittam Paracletum alium, tamen, ut homo rogabo, quia meæ preces, & mea iustitia, tanta est apud Patrem, ut merear exaudiri, & obtineam aduentum & missionem Spiritus sancti pro vobis omnibus.

Paracleti, ut consolatio, & exhortatio, significat, non enim est Spiritus sancti.

ANNOTATIO XVII.

IN eisdem verbis alterum etiam adnotandum occurrit, circa nomen Paracleti. est enim nomen Græcum à verbo, *παράκλησις* quod tria significat. Primum quidem idem quod Latine consolari. *παράκλησις* habetur 2. Cor. 1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Secundum idem quod hortari, seu exhortari. ad Tit. 2. Iuvenes exhortare, ut sobrii sint. Hæ duæ significationes communes sunt toti Trinitati. Deus enim consolatur nos, ut ex loco proxime citato 2. Cor. 1. constat: hortatur etiam nos, & excitat, ac incitat ad bene agendum; 2. Thessal. 2. Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam & spem bonam in gratia, exhortetur, & confirmet corda vestra in omni opere, & sermone bono. 2. Cor. 3. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Cum igitur hæ duæ significationes sint toti Trinitati communes, sic ut nomen Paracleti sit etiam commune toti Trinitati, ut docet Basil. li. de Spiritu sancto, cap. 19. & Hiero. Epist. ad Hedib. quæst. 9. quamvis de sola priori significatione, nempe consolandi meminerit: eadem tamen ratio est de posteriori. Quod autem commune est, attribuitur tertie personæ, ut nomen Paracleti nomen sit Spiritus Sancti, ut docet Athana. li. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic etiam nomen Spiritus tribuitur Spiritui sancto, quod quidem etiam est toti Trinitati commune. Hoc igitur in loco Paracletus nomen est tertie personæ, quæ dicta sic est à consolando, & ab exhortando seu excitando; quia in adversis & tristibus, qualia multa & ardua passuri erant Apostoli, & fideles Christi, consolatur, & lætificat corda, excitatque & incitat ac exhortatur ad tolerantiam, cæterarumque opera virtutum. Præter has autem duas est alia huius verbi significatio: significat enim idem quod Latine dicimus patrocinari, & causam alterius defendere ac tueri, inde nomen est Paracleti, id est, advocati. sic Christo convenit, de quo dictum est 1. Ioan. 2. Advocatum habemus apud Patrem Christum Iesum ubi Græcè Paracleti nomen legitur, in qua quidem significatione proprium est nomen Christi Dei & hominis, non toti Trinitati commune; non enim proprie Deus advocatus dicitur, cum causam nostram non defendat apud aliquem alium, ut solent Advocati facere, sed ipse est supremus iudex & Dominus: Christus verò ut homo, est verè

Paracletus est etiam nomen filij quatenus advocatum sive defensorem significat.

Aduocatus apud Patrem, causam nostram defendens, illique patrocinans. Est ergo Christus ut Deus Paracletus, id est, consolans, & exhortans simul cum Patre & Spiritu sancto, & ut homo etiam hæc duo habet. Sed ultra ea singulare illi est, ut homini, quod sit Paracletus, id est, advocatus noster, sicut & quod sit mediator. Hoc igitur in loco nomen Paracleti est attributum Spiritui sancto in duabus prioribus significationibus.

BEst quoque hoc in loco adnotandum, quod advertit Athana. in orat. con. Arrian. quæ incipit; Ex Deo Deus est verbum. Dicit enim in veteri testamento Spiritum sanctum nunquam esse appellatum Paracletum, sed Spiritum Domini, Spiritum principalem, Spiritum sanctum, alijque nominibus, nunquam tamen nomen Paracleti habuisse, nisi in novo testamento: causam huius Athana. non expressit: existimo autem duas posse assignari, quarum prior est, quia vetus illa lex per Moysen à Deo data sine sanguine, sine persecutione, sine contradictione introducta & recepta est à Iudæis, neque enim Moyses occisus est propter legis promulgationem, nec Iudæi propter acceptationem; at Christi fides & Evangelium multo aliter inductum est, quandoquidem propter ipsum, primus omnium Christus est occisus: præter ipsum etiam Apostoli, Discipuli, & verbi Prædicatores, & fideles, persecutiones, tribulationes, & mortes crudelissimas passi sunt: nec sine copiosissimo sanguine seminatam est verbum Evangelicum. Spiritus ergo in Evangelio promissus, & Apostolis datus; dictus est consolator, & Paracletus, ut significarentur tribulationes, & persecutiones hæc, propter quas advenit Spiritus hic ad confirmanda, & lætificanda corda discipulorum & credentium. Vbi enim consolatio est, tristitia & adversa significantur. Posterior causa huius est. In statu legis (si lex ipsa in se consideretur, eo remoto, quod ex fide venturi datur, quod non ad legem, sed ad Evangelicam gratiam anticipatam pertinebat) non erat remissio peccatorum, quia lex neminem potuit iustum efficere; non erat ianua cæli aperta, etiam ijs, qui ex fide præcedente iustificabantur; neque erat status filiorum, sed servorum; non erat gratia etiam fidei extensa per orbem, sed paucis hominibus comunicata; nec adhuc donorum, virtutum, & gratiarum Dei abundantia facta: quæ omnia Christus suo attulit adventu: propterea Spiritus sanctus merito paracleti nomen in Evangelio obtinuit, quia iam facta est remissio peccatorum; iam in statum filiorum credentes sunt prouecti; iam cæli ianua aperta iam per orbem lumen fidei effulsit, iam copia abundantissima donorum Dei facta. Huius futuræ consolationis meminit 1. 2. 4. Consolamini consolamini popule meus, dicit Dominus, loquimini ad cor Hierusalem, & advocate eam, completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu

Cur in veteri lege paracletus factus non est dicitur paracletum.

Domihi duplicia. Hæc de nomine Paracleti.

Ut ma-

Ut maneat vobiscum in æternum.

COMMENTARIUS.

Magna profectò est promissio, habere Spiritum sanctum secum in æternum, ut nec post mortem, nec in vita vnquam separetur: quod & impletum est in Apostolis, qui à gratia illa, quam adveniente Spiritu sancto acceperunt, numquam exciderunt, nec in æternum excedent. hoc dicitur propter corporalem absentiam Christi: ac si diceret; non discedet ille à vobis vnquam, sicut ego discedo, nec vnquam de eius separatione dolebitis.

Spiritum veritatis.

Qui Paracletus dictus est, Spiritus veritatis appellatur, ut per id Christus discipulis significet, ab illo non solum consolationem eos accepturos: sed etiam perfectam veritatem docendos. Dicitur enim Spiritus veritatis ab effectu, quia Doctor est & Magister veritatis; eamque hominum cordibus infundit. Est autem quantum ad præsens attinet, triplex veritas. Prima res ipsa per umbras & per figuras significata, sic Ecclesia canit: Umbram fugat veritas. Altera promissionum complementum, sic Psal. 88. Neque nocebo in veritate mea. Tertia diuinorum cognitio ad salutem necessaria, sic Ioan. 19. Veni ut testimonium perhibeam veritati, quæ expressit Dominus Ioan. 17. dicēs: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Has tres veritates Evangelium continet, ideo frequenter nomine veritatis appellatur. Ephe. 7. Cum suscepissetis verbum veritatis. Gala. 5. Quis vos impediit obedire veritati? sunt huiusmodi sexcenta loca. Euangelium enim, quæ sub umbris & figuris latebant, explicat: quæ promissa erant, exhibet: atque absolutam cognitionem diuinorum ad salutem necessariam præstat: merito ergo Spiritus sanctus Magister, & Doctor Euangelij, Spiritus veritatis appellatur, qui ad hanc veritatem promittitur exhibendam. Hinc est, quod Paulus 1. Tim. 2. se Doctorem in fide & veritate nominat. non enim fidei cuiuscunque, sed Euangelicæ Doctor erat, quæ umbras illustrat, & promissiones implet. & 2. Thess. 2. de vocatis ad Evangelium dicit: quod elegerit vos Deus primitias in salutem in fide & veritate.

Veritas triplex.

ANNOTATIO XIX.

Cur Spiritus Veritatis dicitur, lex rationes addit.

Variè Doctores exponunt, cur veritatis Spiritus sit dictus; qui si diligenter legantur, non eadem sentiunt, etiam ijs, qui eadem scribere videntur. Nam multi affirmant Spiritum veritatis dictum, quia est Spiritus filij; at non omnes eandem causam tradunt. Primo loco Cyril. lib. 9. cap. 44. & lib. 10. cap. 33. Spiritum veritatis dici asserit, quia est Spiritus filij, nempe procedēs per filium, & in ipso manens: nam filius Veritas dicitur: Ego sum Via, Veritas, & Vita. Secundo loco Iustin. in expositione fidei, Spiritum veritatis exponit dictum, quia est Spiritus filij, tamen dici Spiritum filij interpretatur, propter connectionem in essentia, quia est vna vtriusque substantia, & essentia. Tertio loco Basil. lib. 2. con. Euno. in fine exponit Spiritum veritatis, id est, Filij, idem sentiens cum Cyrillo, propter processionem, tamen lib. de Spiritu sancto cap. 18. aliter declarat; nempe, quia Christum ma-

nifestavit, iuxta illud; Ille me clarificabit. Quarto loco Chrysol. homil. 74. Spiritum veritatis dictum exponit, ad distinguendum novum testamentum à veteri, & Evangelium à lege. nam in veteri figuræ erant, in Evangelio veritas ipsa: idcirco promittitur Spiritus veritatis. Ante Chrysol. hoc idem dixit Orig. libr. 2. con. Celsum, à doctrina igitur tradenda, dicitur Spiritus veritatis. Quinto loco idem Chrysol. hom. 76 in Ioan. Spiritum veritatis dictum exponit, quia dignus est fide; nimirum quia vera docet. Sexto loco Euthymi. exponit dictum Spiritum veritatis, id est, verum & præcipuum, ut distinguatur ab alijs, qui idem nomen commune habent; cum & Angelus, & anima, & ventus, & pleraque alia Spiritus dicantur. Mihi ea, quæ in commentario dixi, accommodatiora videntur, cui expositioni multum accedit ea, quæ quarto loco recensita est.

Quem

Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.

C O M M E N T A R I V S.

NE commune hoc bonum, ideoque minoris æstimarent, addit, non omnibus communis erit Spiritus hic; mundus enim nō potest accipere eū. Mundum vocat malos, & vitijs deditos, ac incredulos. hi dum tales sunt, Spiritum hunc nō accipiunt. cuius & rationē adiungit: *quia nō videt eum*, & quia non scit, seu nō cognoscit eum: si videret, aut sciret, modo aliquo acciperet; at non videt, nec scit, idcirco nullo modo capere potest. Non videt mundus Spiritum, quia non assumpsit carnem, in qua videretur sicut filius, qui carne sumpta visibilis factus est; non ergo mundus videt; quod etiam bonis est commune, quia ne ipsi sic vident. propterea additur secundum, nec scit seu cognoscit, nempe mente, & affectu, quibus quod non videtur, accipitur & capitur: hoc enim bonis, & iustis proprium est. Cū ergo mundus, nec videat, nec sciat Spiritum, eum capere non potest. Alia Christi ratio est: visus enim est à mundo in carne, ideo mundus modo aliquo accepit eum; at non scit, quia nec credidit, nec affectu recepit: accepit corpore, sed non mente. Spiritum sanctum autem, nec corpore, nec mente. Rectè autem Dominus dixit, mundum non posse videre eum, ne carne sumpta putaretur Spiritus sanctus venturus.

Aliud est nō videre, aliud non scire Spiritum Dei.

Quid sit non videre, & nō scire Paracletum.

A N N O T A T I O X I X.

Chrystost. homil. 74. verbum, *non videt eum*, ad Corporalem refert visionem; nec sciuit, seu agnouit, ad spiritualementem; & mentis cognitionem: sicut nos in commentario exposuimus Cyrillus autem libr. 9. cap. 44. & Basilus libr. de Spiritu sancto, capi. 22. ad internam visionem totum refert, vt sit sensus, *non videt, nec scit*, quia non habet purum & mundum cor: mundi enim corde accipiunt Spiritum sanctum. Conueniunt omnes mundum appellari homines mundanos, vitijs deditos, & incredulos. Euthym. vtramque refert, & probat expositionem: at mihi magis placet prior. nam di-

stinguit visionem, à cognitione, & de discipulis loquens verbis sequentibus, non repetit visionem, sed solam cognitionem, indicans nec eos etiam sic visuros Spiritum sanctum: idcirco aptior est expositio, vt non videre commune etiam faciamus omnibus: nemo enim videt Spiritum, sicut visus est Christus; at nocent boni. Nec cognitio hæc simplicem notitiam dicit: nam mali credentes per fidem cognoscunt, sed dicit notitiam cum affectu, qualis est viuæ fidei; per talem enim capitur seu accipitur Spiritus.

Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

C O M M E N T A R I V S.

MVndo negatur visio, & cognitio; discipulis verò non visio, sed cognitio promittitur, qualis exposita est. *Vos, inquit, cognoscetis eum*, non quidem videbitis, sicut me, quia non veniet factus visibilis, tamen agnoscetis eum mente, & affectu; quia apud vos manebit; quia vobiscum interiori conuersabitur perseveranter, docendo, instruendo, consolando, curam vestri gerendo: Nec solum apud vos manebit, sed erit in vobis, quia dona preciosa sua vobis infundet. Duo hæc sunt, manere apud aliquem, & esse in eo. Christus, quantum ad præsentiam corporalem, manebat apud discipulos, tamen non erat in eis: Spiritus sanctus inuisibiliter vtrumque habet, & manet apud iustos quadam spirituali conuersatione, & protectione; est etiam in ipsis per gratiam, & dona sua, quorum ratione iusti vnionem quandam habent cum Spiritu sancto. In Græco habetur in præsentia. *Vos cognoscetis, quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Euthymius ita legit, exponitque locutionem esse in præ-

Diversa sunt Paracletum manere apud Apostolos, & in ipsis esse.

senti, quia citissimè venturus est Spiritus sanctus. idcirco præsens pro futuro ponitur, sicut etiam dictum est, *Mundus non videt*. id est, nō videbit, nec noscet. potest etiā dici iam aliquo modo nosce, & manere ratione fidei, & gratiæ, in qua erāt tūc discipuli; at postea multo perfectius nouerunt, & in eis mansit.

Non relinquam vos orphanos.

NE audientes discipuli alium Paracletū à Patre eis esse dandū, arbitrarentur se sine Christo mansuros, sicut pupillos sine patre, Spiritumque sanctū tāquā tutorē eis futurum; remouet hanc suspensionē, seu opinionem, dicens; *Nō vos relinquā orphanos*: ac si dicat, Paracletus alius dabitur vobis, nō tanquā tutor loco patris defuncti pupillis datus: nam & ego curam vestri agam, paternum officium non deserō. Hoc verbo suam resurrectionem celerem promittit, & tacitè insinuat; ideo dicit, *Non relinquam vos orphanos*: non autē dicit, orphani nō n eritis: nam re vera futuri erant orphani Christo mortuo: quoniam enim tēpore mortuus fuit, homo non erat, quāuis anima, & corpus diuinitati essent semper vnita: idcirco ipsi illo mortis tempore, vt pupilli, & orphani fuerunt: tamen citò, & celeriter surrexit; propterea dicit, *Non relinquā vos orphanos*. id est, non permittam vos diu in statu orphanorem manere: me enim patrem vestrum post paululum temporis viuente recipietis, & me vnā cū Paracleto alio habebitis. Hic est sensus. Notant Chryl. ho. 74. & Aug. tract. 74. his verbis Christum paternum significare affectum erga suos, quos paulò ante filios appellauerat.

Breui resur- rectorum se promittit.

Veniam ad vos.

NON est hæc sententia proximæ membrum, quasi rationē, & causam contineat, nempe, Non relinquam vos orphanos, quia veniam ad vos, si enim causa esset, Ioannes diligentissimus, & obseruantissimus in his interfendis particulis, non prætermisisset dictionem causam indicantem: nempe, Veniam enim, aut, quia veniam: præterea non esset adæquata causa: aduentus enim parētis, aut recessus nō facit orphanos, aut pupillos filios, sed mors, aut vita: etiam si enim parens non veniat, si tamen viuat orphanus nō censetur filius. Hæc dixerim, quia multi hanc sententiam proximæ tanquam eius causam connectunt: at noua est sententia, & separata, quæ proximā auget; Non solum, inquit, non vos relinquam orphanos citò resurgens; celeriterque ad vitam mihi tollēdam rediens: sed etiam veniam ad vos, visitabo vos, vobiscum ero realiter, & visibiliter: quod impletum est, quando resurgens suis apparuit, cum ipsisque est collocutus, & eos consolatus erudit.

Sententia hæc alia est à præcedenti.

A N N O T A T I O X X.

De quo ad huc loquitur Christus.

HVnc aduentum variè Doctores explicant. Cyrill. libr. 9. cap. 45. asserit esse spiritualementem, & eum quando vnā cū Spiritu sancto descendit in Apostolos, loquiturque nunc Dominus ratione suæ diuinitatis. Et, vt Paracletum hunc ostendat esse secum eisdem substantiæ, idcirco dicit, se quoque tunc venturum, quando ille venerit: sed non mihi videtur facile expositionem hanc textui accommodare: nam præter aduentum Paracleti, quem alium dicit esse à se, aduentum suum promittit, vt sicut est alius Paracletus, sic etiam alius aduentus. Præterea, quando dicit, *Non relinquam vos orphanos*, de suo corporali, & visibili recessu loquebatur: aduentus igitur hic ad eandem visibilem præsentiam referendus est; hanc enim discipuli desiderabant, & de absentia eadem contristabantur. præterea in die pentecostes, quāuis omnia, quæ facta sunt, opera fuerunt

totius Trinitatis, tamen aduentus Spiritui sancto tribuitur, non Patri, nec filio. Aliter ergo Chrylost. hom. 74. aduentum hunc interpretatur, nempe inuisibilem, & spiritualementem, quod Christus ascendens in cælum, suos continuo visitat, & dona spiritualia communicat: sic enim ad discipulos venit, non solum in die pentecostes, sed toto vitæ illorum tempore. Hæc expositio eisdem fere difficultates patitur. Tertio loco Euthym. de aduentu visibili post resurrectionem ad discipulos exponit, idemque Aug. tract. 75. sentire visus est, & contextui huic expositio valde accommodatur: & eam idcirco secutus sum in commentario: Quod enim aliqui nostro seculo docent, vtrumque aduentum miscentes, magis videntur conuenire velle cum Doctoribus, quā quæ ad contextum faciunt, exponere.

Ad huc

Adhuc modicum, & mundus me iam non videt, vos autem videbitis.

COMMENTARIUS.

NE post resurrectionem venturus videretur, sicut primò venerat, nempe in hoc seculo victurus, & conuersaturus, omnibus bonis, & malis, credentibus, & incredulis manifestus, subiungit, *Adhuc modicum, & mundus me iam non videt*, id est, post modicum temporis fiet, vt mundus me amplius non videat: per mortem enim meam, iam iam futuram, ab oculis hominum me subtraham, & amplius non me videbunt, quia resurgens, non conuersabor in hoc seculo, vt ante, at vos videbitis: nam me ipsum vobis manifestabo, non autem illis. Aduentus igitur hic meus promissus non erit, sicut prior. Obiiciet aliquis: mali etiam videbunt in die iudicij Christum, qua igitur ratione dictum est, post modicum, mundus me iam amplius non videbit? Respondeo, loquitur de hominibus in hoc seculo adhuc degentibus, qui amplius non viderunt Christum, vt ante solebant; at in die iudicij erit status mundi mutatus post omnium resurrectionem; sermo autem iste est, de his, qui degunt in seculo.

ANNOTATIO XXI.

Modicum, quid appelletur

CYRIL. lib. 9. cap. 46. hanc sententiam separata à superiori, & de visione quidem sensibili exponit, sed quæ post diem vltimum, & generalem resurrectionem fiet: modicumque hoc interpretatur, totum tempus huius seculi, quod æternitatis collatione verè modicum est. Erit igitur sensus, post modicum huius seculi tempus; mundus, & mali homines amplius me non videbunt, at vos videbilis in æternum mecum mansuri. Magna quidem hæc consolationis causa est; tamen nunc præsentibus discipulorum mœstitiæ de eius discessu adhibebat medicamenta proxima; nec ad illum vltimum diem visionem reieciat, quam etiam multo ante exhibiturus erat. Quamuis autem modicum sit tempus totum æternitati collatum, tamen illorum dolori, & tristitiæ con-

Aparatum, maxima erat dilatio, non modica dicenda. Chryf. hom. 74. modicum hoc refert ad illud tempus, quod à morte ad eius resurrectionem intercessit; post quod modicum visuri erant discipuli Christum, & in hoc seculo per mentis illuminationem, & in altero seculo per claram visionem; visio igitur ista, & eam, quæ in hoc seculo, & eam, quæ in futuro fit, complectitur: post Christi resurrectionem illa, post hoc seculum hæc facta est. Accommodatior hæc videtur expositio, quam prior; tamen cum hæc sententia proximè coniungatur, vt in commentario expositum est, facilitior est expositio, si de visione sensibili facta discipulis post resurrectionem interpretemur, quam interpretationem sequuntur Aug. tract. 75. & Euthymius.

Quia ego vivo, & vos viuetis.

COMMENTARIUS.

Nec mea nec vestra mors impedit, quo minus me videatis.

Proximæ sententiæ membrum hoc est, causamque continet promissionis factæ, vos videbitis me post modicum: videri enim non posset, si ipse in morte mansisset, aut si ipso resurgente discipuli mortui essent, vt runque hoc remouet: videbitis, inquit, me, *quia ego vivo, & vos viuetis*, mors non impedit visionem hanc, non mea, quia vivo ego, id est, cito surgam, & ad vitam me reuocabo: viuetis vos etiam, quia non moriemini, nec interficiemini nunc, sicut ego: nec ludæorum furor impedit, quo minus per vniuersum mundum Euangelium annuntietis. *Vivo ego, & vos viuetis*, consultò non dicit viuam, sed viuo, vt celerem resurrectionem suam significaret, vt annotat Aug. tract. 75. quamuis Euthymius legat de futuro, *Viuam*, & re vera in scriptura aliquando præsens pro futuro vsurpatur: & paulo ante dictum est, Mundus me non videt, id est, non videbit.

ANNOTATIO XXII.

De qua vita Christus loquitur.

CYRIL. lib. 9. cap. 46. hanc sententiam separata à superiori, & de vita futura post generalem resurrectionem interpretatur,

C vt sit sensus; quia ego vivo, vos viuetis: mea enim vita erit vobis causa, vt ad mei exemplar reformati viuatis. Consentit huic expositio.

positioni Aug. tract. 77. Chrysof. autem homi. 74. ad vitam vtramque refert, & ad futuram, quæ erit post generalem resurrectionem: & ad eam, quæ in hoc seculo est per gratiam: separataque etiam sententiam sic, quia ego vivo, erit causa, vt vos viuatis. Non nego has expositiones, & præcedentes huius contextus esse probabiles; tamen multo accommodatiores mihi visæ sunt in commentario allatæ: hæc

A ergo sententia refertur ad præcedentem, tanquam eius causa, nempe videbitis me, quia mors neutra impedit, non mea, quia ego vivo cito surrecturus post mortem; non vestra, quia vos adhuc viuetis conseruati, & protecti: sic fiet vt me videatis, quando ad vos veniam, & hanc expositionem sequitur Euthymius.

In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

COMMENTARIUS.

Dies hic, non vnus aut alter est, sed tempus à Domini resurrectione in futurum etiam post aduentum Spiritus sancti tunc, inquit, temporis, postquam venero ad vos, cognoscetis perfectè, quæ modo non bene calletis: cognoscetis autem tria hæc, nempe me esse in Patre meo; id est, me esse Dei filium verum Deum, & vnus, ac eiusdem cum Patre substantiæ; rursus cognoscetis in me vos esse, id est, percipietis diuinam meam incarnationis mysterium, per quod factum est, vt natura humana dicatur vnita meæ diuinitati, & assumpta ad filij Dei personam: ratione cuius vos omnes dici quadam ratione potestis esse in me: percipietis etiam fructum huius incarnationis meæ mirabilem, nempe Spiritus sancti gratiam, per quam transformemini in statum filiorum Dei, ex statu filiorum peccati, & dæmonis erepti, cuius ratione ego sum in vobis. Hæc tria mysteria nempe Trinitatis, incarnationis, redemptionis; quæ summa est totius doctrinæ diuinæ, cognoscetis fide perfectissima, & plenissima illuminatione, vt totum mundum illuminare, & docere, & regere possitis. Aliter igitur est Filius in Patre, aliter nos in ipso, aliter ipse in nobis: ille in Patre per vnitatem eiusdem est substantiæ: nos in illo, ratione naturæ sumptæ, quam nobiscum communicat; ille in nobis, ratione spiritus, & gratiæ, qui est effectus redemptionis.

ANNOTATIO XXIII.

Cyrillus interpretationem sequitur Aug. sed in explicando die illo conuenit cum Chrysof.

CYRIL. lib. 9. cap. 47. difficilem hunc locum iudicat, gratiamque diuinam ad exponendum postulat, multaque verba in expositione consumit; quæ omnia ad breuitatem redeimus in commentario, secuti que sumus eius interpretationem, nempe qua ratione filius in patre, & nos in Christo, & Christus in nobis esse dicatur: eius enim expositio docta, & vera est. In hoc vno tantum ab eo differimus; quia ille ad tempus; & statum gloriæ refert, vbi hæc est perfecta cognitio: sicut & Aug. tra. 75. tamen nos ad hoc seculum referendum existimamus cum Chrysof. hom. 74. & Euthymio: de his enim, quæ post suam resurrectionem futura erant; Dominus loquitur in hoc contextu: est autem cognitio hæc fides, & illuminatio perfectissima discipulorum; & Ecclesiæ Euangelicæ in ipsis significatæ: in hoc consensio cum Chrysofomo; at non in eius explicatione; In Patre, inquit, secundum substantiam; in ipsis secundum concordiam & auxilium est; nimirum sumus in Christo; vt

Custoditi in custodiente, ipse in nobis, vt custodiens in custoditis. Verum hoc est, tamen maiora mysteria sunt, quæ his promittuntur verbis, quæ explicat Cyril. & in commentario exposita sunt. Vni annotant Chrysof. & Cyril. & hoc verum, & Catholicum est, filium esse in Patre per vnitatem substantiæ, non autem per solum dilectionis habitum; sicut dilectum in diligente; vt fingebant Arriani, diuinitatem veram filij negantes. Aliter igitur in Patre est filius, saliter nos in ipso, aliter ipse in nobis: quamuis si subtilitatem Cyrilli, quæ vera & solida est, sequamur; nos in Christo sumus per quandam vnitatem substantiæ: nam ratione naturæ humanæ illi copulatæ nos omnes dicimur in eo, nempe in illius persona esse: tota enim natura humana per illam indiuiduam assumptam in illo esse dicitur; hoc tamen multo aliter est, quam ipse sit in Patre suo.

FF

Qui

C O M M E N T A R I V S.

Alijs etiam Christum diligentes, eius visio promittitur.

NE Apostoli existimarent, se solos visuros Christum, quia dictum est, vos videbitis me, idcirco hanc visionem fore alijs etiam communem docet dicens: Si quis est alius, vt verè est, *qui habet mandata mea*, id est: tenet memoria, quæ à me audiuit, & seruat ea, credendo & obediendo, *ille est, qui me diligit*, & huic etiam ego meipsum manifestabo, vt videat me; sicut & vos: quod factum est cum multis alijs discipulis, præter vndecim, & cum mulieribus, qui bus seipsum præbuit manifestum: hæc est tota sententia, quæ partim propositis, partim sequentibus verbis continetur. His autè, vt rectè annotat Chrysost. hom. 74. Christus insinuat, non quia illi tristes de eius discessu erant, se ab eis diligi, sed quia mandata eius seruabant, nec in tristitia illa, quæ magna ex parte timiditatis erat, sed in mandatorum obseruantia dilectionem erga Christum spectandam esse, & propter hanc maximè eum esse visuros.

Et Pater meus diligit eum.

STatum Euangelium dilectionis describit. Hunc, qui me diligit, Pater diligit. Quid est, *Pater diligit eum*: id est, iam non dilectione seruorum, sed filiorum diligit: prius enim diligebat quasi seruos, at post meam resurrectionem, & statum Euangelij aduenientem, diligit vt filios. hoc est dicere, *Pater diligit eum*, iuxta illud 1. Ioan. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. non quod absolutè præcedat dilectionem mandatorum obseruantia: nemo enim seruare ea posset, nisi à Deo dilectus, sed significare tantum intendit eos, qui mandata seruant, & fidem Christi habent, iam non vt seruos, sed vt filios diligi, & relicto statu seruorum transire in statum filiorum. Loquebatur enim de his, qui in statu prius Iudæorum, & legis erant.

Et ego diligam eum.

Non solum Pater diligit, sed ego etiam, non vt Deus tantum; sic enim vna & eadem dilectione cum Patre diligit; sed vt homo etiam. sua enim charitate, quam vt homo habet, suos dilexit, & diligit credentes, & sua mandata seruantes; non solum continuando amorem, sed nouis semper cumulando beneficijs, quibus multifariam, & continuo suos afficit Christus.

Et manifestabo ei meipsum.

Concludit sententiam: qui habet mandata mea, & seruat, ille me diligit, & ei me manifestabo. quasi dicat; dixi vobis, vos videbitis me; scitote, non vos tantum visuri estis me; cum & alij non desint; qui mea mandata audierunt, & ea seruant, hos Pater diligit, & ego simul, quibus me post meam resurrectionem, sicut vobis, manifestabo: illi etiam me, sicut vos videbunt. quod factum est, quando Christus post suam resurrectionem multis præter discipulos apparuit. & hunc existimo esse sensum, & cum superioribus sententijs continuationem.

A N N O T A T I O XXIII.

De qua manifestatione, & quo tempore facienda Christus loquatur.

AV G. tract. 75. verba hæc generaliter intelligit dicta propter omnes, qui Christi seruant mandata, quibus se in æterna beatitudine manifestabit: de hac enim manifestatione, quæ fiet in gloria, verbum hoc interpretatur, & est expositio probabilis, quia doctrina vera est, tamen mihi in hoc toto contextu, de tempore post resurrectionem, & de hoc seculo loqui videtur, & consentit Cyril. lib. 10. cap. 1. qui tamen manifestationem aliter explicat nempe eam esse, quæ fit per doctrinam fidei, non qualemcunque, sed perfectam, & plenam, qualis viris perfectis inest: vt distinguat duas cognitiones fidei, aliam rudem, quæ simplicibus fit; aliam perfectam, quæ fit viris, qui in sanctitate prouecti sunt, quibus Christus se multo magis manifestat: quod intelligere oportet non de cognitione speculatiua, quæ etiam in peccatore potest esse maior, quàm in viro perfecto; sed practica, & qua

Quasi experimentaliter, qua Christum hi nouerunt, qui viam spiritus experti sunt. certè enim res est de simplici fide non esse intelligenda hæc verba: nam supponit iam se diligi, & mandata sua seruari ab ijs, quibus se manifestabit. Est ergo is iam de numero credentium, de quo dicit; *Manifestabo ei meipsum*. propterea Aug. ad manifestationem gloriæ. Cyril. ad manifestationem perfectionis, & plenioris refert, & huic expositioni Cyrilli, consonat præcedens sententia, *In illa die cognoscetis me esse in Patre*, hanc ergo cognitionem significat nunc

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes, Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

C O M M E N T A R I V S.

VNus ex discipulis nomine Iudas, non ille, qui Christum tradidit dictus Iscariotes (hic enim Iudas Thadæus frater Iacobi est) audiens verbum hoc (mundus me non videt, vos videbitis) & de se, suisque condiscipulis intelligens illa etiam vltima (manifestabo me ipsi) interrogat Christum dicens, *Quid factum est*, id est, quid causæ est, quod te nobis, & non mundo manifestabis; aut quod nos te videbimus, non autem mundus. Non intelligebat mortis, & resurrectionis mysterium, nec nouerant Christum surgentem amplius in hoc mundo non conuersaturum; sed manifestandum singulari priuilegio, & ipsis, & quibusdam alijs, idcirco ignorans, & nondum callens sensum verborum perfectum, interrogat causam huius distinctionis.

A N N O T A T I O XXIV.

Dea respicit Iudas Iudæi non vt bo

CHRYSO. hom. 74. & Euthy. asserunt, discipulum hunc existimasse, hanc manifestationem futuram in somnijs, sicut mortui apparere solent viuis, ideo turbatus, & grauius id ferens dicit; quæ causa est, cur diligentibus, & mandata seruantibus te manifestabis in somnijs, vt mortui solent, & non mundo? id est, consueto more, vt solent homines alijs se manifestare. certè expositio hæc dura videtur. Cyril. lib. 10. cap. 2. aliter exponit, & longè diuerfum sensum adfert, ex charitate enim interrogasse affirmat: cum enim audisset hanc cognitionem spirituales perfectam, promissam esse sanctis, non autem cæteris, quærit, cum venerit pro salute omnium, cur non sit etiam se multis alijs manifestaturus: non enim distinguebat hanc perfectam cognitionem, à rudi cognitione simplicis fidei, quæ communis est multis, & quæ ad salutem sufficit, at nescio, an Iudas tunc tam perfectam habuerit de redemptione futura per Christum cognitionem, quantam Cyrillus asserit habuisse. Mihi facilior, & accommodatior expositio videtur si eum dicamus ex ignorantia interrogasse. Erat enim nescius Christum post resurrectionem suam in hoc mundo amplius non conuersaturum; sed videndum tantum ab aliquibus, qui illum diligebant; idque ex priuilegio singulari. Existimabat autem mundum totum omnino Christi cognitione priuandum, nullumque fructum consecuturum ab eo, sicut nec à cæteris mortuis; non enim aliud cogitabat, quàm illam singularem visionem sibi ipsis promissam, idcirco responderet Dominus, quæ sequuntur.

Respondit Iesus, & dixit ei; Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

C O M M E N T A R I V S.

Opinionem B. Iudæ falsam remouet, docens non sic futurum, vt mundus omni ex parte priuetur Christi cognitione, & mortis eius fructu. quamuis enim discipulis, se manifestaturus esset visibiliter, & alijs paucis quibusdam, non autem mundo; tamen alter aduentus supererat inuisibilis, & spiritualis per gratiam, & dona Spiritus sancti; quo venturus erat vnà cum Patre in eos omnes qui eum dilexerint, & eius seruauerint sermonem: vt etiam ipsi cognoscant, & participent fructum suæ redemptionis, & in confor-

Promissio fit omnibus Christi diligentes cum mundum

tium filiorum Dei admittantur. Hic est sensus huius sententiæ; nempe, si quis Christum prædicatum receperit, & sermonem ac doctrinam eius amplexus mente, & affectu fuerit, eum Pater diligit, id est, adoptabit in numerum filiorum. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius; & tam Pater quàm Filius & Spiritus sanctus venient etiam ad eum per gratiam in hærentem, ratione cuius Deus dicitur esse in homine, & inhabitare in eo. quando igitur hæc gratia datur, Deus ad hominem venire dicitur: Venire enim Deum ad aliquem, est in eo operari, & aliquem effectum facere, non quod in se moueatur, qui omnia replet, & immobilis, ac immutabilis est. dicitur etiam manere, & inhabitare propter continuam operationem in iusto, & habente gratiam Dei: ipse enim Deus est, qui eam conseruat, promouet, & tuetur, & vna cum arbitrio ipsum iuuans cooperatur.

A N N O T A T I O XXV.

*Dna explicatio
re ad homi-
nem quid sit*

CHRYSO. homil. 74. in superioris sententiæ expositione perseverans, præsentem sic connectit, & interpretatur. nempe, cum beatus Iudas intellexisset apparituum Christum in somnijs sicut apparent mortui, & non more consueto (ita enim interpretatus est, mundo apparere; id est, modo consueto manifestari) Dominus docet, non sic se manifestatum iri, sed spiritualiter, sicut & Pater solet manifestari. Est igitur sensus; ei, qui diligit, & sermonem meum seruat, non vt mortuus in somnijs apparebo, sed vna cum Patre veniam ad eum, & manebo apud eum. Ita etiam Euthymius exponit, sed sicut prior dura videbatur **B** expositio, & violenta, ita etiam hæc posterior, & eius connexio. Cyrill. libr. 10. cap. 3. aliter connectit, & exponit; dicit enim, quia sanctus Iudas non intellexit verba superiora; *qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit, & Pater diligit eum, & manifestabo me ipsum ei;* quibus verbis non negat, imò affirmat mundo, id est, multis hominibus, & Gentibus fidei cognitionem esse etiam communicandam: propterea repetit idem, vt hæc sententia non sit alia, sed repetitio eiusdem, quia pri-

or non fuerat intellecta. At difficile est sustinere, hæc esse repetitionem eiusdem sententiæ, cum longè aliud illa contineat; *Manifestabo ei meipsum, quàm hæc, Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* illud enim ad cognitionem solam refertur; hoc autem plura completitur vltra cognitionem. Adde, manifestatio apertam & claram notitiam significat; aduentus autem hic fieri potest, & fit sine clara notitia. Est igitur sententia hæc separata; & ad diuersas relata personas: illa enim ad eos dirigebatur, quibus præter Apostolos Dominus visibiliter apparuit post suam resurrectionem, quos adoptauit Pater ad Euangelium filij: at hæc ad omnes eos refertur, qui post ascensionem in ipsum crediderunt, quibus non apparuit, sicut cum prioribus est affectum: tamen inuisibiliter venit ad eos cum tota Trinitate per dona gratiæ infusa eis, in ipsisque habitat: in quo errabat sanctus Iudas existimans, non ad alios venturum Christum, nisi ad eos, quibus visio promittebatur illa, à qua fere totus mundus exclusus in hoc seculo est. Hic mihi legitimus sensus, & connexio videtur.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat, & sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.

C O M M E N T A R I V S.

Sententiam superiorem confirmat à contrario; dixerat enim, *Qui diligit me, sermonem meum seruat*, contra verò, *qui non diligit me, sermones meos non seruat*. ne quis autem existimaret, sine obseruantia sermonum eius, dilectionem esse posse, saltem patris, adiunxit, *Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.* ac si diceret, qui sermones meos non seruat, non solum non diligit me, sed nec etiam diligit Patrem, quia sermones mei, non mei, id est, non mei tantum, sed Patris etiam sunt: sicut ergo non me diligit, ita neque patrem: fiet ergo, vt nec pater diligit eum, nec ego, nec ad eum venturi simus. Solet Dominus hoc genere locutionum vti aliquando. Ioan. 3. Qui credit in me, non iudicatur, qui non credit, iam iudicatus est. Qui ergo diligit me, sermonem: qui non diligit, non seruat sermonem. cumque sermo sit etiam Patris, nec diligit Patrem, nec diligitur à Patre, nec Pater, & filius

filii ad eum venient. Hæc verba adiunxit Dominus, vt in vitium, & culpam hominum rejiceret, si ad eum non venerint, & fructum eius redemptionis non participauerint: ipse enim pro totius mundi salute venit. Verba autem hæc: *Sermo iste, quem audistis, non est meus, sed Patris*, eundem habent sensum cum illo Ioan. 7. Mea doctrina, non est mea, sed eius, qui misit me; id est, non est mea solum, nec à me, sed Patris etiam & ab ipso, à quo accepi naturam, & substantiam.

Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò vobis.

Ne discipuli verba hæc omnia Christi non percipientes, nec sensum perfectè assequentes turbarentur; Dominus eorum omnium intelligentiã perfectam promittit, per Spiritum Sanctum paracletum à Patre dandum in nomine eius, qui omnia ea docturus erat, & quæ obliuioni tradiderant, suggesturus, ac in memoriam reducturus. Dicit ergo, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens*. id est, hæc dixi, dum hoc breui tempore apud vos maneo: prope enim ad patrem; at quia scio vos non omnia assecutos esse, non ea de causa turbemini: quia Spiritus Sanctus venturus, docebit vos omnia mysteria aduentus mei, & omnium intelligentiam ministrabit, & quæcunque dixi vobis, suggeret, & in memoriam reducet. hoc enim significat verbum, *Suggester*, vt Cyril. lib. 10. cap. 6. & Euthy. & August. tract. 77. exponunt. Declarat autem nunc, quis sit paracletus alius, quod ante non fecerat, nempe esse Spiritum Sanctum. Attende dici patrem mittere in nomine Christi Spiritum Sanctum, quia ad exequenda, quæ per Christum facta sunt, mittit. Christus enim redemptionem perfecit hominum, at Spiritus Sanctus venit vt sanctificaret, & doceret, & denique ad complementum perduceret. Mittere enim aliquem in nomine alterius, est mittere ad agendum & tractandum negotium illius. Ioan. 5. Ego veni in nomine Patris mei; id est, ad tractandum opus & rem patris. Si quis venerit in nomine suo; id est, ad negotia propria, non Dei tractanda: ita nunc mittitur Spiritus sanctus in nomine Christi. Attende rursum: Paracletum Spiritum sanctum nominari; quia eos consolabitur, & confortabit. Sanctum verò dici, quia perfectionem sanctitatis operabitur, & vltra hæc docebit, & illustrabit omnia. hæc etiã in fidelibus efficit idem Spiritus sanctus. Obserua etiam, aliquando Patrem, aliquando Filium dici mittere Spiritum sanctum, quia ab utroque procedit, de qua re inferius copiosior fiet sermo. Illud, *dixero*, Græcè est dixi. Aduerte postremò, multa dixisse Christum quæ à discipulis intellecta non fuerant, quando dicta sunt: at Spiritu sancto illustrante postea intellexerunt, quod magno consilio factum est; vt hoc factò significaret, exteriorem cuiuscunque prædicationem verbi diuini, non sufficere ad intellectum, & mentem auditorum conuertendam, & trahendã ad sensum, & ad intelligentiã; nisi interius Spiritu sancto cooperante: quem poterat Christus tunc dare, sed noluit; vt id intelligerent discipuli, verboque & prædicationi suæ futuræ non tribuerent hominum conuersionem, & fidem, sed Spiritui inuisibiliter docenti.

A N N O T A T I O XXVI.

Aliqua sunt annotanda breuiter. primum **A** est, illud verbum, *docebit vos omnia*, referendum esse ad ea, quæ ad mysteria aduentus Christi, & doctrinam eius pertinent, & quæ ad Ecclesiæ instructionem, & erectionem necessaria erant: quorum nihil ignorauerunt Apostoli post aduentum Spiritus sancti. quo verbo Tertull. libr. de præscriptionibus aduersus hæreses impugnat blasphemiam illorum, qui non omnia hæc sciuisse Apostolos affirmauerunt, Christum reprehedentes, qui minus instructos discipulos miserit. Sed huius blasphemie falsitatem verbum hoc redarguit, *docebit vos omnia*: idcirco ad alteram blasphemiam se conuertebant iudem hæretici, dicentes; si omnia Apostoli sciuerunt, ergo non omnia tradiderunt alijs, sed sibi reseruauerunt; in quo etiam Christum in simulabant,

quod parum simplices in bono miserit discipulos. quam blasphemiam Actor. 20. refutat Paulus dicens: Mundus sum à sanguine omniū; non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Secundò est annotandum, Cyril. libr. 10. cap. 6. illud, *in nomine meo*, exponere ratione processiois Spiritus sancti per filium; quasi diceret; Pater mittet per me, quia Pater per filium producit Spiritum sanctum. Sed accommodatior expositio allata est in commentario. Venit enim Spiritus sanctus ea prosequi, quæ Christus perfecit, quod paulò inferius dicitur, de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Possit etiam aliter explicari, nempe Spiritum sanctum dictum esse mittendum in nomine Christi, id est, propter meritum, & iustitiam ipsius, ut diximus superius in illis verbis, *ego rogabo Patrem*. Sicut enim petere patrem in nomine Christi, est petere propter eius meritum; ita etiam Patrem

A mittere Spiritum in nomine eius, est mittere propter eius meritum. Tertio, annotat doctò Augusti. libr. 4. Trini. capit. 20. non esse dictum, quem mittet Pater à me, sicut inferius dicitur; quem ego mittam à Patre. Eo enim auferendi casu insinuat processio filij à Patre, quem mittam, inquit, à Patre, qua filius habet essentiam à Patre, qua simul cum ipso producit Spiritum sanctum: at Pater non habet essentiam à filio, ideo dici non potuit, quem mittet Pater à me, sed in nomine meo. Quarto Chryso. hom. 74. videtur legere verba huius sententiae sic, apud vos manebit Spiritus sanctus; ut illud, *apud vos manens*, coniungatur paraclito, at Cyril. & reliqui separant à sequenti sententia, & coniungunt præcedenti, ut Christo conveniat, & id series verborum probat: nam dicitur, *Paraclitus autem*, quæ particula diuidit sententiam. Legendum ergo est, *Hæc locutus sum apud vos manens*.

Pacem relinquo vobis.

COMMENTARIUS.

Post prædicta omnia Dominus verbis salutandi, quibus recedentes, quos diligunt, solent salutare, discipulos alloquitur. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis*, pax hæc est, de qua Paulus ad Philip. 4. dicit, Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu. Continet autem pax hæc, primò amicitiam cum Deo; secundò tranquillitatem animi & serenitatem in tentationibus, & persecutionibus; tertio mutuam inter ipsosmet concordiam. hæc homines facit fortes in omni periculo, & in omni molestia adhibet consolationem. hanc Dominus relinquit suis, non diuitias, aut temporales possessiones: super omnes enim diuitias huius seculi, pax eminet. Magnum igitur, & singulare suis relinquit Dominus solatium, & quo multum indigebant in hoc seculo victuri. Verbum, *relinquo*, hæreditatem indicat, ut Cypri. l. de vnit. Eccles. exponit, ubi legit, pacem dimitto. In li. autem 3. ad Quirinum cap. 3. legit, *remitto*, quod argumento est, eum non habuisse aliquam Latinam certam visionem, sed Græcis usum esse exemplaribus: quæ variis verbis prout occurrebat, Latinis idem tamen significantibus vertebat.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Ne pacem relinquere eam, quam solent homines dare temporalem, & mundanā censeretur: addit, *pacem meam*, nempe quā ego veni in mundum stabilire, eam do vobis: ne autem eam precari tantum, aut iniungere videretur, sicut nos facimus, dixit, *Do*, nempe ne auctoritate, & potestate, qua auctor sum pacis huius. propterea etiam subiunxit, *non quomodo mundus dat, do vobis*, mundus enim nudis verbis, & aliquando fictis, & quam ipse non habet, nec quæ sua est, dat: at ego non sic, sed cælestem, & meam, non nudis, aut fictis verbis, sed ex corde & ipso effectu, propriaque auctoritate vobis do.

Non turbetur cor vestrum neque formidet.

Verbum relinquendi, & salutatio ipsa recedentis animos discipulorum non ua tristitia, & timore effecerat: idcirco Dominus verba hæc adiecit, ut annotat Chryso. ho. 74. Non turbetur tristitia cor vestrum, nec timore corripiamini, salutationem meam iamiam recedentis audientes.

Audistis, quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos.

Prosequitur consolari turbatos de præsentis recessu, & cum verbis satis conatus sit repellere tristitiam, & timorem: adhibet rationes & argumenta. *Audistis,*

Remota in memoriam quæ dixerat ut suos consolaretur.

Audistis, quia vado, & venio ad vos. hebraismus est, id est, recordamini, repetite memoria, quæ paulo ante dixi, me vadere, & venire ad vos, id est, me quidem vadere, sed citissime, & celerrimè venturum ad vos post resurrectionem. non est ergo, cur turbemini videntes me discedere, si iam audistis, & certi esse debetis, me ocyus reuersurum ad vos. hoc enim dixerat illis verbis, *Nō relinquā vos orphanos, veniam ad vos, & rursus: Adhuc modicum mundus me non videt, vos autem videbitis.* Hæc sententia probat illum aduentum, illamque visionem esse intelligendam, quæ facta est post resurrectionem: nam Christus discipulos de corporalibus absentia contristatos, sua futura præsentia consolatur.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.

Alterum adhibet argumentum consolationis. Si, inquit, diligeretis me, gaudere potius, quàm dolere deberetis, de meo ad Patrem recessu: qui enim diligit, de bono dilecti delectatur, & gaudet: recessus autem iste mihi utilis ad modum est. Attende non negare Dominum discipulos eum diligere; diligebant enim, sed est quidam locutionis modus communis idem significans, ac si dictum esset; si quod dilectio vestra erga me postulabat exhiberetis, gaudendum erat, non dolendum de meo recessu: cum mihi sit valde utilis, & commodus. Insinuant hæc verba eos potius de proprio malo contristatos esse, & timuisse, quod propriæ dilectionis erga seipsos est.

Non negat Dominus se ab Apostolis diligi, sed quid dilectio exhibere debeat, proponit.

Quia Pater maior me est.

Causam, cur dilectio erga eum gaudium de recessu ad Patrem postulet, exponit: quia vado ad Patrem, quia maior me est; id est, vado exultandus, & glorificandus deposita iam exinanitione, humilitate, ac paupertate mea, cōpleta dispensatione, quam suscepi. Patrem maiorem appellat ratione gloriæ, & maiestatis, in qua semper erat: non enim se exinaniuerat Pater forma serui sumpta in similitudinem hominum peccatorum factus, Christus autem Dei filius ratione humanæ naturæ inglorius, & egenus factus est, quasi leprosus, & percussus à Deo, & nouissimus virorum, ut dicitur Isa. 23. Ire igitur ad Patrem, quia maior est, significat gloriam, & maiestatem dignam filio Dei accipere in ea natura, in qua se deprefferat: ut impleatur illud Philip. 2. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Vtilis igitur valde recessus hic erat Christo, de quo gaudendum erat, non dolendum ijs, qui eum diligebant. Nihil igitur ex his verbis habent Arriani ad probandum filium ratione diuinitatis minorem esse Patre.

Ad Patrem ire, quid hæc loco significet.

ANNOTATIO XXVII.

Vocant in dubium Doctores, qua ratione hoc in loco dictus sit Pater maior Filio, cum ipse se æqualem Patri esse docuerit Ioan. 5. & Paul. Philip. 2. Non rapinam, inquit, arbitratus est esse se æqualem Deo. Non sibi hæc verba contradicunt, cum omnia à Spiritu sancto sint: necesse est vtraque esse vera, ut probè argumentatur Grego. Nazian. cont. Arrianos orat. 4. Theologica. Inquirendus est igitur modus, quo hæc simul vera esse possint. Primo igitur loco aliqui hæc verba ratione diuinitatis dicta esse censent, ut nomen maioris, non substantiæ inæqualitatem, quæ vna est, sed originem dicat, quia ab ipso Filio est, non autem à filio Pater. Hanc expositionem illustres Doctores sequuntur, inter quos

sunt Athan. ora. 2. contr. Arria. ubi probat verum esse Christum, Basil. libr. 4. cont. Eunom. docens, non esse maiorem Patrem magnitudine, tempore, virtute, sed ratione honoris, id est, ratione origenis, quia generat, ut ipse libro primo contra eundem explicuit, similiter Greg. Nazian. loco citato, ubi non solum ratione diuinitatis propter originem verba hæc intelligenda censet, sed cōtendit, non debere intelligi ratione humanitatis: non enim esset Deo Patri honorificum cōparari creaturæ, dicique maiorem homine. Hilar. etiā inter Latinos li. 9. Trinitatis Patrem maiorem filio ratione diuinitatis & ratione humanitatis: ratione diuinitatis propter natiuitatem: & libr. 11. dicit Patrem maiorem filio ratione diuinitatis.

auctoritate, id est, propter originem, quia producit. Idem sentit Origen. homil. 2. in diuersos, seu quisquis est auctor illarum homiliarum. Secundo loco Aug. tract. 78. exponit, maiorem esse Patrem filio ratione humanitatis: in illa enim natura maiorem habebat, in qua ibat ad Patrem; at non secundum diuinitatem, sed secundum humanam recedebat ad patrem: ratione igitur huius dictum est, Pater maior me est. Eandem expositionem habet Leo serm. 3. de Penteco. & ante eum, ac ante Aug. tenuit Athanasius in disputat. cont. Arrian. in Concil. Niceno: & in disputat. contra eundem coram Probo. Tertio loco Chrysostomus hom. 74. quamuis affirmet maiorem esse Patrem filio, etiam ut Deus est, ratione principij, quia principium est filij; tamen hoc in loco exponit, maiorem dici Patrem, ratione opinionis, quia maior habebatur, & reputabatur à discipulis. quam expositionem tenuit etiam Aug. lib. 1. Trini. cap. 9. Chrysostomus autem ita exponit, & connectit hæc verba:

Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.

COMMENTARIUS.

Quoddam etiam argumentum consolationis hoc est, præter duo superiora, dum causam, cur recessus sui eos præmonuerit, reddit. Estque sensus: Non vos de recessu meo certiores facio, antequam fiat, ut tristitia aliqua, aut timore vos afficiam; vel ut mihi condoleatis, vel ut vobis consulatis, ut solent hi facere qui timēt: sed propter fidem vestram, ut cum fuerint facta, quæ ante à me prædicta sunt, credatis, & fidem diuinitatis meæ firmiter concipiatis. cognoscentes voluntariè à me omnia facta esse, & ex consilio diuino, non casu, non necessitate: gaudendum ergo est vobis in meis verbis, quæ propter vestram in me fidem pronuntiata sunt. Perpēde causam, cur à Domino prædicebantur futura, quam etiam repetit cap. 15. cui conforme illud est Ioan. 2. Recordati sunt discipuli, quia hæc dicebat, & crediderunt.

Iam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi huius.

Princeps mundi venit in ministris quos in Christum impulsit ut eum comprehenderet
Prædicat etiam aduentum satellitum, & Iudæorum, ut minus turbentur, & in fide stabiles sint. præuisa enim iacula minus feriunt. *Iam*, inquit, *non loquar multa vobiscum*; id est, non superest tempus plura vobis dicendi; iam enim, *mundi princeps*, id est, Diabolus, Iudæos incitans, & impellens, ut me comprehenderet, iam appropinquabat. Ministri enim erant dæmonis, idcirco ipse venire dicitur. Luc. 22. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. *Venit*, presentis est temporis, instantem iam, & proximum aduentum significans. In aliquibus Græcis exemplaribus non habetur illud, *huius*. quare autem Diabolus dictus sit mundi princeps, dictum est supra cap. 12.

Et in me non habet quicquam.

Innocentiam suam Christus producit.
Venit quidem princeps mundi, & ministri malitiæ cum eo contra me; at nihil habet suum in me; nulla mei culpa patiar; nihil mali in me est, propter quod me iure comprehendant, quia innocens sum, & morti non sum obnoxius propter aliquod meum peccatum. Non habere Diabolum, & ministros eius quicquam in Christo, est in eo nullā fuisse culpam, nec causam, cur

A Si mihi timetis, quod me defendere non possim, neque confiditis me post mortem iterum vos visurum; tamen dum auditis, me ad Patrem vadere, latendum vobis est, quia ad maiorem vado, qui potest omnia molesta dissoluere. hæc Chrysof. quæ tamen expositio dura videtur in sensu, & verbis non facile accommodatur: nam cum de vera dilectione loqueretur, quando dixit, Si diligeres me, gauderetis utique, necesse est causam veram esse, & non tantum in opinione: erat igitur vera Pater maior. Quarto loco Cyril. lib. 10. ca. 9. exponit, Christum quidem loqui ratione humanitatis suæ, sed Patrem appellare maiorem ratione maiestatis, & gloriæ collatæ exinanitioni suæ, & humilitati: Filius enim sumpta carne humiliavit se; vadit autem nunc exaltandus, & glorificandus in hac natura suscepta, ut decet Dei filium. quam expositionem secuti sumus in commentario, & ea videtur contextui maxime omnium accommodata.

cur iure infligerent ipsi mala, quæ tamen illi intulerunt comprehendentes, malè tractantes, & occidentes. Ita exponit Aug. li. 2. de peccato. mer. & remi. cap. 31. vbi sic inquit, Qui sine vilo peccato vel originali, vel proprio moriebatur, dixit; venit princeps mundi huius, id est, Diabolus, qui potestatem habet mortis, & in me nihil inueniet, id est, peccati, propter quod homines mori fecit. Eadem est Cyril. lib. 10. cap. 11. & Chrysof. hom. 74. & Hilar. in Psal. 58. & lib. 9. Trin. & legitima est expositio.

ANNO TATIO XXIIII.

Diversè legitur in me inuenit nihil, & ita legit Hilar. lib. 9. Trinit. quamuis loco verbi, Inuenit, dicat, habet, in me habet nihil. Altero modo, In me non inuenit nihil. priorem lectionem exponit, ac si dictum esset, nihil inuenit suum, seu quod ipsius est, & ipse agnoscit, nempe peccatum. posteriorem autem in eundem sensum explicat; Non inuenit nihil, id est, peccatum,

A MBROSIVS libr. de fuga seculi, cap. 4. dupliciter legit hæc verba. Vno modo sic: *In me inuenit nihil.* & ita legit Hilar. lib. 9. Trinit. quamuis loco verbi, *Inuenit*, dicat, *habet*, in me habet nihil. Altero modo, *In me non inuenit nihil.* priorem lectionem exponit, ac si dictum esset, nihil inuenit suum, seu quod ipsius est, & ipse agnoscit, nempe peccatum. posteriorem autem in eundem sensum explicat; Non inuenit nihil, id est, peccatum,

A quod nihil est. Mihi sensus idem videtur in vtraque lectione, nec est necessarium, ut, *nihil*, accipiatur affirmatim pro peccato; sed non inuenit nihil, idem est, ac nihil inuenit: apud Græcos enim duæ negationes plus negant. Nostra lectio est accommodatio; *In me non habet quicquam*; ut iure valeat in me irruere. Hoc etiam ad discipulorum consolationem magnopere facit, magistri nempe innocentia in morte.

Sed, ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

COMMENTARIUS.

SE non propria culpa aut causa comprehendi, & mori dixerat. Nihil, inquit, in me mundi princeps habet. Causam veram mortis nunc exponit. At, inquit, ut mundus cognoscat, me diligere Patrem, & quæ mandauit, præsertim me exequi, *Surgite eamus hinc*, in eum locum, in quem venturi sunt hostes, ut me comprehendant, ut occidant. quasi diceret; mortem subeo, quia volo, & quia mandatum hoc accepi à Patre, propter cuius dilectionem paratus sum etiam grauisima perpeti: argumentum huius sit, quod me sponte offeram, & eò vadam, quò comprehendendus sum, seu quo inimicos me quærentes scio venturos. His dictis Dominus surgit, & ad locum, quo Iudas cum cohorte venturus erat properare incipit.

ANNO TATIO XXIX.

Pater dicitur diligere suum, priorem sensum.

CONueniunt expositores verbis his causam mortis exponi à Domino, nempe dilectionem Patris, à quo moriendi mandatum accepit; tamen varij sunt in huius sententiæ connexionem statuenda. Aliqui enim diuidunt, & separant verba illa; *surgite eamus hinc*, sententiamque perficiunt in illis verbis. *sic facio*. ut sit sensus; *ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sic aut mandatum dedit mihi*. sic facio. supplendum est, idcirco comprehendor, & interficior, non culpa aliqua propria. In qua expositione multi sunt Doctores: ita enim exponunt Chrysostomus, homil. 74. & Cyril. lib. 10. cap. 11. Euthymius etiam, præter hos Greg. Nazian. in orat. de amore pauperum, & Ambrosius libro de bono mortis capite 5. qui omnes illa verba separata legunt: *Surgite eamus hinc*. Alij verò sententiam hanc non separant, sed connectunt, ut sit vna cum præcedentibus verbis; ut cognoscat mundus me patrem diligere, & quæ mandauit facere, *Surgite eamus hinc*. ecce me promptum exhibeo, & sponte inimicis offero. Ita exponit Aug. lib. 2. de

B pec. mer. & remis. cap. 31. & tract. 79. & ante eum Hilar. lib. 9. de Trin. cuius expositio mihi legitima visa est propter duo; Prius est, quia nisi hæc verba connectamus superioribus, manet sententia imperfecta, & necesse est aliquid supplere, ut re vera supplet, qui eam sequuntur expositionem: At cum his verbis adiunctis sententia sit perfecta, & sensus optimus, non video cur nobis supplere liceat. Supplementa enim verborum fiunt, quando ex his, quæ in contextu habentur, oratio non perficitur. Alterum est, quia horum verborum separatorum sensus allati, non videntur accommodati contextui. Greg. Nazian. sic exponit; Ut inquit, non tantum hortetur Dominus discipulos, sed omnes nos, ut à terrenis abstrahamur, & ad cœlestia conuertamur. quem sensum Ambro. libr. de bono mortis, cap. 5. sequitur, & tanquam proprium profert. & Cyril. lib. 10. cap. 12. at hic sensus spiritualis potius est, quam literalis: nam verè surrexit, & locum mutauit. Chrysostomus autem homil. 75. & Euthymius sic interpretantur.

Mortis causa sit, quia mortis præceptum habet à Patre.

Diversè etiam eandem exponunt.

sicut aliqua, quæ similia sunt auro & argento, quæ dicimus falsa; ita etiam vitem veram vocamus, quæ naturam habet vitis. Sunt enim falsæ vites & apparètes, quæ naturam vitis non habent: Christus igitur se viti veræ comparat, non illis falsis, & apparentibus; non quod sit ipse per naturam vitis, sed quod sit similis viti veræ. Alterum est, ut à vite infructifera, & quæ fructus legitimos non reddit, se discernat: verum enim etiam dicimus, quod fidele & verax est: verus amicus est, qui quando oportet, ut amicum decet, se exhibet in opere: arbores dicimus infideles, quæ fructus non reddunt speratos; sic fallax & mendax vitis est, quæ etiam si per naturam vitis sit, fructum optatum non reddit agricolæ: vera autem, quæ fructum expectatum profert. Verbum Hebræum, וַיִּזְכֹּר, utrumque significat, & verum & fidele. similiter & Latini, & Græcum τὸ ἀληθές & tali viti se confert Dominus, quæ vera est, quia veram habet naturam vitis, & quæ fidelis est, quæ fructus suo tempore debitos facit. Recte autem tali viti confertur; cum ipse verus Christus, non falsus sit, qualem se aliqui finxerunt. ipse verum fructum, & promissum nostræ salutis produxit, de qua vite prædictum est ab ipsa diuina sapiëntia, qui Christus est; Ego quasi vitis fructificavi suauitatem odoris, & flores mei, fructus honoris, & honestatis. ex quibus verbis, cur viti conferatur, deducimus causam, nempe, Primo propter fructuum copiam: est enim fecundissima inter omnes plantas, quod & David Psal. 127. significauit dicens, Vxor tua sicut vitis abundans. Secundo, propter suauitatem fructus; est enim dulcissimus, & suauissimus. Tertio, propter vinum, quod ex eius fructu conficitur, quod lætificat cor, multo que parit effectus similes Christi aduentus fructibus. Quarto etiam, quia inter omnes plantas maxime ramos diffundit, & expandit, ut considerata trunci quantitate, mirum in modum palmites extendat, in quo Ecclesiæ extensio significatur; de qua Psal. 80. in figura illius populi dictum est, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius. Quæ ratione grano sinapis comparatur, quod à principio paruum, in magnam potest excrevit arborem. Quinto, ut vinum illud sacratissimum insinuaret: futurum enim erat, ut sanguinem suum sub vini specie nobis daret, sicut iam discipulis dederat. Est autem Græcus articulus geminus, illa vitis, illa vera, ut eximia & excellenti cuidam viti se conferri significet: hi enim articuli aliquando excellentiam indicant, quod Hebræi faciunt per litteram וְהֵ, quasi diceret, sum similis viti, quantum ad naturam, perfectæ, & quantum ad fructus, copiosissimæ. Cætera in annotatione inuenies.

ANNOTATIO II.

Aliqua in verbis superioribus annotanda sunt, vnum est, Christum Dei filium viti conferri ratione humanæ naturæ assumptæ; vnde recte Hilari. libr. 9. de Trini. his verb. mysterium assumptæ carnis insinuari docet, affirmans, idcirco carnem sumpsisse, & tanquam vitem factum esse Dei filium, ut non tanquam palmites ei in hære posses: nisi enim viti similis factus esset, nemo hominum ipsi vniri; & coniungi posset: dum autem nostram induit naturam; nos sibi tanquam palmites per fidem copulauit. In hoc autem errabat Arius, ut docet Athanas. in disputatione contra eum in Concilio Niceno; qui Christum ratione diuinitatis viti collatum assererat, ut ex hoc Patri inæqualem & inferiorem deduceret, ut paulo post dicemus; at deceptus est: vitis enim propter carnem assumptam dictus est; in qua natura cum hominibus communicat; & ipsi palmites eius sunt. eandem enim naturam vitis, & palmites habent. Quæ

Quare Christi
suis vere viti
se comparat
ret.
Eccl. 24.

Dominus
Christus ratione
humane
naturæ viti con
feratur.

Ado autem audis Christum ratione naturæ assumptæ dici vitem, ne excludas personam ipsius: nam Dei filius est, qui in natura nostra viti est similis; sed similes viti non esset, nisi qui in ea natura est, Dei filius esset, sicut mortuus est ut homo; at mors eius non esset salutis nostræ remedium, nisi ille homo, qui mortuus est; filius Dei esset. Totus ergo Christus filius Dei & homo, viti similis est: sed causa, & ratio, propter quam viti similis est, natura humana est: tamen natura humana virtutem non haberet producendi palmites, & tales fructus, nisi in ea esset diuinitas. Sic intelligendus est Cyril. lib. 10. cap. 13. asserens ratione diuinitatis vitem esse Christum. Hanc doctrinam docetis, & breuibus verbis exponit Aug. tract. 81. Quamuis, inquit, Christus viti non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset.

Secundo annotandum est, multas esse similitudines inter vitem & Christum; quarum aliquas

Christus dicitur
viti se compara
re, mortem
sua indicat.

Differetia
viti & Christi
in eo quod
Christus dicitur
viti se compara
re.

aliquas exponit Athanasius loco citato, & in commentario, quæ visa sunt accommodata, attulimus: tamen propria causa, cur viti nunc se comparet, & inter alias arbores vitis etiam similitudinem elegerit, ea est; ut mortem & passionem suam significet: in prophetis enim passio eius in vite prædicta est. Gen. 49. Ligans ad vitem pullum suum, lauabit in vino stolam suam; & in sanguine viti pallium suum. Isa. 63. Torcular calcavi solus. quando igitur nunc vitis similitudinem adfert, mortem & passionem imminenter indicat, rursus; ut purificationem Apostolorum significaret; non enim est arbor, cuius putationi ita incumbat agricola, sicut est vitis.

Tertio annotandum est, veram vitem aliter ab alijs exponi. Euthymi. duas adducit causas, seu interpretationes, cur vera dicatur. Vna est, ut idem sit vera, quod eximia, incorruptibilis, & spiritualis vitis. sed hæc interpretatio à similitudine recedit; sic enim non dicere

tur vitis per similitudinem, sed per essentiam: formalis enim locutus hæc est: ego sum vitis incorruptibilis, & spiritualis: alteram causam adducit, ut vera dicatur ab effectu; vitis veras quæ producit veritatem. sed neque hæc interpretatio admodum probanda est; nam veritas ad vitem materialem referri debet, ut Christus similis sit materiali viti, quæ vera vitis est. Augustinus tractatu 80. veram dicit vitem, quæ à falsa distinguitur, in xta illud Ier. 2. Ego te plantavi vineam electam; quomodo conuersa est in prauum vitis aliena? Hoc recte dicitur; tam non est completa ratio similitudinis, quam in commentario exposuimus. Aliqui recentiorum, veram vitem dici assunt; ut referatur veritas ad similitudinem, sitque sensus; Ego vere similis sum viti; & eius proprietates in me habent similitudinem, Sed huic interpretationi obstat articulus Græcus adiunctus illi voci, vera; Ego sum illa vitis, illa vera; propterea probabiliora sunt exposita in commentario

Et Pater meus agricola est.

COMMENTARIUS.

Altera pars parabole hæc est, Patrem agricolam esse. Sæpe annotauimus, quæ diuinitatis suæ sunt, Christum sæpe Patri tribuere, ut talia opera diuinitatis esse explicatius significet: & propter alias causas superius expositas. Est etiam Pater per similitudinem, & meraphoricè dictus agricola, cuius similitudo in sequentibus exponitur verbis.

ANNOTATIO III.

Arius hæreticus
trijunior.

EX hisce duabus parabole sententijs, Arius contra veritatem catholicam argumentabatur, probare contendens filium alterius esse substantiæ inferioris à Patre, dicebat enim, Vitis, & agricola non sunt eiusdem substantiæ; ergo nec filius, & Pater: ille enim viti, hic agricolæ confertur. Huius argumentationis meminerunt Athanas. in disputat. con. eun. in Concilio Nicæno, Basil. libr. 4. con. Eunomium: Ambro. libr. 4. de fide cap. 7. & Cyril. libr. 12. cap. 13. & omnes hi argumentum in ipsum ex eadem parabola retorquent: nam sequitur; ego sum vitis, & vos palmites: si licet sic argumentari, cum palmites sint eiusdem substantiæ cum vite, erunt ergo Apostoli eiusdem substantiæ cum Christo, ut Deus est, quod quidem Arius negabat. Vana igitur est ipsius collectio: nam parabola non probat aliud præter id, ad quod ad significandum inducta est: non autem posita est ut significet, qualis sit Filij, aut Pa-

tris substantia; sed, ut diximus, ut ostendat discipulos purgandos esse, sicut agricola solet palmites vitis purgare. quod autem vitis sit alterius substantiæ ab agricolâ, ad sensum propositum non facit. Adde, cum in parabola similitudo requiratur, sæpe maiora minoribus comparantur; non quod minora sint; sed quod per illa minora melius expriman- tur: Christus enim agno comparatur, & reges arietibus; qui agno maiores sunt; non tamen inde sequitur reges esse superiores Christo; id enim tantum ex parabola petendum est, ad quod significandum est proposita. Hæc dixerim, quia etiam si Christus, ut Deus est; viti conferretur; non inde sequeretur, minorem esse Patre: at Athanasius, Basil. & Ambrosi. Christum, ut homo est, viti collatum affirmant, quod verum est, ut in annotatione præcedenti exposuimus.

*Omni palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum;
& omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut
plus fructus adferat.*

COMMENTARIUS.

In quo confi
retur para
bola declara
ta.

Significationem parabole exponit, & breuibus verbis multa concludit: Snam sensus integer hic est; Ego sum vitis, & Pater meus agricola est; vos autem, & omnes, qui in me credunt, palmites sunt: sicut igitur agricola so-

let in vite aliquos refecare palmites, eos nempe, qui cum viti inhaerint, nul-
 los adferant fructus; alios vero, qui fructum faciunt, purgat, aliqua rescindē-
 do superuacanea, vt vberiores fructus ferant; sic Pater meus faciet: aliquos e-
 nim ex his, qui mihi exterius adherent, & nomen meum profitetur, tollet, &
 refecabit à me, quia inutiles, & infrugiferi sunt; alios vero purgabit, vt fructus
 maiores producant. Priora hæc verba generaliter quidem dicta sunt, tamen
 peculiari ratione propter Iudam, qui cum palmes esset Christi, inutilis & in-
 frugifer erat, Christi disciplina abutēs; idcirco refecatus est à Deo iusto: nam
 Apostolatu priuatus, abiit ad locum suum æternę damnationis, à Christo so-
 lutus, & separatus. Quo verbo discipulos in timore continet, vt fructificare
 in ipso procurent; & simul consolatur, docens proditionem Iudæ ex ipsius
 vitio peruenisse, Dei iudicio iusto reprobati. Posteriora etiam verba sunt
 generaliter dicta; nam iustos Deus purgat, vt plus fructus adferant; tamen par-
 ticulari ratione propter vndecim discipulos sunt posita. Est enim, vt dixi, pa-
 rabola propter discipulos præcipuè induc̃ta, quamuis etiã generaliter ad fide-
 les extendatur: quorum aliquos Dominus refecat, vt inutiles & infrugiferos,
 qui cum fidem habeant, operibus carent, nec digna fide opera faciunt: rese-
 cat autem aliquos in hoc seculo, dum permittit in hæreses labi, & ab Ecclesia
 & Christo separari; omnes tamen tandem refecabit in altero seculo: quose-
 nim sine operibus in iudicio post mortem repererit; à se, & à Christo in æter-
 num excludet. Si autem infrugiferi palmites refecantur, perpēde quanto ma-
 gis nociui, & perniciosi. Alios vero purgat, nēpe eos, qui fidei fructus faciunt:
 purgat autem aliqua inutilia refecando, & imperfectiones, quæ impedimen-
 to sunt iustis, ne plus proficiāt, remouēdo, vt in annotatione explicatur: hæc
 semper fiunt à Deo in palmitibus Christi, tamen primò facta sunt in Apo-
 stolis, quorum vnus ablati, & refectus, alij vndecim purgati sunt. Et atten-
 de illud verbum, *In me non ferentem fructum tollet*. insinuat enim iustitiã Dei,
 qua tollitur, cum in me, id est, in tanta, & tam fecunda vite positus, fructum
 non faciat, quod quidem Iudam dignissimum omni pœna reddidit. Cætera
 in annotationibus tribus sequentibus inquiras.

*Dominus in
 modum Agri-
 cole non nul-
 los refecat,
 alios vero
 palmites pur-
 gat.*

ANNOTATIO IV.

*Verbatè
 expenditur.* **P**INCIPIO aliqua sunt quantum ad ver-
 ba consideranda; primum est hanc locutio-
 nem esse hebraïsmum quendam; solent enim
 frequenter Hebræi vltra regimen verbi adiu-
 gere affixa, & relatiua, quod Græcus, & Lati-
 nus sermo non patitur. nam Latinus diceret:
*Omnes palmites non ferentem fructum, tollet, nec
 adderet eum, similiter; omnem, qui fert fructum, purga-
 bit, non adiungeret, eum.* at Hebræis id est fa-
 miliare, quod & Hispanus, & Italicus sermo ad-
 mittit. Alterum est, Græca nostra exemplaria
 habere verba præsentis temporis. *tollit eum, &
 purgat eum, & Euthymi & Theophy. ita legunt:*
*at Chrysof. hom. 75. de futuro exponit: quod
 argumento est eum legisse exemplaria, in qui-
 bus verbum erat futuri. Quantum autem ad-
 sensum pertinet, parum refert: nam sunt ver-
 ba ista indefinitè posita quæ ad omne tempus
 referuntur. Solemus enim dicere; Pastor cu-
 stodit oves suas, & custodiet oves, non
 quod tempus præsens, aut futurum deter-
 minemus; sed indefinita est locutio, quæ o-
 mni temporis accommodatur. Tertium est,
 multa alia esse agricolæ officia, quæ verè
 Deo per similitudinem conuenire possunt:
 ex quibus illud vnum est, agricolam vitem
 plantare, quod verè Pater etiam fecit, quan-
 do mittens filium suum in mundum hominē se-*

*Alia agrico-
 le munera,
 quæ Deo per
 similitudinē
 conueniunt.*

A cit; tamen, quandoquidem parabola non ad
 hoc docendū induc̃ta est, præmittitur à
 Domino: ea enim in parabolis inquirenda &
 prosequenda sunt, quæ faciunt ad id exprimē-
 dum, propter quod parabola allata est: cætera,
 quamuis similia inueniatur, relinquenda sunt,
 quod & Dominus fecit, quia solum intendebat
 inducere discipulos: vt fructus vberiores in
 ipso facerent, vt in principio diximus, ad quē
 scopum parum hæc vel alia similitudines fa-
 ciebant. Quartum est, quando Patrem agricola-
 læ comparat, & tollentem ac purgatē intro-
 ducit, non excludit se vt Deus est: communia
 enim sunt opera Trinitatis, tamen, vt sæpe di-
 ximus, quæ diuinitatis sunt, Patri frequenter
 tribuit Dominus; vt se esse personam à Patre
 distinctam, qui carnem assumpsit, esseque fi-
 lium Dei ostendat. Hæc quantum ad verba di-
 cta sint.

ANNOTATIO V.

DISCVTIENDVM superest, quæ sine pur-
 gatio, & ablatio agricolæ ratione pal-
 mitum. Et quidem de ablatione minor est dif-
 ficultas: tollit enim Deus aliquos fideles,
 quia cum multo tempore expectatos fru-
 ctus non faciant, sed malè viuant, fide
 Christi

*Quomodo se-
 fectio palmitum à vite
 fit intelligenda.*

Christi & donis ipsius abutentes, permittit
 eos labi in hæreses, per quas ab Ecclesia præ-
 scindantur, & tollantur à vite; aut damnat æ-
 terna morte, per quam perpetuò à Christo re-
 secantur: Resectio autem est, per quam aufer-
 tur donum id, quo Christo vt viti inhaerebant:
 & sic relecti, igni traduntur, aut extra Ecclesi-
 am eijciuntur. Cyril. lib. 10. cap. 23. resectio-
 nem exponit, per quam æterno igni tradun-
 tur: potest etiam aliquando hæc resectio fieri,
 antequam igni tradantur, nempe in hoc se-
 culo, vt diximus, quando fidei ligamen rum-
 pitur: tamen integra, & perfecta resectio fit,
 quando iudicio æternæ damnationis separan-
 tur. De illa, quæ in hoc seculo accidit, pronun-
 ciauit Paulus 1. Timot. 1. illud; Milites in illis
 bonam militiam, habens fidem, & bonam con-
 scientiam, quam quidam repellentes, circa fi-
 dem naufragauerunt. naufragium appellat,
 quod Dominus absolutionem dicit. posteriorē
 parabola illius ficus Luc. 13. significauit, quæ
 expectata diu, cum fructus non fecisset, iussa
 est abscindi. Iudas traditor à discipulorum nu-
 mero prius ablati, postea æternæ damnatio-
 nis iudicio relectus est.

*Quæ sit pal-
 mitum purga-
 tio, & quo
 modo fiat.*

At difficultas de purgatione maior est, nē-
 pe, qua ratione Apostoli sint purgati, & iusti
 etiam in hoc seculo purgantur. In cuius rei
 explicationem aduerte, in purgatione duo in-
 esse, vnum est id, à quo purgatur: vt enim pal-
 mes, quando purgatur, à vite non præscindit-
 ur, tamen aliqua particulæ superuacaneæ ip-
 sius refecantur; sic in iusto sunt aliqua, quæ re-
 mouentur velut superuacanea, & quæ impedi-
 e bant, ne maiores fructus faceret; & hæc sunt,
 à quibus purgatur. alterum est, falx seu instru-
 mentum aliud, quo inutilia refecantur à pal-
 mite. Hoc supposito, si de purgatione in gene-
 rali, quam Dominus cum suis iustis & fidelibus
 exercet, loquamur, dico multa esse huius-
 modi superuacanea. aliqua enim ad intelle-
 ctum, aliqua ad affectum, aliqua ad res perti-
 nent exteriores. Resecat enim Deus à iustis,
 quantum ad intellectum, multas ignorantias,
 particulares, vanas cogitationes, inutiles mē-
 tis distractiones, quantum ad affectum, vanas
 cupiditates, nimias & supra mensuram solici-
 tudines, desideria praua, & quæ ad perdi-
 ciam conducere hominem possent; quantum
 ad exteriora, refecat aliquando possessiones,
 amicos, filios, ea quæ chara sunt, quæ detinent
 iustum, ne in via Domini progressus faciat
 eximios: denique ea omnia, quæ impedimen-
 to sunt iusto, ne fructus abundanter faciat, è
 quibus interdum Dominus pro suo benepla-
 cito plura aut pauciora refecat. Falx autem, &
 instrumentum non est vnum, sed Dominus ali-
 quando docendo & illustrando mentem, id
 facit; aliquando terrore incusso, aliquando
 tribulationibus & tentationibus & persecu-
 tionibus permisis; aliquando desiderio infu-
 so rerum caelestium, breuiter mille modis, &
 vijs Dominus suos purgat palmites, vt plus
 fructus adferant. Nunquam enim in hoc se-
 culo materia refecandi deest. Si autem de di-
 scipulis hæc intelligamus, Iudas ablati est:

A vndecim autem discipuli purgati sunt, non
 quidem omni ex parte; cum in hoc seculo
 purgatio non perficiatur, sed purgati sunt ab
 ignorantia quadam. Nam Petrus nesciebat,
 quò Christus vaderet; Thomas ignorabat viã;
 Iudas alter patrem videre quærebat. has igno-
 rantias refecuit Dominus. purgati sunt etiam
 à vana quadam confidentia: nam Petro eo-
 rum primo dictum est; Ter me negabis. pur-
 gati sunt à carnali quodam affectu, quia ni-
 mium intenti & addicti erant presentia sen-
 sibili Christi, semper ea frui cupientes: Iam
 autem audiunt Dominum abire ad Patrem,
 eoque remansuros. purgantur à pusillanimitate,
 qua recedente Christo, iam ferè de sua sa-
 lute desperabant. multæ alia erant imperfe-
 ctiones, quas Dominus à suis discipulis rese-
 cuit hac nocte cœnæ, vt verum sit. vnum ab-
 scissum à vite, alios tanquam palmites purga-
 tos à multis superuacaneis, quæ fructum spi-
 ritus impediabant. Falx ista statim à Domino
 enim, admoniti, & repræhensi, afflicti dolo-
 re, & mœstitia sunt. increpatione ergo, instru-
 ctione, illustratione, castigatione, quæ dolo-
 re, & mœstitia de recessu fit, purgati sunt. V-
 na ergo falx fuit, nempe sermo Christi; sed
 purgatio multis modis perfecta est. Hinc fit,
 vt quando Doctores purgationem hanc Apo-
 stolorum exposuerunt afflictiones & tribu-
 lationes, vt exponit Cyrillus lib. 10. capit. 14. &
 Euthy. & alij, intelligendi sint ab eis fuisse pur-
 gatos, sed non solis: quod doctè insinuauit
 Chrysof. ho. 75. vnico verbo; exponens enim
 illud *purgabis eum*, dicit; incitabit ad virtutis
 viam; incitare autem multis fit modis, vt di-
 ximus. sequitur etiam non hic sermonem
 esse de purgatione, quæ fit à peccato mortali,
 & ab his per quæ homo à Deo separatur: nam
 Dominus loquitur de iustis, qui fructum affe-
 runt; purgantur autem, vt plus afferant. quod
 rectè intellexit Greg. l. b. 7. Epist. 32. quamuis
 de purgatione, quæ fit flagello exposuerit. v-
 nde non videtur probanda expositio Cyrilli
 lib. 10. cap. 14. quam secundo loco adfert, Iu-
 dæos incredulos esse hos relectos, & ablatos,
 qui vero crediderunt ex Iudæis & Gentibus
 esse purgatos; Iudæos quidem à lege, Gentes ve-
 rò ab idolatria. Verum hoc est, sed non facit ad
 propositum Domini in hac parabola, quæ præ-
 cipuè propter duodecim discipulos introdu-
 cta est: vt sæpe diximus, & adhuc in sequenti-
 bus notius, & manifestius fiet.

*De fale,
 qua suos pal-
 mites Domi-
 nus purgat.*

ANNOTATIO VI.

EX præcedenti Domini sententia manife-
 stè conuincitur antiqua hæresis, quam no-
 stro tempore aliqui suscitauerunt; nempe fidem
 solam ad salutem sufficere; nec eam esse pos-
 se sine operibus. Fuit hæc olim hæresis anti-
 qua Eunomij, vt refert Augu. lib. de hæresibus
 cap. 59. quamuis aliquanto diuersa. affirma-
 uit enim fidem sufficere ad salutem. quam-
 uis mala opera adessent: at nostri temporis
 hæretici sufficere fidem ad salutem afferunt;

*Fides sine o-
 peribus non
 sufficit ad sa-
 lutem.*

negant tamen sine bonis operibus esse posse. At utrunque errorem Domini verbum conuincit. Ecce palme inhæret viti, & infructuosus est, ac refecatur: si palme est & inhæret, ergo fidem habet: non enim adhæret, seu vni viti posset, nisi fidem haberet: nec refecatur, nisi vnitus esset viti, & tamen cum palme sit, & sine fructu reperitur, tollitur; igitur & fides sine opere esse potest, sed ad salutem insufficiens est. Quod etiam iam a multis annorum centurijs annotauit Cyril. libr. 10. cap. 14. hunc eundem locum exponens, & eandem rem animaduertens. Optimè igitur Basil. hom. 5. hexamer. hanc etiam parabolam exponens, per fidem dicit fieri palmites, infærique Ecclesiæ, ad copiosos autem faciendos

fructus inuitari, ne ob inutilitatem damnati, igni tradantur. Conuincitur etiam error Begardorum, & Beghinarum damnatus à Clemente Clement. ad nōstrum, de Hæret. negabant enim iustum, cum ad statum venerit perfectionis, amplius teneri opera facere; at Dominus contrarium docet: qui enim fructum afferunt, purgantur vt plures faciant: palme enim, dum in vite est, fructificare debet, dum tempus est: est autem tempus, dum fide in hoc seculo viti inhæret: fides est, donec ad visionem patriæ perueniatur. Multis testimonijs alijs hærefes eadem conuincuntur; tamen id præter institutum nostrum est, sufficiat locum præsentem annotasse.

Contra Begardos & Beghinas.

Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

COMMENTARIUS.

Posita diuisione palmitum, in refectos propter inutilitatem & sterilitatē, & in purgatos, vt vberiore fructum adferant: Discipulos vndecim, iam Iuda separato ab eorū numero, dicit esse eos qui purgati sunt: ac si dicat; Vos fructum afferebatis in me, idcō non estis ablati, sed purgati à Patre, vt vberius fructificetis. estis autem purgati, propter sermonem meum, quem vobis sum locutus. In Græco codice hæc sententia manifestior est; habetur enim idem verbum, ac si latinè diceremus; Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit, vt plus fructus afferat, vos purgati estis. Sic enim clarior est sensus: cum de eadem purgatione, quæ facta à Patre, qui agricola est, hæc verba procedant. Dicit autem purgatos esse per ipsius sermonem, per quem non totam Christi doctrinam, quam mundo prædicauit, intelligere oportet; sed præcedentem sermonem: idcirco limitauit, *quem locutus sum vobis*. sermo iste corda discipulorum iam in Christo fructum ferentia, & per gratiam & dilectionem ac fidem vnita, purgauit, vt plus afferrent fructus: purgauit autem à multis imperfectiōibus, tum illustrando & docendo, tum increpando, & admonendo, tum instruendo, tum demum affligendo: nam dolore, & timore eos affecit, quibus eorum fides aucta est, & dilectio feruentior, & spes robustior est effecta, quàm autem efficax sit sermo Christi ad purgandum, & refecandum imperfectiōem, docet Paulus ad Hebr. 4. Viuus, inquit, est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque ac medullarum.

Multis modis discipulos suos Dominus purgauit.

ANNOTATIO VII.

DE purgatione discipulorum annotatione quinta egimus, ostendentes non esse per solam tribulationem, & afflictionem factam, sed alijs etiam vijs, & modis ex vnico sermone procedentibus. At nunc, quis hic sermo sit, considerandum est. Cyril. libr. 10. cap. 13. totam doctrinam Euangelicam interpretatur, quam à principio vocationis habuerunt, per quam à mundi fœditate separati sunt, ab animoque eorum, vanæ Iudæorum obseruationes eieciæ: qui ergo purgari voluerint, discipulos sequantur; sic enim excussa ex animo prima immunditia, per fidem ac charitatem, tanquam palmites Christo inhærebunt. Ita Cyrilus exponit. Sed expositio non mihi videtur accommodari posse verbis. Dominus

enim de ea locutus est purgatione, quæ sit palmitibus iam existētibz, & fructum ferentibus; sit autem, vt plus afferant fructus. Tota autem Christi à principio doctrina, per quam discipuli vocati sunt ad fidem, & dilectionem; eos fecit palmites, vt in vite inhærent, & fructificent: at purgatio præfens facta est, postquàm iam viti adhærebant, & fructus producebant. Sermo igitur hic, non tota doctrina Euangelica Christi à principio tradita, sed particularis sermo post coenam habitus intelligendus est, per quem ab imperfectiōibus multis, vt dictum est, purgati sunt, id quod satis verba ipsa indicant, & probant: nam dicit, *quem locutus sum vobis*, significans particularem sermonem ad illos habitum, non autem

De quo sermone dicat Christus, quod suos apostolos mandos effecerit.

autem totam doctrinam Christi, quæ tradita fuit omnibus. Ioan. 18. Ego palam locutus sum mundo; locutus sum in Synagogis, & templo, quo omnes Iudæi conueniunt, sicut igitur particularis est hæc purgatio, ita & sermo. Per quam expositionem facile soluitur difficultas, quam proponit Aug. tract. 80. inquit enim; Cum per baptismum mundati sint, quare sermone tribuit munditiam? Respondet, in sermone etiam intelligendum esse baptismum, qui sine verbo, & sermone non perficitur. Sed non est necessaria hæc responsio, cum difficultas locum non habeat: non enim de quacunque purgatione, & munditie hic loquitur; fateor quidem mundatos per baptismum, per fidem, per Eucharistiam etiam, at supererant imperfectiōes superius dictæ, à quibus hic sermo eos purificauit; vt perfectiores, & mente, & affectu robustioresque fierent: sicut & iusti modò baptizati sunt, credunt, diligunt, eucharistia nutriuntur; tamen à Deo sæpe purgantur, & illuminatione, & tribulatione, & alijs modis, quibus suos Dominus ad vir-

quæritur Christus sermone suo vnica diuina, quam per baptismum habuerit Apostoli

tutis viam magno conatu percurrendam sollet incitare, eis que calcaria addere. Et hic est verus sensus huius parabolæ. Aliud præter hoc occurrit hoc in loco annotandum, nempe, Cyril. libr. 10. cap. 15. & Chryso. hom. 75. verba hæc sic exponere: Mundi estis propter sermonem meum; id est, ego vos mundaui, & purgavi; & quod prius Patri dederat vt agricolæ, sibi etiam tribuit; vt se vnum cum patre Deum significet. Hæc doctrina vera est; filium vnà cum Patre purgare, & tollere, vt Deus est; tamen non videtur necessarium sic exponere; sed accommodatior est sensus, si in eadem similitudine perseueret, vt sit sensus; Iam vos purgati estis, nempe à Patre meo; qui agricola est, quosdam palmites tollens, quosdam purgans: purgati autem estis per meum sermonem; id est, vsus, est Pater sermone meo, vt falce, ad vos purgandum. Vt homo enim nunc loquitur Christus, sicut vt homo vitis erat. Multum autem commendatur purgatio ab auctore, & instrumento: facta enim est à Patre, sermone vnigeniti filij.

Alia Cyrilus & Chryso. explicatio traditur.

Manete in me, & ego in vobis.

COMMENTARIUS.

Hæc est conclusio Parabolæ, *Manete in me, & ego in vobis*: ac si diceret, cum igitur sitis purgati, vt plus fructus afferatis, perseuerate, & in id vnum incumbite, vt vos in me fide, & dilectione permaneat, ego verò per gratiam, & spiritum meum in vobis manebo: aliter enim non poteritis fructificare, nec fructum hunc adferre, propter quem à Patre estis purgati. Hoc in sequentibus exprimit. Obijcies, qua ratione præcipit discipulis, vt ipse maneat in eis; ego, inquit, in vobis: Respondeo, hoc eis præcipi, quia opera, & studiū eorum necessarium erat, vt maneret Christus in ipsis. Vt sit sensus; adhibete omne vestrum studium, vt ego in vobis maneam. simile est illud Pauli ad Titum 2. Nemo te contemnat. videbatur enim hoc alijs præcipiendum, non autem Tito, sed per hoc significat, non debere eum se alijs contemptibilem facere, nec ea efficere, propter quæ contemneretur; ita nunc præcipit Dominus, *Manete in me, & ego in vobis*. id est, ea omnia agite, vt hæc vnio permaneat, & perseueret, vestri mecum, & mei vobiscum. Euthymi. exponit manete in me, & ego manebo vobiscum. sed hæc expositio non est accommodata sensui parabolæ. Dominus enim eos exhortatur ad vnionem perfectam secum, quæ ex vtraque parte perficitur.

Apostoli quomodo præcipitur, vt Christus maneat in eis.



ANNOTATIO VIII.

MANERE in Christo non vno modo contingit, sicut palmites non vno modo in vite manent: quidam enim infrugiferi, quidam frugiferi sunt. Manent in Christo fideles peccatores per fidem, sed vt palmites infrugiferi; manent iusti per fidem, & dilectionem; vt palmites fœcundi: qui manent in Christo modo priori, in eo Christus non manet; qui autem manent modo posteriori, in eo etiam manet Christus. Vt igitur exprimeret, ad quam mansionem suos exhortaretur, dixit;

De quo modo dicitur conuenit hominibus in Christo manere.

Manete in me, & ego in vobis, & paulo inferius, qui manet in me, & ego in eo. Alijs autem in locis scriptura de mansionem absolute loquens, eam intelligit, quæ perfecta est, per quam homo in Christo, & Christus in homine manet. 1. Ioan. 2. Quid dicit, se in ipso manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. & 1. Ioan. 3. Omnis, qui in eo manet, non peccat. Vtroque autem modo verbum manendi, quandam perseuerantiam indicat.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites.

COMMENTARIUS.

Argumentis ex eadem parabola deducit, suadet ut secum vni si perseveret.

CONclusionem parabolæ, nempe vt discipuli maneant colligati & vniti secum, multis argumentis probat: primò à fructus priuatione, quia fructus producere non poterunt, nisi in ipso manserit: sicut enim non potest palmes abscissus, & à vite separatus fructum facere, sic nec vos poteritis. purgati igitur cum sitis à Deo, vt vberiores fructus afferatis, necessarium est vos in me manere, & me in vobis: quia nò solum nò vberiores, sed nec vlllos facietis fructus, nisi in me manseritis: sicut palmes à vite, & trunco separatus nullum fructum facere potest. Hic est legitimus sensus. Illud, à semetipso, idem significat, ac ex sese, & à vite separatus: palmes enim non potest ex se, & extra vitem fructum facere, sed manens in ea. ex similitudine autem parabolæ positæ confirmat eos non posse fructus edere, sicut nec palmes sine vite. quia, inquit, Ego sum vitis & vos palmites. more enim Hebræorum sæpe tacetur particula causalis; sensus tamen est, ac si diceret, Quia ego sum vitis, & vos palmites, ideo vos non poteritis, nisi in me manseritis, fructum facere. hæc enim verba ad eandem sententiam pertinent, in qua dictum est, non posse eos fructus facere, nisi manserint in Christo, sicut palmes non potest fructus ferre, nisi manens in vite: quia, inquit, ego vitis sum, vos verò palmites.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.

Secundo argumento eandem conclusionem comprobat à fructu copia; primum erat negatiuum, non faciet fructus, qui in me non manet: secundum est affirmatiuum, qui vero manet, multum fructum affert; & perseverat in eadem similitudine parabolæ, ac si diceret, non potestis facere fructum, nisi in me manseritis, quia ego sum vitis, & vos palmites; at si in me manseritis, & ego in vobis, tunc non solum fructum, sed multum etiam, & copiosum afferetis, ad quem adferendum estis purgati. Necessarium igitur est vos in me manere, & me in vobis. Efficacia igitur argumentorum ex parabola sumpta hæc est. Vos à Deo estis purgati sermone meo, vt adferatis fructus vberiores, quos certè, imò nec vllum quidem potestis adferre, nisi in me manseritis, & ego in vobis: at si in me manseritis, & ego in vobis, adferetis & fructum, eumque vberem: sicut palmes in vite non manens nullos fructus facere potest; at si manserit, copiosos affert. sic vos, quia vos palmites, ego autem vitis sum. Attende autem consulto dictum esse in prioribus argumentis negatiuum, nisi in me manseritis, non potestis facere fructum, ac affirmatiuum vtrunque ponitur; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: nam si non manet in Christo, sequitur nec Christum manere in eo; at si non manet in Christo, sequitur vt Christus maneat in eo: nam palmes inutilis manet in vite, & fidelis peccator in Christo; tamen non Christus in eo, quia Spiritum gratiæ suæ non infundit: est autem vtrumque necessarium ad fructum ferendum; at si vel alterutrum desit, fructus nullus est expectandus.

Quia sine me nihil potestis facere.

Quomodo sententia hæc superioribus sit connectenda.

Verba hæc connectuntur proximæ sententiæ, & argumento affirmatiuo: qua autem ratione connectantur, non est facile inuenire; pender autem ex verbo præcedenti, quod explicandū modò est. Illud enim, Hic, habet quandam vim excludendi, vt sit sensus; qui manet in me, & ego in eo, hic, & non alius multum fructum affert. phrasis est in scriptura frequens. psal. 100. Ambulās in viā immaculata. hic mihi ministrabat; id est, non alius. iac. 1. Qui persevererit in lege perfectæ liberatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus

factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit; id est, non alius. Et superior cap. 14. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit; id est, non alius: ita etiam præsentibus verbis dicitur, Hic fert fructum multum, & nò alius; quia inquit, sine me nihil potestis facere, nec vos, nec vllus alius. Exclusionis igitur illius tacitè hæc verba causam reddunt, & sic connectuntur eidem sententiæ, & argumento affirmatiuo. sicut illa (Ego sum vitis & vos palmites) connectebantur superioribus verbis, & argumento negatiuo, & hæc est legitima connexio: Quod autem ad discipulos sermonem conuertit, nihil refert: nam per eos intelligi vult quoscunque. nemo enim sine Christo quisquā potest fructus iustitiæ adferre. Hæc tamen verba generaliter sunt intelligenda; non enim Christus significare voluit, sine se non potuisse discipulos comedere, & bibere, aut ambulare: quamuis enim verum sit, si de potentia diuinitatis eius loquamur, sine qua nihil esse, aut operari possumus: hæc tamen verba accommodata sunt materiæ, de qua loquebatur, nempe de fructu iustitiæ, & bonorum operum, quæ in Christo fiunt; nemoque alius potest ea facere præter eum, qui in eo manet: sine quo nihil tale fieri potest. Exactior declaratio sententiæ huius, & superiorum in annotatione proponitur.

ANNOTATIO IX.

Contra Pelagium ostenditur, quod nihil boni meritorij sine Christo possumus effici.

Sunt duo maximè in his verbis aduertenda. Vnum est, manifestè hac sententiâ antiquam hæresim Pelagianam conuinci. Asserebat enim Pelagius, Christi gratiam necessariam esse, vt faciliè, non tamen necessariam vt simpliciter operemur bonum; sed arbitrium hominis sua naturali virtute posse quodcumque bonum efficere; vt facilius tamen efficiat, necessariam esse gratiam. quam hæresim tota hæc parabola conuincit, & redarguit: non enim palmes manet in vite, vt facilius fructum proferat, sed vt simpliciter fructum edat; vti que nullum facturum à vite separatus. Rursus non dicit, Sine me nihil faciliè potestis facere, aut nihil magnum, sed simpliciter nihil, nec magnum, nec paruum, nec faciliè, nec difficilè; sed nullo modo potestis facere: idcirco meritò aliquot Ecclesiæ Concilia contra tale dogma vlt sunt his verbis. Similiter & August. lib. 1. de gratia Christi contra Celesti & Pelagi. cap. 29. & tract. 81. in Ioann. & multis alijs in locis. Alterum est aduertendum, aliquos Catholicos his abut verbis ad probandum omnia opera infidelium etiam ex suo genere bona, esse vitia, & peccata, quia inquit, in Christo non manent, & dictum est, sine me nihil potestis facere: sed locus hic eorum opinioni non fauet: nam de fructu sermo est,

quem fideles in Christo faciunt. Longè autem aliud est opus frugiferum, & opus simpliciter bonum; frugiferum enim opus, quod ad vitam æternam refertur, & per ipsum præmium consequimur. nullum autem est tale opus, præter id, quod à palmitibus in vite manente & à fidei per fidem, & dilectionem ipsi Christo adhærente procedit. Et hoc est, quod dicit Paulus 1. Corinth. 13. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, & charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Non dicit, mihi nocet, sed nihil prodest, sine fructu mihi est, quia in Christo perfectè non maneo, sine quo nihil facere tale possum; at non continuo malum, & peccatum est, quia potest esse bonum aliquod morale. Sunt enim opera mala, bona, & fructuosa: non si fructuosa non sunt, mala sunt; possunt enim esse moraliter bona; sicut si Deus in gratia hominem non creasset, non continuo sequebatur, igitur peccator, & iniquus est; quia medium quoddam datur, vt nec sit iniquus, nec Deo amicus & iustus, sed bonus quadam naturali bonitate; ita etiam in humanis actibus fit. Multa in confirmationem huius veritatis dici possent, sed id à proposito esset digredi.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes.

COMMENTARIUS.

Tertio argumento confirmat eandem parabolæ conclusionem, nempe, vt in ipso manere studeant, & quos attraxit fructuum vberiorum productione, vt maneant in eo, modò terrore impellit. estque argumentum sumptum à malo, & pœna graui, cui in eo manentes, expositi sunt. Si quis, inquit, in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes à vite iam separatus mittitur foras: palmes enim resectus foras mittitur, id est, extra vineam, vbi iam ab agricola deseritur, nec amplius adhibet ea remedia, quæ solebat, vt fructum ferat. Per hoc significat, qui fidem aut dilectionem Christi deserunt, eos foras mittendos,

*Aeternam
penam com-
minatur, si
in ipso non
manserint.*

id est, ab Ecclesia & Christi populo separandos, & Dei cura & prouidentia hac particulari, quam, ut salutem consequantur, gerere Christus solet, omnino destituendos. Hæc est prima poena, quæ infligitur Christianis malis, aut fidem deserentibus, non quidem in hoc seculo, sed in futuro: tolluntur enim, & delentur de libro, & de populo Dei, cum sint iam extra Ecclesiam, spe omni reuertendi sublata. De hac eiectione sermo est in præsentis sententia, quam separationem Dominus significauit in parabola sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis, quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Matth. 13.

Et arefcet.

*Omni tan-
de
bono prima-
bitur, qui in
Christo non
manet.*

Prægit poenas easdem enarrare ex eadem similitudine palmitis sumptas. Prima erat eiectione foras palmes; altera est, arefcit: si quem enim honorẽ habuit à vite, eo etiam, cum separatus fuerit, priuatur: nam à peccatore damnato & separato, si quod habuit donum Dei, tollitur, & aufertur: aliquando in peccatore manet habitus fidei, & spei, quæ dona sunt Dei à vite accepta. In hæreticis etiam manent aliquando habitus aliqui morales, manent aliquæ diuinæ inspirationes & stimuli, ut conuertantur; at cum primum morte interueniente separantur; tolluntur & eradicantur omnia ista, & arefcunt, nec amplius honorem vitis recipiunt: dona etiam & talenta, quæ ad conuersionem etiam peccatoribus data sunt, perduntur, quod Dominus Luc. 19. significauit per parabolam illam de mna. Auferte, inquit, ab illo mnam: & cætera; & quod habet auferetur ab eo.

Et colligent eum.

*Et libertate
carebit, qua
ad bonum
redire possit.*

Tertia hæc poena est, colligent eum, quo verbo significatur ablatio libertatis & potestatis, ut amplius non valeat uti vniri, sed cum impiorum coetu colligatus maneat in perpetuum: quod Dominus significauit aliàs, dicens, Ligatis manibus, & pedibus. Matth. 22. quæ colligatio primò significat libertatis arbitrij ad bonum operandum ablationem: significat secundò confortium pessimorum: sicut enim palmites multi aridi colliguntur, sic mali & iniqui post hanc separationem sibi inuicem colligantur, quod ad grauem illorum pertinet poenam. Hoc idem Matth. 13. explicuit per manipulos: significat etiam tertio sic esse colligendos, & puniendos, ut nunquam euadere manus punientium possint: sicut nec palmes euadere potest manus eorum, quæ colligunt manipulos in ignem proijciendos.

Et in ignem mittent.

*Et igne tor-
quebitur,
quia palmes
aut in vite,
aut in igne.*

Quarta hæc poena est; Palmes collectus in ignem mittitur, sic à Christo separati, igne æterno torquebuntur. poena sensus significatur, de qua Matthæi 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et attende dictum esse: *in ignem mittent*, quia toti comburuntur, & non pars aliqua tantum; quod scriptura alio solet verbo significare. Psal. 57. In ita absorbet eos. Psal. 68. Nec absorbeat me profundum. Et perpende sententiæ efficaciam. *in ignem mittent*, id est, ad alios vsus esse non possunt, nisi ut in ignem mittantur, quod August. tractat. 81. annotat ex verbis Ezech. 15. ligna inquit, vitis præcisa, nullis agricolarum vsibus profunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit.

Et ardet.

*Vis & effi-
cacia atque
duratio eter-
ni ignis sig-
nificatur.*

Quinta hæc est poena; vnico enim verbo duo exprimuntur. Vnum est vehementia ignis huius; ut enim palmes, postquam aruit, igni immixtus citissime ardet, ut non tam verè dixeris ardebit, quam ardet; ita mali immixti ardent. Tanta etenim est vehementia illius ignis, ut sine mora ardeat: nam solet ignis lentus calefacere ligna prius, quam inflammare, ut ardeant; at quan-
do ve-

do vehementissimus est, statim ardet; sicut & sicca ardere statim etiam solent: hæc vehementia significatur verbo præsentis. Alterum est duratio, ardet sine fine, non ad tempus, sed in perpetuum. Isa. 66. Ignis eorum non extinguetur. Vide quantum Dominus hoc argumentum sumptum à periculo, & malo; cui non manentes in eo se exponunt, auxerit, eleganti ex palmitibus similitudine accepta.

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

Quarto eos allicit argumento ex promissione sumpto, *si*, inquit, *manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quæ volueritis petetis, & impetrabitur, fietque vobis*; id est, in his, quæ pro voluntate, & desiderio petieritis, exaudietur. Intellige petieritis Patrem, aut me: nam paulò superius expresserat, quis nam sit rogandus. Duo sunt in hac sententia aduertenda; Prius quidem est, non esse vnum & idem, discipulos manere in Christo, & verba ipsius in discipulis manere. manere quidem discipulos in Christo, est fidem Christi habere, hæc enim mansio dicitur: verba autem Christi in discipulis manere, significant dilectionem, ut superius c. 14. dicitur: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui me diligit, quia manere verbum Dei in aliquo dicitur, quando is verbum Dei recordatur, & implet. Vtrumque igitur exprimitur, fides, & dilectio; ut rectè Cyril. lib. 10. cap. 18. exponit. Verbum autem manendi, ut superius annotauimus, perseverantiam quandam indicat, iuxta illud 1. Ioan. 3. Fortes estis, & verbum Dei manet in vobis; id est, perseveranter eius mandata custoditis. Alterum est, non generaliter quodcumque voluerint, & petierint, fiet, sed quod recta voluntate, & qualem in Christo manentes habere decet, petierint. in quo duo sunt, nempe, ut nihil iniustum, superuacaneum, inutile petatur; & rursus, ut ad salutem spiritualem verè sit ordinatum: palmes enim in vite existens, si petere posset, hoc solum, quod ad fructum, & conseruationem in vite confert, peteret: talia sunt, quæ iusti impetrant.

ANNO TATIO X.

*Quid est in
Christo manere,
et quæ
verba eius
manere in no-
bis.*

CHRYSOST. homil. 75. illa duo, *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint*, non ut duo distincta exponit, sed tanquam idem significantia; ut velit Dominus explicare, quid sit in ipso manere, nempe verba, & mandata eius seruare: qui enim mandata implet, ille est, qui in eo manet. Cyril. autem libr. 10. cap. 18. tanquam distincta interpretatur, ut primum ad fidem, secundo ad dilectionem referatur; & hæc videtur legitima expositio: cum enim qui credunt, & fidem sine dilectione habent, in Christo maneant, sicut palmes etiam sine fructu in vite manent, priusquam tollatur & resecetur; non est, cur exponamus mansionem hanc per fidem, & dilectionem, maxime cum sit distinctum verbum, in quo dilectio exprimitur. Et verò obseruandum est, quando absolute scriptura agit de mansionem in Christo, intelligi perfectam, quæ fide, & dilectione fit; at quando apponit verbum particulare,

A quo dilectio significatur, tunc mansio illa interpretanda est, quæ fide fit, cui ut perfecta fiat, superadditur dilectio; quod optima ratione Dominus his verbis facit, ut ostendat, manere aliquos in eo: hoc tamen non sufficere, nisi simul verba eius in eis manserint, ut simul credant, & mandata eius custodiant. Rursus cum duos distinxisset palmites in vite; fructuosos, & inutiles, utrosque tamen in vite inhaerentes; opus fuit id quod commune eis est, & id, in quo distinctionem & differentiam habent, exprimere: idcirco mansionem perfectam duplici verbo distinguit, qui manet in eo, quod commune est, & in quo verbum eius manet, quod particulare est bonis & iustis, qui palmites sunt fructiferi. Adde in hoc multum exprimi, quanti referat mandata Christi seruare; ut qui non seruat, quantumcumque sit in Christo, & viti inhaerent, nihil ei proficit ad salutem.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

COM MENTARI V S.

Quinto argumento eos ad eandem rem, ut in ipso maneant, exhortatur, sumpto ex Dei glorificatione. sensus autem est, Ne putetis parum interesse

Argumento
à Dei glori-
ficatione sibi
pro, eis per-
suadet, ut in
ipso maneat.

vos in me manere: nam ad Patris mei gloriam multū refert, ut vos fructum vberiorē afferatis, populos & gentes ad eius cultum conuertendo, utque, *Efficiamini mei discipuli*, id est meam doctrinam per orbem totū diuulgetis, & disciplinam quam accepistis, profiteamini: hoc ergo vos debet valdè excitare; ut omni studio mihi adhærere studeatis. Attende de eo fructu hanc sententiam intelligi, de quo Ioan. 4. dicitur. Qui metit, mercedem accipit, & cōgregat fructum in vitam aeternam: & paulo inferius; Posui vos, ut plurimum fructum afferatis, & fructus vester maneat. Verba sunt obseruanda. Illud, *in hoc*, declaratur illis verbis, *ut fructum plurimū afferatis*, ut sit sensus. Hacre maxime Pater clarificatus est, nempe, ut afferatis fructum plurimum, & discipuli mei efficiamini. Rursus, *clarificatus*, dicitur Pater, id est, clarificabitur, ut exponit Euthy. sæpe enim in scriptura, præterita pro futuris posita sunt: Sensus ergo est; Clarificabitur Pater, si attuleritis plurimum fructum, & simul efficiamini mei discipuli. erant iam discipuli, at tunc perfectè facti sunt discipuli, quādo adueniente Spiritu sancto doctrinā Christi perfectè edocti sunt, omnemque acceperunt veritatem, ut eam mundo manifestarent: hæc autem maxime in gloriam Dei cesserunt ut per orbem nomē eius coleretur, & adoraretur, expulsa dæmonum tyrannide, & idolatria, à qua Dei veritas iniuste detinebatur, ut dicitur Rom. 1. Denique prius est effici discipulos, quàm plurimum hunc adferre fructum; tamen solet scriptura aliquando ordinem rerum postponere, & ita nunc fit, ut significet se hoc persuadere velle; nempe, ut sibi inhærant, & in disciplina perseuerent; quasi diceret, clarificatus est Pater, ut plurimum fructum afferatis, quod fiet, si mei discipuli sitis, & in mea disciplina perseueretis, & perficiamini.

ANNO TATIO XI.

Diverse se-
riorū ve-
borum ex-
plicationes.

CYRIL. lib. 10. cap. 19. superiorem sententiam multo aliter exponit; nempe hanc clarificationem esse, quam habuit Pater in filij sui incarnatione, ex qua factum est, ut homines discipuli eius fierent, & copiosorem redderent fructum, quàm ij, qui in lege erant; de qua copia dictum est Matth. 6. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Phariseorum. Erit ergo sensus; propterea clarificatus est Pater in me, non ut sibi gloriam propriam acquirat, sed ut vos afferatis plurimum fructum, est autem fructus iste bonorum operum. Hæc ex Cyrillo. Chrysof. homil. 75. aliter exponit, nempe in hoc latatur Pater cum plurimum fructum affertis, & estis mei discipuli. Euthymius autem ita interpretatur. In hoc, inquit, glorificabitur Pater, si fructum multum attuleritis: quis autem hic fructus sit non exprimit. Mihi sensus legitimus is videtur, ut hæc glorificatio sit fides, cultus,

Auctoris in-
terpretatio.

A & honor impensus à tot populis, & gentibus ad verum Deum conuersus: credere enim, colere, & venerari Deum, est ipsum glorificare & clarificare. Fructus autem multus non tantum est discipulorum obseruantia, & studio-
sa sanctaque vita, sed simul conuersio tot hominum ad Dei veri cultum, & fidem; atque hæc disciplina, nempe, *ut sitis mei discipuli*, est illa, non tantum, quam acceperunt à Christo præsentem visibiliter, sed quam Spiritu sancto superueniente imbibebunt: tunc enim perfectè discipuli fuerunt, quando totam doctrinam Magistri sui perceperunt; tunc autem consummati, quando eam mundo denunciauerunt, se discipulos illius profitentes: sic est ista sententia intelligenda, & est argumentum potentissimum inducens eos, ut in Christo maneat; quod vnum omnibus his argumentis Christus persuadere nititur.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea.

COM MENTARI V S.

Sextò ad hæc vnionem, & mansionem in ipso exhortatur, & est sumptum argumentum ex dilectione, quæ eos dilexit. Eo, inquit, dilectionis modo quo pater me dilexit, ego vos dilexi; procurate ergo ea omnia facere, per quæ in hac gratia, & dilectione, quæ vos persecutus sum, conseruari possitis: plurimi enim faciendæ est dilectio illa, quæ similis est ei, quæ Pater dilexit Christum. Particula, *Sicut*, non æqualitatem, sed similitudinem significat, ut sæpe anno-

Mira simili-
tudo inter
amorem, quo
Pater diligit
Christum, &
eum, quo
Christus di-
ligit nos.

annotatum est. Est autem ista similitudo valdè attendenda. Loquitur Christus ratione suæ humanitatis: humanitas autem ipsius nullis eius præcedentibus meritis dilecta est à Deo, ut personæ filij copularetur; magnus hic profectò amor, & dilectio Patris fuit erga illam humanitatem sanctissimam; eā nempe verbo diuino vnire, quam dilectionem gratis Deus impendit nullis præcedentibus ipsius humanitatis meritis, ut doctè, & verè affirmat August. libr. 2. de peccat. mer. & remi. cap. 17. & libr. de correct. & gratia cap. 11. Simili amore gratuito, & nullis eorum præcedentibus meritis, vniuit sibi homo factus Christus discipulos: & est ad rem apposita similitudo. sicut humanitas gratis coniuncta est Verbo, & facta est vitis; sic eidem viti copulati sunt gratis discipuli, & facti sunt palmites; nemo enim discipulorum suo merito cōsecutus est, ut Christi discipulus, & Apostolus fieret. Ex hac similitudine infertur, æquum esse & iustū, ut ipsi procurent, & omni studio incumbant conseruare tantam dilectionem, quam nullo præexistente merito acceperunt. Et hoc est, quod dicit, *Manete in dilectione mea*. sunt enim illata hæc verba ex præcedentibus. manete ergo in hac dilectione; id est, omnem nauate operam, ut conuersemini in hac dilectione, quæ ego vos sum persecutus. hic est legitimus sensus.

ANNO TATIO XII.

Deborum
interpretationes
impugnari.

LABORANT expositores inquirentes, in quo similitudo ista dilectionis consistat. Cyril. libr. 10. cap. 20. explicat in operibus miraculosis, iuxta illud Ioan. 14. Opera, quæ ego facio, & ipse faciet. ut ergo dilexit Pater filiū, communicando virtutem, & potestatem faciendi opera diuinitatis; sic Christus discipulos, quia eis dedit potestatem eijciendi dæmonia, & morbos pellendi, & cætera mirabilia efficiendi. Euthym. aliter exponit: quomodo inquit, Pater dilexit me facientem voluntatem eius, sic ego vos dilexi facientes voluntatem meam. Sed neutra expositio est accommodata; nihil enim hic de miraculis, quorum edendorum nondum perfectam acceperant potestatem, nec dilectio supponit mandatorum obseruantiam, imò facit eam, Christulq;

A exhortatur ad mandata seruanda, ut sic in dilectione conseruentur. Expositio ergo, quæ data est in commentario, videtur valdè accomodata. August. tract. 81. dubium proponit, de qua dilectione sit intelligendum, quod dicitur: *Manete in dilectione mea*, an de ea, qua diligebant Apostoli Christum, ut sit sensus; perseuerate diligere me: an de dilectione hac, qua Christus eos prosequatur. Respondet de hac posteriori esse verba interpretanda; & vera est responsio, quam verba sequentia probant: & eandem Cyril. lib. 10. cap. 20. sequitur, in hunc sensum exponens, omni studio, cura, & opera, sic à me diligere curare debetis, ut ego à Patre diligor. Idem sentit Chryl. hom. 75. & nos in commentario sic exposuimus, quamuis hanc similitudinem aliter explicauerimus.

De qua dile-
ctione Chri-
stus loqua-
tur, cum di-
cat, manete
in dilectione.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.

COM MENTARI V S.

NON satis fuit Christo ad dilectionem suam erga discipulos conseruandam eos exhortari, dilectionis qualitate, & dignitate proposita, sed modum etiā exponit, quo se in ea valeant dilectione conseruare. *Si præcepta mea*, inquit, *seruaueritis*, in mea hac dilectione permanebitis, nec vos vnquam diligere prætermittam. Christus de perseuerantia, & stabilitate dilectionis suæ erga eos loquitur, quam mandatorum obseruantia efficit. habet etiam aliud hæc obseruantia, nempe dilectionem Christi erga eos augere: diligit enim Christus mandatorum suorum obseruatores, & quo magis ac magis ea obseruare perseuerant, eo amplius etiam dilectio Christi erga eos augetur, ac incrementa suscipit: non enim æqualis est dilectio Christi erga suos omnes, nec erga vnum & eundem toto tempore, sed augmenta recipit; non quòd Christus, aut Deus mutetur in se, sed fit mutatio ratione affectuum, qui ex dilectione proueniunt.

Præceptorū
custodia con-
seruat &
auget Christi
amorem.

Sicut & ego præcepta Patris mei seruauit, & maneo in eius dilectione.

Viam, & modum hunc manendi in eius dilectione manifestum, facilem, & suauē efficere conatur Dominus: & est sensus; dixi vos modò manere, & per-

& perseverare in dilectione mea posse, nepe, si mea mandata servaueritis; non sit autem vobis hic modus difficilis, & arduus, nec rursus eum incertum existimetis: nam hunc ego habui erga Patris mei dilectionem: ille enim medilexit, & ego in hac dilectione maneo, servatis mandatis eius: equum ergo est, cum voseadem dilectione diligam, ut etiam eundem erga me servetis modum. hunc autem modum certum vobis persuadete, sicut certus est hic meus, quem ego habui. Attende in hoc non esse inquirendam omnem similitudinem, sed eam, quæ ad rem facit. dilexit Christum ut hominem Pater multis de causis, & titulis, inter quos obedientia Christi fuit erga Patris mandata, & in hoc similitudo est; at discipuli non tot titulis diligebantur: nisi enim mandata servassent, non erat in eis ratio, propter quam diligerentur, imo dilectione Christi privati fuissent. Attende etiam sermonem esse de permanentia in dilectione, uti superius annotauimus; dilectio enim Dei erga nos, causa est cur mandata faciamus; hæc autem obseruantia dilectionem Dei conseruat, & auget. Habes ex his verbis, Christum hominem habuisse mandatum, & præceptum, quod diffuse tractauimus cap. 10. ubi etiam exposuimus, quæ essent hæc præcepta Patris Christo homini facta. Illud, *In eius dilectione*, eodem modo intelligendum est, nempe, qua me Pater diligit.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit.

Gaudere in aliquo, est quod is præstet causam materiam gaudij.

Ad huc nouo vtitur argumento, ut discipulos in mansione hac confirmet. & est septimum, sumptum ex gaudio Christi, sensus autem est. Hæc locutus sum vobis, ut in me maneatis, & mandata mea seruetis, dilectionemque meam hanc erga vos conseruetis, ut gaudium meum sit in vobis, Græcè, maneat in vobis; id est, id in vobis perseveret, quod me gaudio afficit. adhuc gauisus sum in vobis, quod mei estis discipuli, quod in me manetis, locutus sum autem hæc, ut perseveretis tales, & gaudium meum conceptum de vobis etiam perseveret. Magnum argumentum persuadendi discipulo, est gaudium magistri: idem est sensus huius, *ut gaudium meum sit in vobis*, & istius, ut gaudium in vobis. Gaudere autem in aliquo dicimur, quanda in eo reperitur, quod gaudij causam, & materiam nobis præbet: sic dicebat Paulus Philip. 2. Implete gaudium meum; id est, curate ut tales sitis, ut ego de vobis gaudeam. & 1. Thesalon. 2. Vos estis gloria mea, & gaudium meum, id est, estis mihi materia, & causa gloriæ, & gaudij. Ita nunc dicit Christus, *Hæc locutus sum vobis*, ut verbis meis tales vos permanere efficerem, ut mihi in vobis, & de vobis nunquam desit gaudendi occasio, quod fiet, si in me manseritis; id est, si in fide, & dilectione, disciplinaque mea accepta, perseveraueritis. Gauisus esse Christum in suis discipulis, quod discipuli eius sint, quodque doctrinam eius susceperunt, docet Luc. cap. 10. In illa hora exultauit in Spiritu sancto, & dixit; Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Hoc modo Christus gaudium, & exultationem perseverare vult, ut nimirum discipuli tales continuo perseverent: hoc est gaudere in eis, & gaudium eius manere, & perseverare in ipsis; ideo multis rationibus eos, ut tales perseverent, exhortatur. In annotatione sequenti hic locus accuratius discutietur.

Et gaudium vestrum impleatur.

Si in me manere curabit, & me gaudio afficiet, & eodem vos afficiat.

Octavo argumento idem confirmat, connectuntur autem hæc verba præcedentibus, ac si dicat; Non solum gaudio me afficietis, si feceritis; quæ locutus sum, sed etiam vestrum gaudium implebitur, quia id assequemini, quod vos maximo & perfecto afficiet gaudio; & quod vos nunc multum desideratis: vos enim cupitis mecum semper manere, nunquam a me separari: cæterum scitote hac ratione vos id consequuturos, si hæc feceritis, quæ loquutus sum, ideoque ea omnia dixi, & docui, ut & ego in vobis gaudeam, & vos, quod sum.

summoperè desideratis, & in quo perfectè gaudebitis consequamini. Hic mihi huius, & præcedentis sententiæ sensus legitimus videtur. Ex quibus omnibus constat, quàm efficacibus, & quàm multis argumentis ad hanc mansionem in se, quam per parabolam induxit, suos sit exhortatus discipulos.

ANNOTATIO XIII.

Pater dicitur in modis superioribus sententiam interpretantur.

SENTENTIAM superiorem variè Doctores interpretantur: Varietas autem ex eo procedit, quod verba plures admittunt sensus. ita ut quis proprius, & legitimus sit, non facile iudicetur. Primò Chrysof. hom. 76. & Euthimi. sic exponunt, ut sit sensus; Ne discedatis à me, neve à cursu desistatis; ut gaudium meum maneat in vobis; id est, ut gaudium, quod habebatis in me, & de me antequam hæc tristitia locutus essem, in vobis sit, & perseveret. hoc enim est, quod dicit, gaudium meum sit in vobis, & gaudium vestrum impleatur: ut vobis gaudere, sicut ante, & perseverare in eodem gaudio semper liceat. Interpretantur autem hi Doctores aliud meum passivè, id est, gaudium, quod de me habebatis. & hoc idem appellat vestrum, quia ipsorum erat, tanquam eorum, qui gaudebant; Christi autem tanquam eius, in quo, & de quo gaudebant. Secundo loco Cyril. libr. 10. cap. 21. brevissimis verbis, prima hac expositione recitata, alteram; quam accuratorem, appellat, adhibet, ut, *gaudium meum*, sit hoc, quod Christus habebat; ut sit sensus: ut gaudeatis de ijs, de quibus ego gaudeo; ego autem gaudeo de hominum salute; tale ergo sit vestrum gaudium; sic enim fortes ad certamina eritis, & spe saluandorum hominum, libenter pericula subibitis: non parum gaudentes, quod voluntas Patris, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, pro virili parte vestra impleatur. Et *gaudium vestrum impleatur*, id est, gaudium vestrum sit solidum, & sincerum: erit autem tale, si de his gaudeatis, de quibus ego gaudeo. Tertio loco August. tract. 83. exponit aliter, ut gaudium hoc sit, quod habuit ut Deus ab æterno ex prædestinata & præuisa salute nostra, quod gaudium in eo fuit semper: tamen in nobis nondum erat, quia nondum eramus. Dicitur autem esse in nobis, dum gratia cum salute nobis datur, ex quarum provisione Christus gauisus est ab æterno. Erit igitur sensus. Hæc locutus sum vobis, ut id, in quo ego ab æterno gauisus sum, sit in vobis; nempe gratia & salus. gaudium vestrum autem, quod habetis de meo consortio impleatur, paulatim proficendo vsque ad æternam beatitudinem. Quarto recentiorum aliqui aliter exponunt, ut gaudium suum vocet, quod ipse in cordibus hominum solet efficere, sicut & pax Christi di-

Recentiorum explanationes

citur, quam ipse suis communicat. Est autem gaudium de rebus spiritualibus, & de dilectione Dei, & de spe salutis æternæ; quod gaudium omnem tristitiam de rebus temporalibus superat. Erit ergo sensus; Hæc locutus sum vobis, ut in vobis sit gaudium spirituale & cœleste, quod ego efficio in ijs, qui mei sunt; hoc gaudium quod vestrum est, quia vos gaudebitis, est impletum, id est, sincerum & solidum. Alij alias adhibent interpretationes, sed hæ præcipuè videntur. ex quibus colligere licet, illud, *meum*, variè exponi in prima expositione passivè accipitur, ut sit gaudium meum dictum, quia de Christo, & in Christo gaudium erat; in secunda, & tertia expositione accipitur activè, gaudium meum; quod ego habeo, seu quo ego gaudeo; quamvis iuxta expositionem secundam hoc gaudium sit Christi hominis; secundum tertiam verò sit Christi Dei & æternum; vtraque tamen expositio salutem hominum respicit, de qua Christus gaudet. In expositione quarta accipitur effectivè, gaudium meum, quod ego efficio, & communico.

Consequenter, diversis explicat modis verba illa, & gaudium vestrum impleatur.

Similiter etiam pars illa secunda, nempe, *gaudium impleatur*, variè exponitur. In prima expositione impleri gaudium, est perseverare in eis gaudium, quod prius conceperant de Christo; in secunda impleri gaudium est, gaudium esse sincerum, & solidum, non de caducis, & vanis rebus, & hoc etiam in quarta expositione. at in tertia, impleri, est paulatim proficere, & promoueri vsque ad perfectum complementum in gloria. Hæc sunt, quæ Doctores sentiunt; mihi ea expositio, quæ posita est in commentario probabilior & accommodatior visa est, in qua gaudium meum exponitur, quo Christus gaudebat: nam distinguit duplex gaudium, suum, & discipulorum; & de suo inquit, ut gaudium meum in vobis maneat; de illorum verò gaudio dicit, vestrum impleatur. Non igitur potest passivè illud, *meum*, convenienter exponi. Rursus gaudium hoc erat, quo ut homo gaudebat, & in ijs, quæ ad materiam subiectam pertinent: loquebatur enim de illorum mansionem in se, ne à tua disciplina recederent: similiter etiam sermonem faciebat de discipulorum desiderio & affectu, quo ab eo nunquam diuidi desiderabant: quibus data expositio facilius accommodari posse videtur.

Auctoris explicatio comprobatur.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

COMMENTARIUS.

Postquam Dominus ad mansionem in se, & dilectionem erga se exhortatus est suos discipulos, multisque argumentis suadere conatus est, aliud documentum tradit, quod consequens erat; nempe, ut invicem se diligerent; cuius etiam dilectionis modum docet. Connectuntur autem hæc verba super-

rioribus sic; Iniunxerat eis, vt mandata eius seruarent: nam ea ratione in dilectione, quam erga eos habebat, manuri erant; nunc exponit, quæ hæc sint mandata & præcepta. *Hoc est, inquit, mandatum & præceptum meum.* In Græco geminus est articulus, vt sit sensus; inter omnia mandata mea, quæ vobis seruanda iniunxi, hoc est illud præcipuum & insigne, vt diligatis inuicem, sicut ego id est, eo modo, quo vos dilexi. quis autem modus hic sit, verbis sequentibus exprimit; nempe ita vehementer vos inuicem diligatis, vt vitam pro alterius salute exponere vnusquisque vestrum sit paratus. Est autem generale hoc mandatum singulis Christianis, non autem solis Apostolis. Si igitur in dilectione Christi manere, est mandata eius seruare, & hoc est inuicem sic se diligere; qui non sic diligit fratrem, profectò nec mandata Christi seruat, nec in eius manet dilectione.

A N N O T A T I O XIV.

Cur solius dilectionis, & non diuine, sed mutua humane mentis.

Auctoris sententia proponitur.

Interrogare aliquis posset; cur de dilectione mutata meminit, non autem de Dei dilectione, & cur de dilectione, non autem de alijs mandatis? Aug. tract. 83. in hac dilectione mutua proximorum, & mandatum de dilectione Dei, & cætera, quæ erga proximum sunt, comprehendi responderet: quæ sanè vera est doctrina: qui enim proximum diligit propter Deum, & Deum absque dubio diligit. Qui etiam proximum diligit, non furatur, quæ eius sunt; non occidit; non ea denique facit, quæ proximorum dilectioni repugnant; radix enim omnium mandatorum charitas est, vt docet Gregorius hom. 27. Euangel. Eadem est responsio Chrysol. hom. 76. At mihi ea accommodata responsio videtur, nempe Dominum intendisse discipulos secum venire, & inter se ipsos; secum quidem, vt salutem propriam consequerentur; inter se ipsos autem, vt singuli aliorum studerent incumbere salutis: futuri enim erant Doctores, & medici salutis spiritualis hominum. Idcirco postquam de mansionem in se locutus est, in qua dilectio Dei comprehendebatur, nunc de mutua agit dilectione, per quam efficiebantur solliciti, & studiosi salutis aliorum. Alia præcepta, quæ ad iustitiam pertinent, non expressit, quia ad ea non indigebant discipuli persuasionem, sicut nec vt Deum diligerent. Difficultas solum erat in hac mutua dilectione, propterea eam maximè commendauit.

Insuper rogabit aliquis quare hoc præ-

Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

C O M M E N T A R I V S.

Modum, quo ipse dilexit nos, declarat, vt nos inuicè sic diligamus. Nulla, inquit, maior est dilectio, quàm ea, qua aliquis pro eo, quem diligit, animam suam ponit, & mortem subit. Hoc nos modo dilexit Christus, hoc etiam modo præcipit suis, vt se inuicem diligant, vt pro alterius salute tuenda, & conseruanda, quando opus est, nullum periculum, nulla persecutio, nullum malum temporale eos retrahat; sic suos Apostolos præparatos esse vult, vt mundo salutem annuntient, & hominum salutem incumbant; sicque huic negotio intendat, vt nec mors, quæ omnia mala temporalia superat, nec mortis genus vllum acerbissimum, eos ab hoc officio retardet. Hunc locum ipse Ioannes explicuit. 1. Canon. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam

quoniam ille animam suam posuit pro nobis: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Græca exemplaria non habent particulam, *quàm*, nec multa Latina, sed legunt, Maiorè hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat; vt sit sensus; non est maior dilectio erga dilectum ea, qua pro eo anima, seu vita exponitur; & ea est dilectio accommodatior. Aliqui non legunt pronomen, *hac*, & tum rectè legitur particula, *quàm*, quod si ponitur pronomen, vt in Græcis habetur, tunc superuacanea est particula, *quàm*, nec sensum conuenientem habet.

A N N O T A T I O XV.

Vt maior dilectio dicitur, quæ pro amicis, quæ pro inimicis facit, quæ pro inimico ponere.

Dilectionis magnitudo tripliciter per secula.

Inquirunt nostra tempestate nonnulli, quæ ratione dictum sit; neminem habere maiorem charitatem ea, qua ponitur anima pro amico, cum maior illa videatur, qua pro inimicis ponitur. Bernard. etiam in serm. feriæ quartæ hebdomadæ sanctæ, maiorem, inquit, charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis: maiorem tu habuisti Domine ponens eam pro inimicis. Relictis autem recentiorum responsionibus, vera, & legitima responsio, & doctrina hæc est. Sciendum triplicem esse quantitatem dilectionis alicuius, vna est, quæ dicitur æstimationis, seu appreciationis; quo enim aliquis plura & maiora postponit pro aliquo, eum dicimus plus, vel minus diligere, & dilectio maior, vel minor est. qui ergo ita diligit alterum, vt res temporales postponat dilectio, potiusque eas quàm amicum dimittere sit paratus, multum diligere dicitur. at si aliquis non solum res temporales, sed honorem etiam proprium illi postponat, plus diligit: si autem alius vitam etiam postponat, maximè diligit; Quo. n. amicus pluribus præfertur, aut paucioribus, & minoribus, ed plus aut minus diligitur, & dilectio maior, & minor dicitur: & hæc est quantitas æstimationis, seu appreciationis. Altera est quantitas intensiõis, quæ consistit in vehementia, & seruore dilectionis; quo enim feruentius, & vehementius aliquem amamus, etiam plus, aut minus amare dicimur. distinguitur autem ista quantitas à præcedenti: aliquando enim vehemētius amamus, quæ minoris æstimationis, & facimus. Parentes enim vehementius amant filios paruulos, tamen plures faciunt primogenitum etiam prouectiorem. quodeo probatur; quia si vnum dimittere compellerentur, mallent seruare primogenitum: iuuenes etiam aliquando vehementius diligunt suos socios & sodales, quàm parentes; tamen plures faciunt parentes, maioraque propter parentes dimitterent, quàm pro sodalibus, si opus esset. Tertia quantitas est extensiõis: quo enim plures aut pauciores diligimus, ed dilectio maior vel minor etiam dicitur, quamuis esset eandem vehementia & eadem æstimatio. Sic maior est dilectio diligentis ciues, & externos, quàm eius, qui solos diligit populares.

Deducitur ex dictis dilectionis quantitas.

Ex hac certa, & vera doctrina facilè est aliquas varietates deducere. Prima est; dilectio ordinata non potest esse maior, quantum ad æstimationem, ea, qua vita exponitur pro amico, vel pro eo, quem diligimus: Cum enim quantitas hæc consideretur ex his, quæ pro

dilecto exponimus, & quæ eius bono postponimus, nullumquæ sit æquale bonum temporale vitæ propriæ; fit vt qui postponat eam, diligit summè nec habeat vltra, quod postponat. dixi dilectionem ordinatam: nam qui vitam spirituales pro alio exponeret; hic maius aliquid, quàm vitam propriam temporalem, pro amico poneret; sed ea dilectio inordinata esset, nec amicitia vera censeretur: inter ea enim, quæ ordinata dilectione postponuntur pro alijs, summum locum tenet vita propria temporalis, idcirco hæc dilectio est summa, quæ nulla maior est quantum ad æstimationem. Secunda veritas sit; non est maior quantum ad hæc æstimationem dilectio, qua vita pro inimico, ea quæ pro amico ponitur, hæc veritas attendenda est: nam per eam difficultas soluitur. Demus vnum pro amico vitam exponere, alterum pro inimico; quantum ad æstimationem nõ est maior vna dilectio, quàm altera: non enim plus dimittit, aut posthabet pro dilecto vnus quàm alter: sicut qui dat mille aureos inimico, non plus dat, quàm qui totidem dat amico. est quidem dilectio illa, qua pro inimico anima ponitur, extensiõem maior: est etiam rarior, quia rari sunt, qui ita inimicos diligant; est amabilior; est aliquo modo perfectior, tamen non est maior quantitate æstimationis, & ex hoc intelligimus facile S. Bernardum dicentem, maiorem esse charitatem, qua anima pro inimicis ponitur: est enim maior extensiõem, intelligimus etiam Paulum Rom. 5. Commendat, inquit, charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, pro nobis Christus mortuus est. & rursus. Vix pro iusto, quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori: hæc non probant maiorem esse dilectionem Christi quantum ad æstimationem, qua pro inimicis mortuus est, quàm, si pro amicis moreretur: non enim aliam vitam exponeret, quàm exposuit; sed fuit dilectio rarior, difficilior, perfectior & extensior, vt diximus. Tertia veritas fieri potest aliquam dilectionem esse maiorem quantum ad intensiõem, & extensiõem, ea qua quis animam ponit pro alio: nam si vnus pro solo amico animam poneret, non autem pro inimico: alter vero pro amico, & inimico non animam, sed bona temporalia exponeret, huius dilectio esset extensior, quàm ea, quæ est maioris æstimationis: idem posset accidere in intensiõem. Quarta veritas est; Dominus in his verbis, de dilectione loquitur, quantum ad æstimationem: hæc enim est vera quantitas, & præcipua dilectionis; quo enim plura pro dilecto postponimus, eo dicimur magis amare, & diligere: &

Dominus Christus loquitur de dilectione quantum ad æstimationem.

hanc commendat discipulis, vt ita ament omnes, vt vitam propriam exponere sint parati pro his, quos diligunt. De intensiōe dilectionis nihil Dominus disponit: satis enim perfectē amat, qui ita amat, vt animam ponat pro eo, quem amat. nec de extensiōe, quia iam locutus erat, vt in annotatione sequenti dicitur; sed solum de hac estimatiōe, & quātum ad hanc, siue pro amico, siue pro inimico, quem diligimus, vitam exponimus, non est maior vna dilectio, quā altera, & hæc est solutio difficultatis propostæ: nihilominus pro exactiori intelligentia eiusdem sententiæ adiungenda est sequens annotatio.

ANNOTATIO XVI.

Cur Christus amicorum tantum, & non dilectionis, quæ pro inimicis vitæ exponet, mentionerit.

Inquirunt præterea recentiores, quare dictum sit, animam suam ponit pro amicis, & non etiam pro inimicis; at re vera inquisitione dignius erat, quomodo Christus animam pro amicis posuerit, cum Rom. 5. dicat Paulus, pro impijs mortuum esse, & pro peccatoribus. Rursus, quia si mortuus non fuisset, amicus Dei nemo esset inuentus: pro suis igitur inimicis animam posuit, & morte sua amicos fecit. Hæc igitur duæ difficultates sunt dissoluedæ. Ad priorem respondeo, rectè factam mentionem de amicis, non de inimicis: ratio enim contextus id postulabat: nam præceperat discipulis, vt inuicem se diligerent, id est, vt omnes mutuo essent amici, neminemque inimicum haberent. his autem verbis quantum diligendi mutuo essent expressit. cum igitur nemo debeat inimicus esse alteri, sed omnes mutui amici, in explicanda amoris huius magnitudine, non erat cur de inimicis fieret mentio. Obijcies; quid si aliquis præceptum Domini transgressus, inimicus sit, & odio nos habeat? Respondeo etiam hunc ex parte nostra amicum habendum esse: eum enim diligere debemus, & ex parte nostra amicitiam conseruare Christianam; atque si opus fuerit, pro eius salute animam ponere, interque amicos reputandus, quantum ex nobis est, quamuis

Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.

COMMENTARIUS.

Occasione illius verbi, *Animam ponit pro amicis*, allicit eos ad obseruandam hanc dilectionem mutuam, nouo & honorifico titulo iniunctam. *Si, inquit, feceritis, quæ vobis præcipio*, si hanc mutuam dilectionem habueritis, à qua omnia pendent mandata, talisque ac tanta fuerit, vt pro vobis inuicem animas ponere parati sitis; eritis amici mei, hancque dignitatem tam excellentem, assequemini: quia enim difficile erat tantam habere erga alios dilectionem, idcirco magna dignitate eos attrahit. Græcè vtrumque verbum est præsens: *Vos amici mei estis, si facitis, quæ præcipio*. tamen vim habet futuri, vt exponit Euthi. quod & in sequenti commentario explicatur.

Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius.

Promissionem factam exponit, *Non, inquit, vos dicam seruos*, sicut prius dixi; sed amicos dixero; quod probat ex signo: seruus enim nescit Domini sui secre-

A ipse ex parte sua inimicus sit: quod Paulus docuit, dum de pace loqueretur Rom. 12. Si fieri, inquit, potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. nemo igitur ex parte sua, si vult, vllum habet inimicum, sed omnes amici ei sunt, qui omnes propter Christum, & in Christo diligit. siue ergo pro amicis, siue pro inimicis vitam exponat, pro amicis ex parte sua vitam ponere dicendus est: idcirco causa maioris claritatis, in commentario diximus pro ijs, quos diligit, vitam, seu animam ponit: nam integra amicitia non dicitur, quando ex vtraque parte non est mutua: quandam enim amicus relationem habet ad alterum; quamuis autem ex vna parte deficiat, si tamen alter adhuc diligit, nec mutatus est, amicitia omnino perijsse non censetur.

Ad posteriorem difficultatem respondeo; *quomodo illi quotquot iusti tempore aduentus Christi fuerunt, imò à principio mundi, iustitiam hanc virtute aduentus & mortis Christi consecuti sunt: nisi enim venturus fuisset, nemo iustus, nemo Dei amicus, eique charus inuentus esset; at decreto, & statuto eius aduentu, multi iustificati sunt virtute fidei ipsius, etiam antequam veniret & moreretur: quando ergo venit, & mortuus est, inuenti sunt multi amici, & chari, pro quibus mors illa offerebatur, sicut pro alijs in peccato adhuc detentis: nemo tamen illorum amicitiam illam consecutus erat, nisi mortis eiusdem futuræ virtute: & hac ratione dictum est, pro iustis & iniustis, amicis & inimicis mortuum; nempe amicis & iustis, qui iustitiam virtute mortis eius, antequam eam subijsset consecuti erant: omnes tamen inimici erant ex se, quotquot mortis huius beneficio iustificati sunt, quia in peccato nati, & concepti. Adde ex parte Dei amicos omnes fuisse, qui eos omnes etiam in peccato sic dilexit, vt filium suum vnigenitum daret; & ex parte Christi ipsius, qui pro omnibus mortem subiit, etiam ijs, qui remedium salutis noluerunt accipere, nec accepturi erant.*

quomodo illi seruitute eos excludi dicatur, quibus præcepta imponit & obediare præcipi.

AVG. tract. 85. dubitatione proponit, quæ scilicet ratione dictum sit; *Nō dicam vos seruos*, cum verè futuri essent serui: nam mandata, & præcepta implere seruorum est; & rursus in die iudicij dicitur: *Euge serue bone & fidelis*. Respondet, sicut duplex est timor, seruilis, & filialis; illum perfecta charitas foras mittit, hunc complectitur; ita etiam duplex seruitus; quædam nascitur ex timore illo seruili, quædam verò ex timore filiali. illa igitur seruilis seruitus est, de qua dicitur; *Non dicam vos seruos*, filialis tamen non excluditur. Ceterum ista responsio non videtur accommodata: nam quod Apostolis nunc dicitur, etiam ipsis iustis credituris in Christum dicitur, quibus per charitatem datum est amicos esse. multi autem sunt habentes charitatem, in quibus est timor seruilis: non enim eijcitur hic, nisi per charitatem perfectâ: at quæcunque, dummodo charitas vera sit, amicos facit. Aliqui nostro tempore aliter respondent, non esse dictum, *non dicam*, sed *modò non dicam*, sed vana est responsio: dum enim dicitur, iam non dico, sensum facit etiam de futuro, & ita Latini omnes codices, & antiqui Patres legunt, & id contextus conuincit, quia de futuro dictum est prius, *Si feceritis*, quæ præcipio, eritis amici: non enim ad præsens tantum hæc referri possunt. Alij respondent hoc ita esse intelligendum, nempe dicendos amicos esse, non ita tamen, vt non aliquando etiam serui dicantur, sicut Genesis 32. dicitur, Nequaquam Iacob vocabitur nomen tuum, sed Israel. & tamen postea vocatur Iacob: sed neque hæc responsio ad propositum sensum facit.

Vera solutio est; Christum loqui de seruitute legis, quandoquidem tunc sub lege ista statu seruorum erant; à qua omnino liberauit

sui secreta. amicus autem est cui secreta reuelantur, & manifestantur, quod ego vobis feci. Est argumentum ab effectu & à signo ad probandam amicitiam. Attende autem his verbis Dominum significasse mutationem status seruitutis legis, in statum filiorum, & amicorum Euangelij: illi enim serui, nos amici; illorum dominus Deus, noster Pater est; illis vt seruis ratione status, vt in ca. 1. declarauimus, non reuelauit Deus altissima Trinitatis mysteria incarnationis, aduentus Spiritus sancti, & alia multa. nisi sub vmbrijs, & figuris, & confusa quadam ratione: at nobis explicuit, & declarauit vti amicis, quanquam non de omnibus loquimur. cum aliquibus ex particulari priuilegio, Deus ea reuelarit, vt Prophetis, & Patriarchis, id tamen priuilegium fuit præter rationem status illorum, qui tunc seruiebant: at nobis reuelat non ex priuilegio, sed ratione status Euangelij, qui est filiorum, & amicorum; idcirco à minimo vsque ad maximum, hæc altissima, & profundissima, ac secretissima mysteria credenda distinctè proponuntur; ita vt quod insignes illi Prophetæ, & Patriarchæ, tanquam arcanum diuinum conseruabant, nunc pueri, & puellæ per vias laudantes Dominum decantent. Hoc est, quod nunc Dominus docet. Græcè habetur, *Iam non dico vos seruos*, idem est sensus, ac iam non vos dicam: nam sæpe vnum pro altero tempore ponitur. hinc sequitur, vt non ad præterita verba referatur hæc sententia, *Iam non dicam seruos* quasi diceret, non dicam, sicut paulò ante dixi, sed ad statum legis præteritum, quando à Christo, qui Deus est, dicti sunt serui; at nunc in Euangelio amici vocantur, statu illo priore mutato.

ANNOTATIO XVII.

AEuangelium, non quod serui non simus natura, & verè Dominus non sit Christus; seruos enim nos esse, & ipsum Dominum recognoscimus; sed ita serui, vt conditione filij, & amici simus, quando igitur dicitur, *Non dicam vos seruos*, intellige, conditione, & statu, vt olim in lege veteri: quod si serui sumus nunc & erimus, id prouenit, quia natura, & debito tales sumus: seruitute le- non enim hoc tollit gratia, sed dat conditionem amicorum. Et sic intelligenda est ista sententia vt referatur ad statum illum legis Christi enim vt Deus eos in seruitute legis constituit, & idem homo factus per Euangelium, in libertatem vocauit filiorum, & amicorum. Ita doctè olim exposuit hanc sententiam Irenæ. libr. 4. cap. 27. vtens hoc loco con. Marcion. & probans eundem esse Deum veteris, & noui testamenti; qui primò seruos attraxit, & postea à seruitute liberauit; qui prius seruos per veterem legem fecit, & nunc facit amicos. Non ergo illud, *Iam non dicam*, referendum est ad illud, paulò ante dictum; *Non est seruus maior Domino, & vos vocatis me Domine*, quasi diceret; *Iam non dicam*, sicut tunc dixi, quando illa dixi, sed ad statum legis; *non dicam*, sicut dixi seruos vos, & ceteros omnes, qui sub lege fuerunt. Si enim ad illa verba prius dicta referretur, nō posset hoc verum esse, cum paulò inferius repetat, *Non est seruus maior domino*. Ad statum igitur legis referenda sunt. modò autem seruitus est; tamen non qualis illa nam serui sumus natura, sed liberi, & amici conditione. Hic est sensus legitimus, & doctrina vera, & obseruanda. Hinc soluitur dubium eiusdem Augustini seruo bono & probato, secreta Dominus manifestat. Respondeo, id non vt seruo, sed vt amico facit: nam ad amici conditionem ea in parte seruus extollitur.

Subinducitur mutatio à statu seruorum ad statum filiorum, quæ per Christum habemus.

Christus à seruitute le- gis ad præclarum amicorum, & filiorum statum suos traduxit.

Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

COMMENTARIUS

AD superiorem sententiam hæc pertinent verba; Non dicam seruos, quia seruus nescit secreta Domini; nec enim Dominus seruis sua aperit arca...

ANNOTATIO XIX.

quomodo Christus omnia suis mani...

CHRYSOST. h.6. 76. & Aug. tract. 86. & ser. 22. de verb. Apost. inquirunt, qua ratione dixerit Dominus: quaecunque audiui à Patre, nota feci vobis...

nemo enim beatorum scit secreta omnia Dei, quæ filius scit: imò nec scit quidem, quaecunque scit Christus, etiam vt homo...

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

COMMENTARIUS

Argumento ab officij dignitate sumpto ab officij eorum magnitudine, ad eandem attrahere pergit: ad quod officium, non ipsi suis meritis, sed Christus sua benignitate & gratia, eos extulit...

Patrem in nomine meo, dabit vobis. Cum igitur munus hoc, & officium sit altissimum & dignissimum, diligite inuicem: hoc enim necessarium est, vt fructum hunc afferatis, & munus tantum impleatis...

ANNOTATIO DECIMANONA.

De connexionem huius cõ precedentis sententia.

CONNEXIONEM huius sententiæ cum precedenti aliter inducit Cyril. libr. 10. cap. 24. nempe, vt Dominus modum adhuc explicet diligendi inuicem, sicut ipse dilexerat: dixerat enim charitatem, & dilectionem esse debere...

ANNOTATIO XX.

POSSET aliquis oponere illud Deut. 26. Dominum elegisti hodie, vt sit Deus tuus. & Iosue vltimo; Testes vos estis, quia ipsi vos hodie elegeritis Dominum, vt seruiatis illi...

quomodo Christus suos, & ipsi Christum elegerunt.

Et posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

COMMENTARIUS

AVget beneficium, magnitudinem officij explicans. Elegi vos, inquit, & constitui, id est, in hoc altum, & magnificum officium deputavi, nempe Apostolatam. Tim. 1. Fidelem me existimauit ponens in ministerio. 2. Tim. 1. Per Euangelium, in quo positus sum. Vt eatis, nempe per mundum vniuersum, & fructum afferatis...

Magnitudinẽ officij Apostolis commissã commendat.

Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

*Apostoli hoc
voborantur
adiumento,
v. pr. bē mu-
nus suum ob-
eant.*

ADhuc auget. Non solum, inquit, elegi vos, & posui, seu constitui, vt eatis, fructumque afferatis, eumque talem vt maneat; sed etiam posui vos, vt, *Quodcunque petieritis in nomine meo*, id est, tales vos effeci, & ad hunc promouii gradum, vt quodcunque Patrem meum petieritis, *det vobis*, ac si diceret; non vestris viribus fructum hunc estis allaturi, sed Patris. Ego verò tales vos faciam, vt quæ petieritis in nomine meo Patrem, impetretis, hæc queratione fructum afferre poteritis. Hæc verba superius sunt exposita, & adhuc inferius exponentur exactius.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.

*Hoc est, quod
superioribus
argumentis
nuebatur
peruadere.*

Conclusio hæc est; cum igitur electi sitis à me, & ad hoc positi, & in hunc promoti, & elati gradum, & ex mea parte vobis media ministraverim, *Mando, vt inuicem diligatis*; sic enim, quod ex vobis erit, facietis in hoc munere obeundo: hæc enim est via, per quam fructum multum afferetis, & populos conuertetis, ad quod tanta gratia, & libertate mea electi estis, nempe, *Si inuicem diligatis*. Hic sensus & connexio mihi legitima videtur. Euthymius exponere videtur; Hæc annuncio vobis, tamen rectius dicitur, hæc mando vobis. Verbumque Græcum id significat. Hæc igitur sententia velut conclusio est præcedentium, sicut iam expositum est.

Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.

*Ad toleran-
tiam passio-
num, suo ex
emplo Domi-
nus eos hor-
batur.*

Postquam adhortatus est Dominus suos, vt in eo maneant, & rursus vt se inuicem diligant, ad tolerantiam, & patientiam tertio loco exhortatur. Vt enim fructum in mundo, ad quem electi sunt, afferrent, necessaria erat illa tolerantia, & patientia, sine qua mutua dilectio conseruari non potest: diligere enim diligentes, & benefactores facile est; diligere etiam eos, à quibus nec diligimur, nec odio habemur, non est difficile: at eos diligere, à quibus persecutionem patimur, & odio habemur, difficile & arduum est. Cum autem Apostoli per mundum ituri essent, & hac armati dilectione, verbum prædicaturi, necessaria erat patientia, & tolerantia: nam infinitos contradictores, & persecutores, & otores sui inuenturi erant. Quos igitur Dominus dilectione mutua instruxit, nunc ad patientiam, & tolerantiam inducit multis & efficacibus rationibus: quarum prima est ab exemplo suo, qui prior aduersa sustinuit, & passus est; *Si mundus*, inquit, *vos odit, scitote*, & in memoriam reuocate, *me priorem odio ab eo habitum*. Est autem magna energia invocibus. *Me* inquit, qui innocens sum, qui Dei filius, qui tot beneficijs eum cumulaui, qui de caelo propter eum descendi; & rursus, *me priorem vobis*, non ergo vos priores ad pericula mitto, aut odijs, & persecutionibus expono; prior ego odio sum habitus; tanto ergo exemplo vobis proposito, non est cur retrocedatis à vestro munere, non est, quod vestram dilectionem mutuanam hoc remoueat. Iam inceperat odium in Apostolos, idcirco dicit, *odit vos*, tamen non odium præsens; sed & futurum indicat, maximè Iudæorum, sub quo etiam Gentium odium, & persecutio indicatur. Verba tamen ad Iudæos referuntur, quos hoc in loco per mundum significat, vt docet August. tract. 89.

*Perpendun-
tur singula
verba.*

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

*Præstat cum
innocentia
passi, quæ cū
iniustitia
honorari à
mundo.*

Secundo argumento eos ad hoc odium tolerandum, & sustinendum patienter confirmat; & argumentum sumitur ex causa & origine: ac si dicat, quia boni estis, & iusti, idcirco vos odit mundus; si essetis mali, & iniqui, similes ijs,

les ijs, qui sunt de mundo, non vos vtique odio haberet, sed diligeret; sed præstat odium mundi sustinere cum iustitia & innocentia, quàm eius potiri dilectione, quæ vana, & incerta est, cum iniustitia, & malitia. hic est sensus verborum, *Si de mundo*, inquit, *essetis*, similes iniquis, & incredulis hominibus vos mundus diligeret; at quia non estis similes eis, sed electi à me, & separati ab ipsis, idcirco vos odit mundus. Si igitur causam, & originem odij consideratis, magna vos consolatione afficiemini, vt mundi odium constanti animo toleretis. Hac ratione vsus est in suis afflictionibus Paulus 2. Cor. 12. qui eas non patienter solum ferebat, sed in eis etiam lætabatur. Placeo, inquit, mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, id est, causam considerans, quia pro Christi iustitia ea patior: & paulò ante etiam gloriatur. Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. hac etiam ratione vsus est Ioannes 1. Cano. 4. Nolite mirari, inquit, fratres, si odit vos mundus, nos scimus, quia translatus sumus de morte ad vitam. Multo melius, ac optabilius est, vitam habere perpetuam in nobis. etiam in his temporabilibus afflictionibus, quàm in æternam mortem pro temporali quadam consolatione incidere. Aduerte malos & iniquos, vt tales sunt, odio habere iustos & bonos, vt sibi contrarios; similes enim sibi diligunt; nisi quando sibi contrarij sunt. nam & mali se inuicem odio habent, seque mutuò persequuntur; malum enim malo contrarium aliquando est; tamen malos similes diligunt mali; bonos autem nemo malus diligit, & sic semper mundus odio habet iustos maximè eos qui cum arguunt & reprehendunt. Et verò cuiuslibet boni vita, malum arguit & reprehendit.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis; non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt.

Tertio argumento ad idem confirmandum vtitur; & tale est; *Non est seruus maior Domino*, nec melior conditio serui, quàm Domini: si igitur mundus me, qui Dominus sum, persecutus est, & meum contempserit sermonem, a quo etiam animo vos, qui serui estis natura debetis ferre, si vos persecutus fuerit, vestrosque contempserit sermones, vt certè persequetur, & contempnet. Illud, *Si meum sermonem seruauerunt*, à contrario sensu intelligitur; at meum non seruauerunt, nec vestrum igitur seruabunt, vti Cyril. libr. 10. cap. exponit, & ratio contextus id postulat. nam omnia hæc ad mundum, & incredulos referuntur, de quibus nomine mundi loquebatur. Horum aliqui Christum persecuti sunt, aliqui verbum, & sermonem sine persecutione contempserunt, credere nolentes; non tamen propterea destitit Christus prædicare, vel ea facere, quæ ex parte sua ad eorum salutem necessaria erant: quare Apostolos hortatur, vt idem faciant. Argumentum est à minori; Si quod minus videbatur, inest; & id quod magis simile Matt. 10. fecit Dominus; Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Reducit autem in memoriam sermonem cap. 13. tum vt confirmet, tum vt admoeat. verba ipsius retinenda esse memoria, neque vnquam obliuioni tradenda. Attende autem in primo argumento ad odium tolerandum, nunc ad persecutionem, & prædicationis contemptum sustinendum exhortatur; latetq; energia quædam in argumento: Debet enim seruus magni beneficij loco habere, si æqualem habeat cū domino conditionem, cum potior deberet esse domini conditio.

*Serui, magni
beneficij
bonoris loco
habere de-
bent, si æqua-
lem cum do-
mino condi-
tionem sub-
eant.*

Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum.

Causam odij, persecutionis, & contemptus exponens argumento quarto eos confirmat, & consolatur. hæc omnia, inquit, nempe odia, persecu-
tiones,

tiones, & contemptus sermonum: facient vobis propter nomen meum, quia nimirum me annuntiabit, me profitebimini; ac si clarius dicamus; quia Christiani eritis, & Christum prædicabitis. Attende autem particulam, *Sed*, quæ augmentum sententiæ indicat. dixerat enim, Si me persecuti sunt, & vos persequentur; addit, non solum sicut me, sed etiam propter me persequerentur: non solum vestrum contemnet sermonem, sicut & meum; sed id faciet causa mei, & propter nomen meum, hæc enim particula sæpe à Ioanne in ea significatione usurpatur, vt patet ca. 16. Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis; sed quia hæc locutus sum, tristitia impleuit cor vestrum. Magnum, & efficax est, argumentum consolationis pro Christi nomine pati, quod Apostoli senserunt, quando Actor. 5. Ibant gaudentes à conspectu concilij, quia pro nomine Christi pati digni habiti sunt; quòd illis non solum iucundum, sed valde vtile & honorificum fuit: quod Petrus, i. epist. ca. 4. etiam docuit, consolans Christianos, Nemo, inquit, vestrum patiat, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine. Deum glorificat, qui, eo quod Christianus est, persecutionem patitur, & sustinet. Attende adhuc quod dum Christus suos consolatur, ea quæ futura sunt manifestat, seque omnium præscium ostendit, quod ad magnam etiam discipulorum consolationem pertinet.

Quia nesciunt eum, qui misit me.

TAcitè obiectioni respondet; posset enim aliquis dicere; qua ratione fiet, vt propter nomen tuum odio nos habiturus sit mundus, & persecutiones simus passuri, cum sis Christus promissus in mundi salutem, & verus Dei filius? Respondet declarando, quod dictum est, *Propter nomen meum, quia, non nouerunt, & nesciunt eum, qui misit me*: id est, me esse Dei filium ignorat. Rectè annotat Cyril. libr. 10. cap. 25. non dictum esse, non nouerunt Patrem, sed non nouerunt eum, *qui misit me*, vt insinueret diuinæ suæ incarnationis mysterium: nouerunt enim Iudæi Deum, sed Patrem misisse filium in carnem ignorabant. Et sic Irenæ. lib. 4. cap. 27. exponit illud verbum superius, *Nescit seruus, quid faciat Dominus eius; nesciuit enim, inquit, populus seruiens legi aduentum Domini, vos ergo persequentur, & vestrum contemnent sermonem, idque propter nomen meum facient, quia reuera nesciunt, quis ego sim: nesciunt, quis sit Christus, quem vos annuntiabit, & quid sit esse Christianum; non quod in me culpa sit, non quòd nomen meum odio, & persecutione dignum existat, sed ignorantia & incredulitas ipsorum, causa erit persecutionis contra vos. Et hoc etiam cedit in magnam discipulorum consolationem: nam si nesciunt, quis misit eum, si ignorant Christum, necesse est ignorare etiam dignitatem Christianorum: pati autem ab his, qui nos non agnoscunt, nec nostram nobilitatem sciunt, minus est, vt Chryostomus hom. 78. annotat.*

Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

NE quis existimaret ignorantiam, ex qua odium & prædicta persecutio procedebant, eos qui talia faciebant à culpa immunes reddere, subiungit, & declarat: Non propterea, quia nescierunt eum, qui misit, illos esse à peccato liberos, imò grauius peccasse Iudæos in his omnibus, quæ contra Christum & contra Apostolos fecerunt. Et argumentum sumit à prædicatione sua, & ab operibus diuinis quæ fecit; his enim potuerunt Iudæi cognoscere, ipsum esse Dei filium à Patre missum; ideoque eorum ignorantia maxima fuit culpa, & quidquid ex tali ignorantia processit, *Si non, inquit, venissem, & locutus fuisset, non haberet peccatum*; at aduentus, & prædicatione mea omnem illis tollit

Honorificum & iucundum est Christi causa pati.

Cur non dicitur non nouerunt Patrem, sed eum qui misit me

tollit excusationem, & prætextum, vt à culpa, & peccato se nequeant defendere. Attende duo, *Si non, inquit, venissem & locutus fuisset*. non satis fuit, venisse, vt ignorantia eorum in culpa esset: si enim venisset, nec locutus fuisset, excusationem habuissent ignorantia suæ; at cum venerit, & prædicauerit, seque sua doctrina manifestum fecerit, non habet quo se excuset, nec quod prætexant. Christus enim multis rationibus, & modis se esse Dei filium, & Christum in lege promissum aperuit, vt ex præcedentibus satis constat. Attende etiam, *Peccatum*, hoc, quod eos non habituros dicit, si locutus non fuisset, non quod uis significare peccatum. nam antequam venisset Christus, peccata habebant Iudæi multa, & etiam si non venisset, habuissent; sed significat, *peccatum*, hoc, de quo agitur in præsentia dictum enim est; hæc facient omnia, quia nesciunt eum, qui misit me. non igitur habuissent peccatum in his: quæ fecerunt, nempe odio & persecutione & ignorantia: excusati enim essent à culpa, si Christum habuissent odio, quo licet iniquos prosequi: & persecuti fuissent, & ignorassent, si tantum se Christum fecisset, & pro Christo gessisset, nulla facta eis declaratione per prædicationem, & doctrinam suam; qui enim tunc non recepissent, sed reiecerunt, non peccassent, sicut peccarunt non recipientes, sed persequentibus eum prædicantem & docentem efficacissimè, se esse Christum. Aug. tract. 89. ad peccatum infidelitatis refert, tamen accommodatius ad peccatum odij, & persecutionis, & ignorantia crassa, seu infidelitatis, simul referendū est, vt Euthymius exponit: in his enim omnibus peccauerunt, quia locutus est; si autem non esset locutus, à culpa in his excusarentur.

Qui me odit, & Patrem meum odit.

Grauitatem peccati huius ostendit: cum enim dixisset, eos non esse à culpa immunes, sed grauius peccasse, quia locutus est, & seipsum manifestauit; explicat, quàm sit graue hoc peccatum. *Qui, inquit, me odit, etiam odit Patrem meum*; adde etiam qui me persequitur, etiam meum Patrem persequitur; qui meum contemnit sermonem, etiam Patris contemnit sermonem; & iniuriam facit Patri, qui mihi facit: ac si dicat; Odium, & persecutio, & contemptus non sunt in merum hominem, sed in Dei filium; & culpa, ac peccatum eò grauiora sunt, quo maior est filius Dei, homine mero. hinc etiam sequitur eos, qui Apostolos propter nomen Christi persecuti sunt, & odio habuerunt, ipsi Deo iniuriam intulisse: non enim à scelere excusati sunt, nec ab atrocitate criminis. Hoc argumentum fuit magnæ consolationis discipulorum, in tribulationibus, & persecutionibus, dum se Dei causam agere, & non modò se affici iniuria, sed etiam Deum intelligebant. argumentum est efficax patientiæ. Si enim Deus dissimulat, & tolerat, cur non & ipsi durissima quæque perferant?

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

AB operibus nunc argumentum accipit, eos inexcusabiles esse probans. *Si, inquit, non fecissem opera, non qualiacunque, sed, quæ nemo fecit alius, ante me, à suo peccato hoc excusarentur*. Dicit autem se fecisse *in eis*, id est, in eorum præsentia, & coram oculis ipsorum, quæ inficiari nullo modo possent, quod ipse Dominus statim explicuit, adiungens. Nunc autem viderunt, quasi sit vidisse, in eis nimirum fecisse. Aug. tract. 91. exponit, *In eis*, id est, erga eos, quia in eorum beneficium miracula facta sunt, & ipsi met sunt, qui sanati, & suscitati sunt. quod etiam verum est; tamen efficacia probationis magis posita est in eo, quod coram ipsis, & in eorum conspectu facta sunt opera hæc, *quæ nemo alius fecit*; quia nec tot, nec tanta vllus alius operatus est. qui igitur ei non crediderunt, infideliores fuerunt grauiusque peccarunt, quàm qui Prophetis, & Moyse ipsi, fidem non habuerunt: nemo enim eorum tot, ac tanta operatus est.

De quo peccato Dominus asserat nullam Iudæos excusationem habere

Christus, persequentium Apostolos, peccatum eorum agerat.

Quae sint opera à Christo facta, quae nemo alius fecit.

Non solum verba haec de operarum multitudine, sed etiam de magnitudine sunt intelligenda.

AVGUST. tract. 91. dubitationem proponit, quandoquidem & alij fecerunt, quae Christus fecit, suscitauerunt enim Prophetae mortuos, fecerunt etiam alij, quae Christus non fecit; similiter & alij prophetae; quid igitur est, quod Christus pra omnibus alijs fecit? Respondet hanc sententiam de multitudine miraculorum esse exponendam: nemo enim tam multa, & frequentia fecit, de qua multitudine dictum est Mar. 1. Afferebant ad eum omnes male habentes, & daemones habentes, & erat ciuitas ad ianuam congregata, & curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus, & daemones multa eiciebat. & Marc. 6. Quocunque loco introibat in vicis, vel in villas, & ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant. Haec profecto nemo alius fecit. Hoc quamuis verum sit, tamen non solum propter multitudinem, sed etiam propter magnitudinem dictum id esse existimo; vt Cyril. lib. 10. cap. 32. exponit: non enim Moyses, aut vllus prophetarum mortuum quadriuanum, vt Lazarum suscitauit; aut coeco à natiuitate lucem hanc intueri concessit. haec sane maiora fuerunt, quam quae fecit Moyses, & alij prophetae. Adde etiam copiam, & varietatem; tam varia enim, & multiplicia nemo fecit; quod argumentò erat, ipsum propria potestate ea facere. Nemo igitur alius fecit talia. Multa alia in miraculis Christi conueniunt, quibus probabat sufficienter, seipsum esse Christum, sed de his copiosius dictum est, supra capit. 3.

A N N O T A T I O X X I I .

MAIOR & grauior difficultas in his verbis latet; dictum enim est in superiori sententia: si locutus non fuisset, peccatum non haberent, at nunc excusationem non habent de peccato suo, id est, quia locutus sum, non excusantur à peccato. huic videtur repugnare praesens sententia. cum eosdem si opera non fecisset, quae nemo alius fecit, peccatum non paulò ante in haberent: nam diceret aliquis; haberent peccatum, si locutus fuisset; quamuis non fecisset opera, quae nemo alius fecit; nam dictum est; Nunc autem quia locutus sum, peccati excusationem non habent: Quod si respondeas, vtrumque fuisse necessarium, vt à peccato non excusarentur, nempe locutum fuisse, & opera fecisse; responsio non tollit difficultatem; nam diuisae sunt istae sententiae; oportebat enim, si id verum esset dicere, Si locutus non fuisset, & opera non fecisset, quae nemo alius fecit, excusationem haberent à peccato suo; at nunc non habent; at non sic dictum est, imò distinctae sunt sententiae, & inter vtramque alia est sententia interpolata, nempe, Qui odit me, odit & Patrem meum. quia igitur ratione istae sententiae conueniant, inquirendum est. maiori autem inquisitione opus esset, nisi iam haec difficultas maxima esset ex parte soluta esset ex his, quae

superius c. 4. annotat. 27. tractata sunt, ad quae lectorem remittimus; satis sit, quae ad praesentis loci declarationem sufficiunt, annotasse. Aduertendum igitur est, Dominum, & suae doctrinae praedicatione, & diuinis suae potentiae operibus, testimonium se esse Christum, & filium Dei, Iudaeis sufficiens perhibuisse, ita, vt inexcusabiles essent, fidem non habentes, multoque miris excusabiles ipsum odio habentes, & persequentes; tamen non fuit aequale hoc peccatum collatione ad vtrumque testimonium; fuit enim multò maius testimonium operum, ex parte illorum, quam testimonium praedicationis, quod significatum est illis verbis Ioan. 10. Si mihi non vultis credere, operibus credere; hinc factum est, vt qui praedicationi fidem non habuerunt, peccarint quidem, quia peccatum fuit ignorantiae cuiusdam crassa, & improbabilis: potuerunt enim ex praedicatione, & verbis eius ipsum cognoscere, accedente ipsius sermonis efficacia, quae corda etiam mouebat ex parte sua: & hoc Ioan. 14. insinuauit Dominus dicens; Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est; alioquin propter opera ipsa credite. quasi diceret; debueratis credere ipsi meo sermone; at si hic non vobis satis est, opera considerate, & propter ea credite: haec enim apud vos maius testimonium sunt. & ad Iudaeos cap. 9. dicebat: Loquor vobis, & non creditis: quasi diceret; verbum meum vobis sufficiens debuit esse argumentum. Aduertendum adhuc est, non esse eandem rationem omnium Iudaeorum, Turbae enim, & ignorantis homines non solum simplici praedicatione, sed operibus trahendi erant, aliquamque excusationem habere potuerunt, nondum miraculis editis; qua caruerunt, postquam accessit tantorum operum testimonium: At maiores Iudaeorum, principes, & doctores etiam verbis, & praedicationi credere debuerunt, non expectatis miraculis, qui tanto grauius postea deliquerunt; quanto etiam miris editis operibus, pertinaciores fuerunt in sua incredulitate: nec tantum noluerunt credere, sed etiam persecuti sunt, quem summè venerari debuerunt.

Hoc supposito, respondeo; Dominum hisce verbis voluisse tollere omnem excusationem toti Iudaeorum coetui. Priora enim verba sunt contra maiores, principes, doctores, & Phariseos, qui postquam locutus est Dominus, seque annunciauit, excusationem non habuerunt, quippe qui credere debuerant. Posteriora autem sunt contra turbas etiam, & ignorantes, & simplices, quibus non credentibus, opera Christi tollunt omnem peccati, & incredulitatis explicationem: quanquam eorum, qui maiores erant, supra modum ardeat incredulitatem. si enim minores à culpa non excusantur propter opera Christi in eis, facta multo minus maiores. Hic est legitimus sensus harum duarum sententiarum.

Dubitationis resolutio.

Nunc

Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.

C O M M E N T A R I V S .

AD superiorem sententiã hæc verba pertinent; dictum enim est, si non fecissem opera in eis peccatum non haberent; pergunt; at, Nunc viderunt, id est, in eis opera feci; in conspectu illorum, mirabilia edidi; viderunt ea oculis suis, nec negare potuerunt; & tamen, oderunt & me, & Patrem meum, supplendum est, peccatum ergo habent, nec excusari possunt. Et attende illud, Et viderunt: est enim particula augmenti, id est, non solum locutus sum, & audierunt meos sermones; sed etiam opera viderunt, quibus illos confirmaui, & tamen oderunt me: non solum non crediderunt, sed simul etiam oderunt me. Fuit autem commune odium hoc turbis incredulis, & maioribus Iudaeorum, sed his praecipue, qui summo odio Christum habentes, morti eum tradiderunt. *Sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.*

Dominus testimonio vtitur Prophetæ, vt eorum odium iniquum, & iniustum, ac sine causa vlla fuisse confirmet; hoc enim praedictum erat. Et attende locutionem, *Sed vt impleatur.* est enim praecedens sententia supplenda sic; sed oderunt me, cum locutus fuisset, & opera fecissem, quae nemo alius fecit: ex quo impletum est, quod in Psalmo dixit Dauid: Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuntiant oculis. Odisse gratis, est sine causa, & ratione vlla, sed ex malitia, & temeritate, odio aliquem habere. legem appellat librum Psalmorum, vt superius annotauimus. Odium igitur horum inexcusabile, & ratione ipsa, & testimonio Prophetæ confirmatum est. particula *Vt*, consecutionem significat, non causam, quod alijs in locis expositum est.

Cum autem venerit Paracletus.

Connexio huius sententiæ cum praecedenti hæc est; cum dixisset Iudaeos odio habuisse eum, & patrem eius sine vlla causa legitima, eiusque denique iniqui odij testimonium multo ante perhibuisse Prophetam: adiungit se discedente venturum Spiritum Paracletum, & testimonium redditurum de eo, eiusque innocentia, ac iustitia, tunc etiam ipsos Apostolos, testesque futuros: non enim sub odio iniquo latere veritas permittenda est, sed manifestanda: quod etiam in illo eodem versiculo Psalmi, cuius verba allegata sunt, praedictum est, Non, inquit supergaudeant mihi, quia aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuntiant oculis, id est, non permittetur diu gaudere, qui me sunt persecuti iniquè. In Hebræo est, In mendacio. Non gaudebunt in suo mendacio post meam mortem; hoc est non supergaudere. & qui oderunt ergo me gratis, & annuntiant oculis, inuicem signa irrisionis facientes, & subannantes, non supergaudebunt mihi. Veniet enim Paracletus Spiritus, & me manifestabit: vos etiam operibus spiritus eiusdem, mihi testimonium reddetis; sicque veritas, ac iustitia propalabitur mundo. Persequentur Iudæi veritatem, sed non oppriment; impugnabunt, sed non expugnabunt. Hic est sensus, & conexio cum praecedentibus, *Cum venerit*, inquit, *Paracletus*, ille superius promissus cap. 14. *Alium Paracletum dabit vobis.* Venire autem dicitur ratione effectus, & operationis. Vbi enim de nouo aliquid facit, eò Deus venire dicitur, non quod substantia eius mutetur. Attende quatuor appellationibus exprimi Spiritum sanctum, qui de Christo perhibiturus testimonium promittitur, dicitur enim, *Paracletus*, & quæ ego mittam vobis à Patre, & Spiritus veritatis, & à Patre procedit. Sunt autem singule accommodatæ testimonio reddendo de Christo: qui enim de Christo perhibiturus testimonium est, rectè paracletus

Psal. 34.

Gratis odisse, est sine ratione causa, ne quempiam odio habere.

Veniet Spiritus Sanctus manifestans eos iniquitate, qui gratis oderunt me.

Psal. 34.

Quatuor vocibus manifestatur hoc loco Spiritus Sanctus.

cletus vocatur; id est, consolator, & exhortator: futurum namque erat, ut ij, qui ob tale testimonium in Christum credituri erant, maximas paterentur persecutiones. 2. Timot. 3. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur: huiusmodi autem persecutiones solent multum animos hominum auertere, & remouere ab eo, propter quod inferuntur. ideo Spiritus Paracletus venit ita testimonium de Christo perhibiturus, ut animos credentium, fidemque testimonio dantium consoletur, & excitet, hortetur, ac confirmet. de reliquis appellationibus suo loco dicemus.

Quem ego mittam vobis.

VT certum hunc faceret aduentum, Paracletumque ijs, quæ docuit Christus, conformem & consentientem futurum significaret, *Quæ ego*, inquit, *mittam*, quasi diceret; certò scio venturum, quia ego sum, qui eum sum missurus: non contraria nec aliena à me efficiet, cum à me ipso sit mittendus. hæc quoque secunda appellatio Spiritus sancti accommodata est testimonio perhibendo: si enim missus est à filio, ab ipso procedit, si autem ab ipso procedit, eum perfectissimè nouit; iuxta illud Ioan. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. & 1. Cor. 2. Nemo nouit, quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. est autem hoc necessarium in eo, qui perhibiturus est testimonium de aliquo, ut ipsum optimè noscat. superius cap. 14. dictum est. *quem Pater mittet*: hic dicitur, *quem ego mittam*. non quod duæ sint missiones, Vna enim est missio simul à Patre, & filio, sicut vna est productio, qua Spiritum sanctum producant; sed ut se ipsum eiusdem cum Patre substantiæ significet; quod de Patre prius affirmavit id ipsum etiam sibi tribuit: simul etiam ut se missionem hanc non ut hominè, sed ut Deum habere ostendat. Christus enim ut Deus mittit Spiritum sanctum. Dicit autè, *Quem ego mittam vobis*, quia Spiritus sanctus in discipulis mirò effectus facturus erat, ratione quorum effectuum, dicitur eis missus. Fuit autem hæc missio illa, quæ in die pentecostes facta est, quæ partim inuisibilis, partim visibilis fuit: inuisibilis ratione donorum, & gratiarum spiritualium, quæ eis infudit; visibilis ratione signorum exteriorum, in quibus apparuit; in linguis enim igneis visus est. Ratione vtrorumque effectuum dicitur missus: in annotatione cætera lege.

ANNOTATIO XXIII.

AVG. lib. 4. Trin. cap. 20. ex verbis istis Spiritum sanctum à Filio procedere, & Filium procedere simul cum Patre Spiritum sanctum deducit: similiter & Hilar. lib. 8. Trinit. non enim inter diuinas personas missio est, nisi ratione processionis, ut ea mittatur ab altera, quæ ab ea procedit: ideo filius Patrem nunquam misisse legitur; sed Pater filium, Missio namque duo habet; alterum est, ut persona quæ mittitur, ab altera procedat: alterum est, ut effectum aliquem tali personæ proprium exterius faciat; hæc ratione cum filius Dei procedat à Patre, & exterius carnem sumplerit sibi, seu suæ unitati personæ, dicitur à Patre missus: Spiritui autem sancto sanctificatio attribuitur. quando ergo animas purgat, & sanctificat, aut aliquem effectum ad id ordinatum facit; dicitur mitti ab ea persona, à qua procedit, nempe Patre & Filio. est enim sumpta metaphora à missione sensibili: nemo enim mitti dicitur, nisi ex parte principij sit actio, quædam, qua dirigitur, & ordinatur ad aliquid, quo mitti dicitur; & ex parte termini sit effectus, ad quem exequendum talis, qui mittitur, venit: in Deo autem actio ista ex parte principij

non est alia, quam ipsa productio, qua rationem personam producit; hinc fit ut nunquam persona dicta sit missa, nisi ab ea, à qua procedit; vnde si Filius mittit Spiritum sanctum, consequitur Spiritum sanctum procedere à Filio. Nec est contrarium huic doctrinæ illud *Quæ ratio dicitur apud Isaiam à Spiritu Domini missus dicitur, cum ab illo non procedat.* Isaiæ. 48. Dominus misit me, & Spiritus eius; & 61. Spiritus Domini super me, eò quod vnixerit me: ad Euangelizandam pauperibus misit me. ex quorum locorum prioribus Ambro. lib. 1. de Spiritu sancto. capit. 1. deducit; sicut Filius mittit Spiritum sanctum, ita etiam Spiritus sanctus mittit Filium, ut æqualitas in essentia trium personarum significetur. Hæc omnia non sunt contraria doctrinæ ex Aug. & Hilar. adductæ: nam loquimur de missione diuinæ personæ ut Deus est, sic enim missus est Spiritus sanctus, ut sanctificaret: sic filius Dei, ut homo fieret: at Christus non solum Deus, sed etiam homo erat, & ratione humanitatis accepit dona Spiritus sancti, & infusam gratiam, & sanctificationem. Hæc ratione dicitur missus à Spiritu sancto: quod Isaias satis indicauit, dices: Spiritus Domini super me, eò quod vnixerit

vnixerit me. vnctus autem est ut homo gratia infusa, & donorum communicatione: quando verò homo factus est, assumpsitque naturam humanam, tantum à solo Patre missus dicitur; ut Deus enim missus est ad naturam humanam sumendam: ideo hæc missio à Patre solo est; homo autem factus, Spiritus sancti dona in natura assumpta recepit, & sic à Spiritu sancto missus dicitur. Vnde Hier. Isa. 61. doctè hæc missionem ratione naturæ humanæ dicta interpretatus est: cum autem Spiritus sanctus carnem non assumpsit, missio eius ratione diuinitatis intelligenda est, ideo mitti non potest, nisi ab eo, à quo accepit diuinitatem.

*Reuerentiam
reuerentiam
doctrina reu-
gior.*

Hinc deprehenditur quorundam Hæreticorum expositio, & doctrinam falsam, cui inconsideratè aliqui Catholici nostra tempestate adhererunt: dicentes in hac sententia Ioannis,

neque in verbis, *Ego mittam*, neque in sequentibus, *Qui à Patre procedit*, quicquam agi de substantia Spiritus sancti, nec de processione eius; sed de ipso effectu & gratia exteriori. Quæ sententia sustineri non potest; nam ipse Spiritus sanctus dicitur procedere, & mitti, sicut ipse est, qui Paracletus dicitur; effectus eius non appellatur paracletus, sed persona, nec effectus mittitur, sed persona. Verum est non mitti personam nisi ratione effectus, quia ipsa immutabilis est; tamen ipsa est, quæ mittitur: longè enim diuersa sunt, qui mittitur, & id, ratione cuius mitti dicitur. Spiritus sancti persona mittitur, sed mitti non dicitur, nisi quia ex vna parte ab eo, à quo mittitur, procedit: ex altera effectum in aliquo producit, quem ante non efficiebat. Manet ergo firma, & certa Patrum doctrina.

à Patre.

COMMENTARIUS.

CVM se missurum Spiritum sanctum dixerit, superius autem Pater missurus dicitur sit, ne aliqua in verbis repugnantia aut in Paracleto, quasi non vnus esset, diuersitas conciperetur, adijcit, *à Patre*. Mittam ego Spiritum sanctum, sed à patre eum mittere habeo: sicut à Patre habeo essentiã ipsam. Hoc igitur verbum explicat, ita filium mittere Spiritum sanctum, ut à Patre accipiat essentiã, qua vnà cum Patre producat Spiritum sanctum. Pater igitur à se mittit, quia à nemine procedit. Filius mittit vnà cum Patre, & eadem missione, sed à Patre, quia à Patre procedit, & à Patre habet, ut mittat: vnustamen & idem est Paracletus.

ANNOTATIO XXIV.

*Verbo illo à
Patre, significat
procedit
filij à Pa-
tre.*

HILAR. lib. 8. Trini, hanc vocem, *à Patre*, eò modo exponit, quo in commentario exposita est: ut significet processionem Filij à Patre à quo habet esse & substantiam & omnia, quæ secundum substantiam suam etiam extra operatur. sicut igitur est Deus de Deo & à Deo, non quod alius Deus sit, sed quod vnus, procedens tamè à Patre: ita producit Spiritum sanctum, sed à Patre, quia id accipit à Patre, nempe essentiã, qua vnà cum ipso producit. ea de causa Aug. lib. 15. de Trin. cap. 17. & 26. affirmat, Spiritum sanctum procedere à Patre, & filio, sed à Patre principaliter. principaliter dixit, significare volens originem. nam ita procedit à Patre, ut Pater à nemine habeat producere Spiritum sanctum: at Filius id habet à Patre; propterea dicitur Filius producere à Patre, seu mittere à Patre, principaliter, id est, originaliter, ut ita dicam. Cyrillus lib. 10. cap. 33. & lib. 11. cap. 1. procedere Spiritum sanctum à Patre per Filium asseruit, significare etiam volens ita procedere à Filio, ut filius id habeat communicatum à Patre; tamen eadem est processio ab vtroque. Hoc idem in operationibus exterioribus fit, & similis est phrasis loquendi. Filius enim creat à Patre; id est, creat vnà cum Patre, tamen potentiam ha-

bet, qua creat à Patre, & ipsammet creationem: quod Ioan. 5. dictum est; Nihil potest facere Filius, nisi quod viderit Patrem facientem. habetur in Gen. hæc phrasis: Pluit, inquit, Dominus à Domino sulphur & ignem super Sodomam. Dominus Filius pluit vnà cū Patre, quia vna est actio: sed filius eam habet à Patre; ideo dicitur Dominus pluere à domino. Sic Hilar. lib. de Synodis hunc locum explicat, & multi alij Patres. Vnde vana est quorundam Hebraizantium interpretatio, qui asserunt Hebraismum esse, nullius mysterij significatiuum. errant (ipsorum venia sit dictum:) Hebraismus quidem est, tamen propter processionem personarum ita Dominum locutum esse, argumento est, quod in alijs rebus exprimendis phrasim istam non reperimus, & præter grauissimorum Patrum auctoritatem ita exponentium, extat Concilium Sirmiense contra Arium congregatum sub Julio 1. cuius sit mentio lib. 5. tripar. histor. ca. 3. in quo canon hic statutus est. Si quis illud, quod scriptum est, pluit Dominus à domino, non de Patre, & Filio perceperit, sed & ipsum à semetipso pluere dixerit, anathema sit. pluit Dominus filius à Domino patre. hæc Concilium.

Gen. 19.

Spiritum veritatis.

COMMENTARIUS.

Paracletum hunc quis sit ostendit, & Spiritum appellat veritatis. Superius ca. 14. quare Spiritus veritatis dictus sit, exposuimus: est enim hebraismus, quasi dictum esset, Spiritus verus, qui perfectè nouit, & docet veritatem, quæ quidem tertia appellatio accommodata est testimonio perhibendo de Christo. Nam doctrina Christi veritas est, tum quia vmbras & figuras legis illustrat; tum quia promissiones implet; demùm, quia, viam Dei perfectè tradit, qui igitur de doctrina Christi testimonium redditurus promittitur, rectè Spiritus veritatis appellatur: nouit ergo Christum ipsum, quia ab eo missus est, nouit doctrinam eius, quia Spiritus veritatis est, ideo ipsius testimonium est grauissimum. Est autem ambigua locutio apud Græcos quantum ad casum pertinet; cum enim sit neutrius generis, & in recto, & in accusandi casu legi potest, vt referatur vel ad illud, Cum venerit Paracletus, qui nempe Spiritus est veritatis, aut ad quem mittam, nempe, Spiritum veritatis; siue hoc, siue illo modo legas, sensus idem perseverat.

Qui à Patre procedit.

Quarta hæc est appellatio, qua Spiritus hic à Patre procedere dictus est; id est, consubstantialis est Patri, vt rectè deducit Amb. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. ac si diceret, Spiritus hic paracletus, quem mittam à Patre, qui veritatis Spiritus est, non est creatura aliqua: sed Patri & mihi consubstantialis. Est etiam accommodata hæc appellatio testimonio reddendo: nam in eo, qui testimonium perhibere debet, non sola scientia, sed etiam auctoritas necessaria est, vt sit dignus fide: hoc autem habet Spiritus hic: consubstantialis enim est Patri, eiusdem potentia & substantia, & virtutis cum ipso, qua potentia & virtute talia efficiet opera, vt testimonium suum dignum omni fide faciat. Chryost. homil. 76. ad scientiam refert, quasi diceret; si procedit à Patre, omnia nouit, vt sit perfectus doctor veritatis, sed hoc magis ad illud, Spiritus veritatis, pertinet.

ANNOTATIO XXV.

EX hac sententia Græci sui erroris occasione acceperunt, eaque multum se tuentur, ac nos impugnant, exultantes Spiritum sanctum à solo Patre procedere, non à filio simul, & Patre; quia dictum est, à Patre procedit: nec aduertit, non esse dictum à solo Patre, sed à Patre procedere, quod nos fatemur; sed vltra affirmamus, simul à filio procedere, & hoc ipsum in his eisdem verbis significatum est: nam dicitur, quem ego mittam vobis, non mitteret Filius Spiritum sanctum, nisi ab ipso, qui mittit, procederet, sicut filius mittere Patrem non potest, quia ab eo Pater non procedit: at Pater filium mittit, quia ab ipso procedit. Et hæc est causa, cur non dictum est in his verbis; qui à me & Patre procedit; iam enim ipsum esse, & procedere à filio significauerat, quando dixit, quem ego mittam vobis. vt autem à Patre etiam eum procedere ostenderet, adiecit, qui à Patre procedit, non ergo hæc verba à solo procedere Patre significant, sed potius ita ut à Patre etiam procedat: nam non defuerunt hæretici, qui Spiritum Sanctum solum filij esse Spiritum, non Patris affirmarent; ita enim Eunomius asseruit, vt refert Basil. lib.

ANNOTATIO XXVI.

SI verba hæc superiora diligenter cõsideres, cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre

Ex singulis superiorum verbis deducitur natura Spiritus sancti.

Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; inuenies, A quis sit Spiritus sanctus, & ad quid & quomodo mittendus. In primis habes in his verbis, distinctionem eius personæ à persona Patris, & filij: nam à Filio mitti, à Patre procedere, ille verò venire dicitur; sicut distincta sunt, mittere, & procedere ab alio, & venire: ita sunt distinctæ personæ mittens, à quo procedit, & qui venit. Habes secundo loco, substantiam eius: est enim Patri consubstantialis, quia à Patre procedit: cum autem filius sit Patri consubstantialis, quia à Patre gignitur, fit, vt totæ tres personæ vnus sint, & eiusdem substantiæ. B Habes tertio loco, ita esse distinctam personam, & consubstantialem duabus, vt procedat ab vtraque: nam à filio mitti, & à Patre procedere dicitur, quod non est aliud, quàm ab vtraque procedere & mitti. Habes quartò, procedere quidem à Patre, tamen non dici filium, sed spiritum, eiusque processio nem non esse generationem. In hoc impedit Macedonius hæreticus: non enim capiebas, qua ratione productus esset Spiritus sanctus consubstantialis Patri, & non diceretur filius, & productio eius generatio; idcirco suo ingenio infinitam Dei maiestatem metitus, negauit Spiritum sanctum procedere consubstantialem, Deumque esse cum Patre, & Filio: in cuius superbiam, & intellectus temeritatem, Sancti acriter inuehuntur, cum debuisset fateri se non assequi posse, nec capere diuinam maiestatem, humilemque mentem, & affectum præbere, sicut & olim Sancti Patres fecerunt. Athanas. epist. ad Sarpion. Basil. lib. 3. con. Eunomium. Grego. Nazian. orat. 5. Theolog. eius argumentum proponunt. Quomodo si productus est & consub-

contra Macedoniam dicitur quod Spiritus sanctus filius.

stantialis, non est genitus, & filius? omnes respondent, fidem esse habendam Scripturæ & Ecclesiæ. cum enim in naturalibus multa sint mirabilia, quorum ratio ignoratur, stultum est velle nihil esse in Deo, quod non sit ratione compertum: ita Sancti respondent, Aug. libr. 2. Tim. cap. 3. dubium hoc proponit, & lib. 5. cap. 20. & libr. 15. cap. 27. aliquas congruentes rationes adfert. similiter & Ansel. monolog. cap. 53. tamen vera & certa ratio ignoratur, vt etiam docet Damasc. libr. 1. de fide, cap. 10. his etiam nos acquiescamus, fide dicentes Spiritum sanctum à Patre & filio non factum, nec creatum, nec gentium, sed procedentem. In nostris Theologicis prælectionibus de his multa diximus & scripsimus, hæc in præsentia sufficiant. Habes quintò ex his etiam verbis, venturum Paracletum, & veritatis Spiritum, id est, ad implendum animas cœlesti consolatione, & dona gratiæ infundenda, ac veritatem Christi manifestandam. Ille ergo omnia efficiet in illis, ad quos mittitur, & venit, quæ ad consolationem, & adhortationem necessaria sunt: & simul ad veritatis manifestationem, vt paulo inferius explicabimus. Hinc tot verbis resoluatur dubitatio, quam aliquis mouere possit, qua de causa tot verbis vsus sit Dominus in hoc Spiritu describendo. Respondeo id factum, tum vt mysterium Trinitatis, quod ad fidem Christianorum pertinet, exponeretur: erat enim opus tertiæ huius personæ dignitatem ostendere; tum vt quàm dignum fide sit testimonium eius, de quo adiungitur. Ille testimonium perhibebit de me, aperiret, & declararet. demum, vt discipulos confirmaret ad testimonium de ipso Christo exhibendum, vt paulò post dicemus.

Cur Dominus tot verbis resoluatur dubitatio, quam aliquis mouere possit, qua de causa tot verbis vsus sit Dominus in hoc Spiritu describendo.

Ille testimonium perhibebit de me.

COMMENTARIUS.

Hic igitur Paracletus, de quo tot, ac tanta dicta sunt, cum venerit, perhibebit de me testimonium, operibus miris, & signis exterioribus, quæ operabitur in meâ diuinitatis & doctrinæ confirmationem, & intus in cordibus hominum lumen diuinum, & affectum infundendo, quo cognoscant & sequantur me, omni errore & mundi vanitate postposita. cum enim Deus sit, omnia quæcunque vult, efficere potest, & efficiet. Fuit valde rationi consonum, vt Spiritus sanctus de Christo testimonium perhiberet, ipse enim fuit quodam modò causa, vt filius Dei carnem sumeret, amor enim Patris causa fuit, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; amor autem Spiritus sanctus est. rursus Spiritus sanctus per prophetas locutus prænucciavit mundo aduentum eius. denique aduenientem in carne suscepta vnxit. Act. 10. Vnxit eum Spiritu sancto: debuit ergo de ipso post aduentum testimonium reddere.

Quam fuerit rationi conforme, vt Spiritus sanctus perhiberet testimonium de Christo.

ANNOTATIO XXVII.

Præter Apostolorum testimonium, etiam Spiritus sanctus per se. Christus testimonium perhibuit.

AVG. tracta. 93. hoc testimonium Spiritus sancti non distingui ab ipso testimonio Apostolorum docet, sed Spiritum sanctum per ipsos testimonium reddidisse mundo de Christo, dum in eis effecit omnia ea, per quæ testimonium perhibebant, iuxta illud Matth. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus

patris vestri, qui loquitur in vobis. & Actor. 1. Accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria vsque ad vltimum terræ. Negari non potest Spiritum sanctum per ipsos Apostolos reddidisse testimonium veritatis Christi; tamen non tantum hoc testimonium

stimonium verba hæc indicant, sed aliud etiam, quod per se Spiritus sanctus de Christo reddidit, & reddidit: nam super baptizatos, visibiliter sub ignis specie descendens, baptismo Christi, & ipsi Christo testimonium perhibebat, vt sint duo testimonia distincta; quod Act. 1. Apostoli ipsi docuerunt his verbis; Nos, inquit, sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. Ecce duos testes numerant, & se, & Spiritum sanctum, de quo etiam testimonio ad Rom. 8. dicitur: Ipse Spiritus testimonium reddit conscientie nostræ, quod filij Dei sumus. nunc etiam interius fidelium cordibus testimonium perhibet, affirmans mentem, & affectum in Christo, & quamuis non sit iam visibile illud testimonium ignis exterioris, est tamen testimonium Spiritus sancti; tam insignis, & copiosa, & miranda hominum conuersio. non solum ergo testimonium

A per Apostolos, & prædicatores perhibuit, sed per se miris alijs operibus. Et verba hæc id probant, cum dicitur: Ille testimonium perhibebit, & vos testimonium perhibebitis, distinguens testimonia Spiritus sancti & eorum, quamuis per ipsos etiam Spiritus sanctus perhiberit testimonium. Quam expositionem afferre videtur Cyril. libr. 10. cap. 33. Quale autem, & quam dignum omni fide testimonium hoc fuerit, verba antecedentia significant: est enim missus à Christo, Spiritus veritatis, & à Patre procedens, cuius sapientia, bonitas, & potentia diuina est. in testimonio enim hæc necessaria sunt; Sapientia, vt sciat veritatem; Bonitas, vt eam aperiat, nec decipiat, aut fallat; & Auctoritas, qua talis ab alijs iudicetur, qualis est, vt sit omni superior exceptione. Quid autem potuit reperiri vnquam æquale ei, qui scientiam, bonitatem, & potentiam habet cum Deo eandem?

Trium teste necessaria.

Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

COMMENTARIUS.

NON Spiritus sanctus tantum, sed etiam vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio meæ prædicationis & manifestationis factæ mundo, mecum estis, & mecum conuersati estis; & ex visu, tanquam oculati testes, omnia, quæ facta sunt per me, testari poteritis; vt omnia adsint testimonia diuina, & humana: quamuis enim sufficere deberet diuinum Spiritus sancti testimonium per opera diuinæ potentie; volo vt etiam vos humanum perhibeatis testimonium ex visu, & experientia. Hoc fecerunt postea Apostoli 1. Ioan. 1. Quod audiuius, inquit, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis. Rursus 2. Pet. 1. Hanc vocem nos audiuius, cum essemus cum illo in monte. Act. 2. Huc suscitauit Deus à mortuis, & huius nos testes sumus. Ioan. 1. Et vidimus gloriam eius. Hac motu ratione Act. 1. dixit Petrus; Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis vsq; in diem, quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri, vnum ex istis. his verbis declarat Petrus, verbum hoc Christi. *Ab initio*, nempe à Ioannis baptismo, quando se mundo manifestare incepit. Hinc constat, quod superius dicebamus, esse aliud testimonium Spiritus sancti, ab eo, quod est discipulorum, cuius hic fit mentio. Græcè verbum est præsens, *perhibetis*, tamen pro futuro positum est; & rectè versum est, *perhibebitis*: de hoc enim, quod tunc futurum erat, hæc verba procedunt.

ANNOTATIO XXIX.

Magno, & planè diuino consilio factum est, vt testimonio à discipulis reddendo præmitteretur, & promitteretur testimonium Spiritus sancti: hac enim ratione Christus omne sustulit impedimentum, quod animos discipulorum ab hoc officio auertere poterat. hoc autem multiplex erat. Primum humilitas Christi; nam de mortuo, & occiso à Iudæis testimonium reddere, humile quid, & contemptibile videri poterat. Secundum erat difficultas persuadendi; nam persuadere hominem crucifixum esse Deum, arduum videbatur, & erat. Tertio periculum; nam cum Christus se propter suam Prædicationem à Iudæis occidendum iam illis reuelasset, quid non erat à disci-

Quatuor impedimenta, quæ Apostolorum testimonium Christi perhibendum, retardare poterant, Spiritus sancti testimonio tolluntur.

pulis timendum eidem testimonium perhibebitis etiam apud eosdem, qui occiderunt; maxime quia Dominus pronuntiat ipsis, mortem subeundam pro hoc testimonio. Quartum erat, quod parum essent idonei, se enim illiteratos, & humilis conditionis agnoscebant. qua igitur ratione per vniuersum mundum tantum mysterium prædicare auderent? Hæc maxime eorum animos detertere poterant; at omnia Dominus prudentissimè repellit his verbis præmissis. Testimonium, inquit, perhibebit Spiritus Paraclæ, veritatis, qui à Patre procedit, & quem ego vobis mittam. Primum quidè, ne videatur vobis vile, & contemptum officium, & testimonium, quod ille, qui à Patre procedit, & ipsi

& ipsi est consubstantialis, est perhibiturus. rursus, ne timeatis, non posse vos arduam veritatem persuadere: ille enim Spiritus veritatis, qui omnia scit, qui quæcunque vult docet & persuadet, vobiscum & per vos reddet testimonium: & quod vos verè non potestis persuadere, ille persuadebit, & faciet cognoscere. Spiritus enim est veritatis; vt enim Spiritus omnia penetrat; sic corda hominum penetrabit, quia Spiritus est; & quia veritatis Spiritus est, quocumque penetraverit, veritatem ipsam stabiliet, & figet. Nec vos præterea terreat periculum, quod vobis certum imminet. Nam non solum efficiet vos spernere, & contemnere pericula omnia temporalia, sed desiderare, & gaudere in eis; quia Paraclæus est, & consolator, & incitator, seu exhortator. Nec denique conturbet vos vestra infirmitas; nam Spiritum mitam vobis, qui erit in vobis ipsis, qui tales vos efficiet, vt testimonium probatissimum mundo exhibeatis. dabit vobis scientiam, & sapientiam, cui mundus non poterit contradicere; dabit potentiam operum, & miraculorum, quia Deus est, & à Patre procedit; faciet vos homines coelestes atque diuinos, quia Spiritus est: diliget vos, nec derelinquet vnquam, quia ego qui vos amo, qui sum Pater, & magister vester, ego sum, qui mittam eum vobis. Appositissimè igitur hæc verba promissa sunt, tū vt instruerentur discipuli, nulla ratione eos posse testimonium tale perhibere, nec eorum testimonium perhibuit quicquam profecturum esse, nisi ope Spiritus sancti nixum; tum vt omne impedimentum, quod eos à proposito retardare poterat, tolleret. Hæc autem omnia euentus confirmauit, quæ vel in Paulo ex ipsius verbis impleta esse agnoscimus. Ro.

Supradicta 1. Non, inquit, erubescio Euangelium; virtus enim Dei est: & 1. Corint. 2. Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientie verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis. rursus 2. Corint. 12. Placeo mihi in infirmitatibus meis, & in contumelijs & necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. denique ad Philip 4. omnia possum in eo, qui me confortat. Ecce omnia quatuor impedimenta sublata his locis confitentur. hæc eadem in cæteris Apostolis, Spiritus hic operatus est, nec in his solis, quamuis ipsi primitias Spiritus habuerint; sed in multis etiam, & infinitis alijs Christi fidelibus, & verbi ipsius annuntiatoribus.

ANNOTATIO XXIX.

PERCONTARI aliquis posset, quare tot testimonia habuit Christus? ante enim eius aduentum Prophetæ omnes de ipso testati sunt. Act. 10. Huic testimonium perhibent omnes Prophetæ. Præter hos, cum primum natus est, stella perhibet testimonium: similiter & Magi aduenientes, imò & Angeli ipsi annuntiantes Pastoribus testificati sunt: cum etiam prædicationi proximus esset, Ioannes Baptista perhibet testimonium, ad hoc perhibendum missus à Deo. tota adhuc Sanctissima Trinitas

Et Christus voluerit tot testimonia se aduentum, & post aduentum, & post aduentum, & post aduentum, sum eius sibi perhiberi.

de eo perhibet testimonium in Baptismo, & in transfiguratione. Pater ipse Matt. 3. & 17. voce de cælo delapsa testatur: Hic est filius meus dilectus. Spiritus sanctus in specie columbæ super eum descendens, Matt. 3. Ipsemet etiam suis verbis, & operibus, Ioan. 8. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est. præter hæc ipso ad Patrè recedente Spiritus sanctus perhibet testimonium: tandem & ipsi discipuli. quorsum ergo ante aduentum, in aduentu, & post aduentum tot habere voluit testimonia, cum potuerit etiam sine his testimonijs veritatem persuadere? Respondeo id pluribus de causis factum esse. Prima est, vt difficultas mysterij notior euaderet. negari enim non potest arduum esse, & supra omnem rationem Angelicam & humanam, Deum hominem esse factum: nec solum hoc, sed vsque ad crucis mortem descendisse, & se humiliasse, morteque hac redemisse mundum, quem poterat sola voluntate liberare. hanc difficultatem Isaias nouit, ca. 53. dicens. Domine, quis credet auditui nostro, & brachium domini cui reuelarum est? ac si diceret, Domine arduum est credere, quæ annuntiamus, brachium tuum nempe filium omnipotentem esse absconditum in velo carnis. statim addit causam difficultatis. Non erat ei species, neque decor, id est, quia vidimus eum mortuum, & contemptum, quis credet hunc esse filium Dei? vt igitur res ardua in se & difficilis, nec viribus humanis assequenda, & intelligenda, ostenderetur; idcirco tot, ac tanta sunt cummulata testimonia, vt qui credit, & agnoscit, id sibi, suæque virtuti non tribuat.

Prima causa, vt inde confiteretur quædam esset difficultas tantum assequi mysterium.

Secunda causa, ipsius veritatis necessitas. Salus enim mundi in solo Christo posita erat, nec est aliud nomen sub cælo, nec salutis remedium, nisi in ipso, & per ipsum; idcirco tanquam de re necessaria, & summi momenti tot concurrunt testimonia: quando enim videmus aliquem in maximo periculo positum, vnamque viam euadendi, solemus complures, & iteratis vicibus eum admonere, sic fecit Dominus Deus cum homine, quem in summo positum salutis periculo videbat, nec alia via euadere posse, nisi per Christum.

Secunda, vt assiduam mysterij manifestationem eius necessitas & utilitas magis commendarentur.

Tertia causa est, vt dignitas ipsius aduentus Christi commendaretur. Si enim multi nuntij alicuius Regis, aut Principis aduentum præcurrere, & sequi solent, multo conuenientius à multis Christi filij Dei annuntiat, & demonstratur aduentus in mundum.


Tertia, pro commendandari dignitate.

Quarta, & vltima causa est, hominum malitia, & cæcitas, quæ tanta est, vt post tot testimoniorum auctoritatem, multi in lua nihilo minus incredulitate manserint, & qui crediderunt, tot indiguerint testimonijs, propter quæ, sicut in credentibus diuina clementia, & bonitas commendatur, & illustratur: ita contra incredulos iustitia, & seueritas diuina probatur: qua enim poena digni non sunt, qui tot testimonij fidem non adhibuerunt? his igitur de causis sunt tot, ac tanta testimonia adhibita.

Quarta, vt hominum cæcitas conuincatur, qui nec tot testimonijs crediderunt.

CAPVT DECIMVM

S E X T V M.



MAEC locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se prestare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. si enim non abiero, para-

cleus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. de peccato quidem: quia non crediderunt in me: de iustitia verò; quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem; quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quacunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quacunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: & Quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit Modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem IESVS, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc queritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbij locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbij loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbiū nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo existi. Respondit eis Iesus: Modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit, ut dispergimini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Hæc

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

COMMENTARIVS.

CAUSAM cur hæc, quæ ad odia & persecutiones eorum pertinent, manifestauerit; & aduentum Spiritus ad testificandum prædixerit: exponit eam esse, ne scandalizentur, & cadant; id est, ne à suo munere, & officio testificandi, & prædicandi Christum retrocedant. Aduerte; Scandalum offendiculum ^{Scandalum quid sit.} esse vlt, in quod incidentes impingunt, & cadunt: qui autem admoniti sunt, cautè ambulant, nec facile impingunt. per metaphoram rebus ipsis accommodatur: nam offendiculum, & scandalum magnum erat persecutio Iudæorum & Gentium, Apostolis prædicantibus Christum. Eos igitur præmonet Dominus, quod futurum est reuelando; & adiutorium Spiritus Sancti promittendo, ut sic instructi non offendant. Hoc autem ipsum, quod dicit, nempe se ita locutum, ut non scandalizentur, etiam præmonitio quædam est, ut cautiore sint, non quidem in fugiendis offendiculis & periculis, sed in parui faciendis, & contemnendis, & superandis. Particula, *Hæc*, ad præcedentia referri, verbum sequens præteriti temporis comprobatur. *Locutus sum vobis*, referatur autem ad duo prædicta, nempe aduentum Spiritus sancti, & odia, ac persecutiones, & eorum causam: hæc enim locutus illis erat.

ANNOTATIO.

CYRILLI lib. 10. cap. 34. duas adfert expositiones. Prior est, ut illud, *Hæc*, referatur ad persecutiones & odia, quæ se illis dominus prædixisse ideo dicit, ut minus terreant: Quod enim non expectatum præter opinionem subito euenit, magnos etiam plerunque animos turbat; quod autem præquium est, quamuis grauius inferatur, leuius tamen propter præmeditationem videtur. Altera expositio est, ut relatiuum, *hæc*, referatur ad id quod de Spiritu sancto dictum est; sitque sensus. Hæc dixi, nempe Spiritum Sanctum venturum, & testimonium redditurum, ne scandalizemini, cum videritis incredulos futuros, vestrisque sermonibus Iudæos fidem negaturos; Si enim ego tot tantaque mirabilia feci; si Paracletus quoque similia faciet, nec tamen Iudæi ad meliora reducentur; nolite conturbari, si oratione vestra conuertere illos non poteritis. Tertia expositio est Euthymij, qui illud, *hæc*, ad ea, quæ de Spiritu sancto sunt dicta, refert; tamen longè aliter exponit, nempe; Hæc dixi, ne scandalizemini, cum videritis malos persequentem, & iniuria vos afficientes, sed potius ut cum cognoueritis Spiritum sanctum vobis auxiliari, bono sitis animo, & viriliter agatis. Quarta est Aug. tract. 93. qui similiter ad Spiritum sanctum refert, sed aliter exponit, quam Euthym. Merito, inquit, promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit, *Hæc locutus sum vobis*, cum enim Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit illis scandalum. Hæc Aug. Chrysof. homil. 76. ad Spiritum sanctum etiam refert; tamen simul secundam Cyrilli, & Euthym. expositionem, complecti videtur. nobis ea visa est accommodata, quam in commentario explicuimus, ut ^{Auctoris interpretatio.} illud, *Hæc*, ad Spiritus sancti aduentum, & simul ad persecutiones referatur, quorum prædictio scandalum futurum remouet, tum quia præmouetur periculum, tum quia promittitur auxilium.

Absque Synagogis facient vos.

COMMENTARIVS.

PRÆMISSA iam admonitione, & tanto auxilio promisso, explicatius futuras persecutiones enarrat. quasi dicat; Vos admonui eorum, quæ sunt futura, vobisque auxilium magnum promissi, ne scandalizemini in persecutionibus, quæ vobis eueniēt. Scitote enim, Iudæos è suis Synagogis vos tanquā excommunicatos eiecturos; hoc est, *Absque Synagogis vos facient*. priuabunt vos Synagogis, expellentque vos à suis commercijs, & conuersationib. Apud Græcos

Græcos vnica est dictio, *Absque Synagogis*, sensus tamen idem est. Hoc ignominia maximè apud Iudæos erat, quod alijs verbis significauit Dominus Luc. 6. Beati, inquit, eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum propter filium hominis. verba hæc Ioannis ad Iudæorum præcipuè referuntur persecutio- nem. Non est autem hoc loco sine consideratione prætereundū; Quis enim non expectasset post promissum Spiritum sanctum tantæ potentia, & scientiæ, & bonitatis, & post verbum, *Non scandalizemini*, dicturum Christum, in Synagogas vos recipient; omnes ad vos procliues current, beneuolentia, & obsequio afficient? at non hæc dicta sunt, sed *Absque Synagogis faciem*, & interficient tanquam impios, & sceleratos; at multo aliter diuina sapientia de rebus iudicat, quam mundana: maius beneficium, & maius opus fuit, discipulos fortes facere in morte subeunda, & lætos aggredi pericula, omniaque huius mundi bona contemnere, quàm impedire, ne occiderentur: illud Apostolos fecit beatos, non hoc; illud Reges terræ facere potuerunt, non autem istud, plus igitur Spiritus sancti virtus splendet in morte contemnenda, quàm impedienda; in sustinendis læto animo afflictionibus, quàm in aduertendis; maius beneficium illud est, quàm hoc; diuinius opus fuit, per mortem, & afflictiones mundum conuertere, quàm per vitam temporalem; inducereque vt crederent, & sequerentur eorum doctrinam, qui sic malè habitii sunt à mundo, quàm si bene accepti essent.

*Dei sapientia
virtus splendet
magis in
fortitudine,
qua Apostoli
mortem subie-
bant, quàm si
illam Deus
impediret.*

A N N O T A T I O II.

Quoniam Synagogæ mentio frequens est apud Ioannem, non abs re erit, si aliqua & de vocis significatione, & de rei ipsius vsu, & de origine ac antiquitate dicamus.

*Synagogæ
multiplex si-
gnificatio.*

Synagoga Græcum est vocabulum, significans idem, quod Latine congregatio: vsurpatur autem in scriptura tripliciter, Primò, pro tota illa Iudæorum republica, vt enim nunc Christianorum conuentus dicitur Ecclesia, ita olim Iudæorum multitudo sub vna veri Dei religione, dicebatur Synagoga: in qua significatione acceptum est illud Num. 4. Recensuerunt Moyses, & Aaron, & Principes Synagogæ filios Caath, & illud Num. 16. Ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ. Aug. in illud Psal. 81. Deus stetit in Synagoga Deorum, adnotat Apostolos illum Iudæorum conuentum Synagogam, & Ecclesiam appellasse: sic enim in veteri testamento appellatus est; nostram verò Ecclesiam nunquam appellauerunt Synagogam, siue propter distinctionem, siue quia Synagoga communis est: nam congregantur animalia, & congregantur aquæ, verbū enim Græcum *Συναγωγή* & *Συναγωγή* commune est, at Ecclesia non est nisi hominum, & vtentium ratione: ecclesia namque non congregationem, sed conuocationem significat. Iudæis ergo vt pote seruorum statum habentibus, & sub elementis huius mundi seruientibus, Synagogæ nomen conueniebat, qui timore sicut animalia trahebantur: at Christianis Spiritum dilectionis habentibus, quibus diuina sunt referata mysteria, nomen ecclesiæ, & conuocationis congruit.

Secundò accipitur in scriptura nomē Synagogæ pro quocunq; siue bonorum, siue malo-

rum coetu: sic frequenter vsurpatur. Psal. 85. Synagoga potentum quaesierunt animam meam. Eccl. 3. Synagogæ superbiorum non erit sanitas. & 21. Stupa collecta Synagoga peccantium. sunt multa alia testimonia. Tertio accipitur pro loco illo, in quem multitudo Iudæorum conueniebat ad aliqua exercitia spiritualia. in qua significatione acceptum est illud Luc. 7. Synagogam ædificauit nobis. erant autem huiusmodi Synagogæ in Hierusalem multæ, & in tota terra promissionis, & extra, vt inferius dicemus.

In tres præcipuos vsus erant hæc Synagogæ institutæ, quantum ex scripturis deducere licet. Primus ad prædicationem verbi Dei, & legis Moysæ explanationem: singulis enim sabbatis conueniebat tota multitudo Iudæorum in diuersas Synagogas distributa, vt legis doctrinam audiret, Act. 15. A temporibus, inquit, antiquis habet in singulis ciuitatib. Moyses, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne sabbatum legitur. Luc. 4. Erat prædicans in Synagogis Galilee. Luc. 13. Erat docens in Synagogis eorum sabbatis. Alter vsus erat orare & laudare Deum, quo autem modo, & quibus verbis orarent, ignoramus: hoc verò certum est in Synagogas conuenisse ad orandum: nam dicitur Iudith 6. Conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam orauerunt perentes auxilium à Deo Israël. Synagoga appellatur in hoc loco ecclesia. & Mat. 6. Qui amat in Synagogis orare. Seruabatur autem ordo talis, conuenientes quidem viri & foemine, locis tamè distinctis, primùm orabant pro communibus necessitatibus, & maximè aduentum Messie postulantes: post

*In quæ vsus
Synagogæ siue
vni institutio*

post orationem verò, primi illorum legis periti partem aliquam de libris Moysi, & alicuius Prophetae populo explanabant: his absolutis, si quis inter adstantes erat peritus maximè ex aduenis, aut alterius Synagogæ, inuitabatur ad dicendum: qui locum huic muneri destinatum ascendens, concionem habebat. Constat hoc ex Act. c. 13. vbi de Paulo, & Barnaba legimus, quòd die Sabbatorum ingressi Synagogam sederunt: post lectionem autem legis & Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos dicentes, Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite: surgens autem Paulus & c. Sic in Euangelio Christum sæpè in Synagogis docuisse legimus. fiebant etiam in Synagoga inter doctores concertationes, & disputationes ad sensum scripturarum elucidandum conuenientes, vt constat Luc. 2. quando inuentus est puer Iesus in medio doctorum interrogans, & respondens. His attestantur Ioseph. lib. 4. cõtra Appionem & Philo lib. 3. de vita Moysi. Moris, inquit, fuit sabbatis operam dare Philosophiæ principe antecedente, & docente, quæ opus factu ac dicto essent, reliquis audientibus, ex quo etiam nunc philosophantur sabbato patrio more: nam Oratoria in ciuitatibus, Scholæ sunt omnium virtutum, quibus diuina, humanaque intelliguntur, & corriguntur. Quod repetit de Essæis loquens in illo libro, quem inscripsit, Omnes probos esse liberos, sic ait, Vnus biblia fumens legit: Alter verò ex peritissimis minimè nota exponit. lib. etiam de legatione ad Caium, hoc idem confirmat.

Hinc est, vt meritò probari loco duceretur, quenquam extra Synagogam facere. eum enim à consortio fidelium separabant, indignumq; iudicabant, vt cum eo in oratione, & verbi doctrina communicarèt, & tanquam incorrigibile vitabant, sicut & nos cum excõmunicato facimus. tali poena Apostolos puniendos à Iudæis prædicat Dominus: quam timentes aliqui ex principibus, etiam si crederent in Christum, palam non confitebantur, vt supra cap. 12. dictum est: grauis enim erat infamiæ nota. Tertius vsus harum Synagogarum, quantum mihi videtur, fuit, corrigere publicè aliqua delicta in legem: velut enim quædam publicæ poenitentia, & castigationes fiebant, hoc enim multa loca scripturæ significare videntur. Matth. 10. In Synagogis suis flagellabunt vos. vbi Glos. inter line. adnotat, ideo hoc dictum, vt significet prætextu religionis Iudæos persecuturos esse discipulos Christi: nam Synagoga, inquit, locus correctionis est. idem habetur Matth. 23. Ex eis flagellabitur in Synagogis vestris. & Mar. 13. In Synagogis vapulabitur. Act. 22. Ego eram concludens in carcerem, & cædens eos per Synagogas. Act. 26. Per omnes Synagogas frequenter puniens eos.

*De Synagoga
origines
& antiquitate.*

Origo & antiquitas Synagogarum incerta est, aliqui recentiores tempore babilonica captiuitatis incæpisse existimant. Iudæi enim tunc temporis tēpli sancti memores loca instituerūt, in quibus conuenientes orarent, & ver-

bum Dei audirent. Hæc tamen opinio nullo firmo nititur fundamento. vnde existimo multo esse antiquiores: nam Iudic. 20. quando nondum Salomon; qui templum illud ædificauit, natus erat; habemus Synagogam extitisse: dicuntur enim quadraginta millia viuorum conuenisse in Masphat, in ecclesiam populi Dei. quod non aliud significat quàm in templum; & domum Deo dicatam: hanc autem non esse domum, & templum, vbi erat arca, & vbi sacrificum fiebat, certum est: erat enim tunc in Sylo, vt constat 1. Reg. 1. igitur erat Synagoga, & locus aliquis; quo ad orandum populus conueniebat, idcirco aliqui Rabini hoc moti argumento putarunt in Masphat inceptas esse Synagogas, non quod illo tempore illa incoeperit: nam erat prius, quàm populus illuc conueniret. verisimile ergo est à tempore Iudicum, cum terra habitari cœpta est, ædificata loca sacra, in quæ populus ad orandum, & verbum Dei audiendum, & negotia religionis tractanda conueniret, cum non posset sacrificare nisi in vno loco determinato, vbi erat arca Dei: quarum diuisio, & multitudo facta est propter diuersitatem & multipliciter familiarum & tribuum, quæ sæpè seorsum congregabantur. Has domos puto significari à David Psal. 25. In ecclesijs, inquit, benedicam te domine, & Psalm. 67. In ecclesijs benedicite Deo, & à Salomone eccles. 24. In ecclesijs Altissimi aperuit os suum. sunt alia multa huiusmodi loca: & hæc antiquitatem significare videntur illa verba Acto. 15. à temporibus, inquit, antiquis habet Moyses, qui eum prædicent in Synagogis. Aedificato autem templo in Hierusalem, in quo solo licebat sacrificare, vt constat Deuter. 12. Synagogæ conseruatæ sunt, per loca extra Hierusalem, & in ipsamet Hierusalem: nam cum matrimonium tunc temporis commune esset etiam sacerdotibus, & vxorum pluralitas non esset prohibita, mirum in modum auctus est numerus Iudæorum, & familiarium, vt vix in templo omnes recipi possent Sabbatis singulis ad verbum Dei audiendum: maximè propter diuersitatem & multitudinem aduenarum, qui eo concurrebant. hinc factum est, vt numerus Synagogarum adeo excreuerit, vt tempore excidij Hierosolymitani, numerarentur Hierosolymis quadringentæ, & octuaginta Synagogæ, tam pro ciuibus, quàm pro aduenis Iudæis, qui religionis causa sanctam ciuitatem adibant. vnus earum sit mentio Act. 6. Surrexerunt, inquit, quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & c. præter hanc plurimè numerantur apud Euangelistas, & in Actis Apost. quæ erant extra Hierusalem in reliquis ciuitatibus, & prouincijs. Matth. 4. habetur de Synagogis Galilee, Acto. 9. de Synagogis Damasci. 13. de Synagogis Salaminæ, & Antiochiæ, Pisidiæ. 14. de Synagoga Iconij. 17. de Synagogis Thessalonica, Beroeæ, Corinthi, & Ephæsi. imo, vt testatur Philo in legat. ad Caium, Imperator Tyberius sciens Iudæos Romæ trans

ma trans Tyberim habitantes habere oratoria, in quibus singulis Sabbatis patriam legem edocebantur, non prohibuit. Huiusmodi Synagogæ non à priuatis Iudæis tantum, sed etiam à gentilibus pij officij causa, construebantur in eorundem Iudæorum vsum, vt constat Luc. 7. De Centurione gentili, qui Synagogam ædificauerat Iudæis. vt autem in templo Pontifices, & sacerdotes principatum gerebant, sic in Synagogis scribæ & Pharisei, qui per illas distributi erant, & dicebantur ij, qui Synagogis præerant, Archisynagogi,

aut principes Synagogarum: Scribarum enim erat munus, vt paulò inferius dicemus, lectiones habere ad populum, & scripturas interpretari, quod etiam habebant commune cum Phariseis Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei. id eibidem arguuntur, quòd clauerint regnum cælorum populo, nimirum quia sinistrè scripturam, & legem interpretabantur, auaritiæ & ambitioni dediti honores, & diuitias magis quàm populi bonum expetentes, vt Dominus sepe illis exprobrauit.

Sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.

COMMENTARIUS.

A Vget sententiã prædicens etiam gentium persecutionem. ac si dicat; parum dico, non solum è Synagogis eiiciemini, imò venit hora, vt interficiamini, & sic interficiamini, vt qui vos interfecerit, arbitratu sit se sacrificium Deo offerre, remque ei gratissimam exhibere. Interficiemini tanquam Deo aduersarij, & legis, ac religionis peruersores. Duo igitur mala imminet, & mors, quia interficiendi estis; & causa mortis, tanquam impij, & scelesti, religionisq; diuinæ destructores. ita vt, qui vos occiderit, arbitretur se iustam, piam, & gratam Deo rem fecisse. *Venit hora*, positu est pro eo, quod dicimus veniet tempus, sicut Ioan. 5. Venit hora, quando omnes, qui in monumentis sūt, audient vocem filij Dei. Particula, *Sed*, augmenti est, pro eo posita, quod dicimus (imò, seu quin potius) quod supra annotauimus, & paulò inferius in eadem posita est significatione.

ANNOTATIO III.

ANNOTATIO IV.

PARTICVLA, *Sed*, in varios sensus induxit Doctores. Augustinus enim tract. 93. Particulam diuersitatibus, seu aduersariam interpretans; hanc sententiam in hunc exposuit sensum; vt Dominus consolatur discipulos, quasi dictum esset; eiiciet vos è Synagogis, sed vos gaudete, quia tantam conuersuram estis multitudinem, vt non patiantur Iudæi persecutores vestri vos viuere, ne omnes ad me conuertatis. sed dura videtur expositio. Beda eandem significationem particulæ sequens, aliter exponit, nempe; sed vos gaudete, quia, qui vos occident, non tam odio vestri, quam religionis, ac legis diuinæ æmulatione id faciunt. Ista etiam expositio dura est, & adhuc non continet causam legitimam gaudendinam minus malum, odium personale proprium reputandum erat, quam odium religionis Christi, & quod impietas reputaretur, quæ erat summa pietas. Accommodatior est expositio Cyrilli lib. 10. cap. 35. exponens particulam, *sed*, vt sit dictio augens, ac si dictum esset; Non solum eiiciemini è Synagogis, sed etiam fiet, vt interficiamini sic, vt vestri interfectores sacrificium Deo gratum, mortem vestram existiment. Et hanc expositionem secuti sumus in commentario: non enim verba hæc ad consolationem dicta sunt, sed ne terreantur discipuli, si ex inopinato aduersa eueniant, consolatio verò, verbis sequentibus continetur.

AVG. tract. 93. hanc eandem sententiam de Iudæorum persecutione exponit; hi enim futuri erant, qui Apostolorum interfectionem ita iustam existimarent, vt Deo rem gratam se facere crederent, quando Christianos, & discipulos occidebant, quod constat Actor. 23. de Paulo. Quidam, inquit, ex Iudæis deuouerunt se dicentes, neque manducatuos, neque bibituos, donec occiderent Paulum. Ipse met Paulus ante conuersionem de seipso dicit, Galat. 1. Supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo: abundantior æmulator existens paternarum mearum traditionum. Idem August. libr. 2. con. literas Petilian. ca. 92. non solum de Iudæorum persecutione contra discipulos Domini exponit, sed probat non posse de gentibus intelligi, quia hæc non interfecerunt arbitantes se obsequium præstare Deo, quia nõ verum Deum, sed idola colebant. Idè docet li. 2. contr. Epist. Gaudentij cap. 15. adiungens posse intelligi de Hæreticis, qui quando possunt, Catholicos occidunt. quæ expositio, nempe de Iudæorum persecutione, est etiam Cyril. li. 10. ca. 35. tamen non videtur accommodata: nõ Dominus ad discipulos dirigit præcipuè sermonem, quamuis etiam alij, qui idem reddiderunt testimonium, intelligantur, & loquitur generaliter; *Omnis, qui interficit vos* at præ-

*Superiorum
de bonis
suis magis
expenditur.*

*An proxima
verba de per
secutione, quæ
Apostoli à
Iudæis passi
uerunt an
de illa quæ
à gentibus,
sint, intelligi
da.*

at præter vnum reliqui à gentibus sunt occisi, & interfecti. non ergo de Iudæis determinate, sed etiam de gentibus interpretanda est sententia, & quamuis Dominus non expresse rit gentes, tamen generalitate vtens eas præcipuè indicauit. Prior ergo sententia de eiectione ad Iudæos pertinet, hæc autem maxime ad Gentes. Nec argumentum Augustini efficax est contra hanc expositionem; nam etiam si falsos Deos colerent, veros tamen esse, & his rem gratam se facere putabant, interficientes discipulos Domini: sicut etiam non erat obsequium verum, quamuis Iudæos intelligamus, sed impietas. non enim dicit Dominus, obsequium præstabant Deo, sed arbitrabantur se obsequium præstare Deo; & sicut falluntur in obsequio, ita etiam falluntur in Dei cognitione. Iudæi autem decepti sunt in obsequio, non

A in Dei cognitione, quia verum Deum colebant; gentes verò etiam in Dei cognitione, tamen non minus hi quàm illi arbitrati sunt, rem Deo se gratam facere: nam zelo religionis etiam gentes interfecerunt Christianos; idcirco plurimi persecutores interficiendos eos censebant non alio crimine, quàm quod Christiani erant, quasi falsam, & impiam amplectentes religionem aduersam ei, quam ipsi veram existimabant: quod constat ex multis historijs, & etiam ex illo Actor. 19. quando illi Ephesij contra Paulum agentes dicebant: Magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit, his autem dictis repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes, Magna Diana Ephesiorum.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.

COMMENTARIUS.

NE discipuli audientes suam interfectionem, Dei obsequium ab interfectionibus reputandum, existimarent verum esse obsequium, Deoque acceptum, & inde nimium turbarentur, declarat non esse obsequium tale. *Hæc*, inquit, *facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me*, id est, nõ nouerunt Deum esse Patrem meum, neque me esse Dei filium. Zelus igitur eorum ex ignorantia erit: si enim nouissent Christum, non interfecissent discipulos eius eo nomine, quia Christum confiterentur, & annuntiarent; si autem non nouerunt Christum, nec nouerunt Apostolos; ignorantes igitur, qui nam essent, occiderunt eos. Magnum est hoc argumentum consolationis, tum quia eos sine culpa ipsorum aliqua interficiendos pronuntiat; præstat autem sine culpa interfici, quàm cum culpa viuere; tum quia significat eos propter Patrem, & propter Filium passuros, vt rectè dedit August. tract. 93. si autem pro patria, & parentibus, & amicis mori gloriosum est; quanto gloriosius erat pro Deo mortem oppetere; tum etiam, quia non agniti erant discipuli, qui essent: ab ignorantibus autem pati multo minus malum est, quòd annotat Chrysost. hom. 78. exemplo apposito de Principe, qui relicto à tergo omni comitatu, solus ad hospitium peruenit, & incognitus tanquam vnus de vulgo tractatur, iniuriæque afficitur. hic profectò princeps istorum ignorantiam contemnet, eosq; irridebit, expectans citò comitibus, & familiaribus aduentantibus illos. qui iniuriam intulerunt, confundendos. Aduerte autem, ignorantiam hanc Iudæorum, & gentium, ex qua discipulos, & martyres occiderunt; non excusasse eos à grauissima culpa & peccato; quia ipsi discipuli sufficientissimum perhibuerunt testimonium illis, quo audito potuerunt Christum, & Patrem agnoscere.

*Ex causa per
secutionis
& mortis, &
os consolatur.*

ANNOTATIO V.

VNAM causam Dominus interfectionis Apostolorum adfert, tamen non ea sola fuit, quamuis & ipsa fuerit, nempe ignorantia veritatis. Proinde admirationis ratio non tollitur, quare in discipulos Domini etiam incognitos tam sæuiter mundus exarlerit. Si enim considerare mus eorum officium, erant legati summi Dei, & Regis regum. 2. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Si spectamus finem; missi sunt ad annuntiandum pacem hominibus cum Deo, liberatione à peccato, vitæ æternæ promissionem. Lucæ. 10. Appropinquauit in vos

regnum Dei. Si modum contemplerur, non armis, non vi, non patientia; sed humilitate, mansuetudine, patientia, proximorum charitate venerunt. Luc. 10. Primum dicite, Pax vobis. Luc. 9. Vis ignis de cælo descendat? nescitis cuius Spiritus estis. Si vtilitatem eorum conuersationis spectemus, erant maxime fructuosi, & vtilis vniuerso hominũ generi: Sanabant. n. infirmos, illuminabant cæcos, suscitabant mortuos. Medici in precio apud homines sunt propter sanitates corporum; at nemo eorum, imò omnes simul, vni discipulorum nõ sunt comparandi. Luc. 10. In quamcunque ciuitatem

*Mirandè est
se, quod m-
dum in perse-
quedi Chris-
ti discipulis
adeo sanie-
vit.*

bis; nec generale verbum est omnes comprehendens, nec expressum est: nam discipuli poterant intelligere verbum esse dictum propter aliquos ex alijs, non propter duodecim, quibus expressè dicitur: *Hæc facient vobis*. Tertium est: *Qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo*. Hoc certum est, non prius esse dictum. Hæc igitur, quæ suis Apostolis determinatè, & expressè dicit & manifestat, nunquam ante dixerat, nec rem ipsam, nec eo modo, quo nunc dicit, nec ipsi Apostoli prius talia de se intellexerat. & hic mihi videtur sensus, qui optimè consonat sequentibus: nã non erat tẽpus, præsertim cum vobiscum, inquit, essem, tã aspera, & horribilia prænũtiandi: at nũc necessitas postulat, quia ego discedo, & vobis expedit, & necessarium est, hæc omnia præscire, & antequam fiant, à me ipso nosse.

ANNOTATIO IX.

Verba hæc quomodo præcedentibus connectenda.

POSTERIOR difficultas superest, nempe qua ratione conectantur hæc verba. Chrysofost. hom. 77. sic connectit. Discipuli, inquit, audientes. *Omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo*, ita animo defecerunt, ut ne loqui quidẽ possẽt; quod exprobrãs eis Iesus, inquit, *Hæc ab initio nõ dixi*, quasi diceret: ne abũdantiõ tristitia absorberemini. hæc nõ dixi. Sed hæc conexio nõ admodũ placet; nam Dominus ipse causam exprimit, cur non ab initio dixerit, *quia vobiscum eram*. Cyril. li. 10. cap. 38. aliter connectit; nempe, ut tacitæ cogitationi responderet; quoniam præter spem, inquit, modò magnos sibi futuros audierunt dolores,

ne turbati cogitarent secum, & dicerent; *fofellit ergo nos spes nostra*, qui nos ad iucunda fuisse vocatos credidimus; nunc autem calamitates ac ærumnæ imminere prædicantur; necessariò causam adfert, quare ipsis ista ab initio non exposuerit. Non satis accommodata videtur connexio: nam tali cogitationi non satisfacit responsio, nec causa data, *quia vobiscum eram*, adhuc enim perseverare poterat cogitatio; *fofellit nos nostra opinio*. Mihi magis apta videtur connexio hæc, quæ posita est in commentario, nempe docere eos tempus post suum discessum, non futurum simile tempori præsentia: *foz: ac si diceret, Ego non dixi hæc ab initio, quia non erat necessarium*. Ego enim vobiscum eram, & vos præmonere semper potui, neque me præsentem aliquid horum futurum erat; at nunc discedo, & post discessum ista fiẽt; nec oportunitas alia erit vos præmonendi. Tacitæ igitur obiectioni respondet; quasi interrogetur; cur rem tam seriam, & grauem non antea nobis aperuisti? respondet, quia non erat necessarium: non enim futura erant, dum ego vobiscum fui, tempusque semper hucusque opportunum erat præmonendi: at quia iam vado, oportunitas ista amplius non erit, idcirco nunc dico. Ex qua explicatione sensus etiam sequentis verbi patet, nempe, *Quia ego vobiscum eram*, id est, qui vos præmonere poteram, vosque mea præsentia tuebar; at post discessum longè aliter vobis eueniet.

Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?

COMMENTARIUS.

AMICÈ, & benevolè obiurgat discipulos, quod cum vadat ad Patrem, nemo sit, qui interroget, quorsum, quidue facturus, abeat? *Nunc*, inquit, *vado ad eum, qui misit me*, & quod amicorum & diligentium est, nemo ex vobis facit, nempe interrogare qua de causa abeam, & vadam ad Patrẽ. quam obiurgationem Dominus propterea adhibet, ut causa exposita sui discessus, eos mirum in modum consoletur, & instruat. Connectuntur autem hæc verba superioribus sic, dictum enim erat; *Ab initio non dixi, quia vobiscum eram*. his verbis significans adesse iam tempus sui discessus: ac si diceret; *Vobiscum eram* hæctenus, sed iam nõ ero vobiscum sensibili præsentia. Addit, (nunc autem discedo, & vos non interrogatis me quò vadis?) Græca habent; *Nunc autem vado*, Illud autem, *quò vadis?* non significat terminum ad quem; sed causam, nempe qua de causa, seu quid facturus, ad Patrem vadis?

ANNOTATIO X.

Proxima verba quomodo cum superioribus connectenda.

PRIOREM partem huius sententiæ aliqui cum superiori connectunt, ut sit sensus; *Hæc ab initio non dixi, quia vobiscum eram, nunc autem vado ad eum, qui misit me*. Sed talis connexio accõmodata non videtur; sensus enim talis esset: *Nunc autem, vado ad eum, qui misit me, & propterea nunc dixi vobis ista, cui sensui obstat verbum sequens; Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?*

Hæc enim sententia manifestè probat præcedentem partem eidem esse annectendam, nempe; *Vado ad eum, qui me misit, & nemo interrogat me, quò vadis*. Adde verba illa, *quia vobiscum eram*, sufficientem reddere causam, cur ab initio non dixerit, quæ modò dicebat, se iam amplius cum illis *vobiscum eram*, insinuat, se iam amplius cum illis non futurum, ut prius erat. Recte ergo Græci exposi-

expositores omnes, & antiqui Latini, istã sententiã connexerunt sicut nos exposuimus.

Gravior est difficultas, quomodo dictũ sit, *Nemo ex vobis interrogat me; quò vadis?* cum paulò ante Petrus interrogauerit c. 14. *Domine quò vadis?* & cũ ipsemet sepe dixerit, se ire ad Patrẽ; si enim ipse exposuerat, opus non erat interrogare. Euthymius duas adfert responsiones. Vna est, cum Dominus non respondisset Petri interrogationi, debuerant discipuli iterum instare, & interrogare, nec vni interrogationi acquiescere: & hoc est, quod Dominus nunc conqueritur, sed dura videtur expositio, cum verba sint absolute prolata. *Nemo interrogat me, quò vadis?* quasi nemo id interrogauerit. Altera responsio est, ut sit sensus; *quò vadis? quid agis, seu quid facturus vadis?* Hæc e-

nim amici solent petere ab amicis, dum abire decreuisse vident. Eadẽ est expositio Cyril. lib. 10. cap. 38. sic enim exponit; nemo interrogat qua de causa ita faciat, Huic expositioni consonant, quæ sequuntur, Dominus enim exponit, non quò vadat, id est, terminum; iam enim dixerat se ad Patrẽ vadere, sed causam, cur abeat. Et hæc est legitima interpretatio. Augu. autem tra. 94. multo aliter exponit, ut sit sensus: Ibo iterum, quando nemo ex vobis me interrogabit, quò vadis: nam ascendam in cœlũ vobis videntibus; & sic nemo inquireret, quò vadã. At violenta videtur hæc expositio, nec facile accommodatur sequentibus verbis, nec etiam contextui. Vera & legitima eã videtur expositio, quæ data est à Cyr. & Euthy. & posita est in commentario.

Sed, quia hæc locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum.

COMMENTARIUS.

Obiurgationis eiusdem hæc sunt verba, & ad præcedentem sententiam pertinent, & est sensus: Non solum non me interrogatis, quò vadam, immodò potiùs, quia hæc, nempe discessum meum audistis, de quo locutus sum, mœrore, & tristitia estis repleti. Particula, *Sed*, vti superius annotauimus, vim habet augendi, pro immo, seu quin potius, aut supplenda est sic præcedens sententia, Non solum nemo me interrogat, sed etiam mœrore summo affecti estis, quia dixi me discessurum. Illud, *Hæc*, Cyril. lib. 10. cap. 38. ad discessum refert, de quo dictũ est: *Vado ad eum, qui misit me*, quod prius etiam dixerat; hoc enim magno mœrore corda discipulorum afficiebat, idque est tristitiam implere cor alicuius, & ad idem refert Aug. tract. 94. & is est sensus legitimus, quasi dictum esset. Ita tristitiã vos tradidistis, audientes meum discessum, ut obliti sitis interrogare, quod interrogatione dignum erat, quorsum, & qua de causa abirem.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.

Obiurgationis eiusdem hæc sunt verba, & ad præcedentem sententiam pertinent, & est sensus: Non solum non me interrogatis, quò vadam, immodò potiùs, quia hæc, nempe discessum meum audistis, de quo locutus sum, mœrore, & tristitia estis repleti. Particula, *Sed*, vti superius annotauimus, vim habet augendi, pro immo, seu quin potius, aut supplenda est sic præcedens sententia, Non solum nemo me interrogat, sed etiam mœrore summo affecti estis, quia dixi me discessurum. Illud, *Hæc*, Cyril. lib. 10. cap. 38. ad discessum refert, de quo dictũ est: *Vado ad eum, qui misit me*, quod prius etiam dixerat; hoc enim magno mœrore corda discipulorum afficiebat, idque est tristitiam implere cor alicuius, & ad idem refert Aug. tract. 94. & is est sensus legitimus, quasi dictum esset. Ita tristitiã vos tradidistis, audientes meum discessum, ut obliti sitis interrogare, quod interrogatione dignum erat, quorsum, & qua de causa abirem.

Contristabantur discipuli de Christi discessu, absentiam eius magno sibi incommodo, & nocumento futuram arbitantes, maximè cũ intelligerent, quæ eo absente passuri erant; propterea Dominus eos consolatur affirmans, & asseuerans, absentiam eius futuram illis maximo commodo, & vtilitati. non ut ipsi putabant, incommodo vlli, & hoc est, quod dicit, *Expedit vobis, ut ego vadam*, non expediens tantum, sed vobismet ipsis expediens, & vtilis est meus discessus. Quod ut magis persuadeat, asseueratione vtitur. *Ego veritatem dico vobis*. Est autem particula illa, *sed*, connectenda cum verbo, *expedit*, ac si diceretur, *sed verissimè, & certissimè expedit vobis, ut ego vadam*; & talis particula sic est superioribus coniungenda, ut sit sensus: tristitia cor vestrum impleuit discessus meus, quasi vobis magnũ nocumentum allaturus; at nõ sic est, quin potius vobis expedit maximè, ut ego vadam. Habent enim hæc particula apud Ioannem magnam vim in significando, & aliquãdo integram continent sententiã, ut in superioribus exponendis experti sumus.

ANNOTATIO IX.

Petrus interpretatio.

CHRYSOST. hom. 77. aliter connectit, & interpretatur hanc sententiam, ut sit sensus; Non ad gratiam loquor, sed licet maiorem in modum contristemini, quod expedit audiendum est; vos quidem ut adessem velletis, vsus aliud postulat; diligentis au-

tem est, cũ vtilitatem cognoscit, non permittere ut ea dilecti priuentur. Hæc Chrysofost. Cyrillus lib. 10. cap. 39. similem sensum adfert. Magno, inquit, vos dolore moueri sentio, quia ego abire cõstitui: nec id iniuria, præsertim cũ magnas vobis futuras tentationes

audieritis: verum quoniam iucundis, vtilitas prapponenda est, veritatem vobis aperiam: *Expedi vobis, vt ego vadam.* Vterque, tam Chryl. quam Cyril. particulam, *sed*, annectunt verbo, *dico*, supplentes; quamuis contristemini, ego tamen veritatē dicam; *Expedi vobis, vt ego vadā.* Probabilis est expositio, quam etiam sequitur Euthymius; tamen mihi accommodatior visa est in commentario allata: nam Dominus

A his verbis tristitia illorum mederi Audeo, vt cognita vtilitate maxima, illam deponant, aut certe temperent. Non ergo est sensus; quamuis tristemini, ego dicam verum. Præterea, quia discipuli tristabantur, timentes absentia Christi nocuumentum ipsis non paruum allaturam, Dominus docet non sic esse; sed potius magnum emolumentum, & vtilitatem inde ipsos relatuos.

Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autē abiero, mittam eum ad vos.

COMMENTARIUS.

EXponit suum recessū eis maxime expedire, & est sensus; promissi, & prædixi vobis venturum Paracletum ad vos, at scitote nisi abiero, nō venturum; quod si abiero, ego mittam eum ad vos. Mea ergo absentia aduentum Spiritus sancti vobis concedet; mea autem præsentia, *si non abiero* vobis aduentu priuabit. Adnotanda sunt verba Christi magno posita artificio; non enim dicit, *si non abiero* non mittam Spiritum sanctum seu Paracletum, sed *non veniet*: cum enim præsens esset cum eis, non videbatur verbū conueniendum. sed dandi, veniendi: præsentibus enim non mittimus. ideo dicit, *non veniet ad vos*: quāuis in rei veritate etiā si præsens esset, verē diceretur mittere, quia Spiritus sanctus ab ipso procedit, & idem Spiritus sanctus effectū in eis faceret nouū; at loquitur iuxta vulgare modū, cui illi capaces erāt. Rursus non dicit, *si abiero*, veniet, sed, *mittam*, retinens modū simile loquēdi, & simul vt eos certos faceret venturū; quasi diceret, ne dubitetis venturū; ego enim sum qui mittā eum. Doctē, & verē Chryso. ho. 77. annotat contra Macedonium negantem Spiritus sancti diuinitatem, locum hunc, quo eius diuinitas insinuatur: non enim expediēs esset recessus Christi, qui fili⁹ Dei est, nec compensaretur aduentu creaturæ: necesse igitur est Spiritum sanctum hic promissum Deum esse. Vtitur autem Dominus nomine Paracleti valde appositē, quia tristibus, & mœstis de suo diceffu loquebatur, indicās omni eos lætitia, & consolatione replendos adueniente Spiritu sancto; etiam in sua absentia, cosque omnem tristitiam deposituros.

ANNOTATIO XII.

NON ex impotentia factum est, vt annotat Aug. tract. 94. Spiritum S. Christo præsentem non venisse, eiūque ad Patrem recessum expectasse; sed ex diuino consilio, & instituto: nam Christus, vt Deus est, Spiritum sanctum mittit, vt autem Deus est, omnia replet, & in terra, & in cœlo semper est: siue ergo absens sit, siue præsens humanitas eius in terra, semper potuit Spiritum Sanctum mittere: at disposuit sic De⁹, vt nō nisi post ascensionē Christi mitteretur. Fuit autem pluribus de causis id conuenientissimē, & prudentissimē factum. Primò quidem, ex parte Spiritus sancti, vt eius diuinitas maxime innotesceret: Cum enim manifestanda esset hominibus ex miris signis, & operibus internis, & externis, quæ effecturus erat; si tunc Christus adesset, soli ipsi talia opera homines tribuissent, non autem aduenienti Spiritui sancto; at cum absente eo affecta sunt, Spiritus sancti potentia, & diuinitas apertius, & manifestius est commendata.

Secundò ex parte Christi ipsius: si enim præfens tunc esset missio, & aduentus ipsi non tribueretur, sed existimassent multi solum Deum Patrem propter Christum misisse; at dum recedit, & post recessum Spiritus venit, facilius ab eo missum esse credi potuit. Tertio ex parte officij: adueniente enim Spiritu sancto, discipuli erant in magistros, ac mundi Doctores promouendi, & per orbis regiones, & prouincias dispergendi; debuit ergo expectari Christi recessus: non enim iam sensibiliter, & corporaliter Christo adesse oportebat, sed quæ didicerant, euntes in mundum vniuersum manifestaturi erant. Quarto ex parte eorumque discipulorum; & est doctrina Augu. tract. 94. & Gregor. lib. 8. Mora. cap. 13. Aduentu enim Spiritus sancti erant perfectissimi homines euaturi, maximaque spiritali perfectione implendi: debuerunt igitur ab hac sensibili conuersatione Christi, separari: erant enim maxime addicti huic familiaritati, quæ quamuis sanctissima esset & vtilissima tamen

Mira verborum Christi proprietates.

oportuit Christum discedere priusquam Spiritum sanctum mitteret.

tamen iam in Spiritu perfectos, oportebat & Christo non tam sensibus, quam toto Spiritu, & mentis conatu adherere.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.

COMMENTARIUS.

Vtilitatem aduentus Spiritus Sancti exponit, *Cum venerit*, inquit, *ille*, arguet mundum, id est, ludæos & gentes fidem Christi non habentes, & opinantes se non esse in peccato, nec indigere iustitia Christi, sed suam, quæ per legem Moyli, aut per opera, quæ secundum legem naturalem fiunt, sibi sufficere: existimantes etiam sub potestate Diaboli se non detineri, sed liberos esse; hos, inquit, omnes Spiritus sanctus adueniens conuincet, redarguet, & à sua opinione & errore ita deturbabit, vt quod rationabiliter opponant, aut respondeant, non sint habituri. Conuincet autem eos omnes esse in peccato, nec esse aliam iustitiam, qua verē iusti esse possint, præter eam, quæ à Christo est per fidem in ipsum, & quam sua morte nobis obtinuit. Conuincet etiā omnes eos hæcenus fuisse sub potestate & principatu Diaboli, donec per Christum liberati sunt, Diabolo iudicato & damnato, dominioque suo priuato. Hæc omnia fecit Spiritus sanctus per Apostolos, tum miris diuinæ virtutis operibus, tum verbi efficacia corda hominū penetrantis, quæ omnia in sequentibus magis explicabuntur: magna ergo huius aduentus est vtilitas.

ANNOTATIO XIII.

Arguere in scriptura dicitur significatio.

Duo sunt adnotanda; vnum est de verbo, *Arguo*, alterum de nomine, *mundus*. Quantum ad primum attinet, vt eum hoc *Arguo*, Latine & ἄγω Græcè, & אָרָא Hebraicè duas habet in scriptura significationes; Prior est, quæ significat idem; quod reprehendo, increpo, corripo, siue verbis, siue factis. in nouo testamento, i. Timo. 5. Peccantes coram omnibus argue. Tit. 2. Cum omni imperio argue. Apocal. 3. Quos amo, arguo, & castigo. Similiter in veteri testamento Prou. 9. Noli arguere derisorem, ne oderit te, argue sapientem, & diliget te. Psal. 37. Domine ne in furore tuo arguas me. Sunt multa loca alia, in quibus hoc verbum talem habet significationem. Altera significatio est, per quam significat idem, quod conuincere, seu efficacibus probationibus ostendo. Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? id est, conuincet me peccasse. Illi Christum legis transgressionis accubant; tamen non poterant id ostendere, nec conuincere, cum falsa essent; nec argumentis possent probare. Similiter 2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa, id est, peccantes conuince, & ostende eos peccasse; postea obsecra, vt emendentur, & si opus adhuc fuerit, increpa. In veteri testamento est illud Iob. 6. Cum nullus sit, qui possit arguere me, & Iob. 32. Nemo est, qui possit arguere Iob, nec respondere sermonibus eius. Hæc est duplex significatio verbi huius. Augu. tract. 55. in Ioan. & Ser. 60. & 61. de verb. Domi. hunc locum in priori significatione exponit, quasi dictum esset; reprehendet mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. cuius expositio facile primo accommodari potest: nam de peccato reprehendi aliquis potest; at secundo & tertio, nempe iustitiæ & iudicio difficile accommodatur, vt in sequentibus magis

A apparebit: propterea Græci interpretes posteriori sequuntur significationem, inter quos sunt Cyril. lib. 6. cap. 40. Chrylo. hom. 77. Euthymius cum alijs, in. o. idem Augu. lib. Quæst. noui testam. q. 39. Hanc significationem posteriorē amplexus est, locum præsentē exponens, & hæc est accommodatior, quæ nos secuti sumus. Quamuis autē Doctores Græci prædicti conueniant in significatione verbi huius, tamē in sensu, & interpretatione longè differunt inter se, expositioque nostra in commentario posita diuerfa est ab illis omnibus, quam tamen existimamus esse legitimā, quod in ijs quæ dicenda sunt, palam fiet.

Sunt autem adhuc circa significationem huius verbi, ἄγω duo maxime adnotanda, quæ ad perfectam significationem eius intelligentiam sunt necessaria. Vnum est, Aristotelem lib. 1. Ethic. cap. 1. propriam nobis ostendisse significationem huius nominis ἄγω, ex qua verbi ipsius significatio facile percipitur; Est, inquit, elenchus syllogismus cum contradictione conclusionis, id est, quando vnus aliquid opinatur, & alter contrarius ei, quod ille opinatur, syllogizat, tunc talis syllogismus elenchus dicitur. Verbum ergo, ἄγω, quod latine est arguo, est conuincere alterum contraria opinantem. quod Paulus optime ostendit, Tit. 1. dicens Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Ex qua vera & propria significatione deducimus, arguere mundum de peccato, esse mundum opinantem se à peccato immunem conuincere, & ostendere esse in peccato. Arguere autem de iustitia Christi esse, mundum opinantem esse sua propria iustitia iustum, nec alia indigere, conuincere non aliter iustum, vere esse posse, quam iustitia;

Arguere est conuincere eum, qui contraria tenet opinionem.

2. Timoth. 4.

iustitia, quæ à Christo est. Conuincere demùm de iudicio Diaboli, esse, mundum existimantem sub potestate diaboli non teneri, conuincere eum fuisse sub diaboli potestate, nec aliter liberatum, quàm iudicio factò per Christum contra diabolum, quæ omnia inferius exactius exponuntur.

Differunt arguere & per suadere. Alterum, quod adnotandum diximus, est, arguere & conuincere non esse idem, quod persuadere. conuincere enim est alterum opinantem contraria ita adstringere, vt non habeat, quod rationabiliter respondeat, nec quo suam tueatur opinionem, vel quo se defendat. at persuadere est trahere in assensum contrarium illi, quod ante opinabatur. sæpe autem fit, vt qui conuictus est, adhuc nolit credere, nec assentire illi, de quo arguitur, & conuincitur: & tunc quidem conuictus, sed non persuasus est. sicut è contrario fieri potest, vt aliquis sit persuasus, sed non conuictus. quando nimirum argumentis probabilibus inductus assentit, quibus resistere posset, tamen quiescit eorum efficacia contentus. aliquando etiam simul est conuictus, & persuasus. hæc dixerim; vt sciamus Spiritum sanctum mundum conuicisse, non tamen toti mudo persuasisse. Loquor autem de ijs, quibus fides est annunciata. multi enim conuicti nihilominus non crediderunt, cuius rei exemplum habemus Act. 6. Non poterant, inquit, resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur. Ecce Iudæi conuicti fuere sermonibus Spiritus sancti loquentis per Stephanum; tamen non persuasi. & Luc. 21. Dabo vobis os,

Spiritus sanctus mundum conuicit, sed non toti mundo persuasit.

A & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri, nec contradicere. Ecce promittitur conuictio & redargutio, tamen non peruersio. nam Apostolus etiam incredulos & pertinaces arguerunt & conuincerunt, quamuis non omnes ad fidem pertraxerint. Est enim fides voluntaria, nec fit in nobis, nisi uolentibus. conuictio autem fit etiam nolentibus. Hæc dicta sunt de verbo *Arguo*.

Nomine, *mundus*, Chrylost. hom. 77. & Euthy. Iudæos exponunt hoc in loco significatos, quos de incredulitate arguendos dicit per Spiritum Sanctum venturum. Cyril. verò lib. 10. cap. 40. & Aug. tract. 95. Ioan. non solos Iudæos, sed etiam gentes significari dicit, & hæc expositio accommodatior est, & legitima, pro qua nonnulla faciunt. Primò quidem, Diabolus, cuius iudicium est declarandum, dicitur Princeps mundi, non Iudæorum tantum, sed etiam gentium, quotquot sine fide sunt. cum ergo, *Mundus*, in eo loco generaliter accipitur, accipiendus etiam est in hoc loco in eadem significatione. Secundò, quia Spiritus sanctus adueniens in Iudæorum, & gentium uisitationem est missus; si ergo eius, qui arguit, aduentus communis est, erit etiam redargutio communis. Tertio, quia peccatum, & iniquitas, de quibus arguendus est mundus, communia sunt Iudæis, & gentibus, erit ergo etiam redargutio cõmunis. quauis ergo hæc redargutio Iudæis primò fieri debuerit, & facta sit, gentibus tamen postea per Apostolos facta est; mundus ergo hoc in loco omnes Iudæos & gentes significat, Christi fidei expertes.

Mundi uox ne Iudæos et gentes impleat.

De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

COMMENTARIUS.

Conuincet omnes, qui in Christum non crediderunt, in peccato esse.

EXponit Dominus ipse primam redargutionem, cur nempe mundus redarguendus, & conuincendus sit de peccato; & est sensus; arguet & conuincet mundum esse in peccato, eò quod in me non crediderunt, seu non credunt, vt in græco habetur: id est, conuincet & demonstrabit omnes in me non credentes esse in peccato, quod & factum est. Nam omnes, qui fide Christi carent, necesse est in peccato esse: cum enim omnis homo in peccato nascatur, & usum rationis habens peccatum peccato adiungat, nisi prius à peccato liberetur, nec possit à peccato liberari, nisi per fidem Christi; consequitur omnem hominem etiam adultum, fidem Christi non habentem, esse in peccato. hæc redargutione conuincetur mūdus, nempe in peccato esse, quia fidem non habet, & sine fide Christi à peccato liberari non posse. Hoc Dominus ipse significauit Ioan. 3. dicens, Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: qui credit, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. id est; qui non credit, iam in se habet damnationis causam, nempe peccatum, à quo non liberatur, quia non credit in Filium Dei, qua sola medicina sanari poterat. Hoc idem Apostoli prædicarunt. Paulus enim ad Rom. cap. 1. gentes omnes sub peccato esse ostendit, cap. verò 2. etiam Iudæos, cap. verò 3. generaliter pronuntiat; causati sumus Iudæos & Græcos, omnes esse sub peccato. & iterum; Gratia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. & Act. 4. Non est aliud nomē datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. quotquot ergo in Christum non credunt, aut non crediderunt, vel non

vel non credent, omnes sub peccato sunt, & fuerunt, & erunt. Ioan. 8. Nisi credideritis, quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Hoc fuit initium prædicationis Apostolicæ in mundo, arguere eum peccati, eò quod fidem non habuerit, remissionemque & liberationem promittere per fidem Christi, sine qua peccatum manet, nec tolli aut deleri aliter potest.

ANNOTATIO XIV.

Primo interpretatio est.

CHrysof. hom. 77. & Aug. tract. 95. in Ioan. peccatum hoc, de quo mundus arguendus dicitur, peccatum infidelitatis exponunt: vt sit sensus; eos, qui non credunt, arguendos esse de peccato, hoc est peccare in eo, quod non credant in Christum. quamuis discrimen sit inter August. & Chrysofomum: ille enim Iudæos, & gentes exponit, quibus est Christus annunciatus; hic uerò Iudæos, qui in Christum credere noluerunt. Rursus August. exponit mundum huius peccati reprehendendum, Chryf. uerò conuincendum, ut iam diximus: uterque tamen conuenit, hoc peccatum esse infidelitatis. Accommodatius tamen Cyril. lib. 10. cap. 40. generaliter intelligit quoduis peccatum. Omnem enim hominem, qui non credit, necesse est in peccato esse, cum natus in peccato, & adultus adiungens peccato peccatum, remissionem non possit adipisci sine fide Christi. hæc enim siue explicita, siue implicita necessaria fuit semper, ad remissionem peccati.

Huic expositioni adhæsimus in commentario, addimusque non solum de ijs, quibus annunciata est fides, & credere noluerunt, ef-

se sententiam hanc intelligendam; sed etiam de ijs, qui nondum audierunt, omnes in peccato fuerunt, & sunt, non habentes fidem: quamuis qui audierunt & non crediderunt, nouum aliud addiderint peccatum, nempe infidelitatis, quia credere noluerunt; qui autem non audierunt, nec quibus fides annunciata est, non habuerunt peccatum infidelitatis in eo, quod non crediderunt, cum non potuerint sine prædicante credere; tamen alij peccatis maculati sunt, sine quibus nasci, & viuere non potuerunt: ideo quotquot fidem Christi non habent, arguuntur de peccato; quanquam magis illi qui credere potuerunt, fide eis annunciata; & tamen noluerunt. Sensus ergo prædictæ sententiæ non est hic, nempe arguendum mundum de peccato hoc, quia non credidit; sed absolute conuincendum esse de peccato, eò quod fidem non habuerit, sine qua necesse est in peccato esse. sicut infirmus graui morbo laborans, nec medicinam, qua sola sanari potest, habens, conuincitur morti addictus, eò quod medicinam necessariam non habeat, aut habuerit, qua à lethali morbo liberetur.

Etiam qui Christi Euangelium non audierunt, in peccato sunt, dum non credunt in eum.

De iustitia uerò.

COMMENTARIUS.

EXponit secundam redargutionem. Continet, inquit, mundum de iustitia. Recte autem connectitur cum præcedenti redargutione: postquam mundus conuictus fuerit peccati, eo quod fidem Christi non habeat, conuincetur de vera iustitia Christi, id est, neminem iustum esse posse uera iustitia, quæ apud Deum iustum facit, nisi per fidem Christi. hic enim est, qui morte sua nobis iustitiam comparauit, nosque Patri reconciliauit, delecto que peccato in gratiam restituit, quam iustitiam per fidem uiuam communicat creditibus in se: hæc est iustitia, de qua Rom. 1. dicitur, Non erubescio Euangelium: uirtus enim Dei est ad salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. iustitia enim Dei reuelatur in eo de fide in fidem. & Rom. 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Mundus aliam sibi iustitiam deceptus vindicabat: Iudæi enim ex lege iustitiam quærebant, de qua dicitur Rom. 10. Ignorantes iustitiam Dei, & suam querentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti; Gentes autem ex operibus iustitiam captare sibi uidebantur: de qua Rom. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Neutra est uera iustitia, quia à peccato non liberat, hominē Deo non reconciliat. hæc enim à Christo per fidem est: & de hac mundus conuincendus dicitur contra iustitias prætenfas ab eo, quod ante fuit per Dauid prædictum Psal. 96. Reuelauit in conspectu gentium iustitiam suam.

Offendit non esse iustitiam aliquam, nec esse posse nisi per Christum.

Iustitia falsa Iudæorum, & gentium.

ANNOTATIO XV.

Diuersa Patrum explicatio.

CHrysof. hom. 77. & Euthymius iustitiam hanc exponunt Christi innocentiam, vt paulò ante diximus: eam enim Iudæi occul-

tare procurarunt, falsè accusantes, & morti tradentes tanquam legis transgressorem, & Cæsaris Regnum ambientem, populorum que

que seductorem, ut ex Evangelica historia constat. Spiritus sanctus autem adueniens illam manifestavit, eumque sanctum & innocentem ostendit, & hoc dicunt esse arguere mundum de iustitia. Augu. tract. 95. iustitiam hanc intelligit, quia fideles iusti sunt, sic tamen connectit, & componit sensum; Reprehendit Spiritus sanctus mundum non credentem per iustitiam credentium, credentium, inquit, comparatio infidelium est vituperatio: ipsa ergo iustitia tanquam argumento quodam reprehendit Spiritus sanctus mundum incredulum. quæ expositio violenta videtur. Cyril. lib. 10. cap. 40. iustitiam fidei interpretatur, in hunc sensum; convincet mundum seu incredulos, & ostendet illis, quot in Christum credunt iustos esse, quorum

A iustitia est credere, in quem non vident, iuxta illud Ioan. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Sic enim verba sequentia interpretatur, *Quia vado ad Patrem, & iam non videbitis me;* ut paulo post dicemus. Convenit cum Augustino in expositione iustitiæ, aliter tamen interpretatur, ut dictum est. Mihi certè legitima expositio ea videtur, quam in commentario proposui, ut sermo sit de vera iustitia, quam Christus sua morte effecit, & nobis fide viva communicavit, & in hoc consensio Cyrillo & Augustino, tamen mundus arguendus de hac iustitia dicitur, quia ipsius mundi præterita iustitia imperfecta, nec verè iustitiam facere posse hominem declarabitur: solaq; iustitia hæc, quæ per fidem à Christo est, vera & perfecta ostendetur.

Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.

COMMENTARIUS.

Mundum convincet de iustitia, quia ego mundum sufficientissimi meæ morte Patri reconciliaui.

Causam adiungit; propter quam mundus arguendus sit de hac iustitia Christi. In cuius declarationem attende, Christum sæpè mortem suam significasse sub his verbis: *vado ad Patrem*, ut significaret, se morte sua Deum nobis reconciliaffe, Patremque nostrum effecisse, ac filiorum adoptionem, & ius hæreditatis æternæ nobis comparasse. Hoc comprobatur illa sententia, quam Ioan. 20. Magdalenæ apparens post resurrectionem, iussit nomine suo Apostolis annunciare: *Vade, inquit, ad fratres meos, & diceis, ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; ac si diceret, annūcia eis fructum passionis & mortis meæ hunc esse, ut sint Deo reconciliati, eumq; Patrem habeant sintque filij ipsius effecti.* ex hoc facile est præsentem locum exponere. Est enim, inquit Christus, convincendus mundus de iustitia mea, *quia, ego, vado ad Patrem*, id est, quia ego morte mea mundum sum Patri iam iam reconciliaturus, & ad ius filiorum euecturus. *Adiūgit, & iam non videbitis me*, ut significet non opus esse ut iterum veniat in mundum passurus, & moriturus: unica enim morte consummauit iustitiam pro omnibus præteritis, præsentibus, & futuris. *Vado, inquit, ad Patrem meum, & vestrum*, nec iam videbitis me iterum in hoc seculo, sicut adhuc vidistis, quasi iterum opus sit mori, & pati. totam enim iustitiā nunc consummaui, ideo mundus arguendus est, & convincendus de iustitia statim post hunc meum discessum. Hoc Paulus nobis alijs verbis significavit, ad Hebr. 9. *Per proprium, inquit, sanguinem semel introiit in sancta. & iterum; Ad destructionem peccati semel per hostiam suā apparuit. & iterum; Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Hebr. 7. *Qui non habet necessitatem quotidie hostias offerre: hoc enim fecit semel se offerendo.* Rom. 6. *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* *Vado ergo ad Patrem non amplius reuersurus ut prius, quia vnica oblatione Patrem placavi, ei que totum mundum reconciliaui: Spiritus sanctus ergo adueniens, mundum de iustitia iam per me perfecta, & consummata, arguet & convincet.*

ANNOTATIO XVI.

Alia Patris expositiones.

Chrysof. hom. 77. & Euthym. qui hanc iustitiam innocentiam Christi interpretantur; quam Iudæi occultare, & maculare voluerunt, sic verba hæc sequentia interpretantur; *Arguet, & convincet mundum de mea iustitia, ostendendo me esse innocentem, & iustum, quia ad Patrem vado, & non videbitis me iam*, in ignominia & abiectione: si autem iustus non essem, non talis ad Patrem abirem. Augusti. &

Cyril. locis citatis, de iustitia, quæ à Christo credentibus datur, locum hunc exponentes sic connectunt; *Arguetur mundus de iustitia, quia ad Patrem vado, & non me amplius videbitis. hæc enim est iustitia credentium, credere in eum, quem non vident.* Iudicio legentium relinquo has expositiones: mihi accommodatior visa est, quam in commentario sum Persecutus, quæ multum coheret,

ret, & præcedenti redargutioni responderet: *A* dus est de iustitia vera, quæ à Christo est, quia ipse vnica oblatione & morte; eam perfecit quod fidem Christi non habeat, sic arguent & consummauit.

De iudicio autem.

COMMENTARIUS.

Exponit tertiam redargutionem. Mundum de iudicio convincere & redarguere non aliud est, quam mundo ostendere & declarare Christum esse iudicem omnium viuorum & mortuorum: omnesque ab ipso in carne dicendos. Oportet enim omnes ante tribunal Christi manifestari, ut referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonam, siue malum. ut sicut in redargutione de iustitia ostenditur redemptor, ita in redargutione de iudicio, demonstratur iudex: quod per Apostolos fecit Spiritus sanctus. Act. 10. *I* pse, inquit, est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. & in Symbolo; *Qui venturus est iudicare viuos & mortuos.* Hæc duo per Prophetas fuerunt pronuntiata. Psal. 71. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiā tuā filio Regis.* Hierem. 17. *Suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* iustitiam, qua nos Patri reconciliauit; iudicium, quo à se redemptos iudicaturus est. Isa. 9. *Super solium David, & super Regnum eius sedebit, ut confirmet, & corroboret illud in iudicio & iustitia.* hoc est iudicium, de quo Ioan. 5. dictum est; *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.*

Paralelus mundo ostendet Christum iudicem esse viuorum & mortuorum.

Ierem. 17.

Quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.

Ratio & causa adnectitur, *Quia, inquit, Diabolus, qui erat huius mundi princeps, & propter peccatū homines omnes sub suo principatu & potestate detinebat, iam est iudicatus, & dānatus, suoque principatu iure priuatus: homines ergo, qui sub eius erant dominio & principatu, ab eo liberati, & erepti, in liberatoris Christi potestatem & principatum trāslati sunt; ipsiusque iudicio subdūtur.* Christus igitur est Princeps, Dominus, & Iudex omnium, qui prius erant sub Diabolo Principe. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet, si autem fortior illo superueniēs vicerit eum, vniuersa arma eius, in quibus confidebat, auferet: & spolia eius distribuet.* Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* De hoc iudicio Diaboli diximus iam cap. 12.

Quia Diabolus dānatus est, & suo iure priuatus, ideo omnes eius subditi ad principatum liberatoris Christi pertineo.

ANNOTATIO XVII.

Parum nonnullæ expositiones traditæ.

Doctores hoc iudicium, quo Princeps Diabolus iudicatus est, interpretantur damnationem illam, qua eiectus propter peccatum à Paradiso, in infernum est demersus. iudicium autem, de quo mundus est arguendus, intelligunt esse hoc idem; quod factum est contra Diabolum: At, quamuis his duobus conueniant, in expositione varij sunt. Primò enim Augustinus tract. 95. sic exponit; reprehendit mundum, per iudicium & damnationem Diaboli: quia si Angelis peccantibus Deus non pepercit, nec parcat mundo peccanti. Secundò Chrysof. homi. 77. & Euthym. sic explicant; nōpe Iudæos esse convincendos de Dæmonis damnatione & iudicio, ut nequeant iam opera Christi imputare Dæmoni, ut prius fecerant. Tertio Cyril. lib. 10. cap. 40. sic intelligit, nempe redarguet mundum tanquam seductum, & in damnato Dæmone spem suam habentem, & collocantem:

Mihi accommodatior expositio visa est, quam in commentario attuli. est enim iudicium hoc, de quo arguendus & convincendus est mundus, quod Christus feret tanquam iudex omnium viuorum, & mortuorum. convincetur autem mundus, Christum omnium iudicem esse, quia iam Princeps Diabolus iudicatus est, & suo dominio & principatu priuatus, ut homo non amplius sit sub principatu eius, sed Christi, qui Diabolum vicit, & spoliavit. Aliud ergo est iudicium; de quo arguendus est mundus, aliud quo iudicatus est Dæmon: per hoc enim illud demonstratur. Sicut & peccatum; de quo convincitur mundus, nō est illud, quia non credit, sed omne peccatum, in quo manet, quia fidem non habet; peccatum est remissio peccatorum: & sicut aliud est iustitia, de qua convincitur, quam Christe iustitia, licet per hanc illa ostendatur: sic est aliud hoc iudicium ab eo, quo Diabolus

Explicatur magis auctoris sententia in commentario allata.

bolus est damnatus . hoc autem est causa , & argumentum conuincendi mundum de illo iudicio . Præterea hoc iudicium Diaboli non est illud , quo à principio damnatus est propter suum peccatum ; sed quo priuatus est principatu , & potestate , quam habebat in homines , de quo diximus Ioan. 12 . Nunc iudicium est mundi , nunc Princeps huius mundi eijcietur foras . quia enim senuit in Christum tentando , persequendo , occidi procurando , in quem non habebat potestatem , cum ex-

esset peccati ; iustè propterea priuatus est hominibus , in quos habebat potestatem à Deo concessam , propter illorum peccatū , propter quod omnes homines in suum dominium transtulit , & suo iudicio supposuit . Vide , quæ diximus cap. 12 . in verbis allegatis . Attende autem Christum loqui in præterito , iam indicatus est , quia proxima erat mors & passio , propter quam iudicandus & priuandus erat Diabolus suo principatu . quod autem proximum , & certum omnino est , pro facto computatur .

Adhuc multa habeo vobis dicere , sed nō potestis portare modò .

COM M E N T A R I V S .

Hactenus vnam vtilitatem aduentus Spiritus sancti exposuit , nēque mundi redargutionem ; alteram adiungit , nempe completam , & integram doctrinā . *Adhuc* , inquit , *habeo multa , quæ vobis dicā , sed , non potestis* , propter imbecillitatem vestrā , *modò portare* , nec capere ; at cum venerit ille , docebit vos omnem veritatem mysteriorum diuinorū , quam scire vos oportet , & quæ ego habeo dicendam vobis . Expedi igitur multum vobis aduentus hic Spiritus sancti , qui cum non sit futurus nisi me discēdere , consequitur meum discessum vobis multum vtilem esse , & expedientem . Sententia hæc multa insinuat . Primum quidē est , discipulos à Christo hactenus multa fuisse edoctos : nam dum dicitur , *Adhuc* , quandam continuationem indicat , quasi iam docere inceperit : & ita est ; nam multa audierant iam diuina mysteria . Secundum est , multa superesse dicenda , doctrinamque nondum completam , & absolutam esse : *Multa* , inquit , *habeo* , quæ dicam , quæ nondum dicta sunt . Nec sensus est , vt aliqui putant , multa possem vobis dicere ; sed multa habeo , quæ dicam , vt rectè exponit Euthym . & verbum Græcum est , *habeo* . Tertium est causa , propter quam dicta non sunt , nempe ipsorum intellectus tenuitas & imbecillitas : nondum enim erant robusti , vt tot ac tanta portare possent . sicut discipuli nouitij , qui nondum omnia , quæ magister habet docenda , eodem tempore capere possunt , sed paulatim sunt eis suggerenda , & cum ordine . Non enim sensus est , non potestis portare , id est , æquo animo ferre , & audire , vt Aug. tract. 96 . sentire videtur ; sed , non potestis capere , seu incapaces estis , vt Græci exponunt . Iuxta illud 1 . Cor. 3 . tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi , non escam , nondum enim poteratis . Quartū est , hanc infirmitatem , & imbecillitatem non fore diuturnam : nam adueniente Spiritu Sancto hæc omnia docendi erant , & efficiēdi capacissimi , omnium mysteriorum ; propterea dicitur , *Non potestis portare modò* , quasi diceret ; adieci limitationem dicendo , *modò* , quia modò capere non potestis : postea tamē virtute Spiritus sancti robusti , & fortes efficiemini , vt omnia portare possitis . Obijciat aliquis , verba superioris capituli his repugnare ; *Omnia , quæcūq; , audiuī à Patre meo , nota feci vobis* ; quomodo igitur nunc dicit , *adhuc multa habeo vobis dicere* ? Huic obiectioni in illorum verborum expositione satisfactum est : omnia enim tunc dicit patefacta , quæ pro illorum conditione , & statu eos audire oportebat : non tamen absolute omnia , quæ pro Ecclesiæ regimine , & munere Apostolico exercendo , necessaria erant : hæc enim alterius temporis erant , non illius . August. vt illic diximus , præteritum pro futuro positum respondet ; tunc enim , & postea manifestauit . Quintum est , ea quæ adueniente Spiritu sancto postea didicerunt , etiam à Christo dicta esse : nam dū dicit , *habeo multa dicere , sed non potestis portare modò* , indicat postea eos posse portare , & tunc se dicturum , & docturum . quæ enim à Spiritu sancto acceperunt , etiam à Christo inuisibiliter per Spiritum sanctum docentem didicisse eos fatendum est .

Expediuntur nonnulla , quæ in his verbis subindican- tur .

que fuerint illa , quæ Christi sus habebat dictura . non dixit .

Et Patribus traditur nonnulla eorum quæ Christi sus vniuersi mirati sunt . Spiritus sanctus manifestauit .

A N N O T A T I O X I I X .

AVG. tractat. 69. temerarium iudicat velle dicere , quæ sint ista , quæ Dominus habuit dicenda , & non expressit suis discipulis , nec id affirmare contentus est , sed adhuc multis rationibus eam temeritatem redarguit . at quia graues Doctores nonnulla saltem eorum expoluerunt ; quos tamen temeritatis arguere , mihi temerarium videtur , idcirco Augustini sententiam non probō : distinguenda igitur sunt tempora . Si enim de illo tempore , quā do hæc protulit Dominus ; loquamur , nemo dubitat quin temerarium fuisset ea velle tunc explicare , quorum Apostoli capaces non erāt , nec Dominus propter eorum ruditatem enarranda censuit ; at si de tempore post aduentum Spiritus sancti sermo fiat , quādo illa iam omnia , quæ dicenda erant , non Apostolis solis , sed Ecclesiæ etiam sunt manifesta , non video cur temerarium sit , aliqua ex his esse , quæ Dominus tunc habuit dicenda , exprimeret ; maximè quia promissum est adueniente Spiritu sancto se ea dicturum . Ab effectu igitur & his quæ dicta sunt , quæ id temporis occulta erant , iam licet interpretari : sicut & multa erant in veteris legis figuris , & vmbri , vel ipsis doctoribus tunc inaccessa , & incognita , quæ adueniente veritate , vel mediocriter eruditissimis manifesta .

Ea igitur de causa illustres Doctores , quæ ista essent , inquisuerunt ; & nobis aliqua tradiderunt : quorum vnus fuit Grego. Nazian. Orat. 7 . Theolog. vbi docet , in veteri testamento Patris diuinitatem esse multis testimonijs distinctè , & expressè traditam : Christus autem aduentu suo seipsum , qui filius erat , manifestauit , vt iam duæ personæ in vna diuinitate agnoscerentur : adueniente ergo Spiritu sancto tertia persona distincta in eadem diuinitate est ostensa , vt iam distinctè , & apertè tres personas in vna deitate confiteamur , quod nec Apostoli suo tempore distinctè intelligebant : satis enim duxit Christus , si eius diuinitatem & personas Patris , ac Filij crederent , quamuis verbis suis etiam Spiritum sanctum indicauerit , non tamen ita apertè , & distinctè id factum est , vt tunc discipuli mysterium Trinitatis agnoscerent . Hanc Spiritus sancti diuinitatem , & personam , Gregorius vnum affirmat esse ex his de quibus dictum est , *Multa habeo vobis dicere , sed non potestis portare modò* , Iustinus mar. ante ipsum Grego. aliud etiam nobis exposuit in explicat . quæstion. Gen. resp. 112 . Existimabant , inquit , Apostoli regnum temporale Israel per Christum esse suscitandum , & restituendum : Dominus autem explicare noluit , regnum eius non futurum illud temporale , sed spirituale , & coeleste , non Israel solius , sed omnium etiam Gentium . hæc discipulorum ignoratio etiam post resurrectionem satis constat A. G. 1 . quādo Apostoli post resurrectionem dixerunt , Domine , si in tempore hoc restitues regnū Israel ; nec Dominus tunc aperire voluit , sed dixit ; Non est vestrum nosse tempora , vel momenta , quæ Pater po-

suit sua potestate , sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos : quibus verbis hanc rem edocendos per Spiritum sanctum promisit . Hoc esse vnum ex his , de quibus Dominus dicit , *Multa habeo vobis dicere* , Iustinus docet . Tertium etiam expressit Orig. qui inter Iustinum & Grego. fuit medius . libr. 2 . contra Celsum , & hoc idem Didymus libr. 2 . de Spiritu sancto asserit ; nempe veterem illam legem non esse secundum literam , & corticem seruandam , sed secundum Spiritum , & significationem , quod Petrum ipsum adhuc ignorasse constat A. G. 10 . quādo non est ausus occidere illa animalia , quæ per visionem reuelata ei fuerant , nec manducare , quia per legem immunda erant : tunc , edoctus fuit perfectè mysterium vocationis Gentium , & cessationis legis illius secundum corticem , & literam : viuebant enim iudaicè discipuli Christo præsentē , vt dicit Cyril. libr. 10 . cap. 41 . Hoc vnum dicit Origen. esse de eorum numero , de quibus dicitur , *Multa habeo vobis dicere* . Hæc ad dogmata pertinent . Probabile etiam est ; multa , quæ ad regimen Ecclesiæ , & statum eius pertinebant de eorum esse numero : denique quæcūque postea Apostoli Spiritu sancto reuelante didicerunt , tum quantum ad dogmata , tum quantum ad statum , & regimen Ecclesiæ ordinandum & disponendum , credibile & probabile est esse ista , de quibus nunc locutus est Dominus : nam , vt diximus , dicturum se promisit . Impleta autem omnia , & dicta esse , iam certum est ; nulla igitur temeritas in hoc videtur . Nec argumenta Augustini efficaciter , quo intendit , probant . Adfert enim quatuor rationes , & argumenta , quorum primum est ; Si discipuli , inquit , non fuerunt capaces , quomodo nos erimus ? hæc ratio non conuincit , si de tempore præsentis , & post aduentum Spiritus sancti loquamur . erant enim tunc discipuli imbecilles , & in fide imperfecti : vt enim ex historia Euangelica constat , diuinitatem Christi non perfectè cognoscebant , nec mysterium incarnationis adhuc distinctè nouerant , postea adueniente Spiritu sancto multi fuerunt fideles , & nunc sunt , multo instructiores , & capaciores , quàm illi tunc erant Luc. 2 . de Beatissima Virgine dictum est , non intellexisse verbum ; in his , quæ Patris mei sunt , oportet me esse ; at nunc intelligimus , & inquirimus sine temeritate vlla . Nec valet argumentum ; Beatissima Virgō tunc non intellexit , ergo nec nos , quia status sunt distincti , & diuersi : in illo enim statu nec nos intellexissemus : sicut etiam tunc discipuli timidi erant , & fugerunt Christo relicto ; at postea multi fuerunt fortiores , quàm illi tunc erant . Non ergo comparatio fieri debet , nisi seruata paritate , & æqualitate status , quod Apostoli postea adueniente Spiritu sancto nō potuerunt capere , nec efficere , nec nos profecto poterimus ; at statu mutato , argumentum non procedit . Secundum eius argumentum est ; Etiam si portare possemus , tamen res ipsas nescimus , quæ

Solutio vbi dicitur quibus Augustinus probat temerarium esse occulta illa rimari .

portandæ sunt. At nec hoc efficax est: scimus enim res esse, quæ postea renelandæ erant, & quas Spiritus sanctus aperuit; eas autem iam didicimus. Tertium argumentum est; etiam si possent capere, & portare, & scire res, tamen quis scit eas res esse de tali numero, de quo illa multa sunt? Nec hoc argumentum validum est; nam statum mutato, impleta sunt iam promissa, & tradita, ac dicta, quæ tunc tradenda, & dicenda promittebantur: non igitur temerarium est post factum, quod occultum prius erat, inquirere: nam occultas causas ex affectibus iam manifestis inquirimus, & scimus, quas ante scire, & inquirere nemo potuit. Cognoscimus igitur res has reuelatas illas esse, de quibus dictum est, *Multa habeo vobis dicere*, quia his verbis dicendæ promittuntur, & ex impleta promissione colligimus, quæ dicta sunt, de illorum esse numero. Quartum argumentum est, nihil eorum, quæ tradita sunt postea, de numero eorum esse videntur: nam nec catechumeni portare possunt; potuissent ergo & tunc discipuli. Sed nec hoc conuincit argumentum, longè enim aliud est tradere, quæ recepta sunt in Ecclesia, qualia nunc audiunt catechumeni, aliud noua, & nunquam recepta docere. hoc multo difficilius est, & de his dicitur discipulis, *Non potestis portare modò*. Adde Catechumenis adesse iam Spiritum sanctum illustrantem perpetuò suam Ecclesiam, nec ab his etiam eorum omnium distincta fides exigitur, quæ Dominus habuit dicenda: quamuis enim vnum, aut alterum capere possint, tamen non omnia, de quibus dictum est; *Non potestis portare modò*. Non igitur argumenta Augustini efficacia sunt. Excusandus est autem Augustinus, quia populo rudi loquebatur, cuius non est alta mysteria inquirere; nec recordatus est, tam graues Doctores ista inquisuisse, quos temeritatis arguere, modestia, & mira Augustini humilitas non patetur.

ANNOTATIO XIX.

NON immeritò aliquis circa eandem sententiam dubitare sic posset. Discipulis promittuntur alia multa dicenda adueniente Spiritu sancto, quia tunc capaces non erant: cum autem eiusdem esset potentia Christus, & paracletus, poterat Christus eos fortes ad ea parandum, & habiles ad ea percipiendum facere: si enim Christus non potuit, nec Spiritus sanctus id efficere posset; cur ergo Christus non fecit? Respondeo, potuisse sine vlla dubitatione Christum eos ita perfectos facere, etiam Spiritu sancto visibiliter non adueniente, & priusquam ad Patrem ascenderet, sicut facti sunt postea per Spiritum sanctum; tamen magno consilio non id fecisse, nisi per aduenientem Spiritum paracletum. Primò quidem, quia cum tres personæ eiusdem essentia, & potentia manifestandæ essent in E-

Cur Dominus non praestiterit Apostolis sufficientem caputem, ut portare possent omnia mysteria, etiam ante aduenientem Spiritum sancti.

A uangelio, fuit conueniens, ut reseruentur aliqua opera, per quæ Spiritus sanctus suam diuinitatem ostenderet: quandoquidem Pater in veteri testamento suam diuinitatem demonstrauerat; Filius in carne se Deum miris operibus ostenderat; reseruata sunt hæc Spiritui sancto, ut filio recedente adueniens, & per Apostolos ab ipso mira perfectione imbutos, opera suæ diuinitatis exercens, se etiam Deum cum Patre, & filio, mundo declararet.

B Hanc causam attigit Chrysostr. hom. 77. Secundo id factum est propter instructionem: futuri enim erant discipuli magistri, & doctores mundi: oportebat igitur ut in seipsis experirentur modum dicendi, & illuminandi alios, non sunt autem omnia mysteria statim nouis fidelibus tradenda, sed paulatim, & ordinatè, idcirco eodem modo & ipsi illuminantur. quam causam annotat Gregor. Nazian. orat. 5. Theologica hæc eadem verba explicans, Vides, inquit, illuminationes paulatim affulgentes, Theologiaeque ordinem, quem nobis tenere praestiterit, ut nec repete, atque confestim omnia in lucem efferamus, neque in finem vsque occultemus: illud enim inconsultum, hoc impium; illud alienos offendere, ac vulnerare queat, hoc nostris à nobis alienare. hæc Gregor. Eadem est doctrina Origenis hom. 5. in Iudic. Non, inquit, in initijs statim discipulis de profundis, & secretioribus, tradendum est sacramentis, sed morum correctio, disciplina emendatio, religiosa conuersationis, & simplicis fidei prima eis elementa traduntur. hæc Origen. Tertio, ut in hoc discipuli suam imperitiam agnoscerent, & non propriae virtuti, sed diuinæ, perfectionem quam habuerunt, tribuerent: & nos in eis hoc idem disceremus. multum enim humana imbecillitas manifestatur, quando tanto magistro praesente, adhuc multa sunt, quæ capere, & portare non possunt. Multa dici in hac parte possent, sed ad intelligentiam huius sententia hæc dicta sufficiant.

C Explicans, Vides, inquit, illuminationes paulatim affulgentes, Theologiaeque ordinem, quem nobis tenere praestiterit, ut nec repete, atque confestim omnia in lucem efferamus, neque in finem vsque occultemus: illud enim inconsultum, hoc impium; illud alienos offendere, ac vulnerare queat, hoc nostris à nobis alienare. hæc Gregor. Eadem est doctrina Origenis hom. 5. in Iudic. Non, inquit, in initijs statim discipulis de profundis, & secretioribus, tradendum est sacramentis, sed morum correctio, disciplina emendatio, religiosa conuersationis, & simplicis fidei prima eis elementa traduntur. hæc Origen. Tertio, ut in hoc discipuli suam imperitiam agnoscerent, & non propriae virtuti, sed diuinæ, perfectionem quam habuerunt, tribuerent: & nos in eis hoc idem disceremus. multum enim humana imbecillitas manifestatur, quando tanto magistro praesente, adhuc multa sunt, quæ capere, & portare non possunt. Multa dici in hac parte possent, sed ad intelligentiam huius sententia hæc dicta sufficiant.

D Vni tantum obiectioni respondendum est, nam si diuinitatem Christi portare poterunt, poterant & alia. Respondeo, si singula per se sumas, poterant; at si omnia simul, minime, donec vires per Spiritum sanctum mentis, & affectui eorum adderentur: potest enim homo mille libras ferri portare; si diuidas, modò hanc, modò illam; tamen simul non potest. & potest intellectus multas difficultates assequi, & percipere diuisas, at simul non potest. discipuli autem multa iam acceperant diuina mysteria, cum quibus alia noua accipere non poterant, nisi auctis viribus per Spiritum sanctum; propterea dicitur, *non potestis portare modò*. Intelligi, modò, id est, non accepta maiori perfectione, & simul cum his, quæ iam didicistis.

E Vni tantum obiectioni respondendum est, nam si diuinitatem Christi portare poterunt, poterant & alia. Respondeo, si singula per se sumas, poterant; at si omnia simul, minime, donec vires per Spiritum sanctum mentis, & affectui eorum adderentur: potest enim homo mille libras ferri portare; si diuidas, modò hanc, modò illam; tamen simul non potest. & potest intellectus multas difficultates assequi, & percipere diuisas, at simul non potest. discipuli autem multa iam acceperant diuina mysteria, cum quibus alia noua accipere non poterant, nisi auctis viribus per Spiritum sanctum; propterea dicitur, *non potestis portare modò*. Intelligi, modò, id est, non accepta maiori perfectione, & simul cum his, quæ iam didicistis.

Cum

Si Apostoli portare poterunt reuelationem diuinitatis Christi cur non possent & cetera.

Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.

COMMENTARIUS.

Superiori sententiæ adiuncta sunt hæc verba, quibus utilitas Spiritus sancti aduentus declaratur. *Multa, inquit, sunt, quæ non potestis portare modò, cum autem venerit ille nempe Paracletus, qui est, Spiritus veritatis, docebit vos, omnia hæc, quæ dicenda supersunt. hic est verus sensus docebit omnem veritatem, nempe ea omnia manifestabit, quæ modò habeo dicenda, & quæ, quia portare non potestis modò, non dico: hacque ratione eritis instructi, & perfecti in omni doctrina mea, quam ego Ecclesiae meae manifestare intendo. hæc est, quam omnem veritatem dicit, nempe quæ ad credenda, & facienda, Ecclesiamque regendam pertinent. Aduerte circa literam illud, cum venerit ille, non adiungi cum Spiritu: nam Græcè Spiritus est alterius generis, quàm, ille, sed refertur ad Paracletum, cum venerit ille, nempe Paracletus, additur, Spiritus veritatis, tanquam causa sequentis, nempe cum sit, Spiritus veritatis, docebit vos veritatem completamque doctrinam. præterea verbum docebit, Græcè potius significat deducet, deducet vos in omnem veritatem. & Aug. tract. 96. utroque modo legit, nempe docebit, & deducet. & Ecclesia in quadam oratione de festo Pentecostes canit; Mentis nostras, quæ sumus Domine, Paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem. Idem quidem est sensus, tamen aliquid maius in verbo deducet insinuari videtur, quod in annotatione sequenti explicabitur.*

Quia Paracletus est Spiritus veritatis, omnia vobis docebit.

ANNOTATIO XX.

Tertulianus & Gnostici non habentis vsuuntur.

Circa superiorem sententiam aliqua sunt annotanda; primum est, esse Tertulianum in libr. de Monogamia, qui hanc sententiam sic interpretatur, ut ita promissus sit Spiritus sanctus Ecclesiae, ut etiam contraria his, quæ Apostoli docuerunt, alijs temporibus reuelaret. hac ratione tuebatur non licere secundas celebrare nuptias, quamuis Apostoli eas probarint: dicebat enim Spiritum sanctum promissum ut doceat omnem veritatem, sic docuisse per Montanum & Priscillam, quos verè Ecclesia ut hæreticos damnauit; & in hoc lapsus est Tertulianus. Verum quidem est, hanc promissionem non Apostolis solis, sed etiam Ecclesiae esse factam: adest enim Spiritus sanctus semper docens necessaria, tamen in dogmatibus stabiendis, non contraria, sed inter se conuenientia semper docet: aperit quidem, quæ ante non erant nota, aut non distincta habebantur, sed non pugnancia: quæ autè ad ritus, & leges pertinent positivas, pro temporum, & personarum mutatione, statuit Ecclesia interdum contraria seruanda: non enim omnia omni tempore, & loco conueniunt; at in his, quæ ad credendum pertinent, eadem semper, nec contraria docet; quamuis multa, ut dixi, de nouo explicet, & decernat, quæ prius non erant stabilita: in eis tamen nulla est contradictio. Hac etiam sententia Gnostici hæretici, & alij impij abutebantur. ut refert Aug. hæ. 97. ut multas fabulas, ac figmèta, dogmatibus veris religionis nostræ miscerent, dicentes impleri hoc; *Multa habeo vobis dicere, & Spiritus docebit omnem veritatem*: tamen errarunt grauitè: Spiritus enim non cõtraria, sed con-

Asona docet, & non per quoscunque homines, sed per Ecclesiam suam, & eos, quibus ipsius regimen demandauit. quorum primi Apostoli fuerunt, maximè autem Petrus eius Vicarius, successores sunt Pontificos Romani.

Apostoli cum multis modis à Spiritu sancto edociti sunt veritatè.

Secundò annorandum est, Spiritum sanctum multipliciter discipulos in omnem deduxisse veritatem, Principio, multa quæ à Christo audierant, & obliuierant, in memoriam perfectè reducendo; quo Spiritu Euangelistæ dicta, & facta Christi perfectissimè scripserant, ut nec verbum excideret. Deinde Christi verba, & facta, quorum multa prius non intellexerant, explicando, & declarando. Tum multa alia, quæ Christus non expressit, nec docuit, docendo & illustrando; siue quæ ad dogmata siue quæ ad mores, siue quæ ad regimen Ecclesiae pertinebant. Demùm veteres scripturas, & prophetias, quæ de Christo erant, aperiendo, & verum, ac legitimum sensum exponendo. His modis veritatem Spiritus sanctus omnem docturus. nunc promittitur Apostolis.

Ecclēsiā autem suam modò etiam docet verum sensum scripturarum in his, quæ ad fidem & mores, & rectam Ecclesiae gubernationem pertinent, & necessaria sunt, aperiendo: ut nec in fide, nec moribus, nec gubernatione necessaria deficere, aut errare possit.

Verbum deducere, quid indicet.

Tertio annotandum est, Verbum, deducet, ducere, quid quod codices Græci habent ἰδὴσαν multa insinuare. In primis non sunt audiendi hæretici, qui hoc verbo tuebantur suum errorem, Spiritum sanctum creaturam esse dicentes: nam deducere, inquit, est verbum ministerij, ut refert Basilius libro de Spiritu sancto

cap. 19. at errant; non enim est verbum dedecens Deum, sed maximè conueniens ipsi. quod confirmat illud Psal. 70. vbi de Deo dicitur: Deduxisti populum tuum, sicut oves. Primò igitur hoc verbo insinuat modus, quo Spiritus docet veritatem: oportet enim hominem cooperari, & quod suum est facere: non enim temper Spiritus sanctus reuelat mysteria, nisi ex parte nostra opus nostrorum accedat. sic Act. 15. legimus Apostolos magnam fecisse inquisitionem ex scripturis, inter se, an lex esset cum Evangelio seruanda: facta autem inquisitione Spiritus sanctus verum manifestauit. hoc est deducere: nam aliud est portare, aliud ducere: ducimus eum, qui sua etiam opera venit: hac de causa Concilia congregantur in Ecclesia, studium, & diligentia humana in inquirenda veritate adhibetur: Spiritus sanctus autem est, qui illuminat, & aperit veritatem. Secundo insinuat motus quidam, & successio: nam non semel, & sta-

tim omnia aperit, sed successu temporis; nec Apostoli in die pentecostes omnia nouerunt: postea enim multa inquisuerunt; quæ paulatim pro indigentia & temporum, & personarum necessitate Spiritus sanctus Ecclesiæ reuelat. Sanè modò sunt multa Ecclesiæ reuelata, quæ prius non erant distincta & aperta, hæresibus & erroribus hominum id postulanti- bus: deducit ergo nos in veritatem. Tertio insinuat assistentia, & præsentia Spiritus sancti deducentis; dux est nanque, & gubernator, continuoque adest Ecclesiæ suæ; nec errare finit. Quarto insinuat Ecclesiã nunc esse in via, & quasi militare. dux enim viæ & militiæ esse solet; ambulat nunc, & militat Ecclesia, quam Spiritus sanctus ducit, viam veræ demonstrans, contra aduersarias potestates decertans. Quinto insinuat arbitrij libertas; ducimur enim spontanei, & liberi, non vi, sed efficacia Spiritus sancti. rectè igitur dicitur, *deducet vos in omnem veritatem.*

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcūque audiet, loquetur.

COMMENTARIUS.

Sententia hæc causam cõtinet præcedentis, id quod particula, *enim*, significat. cuius autem rei causa sit, attentè considerandum est. Dixerat se habere multa dicenda, quorum tunc capaces non erant: Spiritum autem sanctum hæc omnia docturum, & completam, ac integram veritatem, & doctrinam eis traditurum. Diceret aliquis, vnde sciemus, illum hæc eadem locuturum completurumque doctrinam tuam. & hæc, quæ habes dicenda, docturum? adijcit causam: quia, *non loquetur à semetipso, sed quæcūque audiet*, nẽpe à me, hæc loquetur. quasi diceret; quia scientiam, & omnia quæ tradet, à me habet, nec sine me loquitur, sicut nec sine me est. Aduerte sicut filius non dicitur facere aliud, quàm quod facere Patrem videt, quia potentiam habet cum Patre vnã cum essentia, & simul cum ipso operatur; ita Spiritus sanctus audire dicitur quæ loquitur, & non à seipso loqui, quia essentiam, & scientiam habet à filio, & à Patre, & vnã cum ipsis est, & loquitur. Posterior pars, nempe, *Quæcūque audiet loquetur*, priorem declarat: est enim antithetum illi *non loquetur à semetipso*: nam non loqui à semetipso, est audire ab altero, quæ loquitur, & docet: audire autem ab altero, non est aliud, quàm scientiam, & essentiam ab alio accipere, & vnã cum eo loqui, scire, & esse. Attende, rationẽ hanc vim nõ habere nisi intelligamus spiritum audire à filio: nam probat Dominus Spiritum sanctum ea locuturum, quæ ipse dicenda habet, & completurum doctrinam ipsius, quia non à semetipso loquitur, sed, quæ audit, loquitur: ergo necesse est exponere Spiritum audire à Filio, cuius doctrinam completam traditurus est. & inde sequitur apertè Spiritum sanctum à Filio etiam procedere; non enim dici potest audire à Filio, nisi scientiam, & essentiam ab ipso accipiat.

ANNOTATIO XXI.

Proxima sententia quomodo superiori- bus conuenit.
 Chrysoft. hom. 77. hanc sententiam sic connectit; ne quis Spiritum maiorem filio existimaret, audiens eum docturum multa, quæ filius non tradidit, adiuncta est sententia; *Non loquetur à semetipso, sed accipit à me, quæ loquetur.* Sed connexioni huic repugnat particula causalis *enim*, quæ indicat causam præcedentium. Idcirco legitima est connexio commentarij, quàm sequimur cum Cyrill. libr.

10. cap. 41. & Ambro. libr. 2. de Spiritu sancto cap. 12. Quantum autem ad expositionem attinet, Ambrosius eodem loco sic interpretatur; Non loquetur à semetipso; id est, non sine Patris, & mea communionem loquetur. & libr. 5. de Fide cap. 6. verbum, *audiet*, eodem modo exponit, vt sit sensus; non loquitur, nisi quæ audit, id est, simul ipse, & Filius, ac Pater loquuntur. quæ doctrina est, Didimi

Didimi lib. 2. de Spirit. sancto. vbi docet propter vnitatem & communitatem substantiæ dictum esse; Filium non facere, nisi quod viderit facientem; Spiritum sanctum non loqui, nisi quod audiet; & filium quod audit, indicare, similiter à semetipso non loqui. In his omnibus inseparabilem operationem propter vnitatem essentiæ significari dicit. At ista interpretatio non est perfecta: non enim hæc locutiones solam communionem substantiæ indicant, sed processionem: nec enim, quia solus non loquitur, dicitur à semetipso non loqui: nam si pater esset, qui hoc loqueretur, solus nõ loqueretur, sed simul Filius, qui eiusdem est substantiæ; tamen non diceretur Pater non loqui à semetipso, non diceretur audire, quæ loquitur: igitur non loqui à semetipso, & quod loquitur audire; non tantum significant, solum non loqui, sed procedere etiam ab eo, qui cum ipso loquitur: nam præter vnitatem essentiæ, etiam processio significatur. Cyril. loco proximè citato, & Chryso. exponunt sic, *Non loquetur à semetipso*, id est, non contrarium loquetur ijs, quæ docui, nec aliena, sed eadem, quæ ego habeo dicenda. At nec ista expositio

accommodata videtur: nam hoc est, cuius causam sententia ista reddit: nempe docturum Spiritum sanctum non aliena, nec contraria, sed eadem, & doctrinam Christi completurum. Sensus igitur huius sententiæ ex Antithetico colligitur, *sed quæcūque audiet loquetur*, hoc igitur est, nõ à semetipso loqui, audire ab alio, & accipere, quæ loquitur: Audire autem ab alio, est accipere scientiam ab eo: hanc enim cum essentia accipit Spiritus sanctus à Patre, & Filio: & tunc optima ratio est, cur Spiritus sanctus docebit ea, quæ Christi sunt, & doctrinam eius manifestabit, quia non loquitur Spiritus sanctus, nisi quæ à Filio audit: ab ipso enim procedit, ab ipso essentiam & scientiam omnem accipit, quia consubstantialis ipsi, & ab ipso procedens est. Iste est legitimus sensus, quem sequitur Aug. tract. 99. rectè annotans, Christum audire dici, non solum, vt Deum, quia à Patre accipit scientiam, sed vt hominẽ, quia vt homo à diuinitate habet scientiam; & Spiritus sanctus cum non habeat naturam assumptam, audire dicendus est, vt Deus, quia vt Deus à Patre, & Filio, à quibus procedit, accipit scientiam.

Et, quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.

COMMENTARIUS.

Persequitur hanc aduentus vtilitatem exponere. *Non solum*, inquit, *docebit vobis omnem veritatem, sed quæ ventura sunt annuntiabit*. id est, Spiritum prophetiæ, quo futura cognoscatis, infundet, vt nihil temerè, nec præcipitanter agatis: ad prudentiam enim & actionem humanarum dilectionem, nosse futura maximè conducit: hoc etiam, & ipse Spiritus vobis adferet. Appositè autè Dominus hoc argumento animos eorum allicit: vt enim Chryso. hom. 77. inquit, humanus animus rerum futurarum præcognitionis maximè est avidus, & discipuli multa hoc desiderio excitati interrogarunt, vt ex historia ipsa Evangelica constat, non tamen vt humanæ auditati satisfaceret, sed quia id Ecclesiæ vtilissimum tunc erat, Dominus Spiritum prophetiæ Apostolis, & multis alijs concessit. Attende alia etiam de causa adiunctam esse hanc sententiam, nempe quia dixerat: *Omnis, qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo*, significans eos morte afficiendos, ne de hoc solliciti nimium essent, desiderantes tempora determinata scire, & loca, & modum dicit ne solliciti sitis de his, quæ ventura prædixi: nam Spiritus sanctus adueniens hæc omnia annuntiabit vobis, vt non temerè, nec imprudenter in ea incidatis, sed ex diuino consilio.

Ille me clarificabit.

Tertia vtilitas aduentus Spiritus sancti hæc est: præter redargutionẽ mundam, præter doctrinam, qua vos imbuet, & perficiet, erit etiam hoc; quod, *Ille me clarificabit*, id est, manifestabit me, & aduentum meum mundo: hæc enim veluti incognitus mundo fui; fabri filium me existimauit; at ille me quis sim aperiet, meam diuinitatem, & me esse Dei filium, qui carne a sumpta pro mundo redemptione mortem subij omnibus annuntiabit, & manifestabit: vnde futurum est, vt mundus me postea honoret, colat, veneretur vt par est. Ita Cyril. libr. II. cap. I. exponit. hoc autem expedit etiam vobis: tanto enim vos illustriores, & gloriores efficiemini: quandoquidem gloria magistri est gloria discipulorum, gloria Domini, gloria est seruorum, honor Patris & honor est filiorum. Attende potuisse filium se clarificare ante aduentum Spiritus, sed noluit; quia moriturus pro nostra venerat salute: hoc opus

Verus sensus huius loci.

Dicit ab eo, quod futuram cognitionem promittit.

Claritas est gloria Christi in gloria & vilitate Apostolorum redundans.

quomodo Spiritus sanctus clarificet Filium Dei.

aduenienti Spiritui reliquit. Glorificat autem Spiritus sanctus filium, nō vt seruus dominum, sed tanquam ei consubstantialis, sicut & Pater Filium, & Filius Patrem glorificat, seu clarificat, vt notat Basil. libro de Spiritu sancto ca. 18. docens clarificare alterum, & maiori, & minori cōmune esse. nam & nos Deum, & Deus nos, & Deus Deum glorificat, quamuis non sit eadem clarificationis ratio. August. tract. 100. clarificasse dicit Spiritū sanctum filium, & per Apostolorum prædicationem, & infundendo etiam lumen, & charitatem cordibus fidelium, vt Christum agnoscant, & venerentur.

Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

*Singula horū
verborum ex
penduntur.*

CAUSAM reddit præcedentis sententiæ, & est sensus; Ille me manifestabit, & clarificabit, quia, quæ diuinitatis meæ sunt, accipiet, & vobis, ac per vos mundo declarabit, & nota faciet. Sunt verba attentè consideranda. In primis hoc, quod appellat, *Meum*, diuinitas est, idcirco Græcè articulus est: *De illo meo accipiet*, Rursus non dicit, *illud meum accipiet*, sed, *de illo meo*, quia hoc verbiū *accipiet*: coniungitur cum sequenti, nempe accipiet, vt declaret, & annuntiet vobis; at Spiritus sanctus non omnia, quæ diuinitatis sunt, annuntiavit: nec enim fieri potest hominē diuinitatis omnem perfectionem assequi fide, quando nec beatis id est datum: idcirco dicitur, *De meo illo accipiet, & annuntiabit*. Deinde non est dictum, *De illo meo annuntiabit vobis*, sed, *accipiet, & annuntiabit*, quia ita Spiritus sanctus filij diuinitatē annuntiat, vt eam in te à Filio ipso accipiat: procedit enim à Filio simul, & Patre: & quamuis ab aternō accipiet, & habeat diuinitatem, dicitur tamen de futuro, *accipiet*, vt se accommodet tempori, quādo annuntiaturus est. nam & æternitas omne complectitur tempus, præsens præteritum, & futurum, vt supra annotauimus: & ita vnum tempus exprimitur, vt alterum nō excludatur, accipiet, & accepit, & accipit, *Accipiet*, autem in futuro dictum est, quia *annuntiabit*, de futuro. Præterea non intelligas accipere Spiritum sanctum, *de meo*, quasi non accipiat totam & perfectam diuinitatem: accipit enim eandem, quam habet filius: sed ratione effectus annuntiandi positum est, *De meo*, vt diximus, quia non omnia annuntiavit. Sensus perfectus hic est, quia illud meum à me semper accipiens, de illo meo annuntiabit vobis. optimus ergo erit, & certus annuntiator, & clarificator Christi diuinitatis, qui eandem habet cum eo, & ab eo diuinitatem: nihil enim ignorare potest, quæ Dei sunt, qui ipse Deus est.

A N N O T A T I O XXII.

Partes exponunt verbum illud de meo accipiet.

VIDENTUR Doctores variè exponere illud, *De meo accipiet*, tamen re ipsa idem dicunt. Didimus lib. 2. de S. sancto ad identiam, & substantiam, seu diuinitatem refert, quam Spiritus sanctus à Filio accipit, & in qua vnum est cum eo: quam interpretationem nos secuti sumus, & est Gregorij Nazianz. orat. de fide. Cyril. autem lib. 11. cap. 1. & lib. 13. thesaur. cap. 4. ad voluntatem, & scientiam refert. vt sit sensus; nō alia annuntiabit, quā ea, quæ ego volo, & docui: quia eadem est voluntas, & doctrina, ac scientia mea, & ipsius. Ex hoc rectè sequitur, si eadem est voluntas, erit & substantia: nam voluntas, in Deo substantia eius est. Chrysost. hom. 77. duas adfert expositiones; vna est eadem cum Cyril. vt ad cognitionem referatur, nempe accipiet de mea cognitione, quia vna est vtriusque cognitio, huic & Euthym. consentit. altera est, quam breuibus attingit verbis, vt, *meum*, sit gratia, quam per carnem, Filius operatus est, nempe redemptionem, & salutem hominum: hanc Spiritus sanctus annuntiavit mundo; & ideo accipere, & clarificare dicitur Christum. Huic expositioni v-

Anum obstat, quia non erat, cur diceret, *de meo accipiet*, sed *de meo*, aut *meum*, *annuntiabit* illud accipiet, indicat id Spiritum sanctum habere à Filio nempe diuinam naturam, quam mūdo annuntiavit, & hæc est communior expositio.

Aduerte rursus circa eadem verba. Cyril. lib. 13. thesaur. cap. 4. refert hæreticos his verbis abufos *de meo accipiet* idemque refert August. tract. 100. quia enim dictum est. *Accipiet, de meo* asseruerunt Spiritum sanctum participatione esse sanctum, non naturam; nam quod accipit ab altero participatione, non natura tale est. Filius est à Patre; Spiritus sanctus autē à Filio, quasi quibusdam gradibus accipit. At isti erant non attendentes quod accipitur, & quod datur, vnum & idē esse, quod est in dante, vt nec priuatur dans nec aliud accipiat, cui datur; sic Filius accipit eandem diuinitatem à Patre; Spiritus sanctus autem à Patre, & Filio. Illud autem tēpus futurum, qua ratione sit positum, in commentario expositum est: non enim accepturus dicitur, quasi nondum accepit, sed quod æternum est, diuersis temporibus accommodatur, iuxta eorum rationē, de quibus sermo fit.

Omnia

Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

C O M M E N T A R I V S.

TAcitæ obiectioni respondet, nimirum cum essentia quam Spiritus sanctus accipit, sit Patris: nam à Patre procedere dictus est, cur Filius suam dicit, *De meo*, inquit, *accipiet*? Respondet, eadem est essentia Patris, & mea: omnia, quæ patris sunt, mea etiam sunt: nec excludo Patrem, quādo meum hoc dico, sed vnam vtriusque substantiam, & essentiam ostendo. Illud autem, *Omnia, quæcunque Pater habet, mea sunt*, peruersè intelligebat Sabellius, & similes hæretici: inferebāt enim, ergo Filius est Pater; at sophisma hoc est, vt rectè docet Didymus lib. 2. de Spiritu sancto: nam qui dicit, *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt*, distinctionem supponit inter se, & Patrem, aliter nō diceret, *quæ Pater habet, mea sunt*, sed ego sum Pater. Cætera ergo omnia, præter esse Patrē, & Filium, in quibus distinctio est, eadē sunt Patris, & Filij: nam Luc. 16. dixit Pater filio illi prodigo, *Omnia mea tua sunt*, tamen non inde inferenda est identitas personarum. Nec possessionem aliquā intelligas in his Domini verbis, quando dicit, *Omnia quæ habet Pater*, sed naturam, & essentiam ipsam: quod enim est Pater, & est in Patre, totum est Filius, & est in Filio, seruata distinctione Patris, & Filij.

A N N O T A T I O XXIII.

Contra Græcorum errorem, de processione Spiritus sancti, etiam à Filio.

INTER Græcorum errores, quos contra Romanam Ecclesiam à multis iam annis defendunt pertinaciter, hic est vnus, & præcipuus; nempe Spiritum sanctum à solo Patre procedere, non à Filio. Convenerunt quidem Græci & Latini in Concilio Lugdunensi, & Symbolum acceptarunt articulo hoc exposito, *ex Patre, Filioque procedit*; tamen in errorem pristinum citò relapsi sunt. Iterum multo post in Conc. Florentino cōgregati sunt omnes, & eadem acceptarunt fidem, tamē non in ea peristerunt, sed ad vomitum reuertentes Spiritum sanctum à solo Patre procedere profitentur, mediæque luce cœcutiunt. Si autem totam eorum causam consideres, non alia inuenies fundamenta, quā duo.

Græcorum fundamenta.

Primum & præcipuum apud eos est, quia in Conc. Nicæno illo magno, vbi Symbolum fidei solemne est stabilitum, nihil addendum, aut mutandum præceptum est, ibi habetur articulus hic; *Credo in Spiritum sanctum, qui à Patre procedit*; non ergo debet apponi, & *Filio*. Alterum est, quia scriptura sacra nullibi habet Spiritum sanctum à Filio procedere, sicut à Patre. nam dicitur, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*. Hæc sunt præcipua fundamenta; at quam infirma ista, & debilia sint, satis apertè probatur ex ipsorum Græcorum antiquis, & celeberrimis Patribus. Quantum igitur ad prius fundamentum eorum attinet, aduertendum est maximè, quod Basiliius de Nicæno hoc Concilio scribit in quadam epistola, quæ continet exemplar fidei, quæ Basiliius Magnus prædicauit, cui Eustratius Episcopus subscripsit, & est numero inter alias, quæ eius volumine circumferuntur octaua & septuagesima; ibi de Conc. Nicæno; & Symbolo recitato & relato hæc subiungit verba; *Sententia de Spiritu sancto in transcurso sine omni*

Adiligentia posita est, propterea quod nondum mota esset quæstio, sed adhuc credentium mentibus securus, ac nullis obiectus insidijs infuset de Spiritu sancto intellectus. hæc & alia Basiliius. Perpende Concilium Nicænum causa tractandi de Filij consubstantialitate præcipuè congregatum fuisse, ideoque de Spiritu sancto non fecisse diligentem tractationem, sed ea dixisse, quæ erant tunc sine controuersia recepta. Cum autem verba in Eūangelio legissent, *à Patre procedit*, ea posita fuerunt in Symbolo nulla alia inquisitione facta: certū enim erat ea esse vera. Quod ergo obijciunt Græci, Symbolum hoc Nicænum, vt probent Spiritum sanctum non procedere à Filio, quia dictū est; *à Patre procedit*, cum in eo Concilio non sit tractatum de Spiritu sancto, quia non erat tunc vlla mota controuersia, non est, cur Græci nihil in hac parte adiungendum contentant. Hæc fuit causa cur antiqui Patres aliqui non fecerunt in suis scriptis expressam de hac re mentionem. At postquam controuersia excitata est, & oborti errores, eadem Ecclesia, quæ eiusdem est potestatis, in duobus Concilijs generalissimis diligentissima facta inquisitione decreuit; proponendum esse articulum; *Qui ex Patre; Filioque procedit*; non contraria apponens, sed supplens, & adiungens consona. Nec enim Concilium Nicænum dixit, ex filio non procedere, aut ex solo procedere Patre, sed tantū dictum est, ex Patre procedit, quod verum est.

Accedat huic rationi etiam secunda; si contra Concilium Nicænum agit, qui aliud dicit, quā quod ibi definitur, *ex Patre procedit*, egerunt ergo antiqui Patres, quibus refragari nefas est, loquor autem de Græcis, qui affirmarunt procedere à Patre per Filium: hoc enim illud Concilium non habet; at id asseruerunt.

Ratio sumpta ex auctoritate Græcorum Patrum.

ruerunt Athan. epist. ad Serapionem de Spiritu sancto. Cyril. libr. 11. cap. 1. & libr. 10. cap. 13. Accedat tertia ratio, nō solum per Filium, sed à Filio ipso simul & Patre procedere, afferuerunt & docuerunt Didymus lib. 2. de Spiritu sancto, cuius inter alia multa hæc sunt verba; Non loquetur, à semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio: quia inseparabilis est à mea, & Patris substantia, quia non ex se est, sed ex Patre, & me est; hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, à Patre, & me illi est. & iterum; Neque enim quid aliud est Filius, exceptis ijs, quæ ei dantur à Patre, neque alia substantia est Spiritus sancti præter id, quod ei datur à Filio: tantum Didymus. Præterea Cyril. in epist. Synodali Concil. Ephesini, à Patre, & Filio profluere Spiritum sanctum docet: neque est, quod negent Græci, epistolam esse Cyrilli, quæ à tota Synodo est probata, & ipsius Cyrilli doctrinæ conformis: nam lib. 13. thesau. ca. 2. habet hæc expressa verba; Ex Filio naturaliter, & essentialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre provenire credimus: & paulò ante, Spiritus sanctus ex ipso Filio, & in ipso naturaliter existit. quibus verbis simul docet, quando affirmavit procedere per Filium, non propterea se negasse procedere à Filio. Vti enim diximus superius, quia Filius habet à Patre producere Spiritum sanctum; ideo dictum est ab antiquis Græcis procedere per filium, quod nos etiam concedimus. His igitur rationibus fundamentum prius infirmum esse, satis constare potest.

Ex scriptura probatur spiritum sanctum procedere etiam à Filio.

Posteriori autem fundamentum non est minus infirmum, & debile, imo debilius multo, quando ex ipsamet scriptura eorum error conuincitur. Scriptura, inquit, dicit; qui à Patre procedit; unde igitur nos habemus eum etiam à Filio procedere? Respondeo, ex eisdem verbis; nam iam à Filio dicta erat; *quem Ego mittam*, ut ibi explicuimus: & ipse Cyrillus verba illa, *Spiritus veritatis*, exponit Spiritum Filij, quia per ipsum procedit. Non igitur erat opus, cur repeteret, qui ex Patre & me procedit. iam enim

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me: quia vado ad Patrem.

COMMENTARIUS.

Ratione ab utilitate aduentus Spiritus sancti sumpta, Dominus suos consolatus est discipulos de discessu: nūc noua ratione idem efficit, qua imminētem passionem, & mortem suam, simul etiam celerem resurrectionem ostendit, ut breuitate doloris, & gaudij longitudine, consolationem recipiant. Sensus est autem, post modicum temporis non videbitis me, quia nēpe citò passurus sum, & moriturus; sed post alterum modicum me videbitis, quia citò etiam post mortem resurgam à mortuis, & me vobis videndum exhibebo. Causam sui dicti adiūgit, *Quia vado ad Patrem*, consideranda est causa; vadit enim ad Patrem Christus per mortem, & resurrectionem; vtrumque enim comprehendit hæc via ad Patrem: nam resurgens ad cælos ascendit; at non resurrexit nisi ex morte: dum ergo dicit, *vado ad Patrem*, indicat vtrumque, mortem scilicet, & resurrectionem. Dum autē præsentis verbo utitur, *vado*, celerem mortem, simulque resurrectionē significat, quasi diceret, iam iam vado. Totus ergo sensus, ac si clarioribus verbis expositus esset, hic est; post pau-

Vt suos consolatur, breuiter dicitur se esse promittit.

A de se procedere asseruerat, & tantum supererat de Patre explicandum. Quod si dicant, non haberi hæc verba in Euangelio, ex Filio procedit, sicut habentur de Patre. Vana hæc obiectio est: nam nec ipsi habent, per Filium procedere, & tamen admittunt, propter Patrum doctrinam. Sed vera responsio est, etiam si verba hæc non habeantur, sensus tamen habetur. Simile obiciebat Athanasio Arius, quia non erat vocabulum Homousion in scriptura, ut patet ex disputatione coram Probō philosopho, & tamen iudicatum est, parum de nomine curandum, si modò res, & sensus in scriptura sit. Idem nos nunc dicimus; scripturæ enim à Filio etiam procedere Spiritum sanctum, vel intelligere nolentibus ostendunt; verbaque, quæ hactenus exposuimus, id confirmant; de meo accipiet, quid enim est aliud Spiritum sanctum accipere à Filio, quod eius est, nisi ab eo procedere? nunquam profectò poterunt Græci aptè, & conuenienter verbum hoc exprimere accipiendi, nisi processione fateantur. Sed accedat ipsius Christi confirmatio; *omnia quæ Pater habet, mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet*. Si omnia Patris, præter esse Patrem, habet Filius, & Pater spirat, & producit Spiritum sanctum, ergo & Filius, si enim id Pater habet, & non Filius, iam sequetur aliquid habere Patrem, quod non habeat Filius. Insolubile est argumentum hoc. Præterea multis scripturis Spiritus Filij, & Spiritus Patris dictus est; quid est hoc, quod sit Spiritus Filij, & non solius Patris nec sui ipsius? Aliud responderi, nec intelligi potest præter originem, quia ab ipso est, quo argumento Basilius ille magnus lib. 2. contra Eunom. probat ab utroque esse Spiritum sanctum contra eundem affirmantem esse à solo filio. Multis rationibus, & argumentis hæc veritas confirmari posset, sed longè à nostro instituto diuagaremur; pro huius sententiæ declaratione & confirmatione dicta sufficienti in nostris enim theologicis disputationibus abundanter aliquando de hac re egimus.

paululum nō me videbitis, & post paululum iterum me videbitis, qui a iam iam moriar, & resurgam, ut me videre possitis; sic enim ad Patrem vado. Hic est legitimus sensus.

ANNOTATIO XXIV.

Nonnullæ explicatio innotat.

CYRIL. libr. 11. cap. 3. Chrysof. hom. 78. *Modicum*, prius exponunt de tempore breui instantis mortis, ut sit sensus; parum superest temporis, post quod moriar, & oculis vestris me subtraham: alterum, *modicum*, exponunt de illo tempore breui, quo mansit subtractus ab oculis discipulorum mortuus: post quod breue tempus resurrexit. Et id nos secuti sumus in commentario. August. verò tract. 101. quamuis hanc prius expositionem proposuerit, tamen postea mutat, & aliter modica hæc interpretatur; nempe ut primum sit vsque ad ascensionem, sitque sensus; post *modicum* tempus, quod est vsque ad ascensionem meam, non me videbitis; ac si clarius diceret; breui ascendam ad Patrem, & non me videbitis: secundum autem, *modicum*, ad tempus refert ab ascensione vsque ad diem iudicij, quod modicum est collatione æternitatis, & modicum in scriptura dicitur, ut superius annotauimus: ut sit sensus; post alterum modicum ab ascensione vsque ad finem sæculi, me videbitis. Illud autem, *quia vado ad Patrem*, coniungit priori modico.

Vt intelligitur propositio.

Accommodatior est tamen expositio prior; Dominus enim consolatur discipulos, ex his quæ proxima sunt. præterea dura esset locutio in verbis coniunctis, & similibus tantam esse differentiam, ut primum modicum sit breuissimum, alterum longissimum: cum Dominus ex æqualitate modicorum argumentum sumat discipulos confortandi. Adde particulare quid in his verbis promitti discipulis, *videbitis me*, illud autem omnibus etiam malis commune est: igitur ad tempus mortis breue, & celerem eius resurrectionē hoc posterius modicum refertur. Alio præterea modo exponunt

aliqui, ut primum modicum sit ipsius mortis secundum verò à resurrectione vsque ad ascensionem, ut sit sensus; modico tempore non videbitis me, nempe dū mortuus fuero, & modico tempore me videbitis, quando resurrexero, quia vsque ad ascensionem me videbitis, quia ad Patrem vado. Sed hic sensus verbis non accommodatur: non enim dicitur; *Modicum me non videbitis, & modicum me videbitis, sed modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis*, id est, post modicum tempus me non videbitis, & iterum post modicum videbitis; differunt enim hæc duæ locutiones maxime, hæc *modicum non videbitis*, & illa, *modicum & non videbitis*, interposita coniunctione, prior significat modicum duraturum quod dicitur. Ioan. 13. *Modicum vobiscum sum; posterior* indicat post modicum, futurum esse quod dicitur, Ioan. 14. *modicum & me mundus non videt*, id est, post modicum fiet, ut me non videat: est enim Hebræa phrasis, Ose. 1. *Adhuc modicum, & suscitabo sanguinem Iezrahel*, id est, post modicum. Aggæ. 2. *Adhuc modicum & suscitabo cælum, & terram*. ita nunc dicitur, *modicum & non videbitis*, id est, post modicum fiet, ut me non videatis, & hic est sensus legitimus. Modicum ergo prius tempus est, quod vsque ad mortem intererat: post paululum enim mortuus est; posterius est à morte vsque ad resurrectionem, & hunc sensum secuti sunt Chrysof. Cyrillus, Euthymi. Theophyla. & nos in commentario. illud, *iam*, non legitur Græcè, quando autem hæc eadem verba repetita ab Apostolis narrantur, nec Græcè, nec Latinè legitur; iam.

Dixerunt ergo discipuli eius ad inuicem; quid est hoc, quod dicit nobis, modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

COMMENTARIUS.

NON intellexerunt discipuli verba Domini; nec enim mortem & passionem eius imminere, nec celerem eius resurrectionē sciebant; quando enim prædixit Matth. 20. mortem, & resurrectionem suam, adhuc discipuli non intellexerant, quia non sibi persuadebant Christum, quē innocentissimum nouerant, quasi malefactorem occidendum esse. Cū igitur hæc non intellexerint, etiam non perceperunt verba præsentia, quibus huius mortis, passionis, & resurrectionis horam iā proximam, & imminentem esse significauerat: maxime cū poena pacificè & securè peracta, noctisque tempus procedens, omnis periculi suspicionem amouerit. Attendē autem verba; duo enim difficultatē & obscuritatem ingerebant. Vnum est, hoc modicum *quid discipulis esse intellectū difficultis*. repetitū *Modicum & non videbitis, & iterum modicum & videbitis me*, quid modica hæc post quæ visuri, & non visuri essent eū, significarent, nō assequerantur. Alterū est illud, *quia vado ad Patrem*, nesciebant enim qua ratione coaptaretur hæc

hæc causa sententiæ dictæ, nempe quod visuri, & non visuri essent, quia ad Patrem vaderet: denique nec sententiam, nec causam sententiæ perceperunt: idcirco vtrunque inter se mutuò inquirunt, si fortè possent sermonem Domini inuicè consultantes intelligere. Dicunt ergo, *Quid hoc est, quod dicit; modicum & non videbitis me, & modicum & videbitis*: similiter, quid est hoc, quod dicit, *quia vado ad Patrem*? non quærunt, quid sit, quod ad Patrem vadat: iam enim audierat sæpè, sed inquirunt, qua ratione, & quo modo coaptetur hoc; non videbitis, & videbitis post modicum, quia vado ad Patrem. Particula, *ergo*, indicat discipulos hæc locutos esse, occasione præcedentis sententiæ Domini, quia sensum eius non erant affecti.

Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus, quid loquitur.

Videntur superuacanea hæc verba, sed nō sunt: cum enim & de sententiâ, & de causa dubitassent verbis prioribus, ad sententiam se conuertunt, quasi ex ipsius intelligentia pendeat sensus, & intellectus cautæ: ac si diceret; tota difficultas est, hoc *modicum* assequi: si enim nos percipiamus semel, quid sit hoc *modicum*, tota sententiâ, & causa sententiæ, *quia vado ad Patrem*, facilis erit intellectu: at quia huius intelligentiâ nō assequimur, nescimus, quid velit totum hoc significare: hic est legitimus sensus horū verborum. Sciebat Dominus eos non affecturos huiusmodi verba, tamen ita ea voluit proferre, vt dubitantes & inquirentes, attentius responsionem considerarent, & firmiter obseruarent: quod enim laboriosè inquirimus, inuentum diligentius conseruamus; & quod interrogamus, seu de quo dubitamus, expositum libenti s & atētius audimus, & retinemus. Hac de causa Dominus prius rem significat obscuris verbis, & quæ percipere illi non possent: rursus, vt eis antequam interrogatus esset, responderet, & voluntatem eorum internam respiciens, verba præueniret, sicque suam potentiam, & diuinitatem eis confirmaret, quo fides eorum roboraretur: Eo enim tempore maximè discipuli fidei firmitate indigebant.

Quare obscuris verbis Dominus loquutus fuit.

Cognouit autem Iesus, quia volebāt eum interrogare, & dixit eis; de hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.

Cognoscens Dominus voluntates eorum, qui non intelligentes sententiam, & scire desiderantes ab ipso met intelligentiâ, & sensum accipere interrogando decreuerant, eos, vti diximus, in fide confirmare volēs præuenit, repetitque, quòd inter se mutuò dubitantes inquirebant; *de hoc*, inquit, *quæritis inter vos quia dixi modicum, &c.* nō repetit totum Christus, sed id in quo ipsi maiorē difficultatem patiebātur, nēpe in intelligenda sententiâ *modicum videbitis, & iterum modicum & non videbitis*; ex huius enim explicatione facile reliquum intelligebatur, repetit autem vt exponat.

Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos.

Obicuriâ sententiâ superiore declarat Dominus, & primum, *modicum*, exponit, *Plorabitis, inquit, & flebitis vos*. Verba hæc proximâ, & imminētētem habent significationem, ac si diceret; causa lacrymarum, & lamentationis vobis iam iâ imminet maior, quàm hæcenus habuistis; & hoc est *modicum, & non videbitis me*: cito enim mortē subiturus sum, eritque mea vobis mors lamentationis & lacrymarū causa. Quod dicit, *Amen amen dico vobis*, futuræ rei certitudinē indicat. Flendi verbum Græcum, potius lamentationē significat & hæc duo magnitudinem indicant doloris, qui tantus futurus prædicatur, vt ad signa exteriora prorūperet. Illud *Quia* declaratiōis est, loco quod.

His verbis explicat præcedentiâ illud, modicum & non videbitis me.

Mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini.

Vt dixerit *flebitis, & plorabitis vos*, clarius exponit, & in hoc mortē suam magis indicat, ac si diceret: dixi *vos flebitis*; Mūdus enim, id est Iudei mei perse-

persecutores gaudebunt, *vos vero contristabimini*, quod enim vobis causa tristitiæ, id lætitiæ & exultationis nostris erit persecutoribus, nempe mors mea: ideoque maior erit tristitia, fletus, & lamentatio vestra, quoniam noua adhuc causa præter mortem meam vobis accrescet tristitiæ: gaudium enim persecutorum meorum mirificè vos cumulabit dolore. Per mundum Iudæos de morte Christi exultantes exponit Cyril. lib. II. cap. 5. & Aug. tract. 101. & hæc est legitima explicatio: nam gaudium hoc opponitur tristitiæ discipulorum. Theophylact. per mundum interpretatur iustos omnes, quibus mors Christi futura erat causa salutis, & gaudij: hæc tamen expositio non est accommodata: nam discipulis etiam hoc gaudium commune fuit; non ergo erat, cur gaudium mundi opponeret tristitiam discipulorum.

Quid per mundum intelligat.

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Exponit secundum *modicum*, nempe, *modicum & videbitis me*, dicens *tristabimini* quidem, sed non in ea tristitia permanebitis; vertetur enim tristitia in gaudium: non solum cessabit & finem habebit tristitia, sed gaudium ei succedet. Resurgam enim, & videbitis me non sine ingenti animorum vestrorum consolatione à mortuis resurgere. Tacitè mundi gaudium in oppositam tristitiam conuertendum insinuat, non tamen expressit, quia discipuli contristati quidem sunt de gaudio, quod Iudæi in morte Christi conceperunt, tamen non sunt gauisi de tristitia, & dolore eorum, quo affecti sunt de resurrectione: non enim de malo proximi gauisi sunt, sed de resurrectione Christi. Hic est sensus huius explicationis Domini, suam sententiam exponentis.

Hæc sententiæ explicatio est illius modicum & videbitis me.

ANNOTATIO XXV.

Aliquæ dubia explanantur.

Pro perfectiori huius sententiæ expositione, sunt aliquot dubitationes illustrandæ. Prima est, cur Dominus non expressè eis dixit, *Amen dico vobis, ego moriar, & occidam*; sed vsus est hoc sermone, *vos plorabitis, & flebitis, & contristabimini*. i. per effectū indicans causā, nec dixit, *resurgam*: sed, *tristitia vestra vertetur in gaudium*. Respondeo, tacitè insinuare mortem, nō autem expressè significare voluisse tribus de causis; Prior est, ne eos nimium ante tempus affligeret, maximè quia citò moriturus erat, & tunc rem ipsam apertè erant intellecturi. Altera est, quia intendebat eorum dolori medicinam adhibere, propterea his verbis vsus est, vt præmoniti huius tristitiæ, & fletus, minus præsentem sentirent, sperantes futurum, quod dictum est, breui in gaudium vertendum. Tertia est, vt affectum suum erga eos exprimeret, quo agnito ipsorum fides magis roboraretur: multum enim ad fidem affectus valet: præsertim cum erga eos afficiamur facile; à quibus nos vehementer amari nouimus. hic autem Christi affectus in his verbis expressus, patefactus fuit discipulis in Christi morte: tunc enim nouerunt Christum plus fuisse sollicitum in medendo ipsorum tristitiæ, illos consolando, quàm de propria morte sua vitanda; quandoquidem eorum tristitiæ eos ante admonuit expressè, & leuamen adferre studuit.

Quæstio conuictus vultus tristis illis verbis, plorabitis, flebitis, contristabimini.

Altera dubitatio est, cur tribus vsus est verbis, *plorabitis, flebitis, contristabimini*, & postea de sola tristitia dictum est: *tristitia vertetur in gaudium*. Respondeo, tristitiam esse causam aliorum

duorum; Est enim animi dolori interior, à quo procedunt lacrymæ exteriores, & hoc est plorare, & procedunt gemitus, & voces lamentationis, & hoc est flere: nam Græcum vocabulum non tam flere, quàm lamentari significat, remota autem causa. effectus etiam tolluntur. si ergo tristitia vertenda erat in gaudium, cessatura erant lamenta, & lacrymæ. Tertia dubitatio est; cur admiscuit illud, *Mundus gaudebit*. Respondeo id factum, vt magis suam mortem significaret, quæ vt causa fuit discipulis doloris, ita mundus & increduli Iudæi de ea sunt mirificè gauisi, & lætati. Rursus, vt eos præmoneret, nē dum tantam multitudinem gaudentem in ipsius morte viderent nimium turbarentur, & hæstarent. Adhuc, vt significaret discipulis, non solam mortem Christi causam futuram tristitiæ; sed id etiam, quod mūdum visuri erant in eius morte lætari: vt sit sensus; *plorabitis, & flebitis*, propter mortem meam, *mundus vero gaudebit*, porro, *vos, de hoc mundi gaudio, contristabimini*. Non significauit autem expressè Dominus hoc mundi gaudium vertendū in tristitiâ, sed insinuauit tacitè, & à contrario: si enim tristitia discipulorum in gaudium vertenda erat, Iudæorū profectò gaudium à contrario esse mutandum in tristitiam consequebatur. Dominus autem id non expressit, vt diximus in commentario, quia discipuli non erant aliquod percepturi gaudium, de mūdī tristitia, sed de eius gaudio acerrimum dolorem sensuri.

Quare addit, mundus gaudebit.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressura propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

C O M M E N T A R I V S.

NON satis aperte verbis præcedentibus Dominus hæc tria expresserat, nempe tristitiam, & fletum iam esse imminet, & quasi præsentem, quia de futuro locutus est, quod incertum esse potest, an sit longinquum, an proximum. rursus hanc tristitiam citò vertendam in gaudium: deniq; hanc tristitiam, & gaudium futurum de morte, & resurrectione eius: sic enim non visuri, & postea eum visuri erant: hæc nunc Dominus exponit. utitur autem apposito exemplo, conferens parturienti discipulos mulieri: hæc enim dolet, & tristatur, tamen breui durat tristitia: subito enim genito puero gaudet, & adeo gaudet, ut præteritæ pressuræ non meminerit præ gaudio pueri nati: est ergo tempus partus, & tempus post partum; tempus partus breue est, & præcedit, tempus post partum longum est, & priori succedit: tristitiam ergo breuem, gaudium verò diuturnum esse oportet. Hæc discipulis Dominus sequentibus verbis accommodat, & per ea, quæ obscuris dicta sunt, illustrat.

*Christus ap-
possitissimo
exemplo, iã
dicta magis
declarat,*

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Accommodat exemplum suæ sententiæ. Nunc inquit, vos tristitiam habetis. sensus est, iam imminet vobis tristitiæ & lamentationis tempus, quãdo similes eritis mulieri parienti, quia non me videbitis propter mortem meam. utitur autem verbo præsentis, nunc habetis, ut imminet horam doloris illorum, & mortis suæ indicet, quasi iam adesset: quæ enim citissime futura sunt, adesse dicuntur. & hoc est prius modicum, *modicum & non videbitis me*, dolentes, & flentes propter meam mortem, similesque parturienti; sed citò, *iterum vos videbo*, quia sicut partus tempus breue est, ita breue erit hoc tempus, quo non me videbitis: cum autem me videritis, tunc *gaudebit cor vestrum*, sicut gaudet mulier partus tempore tráfacto; gaudebitis autem de mea resurrectione, sicut de nato puero gaudet mulier: & sicut gaudium mulieris non est qualis tristitiæ, hæc enim brevis, at illud diuturnum est: sic vestra tristitia brevis erit, gaudium autem permanens, ita ut nemo id à vobis possit tollere: in quo excedit gaudium mulieris: quia quamuis puer natus diutius viuat, quàm tempus partus & doloris durauerit, moritur tandem; at ego resurgam iam amplius non moriturus, nec amplius dolebitis de mea morte, sed semper gaudebitis de vita. Ita Cyr. lib. 11. c. 6. Aug. tract. 101. exponunt hæc verba *gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. mortem igitur suam Dominus partui, resurrectionem natiuitati comparat; simulque docet, hoc tempus partus instare. Iste est horum verborum sensus, & hac ratione explicata sunt verba, post modicum non videbitis, & iterum post modicum me videbitis, quia vado ad Patrem; quibus mors, & resurrectio gloriosa subito futura significatur. cætera annotatio habet.

*Prædicti ex
emplum di-
scipuli aptat.*

A N N O T A T I O XXVI.

IN maiorem exempli huius explicationem sunt duo annotanda. Vnum est, tria tempora esse distinguenda; primum est proximum partui, quando iam imminet hora pariendi, & est tempus expectationis partus, quod modicum est, quia citò partus, sequitur: alterum

*Parturientis
tria sunt te-
pora.*

tempus est ipsius partus, quando parit tunc tristatur, & lamentatur mulier; tertium est iam post partum, quando natus est homo in mundum, tunc gaudet, & lætatur. Secundò tempus modicum est, sicut & primum: parum enim durat propter doloris vehementiam, qui

diu ferri non potest: prouidus enim Deus dolorem in hoc sæculo, aut breuem, aut tolerabilem fecit. Tertium tempus post partum quo gaudet, diuturnum est: tempus ergo, quando loquebatur hæc discipulis, confert tempori proximo partui, & expectationi ipsius, & de hoc dictum est; *Vos nunc tristitiam habetis*; id est, imminet iam vobis tristitiæ tempus, nempe secundum, quando flebitis, & plorabitis, simile partus tempori: post hoc erit citò tempus resurrectionis meæ, quando gaudebitis, quod est simile tempori post partum. primum tempus expectationis partus, est modicum prius, de quo dicitur; *modicum & me non videbitis*: secundo tempus nempe partus, est modicum posterius, de quo dicitur; *modicum & me iterum videbitis*: tempus autem visionis est tempus tertium post partum, quando natus est homo in mundum.

Cor discipulorum dolor partui comparatur.

Alterum est, tristitiam, & dolorem discipulorum, quem de morte Christi conceperunt, rectè assimilari. & conferri dolori partus propter multa, quæ sacri Doctores aduertunt. Primò propter doloris vehementiam: est enim dolor partus vehementissimus. talis autem fuit dolor discipulorum in morte Domini, de quo dicit, *plorabitis, & flebitis, & contristabimini*. Hanc doloris vehementiam exponit Ambrosius in Psal. 47. Ibi dolores ut parturientis, ubi locum hunc Ioannis adducit. Similiter Augustinus tract. 101. ubi notat idcirco dictum esse de puero, quia masculi partus maiorem incutit. dolorem, quàm foeminae. Secundò propter breuitatem: breuis enim fuit dolor discipulorum de morte Domini, sicut dolor partus breuis est. Ita hanc similitudinem exponit Chrysostomus hom. 78. Tertio propter ordinem; ut enim mulier per dolorem partus consequitur gaudium magnum de natiuitate pueri, ita & discipuli per dolorem mortis Domini peruenerunt in resurrectionis lætitiã. Ita explicat Cyrilus lib. 11. cap. 6. Quarto propter periculum: dolor enim partus periculosus est, & morti proximus; talis fuit illa tristitia, & dolor discipulorum de morte Domini. Mat. 26. Omnes vos scandalum patiemini, & iterum; expetiuit Sathanas cribrare vos sicut triticum. Quintò propter causæ identitatem: puer enim idem est causa doloris dum patitur, idem causa gaudij dum natus est: sic idem Christus sua morte dolorem discipulis incussit; sua verò resurrectione, magnæ illis fuit causa lætitiæ: resurrectio enim generationi cuidam similis est; vnde illud Psalm. 2. Ego hodie genui te, de resurrectione exponitur Actor. 13. Sextò propter gaudij excellentiam, & magnitudinem: non solum enim diuturnum est, nec de eo solo gaudet mulier, quia periculum euasit; sed etiam quod præcipuum est, quia iam filium habet, & natus est homo in mundum, qui matri sit auxilio & honori, & posteritatis sit causa; sic discipulorum gaudium, non solum fuit longius; nec de sola liberatione à tristitia, sed de ipsomet Christo resurgente, qui suis omne bonum attulit, hæc enim præcipua causa fuit gaudij, quod tan-

tum fuit, & totam priorem tristitiã absorberit, ut non solum non contristarentur, sed nec meminerint tristitiæ prioris: quod est septimum in quo similitudo consistit, & ad magnitudinem gaudij explicandam dictum est: eaque de causa à filij seu masculi natiuitate exemplum sumptum est: nam solet natiuitas filiorum adferre gaudium multò maius, quàm filiarum. Dictum autem est, *Natus est homo*, non autem puer, ut mysterium resurrectionis significetur, ut notat Chrysostomus hom. 78. Christus enim non ut in natiuitate infans, sed vir perfectus resurrexit.

A N N O T A T I O XXVII.

ADhuc aduertendum est; parturientis exemplum frequens esse in scriptura, & multis rebus accommodari solet: præter similitudinem enim præsentem, quadrupliciter vsurpatur. Primò quidem ij, quos ira & iniustitia Dei castigat, & punit, parturientibus comparantur. Psalm. 47. Ibi dolores ut parturientis: quæ similitudo non tantum vehementiam doloris exprimit, sed & illud, quod sicut partus dolor non est vllis humanis artibus medicabilis; ita & poena seu afflictio, quæ ex ira Dei punire & castigare volentis prouenit, nulla humana potentia, vel consolatione leuatur. Isa. 30. Insanabilis fractura tua. Isa. 13. Plaga mea desperabilis renuit curari, facta est mihi in mendacium aquarum infidelium, id est, videbatur sanari posse, & tamen lethalis est. Secundò hæc similitudo accommodatur etiam prædicatoribus verbi Dei, & prælatis, quorum interest aliorum saluti consulere, & ad Christum conuertere: qui enim alios Christo lucrantur, dicuntur eos parere, & qui Deo accesserunt, filij appellantur; cum animarum conuersio non sine magnis doloribus, & periculis, & sudoribus fiat; propterea exemplo hoc meritò exprimuntur prædicatoribus, & prælatis. ad Galat. 4. Filioli, quos iterum parturio. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 10. hanc doctrinam eodem Pauli testimonio confirmat. Cyrilus in illud Isa. 26. *Sicut qui concipit, cum appropinquauit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua Domine, concipimus, & quasi parturimus spiritum salutis, applicat Apostolis, qui Spiritum salutis, id est, doctrinam Euangelicam, quam conceperant prius à Domino, in nobis ediderunt parturientes magnis doloribus, & laboribus. Ibidem Hieronymus. ea accommodat viris etiam Apostolicis.*

*Parturientis
exemplum
in scriptura
frequens.*

Tertio, hæc eadem similitudo, aptatur viris iustis, & sanctis, qui dum mente concipiunt, quæ agenda sunt, opere exequuntur dolore, & sudore: tollenda enim crux est, & sequendus Christus, & qui pie viuere vult in Christo, persecutionem patitur. Verba Isaia supra allegata in hunc sensum exponunt, & his viris accommodant Ambr. lib. 2. de interpret. ca. 4. & lib. 1. de Cain. & Abel. c. 10. & eleganter etiam Origen. hom. 10. in Exod. Quarto, hæc eadem similitudo accommodatur mala opera facientibus, & vias mundi sequentibus;

*Exemplum
aptatur iustis
& iniustis.*

nam & hi magna pericula subeunt, multas molestias, & difficultates, laboreſque patiuntur, quæ longum eſſet nunc commemorare, de quibus Iob. 15. & Iſa. 59. Conceperunt dolorem, & perpererunt iniquitatem. & Pſal. 7. Ecce par-

Et in illo die me non rogabitis quicquam.

COMMENTARIUS.

Non ſolum poſt modicum me videbitis, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis; ſed etiam id temporis hæc omnia, quæ vobis obſcura ſunt, & de quibus interrogatis, nempe quæ ad diſceſſum pertinent meum; erunt vobis clara, & manifeſta adeo, vt non ſit iam opus interrogare, nec dicere, quò vadis? vel neſcimus, quid loquitur: vel quid eſt, quod dicit modicum? Attende hæc dici à Domino, quia diſcipuli myſterium illud nondum aſſecuti erant; nec ſciebant quantum, & quale eſſet hoc modicum; nec mortem etiam, nec reſurrectionem, nec viam hanc ad Patrem perfectè intelligebant: denique myſteria de quibus loquebatur, non penetrabant: quia autem paulò ante dictum erat, *Volebant eum interrogare*, propterea poſt reſponſionem ſuam adiungit, tunc gaudium nemo tollet, & tunc hæc omnia intelligetis, & comprehendetis, vt non ſit opus quicquam eorum interrogare me, vt hæcenus facitis. Hæc promiſſio impleta eſt quando à mortuis ſurrexit, & eis apparuit, conuerſatusque cum eis eſt: tunc nouerunt clarè omnia hæc, quæ modò locutus eſt. Illa ergo generalis ſententia, *Non rogabitis quicquam*, reſtringenda eſt ad ea, de quibus ſermo præſens eſt, & dies ille, tempus reſurrectionis ſignificat, de quo dictum eſt, Et gaudebit cor veſtrum. Cætera in annotatione inuenies.

ANNOTATIO XXIX.

Superiorum
verborum in
interpretatione
Patrum
varia.

Variè Doctores hanc ſententiam exponunt; duo autem ſunt, quæ difficultatem, & inter Doctores diuerſitatem faciunt. Vnum eſt verbum, *rogabitis*: nam tam Græcum, quam Latinum verbum duas habet ſignificationes; ſignificat enim præcari ſeu petere, & ruruſus interrogare: proinde incertum eſt vtram ſignificationem in hoc loco obtineat. Illud etiam *in die illo*, ad varia tempora referri poteſt: aut ad tempus poſt reſurrectionem, aut ad tempus poſt aduentum Spiritus ſancti, aut ad gloriæ ſtatum. Hæc duo, variarum expoſitionum cauſa fuerunt. Primò loco Cyrill. libro 11. cap. 7. verbum, *rogabitis*, in ea interpretatur ſignificatione, vt ſignificet interrogare, & diem ad tempus poſt Spiritus ſancti aduentum refert, vt ſit ſenſus; In illo tempore, poſtquam Spiritus ſanctus aduenerit, non erit opus vobis quicquam me interrogare, quia edocendi eſtis omnem veritatem, eritque meo lumine ita illuſtrati, vt non ſit futurum opus me à vobis interrogari. Secundò Chryſo. ho. 78. verbum in altera interpretatur ſignificatione, vt idem ſit, quod præcari, quamquam diem ad diem refert tempus, ad quod Cyril. vt ſit ſenſus; Eo tempore non indigebitis me rogare, & in veſtris neceſſitatibus præcari: **D**ufficiet enim vobis nominis mei inuocatio apud Patrem, vt me etiam abſente omnia ab illo impetretis. Secundum hanc expoſitionem, quæ ſequuntur, connexa ſunt huic ſententiæ; nempe, *Amen amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. vt hæc verba ſint cauſa ſuperioris ſententiæ: ac ſi dice-

Bret; *Non rogabitis me*, quia, *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Tertio Aug. tract. 102. vtramque ſignificationem complectitur; diem autem ad ſtatum gloriæ refert, quando nec opus erit interrogare, nec præcari. Quarto loco Euthymi. relata expoſitione Chryſoſtomi aiteram etiam adfert, quæ etiam videatur eadem cum Cyrilli, tamen re vera non eſt: refert quidem diem ad tempus poſt aduentum Spiritus ſancti, tamen interrogationes non generaliter exponit, ſed reſtringit ſic, *Non interrogabitis*, quò vadis? oſtende nobis Patrem, & ſimilia: Cyrillus autem generaliter loqui viſus eſt. Hæc ſunt Doctorem expoſitiones, & re vera ſingulæ difficultatem patiuntur.

In primis contra illam Cyril. expoſitionem hoc videtur facere, quod Dominus præmiſerat, *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum & in illo die non me rogabitis*; videntur enim hæc ad idem tempus pertinere, quando reſurrexit, etiam ante aduentum Spiritus ſancti: nam de hoc Spiritus S. aduentu multo ante mentio facta erat. Secundæ expoſitioni Chryſoſt. repugnare illud videtur, præter id quod diximus de die illo, quia dicitur, *Nō rogabitis me quicquam*, & tamen Eccleſia, & omnes fideles, quamuis Patrem præcatur in nomine Chriſti, tamen etiam ad Chriſtum ipſum dirigunt frequenter petitiones: dicimus enim, *Chriſte audi nos, & adiuua nos*, & multa oramus ab eodem petentes; non ergo dici verè poteſt, *Non rogabitis me, ſed Patrem in nomine meo*. Nam ſi dicas intelligendum

gendum eſſe ſic, non indigebitis rogare me, ſatis eſt nomen meum; id non ſoluit obiectionem; nam eodem modo dici poteſt, non rogabitis Patrem, quia ſatis eſt rogare me abſentem. Tertiæ expoſitioni illud repugnat, quia contextus de tempore huius ſeculi procedit, de quo ſtatim ſubiungitur; Amen, ſi quid petieritis, & in illo die petetis.

Cæterum licet hæc ita ſe habeant, hæc expoſitiones probabiles eſſe non nego: quamuis mihi accommodatior viſa ſit, quam in commentario propoſui, vbi verbum, *rogabitis* expoſui, interrogabitis, ea ratione motus præter Cyrilli auctoritatem; quod paulò ante idem verbum præceſſit in eadè ſignificatione, cum dictum eſt, volebant eum interrogare: ruruſus in ſequenti ſententiæ; quando dictum eſt, Si quid petieritis Patrem in nomine meo; verbum aliud poſitum eſt. Ex hoc contextu hoc argumentum deduco; Si iſta noſtra ſententia accipienda eſſet in ſenſu præcandi, & coniungeretur ſequenti, perfectò idem verbum eſſet repetitum ſic. Non me rogabitis quicquam, amen dico vobis, ſi quod rogaueritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Verbi enim repetitio eandem ſententiam completeret; at verbum aliud poſitum eſt; non ergo ſententia noſtra cum ſequentibus conueniret, præcedentia autem habent idem verbum; *Volebant eum interrogare*, & Dominus huic volūtati reſpondet: igitur hæc ſententia connectitur cum præce-

dent, & in eadem ſignificatione verbum accipitur, præterea illum diem, nō ad tempus valde à cōtextu diſtans retuli, quale eſt illud gloriæ, nec ad tempus poſt aduentū Spiritus ſancti: nam multo ante præceſſerat hæc promiſſio, multaque ſententiæ ſunt interpoſitæ, ſed ad tempus proximè narratū, de quo dixerat, gaudebit cor veſtrum, referri debet: non enim ſine vrgenti ratione, & neceſſitate tempora ſunt mutanda ab inſtituto propoſito: de tempore igitur poſt reſurrectionem loquitur. Non etiam generaliter expoſui, *non rogabitis quicquam*, iſtæ enim generales ſententiæ ſæper intelligendæ ſunt iuxta materiam, de qua eſt ſermo: in hoc autem contextu de diſceſſu ſuo loquebatur, & de interrogationibus, quæ ad eum pertinebant, vt hæcenus dictum eſt. quarum interrogationum non amplius vlla ſimilis facta eſt, quando hunc diſceſſum, & quæ obſcure dicta ſunt, poſt reſurrectionem nouerunt. Nec his contrarium eſt illud, quod poſt reſurrectionem Petrus Dominum de Ioanne interrogauit, hic autem quid? & Apoſtol. Actor. 1. Si in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael? hæc enim non ad ea, de quibus nunc loquitur, pertinebāt: propter quas interrogationes Euthy. forſan ad tempus poſt Spiritus ſancti aduentum retulit diem illum; ſed id neceſſarium non eſt, ſi exponamus, vt pluribus verbis iam, & in Commentario expoſuimus.

Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

COMMENTARIUS.

Nouo argumento diſcipulos conſolatur, & documentum vtiliſſimum eis tradit; quod in ipſius abſentia ſeruare debeant: & ſenſus eſt, ac ſi diceret; Non me ſemper præſentem habebitis, quamuis dixi iterum videbo vos; ſum enim ad Patrem iturus; propterea tamen aliquid vobis de futurum ne timeatis: certiſſimam enim rem affirmo, ac vos ſecuriſſimos facio, quidquid Patrem petieritis mei ratione, & propter me, vos ab eo impetraturos. Attende in nomine Chriſti Patrem orare, non aliud eſſe, quam petere à Patre pro ratione, & cauſa impetrandi ipſum Chriſtum proponentes: vt enim Deus propter Chriſtum nobis bona tribuit, qua ratione iuſtitia, & metiti ipſius nobis benefacit; ita & nos propter ipſum petimus, quando nō merita noſtra, nec aliquid noſtrum tanquam cauſam, & rationem obtinendi, ſed ipſum Chriſtum, ipſiusque iuſtitiam, & meritum proponimus: hæc cauſa impetrandi efficaciffima eſt apud Patrem. In annotationibus exactius hoc declarabitur. Si iſta ſententia ſuperiori connecteretur, vt ſentit Chryſoſt. certè cauſalis aliqua particula poneretur, vt ſolet Ioannes facere, & idem rogandi reiteretur verbum: quorum dum neutrum ſit, nouam hanc ſententiam & ſeparatam eſſe, Euangelista indicat, vt expoſitum eſt.

ANNOTATIO XXIX.

Quid ſit in nomine Chriſti petere, in qua ſitione dignum eſt. Greg. hom. 27. Euang. hoc exponens, in nomine Chriſti petere, idem eſſe aſſerit, atque ea, quæ ad ſalutem ſpiritualem pertinent, petere; quandoquidem nomen Chriſti ſaluator eſt: qui igitur, quæ contra propriam ſalutem ſunt, petit, non in eius nomine

petit; qui autem, quæ ſalutis ſunt, petit, in nomine Chriſti, qui Ieſus vocatur, petit. ſic Gregor. exponit hoc verbum, *in nomine meo*. At quæuis verum ſit, quæ petuntur nō ea eſſe debere, quæ ſaluti contraria ſunt, id tamen non ſatis eſt, vt aliquis in nomine Chriſti petere dicatur: nam & Apoſtoli aliqua petierant, quæ nō

erant salutis contraria, & tamen dicit Dominus: *usque modo non petistis quicquam in nomine meo;* petierant multi Christi aduentum praeuenientes, ea quae salutis necessaria erant, non tamen in nomine Christi petisse dicuntur. August. tractat. 102. praeter hoc unum alterum adiungit; ut in fide recta Christi petatur; qui igitur, quae salutis spiritualis propria sunt, rectam Christi fidem habentes, petit, in eius nomine petere dicitur. Arius igitur, Nestorius, Euthyches, quae petebant, non in Christi nomine petebant, quia de Christo non recte sentiebant. Tamen etiam hoc non satis esse videtur; cum & Apostoli rectam fidem habuerint de Christo, & tamen eis dictum est: *usque modo non petistis quicquam in nomine meo.* Cyril. libr. 11. cap. 7. & Chryl. hom. 78. aliud addit, quod rem explicat, nempe uti mediatione Christi apud Patrem. In cuius sententiae expositione, quia legitima est, sciendum est; duo in petitione concurrere, praeter eum qui petit, & illum quem petit, nempe quod petitur, & ratio impetrandi quod petitur. Verbi gratia, accedit pauper ad divitem eleemosynam petens propter Deum; pecunia est, quae ab homine petitur; Deus est, qui ut ratio, & causa impetrandi proponitur. Orabant etiam olim iusti Iudaei Deum dicentes propter Abraham amicum tuum: hi auxilium petebant a Deo, rationem autem, & titulum impetrandi adferebant Abraham: quasi dicerent; nos sumus filij Abraham amici tui, ad nos iuvandum moveat te amicitia Abraham patris nostri. Multa sunt huiusmodi exempla: quamvis non semper ratio haec impetrandi sit aliquid extra eum, quem petimus: Persaepe enim solemus & Deum, & homines rogare, & rationes impetrandi ab ipsismet sumere: cum dicimus, rogo te Domine propter bonitatem, propter misericordiam tuam: haec te moueat ad exaudiendum.

Quae in petitione concurrunt.

Christus oratur, & propter quem oratur.

Modus orandi Deum propter Christum est efficax.

mus: quod si dilecto Abraham, Iacob, Isaac, David, etiam mortuorum potens erat ratio impetrandi, multo magis efficax erit apud Deum eximia dilectio, qua suum unicum diligit filium. Alterum est, iustitia ipsius Christi, & meritum: morte enim, & passione sua nostram obtinuit redemptionem; pro omniumque culpis abundantissime satisfecit, & omnium, quae a Patre impetranda, & petenda erant, soluit pretium. Qui igitur Deum orat, & non virtute propria nititur, nec iustitiam propriam impetrandi causam & titulum Deo proponit, sed virtutem, iustitiam, meritum, satisfactionem Christi unigeniti filij sui, iste in nomine Christi, & quidem efficaciter petit. Et hoc est, quod Dominus suis mandat, novum statum a veteri distinctum insinuans: illi enim antiqui propter Abraham, Isaac, & Iacob, orabant Deum, & impetrare sperabant quae petebant, eratque Deo illorum grata oratio: at sublimior status noster est quando propter unigenitum filium Dei mediatorum nostrum in caelis regnatem petimus & oramus. Aliqui concionatores in nomine Christi petere eos exponunt, qui tanquam missi ab ipso Christo, Deum petunt, sicut nuntius aliquis dicitur in nomine sui principis, aut mittentis dicere, quae loquitur: quae expositio non videtur probanda: sic enim Christus esset, qui orare diceretur, sicut princeps est, qui per nuntium loquitur.

ANNOTATIO XXX.

DVBI tatio quaedam in hac Domini sententia occurrit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* An sit promissio haec intelligenda, quando aliquis pro se tantum petit, an etiam quando petit pro alijs, exaudiaturque in his, quae pro se, & pro alijs petit patrem in nomine Christi. Aug. tract. 102. affirmat intelligendam Domini sententiam in his, quae vult quisque pro se petit, quod illo verbo confirmat, quia dictum est, *dabit vobis.* Basil. autem contrarium sentire videtur, reg. breui. re. 261. ubi de hac promissione tractans, docet aliquos non exaudiri petentes pro alijs, propter malitiam eorum, pro quibus petunt; vii Ierem. 15. non exauditus est propter malitiam populi. & Samuel 1. Reg. 16. propter malitiam Saul. supponit igitur Basilus hanc promissionem esse generale tam pro se quam pro alijs, reddique causam, cur aliquando orans pro alijs non exaudiatur.

An pro alijs etiam orantes exaudiantur.

Mihi haec sententia probabilior videtur, & scripturae conformior; quod ex ipsomet Ioanne confirmo. 1. epist. c. 5. hanc enim promissionem explicans: *Haec est, inquit, fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum eius voluntatem, audit nos.* & Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. haec Ioan. Ex promissione igitur ista Ioanes securos non facit exauditum iri, si petamus pro fratribus, quod argumento manifestum est, generale esse, & tam pro se, quam pro alio petenti factam. Adde in scriptura iniun-

iniungi, ut non solum pro nobis, sed etiam pro alijs oremus; igitur exauditio etiam pro se & pro alijs promissa est. Nec argumentum Aug. efficax est: nam quando aliquis pro altero orat, & exauditur, quamvis quod petit, conferatur ei, pro quo erat, tamen ipse, qui orat, est qui exaudiri dicitur, & qui impetrat, & cuius petitio fructuosa est: idcirco dicitur, *fiet vobis*, id est, quod vos petitis, consequemini, siue id sit pro vobis, siue pro alijs. idcirco Ioan. 14. absolute dictum est; quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.

ANNOTATIO XXXI.

GRAUIOR tamen inde oritur difficultas; quod experimur frequenter multos petere in nomine Christi, & non exaudiri; non solum pro alijs, sed nec pro se. In cuius rei declarationem annotanda est primo loco doctrina Aug. tract. 73. in Ioan. ex qua nonnullae in hac parte dubitationes solvuntur. ea autem est; Aliquando Deum exaudire petitiones nostras, dum negat & renuit facere, quod petimus; quod tunc fit, quando petimus ea, quae putamus vtilia nobis futura, & re vera non sunt, sed potius noxia; tunc concedere petita, potius est punire, & nostrae intentioni, & desiderio repugnare: nam desideramus quod vtile non est. Dum igitur negat, nostrae consulit utilitati, & re vera exaudit, non quidem voces, sed animum, & intentionem, quod praecipuum est. Exemplum habemus 3. Regum 2. Accessit Berfabae ad Salomonem petens Abisag. Sunamitidem vxorem dari Adoniam, arbitrans ea ratione regnum Salomonis magis confirmari; at sapiens Salomon id potius in perniciem regni sui cognoscens, negavit dicens: Da ei regnum: ac si diceret, Mater hoc tu petis, ut in me regnum confirmetur, at si fiat quod petis, potius est petere regnum pro illo, hoc autem tu maxime auerfaris. Matrem igitur exaudiuit Salomon etiam negando petitum. Ita nobiscum Deus facit, & tunc exaudit se nos censendus est. Caeterum quia ignoramus, & quid oremus nescimus, non intelligimus saepe has Dei exauditiones. ex hac doctrina soluere facile possumus illud 2. Cor. 12. Paulus ter Dominum rogans audiuit, sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. quibus verbis significat Paulus, se exauditum esse, etiam si non impetrauerit, quod petebat; & sensus responsionis hic est: O Paulus, tu petis stimulum carnis tibi auferri propter gloriam meam, ut magis nomen meum manifestes, scito hoc potius fieri isto stimulo, & infirmitate tua durante: nam virtus, & potentia mea plus declaratur, quanto per infirmiora instrumenta maiora efficit. Contra verò illud Num. 11. petijt populus carnes, quas Deus concessit, sed non id fuit eis vtile, imò perniciosum: quia adhuc erant carnes in ore ipsorum. & ira Dei ascendit super eos. non ergo exauditi, sed puniti dicendi sunt.

Dens interdum petita negando exaudire dicitur.

Quid est malum petere.

generalius, quod male petatis; nam bona etiam aliquando male petuntur. Deus igitur promittit dare bene petentibus bona: quo loco Oecumenius recte annotat, saepe non exaudiri petentes nec tamen propterea Deum deficere a sua promissione, sed nos potius in culpa esse, eò quod non, ut par est, petamus. Exemplum ponit in homine, qui intra breue tempus grammaticam ad se ventitantes docere pacifcitur; si qui porro negligenter studio incumbant, nec grammatici euadant, conquirentur quod non didicerint promisso tempore grammaticen, querela est iniusta; ipsi enim in causa sunt quod non didicerint: nam opera eorum necessaria erat. Ita fit in promissione & petitione, non accipimus, quia non recte petimus. At dices, Dominus petentibus promittit. Respondeo id non absolute promissum, sed certis conditionibus, quas alijs in locis ipse Dominus, & Apostoli expresserunt. Mos est autem scripturae, ut etiam si multa ad unum effectum necessaria sint, non semper omnia uno in loco accumularet, sed in distinctis, & diuersis locis, varijs occasionibus doceat, ut studium adhibeamus in verbo Dei, & sparsa sedulo colligamus. Hac ratione salus promittitur timentibus Deum, in alio loco credenti; in alio speranti, in alio diligendi, non quod singula seiuncta sufficiant, sed simul congreganda sunt. Et hoc sefellit haereticos nostros fide sola iustificari arbitantes, quia fidei iustificatio tribuitur: nec attendunt miseri timori, spei, poenitentiae, & alijs virtutibus idem promitti, ut aperte ex scriptura constat: nos tamen propterea singulas has per se iustificare dicimus. Petitioni igitur, ut bona exaudiri mereatur, aliqua sunt coniungenda, sine quibus non exauditur. Est igitur tertio loco annotandum ad bonam petitionem, & ut exaudiatur a Deo, opus esse primum, ut diuina impleamus praepcepta, & voluntatem eius faciamus, quod Ioan. 15. explicuit Dominus, Si feceritis quae praecipio vobis, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis, Aequum enim est, ut si vult homo Deum facere quod petit, efficiat & ipse, quod Deus iubet & petit. idcirco Isa. 1. dixit, non exaudiam, quia manus vestrae plene sunt sanguine. Et Tertul. in Apolog. cap. 30. dicit nos in oratione manus extendere, quia per manuum extensionem innocentiam significamus.

Quae requiruntur in petitione, ut a Deo exaudiamur.

Peccatores quomodo exaudiuntur.

Haec autem doctrina sic est intelligenda, non quod peccator non exaudiatur, quando petit, nec etiam quod non bene petat; non enim ita est; nam in peccato existentes bene petunt, & exaudiuntur; tamen si a peccando voluntatem auertant, & voluntatem Dei, ac praepcepta implere in animu inducant: qui enim in peccato est, nec ab eo se auertere vult, iste est, cui diuina promissio non fit, etiam si petat, quia voluntatem Dei non facit, nec eius seruare intendit praepcepta. Secundo opus est, ut perseueranter oremus, & petamus: non enim quia semel petentes non exaudimur, propterea Deus in sua deficit promissione: iterum atque iterum

iterum accedere oportet, & frequenter ora-
re. Hoc ipse Dominus Luc. 18. docuit, & ex-
emplo manifestavit, viduæ illius, quæ per mul-
tum tempus à iudice illo petebat, vt eam
ab aduersario vindicaret, quæ tandem per-
seuerans obtinuit. & Luc. 11. de illo, qui pe-
tijt tres panes ab amico sibi commodari, dici-
tur; Amen dico vobis etsi non dabit illi sur-
gens, quia amicus est, propter improbitatem
illius surget, & dabit illi quotquot habet ne-
cessarios. His duobus locis vtitur Basilius re-
gu. breui. reg. 261. ad hanc nostram doctrinam
confirmandam; & in lib. de constit. monast. ca.
2. vtitur hoc posteriori loco ad probandum
peccatorem etiam exaudiri, si perseueraue-
rit: ponderatque illud verbum (si non quia
amicus est, propter importunitatem dabit.)
quod intelligendum est de eo, qui auertit ani-
mum à peccando, vt modo dictum est. Ter-
tiò adhuc opus est, vt accedamus cum qua-
dam fiducia, non solum credentes Deum pos-
se facere, quæ petimus; sed sperantes si ex
nostra parte non defuerit quod necessarium est,
facturum Deum; quæ petimus, non nobis
sed ipsi fidentes. Hoc docuit Iacobus capite
1. Postulet, inquit, in fide nihil hæsitans. His
accedat reuerentia, & humilitas; si enim ac-
cedimus ad homines reuerenter, & submissè
petituri; quanto magis ad Deum. Exem-
plum habemus Luc. 18. de publicano, & Pha-
risæo petentibus. Hæc doctrina est Basil. de
consti. monast. cap. 2. causam enim assignans,
cur petens aliquando non exaudiatur, inquit,
Non rectè petisti, quia aut dubitabundus; aut
aliud agens petisti. Quarto opus est, vt non
quæcunque petamus; in primis enim non sunt
mala petenda, & quæ contra diuinam sunt

Deus sint à
Deo in nomi-
ne Christi pe-
tenda.

voluntatem. Errant ergo, & peccant, qui vin-
dictam inimicorum à Deo petunt, vt nempe
auxilium præstet contra inimicos singulares,
in eorum vindictam; qui etiam ea petunt,
quæ facere malum; & peccatum est illis, de
qua oratione Ambro. serm. 22. in Psal. 118. ex-
ponit illud eiusdem Psal. Fiat oratio eius in
peccatum; est enim talis petitio peccatum
graue. Rursus non sunt petenda temporalia,
honores, diuitiæ, & alia huiusmodi propter
seipsa. Talem etiam orationem Ambrosius
censet esse in peccatum. dixi propter ipsam
nam quando in honestum finem, & vt mediâ
ad opera, & fines, quæ secundum Dei volun-
tatem sunt, petuntur, non malè petuntur; &
hac ratione corporis sanitatem petimus, & à
temporalibus periculis liberationem. Illa au-
tem sunt verè petenda, quæ ad salutem spiritua-
lem pertinent. Rectè igitur Basil. lib. de con-
stit. monast. ca. 2. & Augu. tract. 102. annotant
Dominum dixisse, Si quid petieritis, res tempora-
les in se, non ordinatæ inhonestum, & spiritu-
alem finem, non dicuntur, quid, quia modicæ,
& exigui valoris sunt: magna, & eximia sunt
ab infinito, & omnipotenti Deo petenda. pe-
tit ergo bene qui quæ ad salutem pertinent, &
ad eam referuntur, petit; & hæc perseueranter
fide, & spe, & deuotè, & à peccato animum a-
uertens petit: hic exauditur à Domino, quan-
do vtile est illi exaudiri; nam differunt ali-
quando petitiones in maius bonum petentiū.
Quando autem pro alijs petimus, ex parte
quoque eorum, pro quibus petimus, aliqua ne-
cessaria sunt, quorum defectu non exauditur
petitio, vt à principio dicebamus. Hæc satis
dicta sint pro huius sententiæ expositione.
nunc ad alia transeamus.

C
D

Vsq̄ue modo non petistis quicquam in nomine meo.

COMMENTARIUS.

VT nouam rem esse, quam dixerat, significaret, & simul insinuaret, eos
non omnia impetrasse petita hætenus, quia non in nomine eius petie-
runt, propterea dicit. Adhuc non petistis quicquam in nomine meo, Noua res hæc
est, quam vobis trado; quod si hætenus non consecuti estis omnia, quæ pe-
tijstis à Patre, ne miremini, quia in nomine meo non petijstis.

ANNOTATIO XXII.

Cyrillus lib. 11. ca. 7. & lib. 9. ca. 44. hunc o-
randi modum olim legis tempore inco-
gnitum fuisse affirmat. In cuius rei declaratio-
nem aduerte; à mundi principio nihil à Deo
ad salutem pertinens impetratum esse, quod
non fuerit virtute ipsius Christi, & propter
iustitiam eius olim futuram concessum. Vir-
tus enim passionis eius, etiam antequam pate-
retur, operabatur in omnes priores apud De-
um: hoc tamen non erat petere in nomine
Christi, sed dare, & concedere in nomine, &
virtute eius. permultis enim Deus olim bene-
ficia concessit propter Christum, qui non ha-
bebant notitiam Christi, & quamuis multi fi-
dem habuerint, non tamen omnes distinctam
afsecuti erant: immò fides ipsa donum Dei est,
propter Christum data omnibus, quibus data
est, antequam crederet. Duabus ergo de causis

Deus propter
Christum et-
iam veteri-
bus sua dona
largitus est.

Iudæis non fuit hic modus petendi concessus,
prior est, quia fidem Trinitatis distinctam non
habebant; hæc enim fides est Christianorum
propria, vt dicit Basil. lib. 2. con. Eunomi. &
Cyrili. li. 9. in Ioan. cap. 30. non ergo poterant
petere in nomine Filij Patrem, qui nondum
notitiam habebant Patris & Filij. altera est,
quia erant in statu seruatorum, & nondum ado-
ptionem filiorum perfectâ receperant. Galat.
4. Quamdiu hæres paruulus est, nihil differt à
seruo. Rom. 8. Non accepistis spiritum serui-
tutis iterum in timore. non ergo petere pote-
rant à Patre, sicut nos docuit Dominus Matth.
6. Pater noster, qui es in cœlis.
Aduerte rursus fieri potuisse, vt etiam an-
tequam Christus aduenerit, aliqui in nomine
eius petierint Patrem; nempe qui fidem di-
stinctam Trinitatis, & venturi Christi,
incarn-

Cur Iudæi
petebant in
nomine Chri-
sti.

incarnationis, & mortis ipsius habentes, Deum
orabant propter illum qui venturus, & pro
salute hominum moriturus erat: talem enim
fidem habuisse Prophetas & Patriarchas cer-
tum est, & docent Cyril. lib. 1. contra Iulia-
num, & August. de fide ad Petrum cap. 1. imò
probabile est, aliquos sic petijisse, & forsitan
iste est sensus illius Psalm. 131. Propter Dauid
seruum suum, non auertas faciem Christi tui.
id est; propter Messiam, & Christum, cuius e-
go typus sum, auxiliare Salomoni, & custodi
vinctum tuum, & filium meum. & illud Psalm.
50. Misereri mei Deus secundum magnam mi-
sericordiam tuam. hæc misericordia Messias
est, & Christus futurus, de quo Psalm. 88. dici-
tur; Misericordiam autem meam non au-
feram ab eo; id est, non priuabo semen tuum
venturo Christo de carne tua: Similem peti-
tionem etiam alios Prophetas, & Patriarchas

fecisse probabile est. vt enim virtute Christi
impetrabant, etiam antequam carnem sum-
psit, potuerunt etiam in virtute, & nomine e-
ius petere. nec obstat, quia statum filiorum
nondum erant assecuti: nam verè filij erant,
quamuis paruuli & in statu seruitutis propter
legem: hoc tamen verum est, non fuisse mo-
dum hunc petendi communem, vt nunc est in
Ecclesia, posteaquam redemptio est completa.
Nos etiam petimus in nomine eius, non vt
illi: nam petimus tanquam filij patrem, & in
nomine eius, qui iam regnat in cœlis; & inter-
pellat actu pro nobis, idcirco addimus sem-
per: Qui tecum viuit, & regnat. qua ratione
nemo tunc potuit orare, quia nodum caro fa-
ctum erat Verbum: & in hoc vera est Cyrilli
doctrina; & de hac ratione, ac modo petendi
dictum est à Domino: Vsq̄ue modo non petistis quic-
quam in nomine meo.

Petite, & accipietis.

COMMENTARIUS.

EXhortatur, vt rem nouam aggrediantur, promittens vtilissimam futu-
ram. Petite, inquit, nepe Patrem in nomine meo, & accipietis, hisce verbis
efficacia huius petitionis multum exprimitur. nam præter illa duo superius
dicta, nempe dilectionem Patris erga Filium; & ipsius Christi iustitiam &
meritum; sunt etiam alia duo, scilicet præceptum eius, iussi enim ab eo peti-
mus Patrem. Quantum autem hoc valeat, ecclesia significat, quæ orationi
præmittit dicens; præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione forma-
ti, audemus dicere, &c. Est etiam promissio facta nobis à Christo impetrandi
à Patre. hæc omnia multum mouent Deum ad exaudiendum.

Quando ap-
toli habue-
runt gaudium
hoc plenum.

Vt gaudium vestrum sit plenum.

HÆc verba perfectionem petitionis huiusmodi exponunt, vt non no-
ua solum, & efficax, sed etiam perfecta sit petitio. Sensus enim est: petite
in nomine meo, & sic abundanter, accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, & inte-
grum, in nullo deficiens. hoc gaudium est, de quo dixerat gaudium vestrum ne-
mo tollet à vobis: attende igitur gaudium de Christi resurrectione fuisse gau-
dium magnum, sed non completum, nec perfectum Apostolis, quia de resur-
rectione, quæ solius Christi erat gaudebant, quando autem & ipsis bona ma-
xima ex hac resurrectione prouenerunt, tunc gaudium est completum, quia
non de bono tantum Christi, sed de suo etiam gaudebant, quando enim ali-
quis amicus, aut charus noster bonum consequitur, gaudere solemus de e-
ius bono: porrò quando inde etiam nobis fructus prouenit, gaudium est in-
tegrum. Sic dicit Dominus, hætenus gaudium promissum vobis de mea resurre-
ctione; at si petieritis in nomine meo, adeo vberem fructum copiosumque
percipietis, vt hoc gaudium impleatur, integrum sit de me, & de vobis. Hunc
existimo sensum esse legitimum.

ANNOTATIO XXXIII.

De horum
verborum ex-
positio veri-
ter sit.

August. tract. 102. illud, vt gaudium vestrum
sit plenum, coniungit priori verbo, nempe,
petite, vt gaudium vestrum sit plenum, & gaudium hoc
ad beatitudinem refert. Cyrillus, verò lib. 11.
cap. 7. verbo posteriori copulat, cum verbo
accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum, id est,
ita accipietis, vt consequamini gaudium ple-
num, gaudium autem hoc refert ad præsens
seculum; est enim gaudium de remissione
peccatorum, & gratia, cæterisque bonis spi-

ritualibus. Probabilior est expositio hæc,
vt connectatur cum verbo posteriori, sitque
consecutionis particula, sicut & illud epistol.
2. Ioan. Spero me futurum apud vos, & os
ad os loqui, vt gaudium vestrum sit plenum,
nec solum refertur ad beatitudinem; sed et-
iam ad hoc seculum. illudque vt, non cau-
sam, sed consecutionem significat. Cur au-
tem plenum gaudium, dicatur, expositionem
Cyrilli minus probo: nempe, quia de rebus
est spi-

est spiritualibus, & perfectis; sed quia, uti A diximus, refertur ad illud, gaudium vestrum nemo tollet a vobis. quod gaudium erat de Christo resuscitato. Factum est autem plenum & completum, quando ipsi etiam fructum

resurrectionis eius consecuti sunt: gaudium enim sunt de Christi resurrectione, suaque propria, qua cum Christo resurrexerunt, aduenientemque Spiritum sanctum receperunt.

Hac in prouerbis locutus sum vobis: venit hora, cum iam non in prouerbis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.

COMMENTARIUS.

ADhuc consolatur eos de suo discessu, promittens apertam locutionem, & sermonem, estque sensus; scio hac locutum me esse vobis subobscure, & non distincte, sed velut sub vmbri, & ænigmatibus: venit tamē, & prope est iam tempus, quando palam sine vmbri, & ænigmatibus loquar de Patre meo, nempe mysteria omnia missionis, & aduentus mei. Hoc fecit Dominus post resurrectionem suam per illos quadraginta dies discipulos erudiēs, perfectius autem in aduentu Spiritus sancti. Attende hac verba adiunxisse Dominum, quia adhuc discipuli non assequerantur perfectū sensum illius sententiæ, Modicum & non videbitis me, nec quæ in declarationem adducta erāt: idcirco Dominus promittit omnium horum, & aliorum mysteriorum perfectam, & distinctam intelligentiam. Prouerbiū appellat obscurum & adumbratum sermonem, vt notat Cyril. libr. II. cap. 8.

ANNOTATIO XXXIV.

Inquirūt Doctores, quæ sit hora, & tempus, quando palam annuatiaturum se de Patre promittit Dominus. Grego. libr. 30. Mora. cap. 5. statum beatitudinis, & gloriæ esse dicit, & probat illo aduerbio, palam, quod apertam, & distinctam visionem indicat. August. tract. 102. ad tempus aduentus Spiritus sancti refert, quando mysteria nouerunt sine vmbri & parabolis, & probat in illo verbo sequenti, in illo die petetis quod ad statum gloriæ non pertinet, vbi non sunt tales petitiones. Cyril. lib. II. cap. 8. vtrāque refert expositionem, & posteriorem magis probat. Chryl. hom. 78. ad tempus refert post resurrectionē, quando ipsemet

Dominus discipulos docuit, vt dicitur Luc. ultimo. Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & Act. 1. Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et hac est vera expositio, adiuncta etiam expositione August. & Cyrilli: totum enim tempus a resurrectione tale fuit. Nec argumentum Gregorij efficax est; nam aduerbiū illud palam, opponitur illis verbis, in prouerbis locutus sum: non igitur claram notitiam Dei, & visionem indicat, sed apertum sermonem, vt sensus, & sententiæ percipiantur, non in ænigmatibus & prouerbis, quando nescit audiens, quid significare velit; qui loquitur.

In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem; ipse enim Pater amat vos.

COMMENTARIUS.

Inducit discipulos, vt ad Patrem conuertantur, & ipsi fideant: ne enim dicerent, quamuis in nomine meo petentes, a Patre consequamur petita, licet etiam mysteria omnia Patris palam nobis loquaris; tamen adhuc de tuo discessu dolemus, cum tu intercedere, & rogare Patrem pro nobis potueris. Dominus ergo a discipulorum corde hunc præsentis sensibilibus affectum omni ex parte remouere studens, adiicit ita eos a Patre amari, vt si petierint in nomine eius, non indigeant precibus ipsius, nec vt ipse pro eis roget Patrem. Sensus ergo est; Post meum discessum petetis in nomine meo Patrem, & non dico vobis me rogaturum; id est, non dico vobis indigere precibus meis, ipse enim adeo vos amat, vt etiam si ego non rogem, sitis obtenturi, quidquid petieritis. Non dicit se non rogaturum, sed eos non indigere vt ipse roget Patrem, si in ipsius nomine petant; amor enim paternus sufficientissimus est ad concedenda omnia petita. His verbis omnino eos ad diuinitatis affectum, & considerationem transfert. Illud autem verbum, Non dico vobis, quia ego rogabo Pa-

Apostolorum fiduciam corroborat amo ve. quo eos Pater diligit.

gabo Patrem, alludit ad illud alius Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis; propterea nunc dicit; non dico vobis quod tunc dixi, ego rogabo Patrem: nam non indigebitis meis precibus, vt impetretis, quæ in meo nomine petieritis præ amoris paterni erga vos magnitudine. maiorem intelligentiam in annotatione require.

ANNOTATIO XXXV.

Christus vt homo orat pro nobis in celo.

Christum in cœlis orare pro nobis Patre, vt homo est, docet sacri Doctores. Greg. Nazian. orat. 4. Theolog. Ambro. Roman. 8. in illud verbum (qui etiam interpellat pro nobis) & Aug. tract. 102. quamuis id aliqui negent, sed improbabiliter, vt enim in hoc seculo orabat Patrem pro nobis vt homo, ita & nunc in cœlis, donec redemptionis effectus omni ex parte cōpleatur: & is est sensus illius Rom. 8. Qui interpellat pro nobis; quamuis Gregorius lib. 22. Mora. cap. 13. aliter exponat; & illius Ioan. 14. Ego rogabo Patrem; & 1. Ioan. 2. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, de hac oratione in præsentia est sermo. Attende etiam non negare se rogaturum Patrem; non enim dicit non rogabo, sed non dico me oraturum, vt excludat necessitatem orationis huius: quasi diceret; Non dico vobis necesse esse me rogare, non quod non rogaturus sim, sed quod opus non sit mea oratione. & re vera nec oratio in terris necessaria erat: nam meritum sufficientissimum redemptionis nostræ fuit passio eius; sed vt charitatem erga nos abundantissimam, & reuerentiam, & honorem erga Patrem, & nobis exemplum omni ex parte exhiberet, orare voluit, & vult.

Diuersa sunt oratio Christi, & meritum necessarium eius.

Attende rursus hac longè esse diuersa, orationem Christi, & meritum, ac virtutem satisfactionis eius. Virtus enim, & meritum necessaria sunt, & fuerunt, sine quibus nemo a Patre exauditus, nemo a Patre dilectus esset; non quidem necessitate absoluta, sed ex diuino decreto, vt supra explicuimus; at oratio necessaria non est, nec fuit. Hanc diuersitatem docuit Dominus dicens; Non dico me rogaturum, sed si petieritis in nomine meo; quasi diceret oratio mea necessaria non est; at nomen meum necessarium est: sine eo enim non faciet Pater, quod petieritis, nec vos amabit, cum hæc omnia propter me sint. His igitur ad declarationem necessarijs præpositis, aduerte variè hanc sententiam exponi a Doctoribus. Primò Cyril. lib. II. cap. 9. sic exponere videtur, vt non excludatur petitio, sitque sensus non solum quia ego rogabo Patrem, sed etiam quia Pater ipse amat vos. Altero modo exponit Hilari. lib. 6. de Trinit. vt excludatur petitio Christi, sed quantum ad necessitatem: vt sit sensus. Non erit vobis necessaria oratio mea: non quod verè non sit, sed quod necessaria non sit, nec ea opus sit illis. Et iste videtur sensus legitimus. Chryl. hom. 78. concisè exponit in hæc verba, & non rogabo Patrem. Sed hic sensus non potest accommodari: longè enim aliud est, non rogabo, & Non dico me rogaturum; hoc enim potius significat se rogaturum: tamen id non fore illis necessarium. Euthymius etiam a-

Aliter exponit, nempe, eo tempore non dicam vobis, nempe quando petieritis ego rogabo Patrem. Neque hæc etiam expositio verbis aptatur: quare omnium probabilissima est Hilarij, quam in commentario sumus secuti.

ANNOTATIO XXXVI.

Verum difficultas occurrit; cur Deus ab hominibus rogari velit; difficultatis autem ratio est, quia videtur in verbis repugnans quædam: si enim Pater ita nos amat, vt Christus docet, & re vera amat, quare expectat rogari? nam tribus maximè de causis petitur aliquid ab homine. Primò quia nescit is a quo petitur id, quo petens indiget, ipsa autem petitione fit certior; Deus autem omnia scit, nec indiget a nobis de vlla re fieri certior. Secundò solet fieri petitio, quia qui rogatur, non semper amat, aut non ita feruenter amat, vt ipse affectus inducat ad benefaciendum, idcirco ipsa petitione excitatur: at hoc in Deo non esse hæc eadem lectio indicat. ipse, inquit, Pater amat vos. Tertio etiam si sciat, & amet; tamen ad ipsum non pertinet, nec ipsi incumbit providere: cum autem Deus voluerit Pater noster dici & esse, ei dare filijs incumbit. cum igitur sciat, amet, & ipsius sit, quia Pater est, & possit, quia omnipotens est, quare rogari, & peti vult?

Cur Deus vult ab hominibus rogari.

Cur ab hominibus aliqua petantur.

Hanc dubitationem proposuit Basil. de cōstit. monast. cap. 2. ad quam aliquot modis respondet. Primò quidem multa, & magna Deū etiam non rogatum, nec petitum concedere, tam temporalia, quam spiritualia bona. Doctrina hæc est Basil. loco proximè citato, & Clementis Alex. lib. 7. Stromat. & experientia ipsa confirmatur: quis enim nostrum petijt a Deo animam, corpus, & multa alia naturalia? quis petijt, vt Christianus fieret? nemo, & tamen obtinuit: & sunt infinita huiusmodi: quæ enim non rogatus Deus dat, multo plura sunt, quam quæ rogatus concedit. Deinde aliquando Deus rogatus concedit plus, quam homo petit, & rogat. Doctrina est Hieron. Isai. 38. quam probat exemplo Ezechie, qui infirmus petijt a Deo vitam, at Dominus quindecim annos vitæ adiecit, & victoriam contra inimicos promissit, quod ille non rogauerat. Tertio, multa Deus vult rogari a nobis, non ex ignorantia, sed ex amore magno, quo nos prolequitur: non enim est petitio facta Deo similis ei, quæ fit hominibus; quia quæ Deo fit, magnum est Dei ipsius beneficium.

Dubitationis resolutio.

Est enim oratio, & petitio Deo facta, actus supremæ virtutis inter morales, nempe reliquas virtutum actibus est comitata; fides in primis exercet.

Orationem comitantur plures virtutes.

exercetur: nam qui petit, credit id fieri posse ab eo, à quo petit. similiter spes, nemo enim petit, nisi sperans id factum iri, quod petit. item dilectio, diligitur enim qui bene factus creditur, & in quo speratur. præterea humilitas, qui enim petit, se indigere ope alterius fatetur. tandem patientia in expectando: magnum ergo est bonum oratio quæ Deo fit, & hoc non ex nobis, sed ex Deo; vt doctè notat Ambro. epist. 84. ad Demetriadem est enim Deus qui nos facit petere. vnde fit, vt nemo petat à Deo sine fructu: cum aliter hominibus accidat, qui sine fructu, immò aliquando cum detrimento proprio petunt; at petitio Deo facta fructus est magnus, & qui petit à Deo, dum petit, accipit: ipsum namque petere est accipere. Hinc fit, vt plura & maiora habeamus à Deo bona petentes, quam non petentes, quod tripliciter manifestum fit: nam aliquando aliqua non expediunt, ideoque à Deo non conferuntur, dum autem petuntur, habemus fructum petitionis ipsius: verbi gratia Paulus 2. Cor. 12. petijt stimulum carnis sibi auferri, ablatum non est, quia non expediebat, Paulus tamen bonum & beneficium obtinuit, nempe petitionis meritum, quo priuatus esset, si nõ petijset à Deo. Rursus aliquando petimus, quæ expediunt, sed temporalia sunt, & parua; at dum petuntur, magnum accipimus, nempe quod petimus, & adhuc petitionis bonum quod maius est. Deniq; aliquando magna petimus, & accipimus, & tunc duplicatum est beneficium, nempe quod petimus & petitio ipsa, plura ergo & maiora bona habemus à Deo petentes, & aliquando est maius bonum ipsa petitio, quam quod petimus, ex amore igitur est diuino, vt peti velit.

Quartò est; sunt aliquot causæ præter hanc prædictam singulares, propter quas Deus vult rogari. Vna est Hieron. in illud Iere. 29. Ora-

bitis me, & ego exaudiam vos, vbi cur Deus orari velit, hanc adferre causam; scilicet vt cum merito donet; nam Deus dignos nos facit suo dono, ipsa bona & debita petitione. est autem egregium, & optabile cum dignitate obtinere quod homo petit, & querit. Altera est Chrysof. hom. 30. in Genes. vbi hoc idem tractans, Deum id voluisse asserit, vt occasionem daret nobis affectum inflammandi erga ipsum, nosq; tenacius cum ipso vniendi; ponitque patrum exemplum, qui expectant peti à filijs, vt amor petitione ipsa magis accendatur. Tertia est Basilij de consti. mona. cap. 2. nempe vt sic homo cognoscat donum Dei, & propriam indigentiam, plurisque faciat rem datam, nec eam facile amittat: quod enim petitione obtinemus, diligentius conseruamus: paucis verbis hæc Basilij responsio multa complectitur. Quarta est Chrysof. homil. 23. in Matth. vt Deus per orationem nos sibi faciat familiares, vt enim Greg. Nise. in exhortatione ad orat. dicit, Oratio colloquium est quoddam, & conuersatio cum Deo, ex qua conuersatione intellectus illustratur. Psal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: affectus inflammatur. Luc. 24. Cor. nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis. gaudium spirituale anima concipit, Canti. 1. Introduxit me Rex in cellam suam, exultabimus, & lætabimur in te. potentia roborantur ad opera virtutum, Canti. 1. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. homo componit vitam suam, vt dignè ad Deum accedat. Quare eum tantum fit bonum nostra petitio, meritò Clem. Alex. lib. 7. Strom. dicebat, plus paratū debere esse hominem petere, etiam si non impetret, quam impetrare non petendo, adeo eximium bonum est petitio, si rectè fiat. Hæc igitur sint causæ cur nos petere velit Deus.

Maiores Deo obtineamus petere, quam sumpe-ritione expectantes.

Orationis fructus.

Quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui.

COMMENTARIUS.

Mat, inquit, vos Pater, sed propter me, quia vos me amastis, & credidistis me à Deo exiuisse, id est, Filium esse Dei, qui carne assumpta in mundum veni. Aduerte, exiuisse à Patre, idem significat, ac esse Filium Dei à Patre procedentem, vt Cyrill. exponit lib. 11. cap. 9. id enim crediderant iam discipuli. Amavit autem Pater discipulos, quando eos ad Christum venire fecit: nemo enim potest venire ad Christum, nisi à Patre tractus, neque verò huius amoris est causa ex parte hominum; nam quia eos amavit Deus, propterea ipsi amârunt Christum, & crediderunt eum à Deo exiuisse. Pater amat, etiam amore consequenti, multa alia beneficia conferens eis, quo suo amore trahit ad Christum opera enim sua diligit, & de hac dilectione & amore consequente dicitur, *amat vos Pater*, & promptus est ad conferendum vobis multa bona, & elargiendum petita, *quia vos me amastis, & credidistis*, quod etiam ex ipsius amore antecedenti habetis, quod libet in annotatione fusius persequi.

ANNOTATIO XXXVII.

Av. tract. 102. dubitationem proponit hæc enim verba cum illis, 1. Ioan. 4. pugnare videntur, Ipse prior dilexit nos, qua igitur

An Deus prior discipulos dilexit, vel contra.

tur ratione dici potuit, Amat vos, quia vos me amastis, Si enim hoc ita est, iam ipsi priores in amando fuerunt; Adde fidem, & dilectionem, quibus

quibus in Christum crediderunt, & dilexerunt eum, effectum fuisse diuinæ erga eos dilectionis. Huic dubitationi satisfactum est in commentario; tamen exactius eam discutere inutile non est. Aliqui recentiorum respondent, particulam, *quia*, non causam sed effectum indicare vt sit argumentum quoddam à signo, & effectum in hunc sensum; Pater amat vos, hoc autem signo id cognoscere potestis; quia vos me amastis, & credidistis me à Deo exisse; quod non potuissetis facere, nisi Pater vos amasset. Certum est particulam hanc aliquando non causam, sed consecutionem indicare, vt supra annotatum est; communi enim modo loquendi dicimus ignem esse, quia fumus est, cum fumus effectus sit ignis; tamen hoc in loco talem non habet significationem, sed causæ: non enim dictum est, Pater vos amavit, sed, Pater vos amat, quia vos me amastis & credidistis, hoc autem præteritum coniunctum præsentis, indicat amorem & fidem discipulorum in Christum præcessisse, amorem Dei erga eos, & ita Cyril. libr. 11. cap. 9. & Aug. tract. 102. exponit, nempe in sensu causali. Solutio autem difficultatis ea est, non de quouis amore, seu potius non de amore respectu cuiuscunque effectus, hanc procedere sententiam: absolute enim Deus prior amat, quam homo credat, cum ideo credat, & diligit, quia dilectus à Deo prius est; at amor diuinus adhuc procedit, & noua beneficia confert, & huius causæ esse potest bonum iam homini collatum: diligit enim iustos Deus, & illis bona confert, & sibi in eis complacet, quia iusti sunt: propter bona enim ex amore suo collata, Deus diligit eos, quibus ea contulit, etiam noua conferendo. Hæc est solutio facilis & vera. August. tamen aliter respondet, & vera est do-

ctrina, quamuis subobscura, ideo explicanda est. Aduerte duos esse actus dilectionis, & amoris; vnus est bonum velle alteri, & facere: hoc enim verè amare est, bonum alicui velle, & facere: alter est complacere sibi in bono facto: amamus enim amicum non solum ei bonum optando, sed etiam in bono ipso, quod est complacendo; ita Deus amat bene faciendos; nam velle Dei, facere est; & in bono facto, & collato complacendo. De amore complacendi sermo est in præsentis: ipse enim quia dilexit benefaciendo, crediderunt & dilexerunt discipuli: at quia crediderunt & dilexerunt, sibi complacet in eis: ipse ergo Deus dat bonum, in quo complacet sibi, & hoc ei gratum est. vera igitur est vtraque propositio, nempe prior dilexit nos Deus benefaciendo & douando, vt crederemus in Christum, & diligere eum, diligit postea in eo ipso, quod dedit, complacendo. Ista est responsio Aug. legitima, quanquam & prior vera est: nam propter ea, quæ diligens nobis contulit, amat etiam nos, non solum complacendo in datis, sed noua alia optando, & exhibendo nobis. Sequitur ex hac sententia contra hæreticos nostri temporis, iustitiam in nobis esse inhærentem, & propriam, quamuis à Deo per Christum procedentem. Amat, inquit, vos Pater, quia dilexistis, & credidistis: diligere, & credere in nobis sunt, & actus sunt nostrarum potentiarum, quamuis diuina gratia effecti, in nobis ergo est, quod Deus amat, quod ei est gratum, quamuis id ipse in nobis faciat, & propter Christum donet: aliud enim est, quod datur, aliud est qui dat, & aliud Christi meritum, propter quod dat Pater æternus.

Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

COMMENTARIUS.

Prima conclusio & compendiosa, sermoni huic imponit finem: cum enim dixisset, eos credidisse ipsum à Patre exisse, nouum argumentum efficacissimum pro suo discessu facit. Verè, inquit, à Patre exiui, per generationem æternam, & veni in mundum, homo factus & humilians me ipsum vsque ad mortem; æquum igitur est, vt perfectis, quæ humilitatem meam concernebant, mundum relinquam, & ad Patrem reuertar, ascendens in coelos. Attende, quando dicitur, *Relinquo iterum mundum*, illud, *iterum*, non referendum esse ad terminum; quasi semel reliquerit mundum, & nunc iterum sit relinquendus; sed ad viam vt sit sensus; hanc viam semel feci, descendens de caelis ad terras, æquum est, vt eandem iterum conficiam reuertens ad caelos: sic enim dicere solemus; modò veni Romam Neapoli; ecce iterum Roma Neapolim reuertor. Attende rursus, non esse similem ascensum discensui, nec reditum aduentui: nam venit sine carne, eam tamè assumens: at non reuertitur carne relicta, sed eam glorificatam ad coelos transtulit.

ANNOTATIO XXXIIX.

Cyril. libr. 11. cap. 9. tres interpretationes adfert illius verbi, *Exiui à Patre*, prima est, vt æterna generatio significetur: *Exiui à Patre*, id est, de Patris substantia processi tanquam filius, eandem cum Patre habes substantiam

Altera est, vt incarnatio significetur, *Exiui à Patre*, id est, homofactus sum. Tertia est, vt Dei Patris beneuolentia significetur, *Exiui à Patre*, id est, Patris voluntati conformia facio, & ei gratus sum, nam Iudæi transgressorem legis reputa-

Iterum quomodo intelligendum.

reputabant. Aug. traq. 102. primam expositionem sequitur, & sequens verbum de incarnatione interpretatur: vt sit sensus: *exiui à Patre, ab æterno natus, & veni in mundum*, carne sumpta de virgine. Eandem expositionem Hilar. lib. 6. Trini. Athana. epist. ad epictetum, in expositione fidei, & Greg. Nazian. homil. de fide; Basil. lib. 5. con. Eunomi. cap. 2. Euthym. & Theophylact. sequuntur. hi omnes exitum à Patre de æterna generatione interpretantur; idem tamen August. libr. 1. Trinit. cap. 10. & lib. 2. cap. 5. secundam probare videtur interpretationem.

Que sit verior sententia. Sed re vera prima est legitima. Si enim eius incarnatio significata esset, non erat, cur adderet, *& veni in mundum*, prior igitur natiuitas significata est verbis illis: *Exiui à Patre*, de qua illud Ecclesi. 24. est; Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. quæ verba Ambros. libr. 4. de fide cap.

A 4. de æterna generatione exponit. Est autem scripturæ phrasis natiuitatem tali verbo, etiã inter nos exprimere. Isa. 39. De filiis tuis, qui exhibunt à te, quos generis. Hebr. 7. Ipsi exierunt de lumbis Abraham. Aduertendum tamen est, aliquando exire à Deo vtramque simul generationem exprimere, vt à Deo exisse dicitur, quia ab æterno genitus de Patre, homo ex matre in tempore natus est; & sic existimo ibi Ioan. 13. accipi. Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. aliquando solum æternam natiuitatem significat, quod hoc in loco fit, quando posterior natiuitas alio exprimitur verbo, nempe, *In mundum veni*, & hac ratione August. concordari in suis dictis potest: semper tamen exire à Patre æternam generationem significat aliquando solã, aliquando adiunctam temporali: idcirco omnes Doctores hæc verba de natiuitate à Patre exponunt. Et ea est vera doctrina, & sensus horum verborum legitimus.

Dicunt ei discipuli eius; ecce nunc palam loqueris, & prouerbiū nullum dicis; nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi.

COMMENTARIUS.

Avdientes discipuli Dominum ad eò clarè loquentem, vt sensus verborum ab omnibus perciperetur, eorum etiam dubitationi non interrogatum satisfecisse, cum gaudio, & admiratione respondent, dicentes; *Ecce nunc palam loqueris*, id est, hic est sermo, quem desideramus. apertus, & sine prouerbis, vt quid velis significare intelligamus, non vt ille, quem hæcenus habuisti in hoc cognoscimus te scire omnia, quia antequam interrogatus esses à nobis, nouisti nos non intellexisse sermonem, ac propterea voluisti te interrogare; antequam tunc eum explicuisti sermonem ideoque nos vel maximè; *in hoc, certè credimus te à Deo exisse*, & Filium esse Dei, id est, vel hoc argumento etiã si nunquam credidissemus, nunc crederemus te exisse à Deo: nos enim omnia, & metium dubitationes, ac voluntatis occultas scire, Dei est hic est sensus. Attende, *exisse à Deo*, hoc loco ad diuinitatē referendum esse, cuius erat scire omnia, quod supra dicebamus. Attende rursus (nos *in hoc credimus te à Deo exisse*) non significare tunc eos, id credere illo argumento; nam dixerat Dominus, *Amastis me, & credidistis, quia à Deo exiui*, sed sensus est, vel hoc solum satis est nobis, vt credamus te exisse à Deo non quod ante non crediderint; sed quod hoc sufficeret ad credendū, etiã si ante non credidissent: quãquam etiam exponi potest, *In hoc credimus*, id est, in hoc fidem nostram confirmamus, & comprobamus te à Deo exisse, & sic Cyril. libr. 11. ca. 11. exponit.

Respondit eis Iesus; modò creditis.

Christus dictum eorum confirmat, sed vt in hoc etiam suam diuinitatem ostendat, & se omnia præscire demonstrat, eorū stabilem fidem & firmam nondum esse, prædicens quæ futura sunt manifestat. *Modò*, inquit, *creditis*, me à Deo exisse. creditis quidem, sed modò; futurum enim est, immò iã tēpus adest, vt in hac fide stabiles nō sitis futuri; quod verbis sequentibus exponit.

ANNOTATIO XXXIX.

Verus sensus huius sententiæ expenditur. Euthymius hoc verbum per interrogationem dictum interpretatur, & per modum exprobandis, vt sit sensus, & connexio hæc; ipsi tanquã gratiam Christo præstantes dixerat; Ex hoc profectò credimus te à Deo exisse, C ipse verò exprobrans imperfectam fidem ait; Modò perfectè creditis? atqui tempus, quod iam instat docebit quã constantes in fide sitis. Probabilis est expositio, sed non videtur satis accommodata, Nam non est verifi-

verisimile Dominum exprobrare instantiam discipulis, quos tot, ac tantis rationibus, & argumentis consolari studuit probabilior est expositio Cyrilli libro 11. cap. 12. voluisse Dominum his verbis doce-

re nondum eos esse in fide confirmatos, donec induerentur virtute ex alto, proindeque hac prædictione eorum consulit vtilitati, dum se ostendit nihil futurorum tanquam Deum ignorare.

Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.

COMMENTARIUS.

A iam tempus adest, quando me solo derelicto, & amore Magistri posthabito, metu & formidine perculsi fugiatis, vt vnusquisque vestrum propriæ saluti consulat; quod paulo post impletum est: vt cap. 18. dicitur, Relicto eo omnes fugerunt, & tanquam oues dispersi sunt. Illud primum, *Veni, præsentis*, secundum præteriti est temporis, vt ex Græco sermone constat. Et est sensus; Ecce instat tēpus, immò accessit, & adest iam. Illud etiã, *In propria dispergamini*, idem significat, ac separabimini in diuersa loca fugientes: vnus hac, alius illac, quò timor impulerit, vt fieri solet, quando sine vilo consilio fuga multorum fit, quod Isa. 53. dicitur, Omnes sicut oues errauimus, vnusquisque in viam suam. Non autem est sensus eos fugisse in domos suas, sed in diuersa loca, prout occasio dabatur, quod à principio, quando captus est Dominus, fecerunt: quamuis postea ante resurrectionem conuenerint.

Et tamen non sum solus, quia Pater ater mecum est.

Svam exprimit diuinitatem, quia dixerat, *Me solum relinquatis*, ne arbitrentur ipsum eorum auxilio indigere, aut ipsum capiendum esse, quasi solum, & derelictum ab eis, adiunxit: *Et tamen solus non sum, quia mecum est Pater*, cuius ego sum Filius consubstantialis, nullius ope indigens, captus & comprehensus, quia volui; non quia solus sine vobis resistere non potui. Simile quid eo tempore respondit Petro, volenti eum defendere, An putas, inquit, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum? Hoc totum Dominus dicebat, vt mortem hanc voluntariam, & ex diuino consilio in hominum salutem susceptam discipuli intelligerent, idemque fideles auditori crederent.

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.

Concludit totum sermonē Dominus. Hæc, inquit, omnia, vobis locutus sum, vt per ea vobis persuadeam habere in me pacem, id est, non scandalizari, non turbari in me propter ea omnia quæ ventura sunt; sed fortes, & constantes in me manere, sicut hæcenus fecistis. Ita Cyrillus lib. 11. cap. 13. refert illud, *Hæc ad omnia in hoc sermone prædicta, & vera est expositio*, In Christo pacem habere, est ipsi inhærere, ab eoque etiam tentationibus impellentibus non separari; sed fide, & dilectione coniungi, & in eo permanere.

In mundo pressuram habebitis, sed confidite, Ego vici mundum.

Hic paci mundus contradicet, vosque persequetur, & affliget, & ab hac in ea pace auertere conabitur, sed estote fortes, & sperate victoriam de mundo vos reportaturos, & contra eum præualituros: nam, *Ego vici mundum* Ego qui præcedo, vt dux vester: Ego, qui vobiscum contra eum pugnaturus sum, vici eum: parum laboris vobis superest victum vincere, & lapsum superare. vicerat tunc mūdum Christus, tamen in morte, & passione sua, victoria est pro nobis completa: quando ergo Apostoli pugnarunt contra mundum, iam à Domino victus perfectè erat, Mundum appellat totum id, quod

Mundus quid appellat. legi Dei opponitur, quod hominem à Deo auertere tentat. Omnia ergo, quæ in mûdo sunt, honores, diuitiæ, voluptates, timores, persecutiones, mali homines, dæmones, & quidquid est aliud, quo homo à Deo auertitur, mundus est: hæc omnia Christus superauit, & vicit, quem à voluntate Patris, nec mors, nec tota inferni potestas, auertere potuit: vicit etiam, quia potentiam dæmonis, & mundi, quam in hominem habebat destruxit; qui tamen insuperabilis habebatur: nemo illi proprijs viribus resistere potuit: at morte sua Christus imperium, & tyrannidem hæc destruxit, dum hominem eripuit, & gratiam ei consecutus est tantam, vt resistere, & superare omnia talia possit. qui igitur in Christo per gratiam manet, non est quod diffidat, superior factus est omni potestate, & potentia mundi, quia in Christo tantas iam habet vires, vt si velit, præualere possit: nec voluptas, nec bona vlla, quæ alliciunt; nec omnia mala, quæ terrent; nec dæmon, qui per hæc pugnat, præualere poterunt in Christo manenti, si viribus datis vti velit. Et hoc est, quod i. Ioan. 5. dicitur: Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. Christus quidem contra totam mundi potentiam suis viribus pugnavit, & vicit: nos in Christo manentes, & suis viribus fulti, quidni certâ nobis de hoste victoriam polliceamur? Infœlicissimus profecto censetur, quisquis tanti imperatoris neglectis præsidij, patitur se à mundo prosterni, atque penitus superari.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.



*A*EC locutus est IESVS: & subleuatis oculis in cælum, dixit, Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum. Ego te clarificaui super terrâ: opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud te ipsum, claritate quam habui, prius quàm mundus esset apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermo: em tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui: & crediderunt, qui tu me misisti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt. Et mea omnia, tua sunt: & tua, mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo: vt habeant gaudium meum impletum in semet ipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo sicut & ego non sum de mundo. Non rogo, vt tollas eos de mundo: sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus, veritas est. Sicut tu me misisti in mundum: & ego misi eos in mundum. Et

pro

pro eis ego sanctifico me ipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, & sint consummati in vnum, vt cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, volo vt tibi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum: & notum faciam: vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Hæc locutus est Iesus; & subleuatis oculis in cælum dixit.

COMMENTARIVS.

POSTquam Dominus sermone suo discipulos instruxit, confirmauit, & cōsolatus est, ad orationem se conuertit: & vt homo. Patrem orat, tum pro sua clarificatione, tum pro discipulorum custodia, tum demùm pro omniũ fidelium futurorum conuersione. oraturus autem oculos attollit in cælum, vt se inde venisse, & illuc iam properare significet. Non indigebat oratione Christus, sed quantum nos ea indigemus, & à quo auxilium petere, & saluam sperare debeamus, ostendit: verbiq; Doctoribus magnũ proponit exemplum, vt non soli sermoni, & doctrinæ studeant, sed adiunctis etiam precibus Dei opem implorent, vt eius gratia, & benedictio fructuosum eorum reddat laborem: nam vt Paulus testatur i. Corint. 3. Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Nullum autem sine fructu Christus intermittit tempus: à doctrina enim continuò ad orandum se conuertit, viuendi disciplinæ regulam se constituens, vt Cyril. libr. ii. ca. 14. docet, Si quis piè ac sanctè viuere velit, aut ad fratres vtiliter loquatur: aut in orandi opere sermonis vsum adhibeat, ne inanis verboritas locum habeat.

Christus cum orauerit

ANNOTATIO I.

Christus in publico orauerit, cum ab his ab oratione accipiat.

Hic saluatoris nostri facto opponere aliquis possit, illud, quod ipsemet Matth. 6. docuit: Tu autem, cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; Dominus autem manifestò coram omnibus suis discipulis orat. At nulla est in hoc repugnantia, nec factum cōtrarium est verbo: nam orat Christus, non tantum vt oret, sed vt instruat, & consoletur suos; illud in abscondito fit, hoc autem coram alijs necesse est vt fiat, qui oratione & instruendi & consolandi sunt; Ita August. respondet tract. 104. Adde illud non ad literam esse intel-

ligendum; cùm & publicanus in templo orauerit, & ab alijs visus sit, & tamen à Domino laudatus est: Sermo igitur est figuratè intelligendus, vt oremus in abscondito, nullam hominum gloriam, aut laudem prætentemus; sed Dei honorè respicientes: Qui sic orat, etiam si in templo publico id faciat, in abscondito orat, hoc enim de bonis operibus etiã dictum est à Domino, quæ tamen necesse est in publico aliquando fieri, tamen humana gloria non est expetenda, sed diuina; & id est in abscondito operari, vt doctè, & verè exponit Greg. lib. 8. Mora. cap. 30.

Orare in abscondito quid sit.

Pater.

COMMENTARIVS.

HOC est orationis verbum, & attende mirum artificium. Erat Christus simul Deus, & homo; vna persona diuina in duabus subsistens naturis, diuina & humana; orat ergo, vt homo; hominis enim est, non Dei orare; at loquitur, vt Deus: opere se esse hominẽ, verbo se esse Deum ostendit; secundũ

Verbis & opere se Deum esse ostendit.

enim diuinam naturam Filius Dei est, & patrem habet Deum, & eum appellat Patrē; at secundum humanam naturam petit, & orat. Efficacissimum autem proponit argumentum impetrandi, quæ petiturus est, dum Patrem dicit. quid enim, qui Filius est, non impetrabit à Patre? talis Filius à tali Patre? solemus in precibus ijs vti appellationibus erga eum, quem precamur, quibus maximè inducitur ad concedenda, quæ petuntur; propterea Ecclesia quando petit, quæ ad potentiam pertinent, omnipotentem Deum nominat; quando quæ misericordiam concernunt, misericordem; quando quæ prouidentie sunt, Deum, & Dominum, cæterisque accommodatis vtitur titulis: at hos omnes superat, *Pater*. Rectè igitur & doctè admodum Cyril. libr. 1. Thesaur. cap. 6. docuit, maius est Deo esse Patrem, quàm esse Dominum; nam dominus respectu creaturæ dicitur; at Pater respectu Filij; maius autem Deo est Filium genuisse, quàm omnes creaturas fecisse, respectu quarum dominus est, & nūcupatur. Altissima ergo, & sublimis oratio est, quæ à tanto, & tam eximio incipit verbo; vt non addubites maxima esse quæ petuntur, quibus nimirum impetrandis tantus adhibetur titulus.

Venit hora.

NON intempestiuè petit, *venit*, inquit, *hora*, censetur opportunum tempus auxilij, quando tribulatio proxima est. Hæc est, *hora illa*, (sic enim Græcè legitur cum articulo) de qua sæpe dictum est; nondū venit hora eius. hora hæc iam adest mortis, & passionis, & exinanitionis eius vsque ad mortē crucis: meritò in hac hora ratione humanitatis suæ Christus à Patre petit clarificationē sui; quia maximè in morte diuinitas occultabatur; quia multi scādalum etiam ex credentibus passuri erant: quia denique iam mundum relinquēbat, nec amplius vt ante visibiliter cum hominibus conuersaturus erat. *Hora*, ergo, *venit*, non fati cœlestibus deputata, sed diuino consilio, & voluntate electa.

Clarifica Filium tuum.

Manifesta Domine Filium tuum, qui in morte abscondetur.

HOC est vnum, quod petit, *Clarifica*, notum fac mundo Filium tuum in carne positum. Complecturus iam aduentus sui dispensationem, Patrē tanquam homo orat, vt mundo eam manifestet: neque enim aliter eius dispensatio mundo prodesse poterat. Est autem sensus; ergo in hac hora occultandus sum (quis enim Filium tuum agnosceret, passione, & dolore, & morte turpissima laborantem?) ego iam mundum relinquo, amplius cum hominibus vt solebam non conuersaturus: visibiliter verbum tuum non amplius prædicaturus, nec miris operibus confirmaturus, sicut hætenus feci: tu ergo Pater manifestum fac mysterium dispensationis meæ mundo, ostende me esse Filium tuum, qui pro mundi salute carnem sumpsi, passionemque & mortem subiui, vt nomen meum clarificetur & notificetur mundo. hæc enim clarificatio ad consequendam salutem à me perficiendam, illi est necessaria. Ratione igitur humanitatis suæ orat Christus Patrem, & seipsum, vt Deus est idem cum Patre; vt illustret, & declarat mundo veritatem, & rationem aduentus sui, in quo & eius diuinitas, & incarnatio, & redemptio & cætera mysteria comprehenduntur ad salutem pertinentia. petit autem, quia iam est morti proximus, & amplius in hunc mundū non est reuersurus, ad instruendos hominibus verbis, & operibus, vt hætenus fecerat. Hic est legitimus sensus. fecit autem quod erat rogatus Pater, & miris signis in ipsa morte factis, & semper post mortem, & resurrectionem, & ascensionem modis & vijs permultis vsque modo, & faciet ad ipsam seculi consummationem.

ANNOTATIO II.

NON est facilè Doctorum sensus in hac superiori sententiā exponenda assequi, quos tamen percipere, & considerare vtile est. Sciendum igitur gloriam seu claritatem, Græcis δόξαν, dupliciter vsurpari. Altero modo significat id, quod est præclarum, & laude, ac honore dignum in aliquo; sic beatitudinē, quæ in beatis est, gloriam dicimus eorum; sic quando aliquis affectus est dignitatem aliquam, aut insigne bonum, dicimus factum gloriosum.

sum, & præclarum. Altero modo significat opinionem honorificam, quæ de aliquo apud alios habetur. quando enim aliquis consecutus est apud alios opinionem bonam, & excellentem virtutis suæ, dicitur gloriam seu claritatem habere. Hinc est, vt verbum clarificadi, seu glorificandi, aliquando significet notitiam alicuius præclaram habere, & spargere; aliquando verò, efficere alicui magnis, & præclaris beneficijs, quibus factus est clarus, & gloriosus. Deus homineth, & homo Deum clarificat, seu glorificat; at multo aliter: nam Deus glorificat hominem ipsi conferendo beneficia, & bona, quibus efficitur gloriosus; at homo nihil potest Deo ipsi afferre boni; sed glorificat Deum, dum præclaram habet notitiam Dei, & eum manifestum facit ijs, qui ignorant. Christus autem, vt homo vtroque modo est à Patre glorificatus, quandoquidem & beneficia humanitatis suæ præclarā accepit per resurrectionem, & ascensionem & sessionem ad dextram; de qua glorificatione dicitur Ioan. 7. Nondum erat Iesus glorificatus: & rursus notitia & nomen eius sparsum est per orbem; de hac dicitur Ioan. 11. Vt filius Dei glorificetur per eam: Vt Deus autem vno tantum modo glorificatus est, nempe quo ad notitiam, & manifestationem nominis sui. Cum igitur hæc ita se habebant, difficultas est, vtram nunc petat à Patre claritatem: nam si priorem petit, solius humanitatis claritas petitur; si verò posteriorem; erit glorificatio communis humanitati, & diuinitati. Duplex est doctorum expositio: quidam de priori claritate interpretantur, vt Christus petat se clarificari, sibi que dari claritatem in humanitate sua. In qua expositione duplex est sententia. Prior Origen. hom. 6. Exod. qui exponens illud, Gloriosè magnificatus, seu glorificatus est, duas Christi glorificationes distinguit: alteram gloriosam, alteram non gloriosam; gloriosa est eius resurrectio, & ascensio in cœlos, non gloriosa est passio, & mors eius. Fuit quidem mors gloria Christi; quia per eam omnium mortem destruxit, Diabolum vicit, mundi peccatum aboleuit, vitam reparauit, hominem Deo reconciliauit: magnificum profectò opus, & omnipotentia dignum, quod in humilitate, & in dolore factum est; idcirco gloria, sed non gloriosa dicta est. Origen. non hæc exposuit, tamen nos mentem eius secuti declaramus, maximè quia Ambrosi. lib. 4. Exam. ca. 2. eam secutus, licet nomine tacito in eum sensum intellexit, cuius hæc sunt verba. *Pater clarifica filium tuum*, vt ille occasu suo det vitam æternam his, quæ perpetuè mortis vrgebantur occasu.

Augustinus Origine in pugnantibus pugnat.

Eandem Origenis sententiam August. tract. 104. suppresso auctoris nomine recitat, & impugnat ea ratione: nam mors, & passio non ad exaltationem, sed ad humilitatem pertinent; ideo non est dicendus clarificatus Christus morte sua. probat autem illo Pauli ad Philippen. 3. Humiliauit se vsque ad mortem; postea dicitur; propter quod exaltauit illum Deus, quæ exaltatio ad resurrectionem perti-

net. Hæc impugnatio August. efficax non est: quamuis enim mors, & passio in se ipsis claritas & gloria non sint; tamen ratione eorum quæ per ea gesta sunt, maxima gloria sunt: gloriosum enim fuit in Christo, morte humanum redimere genus, & victoriam inimicorum, talem ac tantam reportare: mori profectò infirmitatis est; cæterum morte ea facere, quæ facta sunt, infinitæ potentie, & meriti fuisse negauerit nemo. Et præter auctoritatem Origenis, & Ambrosii accessit etiam Hilarij, qui libr. 3. Trini. fatetur etiam cruce ipsa Christum clarificatum. Doctrina igitur Origenis vera est; at his verbis accomodata non videtur, vt inferius ostendemus. Altera sententia est ipsius Aug. eodem loco, qui reiecta illa expositione, docet hanc claritatem esse resurrectionem ipsius, & ascensionem ad dextram, petit ergo clarificari à Patre, vt à mortuis resurgat, & in cœlos ascendat post humilitatem suam. Conuenit cum Orig. peti claritatem humanitatis suæ, tamen dissentit aliam interpretans claritatem hanc.

Ista expositio siue ea Origenis, siue ea, quæ Augustini est, non videtur contextui aptari facile posse, quia paulò inferius, ex his ipsis verbis concludit; *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Ac si diceret; claritas mea, & tua necessaria est ad æternam vitam hominibus consequendam, quibus verbis claritatem vtramque per cognitionem hominum explicat, vt clarificari non aliud sit, quàm manifestari nomen eius mundo. Hoc argumentum attentè contextum consideranti efficacissimum est, quod in ipsa expositione fiet manifestum; idcirco posteriorem expositionem communis fere sententia Doctorum amplexa est; vt claritas, quæ petit, sit manifestatio, & declaratio nominis sui apud homines. Ita Ambrosi. libr. 4. de fide cap. tenet. & Basil. libr. 4. con. Euno. prope finem. Cyrill. libr. 11. cap. 14. Hilar. libr. 3. Trini. Cypria. de duplici martyrio, & Euthym. hi omnes in hoc conueniunt, clarificationem hanc petitam à Patre, esse manifestationem Christi. Etiam autem si in hoc conformes sint, tamen est inter eos varia sententia, quia manifestatio hæc multis modis facta est, ideo incertum est, an hanc, an illam petat. Primò igitur loco Hilarius exponit eam peti claritatem, quam Pater perfecit signis illis diuinis, quæ in morte Christi effecta sunt; quibus eum, qui moriebatur, filium suum esse testatus est. videntes enim signa multi dixerunt; Verè filius Dei erat iste. Secundo Cypria. aliud adiungit, nempe non illis signis solis se notum fieri petere, sed etiam celeri resurrectione sua; hac enim etiam Pater confirmauit suum filium esse Christum. Tertio loco Cyr. adhuc adiicit; nō hanc solam peti clarificationē, sed totam, quæ facta est post mortem vsque modo; Deus enim filiū suum illustrat semper & declarat mundo: vt in eius mortē, & in resurrectione, & in ascensione, aduentu Spiritus sancti, & in missione Apostolorū, denique Christus claritatem suam in mudo generaliter nec

Diversa Petrum de Christi claritate sententia.

loco nec tempore determinatus petit: & id nos secuti sumus. Quarto Euthymius, quamuis illam primam, quæ Hilarij est, referat; tamen ipse aliam præmisit, nempe claritatem, quæ sit ex ipsis afflictionibus, & passione Christi; ut sit sensus, *clarifica mundo, me ex affectu, & amore erga seruos passionem, & mortem subiisse: hoc enim faciet accurrere ad me populos, & gentes, dum nouerint tam eximio amore me eos prosequi.* Hæc sunt, quæ Doctores tenferunt, eorum sensibus fidelissimè expostis, liberum est lectori sequi, quam sententiam accommodatiorem iudicauerit: singulari enim sanam doctrinam continent, & Arianorum obiectione per quamlibet earum refellitur. Obijciebant enim isti, ut auctor est Basil. & Ambros. locis citatis; Si Filius clarificatur à Patre, ergo minor est Patre. Non aduertebant, vel aduertere cæci noluerunt verba sequentia, *ut Filius, clarificet te.* si eorum argumento ut liceret, cum filius clarificet Patrem, erit profectò Pater minor filio. Responsio legitima, & Catholica est, si de priori clarificatione sit sermo; ratione humanitatis clarificatus est, in que resurrexit ascendit in cælum, & gloriam recepit; si de posteriori, non

Arianorum
obiectione
refellitur.

Quomodo
Filius
clarificatur
à Patre.

Hanc sui manifestationem, in quem velit finem exponit; *ut Filius tuus glorificet te.* id est, dispensationis mysterio illustrato, nomē Patris mundo manifestetur, & celebretur. Filius dicitur Patrem clarificare, quatenus incarnationis & redemptionis per ipsum factæ mysterio reuelato, & clarificato, multum diuinitas cognoscitur, & perfectio eius commendatur: nam & mysteriū Trinitatis ostenditur, & summa bonitas, sapientia, potentia, iustitiaque Dei mundo innotescunt. Christo etiā manifestato, eius doctrina recipitur, qua diuinitas fit notior: ignotus enim erat Deus mundo, maximè gentibus ante aduentum, at Christo clarificato Deus mundo notus factus est, non solum gentibus, quibus prorsus erat ignotus; sed etiam Iudeis, quibus etiam si ante notus erat, non tamen ea perfectione qua postea. Propriam ergo clarificationem quærit, & petit ut homo, sed non propter se tantum, sed ut ex ipsa glorificetur diuinitas, quam Patri tribuit ut primo originis principio, à qua filius diuinitatem accipit. Hoc idem aliquando suos docuit, quod ipse nunc seruat. *Luca. 5. lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ecce dicitur, ut videant opera vestra, & clarificemini, sed hæc claritas in eum finem quærenda est, ut Deus clarificetur & glorificetur, sic gloria mediatoris Christi ab ipso petitur, propter gloriam Patris.*

A N N O T A T I O III.

Nemo dubitat hanc claritatem esse manifestationem, seu illustrationem nominis, & virtutis Dei; non enim aliter Deus ab hominibus glorificatur, aut clarificatur. at difficultas est, an sit eadem clarificatio cum ea, quæ fama est de Filio. Cyrill. enim lib. 11. ca. 14. vnam & eandem esse dicit: dum enim clarificatur Filius, simul clarificatur Pater. Aug. verò tract. 104. & Orige. hom. 6. Exod. quos in superiori annotatione diximus, clarificatio-

An hæc Dei
claritas alia
sit à claritate
filij, de qua
superius dixi-
tum est.

procedit argumentum: nam etiam inferior clarificat. superiorem: homo nempe Deum, & æqualis æqualem, homo hominem, & superior inferiorem, & Deus hominem clarificare dicitur.

Verum enim verò dubitatio vna hoc in loco superest; cum hæc claritas sit illustratio Christi, an sit humanitatis, an diuinitatis clarificatio. Cyrillus enim diuinitatis clarificationem exponit, cæteri humanitatis. Verum est vtrumque: nam declaratur, & manifestatur homo ille, dum agnoscitur Deus esse, & manifestatur Deus, dum agnoscitur homo esse. Vnde rectè Basil. lib. 4. con. Eunom. dixit esse manifestationem dispensationis, id est diuinæ incarnationis. Petit ergo Christus clarificari à Patre, id est, ut notum faciat hominibus mysterium aduentus sui, nempe eum esse filium Dei hominem factum, qui pro nostra salute venit in mundum carne sumpta, & in redemptionem nostram mortem est perpassus: hoc totum mysterium salutis clarificari petit. Et hæc est vera doctrina, & legitima expositio, quam in commentario secuti sumus, & quæ in ipsius contextus expositione multo adhuc magis confirmabitur.

Ut & Filius tuus clarificet te.

C O M M E N T A R I V S.

claritatem filij exponit notificationem, distinguit has claritates, & ita dicendum videtur. claritas enim, quam petit Filius, est notificatio suæ disputationis; at ex hac clarificatione consequitur claritas etiam Patris, & diuinitatis: sicut ergo nosse mediatorem, non est idem quod nosse Deum: duo enim hæc sunt, & aliqui nouerunt Deum, & nõ mediatorem; ita etiam sunt distinctæ claritates, quod inferius declarat, *ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum, illud, cognoscant te solum Deum verum.* pertinet ad claritatem Patris, illud, *& noscant; quem misisti,* pertinet ad claritatem filij: duoque sunt articuli fidei, vnus de Deo, alter de dispensatione: quamuis sit vna fides vna & claritas ratione habitus, tamen actus sunt distin-

cti, & hoc est, quod nunc dicitur. Fit autè hoc modo clarificatio; Pater declarat Christum, nempe Deum in carne, seu Deum hominè, miraculis signis & modis multis visibilibus, & inuisibilibus; Christus verus filius declaratus, Patrem & diuinitatem declarat doctrina suæ; quam nobis de diuinitate relinquit, & per suos discipulos docet, & docuit: qui enim semel Christum recipit, per eius doctrinam quæ diuinitatis sunt, intelligit, & Patrem clarificat. In ipsa etiam dispensationis manifestatione perfecta, diuinitatis etiam multa declarantur, & vtroque modo clarificato Filio; clarificatur & Pater, & illustrato mediatore, notus fit, qui misit eum.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.

C O M M E N T A R I V S.

Quam claritatem, quam dedisti potestatem in homines: tu autem non vnus, aut alterius populi, sed omnium hominum ei dedisti potestatem, & ad omnes redimendum misisti, & omnes curæ eius commisisti, notifica ergo me quantum officij, & muneris amplitudo postulat, ut ab omnibus tuus filius, & redemptor agnoscar, sicut pro omnibus missus sum, & omnium salutem operatus sum, ut filius tuus clarificet te, id est, ut omnis caro etiā te clarificet, & honoret. Particula, *Sicut,* non solius est similitudinis, sed simul æqualitatis cuiusdam, quasi inter nos princeps aliquem indignitatem amplam promoueret, sic autem promotus diceret principi, da mihi diuitias & expensas, sicut dedisti dignitatem, id est, pro modo, & mensura dignitatis da diuitias, quibus eam conseruem. Attè de autem, in verbis latere argumentum petendi, *dedisti,* inquit, *potestatem,* ac si diceret, Pater cum dederis potestatem talem, ac tantam, æquum est dare consequentia, nempe manifestationem, & clarificationem. Loquitur Christus ut homo, & carnem, omnes homines appellat.

Ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

Finem, propter quem claritatem tantam petat, quanta potestas ei data est, exponit: sensus autem est, *ô Pater, Peto claritatem hanc potestati æqualem, ut vitam æternam consequantur omnes hi, quos mihi dedisti; quam non poterunt assequi, nisi ego clarificer in eis, ab ipsisque agnoscar; ut igitur hi omnes, quos mihi saluandos, & in quos potestatem dedisti, fructum mediationis, & dispensationis meæ consequantur, clarifica me sicut peto: hæc enim claritas, quæ fides est in me, est omnibus ad salutem necessaria. Hic est sensus legitimus huius vtriusque sententiæ. Est autem duplex hebraismus in his verbis, vnus est mutatio numeri; cum enim dixisset, *Omne, quod dedisti mihi,* statim dicit, *ut det eis:* nam illud singulare quantum ad sensum plurale erat, quod frequens est in sermone Hebræo. Alter est repetitio illa relatiui; satis erat dicere, omni, quod dedisti mihi, det vitam, aut, quod dedisti mihi, det ei vitam: at morte Hebræo vtrunque coniunxit. Deum se his verbis, & non solum hominem ostendit; dare enim vitam æternam Dei est: hoc tamen in annotatione declaratur perfectius.*

A N N O T A T I O IV.

Particula si-
cut, non cau-
sam, sed simi-
litudinem de-
notat.

ALIQVA in his duabus sententijs annotanda sunt. Vnum est particulam, *Sicut,* non significare causam, ut existimat Euthym. quasi dictum esset, clarifica filium tuum, quæ

Cdedisti ei potestatem omnis carnis; non enim Dominus solam causam impetrandi hoc verbo exprimere volebat, sed etiam magnitudinem claritatis significare; ut clarificaretur pro

Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi, ut faciam.

C O M M E N T A R I V S.

Significatio
Christi clarificauit Patrem.

HOCC est aliud, quod à Patre petit, nempe gloriam, & claritatem carnis suæ, completo iam dispensationis opere, propter quod se exinanierat, & usque ad mortem obediens factus fuerat. est ergo sensus, iam ego ò Pater te clarificaui super terram: nam carnem assumpsi, ut testimonium perhiberem veritati docendo, & prædicando, & annuntiando hominibus salutem. dicit, *Super terram*: nam Pater in cœlis clarificatus erat ab Angelis eum vidētibus. Rursus iam, *Consummaui opus quod dedisti, ut faciam*, Opus autem hoc fuit mortem, Diabolum, peccatumque morte sua debellare, & vincere; reconciliare homines Patri, denique opus redemptionis, at quod peragendum missus est, perficere. Loquitur in præterito non solum propter certitudinem rei futuræ, sed quia iam proxima erat, & quod minimum distat, quasi non distare videretur, idcirco dicit, *Consummaui*. opus hoc est illud, de quo Ioan. 4. dictum est: Cibus meus est, ut perficiam opus eius, nempe redemptionem humani generis per mortem. Dicit autem, *quod dedisti mihi*, quia Filius ratione humanæ naturæ factus est à Patre redemptor hominum. Ioan. 13. Omnia dedit ei Pater in manus. Clarificasse etiam dicitur Patrem, quia nomen eius manifestauit, ostendendo se Filium eius ab eo missum, operarique opera eius Patrem etiam misisse eum ex dilectione, ut omnis, qui credit in eum non pereat. Multa alia Christ⁹ annūtiauerat, & docuerat, quibus Patrē illustrauerat, & ita Hilar. lib. 3. Trin. exponit. Denique duo officia eius hæc verba continēt, propter quæ venit: nimirum, veritatem Dei dicere, & mundum redimere; illud fuit clarificare Patrem prædicatione, quod iam fecerat; hoc verò est mori pro homine, quod, quia proximum erat, consummasse se dicit. His ergo peractis, ut homo petit glorificationem suæ carnis, quæ ex dispensatione donec hæc fierent, in humilitate erat quod in sequentibus magis explicatur.

A N N O T A T I O VI.

Pater sententia de claritate, qua Filius Patrem clarificauit.

AVgust. tract. 105. hanc clarificationem exponit eam, quæ facta est per Euangelium, quo Pater manifestatus est: quia verò quædo hæc Christus loquebatur nondum facta erat; idcirco Aug. præteritum hoc pro futuro positum esse affirmat, ut solent prophætæ facere, ad certitudinem rei futuræ significandæ: sensus tamen est. Ego te clarificabo; ea ratione ad hoc asserendum inducitur August. quia paulò ante dictum est, *Clarifica filium tuum, ut filius te clarificet*, igitur hæc Patris clarificatio nondum erat facta, quia Filius nondum erat clarificatus. Accommodatior tamen est expositio Hilarij libr. 3. Trin. nempe cum hæc Christus loquebatur, iam fuisse clarificatum Patrem: nam miraculis & doctrina, se à Patre missum esse, atque adeo filium Dei multis diuinitatis mysterijs declarauit. Nec argumentum Augustini efficax est: nam illa clarificatio fuit in Iudæa, & à paucis recepta; futura autem erat post Christi mortem, & resurrectionem maxima & amplissima per totum orbem, de qua nõ loquitur nunc Christus, sed de ea, quæ facta

Aerat. Constat autem, quando hæc loquebatur Christus, Patrem ab eo esse glorificatum ex Ioan. 8. Infirmas hæc nõ est ad mortem sed pro gloria Dei. Et Ioannis 8. Honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me: & sunt multa huiusmodi testimonia. Illud autē, *opus consummaui*, Aug. pro futuro positum exponit at accommodatius est, positum esse ut sonat, quia iam instabat mors eius, & quæ citò futura sunt, facta censentur. Aug. autem non solum mortem, sed omnia, quæ postea facta sunt ad salutem hominum, exponit; idcirco pro futuro positum censet. Existimo tamen loqui Christum de his, quæ ipse in mundo visibiliter existens facturus venit, & quæ gessit ante suam exaltationem. Chrysostr. hom. 79. cum August. sententia videretur tamen in præterito affirmat esse locutum, quia & si nondum omnia facta erant; causa & radix omnium bonorum sequentium, nempe mors passioque eius proxima erat; at prior expositio videtur legitima, & sequentibus conformior.

Et nunc

Et nunc clarifica me tu Pater, apud te ipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te.

C O M M E N T A R I V S.

PROsequitur sententiam, & est sensus: Cum igitur ego te in terra clarificauerim, & opus perfecero, quod mihi faciendum iniunxisti; reliquū est ut tu Pater me clarifices apud te ipsum in cœlis, ea claritate, quam habui apud te ab æterno: id est, humanitatem hanc meam clarifica, exalta, glorifica, claritate digna filio Dei, qualis ego sum: & da ut claritas, & gloria, quam ego ut Deus ab æterno tecum habeo, communicetur, & extendatur usque ad carnem meam, quæ propter dispensationem hætenus est suspensa. peracta ergo dispensatione diffundatur, & extendatur in carnem meam. Aduerte hanc clarificationē, quam petit Christus esse illam, de qua dicitur apud Luc. Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam: quod his verbis dicitur, *Oportuit pati*, dicit nunc, *Opus consummaui*, quod autem dicitur, *Intrare in gloriam*, hoc est, *Clarifica me*, quod dicitur, *Suam* hoc est, *Claritate, quam habui*. Nos quidem non intramus in gloriam nostram, quando glorificamur, quia ab extrinseco nobis aduenit gloria; at Christus gloriam habet in se, quia Deus est, & idem qui Deus est, homo est: glorificatur ergo ut homo ab ipsa gloria, quæ habet ut Deus, sicut dicitur; descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo: scilicet, qui erat in cœlo ratione diuinitatis: ascendit ratione humanitatis: tamen idem est suppositum ascendens, & quod in cœlo erat. Ita nunc ratione humanitatis clarificari petit, non claritate quæ de foris accedat, sed claritate propria, quam ab æterno habet ut Deus: quia idem est Deus, & homo gloriosus ab æterno in natura diuina, ingloriosus in carne propter nostram salutem. Doctè ergo annotauit Athanas. hunc exponens locum lib. de salutari aduentu Christi, affirmans hæc verba esse dicta, ut significaret Christus se non esse sequestratum à diuina gloria, quia Deus erat; sed quia versabatur in corpore inglorioso. Illa particula, *Et nunc*, vim habet cōsecutionis, & illationis, ac si diceret, nunc ergo: & illud *Nunc*, ut notat Euthymius nõ tantum tempus præsens, sed etiam sequens dicit; ac si dictum esset, deinceps, seu ex nunc, seu in posterum clarifica me. Illud etiam *apud te ipsum*, opponitur illi, *in terra*, ego te clarificaui in terra, tu clarifica me apud te ipsum in cœlis ad dexteram. Illud, *quam habui apud te*, significat apud te habui, tanquā filius tibi æqualis, iuxta illud (Verbum erat apud Deū). Cetera in annotatione require.

A N N O T A T I O VII.

Quam claritatem possit ipse dari filium.

Communis sententia Doctorum hæc verba exponit de claritate, quam habuit apud Patrem ut Deus, quam petit communicari carni suæ; quæ claritas, ut locus daretur redemptioni nostræ, per passionem detinebatur, ne in carnem se diffunderet: ut enim sol lucret in se, & potens est terram illustrare; at nebula interposita radios retinet ne diffundatur, sole in se semper lucente; ita diuinitas vnita humanitati utique radios gloriæ suæ in totam diffudisset humanitatem, eamque gloriosam effecisset; nisi, ut in mysterium redemptionis nostræ perficeretur, dispositum fuisset, ne gloria ad carnem extenderetur, sed maneret mortalis, donec opus consummaretur per mortem. opere autem perfecto, & carne iterum per resurrectionem animæ vnita, gloria diuinitatis in totam redundauit humanitatē totaque humanitas corpore etiam, & carne gloriosa facta est: nõ quod illa gloria eadem, quæ est diuinitatis data sit humanitati: nam illa est ipsa diuina essen-

Atia, sed ex ea processit gloria participata carni, & humanitati; sicut sol non dat terræ suam lucem: hæc enim in ipso manet; sed per eam lumē producit in terra. Aliqui hæretici, ut refert Aug. tract. 105. hanc clarificationem sic factam affirmarunt, scilicet, quia humanitas conuersa est in diuinitatem; sed inanis est, & ab omni intellectu alienus talis error; participauit enim humanitas gloriam diuinitatis, sicut terra lucem solis, & sicut beati gloriam Dei; hoc tamen discriminis est, quod gloria humanitatis Christi erat ab interno, nempe ab eodē supposito: erat enim idem Deus & homo, quod in beatis non fit. Hinc processit, ut gloria humanitatis ipsius fuerit super omnem gloriam beatorum, cum illa fuerit coniunctissima diuinitati, quæ est fons, & origo gloriæ. Hæc est doctrina communis, & ita hunc locum sancti interpretantur, nepe Athan. loco citato. Hil. lib. 3. Trin. Cyril. li. 1. ca. 17. Chrysostr. ho. 69. quam communem explanationem refert Ambros. lib. 4. de fid. de

Claritate patris, qua Dei filium de cœlo.

Luc. 24.

Duplex Christi officium.

Hæretici vobis seduntur.

de fide capit. 6. quamuis citet sententiam exponentium priorem hanc claritatem, cognitione seu manifestationem, qua hominibus nomen eius innotuit; claritatem vero, quam habuisse apud Patrem dicitur, omnes gloriam diuinitatis interpretari affirmat. Hæc dixerim propter Augu. qui tract. 105. aliter exponit, vt sit gloria humanitatis, quam ab æterno Deus prædestinavit dare illi humanitati; vt sit sensus, clarifica hanc carnem meam ea gloria & claritate, quam ab æterno antequam mundus fieret prædestinasti ei dare. Istam expositione Tertul. li. de Trin. refert fuisse Arianorum, qui vt diuinitatem Christi negarent, ita hanc æternam gloriam exponebant, & eam acriter impugnat tamq̃ verbis Domini contraria: non. n. dicitur, claritate, quam prædestinasti, sed quam habuit apud te. Nemo dici potuit habuisse apud Deum, nisi fuisset apud Deum. Et re vera ita mihi

Communem sententiam

A videtur cum communi sententia sentiendum: nemo enim concederet de villo beatorum, qui nunc sunt, hanc assertionem; Petrus, aut Paulus habuit ab æterno gloriam apud Deum: improprijssima esset locutio, & pijs auribus vix audita, nec in scriptura talis loquendi modus reperitur; electi quidem sunt ante mundi constitutionem, vt essent sancti, & gloriosi, tamen ante mundi constitutionem non habuerunt apud Deum sanctitatem, aut gloriam, antequam fuissent. solus igitur habuisse is dicitur gloriam, qui verè tunc erat, & eam habuit. Non ergo de humanitatis gloria, quæ non fuit ab æterno, sed de gloria diuinitatis, quam filius apud Patrem semper habuit, sententia hæc impetrandæ est. Vnde doctè, & verè per hanc sententiam Christi diuinitatem, & suppositi identitatem, seu vnitatem, qui erat simul Deus & homo probant, & confirmant Doctores.

approbat, & confirmat.

Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.

COMMENTARIUS.

Postquam Christus petijt vtranq; claritatem sibi, nempe nominis sui manifestationem mundo faciendam, & suæ carnis, ac humanitatis glorificationem per resurrectionem, & ascensionem ad dexteram patris complendam; ad orandum pro suis discipulis se conuertit. Exponit autem primò, pro quibus orat, *Manifestaui*, inquit, *nomen tuum hominibus*, ostendèdo me esse filiū tuum à te missum; aperiendo causam, propter quam sim missus, amorem scilicet tuū erga mundum; prænuntiando etiam spiritum quem missurus es post discessum meum, & alia, quæ diuinitatis tuæ opera sunt, docendo. Hæc omnia nota feci ijs, quos, inquit, *dedisti mihi de mundo*. loquitur Christus vt homo, cui Pater dedit discipulos de mundo: elegit. nicos de medio aliorum hominum; liberauit à peccatis; fecit discipulos, & apostolos. omnia hæc opera sunt Dei; nemo enim potuit venire ad Christum, nisi tractus à Patre: dicit ergo Christus; ò Pater tu dedisti mihi, & elegisti eos, vt essent mei comites, discipuli, & apostoli. His etiam verbis Christus multa alia significat. Primò discipulos non solo suo arbitrio venisse ad eum, sed Patre electos, & tractos. Secūdo, se non voluntate humana sola eos, aliāue de causa elegisse nisi quia diuinæ voluntati id ita placitū nouit; ideo enim Christus, vt homo ad se illos vocauit, quia vt Deus eos vocandos decreuerat. Tertio dominiū & potestatem, quā vt homo habebat in omnes, & in suos discipulos, à diuinitate esse, & emanare. Quarto, se humanā suā voluntatē habere cū Patre, diuināq; voluntate conformem. Hæc omnia his verbis indicat, & simul ad impetrandū, quæ petit, cōuenientem affert rationē, scilicet quia sibi à Patre dati erant. Aduerte manifestare nomen Patris, esse declarare Deum Patrem esse, & Filium habere, vt exponit Aug. tract. 106. Chryf. ho. 80. & Cyril. li. 11. c. 18. Iudæi enim Deum esse rerum opificem norant, at Patrem esse ignorabant. Gentibus vtrumq; erat ignotum: nam nec Deum omnium creatorem, nec filium habere consubstantialem, esseque Patrem assecuti sunt. Dicit autem Cyril. (quod superius etiā annotauimus) l. 11. thesau. cap. 2. Patris nomen esse verius, quam nomen Dei; hoc enim est dignitatis, & operationis cuiusdam, (ab eo enim, quod omnibus prouidet, Deus dicitur,) illud substantialis proprietatis. Nomē ergo Dei Christus manifestaui, quia Patrem notificauit, simul etiam declarauit eius opera: totum enim ad nominis manifestationem pertinet. Sunt autem hæc verba pronuntiata, vt dicit Chryf. ho. 86. de discipulis, quod etiam affirmat Aug. tract. 106. & Euthym. & ex sequentibus constat.

quid verba Christi significent.

Tui erant

Tui erant, & mihi eos dedisti.

Persequitur eos describere, pro quibus orat; dixerat autē; tu dedisti mihi; id explicat. *Erant*, inquit, *tui, & dedisti eos mihi*, non aliena, sed tua propria dedisti. Discipuli dicuntur fuisse Dei, & Patris, non solum per creationem, totus enim mundus, tam boni, quam mali hac ratione ipsius sunt; sed ipsius dicuntur per æternam electionem, quia illos sibi delegerat: quos autem elegerat ab æterno Deus, hos dedit Christo ratione humanæ naturæ, & vt homo est. Cū enim in tempore homo factus sit, potuit vt homo accipere à Deo, quæ antequam homo esset, non habebat vt homo. non tamen quia Pater dedit, ideo se dominio priuauit, sicut dans filio vt Deo, essentiam suam ab æterno, non se priuat ea; ita dans electos, & prædestinatos Christo homini vt redemptori, & magistro, ac domino, non ideo se priuat dominio, prouidentia, & cura, quam habet de eisdem vt Deus.

tuus fignu- l. rimo do, Dei esse dicitur.

Et sermonem tuum seruauerunt.

Non inutiles, & infructuosi fuerunt, nā, seruauerunt sermonem tuum, & quæ ego nomine tuo eis facienda præcepi, custodierunt. *Mihi*, eos in discipulos, & ministros dedisti; & verè ministrarunt, & executi sunt, quæ ego tanquā tuus Filius iniunxi, & imposui. Hæc obseruantia ex historia Euāgelij constat.

Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt.

Non solum seruauerunt, quæ eis tuo nomine præcepit: sed etiam crediderunt ea, quæ dedisti mihi, à te esse, nempe opera mea, & doctrinā diuinā esse, & à te nouerunt procedere. Attende Christum miracula, opera Patris appellare: quæ enim diuinitatis sunt, vt sepe diximus, Patri refert accepta: rursum doctrinam etiam Patri tribuit loā. 7. Doctrina mea non est mea, sed cuius, qui misit me. Ioan. 12. Ipse mihi mādatum dedit, quid loquar, & quid dicā. Ioan. 14. Pater in me manens, ipse facit opera. Ioan. 10. Si non facio opera Patris mei, nolite credere. His omnibus significabat se nō vt hominem merum docere & operari, sed ea omnia esse à diuinitate, quæ intus latebat, secundum quam erat vnum cum Patre. Hoc est, quod dicit de suis Apostolis, nouerunt, id est, crediderunt, quæ mihi dedisti vt homini facienda & dicenda, verè esse à te: id est, à diuinitate tua, quæ in me est, meque esse Dei filium. Dicit autē, *Nunc*, nempe postquam à me iam edocti, & instructi sunt: quia principio hæc non nouerant discipuli, sed post Christi doctrinam. Insinuat adhuc non esse stabiles, iuxta illud paulo antedictum: Nunc creditis.

ch. 17. u. 10. loff. inam. & opera sua. Pater esse dicit.

Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.

Causam vnde nouerint, quæ dedisti mihi omnia à te esse, ea est, quia doctrinam quam mihi, vt homini dedisti, ipsis communicauit, eam acceperunt, & acceptarunt, non vt Iudæi contradicentes, & calumniantes. Acceperunt autem eam sic, nouerunt me à te exiisse, & à te esse missum, hæc duo crediderunt, nempe me esse filium tuum, hoc est, à te exiisse, & venisse in mundum, missum à te in carne propter salutem hominum. Hæc duo consonant illis, Hæc est vita æterna, vt credant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Isti nouerunt me à te exiisse, hoc est, credere, & nosse verum Deum: & crediderunt à te missum, hoc est, nosse Iesum Christum: hæc annuntiaui, & hæc audientes acceperunt per fidem. Ita hæc duo Cyril. libr. 11. capit. 18. exponit, quamuis illud *Tu me misisti*: sic interpretatur, *Tu me misisti*: vt mandatum tuum annuntiarem: at generalius nos interpretamur, scilicet, *Tu me misisti*; propter salutem hominum, in quo & annuntiatio doctrinæ, & salutis operatio con-

tio continetur. Quod autem dicitur, cognouerunt & crediderunt, eandem fidei notitiam significat: sed cognitio dicitur, quatenus miraculis & signis confirmata erat, ut supra annotauimus. Hæc omnia narrat Dominus, ut se non immerito eos Patri commendare, & pro ipsis rogare significet, ut Cyril. lib. 11. cap. 18. annotauit.

Ego pro eis rogo.

Conditionibus discipulorum descriptis, nunc preces suas exponit, & Patri offert, pro his, inquit, rogo, & preces fundo ad te Pater: quid autem precetur, & roget, inferius exponit. Sciebat Pater, pro quibus oraret, & quales essent ijs, pro quibus rogaret: at Dominus expressit hæc verbis suis, ut cognoscant discipuli eximiam erga se magistri dilectionem, & quanta beneficia ab ipso acceperint: qui digni facti sunt Christi precibus apud Patrem commendari, & denique, ut pastoribus & praelatis in signe relinqueret exemplum rogandi, & orandi Deum pro ouibus suis.

Non pro mundo rogo, sed pro ijs, quos dedisti mihi, quia tui sunt.

Non pro omnibus omnino petenda sunt

Iustitiam, & æquitatem suarum precum exponit: non enim pro omnibus sunt omnia petenda: nec pro impænitentibus venia, nec pro incredulis salus peti debent: pro illis autem iusta est petitio, quibus quod peritur, recte conceditur. Dicit ergo, ô Pater, dixi me rogare pro his, quos dedisti mihi, tales preces iustæ sunt: non enim rogo pro mundo, id est, pro perditis hominibus, qui suis dediti vitijs, nolunt me sequi, nec in me credere, sed rogo pro ijs, quos tu mihi dedisti, quia tui erant, id est, quos tu elegisti, & mihi dedisti. Si ergo tui erant, & à te electi, & mihi dedisti eos, digni profecto sunt meis precibus, & mea oratio iusta est, & æqua. Illa particula, Quia tui erant, non est coniungenda cum verbo rogo, ut sit sensus rogo pro eis, quia tui erant, sed connectitur cum proximè antecedentibus: nempe, rogo pro ijs, quos tu dedisti mihi, tanquam tuos & à te electos, significans, si Pater elegit, & tanquam suos electos tradidit filio, profecto iusta est petitio filij apud Patrem pro talibus. Ita connectit Cyril. lib. 11. cap. 19. Chryso. hom. 80. & Aug. tract. 107. cum cæteris antiquioribus.

ANNO TATIO IIX.

Christum cur pro mundo non orauerit.

Ubitare aliquis non immerito posset ex illo 1. Ioann. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi; quomodo igitur dicitur, Non pro mundo rogo? Cyril. lib. 11. cap. 19. hanc dubitationem proponens respondet, Ioannem, quia natione Iudæus erat, ne existimaretur docuisse, Iudæis tantum Christum propitiationem esse, quando dixit, est propitiatio pro peccatis nostris, adiecit, pro totius etiam mundi peccatis, ut etiam Gentes significaret, pro quarum peccatis etiam fuit Christus propitiatio. At Dominus in hoc loco suos separare voluit à non suis, & ijs, qui à Patre tracti non sunt; quibus mediationis suæ bonum non tribuit. Obscura est responsio, & indiget declaratione. Distingueda igitur sunt hæc duo, scilicet Christi oblatio, seu sacrificium per mortem eius factum pro nostris peccatis, & oratio seu preces suæ. oblatio enim, seu sacrificium factum est in cruce, at preces etiam ante crucem, sicut modò factas legimus, quando nondum captus erat. Vtrumque pro nobis fecit Christus, & Patri se obtulit in sacrificium, & preces pro nobis fudit, & rogauit: sacrificium generale fuit pro omnium, & singulorum peccatis ex parte sua sufficientissimum, non solum prædeterminatorum, sed etiam reprobatorum, quod ex eo constat; nam & reprobis multis condonantur peccata virtute passionis Christi; quia multi reprobi in gratia ad tempus sunt: quod si non omnia condonantur, crimen est ipsorum, non defectus sacrificij Christi. Et hoc est, quod dicit Ioannes in epistola, Si quis peccauerit, habemus aduocatum, ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi; nemo excluditur à virtute passionis, præter eos, qui nolunt, aut culpa sua, & vitio non accedunt ad Christum: non enim nolentibus venire, & in flagitijs manere volentibus salus obruditur. Hoc est, quod Theologi dicunt, quantum ad efficaciam non profuisse omnibus sacrificium; quantum autem ad sufficientiam fuisse abundantissimum. quod & Cyrillus dicere intendit in sua responsione; tamen confundit preces cum sacrificio, seu oblatione, quod re vera longè aliud est: non enim preces Christi pro omnibus fuerunt semper, nec eiusdem rationis: nam in cruce pro persecutoribus exorauit Luc. 23. Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, quibus certe pre-

Christi sacrificium & eiusdem preces differunt.

te precibus non comprehendebat discipulos, sed persecutores. Ita modò orat pro discipulis, non pro persecutoribus, quia quod petit nunc his precibus, non conueniebat persecutoribus & incredulis, & uti diximus, non omnibus omnia sunt petenda. Petit Christus his precibus; ut conseruentur à Patre in ea fide, & gratia, in qua sunt, fiant vnum spiritu, & concordia; at hæc pro incredulis non sunt petenda sed ut conuertantur, & poenitentiam agant, & remittantur eorum peccata. Hæc preces fudit in cruce Dominus pro incredulis, & persecutoribus, quos nomine mundi hoc in loco significat.

Sensu verborum Christi si Domini.

Sensus ergo legitimus est; quia Dominus petiturus erat à Patre conseruationem & unitatem Spiritus, & coniunctionis inter membra, & cum capite perfectionem, & hæc non sunt pro

incredulis petenda; (quæ enim conuentio Christi cum Belial?) propterea dicit, Non pro mundo rogo, sed pro his, qui tui erant, quosque dedisti mihi. iam quidem sunt ad me conuersi, iam in me credunt, iam sermonem seruant, pro talibus peto, & rogo coniunctionem inter eos conseruari; non pro incredulis, etiam si inter eos aliqui sint, qui conuertendi sunt: at dum in sua sunt incredulitate, non rogo, nec peto hæc pro eis, sed pro ijs, qui tui sunt, & quos dedisti mihi; pro illis enim alia sunt petenda, ut inferius explicabimus. Hæc est vera expositio, secundum quam non est necesse recurrere ad prædestinatos, ut Aug. facit tract. 107. pro credentibus enim in Christum hæc preces factæ fuerunt, quibus conseruationem & unitatem rogat.

Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.

COMMENTARIUS.

Veritatem nature cum patre huius verbi significat.

Quia iterum dixit, tui erant, & eos mihi dedisti, tanquam homo locutus propterea verba addit diuinitatis suæ: miscet enim Christus semper sententias propter fidem nostram, ut homo credatur & Deus. Est autem sensus: dixi ô Pater, Tui erant, & dedisti mihi, ne verò aliquis hæc verba audiens, me hominem merum esse accipientem à te quæ non habeam iudicet, adiungo; mea omnia tua esse, quia à te procedo, & substantiam meam à te habeo, omniaque tua mea sunt; quia tu genuisti me, & omnia tua communicasti. Ut ergo indiuisibilitas, & unitas intelligatur, & credatur; dico mea esse tua, quia quæ habeo simul habes, & tua sunt mea, quia non desinunt esse tua eò, quòd mea sunt: eadem enim est substantia, eadem potentia, idem dominium, & imperium Patris & Filij.

Et clarificatus sum in eis.

Ad eandem sententiam hæc pertinent, & est sensus, Clarificatus sum in eis, id est, hæc, quæ dixi, crediderunt, nempe mea omnia tua esse, & tua mea esse. credentes me Dei Filium verum esse, pro his ergo rogo, & meas preces nunc fundo, iustaque petitio est: nam à te electi sunt, & tu dedisti mihi eos, & clarificatus sum in eis, quia nouerunt, me credentes esse filium tuum verum, & ut talem coluerunt, & obseruauerunt: hic est sensus legitimus; quamuis Aug. tract. 107. ad fideles futuros referat, præteritum pro futuro interpretans; at accommodatius cum Cyril. lib. 11. cap. 19. & Chryso. hom. 80. ad discipulos hæc pertinere dicimus.

Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.

Expositis ijs, pro quibus rogauit, explicat modò causam cur roget, & sententia hæc vim habet causæ, solet enim particula, Et, causam aliquando indicare Hebræorum more: ac si diceret; quia iam in mundo non sum, hi autem in mundo sunt, id est, iam discessurus sum à mundo; hoc autem quantum ad hanc præsentiam corporalem, secundum quam in mundo conuersatus sum: at hi multo tempore adhuc sunt in mundo sine hac mea corporali præsentia permanaturi. Exponit autem causam, quare dixerit, non sum in mundo, & ego, inquit, ad te venio, id est, quia ego iam peracto, & perfecto munere, & opere meo ad te redeo, ut homo in celo sessurus, hac de causa tanquam Pater filios corporaliter meos deferens, rogo pro eis. Illa particula, iam, indicat temporis breuitatem, non quod tunc in mundo non esset; sed quod breui futurum esset, ut eos relinqueret à mundo discedens. Est autem maxima causa rogandi

Pro ijs orat, quia mox discessurus erat à mundo.

pro ijs, qui in mundo sunt, vbi infidiae, pericula, persecutiones, afflictiones, inimici, visibiles, & inuisibiles sunt permulti: vbi iustus, quae bona spiritualia habet, amittere, peccare, & à Deo separari potest.

*Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi,
ut sint vnum sicut es nos.*

Exponit, quid pro his roget, & petat. Oratio autem, & humanitatis humilitatem, & Deitatis continet gloriam. rogat vt homo, loquitur vt Deus; vtrumque miscet, vt se vtrumque esse significet. Patrem sanctum appellat, quia quae sanctitatis sunt rogat: vt enim superius diximus, epithetis plerumque; vt in oratione, rebus quae petuntur accommodatis. *Serua*, inquit, *eos in nomine tuo*, id est, tua virtute, & potentia conserua hos in gratia, charitate, dilectione, & vita; ne à Iudaeis nunc occidantur, ne in tentationibus, & afflictionibus omnino succumbant; sed constantes & fortes permaneant. *Serua* eos, non vt diuites sint, non vt voluptusè viuant, non vt temporaliter regnent: sed *vt sint vnum sicut es nos vnum sumus*, cōcordes, vnanimis, pacifici inter se in vno Spiritu, vna fide, vna charitate. De hac concordia dicitur Act. 4. Erat credentium cor vnum, & anima vna. Similitudo haec est, non equalitas: nā Filius, & Pater vnū sunt, quia vna est substantia numero, eademque voluntas: at fideles non hanc possunt habere vnitatem, sed similem, vt idem velint, & idem nolint, concordēs sint, vno spiritu moti, & gubernati.

A N N O T A T I O IX.

In quo similitudo inter Apostolos Deum consistat.

Athanasius ferm. 4. contra Arianos diffusè hanc vltimam dicitur sententiam, & inter alia multa, quae pro veritatis defensione docet; ostendit particulam, *Sicut*, non aequalitatem, sed similitudinem significare, quod superius copiosius tractauimus: allegat autem illud Matt. 5. Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est; nec in hoc est multum difficultatis. At in quo ista vnitas consistat, id exponendum est. Cyril. libr. 11. cap. 20. similitudinem esse in substantia, & voluntate affirmat; vt sit sensus; sicut nos vnum sumus substantia & voluntate, ita & ipsi sint substantia & voluntate vnum; at non tanta vnitate. nam Trinitas eiusdem numero est substantiae, & voluntatis; at fideles non, sed vnus sunt substantiae specie, & vnum concordia voluntatum. At facilius est expositio, vt haec vnitas sit fidei & charitatis, ratione obiecti, vt idem sentiant, mutuo se diligant, & ament in Deo; similitudine sumpta ab vnitate Patris & Filij, quamuis non sit aequalitas. Ita dicit Athanasius, & addit aliam similitudinem, nempe, vt quoad-

modum vnitas Patris, & Filij indiuisibilis est, nec vnquam separari inuicem possunt; ita etiam apud Iudaeos maneat concordia, & vnio pacis, ac charitatis perpetua; vt sicut inseparabiles sunt natura Pater & Filius, ita sint proportione quadam fideles moribus, & charitate, ac fide semper coniuncti, & indiuisi. Aliud etiam in hac similitudine insinuari videtur, vt quemadmodum vnitas Trinitatis non confundit ordinem, sed vnus est Pater, alius Filius, alius Spiritus: Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque, Pater à neutro procedit; ita haec vnio charitatis non confundit ordinem ecclesiae: non enim omnes Pastores, omnes Praelati, sed vnus est pastor, alius ouis, vnus Propheta, alius auditor, sunt enim gradus: omnes autem in fide, & mutua charitate concordēs, sicut membrorum distinctio, & ordo est, cum mutuo consensu in vno corpore. Inter Apostolos etiam ipsos ordo fuit cum vnitate; quandoquidem Petrus caput est omnium constitutus, charitas ergo vnitatem adfert, tamen ordinem non confundit.

Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.

C O M M E N T A R I V S.

Causam, impetrandique rationem adiungit, & est sensus; quando ego eram corporali praesentia cum eis, *eos seruabam in nomine tuo*, id est, virtute diuinitatis: nunc autem discedo, non igitur priuentur propter meum discessum, hac custodia & protectione nominis tui: sicut nec in mea praesentia priuati sunt. Loquitur vt homo, & seruasse dicit discipulos, nō humana, sed diuina Patris virtute, quae sua etiam erat, tanquam Dei. & vis argumenti haec est: Si in mea praesentia hac tua virtute seruati sunt, aequum est, vt in absentia etiam seruentur, cum maior subueniendi, & auxiliandi sit causa. Hic est germanus sensus, non autem, quae aliqui adferunt, *Seruabam in nomine tuo*, id est, tanquam

tanquam mihi à te concreditos: esset enim magna amphibolia in verbo, quod proximè dictum erat; *Serua eos in nomine tuo*: caetera etiam, quae sequuntur videntur aptantur, si eum sequamur sensum, accommodatus & verus sensus est prior. Ex quo cessat id, quod concipere aliquis posset; nempe ego seruabam eos, modo tu serua, quasi vnus alteri succedat in custodia. Hic sensus valde carnalis est, vt dicit August. tract. 107. allata expositio haec omnia tollit, & verum continet sensum: connexa autem sunt verba haec sequentibus, *Nunc autem ad te venio*: nam integer sensus his expositis, & sequentibus perficitur:

Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi Filius perditionis.

Quia dixerat seruabam eos, quando eram cum eis, addit efficacem, & sufficientem fuisse custodiam, & suam conseruationem, ac si diceret; cum eram cum eis corporaliter praesens, seruabam illos tua virtute & potentia, & efficax erat, & sufficiens custodia; *Nemo*, enim, *ex ijs, quos mihi dedisti, periit*, sed à me sunt omnes conseruati, praeter vnum, qui Filius fuit perditionis, Iudaeus nēpe, phrasis est haebraea à vitijs, & virtutibus, quibus dediti sunt homines, eos nominare, vt notat Basil. ho. in Psal. 7. Filius sapientiae dicitur, qui sapientiam sequitur: Filius perditionis, qui peccatis indulget: vt rectè annotat Cyril. l. 11. cap. 21. Filium dicitur perditionis, quia voluntate, & arbitrio suo periit malis quibus: perditio autem hoc loco peccatum significat extremum in aeternam damnationem conducens, quale fuit Iudaeus, qui periisse dicitur, quia impoenitēs vsque ad mortem erat, citoque in damnationem aeternam abiturus.

Vt scriptura impleatur.

Sententia haec magno consilio adiuncta est, tanquam praecedentem illustrans: posset enim aliquis dicere, Si custodia tua erat efficax, & potens, cur periit vnus? cur non omnes duodecim seruasti, cum omnes à Patre datos fatearis? nam qui dicit: *Quos dedisti mihi, custodiui, & non periit, nisi vnus*, huc etiam datum à Patre significat; exceptio enim ab eodem fit genere, quo caeteri comprehenduntur. Vt huic obiectioni responderet, & custodiam suam sufficientissimam esse indicaret, adiecit hoc verbum: *Vnus periit Filius perditionis, vt scriptura impleatur* Psal. 108. haec scriptura & propheta Dei erat, quasi diceret, vt quod praedixit Pater impleatur. Erit ergo sensus hic, ego custodiui, quos dedisti mihi, o Pater, & nemo periit, nisi quem tu praedixisti periturum, quem ego non seruauim quia non potui; poteram enim etiam eum seruare, sed quia sciebam te nolle, me eum seruare; volens ergo, quae tu praedixisti custodire, non seruauim. Dicit aliquis: igitur Iudas in culpa non fuit perditionis suae. Respondeo hanc conseruationem nullius roboris esse: nam certum est; quod si Deus vellet, nemo peccaret, nemo quaedam naretur: at verè nunc multi peccant, quia eis liberum fuit peccare, quamuis Deus nolit omnino impedire, ne peccent, cum possit id facere; ita etiam potuit Christus Iudam seruare, si voluisset, at non seruauit: nec tamen propterea Iudas culpa vacauit, quia habuit ab ipso Christo talem custodiam, & auxilium, vt si voluisset, non peccasset; at noluit facere Christus totum quod poterat, quia Patrem id nolle cognouit, Propheta autem non imposuit necessitatem Iudae, sed quod futurum erat praedixit: ille ergo periit culpa sua, & hoc praedictum est, quia praedictione significauit Deus velle se permittere eum damnari, & nolle omnino impedire, quod posset: idcirco nec impediuit Christus vt homo, quod nouit Patrem impedire nolle. Et haec est doctrina vera, & catholica, & germanissimus huius sententiae sensus: & tunc verba efficax argumentum impetrandi continent: vt Pater seruet eos, quos omnino à Christo seruandos esse voluit. Nō ergo particula, *Vt*, conseruationem, sed causam indicat, iuxta sensum positum,

Filius, qui vnus vnus, cuius deditus est, si filius appellari solet.

Iudas cum à Christo seruatus non est.

Nunc autem ad te venio.

AD precedentem sententiam hæc pertinent verba. *Cum essem*, inquit, *cum eis*, seruabam eos in nomine tuo, cum autem nunc ad te veniam, & eos relinquam corporali præsentia, peto ne modò destituantur tui nominis, & virtutis auxilio, quo ego eos præfens protegebam & defendebam. Repetit autem Dominus hæc verba, vt discipuli curam, & dilectionem, quam erga eos habebat, expressius & distinctius cognoscerent.

Et hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

COMMENTARIUS.

Tales oportet, vt me gaudio afficiatis.

NOuam causam petendi, & rogandi præter discessum suum adfert: connectuntur autem superioribus hæc tali ratione; lam, inquit, ad te venio, dum autem hoc breue mihi tempus superest, visibiliter in mundo existens, loquor hæc, nempe omnia, quæ dicta sunt: *Loquor*, autem, & rogo, vt, hi, habeant in seipsis impletum gaudium meum, id est, tales sint, quales ego esse desidero, & quales me gaudio afficient: nempe, si sint vnum, sicut & nos, & habeant & consequantur, quod rogo. Locum hunc Paulus nobis simili quadam sententia declarat ad Philipp. 2. Implete, inquit, gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes vnanimis, id ipsum sentientes. Philippenses hæc facientes implebant gaudium Pauli in seipsis, quia ea faciebant, quæ Paulus per ipsos fieri desiderabat, & de quibus gaudebat: quod autem Paulus petit à Philippensibus, hoc Christus rogat à Patre, vt ipse concedat discipulis; id enim opus Dei est, nec sine Deo discipuli assequi potuerant. Sensus igitur est. Hæc loquor, o Pater, vt concedas discipulis meis idem sapere, eandem charitatem habere, vnanimis esse, idem sentire, & vnum esse: sic enim implebunt gaudium meum in seipsis, seu habebunt gaudium meum impletum in semetipsis: idem enim est vtriusque locutionis sensus. Et hæc est germana huius sententiæ interpretatio; & tunc argumentum est efficax impetrandi à patre, quo petuntur ea, quibus filius gaudebit.

ANNOTATIO X.

Explicitio in commentario tradita confirmatur.

SVperius cap. 14. diffusè similia verba discussimus, variatque expositorum adduximus interpretationes: id autem in præsentiarum adnotandum est, etiam verba hæc variè exponi; ferè autem omnes huic vni innituntur fundamentum, scilicet, habere gaudium Christi, in semetipsis impletum, idem significare, ac ipsos gaudere, cuius oppositum nos in commentario diximus, & ex Paulo probauimus: implere enim gaudium alterius, non est gaudere, sed in se habere, quo alter gaudet, & esse obiectum illius gaudij, nam idem est implere gaudium alterius, & habere gaudium alterius in se impletum. Non ergo his verbis significat Dominus discipulos gauisuros, nec petit, vt ipsi gaudeant, sed vt tales efficiantur à Patre, quales Christus vt homo desiderat & vult, & qualibus ipse gaudet. Qui autem existimauerunt his verbis

significari discipulorum gaudium, variè exponunt. Quæ ratione à Christo dictum sit, *gaudium meum*, Aug. tract. 107: sic explicat, *vt habeant gaudium meum impletum in se*; id est, gaudeat de mutua inter se dilectione, sicut ego & Pater gaudemus in eo, quod vnum sumus. Cyrill. lib. 11. cap. 22. aliter interpretatur, nempe, *gaudium impletum*, habere, idem esse, ac gaudium perfectum & sincerum esse; id autè est, si intelligant Christum Deum esse, nec minus absentem, quam præsentem conseruare posse. Sensus ergo est; hæc locutus sum, vt gaudeant perfecto, & sincero gaudio de meæ virtutis diuinæ protectione, quæ eadem est in præsentia, & in absentia corporali. Neutra expositio ita nobis visa est accommodata, sicut quæ in commentario habetur, quamuis probabiles esse interpretationes non negauerim.

Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

COMMENTARIUS.

VNum petijt & rogauit hætenus, nempe, vt seruentur à Patre, vnumque sint in fide, dilectione, & mutua concordia; iam alterum rogat, id autem

tem est, vt contra persecutiones mundi à Patre protegantur, & defendantur. Et primò rationem hoc impetrandi à Patre exponit, quæ talis est; quia persecutiones sunt propter Patrem & Christum ipsum passuri, & quia iniuste mundus eas illis illaturus est: iusta est, & digna oratio, & petitio, qua ab eo auxilium petitur, propter quem afflictio & malum sustinetur, & qua innocentie protectio contra iniquitatem postulatur. Dicit igitur, ego sermonem, & doctrinam tuam eis tradidi, & mihi crediderunt, seruaueruntque sermonem à me sibi datū: proptereaque; *Mundus*, id est mali, & increduli, qui sermoni, & doctrinæ meæ contradicunt, odio eos habent, sicut etiam me: non enim similes illis sumus: par ergo est causa odij contra me & illos: ego tanquam magister, ipsi tanquam discipuli, propter eundem sermonem tuum odio habemur à mundo, quia de mundo non sumus, id est, non eadem sentimus, nec volumus cum ipso. Attende quod aliud sit de mundo esse, & in mundo esse. In mundo erant Apostoli, & Christus ipse, vt ex antecedentibus constat; tamen de mundo non erant: in mundo esse, est visibiliter in mundo conuersari & viuere; at de mundo esse, est malitiam mundi, & incredulitatem amplecti. qui ergo viuunt in hoc seculo doctrinam Christi sequens, & mandata eius implens, in mundo quidem est, non tamen de mundo: sicut etiam viuere in carne, & viuere secundum carnem, longè diuersa sunt apud Paulum. Viuunt in carne, qui mortalem hanc vitam degunt, at non secundum carnem, qui Spiritus legem obseruant, & carnem ac eius concupiscentias refrænant, & domant. Aduerte autè ex Aug. tract. 108. discipulos tunc non fuisse de mundo, at prius fuerant; nam dictum est paulo ante, *Quos dedisti mihi de mundo*. erant ergo prius de mundo, sed renati, & facti non de mundo: porro Christus de mundo nunquā fuit: natus quidem, sed non renatus, quia semper sanctus. Vtitur autem hac similitudine Christus, tum vt discipulos consoletur, quia ei iam similes erant, tum quia ratio est impetrandi à Patre similitudo discipulorum secum, quamuis æqualitas non fuerit.

Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.

LIcet preces fundere, & pro alijs etiam à Deo petere mortem temporalem, & à vinculis carnis liberationem, vt morte præuerti à peccandi periculis, quibus tenentur liberi, in iustitia suscepta secuti decedant. Has preces potuissent discipuli à Christi pro ipsis esse suas arbitrari, cum de propria sua morte Christus fecerit sermonem, & patrem persecutionis, & odij in eos causam fecerit; propterea hæc Dominus adiunxit verba, dicens; *Non rogo, vt eos de mundo tollas*, per mortem temporalem ab hoc odio, & persecutione liberando, *Sed, rogo, vt, cum adhuc in mundo sint permansuri, eos à malo serues*: Non rogo, vt eos tollas de mundo nunc, sicut ego à mundo discedo. Hæc autem verba propter audientes discipulos dicta sunt: Deus enim non indigebat istis declarationibus. Attende discipulos debuisse mitti in mundum, & prædicare, multaque pati, & ad magnam perfectionem Spiritus promoueri, sublimemque coronam prius promereri, ideo non erant tunc tollendi de mundo. Attende etiam non solum odium præfens Iudæorum, quo Christi discipulos prosequabantur à Domino indicari, sed etiam futurum, & persecutiones omnes, quas etiam à Gentibus in hoc mundo passuri erant, petitque ab omnibus eos seruari, protegi & liberari. Seruari autem à malo, non est impedire tentationes, & persecutiones, sed auxilium illis præbere, ne succumbant, neque vincantur, sed omnia superent. Est autem articulus Græcus: *Seruus*

ab ipso malo, quod peccatum est, seu Dæmon peccati auctor.

Dæmon enim erat præcipuus auctor persecutionis in discipulos Domini, cuius scopus est, peccato homines inficere.

De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo, sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est.

Tertium petit à Patre pro discipulis suis, repetitq; verbum superius dictū. De mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo, nō tamen eadem de causa; nam prius positū est tanquam causa odij mundani contra discipulos; at nūc repetitur tanquam ratio nouum quid impetrandi, quod rogar. Est autē hoc, sanctificatio in veritate, vt in veritate sanctificentur; & est sensus. O Pater, cū isti discipuli de mundo non sint, sicut & ego non sum de mundo, sint- que mei imitatores, & me vt exemplar sequantur: sanctifica eos in veritate, vt sint etiā sancti, sicut & ego sum sanctus. Sanctificare eos in veritate, est per Spiritum sanctum veritatem Euangelicam perfectam infundere, vt fiant doctores, & magistri doctrinæ Euangelicæ; & hoc per Spiritum sanctum, qui nō nuda verba, & conceptus doceat; sed grātam infundat, vt fiant digni magistri, & doctores tantæ doctrinæ, vt sanctē veritatem accipiant, & doceant: cū enim futuri essent orbis magistri, petit Christus à Spiritu sancto dignos fieri doctores, omni instructos veritate, & virtute, vt vita respōdeat doctrinæ. Hoc est, quod nūc petit, & rogar Christus: & hic est germanus sensus. In Græco habetur; in veritate tua: sensus idem est. Quæ autem hæc sit veritas, exponit, sermo tuus veritas hæc est, in qua sanctificandos, & conseruandos rogo. Sermo hic doctrina Christi est, quæ dicitur Patris, quia diuina erat, & ex diuinitatis beneplacito tradita.

Sanctificare in veritate quid sit.

ANNOTATIO XI.

Interpretationes nonnullæ superio- rum verborū proponuntur.

Cyroll. libr. II. capit. 24. & August. tractat. 108. Sanctificationem hanc purgationem perfectam à mundi concupiscentijs, & voluptatibus, cæterisque vitijs exponunt: quamuis enim iam sanctificati essent, vt constat Ioan. 15. tamen confirmatio & perfectio petitur; nam qui sanctus est adhuc sanctificatur, Apoc. 22. Veritatem autē ipsum Filiū interpretatur, qui veritas est, vt sit sensus: O Pater, sanctifica eos, sed, in veritate tua, id est, per me, quia cōmunis est omnis operatio Patris; & Filij, Chryl. ho. 81. duas adfert expositiones. Prima est eadē cū præcedenti quantū ad sanctificandi verbum, vt sanctificentur Spiritus sancti & doctrinæ infusione; at veritatem doctrinam Euangelicam exponit, quæ veritas dicitur; tū quia mendacio omni caret; tum quia vmbra & si-

guras non habet, sicut lex vetus habebat. Altera expositio est, vt verbum sanctificandi idē significet, quod separare, sitque sensus; separa eos verbo, & prædicatione, quia futuri erant prædicatores, sicuti dictū est, Act. 13. Segregate mihi Saulū, & Barnabā in opus ad quod assūpsi eos. Non est multum dissimilis hæc expositio à nostra; at nos verbum sanctificandi non in ea significatione exponimus, sed vt idē significet, atque consecra eos veritati tuæ: id est, instrue, & perfice in veritate, vt fiant digni, & perfecti magistri veritatis Euangelicæ mundo tradendæ. quod quantum ad sensum in idem recidit. Huic expositioni consonant, quæ sequuntur: nam si exponamus cum Augu: & Cyrillo, non distingueretur hæc petitio à primæ; quæ erat, vt vnum sint fide, & dilectione.

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.

COMMENTARIUS.

Causam, cur sanctificatio hæc petatur adiungit. & supplendā est particula causalis more Hebræorum; quia, Sicut tu me misisti in mundum, ita ego misi eos, id est, deputaui, & constitui mittendos in mundum prædicare, & annūtiare veritatē, quā ego annuntiaturus veni à te missus. Sanctificatione igitur hac maximè indigent, vt per Spiritum sanctum instructi, & perfecti, munus hoc iniunctum exequi dignè, & fructuose valeant. Attende efficaciam argumētī; Ego misi eos, ipsi non se ingesserūt, nec propria auctoritate hoc munus usurpārūt; Ego misi eos, diuinā auctoritate ea, qua in mundum à te sum missus: sanctifica ergo eos, o Pater, tanquā à me, & à te missos. Aug. tract. 108. & Euth. præteritum loco futuri positum asserunt, Misi, id est, mittā, quod sepè in scriptura fit; vel, vt diximus, Misi, quia deputati erant, & nomen Apostolorum habebant, vt per orbem prædicaturi salutis veritatem proficiscerentur.

Et pro

Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.

AVget argumentum, & rationem impetrādæ sanctificationis huius. Nō, inquit, solum misi eos, sed, Pro eis ego me sanctifico, id est, me in hostiā, & sacrificium offero per mortem; vt virtute, & efficacia sacrificij huius, & oblationis meæ, efficiantur sancti in veritate, id est, obtineant, & consequantur hanc sanctificationē, quæ per Spiritum sanctum facta est in die pentecostes: Ego, igitur, me sanctifico, vt etiam ipsi sint sanctificati; ego quidem per mortē, ipsi per Spiritus sancti gratiam, per quam consecrabitur, & præficientur veritati prædicandæ. Verbum, Sanctifico meipsum, mortis Christi sacrificiū significare, à qua omnis sanctificatio hominum virtutem habet, communiter Doctores interpretantur: in scriptura enim verbum in ea significatione aliquando accipitur, vt constat Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum: & in multis locis habet eandem significationem. Cyril. li. II. cap. 25. Veritatē pro Spiritu sancto exponit; nam Spiritus veritas dicitur, at magis videtur in eadem significatione sumendam esse, in qua prius dicitur, Sanctifica eos in veritate; ibi autem Cyril. pro Christo exposuit; at nos cum Chrysof. pro doctrina Euangelica, vt in superiori sententia dictum est. Iustin. in lib. quæst. gent. respon. 23. annotat hanc orationem Christi, quæ pro discipulis facta est, non comprehendisse Iudam, nec pro eo fusas nasce preces, & id satis est apertum: nam Iudas iam recesserat, nec præsens erat, immò Christus eum à discipulorum numero excluderat, dicens perijsse tanquam filium perditionis, vt impleretur scriptura. Dicitur autem sanctificare Christus seipsum in ea natura, in qua passus est, & mortuus.

Verbum, sanctifico, quid significet in scriptura.

Iudas nō fuit in hac oratione comprehensum.

Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.

ORationem, & preces generaliter extendit ad omnes futuros fideles, qui per verbum Apostolorum, & eorum prædicationem credituri erant, nec de ijs solis hoc intelligitur, qui ipsos viderūt, & audierūt Apostolos, sed de omnibus fidelibus, vsque ad mundi consummationem futuris. Nam doctrina ab Apostolis prædicata, eadē perseuerat, & perseuerabit, vt quotquot crediderunt, & credent, per verbum & prædicationem eorum credidisse, & credituri dicantur. Rogat igitur generaliter Christus pro omnibus suis fidelibus, quos distinctè, & perfectè ac si præsentibus essent, videbat in essentia diuina, non solum vt Deus, sed vt homo, sicuti vt homo rogar, & orat. Interrogat August. tract. 108. quid dicendum de ijs, qui per eos non crediderant: nam multi erant credentes tunc, qui non ab Apostolis, sed à Christo verbum audierant, vt Nathanael, Centurio, & alij, quos ab hac oratione certum est nō esse exclusos. Respondet hos imperfectè credidisse tūc; at postea per verbum Apostolorum crediderunt, aut etiam dicuntur credidisse per verbum Apostolorum, quia receperunt idem verbum, quod Apostoli prædicarunt. Responsio facilior est, si dicamus omnes credentes in Christum his verbis significari, à maiori autem parte sumptam esse denominationem: omnes enim ferè per ipsos crediderunt; nam credentium numerus ante eorum prædicationem paruus fuit, maximè quia & illi etiam multa ab Apostolis didicerūt sibi prius ignota.

Quæ ratio comprehendat eos, qui crediderunt, sed non per Apostolos.

Vt omnes vnum sint.

QVæ petat, & roget pro omnibus credentibus suis exponit. primum est, quod etiam pro discipulis rogauerat, nempe, Vt vnum sint, idē sentiētes, idem sapientes, inuicem diligentes, vnanimis, & concordēs: hoc iam superius explicuimus, & vt diximus Acto. 4. impletum legimus. Credentium erat cor vnum, & anima vna, non tantum discipulorum seu Apostolorum, sed omnium etiā tūc credentium, quorum magna erat multitudo. Aduerte, quod

quod supra dicebamus, hanc vnionem charitatis pro credētibz à Patre peti, non autem pro incredulis; his enim fides potius est petenda, vt credant; id eo hæc oratio pro mundo non est.

Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis vniam sint.

Fidelium v
vni as du-
plex.

HOC est alterum, quod petit à superiori distinctum, nempe, *Vt vnum sint in nobis, sicut tu in me, & ego in te*; intellige vnum sumus. Attende pro vera, & legitima huius sententiæ intelligentia, duplicem esse fidelium vnitatem: Prior est inter ipsos. vniti enim sunt, & vnum corpus faciunt vnitate fidei vnus, eiusdem religionis, & mutua inter se charitatis; Altera est cū Deo, & Christo: per gratiam enim, fidem, & charitatem Deo vnimur, & coniungimur, & in ipso manemus, & ipse in nobis; de qua vnione dicitur 1. Ioa. 4. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in eo. & iterum; Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Fide igitur, & charitate non solum inter se vnuntur fideles, sed etiam cum Deo, & Christo domino. De hac duplici vnione sententiā presens est intelligenda. Illud quidem, *Vt omnes vnum sint*, de priori vnitate, qua inter se vnum sunt fideles concordia & pace, quæ ex fidei vnitate, & charitate nascitur. Verba autem ista, *Vt sint vnum in nobis, sicut ego in te, & tu in me*, de posteriori vnitate, qua vnum efficitur cum Deo, & in ipso manemus, & ipse in nobis. Non est autem æqualis similitudo accipienda, vt Ariani falsò intelligebant, sed similitudo sola: nam filius in Patre, & Pater in Filio est per naturæ identitatem, quia vna est natura vtriusque; at nostra est per gratiam: nec enim inter nos, nec cum Deo vniam habemus & eandem naturam, tamen dicimur esse in ipso, & ipse in nobis, & vnum esse inter nos, & cum ipso, & in hoc similitudo est, quia vnitas est, tamen vnitatis ipsius diuersa est ratio: Filius enim & Pater per naturam, nos verò illis vnimur per gratiam. In annotatione cætera inuenies.

ANNOTATIO XII.

Arianorum
argumenta
refelluntur.

Sicut ex verbis illis superioribus; *Vnum sint, sicut & nos vnum sumus*; Ariani argumentum suæ hæreticæ doctrinæ acceperunt; ita ex his proximis etiam fecerunt: vt enim Athanasius, serm. 4. contra Arianos refert, dicebant sic: Si nos vnum sumus, sicut Pater & Filius vnum sunt; igitur non erunt Pater & Filius consubstantiales; aut certè nos erimus consubstantiales inter nos. Rursus, si nos sumus in Deo, & Deus in nobis; sicut Pater est in Filio, & Filius in Patre; igitur non est dicendus Filius in Patre, & Pater in Filio esse propter identitatem naturæ, sicut nec nos dicimur esse in eo, & ipse in nobis propter naturam eandem. Ad hanc blasphemiam Athanasius loco citato diffusè, & doctè responderet; similiter & Cyrillus, lib. 11. capit. 26. diximus etiam nos supra his verbis similitudinem quandam significari; & imitationem, non identitatem; sicut quando dictum est Matth. 5. Estote perfecti; sicut Pater vester perfectus est: non enim creatura Creatori æquari potest, sed per gratiam ad quantum similitudinem extollitur: illa est summa vnio per naturam, nostra est participata per gratiam. Doctè autem annotat Athanasius hanc differentiam in his verbis eisdem significari: non enim dictum est; *sint in te vnum*, sicut ego in te, & tu in me, vt diuersa vnitas Patris, & Filij ab vnitate fi-

delium significaretur. hæc dicta sint contra Arianos.

At grauior est difficultas circa huius sententiæ intelligentiam, Athanasius enim & Cyrillus non aliam vnitatem intelligere videntur in his verbis, *Vt vnum sint in nobis, sicut tu in me, & ego in te*, præter illam, quæ dicta est illis superioribus verbis, *Vt vnum sint*, Verba enim hæc eandem quidem continent vnitatem, sed explicitè, & expressè significant, qualis sit vnitas illa, de qua dictum est, *Vt vnum sint*, quam exponens adiunxit; *Vt sint vnum, sicut ego in te, & tu in me*; at quia illa particula, *Sint in nobis*, videbatur huic expositioni adferre aliquod obstaculum, ideo Athanasius dupliciter exponit. Vno modo vt sit sensus, *Vt sint vnum in nobis*, id est, exemplo nostro vnum sint, sicut nos vnum sumus; nam aliquando id solet significare; dicitur enim 1. Corinth. 4. Hæc transfigurauit in me, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis non inflari; *in nobis*, id est, exemplo nostro. Altero modo, vt sit sensus; *In nobis*, id est, virtute nostra; vnum enim esse non poterant, nisi virtute & opera Patris, & Filij: quam etiam significationem in scriptura habet. Psal. 59. In Deo faciemus virtutem, & Psal. 43. In te inimicos ventilabimus cornu, id est, virtute Dei.

At profecto accommodatior videtur expositio, si distinguamus vnitatem hanc, cum

& fide-

& fideles vnū sint inter se, & vnum sint in Deo; & de priori dictum est, *Vt vnum sint*, de posteriori, *Vt sint vnum in nobis, sicut tu in me, & ego in te vnum sumus*: cum enim sint hæc duæ vniones, & verba expressa sint distincta, aptius interpretamur ea, si ad vtramque referamus. Nec est necesse particulam illam, *in nobis*, illis modis interpretari; sed retinenda est similis significatio ei, in qua dicitur, Pater in Filio, & Filius in Patre manere; ita etiam nos dicimur manere in Deo, non secundum naturam, sed secundum gratiam. Vnum igitur sumus in Deo, quia manemus in eo, & ipse in nobis. Illud etiam considerandum est, non dictum esse; vnum sint cum Deo, seu nobiscum, sed, *vnum in nobis*; non enim Deus, & homo in aliquo vno conueniunt, quod vtrique sit commune, sed ipse est vnitas, qua vnum efficitur in ipso; sicut vnitates vnum sunt in numero, quia in ipso copulantur, non tamen vnum sunt cum ipso, quia non est alia vnitas, quæ vnitates, & numerus vniantur. Hæc autem sententia, qua affirmamus maiorem vnitatem in his exprimi verbis, *Vt vnum sint in nobis, sicut ego in te, & tu in me*, quam fuerit expressa in illis, *vt vnum sint*, est Hilarij libr. 8. de Trinitat. vbi exponens hanc totam sententiam, *Vt sint vnum sicut ego in te, & tu in me, vt & ipsi vnum sint*, dicit profectum fieri vnitatis per hæc verba posteriora: quasi diceret aliam adiungi vnitatem verbis præcedentibus; vt magis vnum stant, nempe & inter se, & in Deo ipso. necdum tamen sententiā hæc satis est exposita: nam superest explicare, quæ sit vnitas hæc, quam explicationem, vt distinctio claritatem adferat, in sequentem remittimus annotationem.

ANNOTATIO XIII.

Vnitas du-
plex Cyril-
li, Animo-
rum & Corporum

VNitatem hanc exponit Cyril. libr. 11. cap. 26. doctè & subtiliter: distinguit autem vnitatem alteram quantum ad animas, alteram quantum ad corpora; animas quidem vniri asserit vnitate Spiritus sancti: nam omnes credentes in Christum, Spiritum sanctum vnum, & eundem participant, & in ipso vnuntur, & per ipsum in Deo dicuntur esse: non quidem diuinitatem ipsam per se recipientes, sed per gratiam, fidem, & charitatem participant; tamen qui participatur, & qui in eis est vnus, & idem est: vnde quodammodo quantum ad animas, in vnica re indiuidua vnum sunt, nempe Spiritu sancto, & multum similes sunt in vnitate Patri & Filio, qui in vna substantia sunt vnum: quamnis non sit paritas, quia illa natura eadem est in Patre, & Filio naturaliter, at Spiritus est idem in fidelibus per participationem gratiæ. Hanc eandem vnionem docuit Athanasius hunc explicans locum in sermone 4. contra Arianos in superiori annotatione allegato, & de hac vnione habemus scripturæ testimonia, 1. Ioa. 4. In hoc scimus, quia Deus manet in nobis ex Spiritu, quem dedit nobis. Ratione igitur spiritus; Deus in nobis manet, & nos in Deo.

1. Corin. 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum eo; id est, habet eundem Spiritum, qui est ipse Deus, & quem Pater, & Filius habent, quamuis non ad æqualitatem. Idem Paulus 1. Corinth. 12. Hanc vnitatem Spiritus in singulis distincta operantis, & in singulis, prout vult, diuersa dona distribuentis, & vnū corpus ex multis colligentis describit. hæc est vnitas quantum ad animas, secundum quā omnes credentes vnum sunt, & inter se, & cum Deo ipso: quamuis enim distinctum sit esse vnum inter se, & esse vnum cum Deo, tamen vnum, & idem est, quod facit omnes credentes vnum inter se & vnum in Deo, nempe Spiritus sanctus à nobis participatus, & in nobis existens per gratiam, fidem, & charitatem, per hunc omnes sunt inter se, & vnum in Deo ipso.

Altera est vnitas corporum, quandoquidem etiam credentium corpora vnum effecta sunt in Deo; & hæc vnitas, in qua vnuntur, & efficiuntur vnum, est caro ipsa Christi realiter in sacramento ipsis credentibus data, vt non participatione vnum sint, vt factum est in priori vnitate, in qua dabatur Spiritus sanctus ratione donorum; sed realiter, & substantialiter Christus ipse in cibum detur. Ratione autem huius vnitatis maior est similitudo cum vnitate Patris, & Filij: per hanc enim carnem, & sanguinem Christus realiter in nobis, & nos in ipso, vt dictum est in capite sexto, manemus, & vnum quodammodo corporaliter efficitur, de qua vnitate dictum est 1. Corin. 10. Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus. Hanc eandem vnitatem non solum Cyril. sed & Hilarij libr. 8. Trinit. his verbis significari affirmat, & sanè vera doctrina est, & expositio legitima. In hoc tamen vno dissentio ab ipsis duobus Doctoribus, præsertim à Cyrillo, qui vnitatem talem animarum & corporum significari asserit, verbis hisce, *Vt omnes vnum sint sicut & nos*, quæ repetuntur in sequenti sententia, nec distinguit has vnitates iuxta verba distincta; at mihi videtur sic distinguendum esse, vt verba illa, *Vt omnes vnum sint sicut & nos*, sint interpretanda de vnione animarum, quæ fit ratione Spiritus participati à credentibus fide, dilectione, & gratia, ac donis, ratione cuius vnum sunt inter se ipsos. Verba autem quæ sequuntur *Vt sint vnum in nobis, sicut tu in me, & ego in te*, exponenda de vnitate, quæ fit ratione eiusdem Spiritus, sed cum Deo, vt vnum sint in Deo, & Deus in eis, & ipsi in Deo sint, hæc tamen nihil dictum sit de vnitate corporum, vique ad verba sequentia, *Claritatem quam dedisti mihi de die*, ibi enim hanc vnionem realem ratione carnis suæ docet. In præcedenti ergo sententia sola vnitas petitur, quæ fit ratione vnus Spiritus sancti, qui vnit credentes inter se, & hoc ideo, vt vnum sint inter se, & in Deo ipso: quod magis ad mentem Hilarij accedit, & sequentium expositione confirmatur.

Vt credat mundus, quia tu me misisti.

COMMENTARIUS.

FRUCTUM ex hac vnione in vnitate Spiritus exponit. Mundus, inquit, ex hoc agnoscat, me esse à te missum. Attende mundum hoc in loco, non malos, & incredulos, sed credentes de mundo vocatos significare: sicut dicitur; Non veni, vt iudicem, sed vt saluem mundum; & erat mundum reconcilians sibi, mundus ergo audiens tam miram, & inauditam vnitatem, vt inter se, & in ipso Deo credentes vnum efficiantur, inducetur facilius, & efficacius ad credendum me esse filium tuum, per quem talis vnio facta est. nemo enim tali vnitate fideles vnire posset, nisi filius Dei, & Deus esset, vt re ipsa factum est; nisi enim filius Dei corpus induisset, nunquam homines ad hoc peruenissent, vt vnum essent in Deo, & Deus in eis, & ipsi in Deo manerent. ita Athana. serm. 4. allegato exponit. particula *Vt*, loco *ita vt*, posita est, aut certe consecutionem indicat.

ANNOTATIO XIV.

Nonnullæ
Patrum expo-
sitiones expè-
duntur.

AVGUSTINUS tractatu. centesimo decimo, hanc sententiam sic exponit, vt repetendum sit verbum, rogo: *Rogo*, inquit, *vt vnum sint*, & rogo, *vt sicut tu in me*, & ego in te, *vt etiam ipsi vnum sint in nobis*, & rogo etiam, *vt credant, quia tu me misisti*: nondum autem de credentibus exponit, sed dura videtur expositio & non accommodata; quia hæc sententia ad id referri videtur, quod dictum est, *Vt sint vnum in nobis*, vt ex hoc nepe mundus credat, quia tu me misisti. Chry. ho. 8. & Euthym. interpretantur, sic hoc esse dictum, sicut illud (In hoc cognoscent omnes, quod mei eritis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.) ita etiam nunc dicitur; ex concordia doctrinæ mundus cognoscat, id est, auditores intelligent Dei esse docti-

A nam. At non videtur hoc accommodari posse; quandoquidem hæc sententia non ex sola vnitate inter se, sed ex vnitate cum Deo, secundum quam Deus in eis, & ipsi in Deo manent, mundus dicitur crediturus, Christumque esse à Deo missum tanquam filium eius. idcirco verior est expositio Athanasij; mundus enim, cui prædicabitur veritas hæc, vel ex hac consistebit Christum esse Dei filium, cognoscens non posse talem vnitatem fieri, nisi à Deo, vnde in eo, qui credit confirmabitur Christum esse Dei filium, & qui non credit, allicietur ad fidem, & non tantum ex dogmatum conformitate: hæc enim duo simul esse necesse est.

Et ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.

COMMENTARIUS.

CONNEXIO, & sensus huius sententiæ talis est. Postquam rogauit Patrem, vt credentes vnum faceret, & inter se, & in Patre, & Filio, quæ vnio per Spiritum sanctum efficienda erat, addit se dedisse eis iam claritatem, quam à Patre accepit, qua vnum etiam sint, sicut & Pater & Filius vnum sunt; ac si diceret, Ego iam eos effeci vnum per meam claritatem, quam à te accepi, da tu ò Pater Spiritum sanctum, vt vnum etiam fiant. Claritas hæc est diuinitas ipsius filij, quam vt homo dicit se accepisse à Patre per vnionem hypostatice, hanc diuinitatem vnitam carni suæ dedit nobis Christus in sacramento, quod tunc quando hæc loquebatur iam instituerat, discipulisque communicauerat, pro suisque fidelibus reliquerat; quo maximè vniantur inter se & in Deo, quantum ad realem quandam, & corporalem vnionem. Animarum autem vnitas, quæ Spiritus sancti vniantur gratia, maximè in Spiritus sancti aduentu effecta est, & hanc nunc rogat & petit: illam enim, quæ sacramento sui corporis fit, iam dederat, & hoc est, quod hisce verbis dicit, quod etiam verbis sequentibus explicat ipsemet Dominus.

Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.

Per Eucharistiam diuinitatem cum Christo corpore sumimus.

MODUM, quo vnio hæc claritatis, & diuinitatis fiat exponit. *Ego*, inquit, *in eis*, sum per carnem meam in cibum verum, & realem eis datam, *Tu*, autem, *in me*, es, quia diuinitas tua est carni meæ vnita: si igitur diuinitas est in carne

carne, & caro est in credentibus, fit vt in credentibus etiam diuinitas sit per mediam carnem Christi. habent ergo credentes in se, & carnem Christi, & per eam diuinitatem in se; fiuntque vnum, & quandam habent vnitatem per Christum ratione carnis suæ, & sic consummatur in vnum; id est, fiunt vnum perfectè, dum non solū vniantur inter se & cum Deo quantum ad animas, quod fit per Spiritum sanctum, sed etiam quantum ad corpora ipsa.

ANNOTATIO XV.

Claritas
vniione quæ
intelligitur.

DIFFICILIS est hæc sententia intellectu, & laborant Patres in eius sensu inquirendo. Cyrillus libr. 11. cap. 26. & Hilar. libr. 8. de Trinit. exponunt hanc claritatem ipsam diuinitatem Verbi carni vnitatem, quam vt homo accepit Christus à Patre, quando Verbum caro factum est, hanc dedit nobis Deus, & Christus, quando suam carnem cibum nostrum effecit, & nobiscum per sacramentum mirabile realiter vnitus est: & hanc sententiam de hac vnitate interpretantur hi Doctores, quibus nos consentimus. ea enim expositio omnium est maximè accommodata, quamuis, vt superius diximus, hanc eandem vnitatem, isti Doctores verbis superioribus accommodent. At in hac parte nobis ea visa est expositio faciliior, & aptior, si priores sententias interpretemur de vnitate animarum, quæ fit per Spiritum sancti gratiam, dilectionem & dona cætera. Aug. autem tract. 110. aliter hanc claritatem interpretatur, nempe gloriam corporis, & verba præteriti significationem habent de futuro, vt sit sensus: immortalitatem & gloriam quæ dabis carni & humanitati meæ, ego dabo eis. Huic expositioni id videtur obstare, quod sequitur; *Vt sint vni sicut & nos vni sumus*, non enim hæc gloria ad vnitatem seu vnionem refertur. Deinde quia hæc potius petenda erat à Patre, sicut etiam Christus suammet petijt superius: dicendū enim erat; rogo vt claritatem, quam dedisti mihi, des eis, sicut dictum est; Clarifica me Pater claritate quam habui.

A Præterea; quia Christus in his verbis & sententijs, rogat pro suis ea, quæ in hoc sæculo futura sunt, & quibus maximè indigent, vt perficiantur. Adde etiã verbum sequens non accommodari huic expositioni, vt paulò inferius dicemus. Chrysol. hom. 8. & Euthym. aliter exponunt, nempe claritatem hanc esse; tum potestatem miraculorum, quam Christus discipulis dedit; tum vnitatem concordia, de qua dictum est, *Vt sint vnum*: hæc enim duo, erant efficacis confirmandæ fidei veritatis argumentum, nempe miracula, & tam mira in eis concordia. Ista expositio quantum ad illud de concordia non videtur accommodata: nam cum roget Patrem, vt eos vnum faciat, non videbatur consonum dicere, Ego dedi eis vnitatem concordia: quantum autem ad potestatem miraculorum probabilior est: tamen verba sequentia, *Vt sint vnum*, & *Ego in eis, & tu in me*, non accommodantur. præterea etiam quia hæc verba generalia, & communia sunt credentibus; at miracula non omnibus dantur. Ambro. lib. 5. de fide cap. 4. quandam aliam visus est indicare expositionem, nempe claritatem hanc esse filiationem, quam accepit Christus homo à Patre, postea dedit suis, quando credentes filios Dei effecit, quamuis non sit paritas. Christus enim naturalis, nos adoptionis filij sumus: & est probabilis expositio, tamen omnium accommodatissima est, quæ Cyrillus, & Hilarius sequuntur: ideo in commentario ipse subscripsimus.

Et cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & tu me dilexisti.

COMMENTARIUS.

EX hac claritate quam dedi eis, duo cognoscent fideles; alterum est, me esse filium tuum à te missum: non enim aliter vniri poterant nobiscum, nisi diuinitatem haberent in ea carne, quam dedi eis; alterū est, te dilexisse eos, sicut & me dilexisti, id est, quod beneficium contulisti mihi homini, nempe diuinitatem tuam, dedisti etiã eis, & eos tibi, sicut & me vnire voluisti; quod argumentum est dilexisse te eos simili dilectione, qua me, quamuis non pari. Nam diuinitas meæ est humanitati vnita immediate, at cæteris per mediam meam carnem communicatur. Mundum appellat credentes ipsos, qui in hoc quod dictum est, maximè dilectionem Patris agnoscunt, & filij diuinitatem confitentur. Attende agnoscere, siue cognoscere, non apertam cognitionem significat, sed fidem, ipso tamen effectu roboratam; & loquitur Christus de dilectione, qua eius humanitas ita est à Patre dilecta, vt Verbum & diuinitatem ei vnierit, & copulauerit.

ANNOTATIO XVI.

De qua cognitione
Christum lo-
quatur.

AVGVST. tract. 110. suam superioris sententiæ expositionem persequens, hæc verba ad statum gloriæ refert, quando nimirum cognoscentur hæc, quæ dicta sunt, quia modo

creduntur; at argumentum hoc parum habet efficaciz. Verbum enim hoc cognoscendi etiam fidei notitiam significat, maximè quando ex aliquo signo, & effectu exteriori procedit. Ioannis 6. Nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei. Ioann. 7. Cognoscet de doctrina mea, an ex Deo sit. Qui alias sequuntur expositiones verba hæc etiam accomodat aliter. Ambrosij autem expositioni, multum hæc verba consonant:

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

COMMENTARIUS.

Preceatur Patrem postremò præmium, & beatitudinē, ijs omnibus, qui à Patre dati sunt, de quibus prius dixerat, ut vnum sint, quemadmodū nos vnum sumus: ut hac spe discipuli confortētur in afflictionib. & laboribus sæculi, & omnes etiā, qui credituri sunt in eum, *Pater*, inquit, *volo*, id est, maximè desidero, & cupio, ut omnes ij, *Quos mihi dedisti, sint ubi ego sum*, nempe in cælesti regno, ut etiam videant diuinitatē, & gloriā meam, quam mihi dedisti, & huic carni vniuisti. Attēde verbum, *Volo*, est non imperantis, sed precantis, & desiderium proponentis: ita exponit Cyprianus lib. de mortalitate dicens Christum deprecatum esse Patrē hisce verbis. & similiter Chry. ho. 81. id indicat, & in scriptura eam habet significationē, ut sit petētis nō imperantis Matt. 12. Volumus à te signum videre. Mar. 6. Volo ut protinus des mihi caput Ioann. & c. 10. Volumus ut quodcūque petierimus facias quamuis aliquando sit absolutam voluntatē explicātis. Matt. 8. Volo, mundare. Matth. 20. Volo huic nouissimo dare sicut & tibi: est autē volūtas hæc oratio quædam, vehemens deprecatio. Rursus dicit, *Vbi sum ego*: nam ratione diuinitatis regnabat in cælis, eratque ibi iuxta illud Ioann. 3. Qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo. hoc ānotat Augustinus tract. 111. Idem, *Vt videant claritatem*, non dicitur, ut habeant, quia nostra beatitudo visio est diuinitatis; Christus quidem diuinitatem habet; beati autem vident; quod Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. simul cum alijs verbis, doctē interpretatus est dicens. Si iudicasset quod diuinam sedem Pater omnibus daret, dixisset; Volo ut vbi ego sedeo, illic sedeant mecum; at inquit, *Volo ut sint mecum*, non sedeant mecum. Et, *Vbi ego*, nō quomodo ego. Deinde sequitur, *Vt videant claritatem meam*, nec dixit ut habeant, sed ut videant: seruus enim videt, Dominus possidet: sicut & Dauid Psalm. 26. dicit, *Vt videant voluntatem Domini*. hæc Ambro. quibus verbis significat hanc sentētiam non pro solis Apostolis ut existimat Chryso. hom. 81. sed etiam pro omnibus saluandis dictam esse. idcirco non dicitur, ut sedeant, ne omnes iudicatuos existimarem. Verbum etiam, *Volo*, exponit tanquam iudicantis, & absolutē decernentis esse, ut loquatur tanquam Deus, quod probabiliter dicitur. Tandem dicit, *Quos dedisti mihi*, iuxta illud à principio dictum; *Vt omne, quod dedisti ei, det vitam æternā, vbi notat Cyril. lib. 11. c. 18. nullos alios saluari, nec beatificari præter datos à Patre, qui prædestinati dicuntur: hi videbunt claritatem, & diuinitatē Christi.*

Quia dilexisti me, ante mundi constitutionem.

VT homo loquitur, cuius humanitas sic est à Deo dilecta supra omnem creaturam, ut ei sit diuinitas vnita, & ad hanc excellentiam, & dignitatem erecta, ut homo ille Deus esset. Hæc autem dilectio non noua fuit, sed ante mundi constitutionem: fuit enim ab æterno electa, & dilecta illa humanitas, ut verbo vniretur, quamuis in tempore vnita sit; idcirco ante mundi constitutionē dilectus dicitur, ut homo. Sententia hæc nō habet locum ratione diuinitatis: quāuis enim Christus ab æterno à Patre diuinitatē habeat, verum-

Volo non imperium, sed precationem denotat.

Beatitudo nostra in visione consistit.

verumque sit, Patrem dedisse diuinitatem ei, tamen non quia dilexit eum: naturalis enim illa natiuitas est, non ex voluntate procedens; intelligenda igitur est, ut loquatur tanquam homo.

ANNOTATIO XVII.

Hieronymus ad Ephes. 1. vbi simile verbum *A* habetur. (Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem) vim nominis huius explicat (constitutio) est enim Græcè, κατὰβολή quam non idem sonare Græcis, quod Latinis constitutionem dicit, sed id, inquit dicitur κατὰβολή, cum quid deorsum iacitur, & in inferiorem locum mittitur de sublimi, vel cum aliqua res sumit exordium; vnde & hi, qui ædium futurarum prima iaciunt fundamenta κατὰβέβηκεν, id est, deorsum initia fundamentorum iacisse dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere, Deum vniuersa machinatum ex nihilo, non conditionem, non creaturam, atque facturam, sed κατὰβολήν, id est, initium fundamenti ad eum retulit, ut non iuxta Manichæum; & cæteras hæreses, quæ factorem, & materiam ponunt, aliquid vnde creaturæ factæ sunt antecesserit creaturas, sed omnia ex nihilo subsisterint hæc Hieronymus.

Vox, constitutio quid significat.

Pater iuste.

COMMENTARIUS.

POSTquam orauit petens præmium, & beatitudinem suis à Patre, iustitiam petitionis exponit, æquum enim erat ut ij essent vbi Christus erat, & viderēt claritatem eius, qui non credente mundo crediderunt, & Christo adhererunt. hac de causa Patrem appellat iustum, quia retributio iustitiæ est. 2. Tim. 4. Quam reddet mihi iustus iudex, non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius.

ANNOTATIO XIX.

CYRIL. lib. 11. cap. 2. rectè annotat, iustum *B* appellatum Patrem, quia iustitiæ effectus in his verbis significatur: sicut quando sanctificatio rogabatur, Pater sactus vocatus est: quæ autem sit hæc iustitia, sic exponit; nempe dicitur esse iustum, quia iuste esse dæmonem, qui mundū captiuum detinebat, ne ad immortalitatem, ad quā creatus erat, peruenire posset damnauit, & dominio priuauit, ut supra dicitur est. sensus igitur est, *O Pater iuste mundus non cognouit*, hanc tuam iustitiam, quam pro mundo erga Diabolum exercuisti, quam si nouisset omnes ad te accurrissent. Chryso. ho. 81. aliter explicat hanc iustitiam, nempe iustum dicitur, quia mundus non habet, vnde arguat Deum, quod ipsum non nouerit: sua enim culpa noluit credere, & cognoscere. Aliter Aug. tract. 111. sentit, iustum dici, quia ius est mundum, & infideles cognitione sui priuauit: nam quod aliquibus non reueletur Dei veritas, iustitia ipsius est propter eorum peccata; quod verò alijs manifestetur, misericordia est. Nos aliter exposuimus, nempe ut iustitia hæc sit in præmij retributione, quæ credentibus in eum, superiori sententia petebatur: hanc enim reddere iustitiæ est, iuxta illud 2. Tim. 4. Reddet mihi iustus Iudex, non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius.

cur iustum appellat Patrem.

Mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum.

COMMENTARIUS.

MULTum notanda est particula, *Et*, quæ in Græco textu est, *Et mundus te non cognouit*, id est, mundo te nō cognoscente, hi nouerunt; seu, cū mundus te non nouerit, ergo te noui. & hi nouerūt, suos enim discipulos à mundo distinguit, ut sit sensus; Cū mundus non cognouit, hi nouerunt: inter tot incredulos credere, laude dignum est, & præmio. ut autem hanc cognitionem nō eos à seipsis habuisse significaret, sed quia edocti ab eo sunt: propterea dicit, *Ego autē noui te, & hi cognouerunt, quia tu me misisti & notum feci*, id est, quia ego notum feci eis *Nomen tuum*, nempe te esse Patrē meum, propterea te nouerūt: ex mea enim reuelatione habent, ut te, & me cognoscant: nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Filius per se nouit, cæteri ex reuelatione hanc cognitionem sunt consequuti.

Et notum faciam.

Adhuc maiorem diuinitatis, & nominis tui cognitionem, & ampliorem fidem præstabo; quod factum est post resurrectionem, quando eis scripturas diuinas aperuit, & perfectius effectum est, quando misit eis Spiritum sanctum. De hac notitia, quæ facta est per Spiritus sancti aduentū, exponunt

hæc verba Chryf. hom. 81. & Euthym. & est accommodata expositio, adiuncta etiam notitia, quæ facta est post resurrectionem ab ipso met Christo, de qua præcipue hic loquitur. Aug. verò tract. III. ad manifestationem gloriæ hæc verba refert, & probabilis est expositio, sed accommodatio est prior.

Vt dilectio, qua dilexisti me, in eis sit, & ego in ipsis.

CAUSAM huius manifestationis factæ, & faciendæ exponit; vt simili dilectione, qua me dilexisti, eos diligas, vt sicut similes sumus ego & ipsi in tui cognitione, simus etiam in dilectione; vt sicut me tanquam Filium diligis, etiam filiali dilectione eos tanquam filios diligas. Subiungit autem Dominus causam dilectionis huius dicens, *Et ego in eis*, id est, quia ego in eis sum, & in habito per fidem viuam: sæpe enim hæc particula copulatiuæ apud Ioannem vim habent causæ, quæ est Hebræa phrasis. Sensus ergo est: notum feci, & faciam adhuc nomen tuum in eis, quia sic ero in ipsis: hoc autem facio, vt diligantur à te tanquam filij, quia ego, qui Filius tuus sum, in ipsis sum & habito. Non autem absque mysterio dicitur; *Dilectio sit in ipsis*, cum potuisset dicere, diligas eos; at vt significet quando Deus diligit, ipsam dilectionem, quæ Spiritus sanctus est, esse in dilectis per gratiam, ideo dicit, *Dilectio sit in ipsis*, de hoc latius in annotatione. Sunt autem verba similitudinis non paritatis, aut æqualitatis: vt enim non sumus pares in cognitione Patris cum Christo, sic nec in dilectione Patris, nec in filiatione, de qua similitudine siue æqualitate dictum est I. Ioan. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Porro sine optimo concluditur oratio, vt nimirum dilectio Patris, & Christus sit in suis.

ANNO TATIO XIX.


Quid sit Dei dilectionem in vobis esse.

CHRYSOST. hom. 81. verbum illud *dilectio sit in eis, qua dilexisti me*, sic exponit, vt cognoscant dilectionem, qua me dilexisti, & dum id cognoscunt, ego sim in eis: quam expositionem sequitur Euthym. tamen Cyrill. libr. 11. cap. 30. aliter exponit, *Nempe dilectio sit in eis, qua dilexisti me*, id est diligantur à te perfecte, sicut ego dilectus sum: quod nos secuti sumus in commentario. Illud autem vltimum verbum, *Et ego in ipsis*, Aug. tract. 111. in sensu causali exponit, vt nos exposuimus. Cyril. & Chryf. in sensu copulandi; & accommodata est vtraque expositio: probabilior tamen visa est Augustini, quamuis ipse sensum alium sequatur, nempe de beatitudine & gloria sempiterna.

Sed merito interrogare quis posset; Cur non dicitur, vt dilectione, qua dilexisti me, diligas eos, Sed, vt dilectio, qua dilexisti me, sit in eis. quid est dilectionem Patris esse in eis? Respondeo hac locutionis forma significari discrimen, quod est inter amorem generalem, quo diligit Deus cuncta quæ fecit; & singularem illi, quo credentes in Christum prosequitur, illi enim sic Deus diligit omnia, vt amorem ipsum non communicet eis, ex amore quippe benefacit omnibus, amorem tamen ipsum suum non dat eis. hoc verò singulari amore sic diligit credentes, vt non solum magna eis beneficia conferat, filiosque adoptionis suos faciat; sed etiam ipsammet suam dilectionem, & amorem eis donet, vt in ipsis verè sit. Patris enim dilectio Spiritus sanctus est, quem credentibus dat, vt per eum efficiantur filij, &

A recipiant bona, quæ ex eodemmet amore, & dilectione procedunt, mirus profectio, & altissimus est hic amandi modus, de quo Roman. 9. dictum est: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, hac igitur de causa dictum nunc est, *Vt dilectio, qua me dilexisti, sit in eis*. petebat enim Christus credentes in se diligi à Patre, non quidem illa dilectione generali, qua bonos & malos diligit, & suum Solem oriri super eos facit: sed ea, qua efficiendi erant filij Dei adoptionis, & heredes æternæ vitæ; & vnum, sicut & Pater, & filius vnum sunt, quæ non erant futura, nisi eadem dilectione Patris, quæ Spiritus sanctus est, collata & donata eis; propterea dicit, *Vt dilectio, qua me dilexisti, sit in eis*. Hoc nos docuit Ioannes ipse I. epist. Vide-
1. Ioan. 3.
te, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei nominemur, & simus, non enim dicit, videte, quali charitate nos dilexit Pater, sed qualem charitatem dedit nobis. Sic namque nos filios effecit ex charitate, vt eandem charitatem; qui Spiritus sanctus est, dederit, vt per eum filij essemus. Romanor. 8. Accipitis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Galat. 4. Misit Deus spiritum filij corda vestra, in quo clamatis Abba Pater. Merito autem dicit Ioannes, *Videte*, quia profectio omni dignus est consideratione, & perpetua gratiarum actione tantus, & tam singularis amor, hanc dilectionem petit nunc Christus; & verò tantum precatorem quantum Christus erat, tales preces decebant-

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.



MAEC cum dixisset IESVS, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & Pontificibus & Phariseis ministros, venit illuc cum lanternis, & facibus, & armis. IESVS itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, & dixit eis: *Quem queritis? Responderunt ei: IESVM Nazarenum. Dicit ei IESVS: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem queritis? Illi autem dixerunt: IESVM Nazarenum. Respondit IESVS: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidit ex eis quenquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomē seruo Malchus. Dixit ergo IESVS Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors autem, & tribunus, & ministri Iudeorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caipha, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudais: Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem IESVM Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiit cum IESV in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiaria: & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat: & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit IESVM de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in osculo locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hac autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cadis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se, Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dixit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Adducunt ergo Iesum à Caipha in pratorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in pratorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem afferis aduersus hominem*

hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor non tibi tradidissimus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei iudei: Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo IESV impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiit ergo iterum in pratorium Pilatus: & vocauit IESVM, & dixit ei: Tu rex iudeorum? Respondit IESVS: A temetipso hoc dicitis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudeus sum? Gens tua, & Pontifices, tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit IESVS: Regnum meum non est de hoc mundo: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudeis: Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit IESVS: Tu dicitis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Iudeos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis: ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudeorum? Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabban. Erat Barabbas latro.

ANNOTATIO I.

Quoniam in historia Dominice Passionis, tam apud Ioannem, quam cetero Evangelistas, frequens est mentio Pontificis & Pontificum, Sacerdotis & Sacerdotum, Scribarum & Phariseorum, in quibus intelligendis non pauca occurrunt difficultates, necesse erit præmittere quis horum vnusquisque, & quæ eis functio fuerit, ne id ipsum toties repetere cogamur, quoties harum personarum mentio occurret.

De summo Sacerdote.

Inter Sacerdotes, qui omnes de genere Aaron esse debebant, ille principatum tenebat, quem Pontificem appellauerunt, qui in sacris litteris, Sacerdos, Sacerdos magnus & summus, Sacerdotum princeps, & denique Pontifex appellari consuevit. reliqui vero simpliciter Sacerdotes, vel Sacerdotes secundi ordinis dicti sunt; quamuis, ut dicemus postea, nonnulli eorum quandoque summi Sacerdotes, & principes Sacerdotum, appellentur. 4. Reg. 23. Iosias præcepit Helcia Sacerdoti magno, & Sacerdotibus secundi ordinis. Et cap. 25. abstulit princeps militiæ Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum. Quibus locis Pontificem nomine Sacerdotis magni & primi, reliquos vero Sacerdotes secundi ordinis nuncupari videmus. Quia ergo Aaron primus omnium à Deo fuit Pontifex institutus, & filij eius in Sacerdotes fieri consecrati, quidquid ad Sacerdotale munus spectans, de Aarone scriptum est, ad Pontificem, quidquid vero de filijs eius, ad reliquos Sacerdotes pertinet.

A Quinque pertinebant ad munus summi Pontificis. Primum est, ut ingressus tabernaculum quotidie lucernas, quæ erant in eo con-

B Quinque pertinebant ad munus summi Pontificis. Primum est, ut ingressus tabernaculum quotidie lucernas, quæ erant in eo con-

C Quinque pertinebant ad munus summi Pontificis. Primum est, ut ingressus tabernaculum quotidie lucernas, quæ erant in eo con-

D Quinque pertinebant ad munus summi Pontificis. Primum est, ut ingressus tabernaculum quotidie lucernas, quæ erant in eo con-

E Quinque pertinebant ad munus summi Pontificis. Primum est, ut ingressus tabernaculum quotidie lucernas, quæ erant in eo con-

An Pontifex semel in aeternum in grediebatur. Sancta sanctorum.

expiationis solus Sanctum Sanctorum ingrediebatur, ipsumque & altare thymiamatis sanguine vituli aspergens, à peccatis populi, expiabat: pro seipso, domo sua, vniuersoque populo preces fundebat. Exod. 30. & Leuit. 16. Latius de hoc egimus in citata annotatione de festis.

Vnus est Beatus Augusti. qui inter Patres affirmat, lib. 2. quæstio. in Exod. quæst. 133. Pontificem consueuisse quod tunc ingredi Sanctum Sanctorum, quia quotidie incensum debebat adolere in altari thymiamatis. Vnde quod dicitur semel tantum in anno ingredi solitum fuisse: explicat August. quod semel in anno ingrediebatur expiaturus per sanguinis asperisionem tabernaculum foederis, & altare thymiamatis; nihilominus quotidie sine sanguine debebat intrare, ut incensum adoleret, sicut ei præceperat Dominus. Cæterum cum Paulus ad Hebr. 9. dicat in priori tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine; videtur certius quod semel tantum in anno potuerit ingredi. Sic sentiunt super huc locum Chryl. hom. 17. in epist. ad Hebr. Theodoret. ibidem & super capit. 1. Threno. Hierony. sup. cap. 16. Ezech. & Ambrosius lib. 1. in Lucam cap. de ingressu Zachariæ in templum. nec parum hoc confirmat sententia Philonis & Iosephi, qui inter hebræos fuere peritissimi. ille namque lib. de legatione ad Caium, sic scripsit: Sanctuarium semel quotannis ingreditur Pontifex, ieiunij tempore tantum, odores incensurus, & ex more vota facturus; de cætero si quis sacerdos, immò si ipse Pontifex duobus anni diebus, aut eadem die ter, quaterue introierit, capite luet absque venia. quod etiam lib. 2. de Monarchia repetit. Iosephus vero lib. 6. de bello Iudaico ait: Superhumerali, & rationali Pontifex utebatur, solum cum Sancta sanctorum ingrediebatur; quod semel in anno solus faciebat, quod die cunctis ieiunare mos erat. Ratio vero, cui Augustinus innixus est ut contrarium sentiret, ex eo vim habuit, quia credidit ipse altare thymiamatis, in quo adolendum erat incensum, esse intra velum, quod diuidebat Sancta sanctorum à reliquo tabernaculi, itaque iuxta eius sententiam hoc altare erat intra illud spatium, quod dicebatur Sancta sanctorum. tamen si consulumus scripturam reperiemus, tam mensam propositionis, quam altare thymiamatis fuisse extra velum, tamen iuxta illud, de mensa patet ex capit. 24. Leuit. de altari vero dicitur Exod. 30. ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij. id est, pones ante velum: intra velum ergo solummodo erat propitiatorium, id est, Arca foederis, & supra eius operculum Cherubini erant extensis alis: extra velum vero erat altare, in quo quotidie iuxta præceptum legis incensum adolebat sacerdos, absque eo quod ingrederetur in Sanctum sanctorum.

Quamuis pro instituto nostro dicta sufficerent, ut posset dignosci quo Sacerdos summus

A ab alijs de genere Leuitarum differret; libet tamen pauca de Summorum Sacerdotum successione addere: quibus eorum dignitatem & statum melius possit vnusquisque cognoscere. Dignitas hæc à Deo data est Aarone, ut in ei⁹ posteritate perpetuo permaneret, sicut constat Exod. 28. & 29. & 1. Paralip. 26. ita tamen ut in demortui locum eius primogenitus succederet: sicut factum est, per primos quinque sacerdotes ab Aarone vsque ad Bozi. Aarone enim defuncto successit eius primogenitus Eleazarus, & Eleazarus eius primogenitus Phinees, & Phinees primogenitus eius Abisue, & Abisue successit Bozi, ut constat ex lib. 1. Paralip. cap. 6. post mortem Bozi translatus fuit sacerdotium à familia Eleazari, ad familiam Ithamari fratris eius natu minoris; & quamuis ex scriptura translationis ratio non constet, dubitari non potest, quin fuerit graue aliquod peccatum: quia Dei promissio alioquin stabilis & indeficiens, hac vna de causa mutari consuevit: sicut videmus in Heli; qui fuit primus Sacerdos summus de familia Ithamari, & non solum à Deo in Sacerdotem electus est, ut dicitur 1. Reg. 2. sed etiam à populo factus est Iudex, illumque per quadraginta annos iudicauit, ut habemus eodem primo Reg. cap. 4. tamen propter grauissimam, & impunita filiorum peccata 1. Reg. 3. illi comminatur Dominus, quod sacerdotium ab eius domo esset ablaturus, & de facto abstulit tempore Abiathar sacerdotis, ut mox dicemus. redijt ergo Pontificatus ad familiam Eleazari, quando Sadoc factus est à Saule sacerdos, & per aliquot annos officio functus est simul cum Abiathar filio Achimelech, quod eisdem diebus Dauid creauit Sacerdotem summum: & in hac familia & posteritate Eleazari durauit Pontificatus vsque ad reditum populi ex captiuitate Babyloica, quo tempore Pontifices coeperunt, non solum templi, & sacrorum curam gerere; sed etiam Regum officio fungi, & Reipublicæ duces ac Principes appellari: beneque cum illis actum est vsque ad Antiochum Eupatorem regem Syriæ, qui deposito Onia summo sacerdote, cepit eligere Sacerdotes magnos de genere quidem Aaron, non tamen de familia, ad quam iuxta Dei institutionem spectat populi Principatus, sed plebeios, & viles homines subrogabat, qui nec viribus, nec auctoritate possent eorum conatibus opponere. Subsecuta est paulò post Assamonæorum familia, quæ teste Iosepho li. 12. Antiquit. coepit à Iuda Machabæo filio Mathathia; & ad tantam euecta est dignitas & potestatem, quantam in libris Machabæorum videre licet, donec Herodes, qui fuit tempore Papeij, & postea à Romanis in regem Iudææ electus, ut tutius ei esset pro libito gubernare, sequutus exemplum Antiochi, ex Plebeiorum fece summos sacerdotes creasset, & passim pro arbitrio deposuisset, alios denuò substituens. & ex assidua hac & frequentati magnorum sacerdotum mutatione ortus est, ut qui tandiu Pontificatum gerere debebant secundum legis præceptum, quandiu vita duraret,

De origine, successione & numero summorum Sacerdotum.

duraret, paucis annis, & nonnulli etiam paucis diebus eo fungerentur officio, quousque tandem propter auaritiam Romanorum, & Iudaorum qui reges fiebant, & propter frequentes dissensiones, & annui fierent Pontificatus, & pecunijs venderentur: vt latius tractat Iosephus lib. 22. Antiquitatum.

Numerus magnorum Sacerdotum.

Numero summorum sacerdotum diuersè computant scriptores. Iosephus lib. 22. Antiq. capit. 8. numerat tres super octuaginta, & vno plus minusue. hanc credo certiore esse computationem, quia conformior est ijs, quæ ex libr. 1. Paralip. deduci possunt: fuere igitur ab Aaron vsq; ad captiuitatem Babylonicam viginti & duo Sacerdotes; à Iosadec, qui fuit post captiuitatem primus, vsque ad tempora Antiochi Eupatoris regis Syriæ, fuere quindecim; ab Antiocho vsque ad Herodem illum, de quo modo loquebamur, numerantur septemdecem, aut decem & octo; ab Herode vsque ad Finasium, qui fuit vltimus omnium summorum Sacerdotum, & suoungebatur officio quando Titus, & Vespasianus ciuitatem funditus euerterunt, transfere anni centum & septem; in quibus numerati sunt duo de triginta magni Sacerdotes, qui omnes complent numerum octuaginta trium. hoc vnum in hac sacerdotum computatione oportet aduertere, quod Iosephus capite 8. citato, non nihil differt à diuina scriptura, tam in numero quam in nominibus horum sacerdotum, quod duplici ex capite oritur; vel quia Iosephus inter Sacerdotes magnos illos computat, qui quauis magni non essent, quandoq; tamen pro magnis supplebant, & eorumungebantur officio, vt fuit Phinees filius Heli, qui non fuit Sacerdos magnus cum è vita prior patre decesserit, tamen pro patre quandoque ministrabat, quia Heli, iam senio confectus, & oculorum lumine orbatus, non bene poterat ministrare. Vel quia scriptura eorum tantum meminit, qui continuata primogenitorum successione Pontificatum gesserunt. Iosephus verò etiam eos numerat, qui quamuis primogeniti non essent, tamen Pontificis officio functi sunt: contigit enim aliquando vt primogenito absque liberis decedente, frater eius, & successiuè plures ipsius fratres in Pontificatu succederent: quos omnes numerauit Iosephus, scriptura nonnullos eorum prætermittente.

An fuerint vnquam simul duo Sacerdotes magni.

Superest nunc examinanda difficultas, num aliquando euenerit, vt duo simul summi Sacerdotes illo fungerentur officio, an verò semper vnus tantum pro tempore fuerit? Duo sunt scripturæ loca, quæ in hac re negotium faciunt. Primus locus est lib. 2. Regum cap. 15. vbi Sadoc, & Abiathar sacerdotes dicuntur, & 1. Para. 24. ne in officij functione contentio inter eos oriretur, David vices eorum distribuiffe dicitur. Alter locus est Luc. 3. dicentis: Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini ad Ioannem. quibus verbis aperte indicari videtur vtrumque simul & eodem tempore Pontificatum gessisse. Primus locus probat absque dubio, tem-

A pore illo duos simul sacerdotes Pontificatu functos fuisse, quia & duo erant Reges in Israël; Saul, qui possidebat regnum, & David, qui à Deo in Regem electus, & à Samuele fuit vnctus. Sed vt rei veritas constet, oportebit ea repetere, quæ in libris Reg. scribuntur. Habemus ex lib. 1. Regum cap. 22. quod Saul iratus contra Achimelech sacerdotem magnum, eo quod fugienti Dauidi cibos, & gladium dedisset, occidi fecit, non solum Achimelech, sed simul cum ipso alios octuaginta quinque sacerdotes: vnus tantum Abiathar filius Achimelech, fuga mortem euadens confugit ad Dauidem, qui in locum patris à Saule interfecti, eum suffecit in Pontificatum. aliunde Saul cum omnes sacerdotes interfecisset, elegit Sadoc, vt sacerdotio fungeretur loco Achimelech sacerdotis magni etiam interfecti: & quamuis duo reges hac ducti ratione elegerint sacerdotes, tamen non sine secretiore, & altiori mysterio, Deo sic permittente, quia disposuerat, vt hoc eodè euentu impleretur verbum, quod contra domum Heli fuerat comminatus dicens 1. Reg. 3. Ecce dies veniunt, & pracidam brachium tuum, & brachium patris tui, &c. fuit autem tunc impletum: quia quauis dum viueret David, Sadoc de stirpe Eleazari, & Abiathar de stirpe Ithamar, & de familia Heli fungerentur sacerdotio, illo tamen mortuo, Salomò filius eius deposuit Abiathar, priuans eum pontificatu, præcipiens ei, vt in villam suam Anatoth discederet, quo facto subdit scriptura 3. Reg. 2. Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli in Silo. Habes igitur vnde ortus sit, quod tempore illo simul fuerint duo sacerdotes magni. Quæret tamen aliquis, cum David esset in lege peritus, & propheta Domini in omnibus sapiens, quorsum tempore suo permisit duos simul sacerdotes ministrare in templo, præcipiente lege vt vnus tantum primogenitus mortui in locum eius subrogaretur? Respondeo, Dauidem absque legis transgressionè id fecisse, quia tanquam Verus propheta intellexit Dominum Heli comminatum fuisse quod scriptum est, 1. Regum 2. Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis prosperis Israël. quod non fuit impletum in persona Heli, cum ipse non viderit æmulum in templo, sed implendum erat, vt scriptura docet esse impletum, in Abiathar, qui erat de familia Heli, & vidit in templo Sadoc Sacerdotem in omnibus auctum & prosperum effectum, donec Salomon eum amouit ab officio. vt ergo sermo Domini impleretur, Dauid neutrum sacerdotio priuauit, sed vtrumque pro tempore in templo ministrare permisit.

De secundo loco maior est difficultas, Augustinus tractatu 49. in Ioan. credit Annam & Caipham eodem tempore fuisse Sacerdotes magnos, singulos tamen ministrasse per vices suas, vt Luc. 1. dicitur de Zacharia, Cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, &c. Beda tamen su-

Annæ & Caiphas non fuerunt simul summi Pontifices.

men super cap. 3. Luc. asserit tempore illo annos sacerdotes, probabilius tamen crediderim, non simul tempore vtrumque sacerdotio functum fuisse: nam Luc. 22. dicitur de Domino Iesu. Comprehendentes eum duxerunt illum ad domum Principis Sacerdotum. quæ verba indicant vnum fuisse tunc summum Sacerdotem, in cuius domum ductus fuit Dominus, alioquin si duo essent, Euangelista nomen eius expressisset, in cuius domum ductus fuerit. Insuper Ioan. 11. dicitur de Caipha, Cum esset pontifex anni illius, prophetauit: quibus verbis ostenditur saltem eo tempore Caipham solum pontificatum administrasse. Est igitur considerandum, quod ex assidua & frequenti sacerdotum mutatione (de qua superius diximus) noua consuetudo inducta fuit, vt qui semel per annum, vel per tempus aliquod Pontificatum gessissent, quamuis dignitatem relinquere, Pontificis tamen nomen non amitterent, sicut qui apud nos Episcopatu renuntiat, Episcopi nomen non admittit: quod ita fuisse constat ex Iosepho, qui lib. 2. de bello Iudaico. bis aut ter diuersis capitibus Pontifices appellat eos, qui Pontificatu functi fuerant, quamuis tunc non essent Pontifices. Dico ergo Caipham solum id temporis Pontificatum functum, Annam verò superioribus annis functum esse, & quamuis alij essent, qui fuerant etiam summi sacerdotes, non illorum, sed solius Annæ mentio fit, quia erat focer Caiphæ: propterea etiam inter omnes, qui fuerant summi Sacerdotes, solum ad Annam ductus est Dominus. locus verò ex 3. cap. Luc. sumptus non probat, eodem tempore fuisse vtrumque summum Sacerdotem, sed Ioannis prædicationem sub vtriusque sacerdotio completam esse, quod nos etiam concedimus, quia ad talem statum iam sacerdotium peruenerat, vt non solum annui essent sacerdotes, sed frequentius etiam mutarentur, prout videbatur Romanis principibus, qui Rempublicam illam administrabant, vt testis est Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 4. qui de vno Valerio Grato refert quanta facilitate Pontifices amoueret, & novos crearet. potuit ergo Ioannis prædicatione, quamuis non fuerit diuturna, sub vtriusque Pontificatu peragi, non autem quod ambo simul verè essent summi Pontifices: de loco illo, quo beatus August. suam probat sententiam, dicemus inferius. Supererat dicere de vestibus & de consecratione summi Sacerdotis, sed quia hoc esset ad institutum digredi, super sedendum erit, qui tamen scire cupit, legat, quæ scribuntur Exod. 28. & Leuit. 8. & quæ Hieronymus Epist. 128. à Iosepho mutuatus est, de consecratione verò legat cap. 29. Exodi. & 8. Leuit. & Philonem lib. 3. de vita Moy-

De Sacerdotibus.

De Sacerdotum origine.

Gimus iam de Sacerdote magno, de Sacerdotibus, quos secundos, seu secundi ordinis appellari diximus, tractare nunc oportet. Circa quorum originem illud est aduertendum, summos Sacerdotes ab Aaron per

lineam primogenitorum descendisse, nimirum summo Sacerdoti Aaron eius primogenitus successit, huic autem ipsius primogenitus, & sic consequenter per primogenitos, à primo primogenito successio. trahabatur: quod si primogenitus deficiebat alicuius, succedebat secundus aut tertius filius, omnes tamen à primogenito Aaron deriuabatur: à reliquis autem Aaron filijs, origo Sacerdotum, secundorū descendebat. Fuerunt aut Aaron, primo Sacerdoti summo quatuor filij, quorum duobus, nempè Nadab, & Abiu incendio interfectis, eod quod ignem prophanum, seu non sacrum sacrificio miscuissent: superfuere Eleazar, & Ithamar, à quorum priorum summorum Sacerdotum, à posteriori secundorum tota progenies deriuata est. Summi ergo Sacerdotes secundum legem à primogenito Aaron, secundi à secundo genito ortum habuere.

Sicut secundi Sacerdotes in dignitate, & numero à summo Sacerdote multum differant, ita etiam in functione & in officio: nam septem sunt quæ ad munera, Sacerdotum spectabant. Primò olea conseruare, quorum nonnulla pro lucernis, alia pro vnctionibus sacris vsui erant. Nume. 4. Secundò vasorum, quibus in tabernaculum utebantur, curam gerere. Numero 4. Tertio, quotidie vnâ cum Sacerdote magno incensum offerre super altare thymiamatis, & absque Pontifice etiam super altare holocaustorum, vt scribitur Numero. 4. & 1. Paralip. 6. & 26. Quarto, quotidiana offerre sacrificia. Nume. 4. Quintò, si quando pro populo vel priuatis personis præter consuetum ordinem offerendum esset sacrificium, offerre, vt patet Leuit. 17. & 2. Paralip. 29. Sextò, sacrificia facere, quæ pro singulis festis præscripta erant: scripturæ loca, in quibus huiusmodi indicantur sacrificia, ostendimus supra cap. 7. Annot. 2. Iosephus hoc idem affirmat libr. 6. de bello Iudaico. Septimò pelles holocaustorum detrahare. Leuit. 1. & 2. Paralip. 29. & quamuis omnia hæc Babylonicæ exilio fuerint interrupta & ferè collapsa, tamen postquam à captiuitate redierunt, omnia Dei mandato fuere innouata: vt habetur Ezechielis. 44. capite.

Sacerdotum in classes distributio.

David, qui in rebus ad diuinum cultum spectantibus solertissimus fuit, tantam suo tempore inuenit multitudinem Sacerdotum ex Eleazaro, & Ithamar propagatam, vt necessarium duxerit illos omnes ad ordinem aliquem redigere; ne multitudo hæc aut in ministerijs confusionem, aut inter ministros contentionem pareret. omnes ergo per vices suas, & per hebdomadas distribuit ad ministrandum, siquidem, vt Iosephus affirmat li. 2. contra Appionem, in singulis classibus ex viginti quatuor (de quibus mox dicemus) plus quam quinque millia hominum numerabantur. Distribuit ergo David Sacerdotes omnes, quos ex Eleazari profapia reperit, in sexdecim Classes, illos verò, qui ex Ithamaro originem ducebant, in octo, & singulis præfecit Principem vnum, ipsammet classem à Prin-

à Principe illo denominans : netamen quis conqueretur, aut ipsum vt personarum acceptatorem incusaret, voluit fortibus definiri, quæ prima, & quæ secunda, & tertia, vsque ad vigesimam quartam, futura esset: immò cum instituisset vt singulæ classes, singulis Hebdomadibus in templo ministrarent, sortitus est etiam munus, quod singuli Sacerdotum illius classis obirent, verbi gratia, quis incensum poneret, quis Sacrificijs assisteret, quis pelles detraheret, &c. hæc omnia constant ex libr. 1. Paralipo. cap. 24. & confirmat Iosephus libr. 2. contra Appionem, hæc Sacerdotum Classes, in scriptura quandoque appellantur vices, & hoc frequentissimè, vt 1. Esdræ 6. & 3. Esdræ 1. libr. 1. Paralippo. 24. & Luc. 1. Sacerdos quidam nomine Zacharia de vice Abia dicuntur etiam turmæ 2. Paralipo. 20.

An Zacharias pater Iohannis Baptistæ fuerit Summus Sacerdos? non desunt graues, & antiqui patres, qui id affirmarunt, & argumentis confirmarunt: nam Ambros. libr. 1. in Luc. capit. de ingressu Zachariæ in templum, & Augusti tractat. 49. in Ioan. sub finem illius: affirmant fuisse Sacerdotem magnum, eo ducti quod incensum adolebat, quod ad solum magnum Sacerdotem spectabat, tum etiam, quia dicit Lucas capit. 1. vt Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ: per vices autem ministrabat Sacerdotes magni, qui tempore illo, inquit August. erant annui. Cæterum, quamuis horum auctoritas sit maximi faciendæ, probabilius esse crediderim. illum non fuisse Sacerdotem magnum; tum quia de illo non dixisset Euangelista, erat Sacerdos quidam, sed erat Sacerdos anni illius, vt dixit Ioannes de Caipha, vel alia vteretur phrasi, quæ conueniret Summo sacerdoti; tum quia Summus Sacerdos non habebat vices: solum enim tempore Sadoc. & Abiathar, vt superius diximus, Dauid illis distribuit vices, pro tempore, quo simul functi sunt Sacerdotio: ab illo tamen tempore summi Sacerdotis non erant vices, sed, vt modò diximus, Sacerdotum secundi ordinis, quos in ministerio Dauid per vices diuisit. Præsertim quod ex Iosepho libr. 17. Antiq. constat; tunc temporis Ioazarum fuisse sacerdotem magnum. Nec duo illa fundamenta, quibus nituntur sentientes oppositum, quidquam probant: non enim erat solius magni Sacerdotis incensum offerre, spectabat quidem ad ipsum, pro ratione muneris sui, quotidie manè quando lucernas concinnabat, etiam incensum offerre super altare Thymiamatis, vt constat Exodi 30. tamen sicut nec Aaron solus lucernas concinnabat, sed adiutus à filijs iuxta præscriptum Domini Exod. 27. ita nec solus incensum adolebat, sed adolebant etiam Sacerdotes secundi ordinis vt constat Levit. 21. Num. 4. 1. Paralipo. 6. & 2. cap. 26. Falsum est etiam, vt diximus, summum Sacerdotem per vices ministrare; quia cum vnus esset, solus ipse sine socio ministrabat, quando verò S. Lucas

ait, quod Zacharias fungebatur Sacerdotio in ordine vicis suæ, significat, quod nos iam diximus. Sacerdotes per classes aut vices fuisse distributos, ita vt per sortes singulis obueniret quid quisque eorum acturus esset in ministerio templi, dicitur ergo Zacharias de vice Abiæ, id est, de classe Abiæ, quæ erat inter viginti quatuor octaua, & ab Abia principe illius classis sic dicebatur, vt constat 1. Paralipo. 24. & in ordine vicis aut classis suæ, sorte exijt vt Zacharias incensum poneret, sicut sorte exijt vt alij eius Socij & eiusdem classis Sacerdotes alia facerent in eodem templi ministerio.

Secundum dubium est quod significet Marcus cap. 14. dicens, Adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotem Caipham, summi verò Sacerdotes quærebant aduersus Iesum testimonium. Si enim vnus Caiphas erat summus Sacerdos, quos appellat Euangelista summos Sacerdotes? immò in historia Dominicæ passionis frèquenter dicitur summi Sacerdotes, & Principes sacerdotum conueniunt, &c. dubium ergo est, qui sint isti Principes sacerdotum & summi Sacerdotes? Ex dictis est manifesta responsio, vel vt nonnulli volunt Principes Sacerdotum, & Summos sacerdotes dici, qui functi fuerant Pontificatu, de quibus diximus supra, quod etiam post amissam dignitatem, retinebant nomen: Vel quod verius est, & scripturæ conformius, Dauid, vt modò diximus, Sacerdotes omnes in viginti quatuor classes distribuit, & singulis præfecit Sacerdotem vnum, qui illius classis Princeps dicebatur, vel summus sacerdos inter sacerdotes suæ classis: illos ergo viginti quatuor classibus præpositos, appellat scriptura Principes Sacerdotum, & summos Sacerdotes. & hac ratione intelligendum est, quod de Principibus sacerdotum dicitur 1. Esdræ. cap. 8. immò & ipse Esdras, qui nunquam fuit summus sacerdos, Princeps Sacerdotum dicitur, quia vnus classis princeps fuit. tales etiam fuere Ioannes & Alexander, de quibus Acto. 4. & denique Scæua, de quo Acto. 19.)

De Leuitis.

DE Leuitis pauca obiter dicere visum est, quia in sacerdotum ministerium fuere deputati, & eorū etiam mentio facta est à Ioanne supra cap. primo, nec loquimur de Leuitis largè sumptis, quia hoc modo Sacerdotes omnes Leuitæ dicuntur, quia ex Tribu Leui originem ducunt: sed de Leuitis agimus, qui munera Leuitarum propria obibat. Leui tres filios habuit Gerson, Cahat, & Merari. Cahat verò genuit Amram, Isaar, Hebron, & Ozziel: ex Amram nati sunt Moyses, Aaron, & Maria; ex Aaron Eleazar, & Ithmar, ex quibus sacerdotes omnes, tam supremi quam secundi ordinis originem duxerunt: ex reliquis verò Leui filijs, nepotibus & pronepotibus, vniuersum genus sacrorum ministrorum, quos Leuitas appellat scripturæ, propagatum est.

Duplex fuit Leuitarum ordò, alter Moysi tempore à Deo institutus, alter verò à Dauidè

Qui di. antiq. Principes sacerdotum, & summi sacerdotes.

De Leuitis origines.

Duplex Leuitarum ordò.

Dauidè rege innouatus. de illo prius, de hoc dicemus posterius. Constat ex tertio capite Numer. primogenitos omnes hebræorū Deo deberi in ministerium, eò quod propter eos omnes Aegiptiorum primogenitos interfecerit; pepigit ergo Dominus cum hebræis; vt loco primogenitorum sibi assumeret tribum vnam, & hæc esset Leuitica, ex qua templi ministros sibi deligeret. præcepit autem Moyse Num. 1. & 3. vt de his assumeret in ministerium tabernaculi, qui curam gererent de vasis, instrumentis, arca mensa, velo, cortinis, & denique omnem tabernaculi supellectilem ferrent, quando castrametandum esset. & eodem cap. 3. Num. munera distribuit singulis familijs Leui. & cap. 4. statuit quid eorū quisque portare deberet, v. g. quis arcam, quis mensam, quis cortinas, & cætera. & capite 8. eis indicitur, vt sint quidem custodes eorum quæ ad tabernaculi ministerium pertinerent, non quod opere quidpiam faciant, sed solum vt sint sacerdotum ministri, & adiutores.

De secundo ordine leuitarum.

In his muneribus obeundis permanferunt Leuitæ vsque ad tempora Dauidis, qui primo illo Leuitarum ordine quodammodo abrogato; ad nouum quandam ordinem tabernaculi ministeria redegit: de genere ergo Leuitarum cum reperisset triginta & octo millia, fecit sacerdotum & tabernaculi ministros viginti quatuor millia, & hi propriè dicebantur Leuitæ: fecit cantores quatuor millia: & totidem ex eisdem Leuitis fecit Ianitores: alios verò sex mille constituit Scribas & Indicos. quæ omnia habentur 1. Paralip. 23. & sicut sacerdotes omnes diuiserat Dauid in viginti quatuor classes, ita etiam distribuit Leuitas in alias viginti quatuor, quibus nomina imposuit Gersonitarum, Cahatarū & Meraritarum, quia ab his tribus filijs Leui Gerson, Cahat, & Merari, vniuersa Leuitatum multitudo propagata est: & singulis classibus Principem etiam vnum præfecit, qui illius classis princeps dicebatur, & hi sunt, qui 1. Esdræ 8. principes Leuitarum nominantur: hæc fecit Dauid: & Salomon filius eius perfecit & absoluit, vt constat 2. Paral. cap. 8.

De scribis.

De scribis, & quæ eorum ministeria.

QVemadmodum græci Philosophos, Chalæi Magos, & Latini Sapientes appellarunt eos, qui aliqua scientia pollebant, ita etiam Hebræi peritos in lege, & doctos in scriptura, Scribas nuncuparunt: & sicut apud nos in omni hominum genere & statu, plures reperiuntur qui Sapientes dici possint, propterea quod in literis progressus fecerint; sic apud hebræos, ex quacumque tribu illi sint, ex quacumque hominum sorte, & secta, si tamen in lege & scripturis sanctis periti essent, Scribæ dicebantur: vnde, & inter Principes, & inter Sacerdotes, inter Leuitas, inter Phariseos, & inter ipsos plebeios plures reperiebatur Scribæ. Quantum ex diuinis libris colligere possumus, Scribæ duo munera obibant. Primum erat, vt asserit Epiphanius tom. 1. hæresi 15. legem populo proponere, sensus eius eruere,

erutosque populo manifestare; inde quia legebat Lectores appellabatur, vt patet 3. Esdræ 9. quo loco Esdras lector dicitur, qui passim scriba nominatur: & quia nò solum legebat, sed etiam exponebat diuinas litteras, legis doctores & legis periti dicti sūt. Vnde hebraicè dicebantur Sopharim, à Sepher, quod est liber aut litera, vt sint Sopharim quasi librarij ab euoluendis enarrandisque libris sacris, aut literati: qualis fuit Esdras, de quo 1. Esdr. 7. Et ipse scriba velox in lege Moyse; & 2. Esdræ 8. Congregati sunt omnes ad Esdram scribam, vt interpretaretur eis verba legis: aut dicti sunt Sopharim à verbo Saphar, quod est recensere, narrare, & nunciare, & exponere; quia vtrumque præstabant. cum enim singulis Sabbatis conueniret populus in tèplum & Synagogas, vt coram eo pars aliqua legis & prophetarum legeretur: sicut habemus ex c. 11. Acto. & testantur etiam Philo lib. quem inscripsit, Quod omnis probus est liber, & Iosephus lib. 2. contra Appionem; necessarium erat esse aliquos, qui hoc munere fungerentur, & honorificum erat illud præstare munus. hoc subindicare voluit Dominus, quado Mat. 17. dixit, Quid dicunt scribæ quod Eliam oportet primū venire? & Mat. 23 Super cathedram Moyse sederunt Scribæ & Pharisei, quasi dicat ipsi funguntur munere magistrorum, & legem Moyse populo proponunt, & explicant. hoc idem munus in Synagogis præstari solitum, asserit Beatus Lucas Acto. 13. loquens de Paulo & Barnaba, qui cum peruenissent Antiochiam Pisdix, ingressi sunt Synagogam, & post lectionem legis & Prophetarum, (ait Lucas) miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes, Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens ait &c. ecce lectionem exhortationis, quæ ad primum munus Scribarum spectant.

Secundum eorum munus fuit Iudices esse vt ciuium causas iudicarent & dirimerent: hoc deducitur ex eo quod Dauid 1. Paralip. 23. ex Leuitis, vt supra diximus, delegit sex millia præpositos & Iudices: quamuis enim nonnulli non oblique ratione existiment, iudicare idem esse eo loco, quod diiudicare sensus & interpretationes scripturæ, quod ad primum munus Scribarum pertinet, idque ex illo Pauli 1. ad Corin. 14. probatur, Prophetæ duo aut tres in Ecclesia dicat, cæteri diiudicent; id est, duo aut tres legant, vt exponit Anselmus, & alij interpretentur & explicant; tamen absque dubio in iudices electos esse, constat ex his quæ dicuntur sub finem cap. 26. eiusdem lib. 1. Paralippo. Postquam enim per sortes diuisi sunt Ianitores, & Cantores, ait scriptura, Isaaritis verò præerat Chonenias, & filij eius, ad opera forinsecus super Israël, ad docendum & iudicandum eos. quo loco docere & iudicare, tanquam diuersa munera numerantur, sicut à nobis numerata sunt, quod etiam ex Euangelijs confirmatur, quia Matthæi 20. dicitur, Tradetur principibus & scri-

scribis, & condemnabunt eum morte. Ioan. 8. Scribæ sistant adulteram crum Domino dicentes, Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidari, tu ergo quid dicis? uterque locus indicat quod ad Scribas iudicium pertineret, ac proinde quod merito Iudices esse, tanquam secundum eorum munus assignatum sit.

Quid capere scriba.

Scribæ simul cæperunt cū lege: sicut enim Deus legem per Moysen dedit, ita & per ipsum illam populo exposuit, & præsertim seniores ex Moysis communicatione illius sensus & interpretationes didicerunt, ita ut paulatim huiusmodi professio in populum erepsit, vnde Leuit. 10. præcipit Dominus, Omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos, per manū Moysi. postea verò David sicut reliquas Reipublicæ partes, ita & hanc quæ ad scribarum & legis doctorum professionem spectabat, reformavit Epiphā. tom. 1. hære. 15. asserit ipso etiam vlos fuisse simbrijs & phylacterijs, vnde Dominus non minus ipsis quam pharisæis, exprobrauit hypocrysin, & ambitionem: illi enim scientia, Pharisæi religione, quam simulabant, non Dei gloriam, vel animarum lucra, sed hominum existimationem & gloriam aucupabantur.

De Pharisæis.

Supereff tandem vt de pharisæis pauca dicamus. pharisæi à phares, quod separationem vel diuisionem significat, dicti sunt, eò quod à reliquorum omnium conuictu, singulari quadam legis obseruantia, & religionis professione, fecerantur. Vnde, vt Iosephus ait lib. 13. Antiq. cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. fuit secta quædam & factio quorundam hominum, qui propter hæreses, quas sectabantur, tantæ erant apud plebeios auctoritatis, vt quidquid ad diuinum cultum, & solemnnes precesiones spectaret, iuxta eorum responsa & interpretationem fieret, immò Pontifex

Hircanus, alioquin populo suo gratissimus, inde cepit populo displicere quod ipse & fratres eius Pharisæis infesti essent.

Vnde vult, & quando cæperunt.

Diuus Hieronymus super cap. 8. Isai affirmat Scribas, & Pharisæos originem traxisse ex duabus familijs Israelitarum, Samai, & Hillel, cæperunt autem, inquit, Hieronymus paulo ante Domini aduentum, quod etiam sentire videtur Iosephus lib. 1. de bello Iudaico, cap. 4. quò loco agens de Alexandra matre Pontificis Hircani, & Aristoboli, eam dicit fuisse additissimam Pharisæorum genti, quorum eo loci meminit Iosephus tanquam recens incipientium. De eorum sectis, & erroribus consulèdi sunt Iosephus locis citatis, & Epiphā. tom. 1. hære. 15. id tantum dicam, quòd Hieron. super 23. Matth. asserit, videlicet, Pharisæi legentes Numer. 15. vt in quatuor angulis palliorum hyacinthinas vittas facerent, vt etiam hoc vestis signo, à cæteris nationibus dignoscerentur; ipsi simbrias protrahabant, & in oris earum spinas ligabant, quarum assiduis punctationibus pedes & tibias sanguine aspersæ monstrabantur, ea solùm ratione, vt populis vitam penititudinem ostentarent. Insuper, quia Deutero. 6. scriptum est, Ligabis præcepta mea quasi signum in manu tua, & mouebuntur inter oculos tuos, legem in membranis scribebant, & eas complicantes ligabant in fronte, aut in modum coronæ capiti circumponebant, vt legis memores semper essent: & hæc sunt phylacteriæ, & illæ simbriæ (quamuis Epiphā. loco citato pro eodem vtrumque reputet) quas dominus frequenter in Euangelio exprobrat Scribis & Pharisæis; quia vtrisque utebantur, non propter Dei obsequium, non vt exactam legis obseruationem præstarent, sed quia his hominum gloriam, & existimationem ambibant: & quantumuis durissima poenitentis opera amplecterentur, sacrificia & vota exactissime exsoluerent, largissimeque decimarent, vt ait Epiphā. tom. 1. hære. 15. omnia hæc illis Dominus exprobrauit, quia non virtutis amore, sed hypocrysi ducti illa efficiebant.

Superest tandem vt de pharisæis pauca dicamus. pharisæi à phares, quod separationem vel diuisionem significat, dicti sunt, eò quod à reliquorum omnium conuictu, singulari quadam legis obseruantia, & religionis professione, fecerantur. Vnde, vt Iosephus ait lib. 13. Antiq. cap. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. fuit secta quædam & factio quorundam hominum, qui propter hæreses, quas sectabantur, tantæ erant apud plebeios auctoritatis, vt quidquid ad diuinum cultum, & solemnnes precesiones spectaret, iuxta eorum responsa & interpretationem fieret, immò Pontifex

Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.

COMMENTARIUS.

Oratione absoluta ad locum properat, in quo quærendus, & inueniendus ab hostibus erat: qui enim voluntariè mortem patiebarur, nullo timore à periculis retrahebatur, hostibus se promptissimè exponens. sciebat autem iudam illum cum cohorte, vt illum comprehederet venturum; ideo in eum se transfert locum. dicitur Egressus trans torrentem Cedron, id est, transgressus torrentem, qui erat inter ciuitatem, & montem Oliueti, ad quem modò proficiscebatur, ad vallem ipsius montis decurrens. diuino autem consilio huius transitus euangelista facit mentionem, vt figuram, quæ in David præcessit, in Christo impletam significaret. David enim filij persecutionem effugiens, transgressus est torrentem Cedron, 1. Reg. 15. Christus autem, vt in manus persequentium se traderet pro nobis, eundem transit torrentem. Cætera in annotatione inuenies.

ANNO.

ANNOTATIO II.

Quid facta si contentio inter discipulos.

DVO occurrunt hic adnotanda. Primum est, non videri probabile, quòd dicit Augusti. libr. 3. de consensu Euang. cap. 3. nimirum post hanc dominicam orationem factam esse contentionem, quam Lucas capite 22. describit: contenderunt enim discipuli, quis eorum videretur esse maior: Si tamen attentè aduertamus, inueniemus contentionem hanc inter exanandum factam esse, ipsum indicare Lucam: occasione enim illius verbi, *Mihi videntis me necum: est in mensa*, ortam fuisse significat: nec est verisimile, post hanc orationem, Dominum sermonem iterum habuisse ad discipulos: constat autem post contentionem, bonam concionis partem factam esse; Reges, inquit, gentium dominantur eorum &c. illud tamen, quod Augustin. dicit, probabile est, & verum, nempe iterum prædixisse Petro negationem, & post orationem hanc illa protulisse verba, quæ Mat. 26. & Marc. 14. narrant, *Omnes vos secundum patiemini in me in nocte ista, vltimè ad Petri negationem prædictionem*: vt est in capite 13. annotauimus, non semel, sed sæpius prædictum est Petro eum Christum negaturum, antequam gallus cantaret. Neque etiam oratio hæc, quam Christus habuit ad Patrem, est hymnus ille, cuius Matth. & Marc. meminere: hymnus enim gratiarum actio est post mensam facta, vt sentire videtur Chryso. hom. 83. in Matth. quod ex textu Græco satis constat; quod enim nos dicimus, hymno dicto, Græcus habet, postquam hymnum di-

xerunt: quo significatur hymnus communis Christo, & Apostolis fuisse: Oratio autem Iohannis Christi fuit.

Cedron, non græcum, sed hebraicum nomen est.

Alterum est Cedron non esse nomen Græcum derivatum à nomine cedrus arborem significante, sed esse Hebræum, vt constat 2. Reg. 15. & 3. Reg. 15. ubi appellatur *צידרון* Chidron, à ver. *צידרון*, quod significat obscurari; inde tractum est nomen illud proprium, quasi obscurum locum significans: est enim nomen vallis illius montis oliueti, inter ipsum montem, & Hierusalem, quæ & propter arborum multitudinem, & propter profunditatem, umbrosa, & velut obscura erat: distabat autem ab vrbe vallis hæc sex stadijs, vt constat ex Iosepho lib. 6. de bello Iudaico cap. 3. hanc vallem præterfluebat modicus fluuius ferè semper arefcens, & ex pluuialibus aquis auctus, qui dictus est Torrens cedron, vt ex scriptura testimonia citatis deducitur & notat etiam Hieronymus lib. de locis Hebraicis. quod autem in Græco textu legitur cum articulo pluralis numeri, vitium videtur scriptotum: nam nomen est proprium vallis, & fluuij, & Septuagint. 2. Reg. 15. cū articulo singulari scripserunt, & 3. Reg. 15. sine vilo articulo. Est autem facilis error, articulum masculinū singularè, in articulum pluralem comutare; cū autem habeamus aperta testimonia scripturæ, vbi de torrente fit mentio sub hoc nomine, non est dubitandum, non Græcum, sed Hebraicum esse vocabulum.

Vbi erat hortus, in quem introiit ipse, & discipuli eius.

COMMENTARIUS.

Consuetus erat Dominus in hunc locum cum discipulis se recipere, vt constat ex Luc. 22. erat enim hortus hic in villa Gethsemani, cuius Mat. cap. 26. & Marc. cap. 14. meminerunt. hi enim euangelistæ Christum exisse referunt in villam seu prædium dictum Gethsemani, quod interpretatur, vallis pinguedinis, seu olei mei, ad radices montis oliueti positum, in quo prædium erat hortus hic, cuius solus Iohannes meminit. in hunc Dominus cum suis intrauit discipulis. Cyril. libr. 11. cap. 31. annotat hortum hunc Paradisum significare, vbi hominum ruina incepit, vt etiam in Paradiso, & horto passio Domini, quæ salutis fuit causa, sumat initium.

ANNOTATIO III.

Num hortus iste fuerit Gethsemani.

Mattheus, & Marcus venisse in villam, seu prædium dictum Gethsemani referunt: est autem nomen Græcum *Γεθσημανι*, quod agrum, locum, prædium, villam fundumque significat: vnde inconsideratè aliqui recentiorum apud illos euangelistas vertendum esse censuerunt, in locum, non autem, in villam, seu prædium, sicut noster fecit interpres; at non est cur interpretationem reprehendant: nam nomen eas omnes habet significationes. Aliqui existimant hortum hunc Iohannis idem esse, quod duo euangelistæ villam, seu prædium dixerunt, & id videtur accommodari facile posse: nam & vocabulum, hortus, aliquando villam significare reperitur; tamen probabilius est, hortum fuisse partem illius prædij dicti Gethsemani: hortus enim est locus arbori-

bus confusus, voluptatis gratia comparatus: & quamuis in plurali numero frequentius in hac significatione vsurpetur, vt distinguatur ab horto in singulari, qui locus est oliueti, conferendis accommodatus, tamen non est ista differentia perpetua: idem enim etiam in singulari significat. Fa de causa Iohannes huius meminit, tanquam ab alijs euangelistis prætermisissimè enim idem significare voluisset, cum illis nomen idem repetisset. hoc tamen non sic factum est, sed vsus est nomine *κτλ*, quod propriè hortum significat. Erat igitur totus fundus, seu prædium dictum Gethsemani, cuius pars vna hortus voluptatis gratia confusus, & arboribus ornatus erat: in hunc Dominus cum discipulis ingreditur.

Sciebat autem et Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

COMMENTARIUS.

SI fugisset Dominus, locum notum Iudae non elegisset; quia verò sponte mortem subibat, eò tendit, quò scit Iudam venturum: nam frequenter Dominus ibi pernoctare cum suis discipulis solebat; ex qua frequentia etiam Iudae sicut alijs discipulis locus erat cognitus; non ergò fugit Dominus, sed hostem aggreditur. Ingratus autem, & impius Iudas, vel hoc facto reprobatur: ibi enim magistrum quærit, vt tradat, vbi ab ipso didicerat orare; tempusque capiendò Domino aptum iudicat, quando Dominus orat. Euangelista noster hoc loco prætermittit, quod alij Euangelistæ narrarunt, nempe trinam Domini orationem, & sudorem sanguineum, & ad discipulos locutionem, quæ etiam nos interpretari dimittimus, quia solum Ioannem exponimus; & illa omnia proprijs in locis diuino fauore explicare intendimus, quod etiam in multis alijs à Ioanne prætermittis faciemus.

Iudas ergo cum accepisset cohortem.

Malitia obcæcatus Iudas, potestate Præsidis ad milites comparandos uolens, existimauit Christum se cõprehendere posse, quem sæpe inimicorum manus uolentè euasisse erat expertus; sed sani consilij malus capax non est; nec ea considerat, quæ à suo proposito retrahere eum possunt. Cohors, vt Aug. tra. 112. rectè annotat, non Iudæorũ, sed Romanorum erat militũ à præside Pilato accepta, vt nemo tenentibus auderet obistere, quia legitimæ potestatis auctoritate fiebat,

ANNOTATIO IV.

Heronymus Matth. 26. asserit Iudam eadem infidelitate, quæ Magistrum, & dominum tradidit, putasse signa, quæ Saluatorem viderat facientem, non maiestate diuina, sed magicis artibus facta; & quia fortasse audierat eum in monte transfiguratum, timuisse ne simili transformatione elaberetur à manibus ministrorum. Non videtur hæc sententia admodum probabilis: nam innocentem Christum Iudas nouit, nec occidendum ab inimicis existimabat, quando eum tradidit; si autem magum arbitratus fuisset eum, nunquam dixisset; Peccauit tradens sanguinem iustum. Rectius Cyril. lib. 11. cap. 32. malitia excæcatus fuisse dicit, nec cogitasse omnia, sed ea, quæ proposito consequendo apta erant, potentiamque Christi multitudine comprehendendum superare sperauit, & credit. Chryso. homil. 82. præter hæc dicit, Iudam cohortem mercede conduxisse: erant enim viri militares, & pecunia omnia audebant, & Homil. 83. negat iussu Pilati milites venisse ad comprehendendum, sed pecunia conductos, & id probabile est, non tamen Iudam conduxisse eos, sed Principes forsitan hortatu Iudæ credibile est id fecisse: quam etiam probabilius est, Principes à Pilato impetrasse cohortem, persona forsitan non proposita quæ erat comprehendenda; non enim aliter Tribunal cum cohorte tota venire ausum esse existimo, nisi Præsidis auctoritas interuenisset.

Et à Pontificibus, & Phariseis ministros.

COMMENTARIUS.

Non solum militem cohorte stipatus venit Iudas, sed simul etiam multis Pontificum, & Phariseorum ministris, qui omnes cum cohorte missi sunt à principibus Sacerdotum, & senioribus, vt Iesum comperhæderent, vt habet Matth. & Marc. non enim solis gentibus confisi sunt, tantus erat ardor & desiderium cõprehendendi Dominum: immò aliquot ex ipsis principibus sacerdotum, magistratibus & senioribus venisse cum turba, expressè docet Lucas cap. 22. Principes autem Sacerdotum appellati sunt, vt docet Chryso. hom. 8. in Matt. qui annis superioribus summi Pontifices extiterat quamuis id temporis tali dignitate non fugerentur. erant enim iam auaritia & ambitione iura diuina mutata quia secundum legem summum Sacerdotum erat perpetuum, quamdiu qui eoungebatur, viuebat.

Venit

Venit illuc cum laternis & facibus, & armis.

Cum tanta multitudine se posse facere quod cogitabat, Iudas diffidebat; & facibus utitur, etiam contra ventos lumen laternis defendens; ne verò aliquis obstitat, arma adhibet. Cyril. lib. 11. ca. 32. faces, & laternas adductas censet, ne in via in lapides impingeret, aut in foueam caderet: addendum existimo; vt via non aberraret, & si fortè quæ quærebant, latere in obscuritate vellet, inueniret. Cæcitate mentis neglecta, exterioribus oculis lumen Iudas admouet, vt lumen iustitiæ Christum comprehendat.

Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit & dixit eis.

Consultò Ioannes hæc verba omnibus, quæ de passione Domini narranda sunt, præmittit, vt nihil præter eius voluntatè, & scientiã ei euenisse, omnibus cõstaret, sed ex uoluntate, & cõsilio diuino omnia esse perpessum. Ecce obuiã procedit ipsis cõprehensoribus, nec solum ad locum, vbi illi erant processit; sed & verba, quibus se manifestum faciat, pronunciat. Redarguebat hoc Christi factum impius Celsus imprudentiæ, qui dicebat, referente Orig. li. 2. contra eundem; Quis prudens præsciens talia sibi obuertura, non, si quid potuisset, deuitasset sed uolens incidisset in ea, quæ præsenferat? Multis exemplis etiã Gentiliũ hoc Christi opus defendit Origenes; sed quid opus est exemplo, quando & ratio ipsa Celsi stultitiæ conuincit? Si enim ducibus, & principibus pro salute publica conseruanda, periculis etiam manifestis licet se exponere, & hostes aggredi; quãto magis Christo, cuius mors salus erat totius mundi, id licuit; & laudabile fuit. habebat etiã Celsus, qui Iudæus erat, exemplum Iudæ Machabæi; qui cum fuga vitam saluare potuisset, maluit honorificam mortem quam turpem fugam eligere, & id merito factum ab omnibus cõmendatur. Magnam profectò nobis fortitudinis reliquit exemplum Christus, vt quãdo pro Dei gloria exponenda est vita temporalis, non solum non fugiamus; sed ad necem inquirentibus nos sponte offeramus, quod Paulus imitatus, sciens quid passurus esset Hierosolymis, nihilo secius exposuit se periculis, vt habetur Act. 20.

Quem queritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenum: dicit eis Iesus; ego sum.

Non tantum se uoluntariè tradi Christus significare uoluit, sed & potestatem suam aperuit, quæ potuisset si uoluisset è manibus eorum euadere; nam eos omnes excœcauit, vt non cognoscerent eum. cum enim inter ipsos uersatus esset, & ministris saltem Iudæorum, & Pontificibus ibi existentibus ante notus esset, & faces ac laternæ non deessent, eum non agnouerunt, quia noluit agnosci: unde tãquam ignorantes, quis esset, interrogat; *Quem queritis?* ipsi autem non agnoscentes respondent; *Iesum Nazarenum.* querimus. Diuina Christi factum esse uirtute, vt quem coram habebant, & sæpe uiderant, non agnoscerent, vt liberè & ex potestate se tradi significaret, docent Cyril. lib. 11. cap. 33. Chryso. homil. 81. & Euthym. hoc tamen in expositione, & annotatione sequentibus magis explicabitur.

Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum cum ipsis.

Adesse Iudam cum ministris, qui comprehendere uenerant, quando interrogauit Dominus, *Quem queritis?* Euangelista narrat, vt magis uirtus Christi innotescat; nam etiam Iudæ osculo eum demonstrante non agnouerunt: noluit enim Dominus signo proditoris discerni, ne inuitus tradi uideretur. Simul etiam vt Iudam unam cum illis retrorsum cecidisse significaret, vt asserit Chryso. hom. 82. ideo eum fuisse cum ipsis dicit.

Q. Q. 3

ANNO.

Iuda impietatem exag. gerat.

Celsus Iudæus impietatis arguitur.

Quorsum Iudas præter cohortem, ut Iesum cape ret.

An Iudas conuerit Chri-
stus. **C**yrillus libr. 11. cap. 33. & Chryso-
stomus homi. 82. asserunt, Iudam etiam vna cum
alijs Christum non agnouisse, omnibusque
illis cognitionem fuisse ademptam diuini-
tus. & quidem si iam osculatus fuerat Chri-
stum, quando hæc interrogauit, vt dicit Au-
gust. lib. 3. consen. Euangelistæ. non videtur sen-
tentia admodum probabilis, quamuis id et-
iam fieri potuerit. Si verò aliquis diceret, nõ-
dum Iudam osculatum fuisse, vt tenet Euthy-
mius Matth. 26. quod non sine ratione affir-
mari posset, tunc sententia Cyrilli & Chryso-
stomi valde est consentanea, tamen quantum
ex contextu patet, & licet deducere, vetius
multò est, iam Iudam accessisse; & osculum
dedisse, quando Dominus turbas interrogat,
& ministros; *Quem queritis?* vnde probabilius est
Iudam cognouisse tunc Christum, vt experi-
mento impius cognosceret, signo suo dato ni-

Ahil se effecisse, & Christum si voluisset euade-
re, potuisset: vt enim refert Lucas, Iudas ante-
cedebat eos, qui veniebant comprehensuri, &
appropinquans osculatus est Dominum, Do-
minus autem ei locutus est, quæ narrant
Euangelistæ, signo vero dato eis se coniunxit
quibus cum venerat; quos interrogat Domi-
nus, vt ex responsione eorum occasionem ac-
ciperet faciendi quæ fecit. postquam enim Do-
minus dixit; *Ego sum, & finite hos abire;* non erat
cur Iudas accederet ad osculandū, omnibus e-
nim se Christus iam manifestum fecerat: præ-
cesserat ergo osculum. probabilius igitur est
Iudam nouisse Christum, quando interro-
gatio facta est: nihil proinde consilio effecit
suo proditor, sed Dominum sua se volun-
tate manifestasse, ac tradidisse, vt vex
hoc respiciendi occasionem ille & causam
haberet.

*Vt ergo dixit eis, Ego sum; abierunt retrorsum, & ceci-
derunt in terram.*

COMMENTARIUS.

Non tantum incognitum se eis prius præbere voluit, sed potetiam maie-
statis declarare, qua eos verbo vnico, *Ego sum*, ita deterruit, vt retrorsum
abeuntes ceciderint omnes in terram. Hi armis, & facibus onerati, & confi-
si venerant, vt eum comprehenderent; at Dominus contra faces exhibuit
incongnitum, contra arma eos vno verbo prostravit tanta potentia, vt nec
dorsum vertere vt fugerent valerent; sed retrorsum abeuntes ceciderint:
quibus aperte ostendebat se comprehendi, quia volebat, nec ex impotentia,
aut infirmitate, sed voluntate & consilio pati. *Ego sum*. nomen est maiestatis
Dei, sic enim suam contra Pharaonem ostensurus potentiam Moysi prece-
pit vt diceret; *Ego sum, qui sum*, Exodi capite tertio.

ANNOTATIO VI.

Cyril. lib. 11. cap. 33. horum ministrorum ca-
sum gentis Iudæorum futuri casus signum
esse docet. Rectè autem hanc potentiam Do-
mini ponderat August. tract. 112. *Quid*, in-
quit, iudicaturus faciet, qui hoc iudicandus
fecit? quod etiam Gregor. adnotauit lib. 17. Mo-
ral. ca. 21. idem autem Grego. hom. 9. in Ezechi-
el. quærit cur Paulus, & Ezechiel in faciem ceci-
derint, at hi retrorsum. sicque responder. Om-
nis, inquit, qui post se cadit, ibi cadit vbi nõ
videt; qui verò ante se cadit, ibi cadit vbi vi-
det. Iniqui ergo quia in inuisibilibus cadunt,
post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt,
vbi quid eos tunc sequatur modò videre non
possunt; Iusti verò, quia in istis visibilibus se-
metipfos spontè dei ieiunt, vt in inuisibilibus
erigantur, quia in faciem cadunt, quia timo-

Cre compuncti videntes humiliantur. hæc Gre-
gorius, qui libr. 31. Morali. cap. 18. similem
habet doctrinam, sed hæc responsio spiritua-
lis est.

Ad literam autem respondendum vide-
tur, hos cecidisse retrorsum, vt Christi potetia
deiecti tanquam aduersarij viderentur, velut
qui pugno, aut instrumento alterum repellit.
eumq; retrorsum cadere facit; at Paulus, & E-
zechiel non repulsi à Deo ceciderunt, sed ter-
riti ipsius potentia; non enim eos auersabatur
Deus, sed trahebat, idcirco in facie cecidisse
dicuntur. Adde hos voluntate quadam propria
cecidisse: præ humilitate enim velut se in ter-
ram prosternentes ceciderunt; at illi, vi quadã
diuina coacti, & deiecti sunt; ideo in faciem il-
lishi retrorsum ceciderunt.

*Iterum ergo interrogauit eos; Quem queritis? illi autem
dixerunt, Iesum Nazarenum.*

COMMENTARIUS.

Qvos verbo in terram prostravit, verbo erigit & iterum interrogat, quia
terrore percussus nondum eum nouerant. *Quem*, inquit, *queritis?* quo ver-
bo eis vim, & robur indidit, vt respondere possent, adeo erant casu mirabili
exami-

examinati. Respondent; *Iesum Nazarenum*, sic enim Christum appellabant à
patria Nazareth, de quo nomine paulò inferius dicemus: nihilo meliores ta-
to miraculo effecti, sua malitia obstinati perseuerant.

Respondit Iesus; dixi vobis; quia ego sum.

Non absolutè respondet, *Ego sum*, sed, *Dixi vobis*, me esse, seu, *Quia ego sũ*,
ne alius esse videretur is, qui tanta potentia eos deiecerat, & alius, qui
modò se esse Christum manifestabat, *Dixi*, inquit, *quia ego sum*, ego sum, qui mo-
dò me manifestum facio vobis, & qui me comprehendendum trado, ille idẽ
qui vobis cognitionem abstulit, qui mea virtute vos omnes armatos retror-
sum abire, & cadere in terram coegi.

Si ergo me queritis, finite hos abire.

Verbum hoc Christi diuinæ potestatis fuit, qua furorem eorum reprimens,
præcepit & effecit, ne in aliquem discipulorum insurgerent; neue
aliquem comprehenderent, vt rectè Chryso. hom. 82. dicit. & est sensus: *Di-
citis vos querere Iesum Nazarenum, dixi vobis me esse: me ergo queritis;
non hos meos discipulos, me igitur comprehendite, quem queritis, hos abi-
re liberos & illæsos finite.* Quam o amore suos prosequeretur ostendit in hoc
Dominus. dum in propria afflictione curam illorum nõ deposuit; fecit hoc,
vt significaret per solam suam mortem, salutem hominum efficiendam, ip-
sumque solum redemptorem esse iuxta prophetiam Cayphæ; Expedi, vt v-
nus moriatur homo, ne tota gens pereat. me ergo solum capite, cæteros abi-
re finite.

*Vt impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non
perdidi ex eis quenquam.*

Verba sunt hæc Euangelistæ affirmantis impletum esse verbum, quod pau-
lò ante in ca. 17. dixerat Dominus; quos dedisti mihi, non perdidi quen-
quam, sed seruaui eos. & custodiui: nam neminem satellitum in eos insurge-
re permisit, quamuis magnam dederint discipuli occasionem: vnus enim e-
orum Petrus auriculam vnus abscidit, quo factò nisi diuina virtute illi mi-
nistri cohibiti fuissent, sine dubitatione vlla omnes fuissent comprehensi.

ANNOTATIO VII.

DUBITATIO se offert in verbis hisce Do-
mini ab Euangelista allegatis; nam sen-
tentia Domini: *Non perdidi ex eis quenquam*, nõ de
morte temporali, sed de æterna intelligenda
videtur: ab hac. n. Iudas liberatus non est, sed
permisus in damnationem abire; à corporis
verò morte nemo discipulorum præseruatus
est; qua ergo ratione dicit nunc Euangelista,
impletū esse verbum Domini, dum liberè ab-
ire permittuntur, cum etiam si cõprehensi fuif-
sent, & occisi; non propterea eorum quisquam
perdebatur? Ad hanc dubitationem primo lo-
co respondet Aug. tract. 112. Si tunc compre-
hensi discipuli & occisi fuissent, damnaban-
tur, quia non credebant, nec eam fidem habe-
bant, quæ ad salutem erat necessaria. Rectè igitur
impletum est verbum Domini, dum non
sinit eos comprehendi, & occidi, ne æternam
contrahant mortem, & perdantur. Hæc respon-
sio dura videtur: nam sequitur eos tunc fuisse
in mortali peccato, quod difficile est sustine-
re: cum testimonio Domini mundi fuerint
paulo ante; nec videtur, nec legitur, aliquod
peccatum mortale, eos hucusque commisisse.
Secundo loco Chryl. ho. 82. respondet; Verba
Domini de æterna morte intelligenda esse;

A Euangelistam autem accommodasse etiã tem-
porali morti, à qua nunc custoditi sunt, vt per
quandam extensionem vtrunque significant.
At hæc expositio difficilior est; nõ enim Eu-
angelista verbum Domini in alium sensum ab-
eo, quem Dominus intendebat, distraheret;
quia fidelitati narrationis hoc repugnat, aperi-
returq; ianua infidelibus dicendi, eodẽ modò
esse verba Prophetarum accommodata rebus ad
quarum veritatem confirmandam sæpè adfer-
runtur in Evangelio. Tertio Rupertus rectè
exponit, vt de morte animæ æterna etiam Eu-
angelista eandem sententiam intelligat, vt sit
sensus; Noliut Dominus comprehendi discipu-
los, & occidi, ne perirent in æternũ: nam erant
imperfecti, & si comprehensi essent, facilè à
Christo recessissent, ipsiq; negassent: Petrus
enim etiã nõ captus, timore ancillæ ter nega-
uit, quid ab alijs sperandũ esset, si capti fuif-
sent; ne ergo æterna perirent morte, noluit Do-
minus eos capi. Et in hæc sententiã intelligen-
dus est Au. nempe non eã habuisse fidem, quæ ne-
cessaria erat ad salutem. nam paulò post dubita-
runt, & si capti fuissent, facile negassent, & a-
lia commisissent peccata, propter quæ damna-
ti perpetuò perijissent.

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis seruum.

C O M M E N T A R I V S.

Particula *Ergo* illationem significans, insinuat ea, quæ cæteri narrant Euangelistæ; iniecerunt enim tunc audito Christi verbo ministri manus, ut comprehenderent Iesum; propterea Petrus gladium eduxit, ut Christum defenderet, & percussit seruum Pontificis. non in eum vsus gladium habebat Petrus, sed in proprios, & necessarios; at in necessitate pro magistro in arma conuertit. Chrysostr. hom. 82. dicit, metuentem Petrum, quod futurum erat, iam se armis præmunisse, sed id non videtur probabile, gladium potius eum existimo, quem in quotidianos vsus secum gestare solitus erat. Iustitiam magnam existimabat Petrus in defensionem Magistri innocētissimi inuasorē percutere, recordatus forsan Moysis, qui Aegyptium occidit, ut Iudæum liberaret; & ut dicit Ambr. Luc. 22. recordatus est Phinees; qui virum Israhelitam ingressum ad mulierem Madianitidē pro Dei honore confodit. Num. 25. voluit hoc facto, quod premiserat implere. cum enim audisset, ter me negabis; & ipse respondisset; paratus sum mori tecum; promissionis memor comprehensoribus se opponit. Magnus zelus Petri profectō fuit, quamuis non secundum scientiam, qui vnus, & debilibus armis tot armatis militibus se opposuit, forsan verbo illo non intellecto deceptus, Luc. 22. qui non habet vendat tunicam, & emat gladium.

Et abscidit auriculam eius dexteram: erat autem nomen seruo Malchus.

Diligenter Euangelista circumstantias facti huius describit, abscidisse auriculam eius dexteram dicit, quod etiam Luc. cap. 22. retulit, ut ex hoc, quo animo Petrus percussit, insinuet. vulnus enim letale infligere volebat, ideo caput inuasit. cum autē seruus vulnus declinasset, auriculam dexteram amputauit; non quod Petrus id vulnus intenderet, sed casu ei euenit, peiora intendebat Petrus; si enim auriculam amputare intendisset, læuam abscidisset: nam ea respondet dexteræ percutientis; at dum dexteram amputat, Petrum capiti vulnus parasse indicat, ut notat Chrysostr. hom. 82. quod illo diuertente auricula dextra abscissa est. Nomen serui describitur *Malchus*, & qualitas, quia Pontificis seruus erat. ut non qualem cūque inuasisse Petrum, sed vnum ex primis, & præcipuis significet Euangelista. Chrysostr. hom. 62. dicit nomen huius serui expressum esse propter miraculum Christi, quia ei est auricula restituta, & quia paulò post alapam ab eo accepturus Christus erat at hoc secundum incertum est; non enim ex Euangelio habetur hunc fuisse qui alapam impegit Domino. Cyril. lib. 11. cap. 35. & Ambr. Luc. 22. spiritualiter exponunt. At quæ dicta sunt, ad sensum litteralem faciunt. Attende ex Luc. 22. discipulos cæteros videntes, quod futurum erat, id est, quando viderunt appropinquare ministros, antequam tamen accederent dixisse, Domine si percutimus in gladio? at Petrus quando accedebant, & in eum irruerunt, gladium exemit, & percussit.

Dixit ergo Iesus Petro; mitte gladium tuum in vaginam.

Motum Petri cohibet Dominus etiam minis, ut ex cæteris patet Euangelistis: iubet ergo gladium in vaginā reponere, & à percussione cessare; quantum enim ex his verbis deducere licet, Petrus adhuc, quod inceperat, prosequi volebat. Petrum autem indiscretè fecisse verba Domini indicant Matth. 26. Omnes enim, qui gladium acceperint, gladio peribunt: non igitur sine culpa erat Petri percussio hæc. cuius causam reddit August. li. 22. co. Faustum cap 77. nempe quia nō obseruauit præceptum Domini, qui iussus est gla-

est gladium emere, sed non percutere: oportebat prius à Domino volūtatē eius intelligere, & in quos esset vsus gladius ille cognoscere, quā nō requisita Domini voluntate percutere, maxime cum sæpè audierit à Domino, mortem, & passionem futuram; at multum excusat, & minuit culpam Petri amor & zelus erga Christum.

Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

Arguit Petrum indiscreti zeli, significans se non ex impotentia comprehendi, & mori, sed ex diuina dispensatione, quia sic pro hominum salute necessarium erat; illum autem potius impedire velle diuinā ordinationem. Sensus ergo est; desine percutere, o Petre, & me defendere: nescis enim quid facias: nā hoc tuo facto auertere tentas, quod Pater disposuit non opus esset mihi tua defensione, si vellem me liberare; An putas quod non possum rogare Patrē, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri; hæc habentur Matt. 26. Ioannes autem primam sententiā exposuit, & in his adhuc se voluntariè capi Christus significabat; nec potuit tantus furor inimicorū tempus præcludere, quo minus hæc dicere vacaret: immò seruum percussum adduci iussit ad se, & sanauit illū. Luc. 22. Sinite vsque huc, & cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum; & tamē nec tanto facto, nec talibus verbis perfidorum incredulitas erudiri, nec sæuitia potuit emolliri. Aliqui textus habent, *Non vis ut bibam illum?* & ita legit August. lib. 3. de consen. Euang. cap. 5. & tract. 112. Græcus codex nunc habet, *Non bibam illum?* Idem tamen est sensus in vtraque lectione.

Cohors autem & tribunus, & ministri Iudæorum, comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.

Milites cum suo præfecto, qui tribunus dicitur, & Græcè Chiliarchus, quasi supra mille præfectus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Christum, dicentē verba, quæ cæteri narrant Euangelistæ; Tanquam ad latronem, existis cum fustibus, & gladijs comprehendere me; sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum; tūc discipuli relicto eo fugerunt. ministri autē consilium Iudæ exequentes, ut cautè ducerent, & tenerent, eum ligauerunt.

Et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphæ. qui erat pontifex anni illius.

Primò ad Annam ductus dicitur, quia inde ad Caipham venit: quare autē ad Annam ductus fuerit, rationem Euangelista subdidit, quia erat socer Caiphæ, qui illo anno erat Pontifex summus, velut rem gratam Pontifici facere volentes. Chryl. ho. 82. dicit ductum ad Annam, ut rem ostentarent: & tanquam triumphum ducerēt. Cyril. lib. 11. c. 37. dicit id factum, quia Annas erat auctor infidiarum, & pecuniā proditori Iudæ promiserat. Recētiores id factum affirmāt, quia illac erat ad domū Caiphæ transeundū, quo præcipuè ducebatur; at Euangelista satis indicat, cur id effectū fuerit, nēpe propter generū, qui erat tunc Pōtifex, ut quodā honore eū afficerēt, vincitū ad eū perducen- Quare ad Annam Dominus ductus sit.

Erat autē Caiphæ, qui consiliū dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo.

Caipham illum eundem refert fuisse Euangelista, qui paulò ante consilium dederat contra Christum, ut habetur Ioan. 11. rectè autem Chry. ho. 82. annotat Euangelistā prophetiæ meminisse, ut mortē hæc Christi pro salute hominū fieri repeteret, ne ipsa captione audita aliquis scandalizaretur: dicit etiā potest, ut hoc significaretur quāto odio iudex ipse cōtra Christū tene- retur, quem nondum auditum, iam morte dignum iudicauerat.

ANNOTATIO VIII.

Quaedam verba textui su peraddita, non sunt ad mittenda.

MAXIME hoc loco aduertendum est Cyrillum libr. 11. cap. 38. verba quaedam legere, quæ in nostro Græco exemplari non habentur, nec apud Chrysof. neque apud Græcos cæteros interpretes: legit autem sic, post præcedentis sententiæ verbâ, Miseri autem ligati ad Caipham Pontificem, erat autem Caiphus, qui consiliu dederat Iudæis, quia expedit unum hominē mori pro populo; iuxta istam autē lectionem planum est, quæ sequuntur facta fuisse in domo Caiphæ, non autem apud Annam: tamen ista verba superuacanea videntur, & ab aliquo declarationis causa adiecta; nam infra ipse euangelista velut ad narrationem hanc rediens adiecit; Misit autem Annas ligatum ad Caipham, quasi diceret;

hæc quæ narrata sunt, in domo Caiphæ gesta sunt, miserat enim Annas eum ad Caipham: siue ergo legamus cum Cyrillo illa verba, siue sequamur lectionem communem, eaque narrat Ioannes post hæc, ad domum Caiphæ pertinent. fuit enim ductus Dominus ad Annam, statim tamen ad Caipham inde deductus est: propterea Euangelista dixit, Duxerunt eum ad Annam primam; quasi per transitum quendam, & statim descripsit Caipham esse illum eundem, qui consiliu dederat: quæ igitur sequuntur apud Caipham gesta sunt. Et hic est legitimus sensus, de quo paulo inferius exactius tractabitur.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus.

COMMENTARIUS.

Ugerunt omnes discipuli, quando Christum comprehensum viderant; at Petrus & Ioannes furorem eorum se iam declinasse, solumque captum Christum videntes, securi sunt postea à longè. Nomen suum tacet Ioannes, vt Chrysof. hom. 82. & Cyril. libr. 11. cap. 38. dicunt, modestiæ causa, ne se laudare videretur qui alijs omnibus omninò aufugientibus, ipse magistrum profusus non deseruerit. de sequela autem Petri, Theodoretus ser. de charitate sic inquit: Petrus fauciatu desiderio, cum prius didicisset futuram negationē, latere noluit, sed satius duxit sequens negare, quàm fugiens confiteri: quod enim ab amore, & nō à temeritate proficiscitur hæc sequela, res ipsa testatur; neque enim post negationem in animum induxit, vt magistrum relinqueret, sed fleuit amarè. hæc Theodoretus.

Theodoretii sententia de Petro.

Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis.

Via notus erat Pontifici Ioannes, admissus est in atrium Petro foris manante. Rectè Cyril. lib. 11. cap. 39. annotat, hoc Ioannem ea de causa narrasse, quia gesta in atrio narraturus erat, ea idcirco præmisit, quibus non ab alio doctus, sed ipse vidisse, quæ scribit cōprobat. Eandem causam adfert Chrysof. hom. 82. addens alteram; ne quis, inquit, se secutum admiraretur, neque id fortitudini adscriberet, ideo ingressum esse dicit, quia notus erat Pontifici. Præter hæc alia etiam mihi videtur, scilicet ne quis Petrum præ timiditate non ingressum esse arbitraretur; sed quia notus non erat Pontifici, vt in sequenti expositione dicemus. Pontifex hic non Annas, sed Caiphæ erat, vt in præcedentis sententiæ expositione annotatum est.

ANNOTATIO IX.

Adolescens cuius sindon fuit iurata hæc quæ sunt.

EX proximis sententijs mihi deduci videtur, non fuisse Ioannem Euangelistam adolescentem illum, cuius meminit Mar. 14. Adolescentem, inquit, quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum, at ille relicta sindone nudus aufugit ab eis. Greg. libr. 4. Moral. cap. 23. & Chrysof. in Pla. 13. in illo verbo; Non est, qui faciat bonum, affirmant Ioannem Euangelistam hunc esse. At hæc sententia non videtur conformis his, quæ dicta sunt ab eodem. primò quidem Dominus iussit, vt finerent omnes abire, & im-

pletum esse eius præceptum nemo dubitat; non igitur vllus tenuit Ioannem. Deinde quia ipse secutus est Christum vsque ad atrium, nec dereliquit eum, quomodo igitur aufugisse dici potest; præterea, quia nunquam vestes deposuit tota illa nocte, sed vestitus fuit semper in horto cum reliquis: nō igitur sequi poterat nudus eum, sola sindone amictus, nec in horto erat vlla sindon, qua se nudum contingeret. Rursum quia apud Marcum dicitur, adolescentulus: ita enim verbum habet Græcum, qualis Ioannes tunc non erat. Multa profecto pugnant

gnant contra hanc sententiam, nec est probabile etiam, quod Epiph. hære. 78. & Hieronymus in Psal. 37. super illud, Vim faciebant, qui quærebant animam meam, asserunt; nempe fuisse Iacobum fratrem Domini: eadem enim rationes ferè omnes huic sententiæ aduersantur. Quamobrem verisimilius, & pro-

Abilius est, fuisse aliquem ex ijs, qui in horti custodia erant, qui rumorem sentiens, & Christum ex frequentia illuc veniendi cognoscens, ac erga eum bene forsan affectus, surrexit è lecto suo, securusque est, vt videret quid factum esset, vt fieri solet. Hæc dicta sunt occasione verborum præsentium.

Petrus autem stabat ad ostium foris; exiit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

COMMENTARIUS.

Petrus, cum non esset familiaris Pontifici, non est permittus intrare, sed mansit foris prope ostium: cum igitur Ioannes Petrum nō esse ingressum videret, causam suspicatus, ancillam ostiariam rogauit, vt eum intrare permitteret; aperto igitur ostio ad preces Ioannis, Petrus ingressus est atrium domus Pontificis. Solebant Iudæi ostia domus habere clausa, & custodiā securam ancillis committere, quod constat 2. Reg. 4. vbi ostiaria domus purgans triticum, dormiuisse dicitur.

ANNOTATIO X.

Volens Petrus, sed non potuit ingredi in atrium Pontificis.

CHRYSO. ho. 82. affirmant Petrum præ timiditate non fuisse ingressum; quod enim eo vsque venerit amoris fuit, inquit, quod verò non ingrederetur timoris; hæc autem narrasse Euangelistam dicit præoccupando negationis exculationē, quæ ex timore processit. At hæc sententia non videtur accommodari verbis; Si enim ex timore non fuisset ingressus, discipulus ille non ad ancillam recurrisset, vt intrare permitteret, sed ad ipsum Petrum se conuerteret, eum exhortans. Si enim intrare volebat, non erat cur ancillam rogaret Ioannes, propterea igitur Ioannes se notum Pontifici præmisit, vt causam cur Pe-

trus non esset ingressus, significaret, ne timiditati tribueretur. Ita sentit Cyril. lib. 11. cap. 40. sic dicens; Non remansisset extra Petrus, nisi ostiariæ observatio nō tutum ignotis faceret introitum, nec depulit mulierculam, licet facillè potuisset, quia importunitatis crimini subijci nolebat: extra igitur stabat mœstus, quousque Ioannes dolere ipsum etiam propter hoc non ignorans, intròmittēdi eius gratiam ab ostiaria impetrauit. hæc Cyril. & est legitima expositio. Idem sentit Euthym. adijciens, laudi datum esse Petro, quod exclusus tanquam incognitus ab ancilla, ad ostium adhuc foris manebat.

Dicit ergo Petro ancilla ostiaria.

COMMENTARIUS.

Solent similibus temporibus ignoti, & maximè ad alterius preces admissi, diligentius inspicere, & considerari, quod & ancilla; cui ostij erat commissa custodia, fecit; & discipulum esse Christi Petrum agnoscens, ad eum conuersa loquitur, quæ sequuntur proximè. hoc indicat particula, Ergo, ac si diceret; Ancilla rogata Petrum admisit, & diligenter intuēs discipulum agnouit Christi, proptereaque dixit: quid autem dixerit, statim exponit Euangelista. Attende, hanc esse primam Petri negationem, quam Ioannes narrat, cuius occasione exponendum hoc est, ex quo totus iste contextus multum illustrabitur.

ANNOTATIO XI.

De Petri negationibus disputatio.

DVAE difficiles quæstiones in hoc contextu occurrunt. Prior est, quo loco Petri negationes factæ fuerint; Altera, quomodo concordent hæc, quæ Ioannes dicit de his negationibus, alijs quæ cæteri Euangelistæ narrant; nā dissonantia non parua videtur. Apud antiquos Doctores parum, inter hostros autem hæc est magis agitata controuersia. Quidam enim apud Annam omnes tres negationes factas sentiunt; in qua opinione fuit etiam August. tract. 113. & libr. 3. de consen. Euangelistarum cap. 6. quidam apud Caipham; qui-

dam vnam apud hunc; duas apud illum, imò non desunt nostro sæculo, qui negationes multiplicent, affirmantes non tantum ter, sed septies Petrum negasse Christum.

Pro huius autem difficultatis resolutione, & declaratione sunt aliquot annotanda. Primò, Petrum, quando negasse Christum dicitur, non fidem negasse, quasi non crederet ipsum esse Christum, sed confessione sola defecisse; dixit enim se non esse discipulum eius, seque non nouisse eum, cuius verè discipulus erat, & quem verè nouerat; & hac ratione dictus est Christum

Tria nota- tur pro dubij resolutione.

Christum negasse. Hæc doctrina est ab omnibus recepta, quam tradit August. tract. 113. vbi docet non solum negari Christum, quando aliquis negat eum esse Christum, sed quando aliquis negat se esse Christianum. at discrimen est latum: illud enim contra fidem, hoc contra confessionem fidei est. Secundò, Petrus ter tantum negavit Christum. hæc ab omnibus antiquis Patribus est recepta, & Evangelio cõformis: Dominus enim trinam prædixit negationem. quod si plures futuræ essent, sicut prædixit tres, prædixisset vtrique omnes; nam ea de causa prædicebat, vt Petrus postea Christi veritatem agnoscens, & impleta quæ prædixit, experiens, in fide confirmaretur, & ad poenitentiam se conuerteret. Adde post resurrectionem Dominus ter interrogavit Petrum, Diligis me plus his? adnotantque Patres antiqui eum numerum esse adhibitum. vt trinæ negationi satisfaceret. Tertio, tres

In domo Cai phater Christum Petrum negavit.

negationes hæ factæ sunt in domo Caiphæ, nulla apud Annam. Hæc Orige. tract. 35. in Matt. & rationibus efficacibus confirmatur; quarum prima est, quia tres Euangelistæ diligentissimè narrauerunt tres hæc Petri negationes; omnes autem tres præter Ioannem, solius Cai phæ meminerunt, apud quem omnes negationes factas, descriplerunt. aut igitur oportet alias negationes numerare præter descriptas à tribus illis Euangelistis, quod est contra antiquos patres, & contra verbum Christi prædicentes: aut fateri, omnes negationes esse factas apud Caiphã. Altera ratio, quæ præcedentem confirmat, est, si aliqua alia negatio facta est præter eas, quas Euangelistæ cæteri narrant, maximè est, quam Ioannes describit, quia ipse solus mentionem fecit Annæ; at Ioannes etiam cum tribus alijs Euangelistis negationes easdem apud Caiphã factas narrat: oportet enim diligenter, & attentè considerare, vt in expositione annotauimus quando Ioannes dixit, *Erat autè Caiphã, qui consilium dederat*, incepisse narrare, quæ apud eum gesta sunt. quod eo argumento probatur: nam vsus est semper vocabulo Pontificis, non erat autem alius tunc præter Caiphã Pontifex. quem idcirco dixerat fuisse Pontificem anni illius: quamuis enim multi dicerentur Pon-

Pontificis nomine Caiphã Euangelista, non alium dignatur.

A tifices, nempe, qui fuerant functi eo munere; tamen cum de singulari loquatur, is profectò intelligendus est, qui tempore illo Pontificis munere fungebatur. quod Euangelista ex circumstantijs satis indicauit; cum enim diceret, *Erat Pontifex anni illius*, statim dicit; *Erat notus Pontifex; Introduxit in atrium Pontificis; sic loque- ris Pontifici; Interrogavit Pontifex.* hæc omnia profectò ad eundem Pontificem referuntur: nec enim Annam Pontificem appellauerat, sed sacerum Pontificis. igitur quæ de Petro hoc loco narrat, in domo Pontificis, qui Caiphã erat, facta sunt. & hæc est vrgentissima ratio. Tertia est, quæ eandem confirmat; nam interrogatus, & examinatus est Christus: immò Christus alapa percussus dixit: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; at hæc ad iudicem pertinebant, qualis non erat Annas, sed Caiphã. Quarta etiam ratione confirmatur hoc idem ex verbis, quæ ipse Ioannes subiunxit; his enim narratis, dixit, *Misit autem Annas ligatum ad Caiphã Pontificem*, in Græco est Aoristus, qui sæpe pro præterito plusquamperfecto ponitur, vt in eorum verborum expositione dicemus: & apud Hebræos sæpe præteritum pro plusquamperfecto ponitur, vt sit sensus; miserat Annas ad Caiphã, quasi rationem reddens eorum, quæ narrarat. dixi, inquit, Caiphã Pontificem hæc dixisse, & Petrum in atrio negasse; miserat enim Annas ad Caiphã. & nota verbum, *Misit Annas ad Caiphã Pontificem*: non Annã, sed Caiphã Pontificem appellauit, vt ea, quæ dicta erant de Pontifice, & apud Pontificem gesta, de Caiphã intelligerentur. Hæc igitur verba, quibus recentiores probant negationem factam apud Annam, potius confirmant sententiam nostram: quam Cyrillus etiam sequitur libr. 11. cap. 48. vbi, vti diximus in annotatione 7. legit; statim Annam misisse ad Caiphã. Certum ergo est, hæc, quæ Ioannes narrat, esse gesta apud Caiphã, quem Pontificem appellat: quamuis parum consideranti videri possint facta apud Annam. Ex his Ioannem cum cæteri Euangelistis in loco negationum Petri esse concordem constat; omnes enim Euangelistæ apud Caiphã, qui Pontifex erat, factas esse tradunt.

Nunquid es tu ex discipulis es hominis istius? dicit ille, Non sum.

COMMENTARIUS.

Verba sunt ancillæ ostiariæ loquentis, & interrogantis Petrum, an sit ex discipulis Christi? Ille autem negavit dicens, *Non sum*, & hæc est prima negatio secundum omnes Euangelistas. Rectè hic Augustin. tractat. 113. animaduertit, Ecce, inquit, columna firmissima ad vnus auræ impulsam tota contremuit. vbi est illa; promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? vbi sunt verba illa? Quare nõ possum te modò sequi? animam meã pro te ponam? hoc cine est sequi Magistrum, se negare discipulum? sic cine anima pro Domino ponitur, vt hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? hæc Aug.

ANNO.

ANNOTATIO XII.

De prima Petri negatione, ne, quid ceteri Euangelisti hauserant.

Qua ratione concordet Ioannes in hac prima A ma narranda negatione, considerandum est: nam ex alijs Euangelistis constat & ancillam; & Petrum alia verba dixisse. conueniunt quidem omnes, ancillam quandam esse, quamuis solus Ioannes expresserit fuisse ostiariam; at in reliquis videntur esse discordes. Matthæus enim sic habet: Petrus sedebat foris in atrio, accessit ad eum vna ancilla dicens; & tu cum Iesu Galilæo eras? at ille negavit coram omnibus dicens; nescio, quid dicit. Marcus autem sic describit: Cum esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait, & tu cum Iesu Nazareno eras: at ille negavit dicens; neque scio, neque noui, quid dicas. Lucas vero sic narrat: Ascenso igne in medio atrij, & circumfudentibus illis, erat Petrus in medio eorum, quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit, Et hic cum illo erat: at ille negavit dicens; mulier non noui illum. Hæc omnia dissona videntur, re autem ipsa sunt consona: illud enim in primis præ oculis habendum est, quod sæpe annotauimus, frequenter vnum Euangelistam adiungere, quod alius omisit: hoc autem non ad dissonantiam pertinet, cum omnia simul consistat. Matthæus ergo vnam dixit ancillam; Marcus adiunxit ancillam summi sacerdotis, Ioannis adhuc eam ostiariam esse expressit: hæc non pugnant; sed conformia sunt, & mutuo se explicant: ita factum est, in referendis verbis ancillæ, & Petri; Ancilla enim primò intuita est, & respexit Petrum, & cum intuita esset, ad alios circumstantes conuersa dixit, Hic cum illo

erat, & hoc narrat Luc. postea verò ad ipsam conuersa Petrum: Tu, inquit, cum Iesu Galilæo eras? & hoc narrat Matt. & Mar. profecta etiam vltterius dixit, Nunquid tu discipulus es hominis istius? hoc refert Ioannes. verba igitur ancillæ hæc sunt, Hic cum illo erat: Tu cum Iesu Galilæo, seu Nazareno eras? Nūquid discipulus es tu hominis istius? At Petrus respondit etiam multa, vt opinionem de se conceptam remoueret. Non sum, inquit, neque scio, neque intelligo, quid dicas, ô mulier, neque noui illum. Non est igitur vlla in his repugnantia, neque cõtradictio. Accedat his doctrina Augustini lib. 2. de consen. Euan. c. 12. morè esse Euangelistarum non eisdem verbis rem eandem explicare, sed seruato eodem sensu varijs vti verbis. ita nunc factum est: quod enim Nazarenum Marc. dixit, Mat. Galilæum retulit: idem enim est sensus, & vtròque modo Christum Iudæi appellabant. In his igitur omnibus consonantia est in prima hac describenda negatione. Vnum tamen dubium superest: nã Mat. sedisse dicit Petrum foris in atrio: at noster Euangelista iam ad preces Ioannis eum intrasse affirmat. sed facilis est solutio: atrium enim erat intra domum ipsam, quo Euangelista, ostio aperto, admissum dicit Petrum: quod atrium foris dicitur, collatione alterius atrij interioris quod in superiori parte domus fuisse Mar. insinuat dicens; Petrum sedisse in atrio deorsum, id est, inferiori, quod enim appellat Mar. atrium deorsum, Mat. dicit, atrium foris: Ioannes enim tanquam notus, & familiaris admissus est in secretiora loca: at Petrus in atrio communi, vbi milites erant, manebat; intra domum tamen sacerdotis. & hac ratione omnia conueniunt Euangelistarum dicta.

Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis Petrus stans, & calefaciens se.

COMMENTARIUS.

Quæ Ioannes nunc dicit, ad tempus post negationem primam pertinent; quod est attentè considerandum: vt enim ex cæteris Euangelistis patet, Petrus admissus ab ostiaria in atrium, cum ministris ad ignem sedebat, quando ancilla ei locuta est, & respondens negavit: vnde Matthæus & Marc. eum sedisse referunt, quando ancilla accessit, & intuita est eum: ignis enim luce, noctis tenebras illustrante, facilius discerni potuit. postquam autem negavit, exijt foras ante atrium, id est, ad vestibulum atrij, vt refert Marc. & tunc gallus primò cantauit: iterum tamen ad ignem accessit, & tunc stabat cum alijs: non enim omnes sedebant. & hoc Ioan. refert; quo loco paulò post secundo & tertio negavit, vt inferius patebit: & sic concordia est inter Ioannem & Matthæum. & Marc. hi enim duo sedisse referunt, quando primò negavit, & Ioannes stare dicit; sed illi de tempore negationem ante primam & ipsius etiam negationis loquuntur, Ioannes verò de tempore post negationem; facta enim negatione paululum fecessit, vt ex Marco constat. Ioannes ergo post factam negationem hæc retulit, significans postquam negavit, ad ignem iterum accessisse, & eundem in locum reuertisse. & hic est verus sensus:

Euangelista vno concordia.

R.R.

quant

quamuis sciam verbum standi non semper significare erectum esse, sed adesse, siue sedentem, siue erectum; vt Ioan. 1. Medius vestrum stetit. & Ioann. 6. Turba quæ trans mare stabat. & Luc. 8. Foris stant quærentes te. hoc tamen in loco propriam suam retinet significationem; post primam enim negationem se erexit, nec iterum sedit, sed ad ignem accessit stans, quod inferius repetit Ioannes.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius.

Conuertitur Euangelista ad narrandum ea, quæ Caiphas cum Domino egerit, quæ licet eodem tempore facta sint, quo Petrus negauit, tamē dici, aut scribi simul non possunt. Cum igitur Christus esset adductus ad Caiphā Pontificem, interrogat eum Pōtifex de duobus; scilicet de discipulis, & doctrina; quas autem interrogationes in his duobus articulis fecerit, certum non est; non enim eas Euangelista descripsit; Doctores autem probabilibus id coniecturis ducti tradunt. Valde est verisimile, quod Chryf. homil. 82. & Euthym. dicunt, nempe interrogasse, qua ratione discipulos haberet, & congregaret, ac ex hoc insimulasse eum seditionis: de doctrina verò, quid doceret. Perpende autem hoc in loco malitiam, & iniquitatem istorum, victum tanquam malefactorem, & criminofum ducunt, & non habent crimen vllum, de quo interrogent, sed ad discipulos, & doctrinam se conuertunt.

Respondit ei Iesus; Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.

Prudentiſſima, & sapientiſſima videbitur Domini responsio, sicut verè est, si attentè consideretur; interrogatio enim Pontificis erat plena calūniæ, quia interrogabat Christum, tanquam qui in occulto, & secreto suos discipulos doceret, & qui doctrinā suā occultaret, nec omnibus notam faceret, quod proprium est seductorum, & seditiosorum. Respondet ergo Dominus, non vt Pontificem reprehendat, sed vt veritatem suæ doctrinæ defendat, & vnico verbo sensus totius responsionis est; Tu me interrogas, & tacitè accusas occultam, & secretam me tradere doctrinam, quod verum non est: publicè enim docui, non meos hosce paucos discipulos, sed Iudæos omnes, quibus meos aperui sermones, palam locutus sum mundo, liberè, & sine timore, & occultatione; loca publica elegi docendi, nempe Synagogas & Templū, in occultis & abditis nihil sum locutus; non igitur est, quod meam taxes doctrinam, quasi qui in angulis, & abditis locis docuerim. Attende palam loqui mundo, non esse aliud, quàm loqui in Synagogis, & locis publicis, non in tenebricosis: vt rectè Cyrill. libr. 11. cap. 44. docet: de discipulis nihil respondit Dominus, quia tota res ex doctrina pendebat, & quia ab hoc iudicio discipulos suos liberare volebat, solumque se iudicandum constituere, immo eos defendit dicens, non solos eos, sed totum mundum, id est Iudæos omnes, eius audisse doctrinam. hic est legitimus sensus.

ANNOTATIO XIII.

AVG. tract. 113. duo opponit proxima sententiæ. Vnum est, qua ratione dicat se palam locutum esse mundo, cum multa in prouerbij locutus fuerit, nec intellecta sint à Iudæis; immò discipuli c. 16. dixerunt, Ecce nunc palam loqueris, quasi non fuerit ante locutus palam. Respondet palā locutum esse, quia omnibus audientibus locutus est: aliud enim est intelligere & audire, aliud loqui; qui publicè loquitur, palam loqui dici potest, etiam

si non omnes intelligant: & hæc responsio conuenit cum dictis Cyrilli, vt in commentario diximus, opponit enim Dominus palam loqui ei, quod sequitur, in occulto, & in tenebricofe loqui. Addit Aug. etiam palam locutum esse mundo, quantum ad intelligentiam, quia ex parte sua omnia intelligi volebat, culpa auditorum factum est ne intelligerent; si enim scire quæ fuissent, vtique intellexissent; prior responsio accommodata est. Aliter ergo hanc lo-

ag modo in occulto locutus est nihil.

hoc loco accipitur; palam loqui, & in illo; A & quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Altero modo, quia hæc non erant talia, quæ criminari Iudæi possent, sicut qui loquitur mala in occulto loquitur, ne detegantur; non sic Christus, sed recta semper docuit. Facilius est solutio, si dicamus, nihil locutum esse Christum in occulto alienum, aut contrarium his, quæ in publico, & palam docebat, sed omnia ad eundem finem, & doctrinam tendebant.

Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis.

COMMENTARIUS.

Non vt Pontificem reprehendat, hæc dicit Dominus, vt superius annotauimus; sed vt calumniam repellat, & veritatem doctrinæ defendat. Responsio igitur ista, calumniæ est repulsio, veræque doctrinæ defensio. *Quid me interrogas?* inquit; id est, recta ratio postulat, vt nō ad me conuertaris, quasi clandestinum, & seditiosum doctorem, cum publicè, & palam docuerim; sed ad eos, qui audierunt quæ locutus sum eis. Non refugio, nec refuto iudicium vt cognoscas, & inquiras doctrinam meam, quam docui; sed ab his quære, & pete, qui audierunt; magis enim tu credes eis, quàm mihi.

ANNOTATIO XIV.

CYRILLVS lib. 11. ca. 45. dicit Dominum B arrogantis esse hoc verbum, sed de veritate sua confidentis, quasi confidens veritati dixerit; *Interroga eos, quid me interrogas?* Fateor his verbis esse confidentiam magnam veritatis, vt dicit Chrysof. quem sequitur Euthym. esse etiam diffidentiam fidei illorum dandæ verbis, & responsioni eius vt dicebat Cyrill. tamen nec ex confidentia, nec ex diffidentia respondit hæc verba Dominus, sed calumniam repellens, qua tenebricofa, & occultæ doctrinæ tacitè arguebatur. Et hæc est vera, & legitima expositio: repulit enim, vt diximus, calumniam callidè impositam, & veritatem defendit, idcirco liberam, & acrem reddidit responsionem.

Ecce, hi sciunt, quæ dixerim ego.

COMMENTARIUS.

NE excusaret se Pontifex, quia non habebat alios interrogandos, ad ipsos etiam præsentem Dominus se conuertit. Ecce, inquit, hi qui adsunt, sciunt quæ docuerim. Aderant multi tunc ex Pontificibus, Phariseis, legis doctoribus, & ministris, qui doctrinam Christi sæpe audierant; ad hos conuersus est Dominus, & dicit; ecce præsentem habes, qui me audierunt, vel ipsi loquantur. Omnia innocentia, & veritatis Domini efficacia, remittit testimonium suæ doctrinæ ad inimicos, & persecutores, ac calumniatores, & nemo ausus est loqui, sed confusi, & erubescerent obtumescunt in præsentia Christi victi quidem & ligati; sed veritatem suæ doctrinæ constanter defendentis. Argumentum hoc est efficacissimum, innocentia, & veritatis, vt annotat Chrysof. hom. 82. Cyril. autem lib. 11. cap. 45. rectè dicit Dominum hæc loquentem alios quos demonstrasse ministros præsentem, qui audierant: existimo etiam sacerdotem, & Phariseos esse demonstratos; erant enim omnes cum summo Pontifice congregati: nemo tamen testimonium ausus est reddere, ne veritatem fateri à propria stimulantem & impellentem conscientia cogerentur; quæ propter potius silere elegerunt.

Egregium in nocentia Christi si argumentum.

Hac autem cum dixisset; unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens; sic respondes Pontifici?

Vlta est Domini responsio vni ministrorum inciuilis, nec qualis honori Pontificis debebatur, idcirco alapam Iesu dedit, rem gratam Pontifici se facere existimans. Sic, inquit, loqueris Pontifici? quasi diceret; sermo tuus iniuriosus est in Pontificem, ideo eius iniuriam alapa propulso. Tria admiranda simul hic concurrunt; serui horribilis impudētia, qui eum, qui mortuos suscitauerat, ausus est alapa percutere; Pontificis iniquitas, qui tantum scelus in sua presentia commissum a seruo dissimulauit, cum etiam si responsio Christi non fuisset congruens, non licuerit ministro sic vindicare; tandem incredibilis Christi patientia. Chrysof. hom. 82. Exhorrescat, inquit, cælum, contremiscat terra de Christi patientia, & seruorum impudentia. adde & de Pontificis iniustitia.

Tria circa Christi alapam consideranda.

ANNOTATIO XV.

Cur minister alapam Christo impegit.

Cyrillus libr. II. cap. 46. causam cur minister hic alapam hanc impegit inquirēs; eam esse dicit; Offenderant, inquit, ministrorum aliqui Principes Iudæorum, qui Christum capere iussi, reuersi sunt admirati, & dicentes; Nunquam sic locutus est homo: quoniam igitur responsio Saluatoris ad memoriam huius rei reducebat Principes dicens. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego, ministros testes citans, idcirco ne de animo suo, benevolentiaque in eum suspicati essent Principes, cum aliās; quia Christum laudassent, fuissent reprehensi, alapam Christum vnus eorum cecidit. Hæc Cyrillus, sed incerta sunt hæc, nec valde accommodatè dicuntur: nam cum multi illi fuissent; & multos nunc demonstrasset Christus, eadem de causa à multis esset percutiendus: probabilius est, hunc ministrum fuisse ex præcipuis inter ministros, qui proximus erat Christo, is adulari volens Pontifici; & zelum honoris eius præ se ferre, sciens quanto odio ab omnibus habebatur Christus, ideoque sibi om-

nia impune licere iudicans, non erubuit hoc flagitium patrare. Chrysof. ho. 82. ut supra citauimus; hunc ministrum fuisse Malchum, cui amputata auricula restituta est, perhibet, sed hoc etiā sine vrgenti ratione affirmatur. Aug. tract. 113. rectè considerauit hoc factum dicens; Si cogitemus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente torberi, aut correptum dæmonio voluari, aut aliqua huiusmodi quilibet poena, vel etiam grauiore puniri? quid enim horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, qua vincitur mundus? hæc Aug. Cyril. lib. II. cap. 49. rectè etiam aduertit nostrum dedecus, quo propter peccatum dedecorati sumus, Christum in se transfuisse, ut à nobis auferret. Figura huius alapæ præcessit in Michea Propheta. qui alapam percussus est à Sedechia Pseudopropheta, adulante Regi Achab contra veritatem, ut habetur 3 Regum vltimo.

Respondit ei Iesus; Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?

COMMENTARIUS.

NE si Dominus tacuisset silētio ipso malè se locutum esse comprobaret, respondet: ita tamen, ut nullum vindictæ, aut impatientiæ specimen daret. Si, inquit, male locutus sum, testimonium perhibe, id est, sententiam tuā declara, & confirma, ac ostende me malè locutum esse, id autem coram Iudice, & Pontifice, si autē bene, quid me cædis? id est, sine causa me cædis. Mansuetè admonet percussorem iniuriæ sibi illatæ; seque vera & recta locutum esse confirmat, & Pontificis iniquam dissimulationem insinuat.

ANNOTATIO XVI.

Responsione ostendit Christum nihil Pontifici indignum dixisse.

Cyril. libr. II. cap. 47. verbum hoc, testimonium prohibe de malo, interpretatur sic: Ostende, in quo erravi. Illud autem, quid me cædis? sic exponit, quasi percussorem reprehendat, quod prius laudauerat Christum, quando dixerat, Nunquam sic locutus est homo, sed cum, uti superius diximus, id sit incertum, probabilior est expositio, id dictum esse, ut

magis confirmet Christus, se nihil quod non sit rectum, & verum dixisse; simul etiam admoneat percussorem criminis sui, & illatæ iniuriæ; præcipuè tamen se recta locutum esse significare intēdit, ut paulo post magis explicabimus. Aug. tract. 113. interrogat: Cur, inquit, nō fecit, quod ipse præcepit; si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei alteram? Respondet;

Cur alteram maxillam Christi non percussit.

Respondet, illud præceptum non esse ad litteram intelligendum, ut præbeamus alteram maxillam, sed ut animo tranquillo iniurias perferamus: parati potius alteram præbere maxillam, quam iam cocipere, aut vindictam desiderare. Respondendo ergo magis ostendit mansuetudinem suam, quam si tacuisset: potuissent enim cogitare illi ægrè tulisse iniuriam, non autem respondisse metu Pontificis, at dum mansuetè responderet, tranquillum animum, & compositum aperit, & ostendit; nec minus se paratum exhibuit ad maiora perferenda, quod experientia docuit. Hæc responsio

veram continet doctrinam, tamen non attingit legitimam causam, cur nunc responderit Christus; existimo igitur eam esse, quam adduximus in commentario, ne tacens videretur comprobare se malè locutum esse, Pontificemque iure eius taxasse doctrinam: qua igitur de causa Pontifici responderat, eandem percutienti etiam nunc responderet, non propter illatam sibi iniuriam, nec præcipuè, ut percussorē corripiat; sed ut se verè, & rectè locutum esse ostendat: doctrinamque suam publicā, & mundo notā significet, nec verū esse, quod ei impositū erat, nepe in tenebris & occulto docuisse.

Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

COMMENTARIUS.

Quia Euangelista Petri negationem reliquerat, ut ea, quæ apud Caipham cum Christo sunt gesta narraret, nunc iterum ad Petri historiam reuertitur; scriptura enim non potest simul narrare, quæ simul sunt facta. Est autem in Græco sensus huius sententiæ apertior: non enim habetur particula copulatiua, sed illatiua, & non est præteritum, sed aoristus primus, qui sæpe plusquamperfecti significationem habet. sensus ergo est; Miserat igitur eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem, est enim locutio reuerentis ad narrationem prætermittam, & particula illatiua indicat, quæ relata sunt, fuisse facta, postquam missus est Christus ab Anna ad Caipham: illic enim non est commoratus, sed per transitum quendam ductus, & sic Cyril. li. 12. ca. 1. exponit, & est virtus sensus.

ANNOTATIO XVII.

Libra præcipis præteritum loquor loquor loquor loquor.

Sæpe in scriptura præteritum pro plusquamperfecto ponitur more Hebræorū, & exempla complura & in veteri, & in nouo testamento habentur. In veteri, quidem est illud Ruth. 1. Visitauit Dominus populum suū, pro visitauerat, & 1. Reg. 9. Reuelauit aurem Samuelis, pro reuelauerat, sunt enim, in Hebræo præterita, reperiuntur autem huiusmodi testimonia frequentia. In nouo autem post hæc verba dicit Ioannes; Cognatus eius, cuius Petrus abscedit auriculam. clarum est præteritum hoc positum pro abscederat, & Matt. 26. Qui tradidit eum, dedit eis signum. id est, qui tradiderat, dederat signum, & Marc. vlt. qui viderant eum, reuerebantur à mortuis non crediderunt, id est, crediderant. Sunt multa

huiusmodi. Attende autem hoc loco vsus esse Ioannem aoristo primo, quod plusquamperfecti significationem frequentissimè habet, imo & Latinus interpres ita vertit paulò superius, vbi dicitur; Qui consilium dederat Iudæis, & Ioan. 7. Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus. Marc. vlt. His qui viderant eum surrexisse à mortuis. In his locis in Græco sunt aoristi primi, quos vertit, & rectè, interpres per plusquamperfectum, ita & hic vertendus erat: Miserat eum Annas. Hinc patet hanc sententiam fauere opinionioni asserentium negationes has, quemadmodum & præcedentem, factas esse in domo Caiphæ, quod superius annotauimus.

Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se.

COMMENTARIUS.

Repetit, quod supra dixerat, ut historiam eandem prosequatur. Erat igitur Petrus stans in atrio inferiori Caiphæ, vbi primò negauerat, & calefaciebat se. Ut enim refert Lucas, in medio atrij ignis propter frigus accēsus erat: vti superius autem diximus, primò sedebat, quando negauit ad vocē ancillæ ostiariæ; at, ut habetur ex Marc. illinc paululum recessit ad atrij vestibulum, quando gallus semel cecinit, & iterum reuersus est ad ignem cum ministris, & stabat, quādo secundò, & tertio negauit: & hoc nunc refert Ioannes.

ANNOTATIO XVIII.

Quomodo hoc loco conueniant.

Dubitatio se offert in hoc loco ex his, quæ cæteri Euangelistæ referunt, nam Matt.

26. post primam negationem dicitur, Egre-diente illo ianuam, & Marc. 14. Exiuit, inquit,

Matth. 1

Matth. 1

quit, foras ante atrium. Respondeo Petrum quidem post primam negationem recessisse à loco, ubi sedebat, non quidem extra ianuam dōmus, sed ad vestibulum atriij, quæ est pars illa coniuncta ianuz, antequam ad atrium fieret ingressus; verbum enim græcum, πύλον, significat vestibulum, quod Marcus magis expressit; dicens, πρὸ αὐλῆς; at postea reuersus est ad ignem, aut frigore impellente, aut ne solitarius videretur: id enim maioris suspicionis causam dedisset: postquam autem reuersus

est ad ignem, cum alijs stetit, & tunc factum est, quod narrat Ioannes. Aduertendum autem est August. tractat. 113. affirmare, etiam duas negationes, quas Ioannes hic narrat, factas esse in domo Annæ; & quia Euangelista expressè dixerat, missum esse Christum ab Anna ad Caipham, responderet id verum esse; tamen Euangelistam ad narranda ea, quæ in domo Annæ gesta sunt, reuersum nunc esse, quæ expositio difficilè accommodatur.

Dixerunt ergo ei, nunquid & tu ex discipulis eius es? negauit ille, & dixit; non sum.

COMMENTARIUS.

HÆc est secunda Petri negatio: interrogatus enim, an ex discipulis Christi esset, negauit dicens, *Non sum.* à quo autem interrogatus esset, Euangelista non expressit, sed indefinitè locutus est. *Dixerunt*, inquit: at alij Euangelistæ explicuerunt, vt in annotatione declaratur.

ANNOTATIO XIX.

Quomodo conueniunt Euangelistæ in referenda tertia negatione Petri.

DISSONANTIA etiam in hac secunda negatione describenda, inter Euangelistas videtur; præter enim illam, quam in annotatione præcedenti explicauimus, & ad concordiam reduximus, nempe quia Ioannes ad ignem Petrum stetit. Mat. verò, & Marc. foras exisse dixerunt; est altera difficilior: nam Mat. & Marc. aliam ancillam præter ostiariam occasionem negationis dedisse affirmant; inquit enim Mat. Vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi; Et hic erat cum Iesu Nazareno, & ille negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Marcus autem sic refert. Rursus cum vidisset eum alia ancilla, cepit dicere circumstantibus; quia hic ex illis est: at ille iterum negauit. At Lucas vnum refert hominem; Alius, inquit, videns eum, dixit; & tu de illis es: Petrus verò ait, O homo, non sum. Ioan. autè plures fuisse affirmat: *Dixerunt*, inquit, ei, Aug. libr. 3. de consen. Euang. cap. 6. responder, Petrum simul esse compellatum ab ancilla, & vno homine, idcirco Ioannes inquit, *Dixerunt*, vtrumque significans. Ancillam autem Mat. & Marc. Lucas verò virum retulerunt; hoc tamen satisfacere non videtur; nam si ab ancilla, & viro simul compellatus est, quare respondit; O homo, non sum; hæc enim responsio vni datur, non duobus. Accommodatio solutio est, ancillam nihil Petro dixisse, nec compellauisse eum, sed ad circumstantes con-

uersam dixisse; Hic ex illis est, & hoc Mat. & Marc. narrant. nec est dissonum ab his, quæ Ioan. & Luc. dicunt. Lucas enim refert ab vno compellatum; Tu ex illis es, & huic respondit; Nō sum, & homo; & hoc idem narrat Ioan. vltus tamè est numero plurali, quia ille vnus pro multis, & multorum nomine locutus est: nata ancilla multis dixerat ex illis esse Petrum: vnus ergo illorum omnium nomine Petro opposuit. Tu ex illis es. Adde etiam quod sæpe annotatum est, frequenter pluralem pro singulari numero usurpari: nam latrones dicuntur improperasse Christo in cruce, cum tamen vnus illorum id effecerit, adde etiam Ioannem significasse ancillam, quæ quamuis Petrum non est allocuta, affirmavit tamen coram illo, eum ex illis esse, nulla ergo est dissonantia. Quod autè Mat. addidit de iuramento, cæteri prætermiserunt: hoc tamè commune est Euangelistis, quod vnus prætermittit, alium narrare: verum hoc ad dissonantiam non pertinet, sed ad maiore rei expressionem, sicut etiam illud; Non noui hominem: iurauit enim se non esse ex illis, nec nosse eum. Aduertendum tamen est, Cyril. lib. 12. cap. 1. afferre, hæc, quæ narrat Ioannes ad tertiam negationem pertinere, omisit enim secundam: in tertia autem multi accesserunt, vt inferius diceretur; cæterum accommodatio est expositio, si hæc ad secundam referantur, & tunc procedunt, quæ dicta sunt.

Dixit ei vnus ex seruis Pontificis cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam, nonne ego te vidi in horto cum illo? iterum ergo negauit Petrus.

COMMENTARIUS.

HÆc est tertia negatio. describit autem Ioannes personam compellantem, vt explicet, & significet causam, cur vehementer negauerit Petrus; nam vt ex cæ-

vt ex cæteris constat Euangelistis, coepit anathematizare, & iurare se non esse: hoc autem factum est, quia vrgebat testimonium de visu. *Vidi*, inquit, *te in horto.* rursus quia vehementi timore correptus est: nam ille erat cognatus Malchi, cuius auriculam absciderat. timuit ergo sibi etiam propter vulnus illatum in horto, idcirco constantissimè, & pertinacissimè negauit se esse. Et attende Ioannem supponere verbis alijs iam esse compellatum; nam verba hæc sunt velut replicantis, & opponentis contra Petrum negantem, *Nonne ego te vidi in horto?* hæc Ioannes narrat expressè, illud autem insinuat.

ANNOTATIO XX.

Quomodo conueniunt Euangelistæ in referenda tertia negatione Petri.

MAior in hac tertia negatione dissonantia apparet. Matth. quidem & Marc. inuicem concordés dicunt, post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro, Verè, & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. tunc coepit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. similiter dicit Marcus: post pusillum, inquit, qui adstabant, dicebant Petro, verè ex illis es; nam & Galilæus es, ille autem coepit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. At Luc. aliter narrat: inquit enim, Interuallo facto quasi vnus horæ, alius quidam affirmabat dicens, & hic cum illo erat: nam & Galilæus est: & ait Petrus, homo nescio, quid dicis. quid autem Ioannes referat, iam expositum est, hæc autem dissona videntur, sed non sunt: simul enim constant, In primis quod Mat. & Marc. dicunt, post pusillum, Luc. dicit interuallum quasi horæ vnus; id ergo consonum est. Ioan. verò tempus non declarauit, non tamen contrarium aliquid dixit. Quod verò ad personas attinet, hic homo, quem Luc. refert, est idem cum relato à Ioan. Ioannes verò exposuit, quod prætermisit Lucas, nempe fuisse cognatum Malchi, hic ergo cum multis accessit ad Petrum, & ex illis eum esse affirmavit. Petro autem dicenti; nescio quid dicis, opponit, & contradicit; *Nonne ego te vidi in horto?*

A neganti autem multi tunc dixerunt; ex illis es, nam Galilæus es, & loquela tua te esse Galilæum probat. tunc Petrus se vrgeri nimium sentiens, coepit iurare, & se deuouere, ac negare nosse Christum, quod Matth. & Marc. referunt: hos enim homines vltimo locutos esse post illum hominem, certum est: quia tunc coepit iurare, & detestari, quasi se conuincit tot ac tantis testimonijs videns, primò non iurauit, secundò iurauit, tertio iurauit, & se deuouit. Secundum Cyrillum, qui tenet ad tertiam negationem etiã verba præcedentia pertinere, facilior est solutio: multi enim prius accesserunt, & rursus cognatus Malchi secundum illos locutus est, & est sententia probabilis, sed probabilior, quam exposuimus. Hic est contextus, & ordo rei gestæ, & totus est conformis, sed non à singulis Euangelistis totus descriptus. Quamuis autem Petrus pluribus verbis nunc tertio negauerit Christum, tamen quia vna est series rei gestæ, vnica negatio computatur, sicut in prima, & secunda factum est. Ex loquela autem Galilæum nouerunt: etsi enim omnes lingua Hebræa vterentur, habebant tamen distinctæ prouinciæ quædam singulares verborum pronuntiationes, & accentus, quibus facile discernantur ab audientibus: quod apud Italos, & apud Polonos, & alias multas nationes experientia docet.

Et statim gallus cantauit.

COMMENTARIUS.

OMnes quatuor Euangelistæ huius cantus meminerunt, vt veritatem Prophetiæ Domini ostenderent: continuò ergo gallum cantasse omnes referunt. Lucas autem adiunxit, Adhuc illo loquente, gallus cantauit. Marcus autem addidit: iterum cantauit, nam semel cantasse prius dixerat. ad hæc Lucas adiecit, conuersum Dominum respexisse Petrum. cantante igitur gallo recordatum esse Petrum verbi Iesu, tres Euangelistæ narrant. Et nunc respiciente Domino, egressum esse foras, & amarè fleuisse tam Luc. quàm Matth. & Mar. tradidère. Nisi autem Dominus respiciens cor eius ad poenitentiam sua diuina virtute conuertisset, non magis proficeret secundus galli cantus, quàm profuit primus post quem bis, & pertinacius negauit: Ioannes autem solius cantus mentionem fecit. cætera omisit tanquam satis ab alijs enarrata: in his omnibus nulla dissonantia inter Euangelistas est, neque apparet.

ANNOTATIO XXI.

Petri negatio quale peccatum fuerit.

Non est prætereundum silentio vnum, nempe qualis fuerit hæc Petri negatio. Variè enim Doctores loquuntur: nam quidam aliqua ex parte peccatum excusant, non qui-

dem negant peccasse, sed peccati grauitatem minuunt. Cyri. igitur li. 11. cap. 41. primam negationem exponens inquit, Petrum non negasse Christum tam timore, ne captus esset, aut quia

aut quia nullam veritatis curam haberet, quam fortassis quia pati omnia volebat, dum modo Christum videret; ex amore igitur decidit, & pietatis causa negasse videtur, non recte quidem, nec exquisita ratione probata, sed quæ adesse cum Christo, & videre illum faciebat, quod maxime Petrus optabat. hæc Cyril. fatetur quidem negasse, & non recte egisse; sed id factum asserit, ne impediretur manere, & adesse Christo. hac ratione Cyril. excusat, & interpretatur negationem Petri. Ambro. autem altera via excusat, & exponit; ex timiditate enim negasse sentit, tamen negationem sic interpretatur, ut Petrus inuoluta responsione sit vsus in verbis suis, aliud intelligendo, quam quod audientes percipiebant. Non inquit, noui hominem, quia re vera Christum nemo comprehendere, aut perfecte intellectu assequi valet: similiter negat se fuisse cum Iesu Galilæo, at erat cum Dei filio. In hunc modum has Petri responsiones Ambro. pluribus verbis exponit, ut Petrus inuolutè responderit, videri tamen volens negasse ex metu, & ideò peccauit; aperte enim, & non inuolutè veritas erat aperienda, idem sentit Hilar. can. 32. in Matthæum. Hanc sententiam reiicit Hieron. Marth. 26. tacitis nominibus sic dicens, Scio quosdam pij affectus erga Apostolum Petrum ita interpretatos, non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum, nescio hominem, quia scio Deum, hoc quam friuolum sit, prudens lector intelligit; sic defendunt Apostolum, ut mendacem faciant Deum: si enim iste non negauit, ergo mentitus est Christus, qui dixit, Amen dico tibi, antequam gallus bis cantet, ter me negabis. hæc Hier. & verò argumentum Hieron. est efficax, si enim Petrus illa inuoluta, & ambigua responsione vsus est, visus est negare, sed non negauit: Christus autem absolute negaturum

prædixit. Rectius Cyril., admisit negasse quidem, tamen ex amore, non ex timore; at nec hæc sententia est accommodata contextui; timens enim sibi, & ex fragilitate peccauit; quod etiam ipse Cyril. libr. 12. tertiam exponens negationem concessit, & asseruit, quamuis hoc verum sit, Christum non ita negasse, ut filium Dei non crederet; non enim amisit fidem Petrus, pro cuius stabilitate rogauerat Christus; Veruntamen peccauit contra fidei confessionem, negando se esse discipulū Christi, & se nosse, quem nouerat, ut Aug. tractat. 113. dicit. quod Leo ser. 9. de passione confirmauit, dicens. Vidit Dominus non fictam fidem non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam. Quæ verba intelligenda sunt, non quod charitatis habitus manserit tunc in Petro: nam peccatum illius mortale fuit, & tale, ut dicit Aug. tract. 113. quod si tunc absque pœnitentia moreretur, damnationem incurreret; dilectionem tamen dicit non auersam, quia adhuc amabat Christum, & amor hic tunc non erat ex charitate proficiens, sed imperfectus quidem, qualem etiam in peccatore fideli manere nunc experimur: sic est de huiusmodi negationibus sentiendum, Causam autem cur Euangelistæ hoc Petri peccatum descriperint, Cyrill. rectè annotat libr. 12. cap. 1. dicens. Ea de causa minutius hæc sunt conscripta, ut legentes intelligant quales ante Christi resurrectionem, & aduentum spiritus Apostoli fuerint, & quales, postquam ex alto virtutem acceperunt, effecti sunt. hinc enim discimus, nulla nos desperatione affici debere fragilitatem humanam considerantes; sed confidere potius oportere credentes robur ab illo nos habituros, qui diligentibus se neruos ad virtutem, & vires largitur, hæc Cyrillus.

Petrus in negationibus non fidem, sed charitatem amisit.

Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium.

COMMENTARIVS.

Multa prætermittit Iohannes, quæ apud Caipham cum Christo gesta sunt, utpote distinctè, & copiosè, ab alijs tribus narrata. A domo autem Caiphæ in prætorium Pilati, Dominum adductum refert. particula illatiua, Ergo, maxime significatiua est, & deducit, ac sententiam infert ex his, quæ Mat. 27. habentur. Manè, inquit, facto inierunt consilium omnes principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderet, vincitumque adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præfidi: Hoc nunc Iohannes per hanc particulam insinuat, ac si diceret, post multa contra Iesum illa nocte facta, manè inierunt consilium, & decreuerunt eum moti tradere; hoc autem per Pilatum præsidem efficiendum erat. Adducunt ergo, id est, propterea adducunt è domo Caiphæ ad Pilatum. Est autem prætorium locus, in quo ius dicitur à præfide, qui tunc temporis erat Pilatus nomine Cæsaris Romanorum Imperatoris.

ANNOTATIO XXII.

August. tract. 114. & lib. 3. de consen. Euang. cap. 7. legit. Ad Caipham in prætorium, & conatur exponere verbum hoc, quomodo ad Caipham, & in prætorium simul adduci poterit, & coactus est fateri, aut Pilatum, & Caipham in eadem domo mansisse, aut aliqua de

causa tunc Pilatum ad Caipham venisse: tamen non est, cur hoc nos vexet: liberiorum enim est mendum: à Caipha enim legendum est, & tunc apertus est sensus: è domo Caiphæ, vbi tunc erat, eductum esse, & in prætorium Pilati adductum, quæ autem imaginatus est

Reiicitur le- tio, quæ se quirit Augu- stinus.

tus est August. non possunt accommodari his, quæ sequuntur, & verbis ipsis. Vera lectio est, quam Cyril. & reliqui sequuntur; Ali. qui nostra ætate prætorium exponunt; domū præfidis, qui tunc Pilatus erat, quia vocabulum vtrumque significat, & domum, præfidis, & locum illum, in quo prætor dicit ius: sed hoc in loco domum non significat, sed locum iudicij: vt. n. inferius dicitur, Pilatus egressus

Prætorium, locus erat ferendis sententijs deputatus

est foras, & reuersus iterum in prætorium: & ludæi ne contaminarentur, non sunt ingressi in prætorium: at certum est Pilatum non esse egressum è domo in viam, nec illos cõtaminari potuisse propter ingressum in domum: hac enim ratione quotquot Pilatum visitassent, immundi, & contaminati essent: sed est sermo de loco illo intra domum Pilati, in quo ius dicebatur, & in quo condemnatus est Christus.

Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut comederent Pascha.

COMMENTARIVS.

Manè erat, sextæ feriæ, & decimæ quintæ lunæ, qui erat primus dies festus Azymorum, ut in cap. 13. declaratum est. Et ipsi non introierunt in prætorium: dum dicit Et ipsi non introierunt, insinuat intrasse ministros, & milites, qui comprehenderunt Dominum, vna cum ipso Domino vincito: adstabat enim Pilatus tanquam iudex in prætorio, quando traditus est ei, Christus à ministris, ludæis foris manentibus; ne intrantes in die festo illo contaminarentur; nec possent Pascha comedere, quo non licebat edere nisi solis mundis. Perpende autem hypocrisim istorum: immunditiam enim cauent introeundi in prætorium, & non æstimant peccatum grauissimum tradendi innocentem Pascha aliqui agnum paschalem exponunt: inter quos sunt Cyril. libr. 12. cap. 2. & Chryost. hom. 82. asserentes nondum illos celebrasse, sed distulisse festum: tamen superius cap. 13. hunc locum, & hanc tractationem diffusè discussimus; & ostendimus, Pascha hoc in loco accipi pro sacrificijs, quæ illis diebus festiuis offerebantur, quibus vesci solis licebat mundis. illum locum consulat, qui exactam quærit huius sententiæ intelligentiam.

Pascha nomen sacrificia intelligitur, que in diebus azymorum offeruntur.

Exiit ergo Pilatus ad eos foras & dixit, quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc?

Particula, Ergo, causam indicat, cur sit, Foras, id est, extra prætorium, egressus, nempe quia illi, ne contaminarentur, ingressi non erant; & quod iuris est, & omnis iustitia postulat, interrogat, & petit: Quam, inquit, accusationem, adfertis aduersus hunc hominem? id est, cuius criminis accusatis, eum? nemo enim damnari potest, nisi accusatus, & conuictus alicuius criminis. Isti in prætorium miserant Christum tanquam reum, & conuictum criminis, propter quod morte erat plectendus, ut à Pilato in eum sententiâ ferretur; At Pilatus ad iustum rem reuocans, nec catenis, ac vinculis, quibus tanquam reus mortis ligatus tenebatur Christus, adhibet fidem; sed crimen cognoscere, & probari vult: accusator enim probare crimen, cuius reum accusat tenetur.

Responderunt, & dixerunt ei; Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

Nullam causam habentes, quam proferre possent, auctoritatem suam sufficientem probationem omnium affirmant, & velut conquerentes de Præfide, quod accusationem ab eis, quasi digni fide non essent, petierit; respondet, Si non esset malefactor, id est, morte dignus, Non tibi tradidissemus quasi dicerent. Nos iam causam examinauimus, & discussimus inter nos, & eum mortis reum inuenimus, & iudicauimus: non est à te amplius inquirendum, sed omnis fides habenda nobis est, qui nisi talis esset, nunquam eum tibi tradidissemus.

Dicit

Dicit eis Pilatus, accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum.

Nolens causa non cognita, nec probata Pilatus Christum damnare, respōdet; Si vos examinastis; & dignum morte iudicastis, accipite, & dānate eum secundū legem vestram, quasi diceret, Ego nō noui causam, nec scio crimen, propter quod sit dammandus, idcirco sententiam ferre non possum vos, qui nostis, iudicate secundum legem vestram. Particula, *Ergo*, causam indicat, cur hęc Pilatus responderit; nempe quia illi crimen, & accusationē proferre, & manifestare volebant.

Dixerunt ergo Iudæi: nobis non licet interficere quenquam.

Iudæis non licuisse in diebus Azymorum vllum interficere satis constat **A**ct. 12. Herodem enim apprehendisse Petrum legimus, quia autem dies Azymorū erant, tradidit militibus custodiendum, vt post Pascha produceret eum populo, & interficeretur. Malitiosē isti iudicium refutant, tanquam sibi in tanto festo prohibitum, vt Christum crucifigant per Pilatum: id enim mortis genus non erat secundum legem, nec à Iudæis vnquam obseruatum. Romanorum erat, ideoque se tempore excusant, vt Pilatum inducant ad crucifigendum, & simul turbæ concitationem à se auertant. Particula, *Ergo*, causam indicat, cur nō accipiant eum, vt secundum legem condemnent, quia id eis pro tempore non licet, in mora autem periculum est; nam Christum in prætorium abduxerunt primo manē Azymorum, significantes maximē referre citissimē Christum plecti & de medio tolli.

A N N O T A T I O XXIII.

QVA ratione isti Pilato responderint, sibi non licere, quemquam interficere, variē doctores exponunt. Primò loco Cyril. lib. 12. cap. 6. existimat ratione temporis id esse dictum, non enim licebat tempore solemnitate iudicia exercere, & sententias ferre ac interficere, idem etiam Aug. tract. 114. docet idque nos in commentario secuti sumus, & paulò inferius eam esse legitimam expositionem ostendimus. Secundo loco Euth. exponit dictum esse, quia crucifigi Christum querebāt, id autem mortis genus Iudæis non licebat, non quod esset eis à Romanis prohibitum, sed quod in lege non contineretur, nec fuisset à Iudæis vnquam obseruatum. Sensus igitur erit; Nobis non licet crucifigere quemquam, huic expositioni multa obstant. Primum verba ipsa; generalia enim sunt, & nō crucis mortem, sed quodcunque necis genus significant. Secundum, quia non erat responsio apposita; nam diceret Pilatus, nonne satis vobis est, pœnam mortis infligere, quam lex vestra concessit, & qua omnes hucusque malefactores punitis. Tertium, quia dicenti Pilato; *accipite eum vos*, & excusanti se à sententia ferenda, non respondissent, *Non licet nobis crucifigere*: Erat enim à ratione alienum à Pilato, qui Christum innocentem existimabat, nec vlla pœna afficiendum censebat, petere vt Christum occideret, ne dum vt crucifigeret. Quartum, quia crucifigi Christum non sunt ausi petere expressē, nisi postea concitata turba, & post multos clamores, quod tunc audiens Pilatus abhorruit dicens, *Regem vestrum crucifigam?* Tertio loco Chrysostom. homil. 82. vtranque

expositionem coniunxit, dictum nempe esse, & propter mortis genus, & propter tempus: siquidem nec illo tempore, nec illo mortis genere interficere eis licebat; sed quatenus id de mortis genere exponit, eadem argumenta procedunt contra huiusmodi interpretationem. Quarto loco repertus, quem aliqui recentiorum sequuntur, asserit potestatem Iudæis valde imminutam: non enim eis licebat interficere quenquam, & in hunc sensum verba hęc exponunt. Sed quamuis eis ista concedamus, nempe potestatem talem Iudæis ablatam esse, tamen expositio non potest aptari nam Pilatus sentiebat, vt secundum legem propriam ipsi damnarent; quando dixit; *Secundum legem vestram iudicate*, porrò, quid aliud est hoc dicere, quàm consentio, placet, facultatem concedo, vt vos pœnas legis vestræ exequamini, & condemnentis: secundum autem legem eorum mori Christum debere, ipsi falsi sunt *Nos*, dicunt, *legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit*, diceret igitur Pilatus, iam vobis concessi, vt secundum legem vestram iudicaretis: inepta est responsio vestra, nobis non licet interficere, id est, non habemus facultatem interficiendi. Hoc argumentum manifestè probat non posse hęc verba, de tali facultate exponi, nempe non habemus facultatem: nam Pilatus iam eis concesserat, vt secundum legem iudicarent, sicut olim facere solebant.

D Ea igitur expositio legitima videtur, vt quæ ratione non ingressi sunt prætorium, ne concitarentur, eandem etiam sibi nō licere dicant interficere quenquam, etiam consentiente

ciente Pilato. Existimo autem malitiosē eos respondisse; tum vt Christum per manus Gentium occiderent, existimantes ea ratione inuidiam, & scandalum populi euasuros, si in tanta solemnitate interfecissent; tum vt morte crucis plecterent, quam ipsi infligere soliti non erant, nec in lege continebatur: & hęc præcipua fuit eorum intentio, vt hoc mortis genere omnem de Christo opinionem deleterent, qui tanquā sceleratus occisus erat. Quod si quis obijciat; poterat Pilatus respondere, si vobis non licet nunc, poteritis post Pascha id efficere; huic responsioni iam ipsi tacitè responderant, Christum in die solemnæ ad prætorium adducentes, eoque facto significantes nulla intercedente mora continuo eum punire oportere, & de medio tollere, esseque maximum in mora periculum: & re verà id sibi persuaserant, videntes Christi magnam virtutem, propter quam cautè tenendum traditor consuluerat: si autem mora fieret, oportebat septem alios expectare dies. Hęc sint satis pro huius sententiæ declaratione.

At si quis vltèrius quærat, An Iudæis tunc facultas fuisset interficiendi. Quamuis hoc ad præsentem expositionem scire non sit necessarium, tamen quia inter allatas expositiones Doctorum huius rei mentio facta est, adiungam etiam in hac parte quod sentio. Cyril. lib. 12. cap. 6. videtur sentire Iudæos potestatem habuisse, nec impedimentum esse aliud præter temporis solemnitatē: habet enim hęc verba; Vetari aiunt ab impia cæde Pascha celebraturi: nam aliter ministerium Pilati non quæsuissent. hęc Cyri. vbi affirmat, si tempus Paschæ non esset, ipsi occidissent, nec ad Pilatum confugissent. Euthym. expressius id asserit, exemplo Stephani id confirmans, ac propterea de crucifixione interpretatur locum: hęc enim non licebat illis, comprobare etiam idem possumus exemplo adulteræ, quam Ioan. 8. Iudæi lapidare volebant; & rursus quia sæpe Christum lapidare tentarunt, hęc videntur esse argumento, eos potestatem interficiendi habuisse.

His non obstantibus, mihi probabilius videtur per Romanos eis fuisse ablatam potestatem, ita vt non liceret eis sine præsidis assensu, sententiam capitis ferre in eos, qui etiam secundum legem morte plectendi erant. Distinguentur igitur est. Si enim crimina erant contra Romanorum leges, qualia furta, latrocinia, homicidia, seditiones, & alia huiusmodi; hęc Romanus Præses solus vindicabat, nec Pontifices, nec Iudæi partem habebant in iudicio isto. Si verò erant crimina contra solam Iudæorum legem, vt blasphemia in Deum Israël, & alia, quæ contra legem committebantur, nec leges Romanorum prohibeant, si pœna capitis erat infligenda, cum consensu præsidis fiebat ab illis iudicium; si verò minor, & leuior erat, ipsis id facere concessum erat. Hęc omnia probari videntur primò ex re-

A sponse Gallionis præconfulis Act. 18. cum enim accusaretur Paulus, respondit; Si esset iniquum, aut facinus pessimum, libenter vos sustinerem; si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis, si illi facultatem interficiendi habuissent, nullam apud Gallionem accusassent. Secundo ex Iosepho, qui lib. 20. Antiq. cap. 8. de Anano Pontifice loquens, refert eum in iudicando seuerissimum fuisse, & addit hęc verba: Talis igitur cum esset, tempus oportūm se nascū ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, concilium iudicum aduocat, statutuque coram fratrem Iesu Christi Iacobum, & vnā quosdam alios reos impietatis peractos lapidandos tradidit: quod factum omnibus in ea ciuitate bonis & legum studiosis vehementer displicuit, missisque ad regem clam nuntijs, rogauerunt, mandaret Anano, ne quid tale posthac ageretur: nam nec nunc quidem rectè egisse, quidam enim Albino occurrentes docuerunt, non licuisse Anano sine ipsius consensu aduocare concilium; horum verbis ille persuasus, iracundè scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa Rex eam ob causam post tertium mensem ablatam ab eo pontificatum Damnei filio concessit, hęc Iosephus. ex quibus comprobatur doctrina superior: si enim facultatem talem habuisset Pontifex, Iudæorum sine Præside, non erat cur opportunitatem expectasset occidendi, nempe absentiam Præsidis: rursus etiam non licuisse Pontifici sine assensu Præsidis talia facere, persuasisse ei non dicerentur, qui occurrentes venerunt; nisi quia re vera Pontifex talem potestatem non habebat. tandem hoc factum legum studiosis displicuit, nimirum quia faciebat, quod ei non licebat, & denique ea de causa priuatus est Pontificatu. Tertio hoc idē probatur: si Iudæi victos habuissent in causa mortis inferendæ, non erat; cur ad Pilatum venirent, & peterent vnum sibi in Paschate liberari: ipsi enim id potuissent facere, id igitur factum est, quia non erat facultas, nec potestas eis interficiendi, quod si Stephanum occiderunt, & adulteram lapidare volebant, id factum est quia Romani dissimulabant aliqua talia præsertim quæ contra eorum Reges non erant commissa; aut quia populi furore fiebant, aut quia ex assensu illorum efficiebantur, denique factum, non est argumentum potestatis: nam & Ananus occidit Iacobum, nec id faciendi potestatem habebat. Leuiore autem pœnas inferendi potestatem habuisse in his quæ contra legem erant, probat quòd diximus de Gallone, Act. 18. & de verberatione Apostolorum Act. 5. Hęc sunt, quæ mihi probabilia visa sunt, siue ergo talem potestatem habuerint, siue non, sententiæ Evangelicæ, quàm exposuimus, sensus constat, nec ex his, pendet, vt dictum est.

(.)

Vt ser-

Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

C O M M E N T A R I V S.

Consecutio hæc est, ac si diceret, hinc consecutū est, vt sermo Christi prædictus impleretur: prædixerat enim se mortem crucis subiturū: Ioan. 12. Ego si exaltatus fuero à terra, & Ioan. 3. Oportet exaltari filiū hominis. & Mat. 20. Tradent eum gentibus ad flagellandum & crucifigendum. Verba hæc sunt Euangelistæ ex euentibus veritatem Christi comprobantis.

A N N O T A T I O XXIV.

Quis Christi sermo sit impletus.

Avgustinus tractat. 114. sententiam superiorem exponit in hunc sensum, vt sermo hic sit is quem Christus prædixerat significans, se à gentibus occidendum. Iudæi enim per manus gentium Christum occiderunt; hoc modo ab immanissimæ cædis crimine se immunes facere volentes; & tamen maius fuit eorum scelus; quàm gentium. At non videtur satis accommodata expositio: dicitur enim; *Significans qua morte esset moriturus, lon-*

gè aliud est per quos, & quamorte, esset interficiendus. genus igitur mortis significatur, nempe crucis. & ita Cyril. li. 12. c. 6. & Chry. hom. 28. exponunt. Nec hæc sententia comprobatur superiora verba, quibus non licere sibi quemquam interficere Iudæi dixerunt, esse de morte crucis intelligenda; sed eos ea dixisse, vt morte crucis plecteretur, quod sicut intenderunt, sunt consequuti.

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus.

C O M M E N T A R I V S.

Prætermisit Euangelista noster, quod Luc. cap. 23. narrat. Iudæi enim coacti accusationem adferre, ne à Pilato Christus dimitteretur, adiecerunt hæc, quæ sequuntur, eum accusantes. inquit enim Lucas; coeperunt illum accusare dicentes, Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum dicens; Tu es Rex Iudæorum? hæc Lucas. Ioannes autem omisit accusationem, & Pilati interrogationis meminit: adiungens iterum Pilatum introisse prætorium, quia à prætorio egressus erat propter Iudæos, quos retulit non fuisse prætorium ingressos, ne contaminarentur. reuersus ergo dicitur, vt Dominum super accusatione facta examinaret. Particula, *Ergo*, causam indicat introeundi in prætorium, nempe quia accusatus erat à Iudæis, quod Lucas refert.

Et vocauit Iesum, & dixit ei; Tu es Rex Iudæorum?

Erat Dominus in prætorio, quando Iudæi cum Pilato foris loquebantur, & tria, quæ ex Luca narrauimus, acusantes opposuerant; Pilatus autem ad prætorium reuertens; Iesum ad se aduocat, & vnum eorum, quorum erat accusatus interrogat; nempe, an sit Rex Iudæorum: ex hoc enim re: qua duo dependebant, nempe prohibitio tributi Cæsaris, & gentis subuersio. Si enim rex erat, eum sibi tributa vsurpare, & gentis, ac populi obedientiam ad se conuertere consequens videbatur: regnum enim temporale ex accusatione Pilatus intelligebat, quale est cæterorum Regum. Est autem attente considerandum, non interrogasse sic, dixistine, te esse regem? hoc enim Iudæi opponebant; Facit, inquiunt, se Christum regem; sed petijt, es ne tu rex Iudæorū? hoc existimo factum duabus de causis; vna ex parte Pilati; altera ex diuina providentia: Pilatus quidem regni, & imperij Cæsaris acerrimus defensor, & custos vigilantissimus cum esset, non satis sibi visus est scire, an dixerit se esse regem, sed an esset: quamuis enim non dixisset, si tamen esset, id imperio Cæsaris plurimum obfuturum existimabat. contra vero si non erat, quamuis id dixisset, id parum esse momenti iudicabat. Nec ad hoc petendum leuiter inductus erat: nam operam mira Christi audierat; aderat in Hierusalem, vbi Christus miracula insignia ediderat: & Lazari resuscitatio, & ingressus ille ho-

Tu es rex Iudæorum? propter duo interrogatur.

ille honorificus in urbē, acclamante populo, eum non latebant. Iudæos etiā regē expectare Christum, omnibus notum erat. hæc igitur de causa interrogat, *Tu es Rex Iudæorum?* quasi diceret, mihi satis non est, si neges te dixisse: amplius enim quæro, an sis. ex diuina etiam providentia id fiebat: quia Christus verus erat rex, quamuis non de quali interrogabat Pilatus; ea de causa etiam in cruce appositus est titulus, Rex Iudæorum, etiam inuitis Iudæis & reclamantibus; noli scribere rex Iudæorum, sed quia dixit se regem esse Iudæorū: quod autem scripsi, scripsi, respondit Pilatus. hoc autem inferius declarabimus: diuinitus ergo factum est, vt interrogaret; *Tu es Rex Iudæorum?*

Respondit Iesus; à temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?

Confessus Dominus se regem verum esse, ne vanæ gloriæ alicui, aut timori impij darent, vtitur interrogatione, vt ex responsione omnibus constet, se id esse confessum, vt iudici ex potestate interroganti responderet; idcirco non ignorans interrogat Pilatum: sciebat enim omnia, sed vt ex Pilati ipsius responsione nobis omnibus audientibus, & legentibus, quod dictū est innotesceret. Interrogatio autem, *Tu es Rex Iudæorum?* dupliciter fieri potest. Vno modo, animo discendi veritatem ad credendum, & amplectendum verum, sicut Ioan. Matth. 11. Es tu, inquit, qui venturus es, an alium expectamus? vt discerent enim discipuli Ioannes interrogauit. Altero modo nō discendi, sed iudicandi animo, sicut iudex inquit, & interrogat vincitum ac reum. Qualis fuerit interrogatio hæc Pilati, ex ipsius responsione omnibus manifestum Dominus facit, ideoque vtitur interrogatione dicens, *A temetipso hoc dicis?* quasi volens veritatem discere, an tanquam iudex, qui accusationes aliorum sentiens, & accipiēs, de his me examinas, & interrogas, vt à me scias id, cuius me inimici mei accusant. hoc ergo Dominus interrogauit, vt ex responsione ipsius Pilati omnibus notum esset eum interrogasse, tanquam iudicem examinantem. Hinc etiam constat Christi obedientia, qua pro nobis iudicibus, & potestatibus humanis subdi voluit, & eorum iussis obedire, quamuis iniquis, & peruersis, vt nemo iactantiæ, aut timori tribueret, quod se regem confiteretur.

Quorsū Christi Iesus à Pilato quæserit, an à seipso loqueretur.

A N N O T A T I O XXV.

Quæ Dominus interrogauit Pilatum diuersè referunt Ientia.

QVA de causa Dominus Pilatum interrogauerit; difficile est certo exponere. Cyril. li. 12. ca. 8. hoc factum esse dicit, vt ostēderet Pilato, se omnia scire, nihilque sibi occultum esse; vt hoc argumento diuina eius natura perspecta, non pateretur Pilatus se esse ministrū, & executorem malitiæ Iudæorum. At si hoc Dominus intendebat, potius affirmanter dicendum erat, *A te hoc nō dicis, sed alij dixerunt tibi de me.* Chrysoft. hom. 82. & Euthymius in Matthæum 27. id factum esse asserunt, vt Pilatum obiurgaret, quod non in terrogaret eum presentibus accusatoribus, aut ipsis, quod opponebant, probantibus: At nec hoc admodum est probabile, nempe voluisse Dominum obiurgare Pilatum. Fateor Pilatum iniquè egisse: non enim, si quis alterum criminis accusat, continuò reus est inquirendus, nisi prius probatio, & inditiā producantur; at Dominus nō id modò obiurgat, sed spontè se submittit iudico iniquo. Aliqui nostro seculo respondent id factum, vt se Dominus alienum esse à regno hoc temporali afsectando demonstraret: solemus enim vti huiusmodi interrogatione ad eos, qui nos de crimine aliquo percontantur, cum videri vo-

lumus ab huiusmodi suspitione liberōs nos esse debere. & in hunc sensum fere Cyril. hæc verba exponit libr. 12. cap. 8. vbi inquit: *A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt?* cum nemo hoc me crimine vnquam in iudicium adduxerit, vnde hic sermo ad te peruenit: hæc Cyril. his verbis innocentiam suam aperit, & falsam esse accusationem indicat. At nec hæc responsio accommodata videtur, quia noluit Dominus negare se esse regem, quamuis enim Rex qualis interrogabatur non esset, verè tamen erat Rex; non igitur liberum se à suspitione esse & alienum à regno significabat, maxime quia continuò declarauit se Regem esse. Alij recentiorum subtilius explicare volentes dicunt, Dominum hoc petijisse, vt distingueret regnum temporale à spirituali, quasi diceret; si à temetipso loqueris, sermo tuus est de regno temporali; si nomine Iudæorum, tunc sermo est de regno Messia, & spirituali; aliter autem ad vnum, aliter ad alterum est respondendum. At nec hoc est accommodatum contextui: nec enim Iudæi regnum Messia spirituale credebant, sed temporale: & quale regnum Dauid fuit, tale sperabant regnum Messia, quamuis multo perfectius.

Anchoris sen-
tentia.

Mihi omnium probabilissima expositio visa est, quae in commentario sumus profecuti; nempe voluisse Dominum omnibus esse manifestum ex hac interrogatione, se respondisse Iudici interroganti tanquam Iudici, ut eius obedientia mundo manifesta esset, & se Regem fateri à Iudice interrogatum: non enim animo discendi, & veritatem amplectendi interrogavit Pilatus Christum, sed tanquam Iudex persecutorum accusationes prosequens; idcirco iusto Dei iu-

dicio priuatus est lumine, quod veritatem Christi apprehenderet, cuius apprehendendae mirabilem & sufficientem habuit occasionem, & causam id autem Dominus constare voluit, ut omnes intelligant, Iudicis interrogantis non refutasse inquisitionem, sed obedisse, & respondisse, quamuis ille inique, & contra ordinem iustitiae examinaret; quod etiam fecit cum Summo Pontifice adiurante, an Christus esset; respondens ad id, quod interrogabatur.

Respondit Pilatus, nunquid ego Iudaeus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti?

COMMENTARIUS.

Aegre tulit Pilatus Christi interrogationem, qua parte dixerat, à temerario ipso hoc dicitur dedignans, & contemnens discere à Christo. *Nunquid, inquit, ego Iudaeus sum?* qui pro me ipso, & quasi res mea agatur, scire id quaeram? hoc ad Iudaeos pertinet, non ad me, qui Gentilis sum; *Pontifices tui & Gens tua se mihi,* tanquam reum, *tradiderunt,* idcirco quid feceris interrogo, & scire volo, non ut discam, non ut aliquid mihi emolumentum quarā, sed quia mihi incumbit crimina vindicare, & reos ac malefactores punire, qualem isti tui te esse accusant. hic est legitimus sensus.

Respondit Iesus; Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis, nunc autem regnum meum non est hinc.

Postquam Pilatus se interrogasse tanquam Iudicem, & accusatorum oppositiones exquirentem, exposuit ei veritatem: interroganti Dominus respondet, & interrogationi illius, an esset Rex Iudaeorum satisfacit; nec absolute negat se Regem esse, ne veritatem occultasse videretur; erat enim Rex Regum; nec rursus affirmat omnino, ut Pilatum à formidine liberet, qui dignitatem Caesaris in Iudaea tuebatur. *Regnum,* inquit, *meum non est de hoc mundo,* regnum habeo, sed non est de mundo hoc, id est, non est de hoc seculo, quale est regnum Regum mundi; si enim tale regnum meum esset mei subditi & ministri non permisissent me tradi Iudaeis, sed armis pro me decertassent; at non est tale regnum meum. Regnum se Christus habere concedit, sed non quod tollat regnum mundi; se regem esse, sed non qui alios expellat. unde recte Aug. tract. 115. inquit, Audite Iudaei, & Gentes, audi circumcisio, & praepitium, audite omnia regna terrena; non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum enim meum non est de hoc mundo. Idem significat de hoc, & ex hoc mundo, & hinc. Particula illa, *Nunc,* non est temporis in hoc loco, sed accipitur pro, *Sed,* quam significationem habet tam apud Graecos, quam nunc apud Latinos, ac si dictum esset, *Sed regnum meum non est hinc,* seu, *de hoc mundo.*

Dixit itaque ei Pilatus, ergo Rex es tu?

Comprehendit ex verbis Christi Pilatus, ipsum Regem se esse fateri; ut tamen expressam haberet confessionem, quod Christus insinuauerat, aperte ipse deducit. *Ergo Rex, inquit, Es tu?* quasi diceret; si regnum habere te affirmas, necesse est te Regem esse: non enim est regnum sine Rege, quod annotatione exactus declaramus.

ANNO-

Pilatus intel-
lexit Christi
Regem esse, sed
non contrari-
um Caesari.

Cyrill. lib. 12. cap. 11. affirmat Pilatum haec dixisse, quasi aliquam culpam attribuerit Christo, quod se regem esse asseruerit: haec tamen sententia non videtur accommodanda; nam si culpam aliquam in Christo cognouisset, non dictum esset illud: *Sciebat quod per inuidiam tradidissent eum,* & quod postea dixit, *Nullam inuenio causam,* & quod lauit manus, iustum appellans Christum: nulli ergo culpae tribuit hanc confessionem, immo innocentem reperit. Est igitur aduertendum maxime pro legitimo sensu huius sententiae, & aliquarum sequentium assequendo; Pilatum credidisse Christum regem esse, non tamen eius regnum esse aduersarium regno Caesaris, sed pertinere ad quandam singularem Iudaeorum religionem: ut enim hi Deum colebant, & religionem observabant distinctam à Romanorum, & gentium ritibus; existimauit Pilatus regnum hoc Christi esse quid simile, non intelligens perfecte quale esset. idcirco Iudaeorum malitiam agnouit, qui accusabant Christum Regem tanquam aduersantem regno Caesaris, cum tamen non ita esset. Pilatum autem Christum esse regem credidisse id probat, quod perseueranter eum regem appellauit; *Ecce Rex vester, Regem vestrum crucifigam?* Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum; idque diuina prouidentia factum est, quia verus Rex erat. Quod autem regnum eius non esse con-

trarium Caesari nouerit, manifesto argumento confirmatur: nam si regnum hoc nouisset esse contra Caesarem, etiam si non credidisset regem esse Christum; saltim existimasset Christum se facere, & confiteri regem. Cum ergo Iudaeorum accusatio vera fuerit, quod se regem faceret, & contradiceret Caesari, cur Pilatus non consensit accusationi eorum? iam enim Christus expressè fatebatur se regem esse, huius autem accusabant eum Iudaei, non quod esse, sed quod se Regem faceret. profecto asserendum est Pilatum nouisse quidem, & credidisse regem eum esse, sed regnum hoc non esse temporale, quale Caesaris regnum, nec ei aduersarium; & inde Iudaeos falsam attulisse accusationem, nempe, Christum contra Caesarem regnum sibi usurpasse. Ea igitur est causa, cur, cum confessus esset se regem, statim Pilatus eum liberare voluerit, significans esse regem ad religionem Iudaeorum pertinentem, sicut erant Prophetarum, & alia illorum singularia officia, non tamen Regem temporalem, qualis Caesar erat. Huic expositioni, & sensui, quae sequuntur, sunt accommodatissima, ut in eorundem expositione notum fiet: non ergo Pilatus infert nunc eum esse regem, quasi culpae adscribat alicui; sed ut magis de veritate ipsa certior fieret.

Respondit ei Iesus; tu dicis, quia Rex sum ego.

COMMENTARIUS.

Moderata affirmatio est, *Tu dicis:* est enim modus loquendi Hebraeus, in affirmationem inclinans; quamuis non admodum expressam. Sicut Mat. 26. dictum est Iudae, *Tu dixisti;* qua phrasi usus illic est, ne aperte eum detegeret; hoc verò in loco eadem utitur, ne vinculus, & ligatus tacere se videretur, simulque veritatem confiteretur; Rex enim erat.

Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.

Ne falsam, & ementitam rem dixisse videretur, dum se Regem verum esse, & regnum habere confiteretur, id ipsum mysterij explicatione confirmat. *Ego, inquit, ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum,* ut ostenderem, & aperirem hominibus veritatem, nempe regni mei, ut homines cognoscerent verum Deum, & quem misit Iesum Christum: ne ergo mendacem me vel seductorem existimes, si regnum meum, & regem me confiteor; cumque regnum meum non esset de hoc mundo, in eum ego venerim, quia ad veritatem manifestandam veni in hunc mundum, cum de hoc mundo non essem. Attende verbis his, se Deum esse docere, carnemque assumpsisse, secundum quam natus est, & in hunc venisse mundum, ut veritatem Dei ostenderet, & regnum Dei manifestaret, ac tyrannidem Diaboli, & dolos eius detegeret: quamuis autem Pilatus non haec comprehenderit perfecte; tamen diuinitatem quandam Christum profiteri, & regnum non quale Iudaei mentiebantur affirmare, & constanter fateri intelligebat: non ex his verbis innocentem eum esse, ut ex sequentibus constat, Pilatus comperit.

SS 2

Omnis,

Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

Prosequitur Dominus eandem sententiam. Veni, inquit, ut testimonium perhibeam veritati, ne autem existimes, o Pilate, me non dicere veritatem, sed falsam esse doctrinam meam, quia Iudæi mihi fidem non adhibent, scito me veritatem annuntiare, & vera esse, quæ prædico, & omnes eos, qui veritatem scire, & sequi quærunt, mihi fidem habere, & habituros esse: qui verò nõ habent, ex veritate non sunt, nec eam sequi volunt; proptereaque Iudæos mihi non credere. non quia ego vera non loquar, sed quia ipsi ex veritate nõ sunt. Similis est sententia Ioan. 3. Qui facit veritatem, venit ad lucem. & Rom. 2. Ijs autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Eos appellat ex veritate, qui desiderant, & studet recte agere, & secundum iustitiam, & veritatem operari. Iudæos hisce verbis malitiæ, & mendacij arguit, quasi diceret. Vide o Pilate, quos audias contra me, qui ex veritate non sunt. Ipsum etiam Pilatum, quantum ex se est, ad veritatem attrahit cognoscendam, & amplectendam: at nõ verbis multum expressis, ne se hæc dicere, vt à morte liberaretur, aliquis obijceret. Ad hoc verbum Christi forsitan alludit Ioseph. lib. 18. Antiqui. cap. 4. qui quamuis Iudæus sic scripsit. Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens, si tamen eum virum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt.

Dicit ei Pilatus; Quid est veritas?

NON assequens sensum verborum Christi plenè Pilatus, interrogat, Quid est veritas? id est, quid est ista veritas, quam tu venisti testari in mundo? Magna profectò, & summi momenti interrogatio, si facta fuisset ea deuotione, & affectu, & reuerentia, quibus verbum Domini suscipiendum, & audiendum, & quærendum erat; audisset utique & percepisset Pilatus, quid esset veritas hæc. at non multi ista faciebat, sed ea quæ huius mundi erant quærebat; & idcirco velut parui faciens dixit, Quid est veritas? sensus verus est nõ intelligo, quæ sit veritas hæc; at ne suam ignorantiam manifestaret, interrogando loquitur; ne verò interrogasse vt discere velle putaretur, responsum non expectat, nec audire meruit.

ANNOTATIO XXVII.

Pilate quare non expectato responso exierit. Vg. tract. 105. ea de causa Pilatum exiisse responso non expectato dicit, quia subito venit illi in mentem consuetudo dimittendi vnum vinctum, ideo liberare eum volens properauit. Chrysost. homil. 33. asserit exiisse continuò; quia responso aliud postulabat tempus, tunc autem volebat liberare eum. At visa est mihi causa legitima, quam assignaui in commentario: noluit enim expectare,

ne videretur discendi gratia interrogasse, quia dixerat per contemptum: Nunquid ego sum Iudæus? ita etiam velut paruifaciens protulit; Quæ est ista veritas? idcirco non expectauit, nec audire meruit responsum; quamuis autem contempserit regnum hoc, tamen verè innocentiam Christi, & falso, ac per inuidiam accusatum agnouit. propterea liberare eum quærebat.

Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Iudæos, & dicit eis;

Ego nullam inuenio in eo causam.

COMMENTARIUS.

NON expectata responsione suæ interrogationis, ad Iudæos extra prætorium egressus, innocentiam Christi manifestat: causam eum damnandi se nullam habere palam fatetur, quod falsæ accusationis eorum, & innocentie Christi efficacissimum est argumentum. nunquam enim Romanus præfectus, vt rectè Cyril. lib. 12. cap. 13. annotat, cupiditate tyrannidis aduersus Romanos accusatum, si quicquam signi daretur, dimitteret: vel minimæ enim suspensiones in his, quæ ad temporalia regna pertinent solent vindicari, tanta est ambitio, & cupiditas humana. Confirmant hæc verba præcedentè expositione, cum enim Christus confessus esset, se regem esse, cur causam non in-

non inuenit, nisi quia regnum hoc non contrarium Cæsari existimabat? si enim id credidisset, quamuis fidem verbis Christi non dedisset, damnaffet eum, quod se regem faceret.

Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis, in Pascha, vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?

CVM innocentia titulo eum liberati non posse Pilatus crederet, alia de causa eripere conatur; ac si diceret, Ego non inuenio in eo causam damnationis, sed tanquam innocens absoluendus venit; at si vobis placet hoc efficiam; consueuistis enim vnum reum vinctum in Paschate liberandum petere, dimittam ergo regem Iudæorum; & hac ratione innocentie ipsius simul, & honori vestro consulatur: nam ex vna parte liberabitur, ex altera verò reus, & malefactor declarabitur, qui indulgentia, & gratia propter festi celebritatem absoluitur. Attende autem maxime quod, Regem Iudæorum, appellat, vt eos permoueat ad liberationem; quasi dedecus illis sit magnum, si is qui eorum rex est, cruci fiat, in ipsorumque honorem cedat eius liberatio, simul etiam ostendat se paruifacere accusationem eorum, censens regnum hoc non esse contra Cæsarem, vt ipsi calumniati erant. Hæc verba Pilatus nõ turbæ, sed Principibus, & accusantibus illis Pontificibus dixit.

ANNOTATIO XXVIII.

Reuerentior sententia reuocatur.

Aliqui nostri seculi auctores existimant hæc verba esse eadem cum ijs, quæ cæteri Evangelistæ describunt, quando Pilatus dixit, Vultis dimittam vobis; & ideo affirmant hæc, quæ Ioannes refert, nõ esse coniuncta superioribus, sed multa intercessisse, quæ alij narrant. hoc autem dictum esse à Pilato affirmat, postquam ab Herode remissus est Christus: at re vera non videtur id esse legitime dictum: hæc enim verba protulit Pilatus, sicut Ioannes refert, quando egressus ad Iudæos dixit: Non inuenio causam in eo, & ita Cyril. Aug. & Chry. exponunt, & contextus id significare videtur; immò ratio etiam confirmat. In primis quod cæteri tres Evangelistæ narrant, dictum est turbæ; at hoc pontificibus, & accusatoribus Principibus, qui eum tradiderant: præterea cæteri scribunt, (vt patet ex Mar. 15.) turbam accessisse, & rogasse, vt vnum dimitteret, Pilatum autem respondisse, vtrum vellēt dimitti; at quod Ioannes dicit, ab ipso est Pilato profectum. Est, inquit, vobis consuetudo vt vnum dimittam vobis. hoc verbum accommodari non potest illis, quæ dicta turbæ referunt Evangelistæ. Certissime ergo tenendum est hoc, quod nunc Ioannes narrat, à cæteris Evangelistis non esse narratum. Postea verò turba ad Pilatum accessit, quando iam remissus fuit Dominus ab Herode, vt ab eo peteret vnum dimitti, cui Pontifices per-

suaserat, vt Barabbam peteret; quia iam sciebant & audierant ipsi Pilatum desiderio Christum dimittendi teneri.

Alter auct difficultas in his occurrit verbis, quæ nepe sit consuetudo hæc dimittendi vnum tēpore Paschatis. Orig. trac. 35. in Matt. à Pilato, & Romanis initium habuisse censet, qui Iudæis recens subiectis gratificari in hoc voluerūt, vt tempore Paschatis vnum ex vinctis quemcumque petijissent, liberarent. nec alienam à moribus Iudæorum fuisse dicit; nã & Ionathas à populo liberatus est. Reg. 14. non autem Orig. asserit hinc habuisse originem, & initium, vt aliqui non rectè intellexerunt; sed hanc consuetudinem non esse alienam ab ipsorum Iudæorum moribus, vt ex hoc factio Ionathas deducitur. Cyril. lib. 12. c. 13. antiquam censet consuetudinem sumptam ex scripturæ testimonio: & quamuis hoc testimonium scripturæ non videatur multum ad rem facere, tamen sententia Cyrilli mihi placet, antiquam fuisse consuetudinem apud Iudæos, etiam ante Romanorum subiectionem, vt in memoriam liberationis ab Aegypto, vnum vinctum Paschatis tempore liberarent. quam Romani, vt eos in pace regerent, conseruare voluerunt: quod indicare videtur illa vox, Est consuetudo vobis, siue hoc ergo, siue illo sit modo, consuetudo hæc erat illo tempore.

Regem Iudæorum quare hoc loco Pilatum cum appellauerit.

Que fuerit consuetudo vinctum abmittendi.

Clamauerunt rursus omnes dicentes; non hunc, sed Barabbam: erat autem Barabbas latro.

COMMENTARIUS.

CLAMANT Pontifices, & Iudæorum primi Christum renuentes, & Barabbam præponetes, qui latro erat, seditiosus, & homicida, vt refert Lu. 23. in quo iniquitas, & impietas Iudæorum apparet manifestò. clamasse rursus Evangelista dicit; nam prius clamauerant, quando Pilatus dixerat; Accipite eum vos; & secundum legem vestram iudicate eum: vt superius dictum est.

A N N O T A T I O XXIX.

Barrabae significatio.

BArabbas filius patris interpretatur, ut dicit Ambrosius. Luc. 23. & recte conuenit: Diabolus enim eorum patrem Christus dixerat, hic autem eiusdem patris filius frater eorum erat, talis filius, qualis pater, & fratres. Hiero. Matt. 27. exponit filium magistri, nempe eorum: vtraque est conueniens interpretatio, sed si priorem sequamur, tunc cum vnus & simplici b legendum est; at si posteriorem, cum duplici r & simplici b, ut prima longa, secunda sit breuis: parui momenti res hæc est, tamen ad nominis significationem necessaria. Attende post hæc, quæ narrata sunt, multa facta intercessisse, quæ prætermittenda sunt à Ioanne, sed à Luca releta: nam post hæc verba coeperunt iterum clamare, ut refert Luc. 23. Inualefcebant enim dicentes; Commouet popu-

Alum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. quibus verbis significabant nulla ratione expedire dimitti, tanquam hominem seditiosum, & populi perturbatorem, & communis pacis, & quietis aduersarium. Inualefcebant, id est, maioribus clamoribus inuehebantur, quam prius. ne Pilatus quod proposuerat, & velle significauerat, executione compleret: quod enim rationibus non poterant; quia nullam habebant, clamoribus extorquere tentabant: Audiens autem Pilatus Galilæam, interrogauit, si Galilæus esset, & tunc misit eum ad Herodem; quam historiam refert Lucas postquam autem remissus est ab Herode ab Pilatum, facta sunt, quæ Ioannes narrat sequenti capite.

C A P V T D E C I M V M
N O N V M.

IUNC ergo apprehendit Pilatus IESVM & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdæerunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: *Aue Rex iudæorum.* Et dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, & dicit eis, *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam inuenio causam.* Exiit ergo Iesus foras, portans spineam coronam & purpureum vestimentum. Et dicit eis, *Ecce homo.* Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri clamabant dicentes; *Crucifige, crucifige eum.* Dicit eis Pilatus, *Accipite eum vos, & crucifigite.* Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei iudæi. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad IESVM: *Vnde es tu?* IESVS autem responsum non dedit ei: Dicit ergo ei Pilatus, *Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te: & potestatem habeo dimittere te?* Respondit IESVS, *Non haberes potestatem aduersum me: nisi tibi datum esset de super.* Propterea qui me tradidit tibi, maior peccatum habet. Deinde querebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes, *Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris.* Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cesari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adducit foras Iesum: & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbata. Erat autem parasceue Pasche: hora quasi sexta: & dicit iudæis, *Ecce rex vester.* Illi autem clamabant, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Dicit eis Pilatus, *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt pontifices, *Non habemus regem, nisi Cesarem.* Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum. Et bauians sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Caluaria locum, Hebraicè autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem

autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: *IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.* Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè Græcè & Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: *Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum.* Respondit Pilatus: *Quod scripsi, scripsi.* Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis de super contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem, *Non scindamus eam, sed fortiamur de illa cuius sit.* ut scriptura impleretur dicens, *Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem.* Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem IESVS, mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophae, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo IESVS matrem, discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ, *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dicit discipulo: *Ecce mater tua:* Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam: Postea sciens IESVS, quia omnia iam consummata sunt, ut consummaretur scriptura dicit, *Sitio.* Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset IESVS acetum, dixit; *Consummatum est:* Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbatho (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad IESVM autem cum venissent, ut viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: *Os non comminuetis ex eo.* Et iterum alia scriptura dicit, *Videbunt in quem transfixerunt.* Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eod quod esset discipulus IESVS, occultus autem propter metum Iudæorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus: Venit ergo & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus: qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens misturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus, Iesu & ligauerunt illud linteis cum aromatibus sicut mos est iudæis sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceue Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

COMMENTARIUS.

R emissio Domino ad Pilatū ab Herode, factum est, quod Matth. 27. nar- rat dicens, & Iesus sterit ante Præsidentem, & cum accusaretur à Principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respōdit; tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad vllum verbū, ita vt miraretur Præsens vehementer. post hæc adiunxit Luc. cap. 23. Cōuocatis principibus Sacerdotū, & Magistratibus, & plebe dixit ad illos Pilatus; Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inuenio in homine isto ex ijs, in quibus eum accusatis, sed neque Herodes; nam remisit vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est illi, emendatum ergo dimittam illum. post hæc proposuit plebi petens, & rogans, vtrum vellet eum dimiti, cum autem inec sic liberare eum posset, decreuit flagellare, si fortè hac pœna accusatores pacarentur, & hoc est, q̄ Ioannes dicit, illa aut particula, ergo, indicat causam flagellationis; nēpe cū nollet plebs dimitti Iesū, sed Barabbā, & ex altera parte dignum morte nihil est in eo inuentum propter tumultum populi, & clamores Principum pœnam hāc elegit, vt & suæ consciētiae innocentiam Christi dictandi, & illorum furori aliqua ex parte satisfaceret. tunc impletū est illud Psal. 34. Congregata sunt super me flagella, & ignorauit; id est, innocens, & sine culpa fui, nec quæ mihi imponebatur, commiseram. & illud Isa. 50. Dedi corpus meum percutientibus. cætera in annotat. explicantur.

ANNOTATIO I.

Flagellis qui videbantur. A Liqua sūnt in hac parte annotanda. Vnum est, non esse eandem pœnam flagellari, & virgis, seu fustibus cædi; hæc enim leuior erat, & cum minori fiebat iniuria, illa verò grauior, & turpior: hac liberi, illa serui castigabantur. vnde Marcellus inquit, L. In seruorum ff. de pœnis. ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi, & domino reddi iubetur. Est autem flagellum, quo aurigæ vtuntur; quod excussum clarū reddit sonum, idemque significat quod Iorum, hoc discrimen indicat Paulus 2. Cor. 11. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accipi, ter virgis cæsus sum. Romanos ciues Portia lex ab hac liberauit pœna, vt inquit Cicero, vnde Actor. 22. dicebat Paulus; Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare: qui autem vltimo supplicio damnantur, quia serui efficiebantur, & ciuitatem, ac libertatem amittebant, tanquam serui verberabantur: Christus ergo Dominus, tanquam seruus flagellis cæsus est, per quam pœnam, & magno affectus dedecore, & grauius vulneratus est.

A determinatè fuerit, nec scriptura, nec antiqui Patres tradiderunt. Tertio annotandum est in causa flagellationis non esse antiquos Patres conformes. Hier. Matth. 27. ea de causa flagellatum Christum dicit, quia Romanorum legibus sancitum erat, vt crucifigendus prius flagellis verberaretur. verba autem Matthæi id indicare videntur; Inquit enim; Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur: quasi ea de causa flagellatus esset, vt crucifigeretur. Atq; verò tract. 106. aliam causam assignat. Hoc, inquit, Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi vt eius iniurijs Iudæi satiati, sufficere sibi existimarent, & vsque ad eius mortem se uide desisterent. Contentiunt huic sententiæ Cyril. lib. 12. cap. 15. & Chrysost. homil. 83. & 10. vera Euangelicus textus id probat: habetur enim Luc 23. dixisse: Corripiam eum, & dimittam. Flagellatio igitur facta est, vt hac pœna inflicta, à morte seruaretur. Ioannes etiam noster postquam flagellatum fuisse refert, narrat Pilatum liberare eum voluisse. Aliqui recentiorum hoc argumento moti, duas affirmant flagellationes, bisque Christum flagellis cæsum asserunt, semel ad correptionem, quod Luc. narrat. iterū ad crucifixionē, quod refert Mat. sed opinio hæc præter eius nouitatem, (nemo enim antiquorum Patrum, qui rem diligentissimè, & deuotissimè considerarunt, tale quid asseruit, nec proposuit) etiam contextui accommodari non potest, & est argumentum efficax: quam enim flagellationem Matth. narrat, vt ipsi auctores huius opinionis affirmant, ea est, quæ vltimo est facta ad crucifigendum;

Car. christi Dominus sit flagellatum.

Christum semel dicitur flagellatum.

Alterū est, flagellationē cōmunem fuisse, & Iudæis, & Romanis, quia eo pœnæ genere vtrique utebantur, tamen apud Iudæos leuior, ac mitior erat flagellatio: nā præceperat Dominus Deut. 25. ne numerus plagarum quadragenarium numerum excederet; at apud Romanos grauior erat, & seuerior, nec erat numerus certus. Dominus ergo noster non Iudæico more, sed Romano flagellatus est, cuius plagarum, & verberum numerus, quadragenarium longissimè superauit: quantus autem

gendum; at hæc est eadem cum ea, quam narrat Ioann. quod eo probatur, quod Matthæus tunc coronatum spinis, & veste purpurea circumdatum dicit, & id ipsum Ioannes refert: constat autem hanc Ioannis non esse factam ad crucifigendum; nam vt ex Ioanne habetur, coronatum spinis, & vestitum chlamyde, Pilatus populo Christum ostendit post flagellationem, & voluit eum liberare, multumque recusauit crucifigere. igitur non est facta crucifixionis causa flagellatio, cuius meminit Matth. vt breuius verbis hoc sit argumentū. Matthæus & Ioannes eandem describunt flagellationem, vt ex circumstantijs constat; at quam Ioann. narrat, non fuit ad mortem, sed vt liberaret eum; igitur illa Matthæi eodem fine, & causa facta est: Matthæus autem per anticipationem quandam crucifixionis fecit mentionem, quod certissimo argumento constat; nam refert tunc coronatum, & chlamyde vestitum; cum tamen habeamus ex Ioanne,

A hoc factum esse ante latam mortis sententiam; immo cum eum corona, & chlamyde indutū populo ostenderet, dixisse Pilatum; Ecce homo, & eum liberare voluisse. Ad legem autem illam Romanorū respondendum est, iam esse flagellatum Christum, nec opus erat, vt ea intentione, & causa iterum flagellaretur: quia flagellatio fiebat ante crucem, vt per eam homo velut à corpore ciuium tanquam seruus separaretur tanto dedecore affectus; id autem iam flagellatio ista effecerat, & forsitan Pilatus ea pœna eum affectus, vt liberare posset, si populus placaretur; sin minus, ad crucifigendum disponderet. Adde non esse certum, an ista flagellatio, quæ à Romanis inferebatur ante crucem, fieret cum externis præter Romanos; nā & latrones, qui crucifixi sunt cum Domino, flagellatos non legimus. Multo igitur probabilius est, Christum semel flagellatum esse; nec contraria opinio solido nititur fundamento.

Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum.

COMMENTARIUS.

P ost flagellationem milites hæc fecerunt illudentes Domino, quasi regnum affectanti; idcirco per irrisionem regū insignia finxerunt; coronam ex spinis contextam capiti eius imponentes, & purpura induentes. hæc enim de causa hæc milites fecisse docent Athana. sermo. de cruce, & passi. & Cyril. lib. 12. cap. 15. regno enim eius illudebant: vnde pro regio diademate coronam spineam imposuerunt, & pro regali purpura vestem illam. Matth. addit: Et arundinem in dextera eius, quæ erat loco sceptri, vt ibi Hieronym. interpretatur.

ANNOTATIO II.

De corona & veste purpurea.

CORONA erat ex iuncis marinis, qui duriores sunt terrestribus, confecta; quorum spinæ longæ, & acutissimæ sunt, vt experientia ipsa docet. spinarum numerum determinatum, nec scriptura, nec antiqui Patres expresserunt: hoc certum est, ex multis fuisse iuncis contextam, spinisque circum circa abundasse. quantum autem ad vestem attinet Matth. chlamydem esse vestem hanc declarauit, quod genus est vestis militaris, qua Imperatores utebantur super arma: vestem enim alicuius militis Romani attritam, & vsui iam ineptam fuisse probabile est. Addit Matth. coccineam fuisse, at Ioan. purpuream affirmat, ob quam causam Ambr. Luc. 23. duas vestes esse existimauit, tunicam nempe purpuream, & desuper chlamidem coccineam; in illa martyrum palmas, in hac regia potestatis insignia significari dicens; tamen Adhans. ferm. de passione & cruce, vtrumque nomen eandem rem, & vestem significare putat, & est communis Doctorum opinio. Attendendum est autem; purpuram propriè piscem esse ex genere concharum liquorem habentem in faucibus; tingentis lanis maxime aptum, de quo Plinius lib. 9. cap. 36. meminit: vestis autem hoc tincta liquore purpura dicitur, regum vestimentum, & ornamentum.

Est etiam alius piscis de eodem concharum genere dictus murex, cuius Plinius etiam meminit lib. 9. cap. 35. cuius humore etiam vestes tingebantur, coloris simillimi purpuræ, vnde aliquando pro purpura vsurpatur. est etiam granum fruticis dictum coccus, cuius meminit Plin. l. 21. c. 8. quo tinguntur etiam vestes, & simile habent colorem purpuræ, & purpureæ; dicuntur propter similitudinem coloris. hoc granum in Hispania, & in Gallia nascitur, inde vestes coccineæ dicuntur: solentque bis tinctæ colorem habere perfectum, & maxime similem purpureo, & hæc sunt in vsu nostris temporibus: rara enim est purpura humore conchilium tincta. Aliqui existimant Hebræis in vsu fuisse, vestes tingere vermicali humore dicti (T) Tola, de quo Isa. 1. Si fuerint inquit, sicut vermicalus; at incertum hoc est, quamuis probabile existimo potius non differre à cocco ipso: nam semper ferè inuenitur cum voce (T) Tolehi, quod puto significare colorem. + ipsum, qui efficitur ex cocco, quasi bis tincta sit lana cocco, tolaa autem ipsummet coccum. Aliqui vermem ex cocco nasci, & eum dici tolaa putant. sed hæc ad alium locum pertinent; satis nobis nunc sit, coccineam vestem propter coloris maxime

mam similitudinem dici purpuream, quavis propriè purpura, & cocci sidem non sint. Milites ergo regnum Christi irridentes, & quod se regem faceret contumelia accommodata afficientes, talibus insignibus regijs Christum dedecorant. An autem id iussu Pilati factum fuerit incertum est; ipso tamen per-

A mittete id milites fecisse nemo dubitat. Chry. soft hom. 83. Pilatum negat præcepisse, sed milites in Iudæorum gratiam ea fecisse affirmat, Aug. tract. 106. Aut permisit, inquit, facere, aut iussit. Hæc dicta sint quantum ad litteram, quæ enim ad significationem spectant, paulò inferius exponemus.

Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Iudæorum.

COM MENTARIUS.

Non solo facto, sed verbo illudunt Christo domino, tanquam regem eum salutantes, *Ave Rex Iudæorum*. Matth. eos genu flexo salutasse expressit. Veniebant, inquit, ad eum, modò enim hic, modò ille accedebat: fingebant se diuersis de causis, & propter varia negotia tanquam ad regem venire, ipsi quoque sic deridentes alloquebantur.

Et dabant ei alapas.

Verbo salutabant tanquam Regem, sed tanquam seruum, & vilissimum hominem alapis cædebant. Matth. 27. addit adhuc in faciem eius conspuisse, & arundine, quæ erat in eius dextera accepta, caput ipsius spinea corona circumdarum percussisse, quo factum est, ut spinæ capiti infigerentur. Sic milites gentiles regnū Christi derident, cuius prophetiam iam Iudæi similibus verbis & factis contempserat. velata enim eius facie alapis & colaphis eum percusserant, dicentes, prophetiza, quis te percussit. hoc apud Caipham à Iudæis, illud apud Pilatum à gentibus effectum est. Sed magnum profectò mysterium significabatur; Iudæus enim, & gentilis Christo illudunt, eumque cædunt, sed Iudæus velata facie, gentilis aperta, ut in velamine eorum futura cæcitas vsque ad vltimum tempus signaretur, aperta autem facies gentium conuersionem & illustrem fidem indicaret; grauior enim multo culpa Iudæorum, quam gentium in his, quæ in Christum patrata sunt scelera, extitit; grauiori quoque illi pæna digni fuerunt.

ANNOTATIO III.

Spinea corona, vestis coccinea & arundo explicantur.

Non temere, nec casu, hæc Christum voluisse pati credendum est. quamuis enim à dæmone, & ministris eius ex summa iniustitia, & odio in eum fierent; tamen diuina prouidentia maxima in eis mysteria operabatur, ut rectè Hiero. Matth. 27. annotat: malitia enim cæca est, ut ad hoc idem propositum docet Athanasius in sermo. de pass. & cruce. nesciens enim quid dæmō faceret, seipsum destruebat. est enim magna potentia, & prudentia Dei, qui dæmonis operibus contra eundem vititur, ut etiam docuit Ambrosius lib. 1. de penitentia cap. 13. Ut autem aliqua ex parte hæc explicemus, aduertendum est, quæ isti Iudæi instigante Diabolo per irrisionem Christo fecerunt, nempe coronam spineam capiti imponere, veste coccinea induere, calicum, seu arundinem dexterae eius tradere, diuina prouidentia permittit quidem esse, sed ordinata, & relata in significationem, satisfactionem, meritum, & eruditionem; quæ quatuor breuiter sunt exponenda. In primis quid hæc tria significauerint, Doctores catholici multifariam explicant, verè quidem, doctè, & piè, tamen non est in animo ea omnia in medium proponere; esset enim ab instituto nostro nimium digredi: vnum ex Athana. loco proximo citato referam, nempe Christum

Dominum omnium nostrum peccata in se suscepisse, ut æterno Patri satisfaceret, & solueret redemptionis pretium; factus est enim pro nobis omnium debitor peccatorum: nec his contentus, etiam nostras sollicitudines, ærumnas, afflictiones, quæ ex peccato nobis in pænam inflictæ sunt, in se transtulit; ut à pænis his nos liberaret, ut iam non nobis pæna, sed exercitium, & virtutis occasio, ac materia essent. Doctrina est ista Isaia 53. Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum. ecce primum; adiunxit: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. ecce secundum. Rursus vt oronque causa Diabolus extitit: ipse enim serpentis formam assumens, peccati fuit causa, & per eum peccatum introiuit in mundum, & propter peccatum cætera mala subsecuta sunt. Christus igitur vtraque suscepit delenda, & destruenda, & adhuc de serpente ipso, qui omnium fuit causa malorum, victoriam, & trophæum reportauit: mundi enim principem ipse iudicaturus, & vt fortior dux eum debellaturus & spoliaturus venit. Hoc magnum mysterium significatum est in hoc facto, quod à militibus instigante Diabolo, & procurantibus Iudæis, & consentiente Pilato, per execrandam iniquitatem patratum est. per mala enim

nim, etiam bona bonorum auctor significauit, & ex malo bonum virtute sua elicit. Nā corona spinea capiti imposita, sollicitudines, & ærumnas, & labores nostros à Christo esse susceptos significabat: chlamys illa sanguis habens colorem, peccata hominum nomine sanguinis in scriptura significata, representabat, quæ super suos humeros, & super carnem suam puniendam transtulit. Arundo in manu dextera serpentem occidendum, nempe imperium dæmonis destruendum, indicabat; vt enim Athanasius & Hieronymus etiam Matth. 27. & experientia docent, arundinis ictu serpentes venenati occiduntur. in significationem igitur tanti mysterij diuina prouidentia hæc ordinauit.

Quæ satisfactio ex ipso nobis sit conseruata.

Qantum autem ad satisfactionem attendere est considerandum, singula opera, & actus Christi propter vnionem humanitatis ad Verbum tanti fuisse meriti, & valoris apud Deum, vt quilibet actus fuerit sufficientissimum pretium redemptionis omnium hominum. Vna igitur oratio, vnum ieiunium, vna peregrinatio, vnus actus charitatis, & denique singula opera virtutum, iustum erant pretium, & meritum, quo nos liberaret; at non eo solo diuina, & ineffabilis bonitas fuit contenta, sed vt amoris erga nos magnitudinem ostenderet, voluit filium suum vnigenitum hominè factum, non vno, aut altero opere satisfacere; sed pluribus, & arduis ac difficillimis, quæ tota tempore vitæ huius, & maxime in vltimo passus est; quod multo ante Dauid Psal. 130. præuidens dixit: Copiosa apud eum redemptio. Huius causæ omnes enarrare non est præsentis instituti, vnam tamen dissimulare non possumus, quæ ad rem nostram facit, nempe: quia multa & varia, ac multiplicia suscepit in se soluenda peccata hominum, ideo multiplicem etiam pati poenam voluit: hac de causa factum est, vt passio Christi tam vniuersalis esset: nam in omnibus, in quibus peccant homines, in his Christus patiens satisfecit: peccant rebus exterioribus homines; peccant honore, peccant fama, peccant voluptatibus, peccant corpore, peccant anima. Christus igitur in his omnibus patitur: nam omnibus suis spoliatus est etiam vestimentis; rursus contra honorem contumelias, & sputa sustinuit; pro insipiente etiam, seductore, & iniquo, contra famam reputatus est; inexplicabiles dolores est passus contra voluptates: in anima autem tristitia, & mœrores, ac timores; in corpora verò mortem, & passionem perpeti dignatus est, vt nullum genus peccatorum in Christo maneret inultum. Corona igitur hæc, & insignia regia per ludibrium imposita ad satisfactionem accipiebantur ab eo pro superbis, & ambitiosis, qui mundi dignitatibus, & honoribus allecti, diuina præcepta neglexerant, & neglecturi in posterum erant: nā in hoc facto in honore, & fama præcipuè pas-

A sus est Christus, dum tractatur à militibus, tanquam qui regnum iniquè ambiens; turpissimis idcirco afficitur contumelijs.

Qantum autem ad meritum iterum aduertendum est, Christi opera non solum fuisse satisfactoria, nimirum quia pro peccatis nostris satisfecit, & ab eis nos debito nostro soluto liberauit; sed simul eadem fuerunt meritoria: non enim solum à malo eripuit, sed etiam bonum acquisiuit: nec tantum ne periremus, sed etiam vt vitam æternam haberemus, effecit: porro fuit abundans, & copiosum meritum sicut & satisfactio: multis enim modis, & operibus meruit nobis vitam, & gratiam, quæ vno opere potuit quantum ad sufficientiam mereri. inter ea igitur, quæ à Patre nobis suo merito consecutus est, id fuit, vt Reges essemus, non in regno temporali, & caduco, sed æterno, & spirituali, ac cælesti: regnant enim sancti & iusti in coelis perfectè, quamuis & in terris participetur regnum hoc, de qua dignitate regia locutus est Petrus 1. Epist. cap. 2. Vos, inquit, estis gens electa, regale sacerdotium, gens sancta. hanc dignitatem petimus quotidie orantes. Adueniat regnum tuum. voluit igitur Dominus hoc nobis regnū mereri præter cætera merita sufficientissima, etiam hoc regno ludicro, & derisorio: efficitur illi: rex ridiculus, qui verus erat Rex regum, & dominus dominantium, vt nos non ludicri, & derisorij, sed veri reges maiori perfectiori, diuurniori regno, quam cuncti reges mundani efficeremur: pro coronaque regali, & victoria, de qua prædictum est, Psal. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, ipse coronam portat spineam; & pro veste illa, de qua dictum est Isa. 61. Induit me vestimentis salutis. & 1. Cor. 15. Oportet induere hoc immortalitatem; ipse indatus est vili chlamyde, & pro palmis victoriae, & triumphis, de quibus dicitur Apocalyp. 7. Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum; ipse calicum, & arundinem vacuam accepit in manu.

Quæ Christi nobis sua ignominia promeruit

Qantum autem ad eruditionem, multa docemur in hoc Christi facto: sed vnum illud est, scilicet ad regnum cælestem, quod nobis promeruit, deneniendum esse per tribulationes, iniurias, contumelias, quas sustinere pro Christo, quando opus fuerit, paratos esse oportet: si enim qui verus est Rex, talia passus est pro subditis iniquis, qui subditi sumus, & non solum ex nobis ipsis reges non sumus, sed carcere potius quam regno æterno digni, qualia nos pati oportet, vt cum ipso vero rege regnemus? Multa spiritalia apud Doctores considerata, & annotata circa hæc inuenies, pro præsentis tamen loci maiore explicatione hæc dicta sunt satis.

Quid ex Christi derisione discendum.

Exiit

Exiit iterum Pilatus, & dicit eis, ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis, quia in eo nullam inuenio causam.

C O M M E N T A R I V S.

Pilatus prætoriū iterū egreditur. vt Iesum Iudæis ostēdat; & adhuc eo præsentē se causam non inuenire, nec habere eum damnandi, publicè protestatur. quo facto in seipsum sententiam fert, qui in innocētem tam crudeliter sauerit. Est autem verborū sensus talis; Ecce ego adduco foras extra prætorium, vt significem me non inuenire causam damnandi eum; si causam inuenissem, nō erat cur vobis ego eum foras adducerem, sed in prætorio sententiam mortis tulissem: ille enim locus est ferendæ sententiæ; ad eū foras adduco, quia sententiam ferre in eum non possum, nulla inuēta damnationis causa. Attende fuisse atrium, in quo flagellatus est Christus, ante prætorium, quo non intrauerant Iudæi. post flagellationem autem iterum in prætorium, vbi manebat Pilatus, est introductus Christus, & inde foras à Pilato educus.

Exiit ergo Iesus foras portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dicit eis, Ecce homo.

Sperabat Pilatus vultu, & præsentia Christi vel immanibus tigribus miserabili Iudæos posse placari, vt dicit Cyri. li. 12. cap. 16. quo facto quanta Christus fuerit passus, facile deduci potest: cum enim sciret Pilatus; Iudæos summa inuidia, & odio contra Christum agitados, & efferatos esse; profectò animos eorum placatum iri nunquā sperasset, nisi Christum talem vidisset, vt solo intuitu in eum vel adamantina corda possent emolliri. cum autem tormentorum vi; & vestimētorum commutatione agnitum iri dubitaret, verbo, & digito ostendit eis. *Ecce, inquit, homo*, iam non rex Iudæorum, ne forte animi eorum accensū voce hac inflamarentur. Deum autem ostenditur Christus à Pilato inimicis horrendum spectaculum, ipsemet Christus tunc se Patri ostendit, acceptissimum sacrificium pro eodem Pilato, ipsis etiam inimicis, ac omnibus hominibus. Meritò, *Ecce homo*, dicitur, qui solus potuit hominem liberare.

Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant dicentes, Crucifige, crucifige eum.

Deceptus est Pilatus opinione sua, nesciebat illos diabolico spiritu agitados, tales esse qualis is est, qui eos excitabat. est autem Diabolus implacabilis, & nulla miseratione commouetur, nec hominū desolatione exsatiatur. Vt igitur Christo, sicut ignis iniecto oleo exardescit, ita inflammati isti sunt: quod Ioannes in illa particula indicauit, *Cum ergo vidissent*, quasi diceret, quia videntur, in maiorem furorem prouocati sunt, velut feri canes, qui solo visu adlatrant, instanter, & ardentem crucifigi petentes. Bis autem dicunt, *Crucifige, crucifige eum*, repetitio enim animi ardorem, & furorem significat. Erant autem hi Pontifices, & eorum ministri: hi enim callidè, vt annotat Cyril. li. 12. cap. 17. ne populi multitudo his factis suberubesceret, recordata forsan miraculorum illius, aut tam miserabili aspectu commota, priores exclamant, vulgusque incendunt, vt impleretur verè, quod dixit Hier. cap. 10. Quia pastores stultè egerunt, & dominum non exquisierunt, propterea non intellexit vniuersus grex, & dissipati sunt: quoniam enim plebs à principibus, vt oportebat, ad cognoscendum Christum non solum non fuit deducta, sed ad cædem eius inflammata: propterea lapsa in baratrum perijt.

Dicit

Dicit eis Pilatus, accipite eum vos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam.

Indignatis vox est, vt Chrysof. hom. 83. dicit: succenset enim Pilatus eorū pertinaciæ, qua innocentem hominem morte crucis puniri cuperent, nec tanta sint poena iam inflicta contenti. Sunt etiam simul verba populi tumultum timentis, furoremque cohibere volentis, vt idem Chrysof. asserit: videbat enim eos audissimos necis Christi, nec audens omnino negare quod petebant, dicit, *Accipite vos & crucifigite, ego enim non inuenio causam*, non quod consenserit, vt crucifigerent, sed perinde est, ac si diceret; si lex apud vos est, quæ infantes summo supplicio excruciet, vos soli hoc facite; ego vobis non consensero. Rectè animaduertit Cyrill. lib. 12. cap. 18. dicens: Mirabitur quisquam rursus Iudæorum impudentiam, qui nec alienigenæ quidem viri iustitia erubescant, nec recordantur legis dicentis Malach. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius. hæc Cyrill. Gentilis ergo idololatra horret damnare innocentem, quem veri Dei professores crucifigi instantissimè petunt.

Responderunt ei Iudæi, nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

Cum accusatio affectati regni euauisset, & à Pilato innocentem declaratum esse viderunt, nouum coguntur pessimi Iudæi excogitare crimen blasphemix, quod cum homo sit, se esse Dei filium dixerit. lex est Leui. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus obruat eum omnis multitudo populi. Sensus ergo est, ô Pilate, ne nos rem iniquam à te petere arbitreris; legem nos habemus; morte puniētem blasphemos, hic autem blasphemus est in Deum: cum enim homo sit, sicut cæteri homines qualem vides, se esse filium Dei asseruit, & prædicauit. Non exprimunt legis pœnam, quia non lapidari, sed crucifigi eum cupiebant. Latet dæmoniacæ calumnia, verum enim erat, se filium Dei prædicasse, sed tamen Christus miris operibus, & diuinitatis virtutibus, propheticisq; testimonijs id confirmauerat: at isti gētili, & rerū diuinarum ignaro, rem ipsam nudè & ieiunè, omissis testimonijs, & argumentis, proponunt; vt rerū esse diuinæ læsæ maiestatis Christū, qui verus erat Dei filius, Pilato persuadeant; quod apud piscinā paralytico sanato Dominus dixit, & aliàs etiam repetierat, nunc apponunt.

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, & ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu?

Fellit eos opinio, & astutia sua; sperarunt Pilatum noua calūnia, vt Christum crucifigeret permotum iri, ipse verò eo ipso magis damnando retrahitur, & quem innocentia Christi prius à damnationis sententia ferenda retardabat, nunc diuinitatis origo asserita deterret; quodque perpetrare antea timebat propter iniustitiam, nunc horrere incipit propter impietatem. vt enim doctè annotat Cyril. lib. 12. cap. 20. Pilatus multitudinē deorum gentiū affuefactus, facile fieri posse Christum, quamuis hominem, Dei alicuius filium esse suspicatus est. Iterum ergo prætorium cum Christo ingressus, ipsum secretò interrogat: *Vnde es tu?* id est, quæ origo est tua? vnde es natus? quibus es progenitus parentibus? Accessit huic confirmandæ opinioni seu suspitioni Pilati, præter verba Iudæorum, verbū ipsum paulò ante prolatū à Christo se regem esse, non tamen de hoc mundo esse regnū eius, & natum esse, ac venisse in mundum, vt testimonium perhiberet veritati. Hoc Pilati factum Iudæorum damnat tarditatem, & signitiem inexcusabilem: vno enim verbo

T T

audito

audito, veritatem inquirat, & verum scire desiderat, ne quid ignoranter, aut imprudenter contra Deum committat; Iudæi verò tot verbis auditis; tantis miraculis factis; tam multis propheticis testimonijs clamantibus; audire & intelligere spreuerunt: nec his contenti, verum Dei filium crucifigeret totis viribus conati sunt.

Iesus autem responsum non dedit ei.

*Cur Pilato
Christum non
responderit.*

Interroganti Pilato, respõsum negat Dominus, qui nõ à morte eripi quærebat, sed eam pro salute nostra libentissimè patiebatur. Certum est indignum fuisse Pilatum tãto responso, at quæ singularis causa fuerit, difficile est iudicare: duæ mihi præcipuæ extitisse videntur. Vna est, quia non vt humilis discipulus, sed tanquã superbus iudex interrogabat ea, quæ nõ nisi humilibus corde, & paruulis reuelantur: quod ex verbis sequentibus patet. Potestatem, inquit, habeo crucifigere te; diuina autem mysteria intelligere non ex potestate petendum erat, sed ex humilitate, & deuotione; ea igitur de causa non respondet Dominus. Altera est, quia non ex recto, & vero principio quærebat: idololatria enim & multorum, ac falsorum deorum cultor erat, & ex hac idolatria, ac errore quærebat scire, quis esset, nempe an filius alicuius deorum suorum. tam vana ergo & impia interrogatio responsionẽ veritatis non obtinuit. Hanc causam attigit Cyril. li. 12. cap. 20. addẽs aliam, quæ etiam est Chrysof. hom. 83. quia audiens prius veritatem; Regnum meum non est de hoc mundo, & omnis qui ex veritate est, audit vocem meam; spreuit, & respuit; nec hoc cõtentus furori Iudæorum iniquo obtemperauit: indignus igitur fuit responso veritatis. Quartam adfert eleganter Athanas. serm. de passione, & cruce: ne si respondisset, timiditate & formidine mortis inductus, id fecisse videretur.

Dicit ergo ei Pilatus, mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?

Superbè suam obijciẽs potestatem, & auctoritatem Pilatus, Dominum accusat quod ei negauerit responsum; quasi diceret; nescis quid facias, dum mihi respondere recusas: nam ego sum, qui possum te crucifigere, & liberare; tua ergo interest maximè respondere, vt ex responso tuo eripi & dimitti valeas: non sum ego quales Iudæi sunt, quibus si non responderis, nihil refert, quia in eorum potestate mors, & vita tua non sunt, sicut sunt in mea. Rectè Ambr. sermone 20. in Psal. 118. vers. 4. Pilatum iniustitiæ ex hisce verbis conuincit, Tua, inquit, Pilate, voce cõstringeris, tua damnaris sententia, pro potestate igitur non æquitate crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absoluiisti latronem, auctorem verò vitæ interfecisti. & paulo superius, Bonus, inquit, iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis: sed iuxta leges, & iura pronuntiat: scitis iuris obtemperat: non indulget propriæ volũtati: nihil paratum, & mediatum domo defert, sed sicut audit, ita & iudicat: & sicut se habet negotij natura, decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat. hæc Ambr.

Respondit Iesus non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset de super.

Superbiam, & arrogantiam Pilati reprimit Dominus, & inde suam innocentiam indicat, ac vnde sit insinuat: non enim diuina benignitas omnium priuauit responso, nõ, inquit, haberes potestatem, ac si diceret, ne hanc tibi arroges potestatem, quam in me habes: profectò enim nullam in me haberes, nisi de coelo tibi data esset, id est, nisi ita Deus disposuisset, & voluisset, vt me

*Merito Ambr.
ex ijs verbis
Pilati iniustiti-
am redarguit.*

tua subderem potestati. simul etiam nisi paterer, & consentirem à te & ab hominibus occidi, nihil in me facere posses: ego enim ex necessitate nulli hominum subditus sum, nullius subiaceo potestati, nemo mihi nocendi habet facultatem; sola diuina voluntate factum est, vt in tua sim potestate, & vt mihi nocentibus non resistam. Attende, hæc voluntaria subiectione significare se nullum habere crimen, propter quod humanæ subiaceat potestati iudicis; indicat etiam se de cælo esse, & filium esse Dei, qui voluntate Patris, & non necessitate, nõ ex peccato voluit hominibus subdi, & in potestate eorũ esse.

A N N O T A T I O I V.

*Potestas duo
significat.*

Potestatis nomen duas maximè habet significationes; Vna est, qua idẽ significat quod auctoritas, qualem habet superior in inferiores, vt Rex in subditos. Dominus in seruos, pater in filios, iudex in reos; de qua dicitur Luc. 22. Qui potestatem habent super eos. & Ioan. 2. In qua potestate hæc facis? Altera est, qua significat vim, seu virtutem faciendi aliquid; sic dicitur Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam. Matt. 9. Qui dedit potestatem talem hominibus. Mar. 6. Dedit illis potestatem spirituum immundorum. posteriorem habuit Diabolus in Christum. Hęc est, inquit, hora vestra, & potestas tenebrarum, habet etiam potestatem in iustos tentandi & persequendi eos, auctoritatem verò non habet. Pilato utraque data erat: nã & Præses erat, cui Dominus se iubeerat, & vim ac facultatem habebat Christum crucifigendi: at neutram habuisset Pilatus in Christum, nisi id datum esset de cælo: non quidem auctoritatem, quia Dei filius nemini subditus erat, nisi quia voluit; non etiam virtutem & vim, quia si noluisse Christus nullã creata virtus ei nocere potuisset. Pilatus ergo iactauerat potestatem auctoritatis suæ; at Christus & auctoritatem, & facultatem negat eum habere potuisse, nisi de cælo, vnde ipse veniebat, illi datum esset: propterea dicitur, *Non haberes potestatem in me vllam, modò auctoritatem habes, & facultatem, at nec hanc, nec illam haberes, nisi ex diuina dispositione, & ordinatione id factum esset.* Attende verbum; *Non haberes, inquit, potestatem in me quasi diceret, quantuscunq; sis præses, & alijs omnibus præsideas, & in eos auctoritatem habeas, nihil tibi esset potestatis in me, nisi singulari quadam diuina ordinatione id datum esset.* In hoc consistit sensus responsionis Christi; nam si in generali locutus esset, *Non haberes potestatem, nisi datum esset de super,* nihil in

A hoc significabatur, quod ad re faceret. Omnis enim potestas à Deo est. Rom. 13. at dum se solum excipit ab hac potestate, quam in omnes alios habebat, se distinctum ab alijs omnibus significat, & particularem diuinam ordinationem, & dispositionem indicat, suamque potentiam, & innocentiam maximè ostendit, quasi diceret; Vide, quis ego sim, tu enim nihil posses in me, nisi diuina dispositio Patris permisisset, quamuis præses esses.

Vnum tamen maximè dignum est consideratione; nempe quomodo data à Deo dicatur potestas hæc Pilato. Chrysof. hom. 83. permissionis esse verbum dicit, Aliter, inquit, si non esset permissio, sed concessio, non peccasset Pilatus: tamen responsio, & doctrina hæc exacta non videtur; aliud est enim potestas, aliud vsus potestatis, potestas omnis bona est, & à Deo est: vsus tamen proueniens ex hominis voluntate, non semper bonus, nec à Deo est, sed à propria hominis voluntate abutentè potestate, quod doctè annotauit Greg. lib. 2. Moral. cap. 6. & lib. 18. cap. 3. exponens illud Reg. 18. Spiritus Domini malus agitabat Saul. quomodo, inquit, Domini est, Si malus dicitur: respondet, Domini est, quia virtus, & potestas, quam habet, & exercet bona, & iusta est, tamen voluntas mala, quia malè vtitur ea. Ita etiam nunc dicendum est; potestas, & auctoritas Pilati à Deo erat data: voluntariè enim Christus se ei subdidit; tamen vsus fuit iniquus, non igitur illud, *Datum est,* permissionis est, sed concessionis respectu potestatis: permissionis autem, respectu vsus potestatis. Iusta igitur erat & à Deo Pilati potestas, & ita docuit Irenæus, lib. 4. cap. 34. illud *Desuper,* ad Deum referunt, non solus Chrysofom.

sed etiam Cyrillus lib. 12. cap. 22.
& Augustinus tractat. 116.

Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

C O M M E N T A R I V S.

M Agis hisce verbis suam innocentiam significat, & Iudæorum malitiã, & culpam ostendit; & sensus hic est; Tanto maius est peccatum tradentium me tibi, quanto tua potestas iustior est, & à Deo; quia dum potestati iustæ me tradiderunt, tanquam iniquum, sceleratum obtulerunt: quasi diceret; si me tradidissent alicui auctoritatẽ nõ habendĩ, vt mihi noceret, peccassent quidẽ, tamen minus, quia meam innocentiam nõ adeo violassent; at tradentes me habenti à Deo potestatem, me vt reum & malefactorẽ tradiderunt; & in hoc grauius est, & maius eorum peccatũ, quam si tantũ occidi me

Quomodo peccatum tradentium grauius dicatur.

procurassent; non autem tanquā reum, & sceleratum. Præterea etiam maius est eorum peccatum, quanto tu potentior es ad mihi nocendum; ac si etiam diceret; si me Iudæi tradidissent, non valenti me crucifigere peccassent, minus tamen, quia minus mihi nocuissent, at dum tradiderunt tibi talē aduersum potestatem habenti, eorum maius est etiam, grauiusque peccatum: tu quidē potestatem habes crucifigendi me, quamuis non ex te, sed desuper concessā; propterea qui tradidit me tibi, grauius peccauit: nam me tradidit potenti mihi nocere, & me crucifigere: qui enim alterum tradit potenti ad nocendū grauius peccat, quā qui tradit minus potenti. Hæc verba indicant iniuste eum traditum esse, & sine culpa vlla. rursus ostendunt Iudæorum illorū impiam voluntatem: nam tradiderant Pilato, quia potestatem habebat crucifigendi, quam ipsi non habebant, & tradiderunt iuste potestati tāquam reum, & malefactorem. Pilatum etiam tacite accusat, quod contra eum, qui innocens, & iniquē ei traditus est, sæuiat. Pontifices ergo, & primi illi Iudæorum sunt significati hoc verbo, *Qui me tradidit tibi*: sensus ergo, & responsum integrum est. ô Pilate, habes certē hanc potestatem crucifigendi, & dimittendi me; sed ne tibi arroges eam, ne existimes te habere in me potestatem, quia reus sim ego, aut sim tibi vt cæteri subiectus: habes enim, quia est sic dispositum à Deo propter salutem hominum: ex hac autem tua potestate diuinitus data consequitur, vt peccatum tradentium me tibi maius, & grauius sit, quam si non talem, aut tantam potestatem haberes: nam traditus sum tanquam malefactor, cum non sim; & traditus ad crucem iniquē, cum innocens sim: tu etiam crimen non effugies iniquē traditum condemnans, & iusta potestate abutens.

A N N O T A T I O V.

Tradentium peccatum cū maius dicitur, non cum peccato Pilati comparatur.
Cyril. lib. 12. cap. 22. & Chryso. hom. 83. Aug. tract. 116. & Euthy. & cæteri expositores; immo & Basil. regul. breui. respon. 46. hanc sententiam sic intellexere, vt maius peccatum dicitur tradentis collatione facta ad peccatum Pilati, vt sit sensus; peccas tu ô Pilate, sed magis peccat, qui me tradidit tibi: tu enim peccas timore, ne Cæsaream maiestatem offendas, illi verò malitia. Sed re vera hæc expositio nulla ratione accommodari potest factæ illationi, scilicet, propterea maius peccatum habet; nam causa maioris peccati alia non est, nisi ea, quæ in verbis ipsis exprimitur, causa autem expressa est, quia potestatem habes desuper datam, propterea maius habet peccatum, qui me tradidit tibi, habere autem potestatem non facit minus peccatum Pilati, immo nisi aliud esset accusans, maius esset peccatum, sicut peccatum Iudicis damnantis innocentem, maius est peccatum peccato tradentis eum: igitur verè Dominus loquitur de peccato eorundem tradentium, quod eo grauius est, qui tradiderunt iniuste ei, qui

A iustam potestatem habebat, volentes in hoc ostendere Christum esse malefactorem, & innocentiam eius occultare; similiter quia tradiderunt ei, qui crucifigendi habebat potestatem: minus enim peccatum fuisset, si tradidissent homini non habenti talem, aut tantam potestatem maximè quia ea intentione tradiderunt. Simile quodammodo locutionis genus est illud Ioan. 9. Nunc dicitis, quia videtis, peccatum ergo vestrum manet; id est, quia vos videtis, & cognoscetis veritatem, propterea vestrum permanet peccatum: ac si diceret; propterea peccatum vestrum maius, & grauius est; quia ex malitia est, quā si non videretis. ita nunc, Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet, quā haberet, si tibi non esset tanta permissa in me à Deo potestas. Verum est in his verbis, vt diximus in commentario, insinuari peccatum Pilati consentientis iniquē tradētibus, tamen non est id peccatum, quo maius peccatum tradentis pronuntiat. Hæc mihi expositio germana, & accommodatissima vlla est.

Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

C O M M E N T A R I V S.

EX superioris sententiæ expositione sequitur huius sententiæ intelligentia. Quærebat Pilatus dimittere, tamen audiens hanc Domini responsionem, magis eum liberare conabatur: nam cognouit iniquē esse traditum in verbo illo: *Qui me tradidit tibi maius peccatum habet*; cognouit etiam se iniquē acturum, si iniquē traditum damnaret: hoc enim etiam insinuauit Dominus, idcirco quærebat tanquam innocentem eum dimittere liberum. verbo enim hoc, vt dicit Chry. hō. 83. perterritus est Pilatus, at Iudæi verbis & miraculis

culis tantis, magis insaniebant. Euangelista nō explicat, quomodo quæsierit dimittere eū; tamen ex sequētibz verbis deducimus egressum esse Pilatum prætorio, Christo ibi relicto, & ad populum iterum locutum verba, quibus significabat se velle dimittere, quem innocentem agnoscebat.

Iudæi autem clamabant, dicentes Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.

A Vdientes Iudæi verba Pilati eum demittere quærentis, nouam adferunt accusationem; quæ etiam Pilatum tangebatur. *Si, inquit, hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*; nec ea tractas, quæ Cæsaris sunt; ac si dicat; reus etiam tu efficiaris apud Cæsare: *Nam omnis, qui se regem facit, Cæsari aduersarius est*; cū que iste se regem fecerit, contrarius est Cæsari. si ergo dimittis eum, contrarias Cæsari partes agis, & tueris, & læsæ Maiestatis reus es. Imponunt Christo Cæsari esse aduersarium, & regnum eius Cæsaris imperio contradicere; timoremque Pilato grauem incutiunt, ne dum defendit Christum, Cæsarem offendant, & non leuiter, sed in re magni momenti, quæ ad imperij pertinet conseruationem.

Pilatus autem cū audisset hos sermones, adduxit foras Iesum.

S Vccūbit Pilatus huic oppositioni, & quæ timor innocentia, & diuinitatis Christi ab eius damnatione hucusque auerterant, & retraxerant, mundanus timor impellit; magisque Cæsarem, quā Deum reuerens iniquo & impio iudicio cōsentit, Cūque egressus esset è prætorio, vt Iesum liberaret, mutata iam propter Cæsarem non opinione, sed voluntate, Iesum foras extra prætorium, vbi manserat, damnandum adduci facit: & plus potuerunt sermones hi de Cæsare apud eum, quā illi, quos etiam audierat, & timebat, quod filius Dei esset. Quærat ergo Pilatus præmium suum à Cæsare, non à Deo, cui illum prætulit, tanta, & tam apertè cognita impietate.

A N N O T A T I O VI.

Infelix Pilati & reliquorum, qui Christum morti damarunt, vitium.
Sibi consuluisse Pilatus visus est, dū Christū apud Cæsarem ad obiecta per Iudæos criminā; at priusquam perueniret, Cæsar Tiberius vita excessit. Scribit etiā Euseb. lib. 2. Histo. cap. 7. in tot postea calamitates eum incidisse, vt sibi propria manu mortem intulerit. Idem scribit Niceph. lib. 2. Histo. cap. 10. addens idem euenisse Annæ & Caiphæ, & Scribis, & Phariseis cæteris, qui se ipsos occiderunt.

Et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

C O M M E N T A R I V S.

Sedit pro tribunali, vt ferat sententiā. locus erat extra prætorium publicus, in quo contra reos sententiæ ferebantur. Græcè dicitur Lithostrotos, quasi lapidibus stratus: solent enim huiusmodi loca ad perpetuitatem, & ornatum confici ex lapidibus. Verbum Hebraicum non idem significat, sed celsitudinem, quasi locum eminentem, & excelsum, vt omnibus sit conspicuus, à verbo Hebræo שָׂרָר quod significat exaltari, seu eminentem esse; inde. n. hoc nomen deriuatur. he mutato in tau, & assumpto aleph in fine. Non sine causa Euangelista nominis meminit proprii loci: significare enim voluit Christum damnatum & contra eum latam sententiam in loco in quo malefactores, & rei iudicabantur.

Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta.

Tempus describit Euangelista Christi damnationis. Erat, inquit, feria sexta, quæ dicitur parasceues, quia præparabatur in ea cibi in Sabbato comedendi. additur Paschæ, quia erat tempus Paschæ, & festum Azymorum. Paschæ enim dicebatur etiam totum illud Azymorum festum, ut in capite. 13. ostendimus, cumque esset sexta feria, & simul vnus, ex diebus Azymorum, & Paschalis, dicitur Parasceue Paschæ: de hoc tamen latius cap. illo. 13. egimus, hora autem diei erat quasi sexta, hoc in annotatione exponitur.

ANNOTATIO VII.

ANNOTATIO VIII.

Quomodo circa hanc horam sextam conueniant Euangelista.

Dixit sunt difficultates in hoc Ioannis verbo, Hora quasi sexta, Vna est, quomodo cum Luc. 13. concordet; nam refert horam fuisse ferè sextam, quando Domino crucifixo tenebræ factæ sunt; nam inter tempus, quo Pilatus sedit pro tribunali, & contra Dominum tulit sententiam, quod Ioannes horam quasi sextam fuisse dicit; & tempus quando Dominus in cruce fuit positus, mora non parua intercessisse videtur; & tamen vtrumque hora quasi sexta fuisse factum, hi duo referunt Euangelistæ. Magis videtur cum Marco concordare Ioannes. Marc. enim 15. cap. hora sexta tenebras factas recenset; at hoc, quod Ioanni videtur consonum, Lucæ dissonum apparet; hinc enim hora ferè sexta tenebras factas describit, adeo ut hi tres Euangelistæ discordes videantur, & tamen non sunt; sed idem omnino, diuersis tamen loquendi modis tradunt, quod & verbo, & exemplo declaratur.

Aduertendum ergo signa horarum præcedentes, & transactas horas indicare, quando enim apud nos sonus duodecimæ fit, significat horam duodecimam esse transactam, & instare, seu incipere sequentem; totum ergo tempus ab vndecima vsque ad duodecimam, hora est duodecima; cum autem quod parum distat quasi non distare videatur, quando modicum distat sonus vndecimæ, dicimus iam horam esse duodecimam, nempe principium duodecimæ: similiter versus finem iam duodecima pulsata, quando parum est temporis, dicimus etiam esse quasi duodecimam, id est, prope duodecimam completam: ita factum est apud Euangelistas. Ioannes enim dixit esse quasi sextam, id est, parum abesse initium sextæ, iam enim instabat finis quintæ. Luc. verò dixit esse ferè sextam, id est, paucum tempus fuisse, quando sexta completa fuit, seu breui tempore post sextam completam; at Marc. ipsam completam narrat, quia terminus sextæ iam erat transactus. Nihil ergo contrarium Euangelistæ in hac parte continent, immo omnes simul rem ipsam declarant; nam ex solo Ioanne non potuit præcisè veritas cognosci, nec ex solo Luc. vel Marc. cum enim dicit quasi sexta, nescimus an à principio, an à fine horam computauerit: ex cæteris autè

perfectam assequimur temporis intelligentiam,

(.)

Gravior est multo altera difficultas, & quæ maxima antiquorum, & recentiorum excruciat ingentia, quomodo Ioannes cum Marco concordet: Marcus enim narrat horam tertiam fuisse Dominum crucifixum. Ioannes verò hora quasi sexta Pilatum tulisse sententiam. Multis ac varijs modis Doctores hanc difficultatem soluere sunt conati.

In primis Hier. in Psal. 77. assefit scriptorū esse errorem, qui in Marco loco sextæ scripserunt tertiam, facileque dicit hunc errorem irreperere potuisse ex similitudine literarum, quibus Græci suos describunt numeros: est enim similitudo inter Gamma, quod significat ternarium numerum, & inter epistulum Græcum s, quod significat senarium: aliqua enim in Euangelistis vitio scriptorum corrupta fuisse, docet exemplis Hieronymus, quæ, quia ad rem non faciunt, prætermitto. Responsio hæc solido non nititur fundamento; non enim exemplari aliquod ab illo etiam antiquo Doctore allegatur; in quo apud Mar. nō legatur tertia hora; quæ autem ex epla Hie. adducit, similia nō sunt: nam errores scriptorū irrepisse certū est; tamē emendati sunt, quia exemplaria alia vera sunt inuenta, nec omnia eodem modo legebant; at hæc lectio in omnibus reperta est exemplaribus.

Secundo loco alij, quorum Theophyl. nomine tacito meminit, senserunt esse locū corruptum scriptorum incuria, tamen non locū Marci, ut Hieronymus dicit, sed Ioannis, nam legendum erat; Erat hora quasi tertia, non autem quasi sexta; sed contra hanc solutionem eadem valet ratio, quæ contra præcedentem. fateor tamen, si admittendus esset scriptorum error, hanc responsionem probabiliorē esse, quàm præcedentem; quia non solum concordat Mar. cum Ioan. sed etiam Ioannem cū Luca, ut nihil difficultatis remaneat.

Tertiò loco Euth. Marc. 15. aliter exponit, nempe horam tertiam relatum esse à Marco, non ut significet tempus, quando crucifixus est; sed quando à militibus Pilati pati incepit; at hæc solutio violenta est: nam inquit Mar. Postquā iam traditus fuit Dominus, ut crucifigeretur, (Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.) hæc verba non aliud videntur significare, præter id, nempe horam fuisse tertiam, quando eum crucifixerunt. simili enim locutione vsus est Ioannes, inquit, hora quasi sexta, & dicit Iudeis, Ecce rex vester, id est, erat hora quasi sexta quando dixit Pilatus, Ecce rex vester.

Quarto loco Augustinus maximè in hoc dissol.

dissoluendo nodo elaborauit, idque in multis locis, præsertim tractat. 17. & lib. 3. de consens. Euangelist. capit. 13. & in quæst. Noui. & Vet. test. quæ. 65. & in Psal. 63. in illud Exacuerunt ut gladium linguas suas, duobusque modis respondet. Vnus est, qui ordine erit quartus, scilicet fuisse horam tertiam, quando Pilatus sedit pro tribunali, tamen à Ioanne dictam esse sextam facta computatione à principio; quando incepit Christus præparari ad mortē, quod fuit hora nona præcedentis noctis, quando à Caipha, & Anna morti fuit adiudicatus. A nona igitur hora noctis vsque ad tertiam diei, sex intercedunt horæ; propterea, inquit, dictum esse, erat sexta hora parasceue Paschæ, id est, præparationis veri agni & veræ Paschæ, qui Christus est. At hæc solutio nec ipsimet August. valde probatur; est enim nimium violenta, quia non constat hora nona fuisse initium tale, immo potius comprehensio eius erat computanda tanquam principium, quam multo post nonam certum est fuisse. præterea computatio hæc insolita est Euangelistis: rursum etiam parasceuen Paschæ, interpretari parasceuen Christi immolationis, durum esse nemo non videt; ideo alterum modum ipse prosequitur, qui erit ordine quintus, nempe Christum duobus modis dici crucifixum, Vno modo linguis Iudeorum, quando petierunt eum crucifigi, dicentes, Crucifige, crucifige eum, & hoc factum est hora tertia, idque refert Marcus. Altero modo, quando Pilatus adiudicauit eum crucifigi, & verè est crucifixus, & id factum est hora sexta, quod narrat Ioan. Porro iste etiam modus durus videtur, nec facile Marci contextui, & verbis accommodatur: nam præmisit. Marcus exutum fuisse veste purpurea, & angariatum Simonem. & perductum in Golgotha, & datum esse vinum myrrhatum, & vestimenta diuisa, postea adiunxit; Et erat hora tertia, & crucifixerunt eum. Nemo nunquam sic locutus est, ut post tot iam narrata reuertatur repente, & sine aliqua distinctione ad id, quod iam multo ante præcesserat, nec refert quod Marc. repetit, Et crucifixerunt eum. nam hoc potius confirmat Marcum loqui de vera crucifissione. Si enim tantum diceret, Et erat hora tertia, ambiguum erat, an ad proximè narrata esset referendum: ut autem ambiguitatem tolleret, adiecit, Et crucifixerunt eum, id est, hora tertia erat, quando crucifixus est, sicut paulò ante descripserat. Placet modus hic Aug. nonnullis, & probabilis est propter tanti viri auctoritatem: tamen non tollit magna ex parte difficultatem, nec in eo quiescere videtur intellectus. Est igitur sextus modus, qui multis placet recentiorum, horas diei diuisas fuisse in quattuor ternarios, singulos autem ternas comprehendere horas. Erat autem primus ternarius à prima vsque ad tertiam, & dicebatur prima hora, vsupto nomine à principio. Secundus erat à tertia vsque ad sextam, & dicebatur hora tertia, quia à tertia incipiebat. Tertius erat à sexta vsque ad nonam, & dicebatur sexta, quia à sexta in-

Christus bis crucifixus.

incipiebat. Quartus à nona vsque ad vltimam, quæ erat duodecima, & dicebatur nona, quia à nona incipiebat. hac posita doctrina facile est nodum hunc soluere. Ioannes. n. dicit fuisse Pilatum, & Christum damnasse hora quasi sexta, quia nondum inceperat sexta hora, quæ erat initium tertiæ partis diei; at Marcus hora tertia crucifixum narrat, quia totum illud tempus à tertia vsque ad sextam, ad tempus tertiæ pertinebat: sicut si in nocte factum hoc fuisset, quam in quattuor vigiliis diuisam esse seu custodias, singulas ternas horas cõplectentes, certum est: tunc si quis diceret, erat quasi tertia vigilia, alter autem diceret, erat secunda vigilia, vterque verum diceret; nam secunda vigilia tres horas continebat, & totum tempus ad secundam vigiliam pertinebat; at quia iam erat tertiæ horæ terminus, & instabat vigilia, seu custodia tertia, propterea alter dixit, quasi custodia tertia. Ita dicunt isti doctores factum esse à Marco, & Ioanne: horam enim non pro duodecima parte diei accipiunt, sed pro spatio comprehendente tres horas, seu tres duodecimas partes diei. Hic est modus sextus, quo multi ad hanc difficultatem tollendam vtuntur; qui modus mihi difficile sustineri posse videtur. primò quidem nec ex scriptura, nec ex antiquo graui Doctore, aut scriptore habetur diem diuisum esse in partes illas quattuor, sicut diuidebatur nox: quod enim allegant hi auctores ex Matt. Exijt pater familias primo mane, & hora tertia, sexta, & nona conducere operarios, potius est contra eosdem: nam ibidem dicitur exisse hora vndecima, igitur in eadem significatione accipitur hora, quando dicitur tertia, sexta, nona, & quando dicitur vndecima, significatque duodecimam partem diei: hæc enim hora dicitur iuxta illud Io. 11. Nonnè duodecim horæ sunt diei? Secundò nox diuidebatur quidem in quattuor partes, tamen non dicebantur horæ, nec appellabantur tertia, sexta, nona, sed prima vigilia, seu custodia, secunda, tertia, quarta; hora autem nunquam reperitur, nisi pro duodecima parte diei, vel noctis, & sic Ioannis primo dicitur, hora decima diei. & Ioan. 5. hora septima, & Matth. 20. hora vndecima. Si autem hora sexta dicebatur, à sexta vsque ad nonam, quomodo dicta est hora septima? & si hora nona, est totum tempus vsque ad duodecimam partem, quomodo dicta est hora decima? Tertio, si quattuor illæ partes horæ dicebantur, tunc prima, secunda, tertia, & quarta, appellandæ essent: nam tertia, sexta, nona, potius, partem duodecimam significant, non quartam diei: non ergo hæc opinio, & hic modus solido, nec firmo nititur fundamento.

Fateor in hac parte, si nolumus admittere auctoris sui scriptorū vitium cum Hier. & Theophylacto, proponit sententiam. nihil esse, quod ex integro satisfaciatur; præter modos autem, & responsiones expofitas, forsitan non improbabilis erit hæc, quæ accedit vltimæ responsioni aliquibus mutatis. Distinguendum enim est inter horas diei, & horas orationis, & exercitij sacrorum in templo; nam inuenimus aliquando dici, horæ oratio-

nis, aliquando horam diei. Act. 2. Cum sit hora diei tertia. & Act. 10. Vidit quasi hora diei nona Angelum. Act. 3. Ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Act. 10. Ascendit Petrus vt oraret circa horam sextam: horas diei existimo in duodecim partes esse diuisas, singulaeque nomen à numero accipiunt; at horæ orationis quatuor erant, prima, tertia, sexta, nona, singulaeque tres diei horas continebant, durabaturque singulae usque ad principium sequentis, prima usque ad tertiam diei, tertia usque ad sextam, sexta usque nonam, nona usque ad occasum, & finem diei, quam consuetudinem Ecclesia nostra retinuit. Marcus

A ergo horam tertiam dixit iuxta templi, & orationis computationem, quæ usque ad sextam diei durabat: Ioan. item horam sextam orationis expressit: finis enim tertiæ erat principium sextæ, quia Euangelistæ mortem Domini describentes, tanquam sacram rem & mysterium diuinum, horis templo deputatis descriperunt: quæ etiam illo tempore erant receptæ apud omnes Christianos. horis autem Iudæorum, nempe quibus dies in duodecim partes, & in totidem nox diuidebatur non omnes

B vtebantur: Euangelistæ ergo quod erat communis secuti sunt.

Et dicit Iudæis; Ecce Rex vester.

COMMENTARIUS.

Contemnit calumniam eorum Pilatus, quod se non esse amicum Cæsari, & Christum Cæsari contradicere iactauerint; & est sensus; Vos me non amicum Cæsari, si hunc dimittam, quasi regem Cæsari contradicentem, accusatis; at contemno vestram calumniam, & ego regem vestrum appello, & fateor, nec tamen Cæsaris regno propter hoc minus consulo. Rex enim est hic, sed non qualem vos falso accusatis Cæsari contradicentem. hic est verus sensus.

ANNOTATIO IX.

CYRIL. lib. 12. cap. 25. verba hæc dupliciter exponit; Vno modo, vt Pilatus populo alludat, ipsi volens gratificari, & Christum tradere, quasi diceret, vos rectè hunc accusatis, quod se regem faceret, & Cæsaris regno consuluis, Ecce rex vester, quem volo vobis tradere. non admodum est dissimilis expositio Euthymij: Relicta, inquit, discussione, iterum ad eos placandum se conuertit; Ecce, inquit, rex vester, ecce stat accusatus, non est absolutus, ne formidetis. Sed hæc expositio non videtur satis accommodata; adhuc enim Pilatus in Christo defendendo perseuerat, quod eo probatur; quia post hæc lauat manus, vt innocentia eius reddat testimonium. Altero modo exponit Cyril. verba hæc esse dicta, vt populum opprobrio petat, quod

C tot tantisque malis eum afficere student, quæ ipsi regem Iudæorum appellant, hæc Cyril. quem puto significare velle tempus illud, quando ingrediens Christus Hierusalem fuit rex appellatus. Hæc expositio accommodatior est quam prior. Aliter exponunt recentiores, nempe vt his verbis accusationem Iudæorum irrideat Pilatus, quasi non sit verisimile tam abiectum hominem regnum sibi voluisse usurpare. Alij aliter, vt his verbis velit accendere animos Iudæorum, vt Cæsari adherant, contra Christum eos inflammando, quæ expositio improbabilis videtur. Alij aliter exponere conantur, sed legitima, & accommodata expositio ea videtur, quæ in commentario posita est, & conformis præcedentibus sententijs.

illi autem clamabant, Tolle, tolle, crucifige eum.

COMMENTARIUS.

Omnino rationis incapaces, & dæmoniaco spiritu repleti communibus vocibus clamant, & à conspectu etiam tolli petunt, quasi eum sustinere non valeant. ac crucifigi efflagitant; non iam accusationem adferunt, nec iuris ordinem quærunt, sed furore vincere volunt, vt impleantur, quod dictum est Isa. 53. De iudicio sublatus est.

Dicit eis Pilatus; Regem vestrum crucifigam?

Iudæorum turpem, & impiam exprobrat crudelitatem, quasi diceret, nonne vobis magnum est dedecus Regem vestrum crucifigi? non vestro saltè honori consultis? liberandus erat potius de manibus meis Rex vester, ne crucifigeretur. hic est verus sensus.

ANNOTATIO X.

Euthym. hæc verba Pilatum protulisse asserit, quasi subannantem Christo, vt Iudæorum feritatem curaret Cyril. lib. 12. cap.

E 25. aliter exponit: dicit enim Pilatum impium eorum clamorè redarguere, atque opprobrio tribuere Regem inquit, vestrum crucifigam id est hominem

minem tantæ apud vos opinionis crucifigam? quid enim ei exæquari potest, immo verò quid in eo minus filio Dei, atque rege inuenitur? hæc Cyril. & accedit multum nostræ expositioni, quæ legitima, & ac-

A commodata videtur; semper enim quantum ad Pilati sensum hoc verbum (Rex vester,) Regem vestrum crucifigam? hunc sensum facit, quia Regem existimabat hunc esse, vt diximus superius.

Responderunt Pontifices: non habemus Regem, nisi Cæsarem.

COMMENTARIUS.

Taxant Pontifices tanquam primi in populo verbum Pilati, quasi dicerent; attende, quid dicas, ne nobis imponas, quasi nouerimus alium Regem, nec tu nobis eum obtrudas, Non enim habemus regem præter Cæsarem, quo verbo impellunt Pilatum, vt crucifigat tanquam Cæsari aduersantem; aliter enim eum non futurum Cæsaris amicum, nec Cæsaris partes defensurum insinuant. Cæci Iudæi contra se ipsos sententiam ferunt; si ergo non habent Regem præter Cæsarem, ergo Messas est, quem crucifigi perunt. Gene. 49. Nō auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittèdus est: diuino autem iudicio factum est, vt eis, quibus regnum deferebant, negato verò Rege Christo, ad interuersionem sint traditi; à Romanis. n. funditus sunt postea euersi.

Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

Partícula, Ergo, indicat sensum, ac si diceret; Cum vidisset Pilatus, se nihil proficere, nec vlla ratione ab impio proposito illos diueri posse, timēs accusationē apud Cæsarem, tradidit Christum, vt crucifigeretur. omisit enim Ioannes hoc loco quæ Matt. retulit. Videns, inquit, Pilatus, quia nihil proficeret, sed magistum multus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo dicens, innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis; & respondens vniuersus populus, dixit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros; tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur, vt Ioannes refert.

Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum.

Erat tunc Christus in veste purpurea; suscipiunt ergo milites eum, & veste deposita induunt vestimentis suis, & educunt ex prætorio, seu domo Pilati, ad locum extremi supplicij. fuit enim à Pilato traditus per sententiam mortis militibus, & ministris iniquitatis, qui suscepisse, & eduxisse dicuntur seruatorem.

Et baiulans sibi crucem.

Moris erat crucifigendum in locum supplicij crucem sibi deportare, vt ex Plutarcho constat in libr. de sera numinis vindicta. Quemadmodum, inquit, facinorosus quisque vltimo affligendus supplicio, corpore suo propriam fert crucem, ita improbitas in se ipsa supplicium sibi ipsi struit. fuit autem hæc crucis portatio, & prædicta, & præfigurata; prædicta quidem Isa. 9. Factus est principatus eius super humerū eius, quam sententiā de hac Christi portatione crucis interpretantur Amb. lib. 3. de fide cap. 4. & Hieron. ibidem. & Aug. sermo. 21. & 71. de tempore. Figura etiam fuit, vt inquit Chryso. homil. 84. Gen. 22. in Isaac ligna portante in montem, quibus immolandus erat. Attende nostra omnium peccata in se punienda & mortificanda Christum significasse, vt rectè Cyril. lib. 12. cap. 28. annotat, dum crucem super suos tollit humeros.

ANNOTATIO XI.

Matth. refert angariatum quendam dictū Simonem Cyrenæum, vt crucē Iesu portaret; hoc tamen non est contrarium verbis Ioannis: nam principio Christus ipse egrediens ex prætorio baiulabat, vt Ioannes refert; at postea Simon portabat sequēs Iesum, & ita concordant hæc sententias, Athanas. serm. de

B cruce & pas. Hier. Matth. 27. & Augustin. libr. 3. de consen. Euang. cap. 10. cum alijs multis non quod simul vterque portaret, sed solus Dominus à principio, postea solus Simon: probabile autem est id fuisse factum, quia Iudæi Dominum nimium afflictum præcedenti flagellatione, & percussione videntes, timuerunt

Reijciuntur aliquot superiores sententia expositio nes.

Alia expositiones tradidit.

Et prædicta & figurati fuit Christi crucem baiulaturum.

Quid significet Simonem hunc crucem portare.

muerunt ne in via deficeret, aut tardius, quam cupiebant, ad locum supplicij perueniret. Quis hic Simon fuerit, non est huius loci discutere: mihi id in hoc significari visum est, quod Athanasius loco citato doctè annotauit, nempe Dominum non propriam mortem sed hominum subire. significatum etiam est futuros multos, qui Christum Do-

minum secuturi essent in cruce portanda: innumeri enim Martyres sanguinem pro ipso postea fuderunt, & vnusquisque crucem habet propriam, quam pro Christo baiulet. Alia annotat Gregorius libr.8. Moralium capi.26. de hac Simonis baiulatione, ad locum tamen presentem Ioannis non pertinet.

Exiuit in eum, qui dicitur Caluarie locum, Hebraice autem Golgotha.

COMMENTARIUS.

EXisse dicitur, quia extra ciuitatem crucifixus est, adimplens figuram, vt dicit Paul. ad Hebr. 13. Quorum inquit, animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Nomen loci vbi Christus crucifixus est sanctificatur, vt eo in loco crucifixum significet, vbi malefactores crucifigi soliti erant. Golgotha apud Hebræos, seu potius Chaldæos, idem significat, quod apud Latinos Caluaria; ibi enim caluarie damnatorum, & ossa erant multa.

ANNOTATIO XII.

Golgotha quid significet.

Nomen Golgotha Syriacum est: nam apud Hebræos nomen Gulgolet: significat cranium hominis, siue viui, siue mortui, inde per sinecodochen totum caput: immò & integrum hominem significat. Exod. 16. Gomer per singula capita, id est, per singulos homines. A verbo descendit, quod significat voluere propter rotunditatem capitis ratione cuius facile est volubile. Epiphanius hæres. 46. in fine legit Gulgatha, alij aliter. Lectio nostra communis est & verior, tempore enim Christi Hebræa lingua suam puritatem amiserat. Quare autem locus ille Caluarie dictus sit rationem esse putò, quam Hieron. assignat Matth. 27. nempe propter damnatorum capita, quæ ibi reseruabantur. Citat Hieron. quandam sententiam affirmantium ibi sepultum Adam esse, & ea de causa dictum locum caluarie, quia ibi caput est primi hominis. Eandem citat Orig. 32. in Matth. & Basil. in cap. 5. Isaiæ, ibi communem traditionem esse affirmat, sed Hieron. non recipit hanc traditionem; & vt verum fatear, mihi probabilissimum est, non ea de causa dictum esse locum Caluarie, sed propter rationem à Hieronymo traditam, locumque illum fuisse deputatum damnatis supplicio afficiendis, eaque de causa duo etiam cum Christo crucifixi sunt malefactores. Quanquam traditionem ibi Adam fuisse sepultum, non credo esse om-

nino negandam, sed tanquam probabilissimam recipiendam, propter tot ac tantorum Doctorum auctoritatem, qui eam acceptarunt, & docuerunt: inter quos sunt Athan. serm. de cruce, & pass. Chrysost. hom. 84. Epiphanius lib. contra hæres. 46. in fine Cypria. serm. de resurre. Christi Ambros. libr. 5. epist. 19. Augustinus tract. 84. in Ioan. & serm. 71. de tempore. Euthymius in Matt. & Theophyl. cum multis nostri seculi viris, inamo cum ipsomet Hieronymo in epist. ad Marcellam nomine Paulæ, & Eustochij; nec argumentum Hieron. roboris vilius est: nam probat Adam in Hebron. fuisse sepultum propter illud Iosue. Hebron autem vocatur, Cariatharbe. Adam maximus inter Enachim situs est, cuius loci verissima intelligentia, vt ex Hebræo textu deducitur, hæc est: erat enim Arbe nomen viri magno corpore, à quo illa vrbs primò nominabatur. & sic legendum est Cariatharbe hominis maximi inter Enachim, id est, homines sic vocatos, quasi torquatos: ibi enim Adam nomen est eomune, idcirco D habet, & emphaticum, & est declaratio illius, qui dictus est Arbe, nec habetur (situs est) sed inter Enachim ipse; puta ipse Arbe, fuit maximus inter Enachim: fuit autem magno mysterio factum; vt vbi mortuus iacebat prius Adam, qui nos omnes peccato mortuos effecit, ibi pro omnium salute, & vita moreretur secundus Adam.

Probabile est Adam fuisse in loco Caluarie.

Caluarie locus quare sic vocatur.

Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.

COMMENTARIUS.

Dvo hi, vt alij narrant Euangelistæ, latrones erant: maxima autem fuit Iudæorum astutia, vt annotat Theodoretus ser. 10. de prouidentia. Volentes enim Christi iustitiam modis omnibus occultare, non sunt sola crucis morte

contenti, sed cum sceleratissimis hominibus associant eum, vt eorum similis reputaretur, immò locum medium ei dant, vt inter sceleratos primum locum cum habere omnibus significant, & impleta est prophetia Isa. 53. Et cum sceleratis reputatus est. Prætermittit Ioan. aliqua, quæ facta sunt ante crucifixionem, de mulieribus plangentibus, & de vino myrratho, quæ alij narrarunt.

Scriptit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem.

Causam crucifixionis inscripserunt, vt Marth. refert. vt omnibus notum esset, quare tali affectus est poena. Probabile est id moris fuisse, quauis Chrysost. hom. 84. neget titulos cæteris duobus fuisse appositos, nisi forsan id fieri solitum sit, solū in casibus insignibus, qualis iste erat, quod probabilis est. Dicitur autem scripsisse, & posuisse, quia scribi, & poni mandauit.

Erat autem scriptum; IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

Nomen, patriam, causam necis titulus exponit; nomē, IESVS est; patria, NAZARENVS: sicut enim ab omnibus appellabatur; causa, REX IVDÆORVM, hanc solam cæteri Euangelistæ narrarunt; at Ioan. titulum integrum descripsit, qualis nunc habetur apud nos Romæ in Ecclesia sanctæ Crucis, quamuis sit ex parte vetustate exesus.

ANNOTATIO XIII.

Cur Pilatus Regem Iudæorum Christum inscripserit.

Chrysost. ho. 84. duas adfert causas, cur Regem Iudæorum scripserit; prior est, vt Christum excusaret; crucifixus enim cum esset cum latronibus. facile sceleratus, & similis à vulgo, quod tunc erat Hierosolymis copiosissimum reputaretur, & turpis mortis nota inureretur, idcirco titulo inscripsit, Regem Iudæorum. Altera est, vt Iudæos vlcisceretur: erat enim propter ipsorum pertinaciam eis infensus, propterea ignominia hæc eos afficere voluit, qui suum Regem crucifixerint. ignomina enim

populi est tam turpis & ignominiosa mors Regis. Hæc est Augustini in exposit. Psal. 56. & est accommodatior confirmans expositiones datas in verbis illis, Ecce rex vester, & Regem vestrum crucifigam; & Rex est? non solum autem ignominie notam inurere Pilatus voluit populo, sed simul innocentiam, quam lauans manus confessus erat, scripto etiam manifestare; crucifixum enim Regem verum, magnamque eius innocentie iniuriam illatam propter populi furorem significauit.

Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope Ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus, & erat scriptum Hebraice, Græcè, & Latine.

COMMENTARIUS.

Vicinitas vrbs causa erat, vt multi venirent Iudæorum ad locum illum; scriptus autem erat titulus Hebraicè, Græcè, & Latine, non quidem partim Hebraicè, partim Græcè, partim Latine, sed totus titulus integer tribus idiomatis fuit scriptus, vt legi facile à quâ plurimis posset; illo. n. tempore maxima multitudo etiam externorum Hierusalem conuenerat. cum enim mors hæc pro omni salute esset, & omni linguæ, & nationi prædicanda, magno mysterio communi titulo omnibus legendus est propositus.

Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.

Senferunt Pontifices ignominie notam, quam illis inurebat Pilatus, Regem scribens Iudæorum, propterea que ipsum rogant, ne sic scribat, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Iterum negant Iudæi regem suum Christum, nec admittere volunt Regem verum.

Respon-

Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi.

Titulum pro
phetatum
Psalm. 95.

Non vult Pilatus immutare titulum, quia aduersari Christi innocentiae in hac re noluit, nec desuper ei id promissum fuit: stabile namq; & supra calumniam omnem regnum Christi est, etiam si Iudaei nolint, quantumuis eius gloriam confiteri renuant, vt annotat Cyril. libr. 12. cap. 31. Hanc tituli mutabilitatem Augu. praedictam esse testatur. tractat. 117. sic dicens, O ineffabilem vim diuinae operationis etiam in cordibus ignorantium, nonne occulta quaedam vox Pilato intus quodam, sic dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante Psalmorum liberis prophetatum est? Ne corrupasti tituli inscriptionem? Hae & alia ibi dixit August. allegans titulum Psal. 59. In finem ne disperdas: quod ipse exponit de inscriptione hac crucis non delenda.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem,) & tunicam.

Quam ignominiosè Christus sit crucifixus, hinc apparet, nudus enim coram toto mundo fuit in cruce positus, vt impletum sit illud Psal. 68. Operuit confusio faciem meam. Quando enim Adam primus contra Dei praecipium pomum vetitum ab arbore decerpit, nudum se esse erubuit: Christus igitur secundus Adam culpam illius soluens, ac se ipsum cruci loco ablati pomi restituens, nuditatem illam in se accepit. Manifesta hinc fit auaritia militum, qui vestes Christi non pretiosas sibi diuiserunt: erant autem quatuor milites, qui Dominum crucifixerunt: hi in quatuor partes vestimenta Christi partiti sunt, & vnusquisque partem accepit: praeter haec autem vestimenta scissa & diuisa, acceperunt etiam tunicam Christi, quam non sciderunt propter causam, Euangelista statim adiunxit. Illud, *Et tunicam*, connectitur cum verbo, acceperunt: acceperunt nempe vestimenta, & fecerunt quatuor partes; acceperunt etiam tunicam, Haec in annotatione inferiori declarabuntur.

Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum, di-xerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit.

Causam, cur tunica secta non sit, adiunxit; erat enim tunica contexta desuper per totum, id est, textura à summitate incipiebat, & per totam continuabatur. Si ergo scinderetur, nullius fuisset vtilitatis; tota enim dissolueretur: ea igitur de causa sortem miserunt super eam in se, cui obueneret.

Vt scriptura impleretur, dicens; Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem.

Diuino omnia haec peragi mysterio Euangelista significat, prophetiam allegans, quae Dauid est, Psal. 21. praedixerat enim Spiritus sanctus hanc partitionem futuram super vestimenta Christi: tunicam autem non partitione, sed sorte accipiendam: haec enim omnia praedicta sunt, vt rerum euentibus, ipsum esse qui venturus erat, crederemus; non enim magna solum, sed parua quoque praedicta sunt, vt ab omnibus rectè ad veritatem deducti non erraremus, vt dicit Cyril. libr. 12. cap. 23. Illa autem particula, *Vt*, consecutione, non causam indicat; quod enim per milites faciendum erat, prauidit, & praedixit Spiritus sanctus, & adhuc in mysterium, & in significationem maximam ordinauit. malefactis enim hominum vtitur etiam Deus in bonum, quod in sequenti annotatione explicabitur.

Et mili-

Et milites quidem haec fecerunt.

Hoc Euangelista adiunxisse mihi visus est, vt significaret non iussu Pilati, nec Iudaeorum instigatione haec esse facta, sed militum propria voluntate: vt enim dicit Cyril. Vestes damnatorum quasi hereditatis lege ad se pertinentes milites vendicarunt. Chryso. hom. 84. sic exponit, vt sit sensus; dum milites haec faciebant, Christus matrem discipulo commendabat, sed dura est connexio: nam quae sequuntur, ad aliam pertinent sententiam, & posterius sunt facta. Vera, & germana est interpretatio assignata.

ANNOTATIO XIV.

De Christi
vestium di-
uisione.

Multa occurrunt in superioribus sententijs explicanda. Primum est, an vestium diuisio fuerit cum sectione, & scissione earundem, praeter tunicam. aliqui enim, quos tacito nomine Euthym. refert, existimant, praeter tunicam habuisse Dominum quatuor vestes, diuisasque dici, quia singulis quatuor militum singulae distributae sunt vestes. Hoc ipse Euthym. non recipit, sed pauciores tenet fuisse, & hanc diuisionem esse sectionem: cum enim duae essent praeter tunicam, quae erat interius indumentum, vt inter quatuor diuiderentur, necessarium fuit eas scindere. Hoc idem dicit Cyril. libr. 12. cap. 32. & Chryso. hom. 84. idemque August. tract. 118. sentire videtur, id ipsum etiam indicat Ioannes. Fecerunt, inquit, quatuor partes; & rursus de tunica, Non scindamus eam, nimirum sicut de vestibus fuit factum.

Et milites
Christi ve-
stem diuise-
runt.

Alterum est, qua de causa milites vestimenta diuiserint? Euthym. Matth. 27. dicit per irrisionem diuisisse, quasi de regijs vestimentis aliquid habere volentes. sed opinio haec non videtur probabilis. non enim tam diligentes fuissent in distributione, vt aequalitatem partium quaererent, & sortes mitterent. Chryso. hom. 84. dicit id factum vt impleretur prophetia allegata ex Psalmo. sed nec hoc admodum probabile videtur: nam propheta praedixit, quia id futurum nouit. rursus ipsi non sciebant prophetias. Verius respondet Cyril. libr. 12. ca. 32. id fecisse milites, quia soliti erant damnatorum vestes sibi vindicare ministri, & quibus opus illud incumbere, sicut etiam apud nos sit: vestimenta enim damnatorum, nempe qui comburantur, aut in partes secantur, ad vindictas pertinent. hinc sequitur non fuisse vestes Christi vilissimas, sed honestas: aliter milites non ita diligenter curassent sibi eas vindicare.

An et larro-
sum vestes
fuit diuise.

Tertium est, an vestimenta solius Christi milites vendicauerint, an etiam aliorum, qui simul sunt crucifixi? Chryso. hom. 84. tenet solius Christi, vt in eo solo impleretur prophetia, idem Euthym. Matth. 27. at Cyril. loco proxime citato indicat, omnium esse vestimenta à militibus accepta. & id probabilius est, quamuis Euangelista non meminerint nisi solius Christi, quia huius historiam describebat, & singula erant, quae ad eum pertinent, narranda.

Quartum est, an fors facta fuerit super omnes vestes, & non super solam tunicam. Augu.

tract. 118. tenet de sola tunica sortitos fuisse, & videtur propheta id significare. Diuiserunt, inquit, vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. id ipsum etiam in sinuare videtur Ioann. tamen re vera fors etiam fuit facta super vestimenta: & hoc satis aperte dicit Marcus; Diuiserunt, inquit, vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quid quisque tolleret. August. autem haec verba interpretari in suam sententiam laborat; sed certè dura, & violenta interpretatio videtur: nec erat, cur hunc laborem susciperet, cum nihil probabile nos cogat fateri, in solam tunicam factam fuisse sortem: nam Dauid sortis meminit solius tunicae; non quod negaret, etiam vestimenta sorte esse distributa, sed quod significare vellet, tunicam sola sorte contigisse: at vestimenta praeter sortem fuisse partita & scissa: & id ipsum Ioannes docuit. Hanc sententiam Ambr. Luc. 23. & Theoph. Marc. 15. sequi videntur, etiam super vestimenta sortes missas esse.

Sorte diuisa
sunt Christi
vestimenta

Quintum, quid haec vestimentorum diuisio, & tunicae integritas significent? haec enim magno mysterio facta, & ordinata à Deo sunt. Cyril. libr. 12. cap. 32. respondet, in hoc significari quatuor orbis partibus ad fidem reducis Christi carnem indiuisibiliter, & impartibiliter communicari in Eucharistia: diuisio ergo vestimentorum partes orbis significat: tunicae integritas carnem Christi indiuisam, & impartibilem communicatam iudicat: caro autem Christi per tunicam desuper contextam per totum significatur, quia absq; sexuum conuentu, virtute Spiritus sancti, desuper corpus Domini contextum atque confectum de sanguine Beatissimae Virginis fuit, haec Cyril. August. tract. 118. quatuor orbis partes, in quibus Ecclesia est, significasse hanc vestimentorum diuisionem asserit cum Cyril. tunicam verò, vnitatem ipsius Ecclesiae, quae vna est vbique, repraesentare docet, & communis est Doctorum sententia, in tunica hac indiuisa, Ecclesiam, quae vna est fugisse significatam. mihi certè haec omnia probantur, tamen non displicet hoc, quod etiam ad rem dici potest. Voluit enim Christus in vestimentis ipsis qualitatem passionis suae significare: habebat enim tunicam, & vestimenta; vestimenta humanitatem significabant, quae erant duo, sicut humanitas, corpus & animam continet; haec secta sunt, quia in humanitate passus est, & corpore, & anima: at tunica primum, & interius vestimentum significans diuini

Quid vestia
diuisione si-
gnificetur.Auctoris sen-
sum.

diuinitatem eius, non admisit partitionem, quia nequaquam passio ad eius peruenit diuinitatem; tamen fors facta est super eam, quia propter vnionem, cum esset Deus, & homo, dicebatur pati Deus, quia ille homo Deus erat; ac non hoc per passionis receptionem in diuinitate, sed propter vnionem humanitatis ad ipsam per quandam sermonis attributionem. Recte autem accommodantur vestimenta hæc: tunica enim interna erat & occulta: talis erat diuinitas eius inuisibilis. super hanc erat alterum vestimentum non omnino apparens, sed nec omnino occultum, significans animam: erat rursus pallium, exterius, & superius vestimentum, quod corpus eius omnibus manifestum representabat. Scio per tunicam aliquando animam accipi, sed nihil obstat vnum, & idem, varia in varijs propositis significare, maxime quia, vt statim dicemus, tunicæ nomen non vnum, & idem semper in scriptura significet vestimentum.

Quos & quales vestes habuerit.
Sextum est de numero, & qualitate vestimentorum eius. Euthym. Matth. 27. præter tunicam, quæ erat primum, & internum loco subuculæ apud nos, alia duo habuisse Christum affirmat, quæ vno nomine *ἱματιον* apud Græcos dicuntur, nempe, id quod super tunicam erat: præter hæc erat pallium exterius; & hæc videtur communis sententia, & probabilis, quia ex scriptura nihil de hac re habemus definitum, quamuis tunica, quæ Græcè dicitur *χιτων*, aliquando internam, aliquando etiam exteriorem vestem significat in scriptura: hæc tunicam fuisse laneam omnes fatentur; & à Beata Virgine contextam Euthym. asserit ex Patrum traditione haberi: quæ omnia probabiliter dicuntur, & sine probabilitate negantur. Non est contra hoc, quod Ioan. 13. dicitur, posuisse vestimenta sua, quamuis solum pallium reliquerit: in scriptura enim numerus pro numero ponitur. Nec est etiam contrarium, quod Dominus plures tunicas habere prohibuit: aliud enim est habere plura vestimenta: aliud plures tunicas: non prohibuit

A Dominus plura vestimenta, sed vestes mutatorias, vt alijs reseruatis, alia habeantur in vsu: hoc enim discipulis, & Apostolis vetuit singulari quodam mysterio, quod ad alium locum explicare pertinet.

Septimum est de militibus, qui crucifixionis ministri fuerunt; hos enim quatuor fuisse Ioannes solus aperte nos docuit. quare autem quatuor fuerint, ea mihi causa non improbabilis visa est, quia quatuor fuerat Dominus clavis crucifixus; simul enim manus, & pedes affigebantur. quamuis tres solos fuisse clauos multi affirmant, tamen probabilius mihi visum est fuisse quatuor, id quod significare satis videntur, Rufinus lib. 1. Hist. cap. 8. & Theodoret. lib. 1. suæ Hist. cap. 8. singuli autem milites simul occupati erant, idque maxime, cum Christus sit cruci iam in altum constitutus affixus.

B Octauum est de nuditate Christi; Ambrosius enim Luc. 23. nudum fuisse crucifixum asserit. Sic enim, inquit, tegumenta deposuit, & talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formauit: talis in paradiso homo primus habitauit, talis ad paradysum homo secundus intrauit, hæc Ambr. Aliqui non improbabiler affirmant, velum quo verenda tegeantur à circumstante quodam appositum. Sed multa ex his ex quadam traditione habemus, nõ ex scriptura Euangelistarum, nec ex communi Patrum doctrina.

C Nonum est de forma crucis, quam certum est quatuor habuisse partes. Vnum enim lignum alterum in duas partes intersecabat, vt pars ligni vna esset superior, vbi titulus est appositus, & has quatuor partes Augustinus multis in locis exposuit. Epist. 12. ca. 25. & Epist. 12. ca. 13. & libr. 2. de doctrina Christiana, cap. 41. & tractat. in Ioannem 118. Cum spinea autem corona in cruce fuisset indicat Matthæus capi. 27. cum enim narraret ad crucifixionem fuisse ductum, dicit, chlamyde exutum, de corona verò nihil dicit, cum tamen paulo ante eius capiti impositam cum chlamyde retulisset.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene.

COMMENTARIUS.

De Beatissima Virgine dolore.
Perpende constantissimum Beatissimæ Virginis erga filium amorem plenum fide, & fortitudine; non enim timuit, nec erubuit inter tam feros, & tam multos inimicos, quamuis mater eius, qui crucifigebatur, agnosceretur, assistere; & publico in loco, omnibusque conspicuo stare. Considera quanto dolore illud cor benedictum premebatur, & velut conterebatur; dum filium suum vnigenitum innocentissimum, & dilectissimum tam atrocem, & turpem mortem subeuntem videret, vt rectè dictum sit, *iuxta crucem*, erat, quia anima eius simul cū filio crucifigebatur: tunc enim impleta est propheta Simeonis; Tuam ipsius animam gladius pertransibit, vt annotat Cyri. li. 12. ca. 33. Attè de sanctissimæ illius Christi animæ compassionē; dū ante se aspicebat dilectissimam matris animam doloris gladio transfixam, vnde quaque immatissimis persecutoribus circumdatam, nec habentem consolatorē. Aduerte plus quam

quam ferinum cor illorum, qui nec matris lacrymis commoti sunt, vt saltem à blasphemijs, & subsannationibus in Christum se continerent, immò hæc simul & vestium partitionem coram ea fecerunt, vt annotat Cyril. lib. 12. cap. 33. Vnde benè Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. asseruit, quos dolores Beata Virgo in partu nõ habuit, iuxta crucem ex compassione in anima sustinuit. & Ansel. in lib. de excellentia Beatæ Virginis cap. 5. affirmavit dolores omnium Martyrum leues fuisse, si conferantur cū dolore, quæ Beata Virgo pertulit in passione filij: cum hoc tamen, nihil indecorum, nihil quod non summe modestiæ contineret, admisit. Vnde improbabilis est illorum recentiorum opinio, qui in Virgine spasmodum quendam fingunt, habuit enim mentem diuine voluntati in omnibus summe conformem. Ioannes duarum aliarum mulierum meminit: de Maria Cleopha sorore Beatæ Virginis cap. 2. Maria Magdalena cap. 12. superius diximus.

ANNOTATIO XV.

Quomodo in hoc commentariis Euangelistæ.
His verbis videtur aduersari, quod Marc. 15. dicit, mulieres à longè fuisse aspicientes, inter quas Mariam Magdalenam recenset; similiter etiam Matth. August. libr. 3. de consensu Euange. capit. 21. respondet à principio fuisse iuxta crucem, quando Ioan. narrat. at postea, nimirum post mortem fuisse à longè simul cum alijs. Mihi hoc non videtur valde probabile: nam si post mortem mulieres recesserunt, non dictæ fuissent stetit respicientes à longè; iam enim non erat quod starent aspicientes, si prius iuxta crucem steterant, & Christo mortuo recesserant. probabilius est, quod Euthym. dicit à principio à longè fuisse, postea verò accessisse. Nec obstat Euangelistas ceteros, postquam narra-

Arunt Christum mortuum, referre mulieres à longè stetit; sæpe enim re vna narrata, redeunt ad narrandum, quod omissum est; quia simul multa scribi, aut dici non possunt: hoc dico propter Mariam Magdalenam; nam ceteras, quas à longè stetit ceteriarrant, non stetit iuxta crucem existimo cum Beata Virgine præter has duas, & idcirco earum Ioan. meminit, tanquam hæc duæ tunc cum ipso Ioanne iuxta crucem steterint; Maria Cleopha quidem, quia soror erat matris Christi, Magdalena verò propter intensum amorem, quo Christum prosequatur, sicut & Ioannes. hæc igitur iuxta crucem stabant, dum fierent hæcenus narrata de Christi crucifixione.

Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ.

COMMENTARIUS.

Conuertit Dominus à cruce oculos in matrem, & discipulum dilectum Ioannem, qui hæc scripsit. superius explicuimus, cur dilectus Ioannes dicitur sit, non autem de matre dicit, quam diligebat, nam nomen ipsum matris, ipsam dilectionem, & amorem supra discipulum indicat. particula, *Ergo*, significat ea de causa illam vidisse, quia iuxta crucem astabat.

Mulier, ecce filius tuus.

Matrem admonet, vt in discipulum parentis auctoritatem habeat, nõ quod carnis coniunctione Christus sit commotus, vt aliqui asseruere, quos refellit Cyril. li. 12. ca. 34. quasi humanus affectus, sicut in nobis, locum in eo haberet, sed parentes honorandos, & curam eorum gerendam nos docuit: & vt August. tract. 119. dicit: Exemplo suo, suos instruxit ministros; vt à filijs piam curam impendendam esse parentibus docerent. cumque illud lignum, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis, ex hac sana doctrina didicit Paulus, quod docebat, quando dicebat: si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior, 1. Timot. 5. Existimo hæc verba cor Beatissimæ Virginis tanquam gladium penetrasse, dum audiuit illud verbum, *Filius tuus*, & curam filij in tanta angustia positi erga se ipsam experta est.

Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua.

Commedat discipulo, vt filij officium in eam exhibeat, ac si diceret, esto to, id temporis Beatum Ioseph superstitem non fuisse, quamuis Ambr. Luc. 23. id affirmauerit, vt superius capit. 2. retulimus. Magnum mihi profectò in hoc mysterium significatū videtur: omnes enim nos curæ Beatæ Virginis, & protectioni eius, ac intercessioni commendauit: nobisque fiduciam dedit, vt tanquam ad matrem, & dominam dilectissimam in omnibus nostris confugeremus: est enim post Christum singulare, tutissimum, & efficacissimum refugium: Ioannes enim nos omnes repræsentabat.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Singularem eius curam in officijs pietatis exhibendis discipulus gessit ex hora illa, nec vllam interposuit moram, in tãto ac tam insigni beneficio acceptando. Felix profectò discipulus fuit, qui à Domino dilectus, in filium Beatissimæ matris Dei adoptari à Christo meruit. *In sua* ergo accepit, id est, in numero eorum, quorum curam magnam gerere oportebat.

ANNOTATIO XVI.

*Legendum
ne in sua, an
in suam.*

Aliqui legunt, *In suam*, at lectio corrupta est, vt ex Græco constat, vbi in plurali numero, In propria, seu in sua legitur, sicut illud superius. In propria venit Ioan. i. sic etiam Ambr. in exhortatione ad Virgines, & August. tracta. 119. legunt, & ea est legitima lectio. Alij interpretantur, *In sua*, id est, in suam domum, nec multum ab hac expositione discrepare videtur Epipha. hæc. 78. exponit enim accepit ad se ipsum, quamuis hoc magis propter mysterium dictum esse censeat, quàm quod Ioannes ad se ipsum eam acceperit, sed non est accommodata expositio: nam in eo sensu dictus est accepisse, *In sua*, quo dictum erat, *Ecce mater tua*, accipere igitur in sua, est tanquam matrem venerari, & curam illius gerere in his ministerijs, & officijs, quæ filij matribus exhibent, & ita exponere videtur Augustinus. non quod Ioannes propria haberet, qui omnia dimiserat, & secutus erat Christum; sed, *In sua*, dicitur recepisse, id est, loco suorum

A cura geritur: vt expositum est. Non prætermittam quæ in hæc verba dicit Ambrosius; in exhortatione enim ad virgines sic inquit: *ex illa hora accepit eam discipulus in sua*. Quid est in sua, cum reliquerit patrem, & Christum secutus sit? aut quomodo in sua, cum ipsi Apostoli dixerint, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & secularia non habebat, quia de munda non erat? bonus verbi, sapientiæque possessor bonus receptor gratiæ. Audite, quæ Apostoli à Christo acceperunt, Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum miseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis, derenta. Neque enim mater domini Iesu nisi ad possessionem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum. hæc Ambros. doctè, & acutè: Beata enim Virgo inter spiritualia bona maximè computatur, quæ Apostoli non reliquere, sed accepere: in temporalibus pauperimi, sed in spiritualibus ditissimi.

Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit, Sitio.

COMMENTARIUS.

Multa omittit Ioannes, quæ, dum in cruce Christus esset, à Iudæis dicta sunt, cæteri que Euangelistæ narrant. Vnum autem refert vltimum, quod ab alijs est prætermisum: huius enim verbi à Christo prolato, solus Ioannes meminuit. Sciens, inquit, Iesus iam omnia, quæ à Iudæis nempe passurus erat viuus, consummata esse, id est, iam ferè esse cõpleta, nec aliud deesse præter vnum, quod in scriptura prædictum erat, vt omnia, quæ prædicta sunt, consummarentur, etiam hoc implere volens, dixit: *Sitio*, verè Christus sitiebat, & maxima premebatur, ac vexabatur siti; caro enim sanctissima, vt dicit Cyrillus lib. 12. cap. 35. maximis doloribus exsiccata, humido etiam naturali effusione sanguinis consumpto, siti torquebatur: multum enim dolores ad sitim commouendam possunt: innatum enim calorem exagitant, & humidum internum consumunt. Hanc sitim, sicut & cæteras passiones, spontè Dominus

Dominus perpeffus est, quàm etiam vocibus expressit, vt scriptura impleretur, quæ est Psal. 68. In siti mea potauerunt me aceto, sitim enim ex eius verbo cognoscentes, eum aceto potârunt.

ANNOTATIO XVII.

*In Christo
potus obla-
tus est.*

At tunde bis Dominum potatum fuisse, semel ante crucifixionem, semel post. ante crucifixionem oblatum est ei vinum myrrathum, id est, felle mixtum, vt narant Matth. & Marcus: torquendis enim, vt membra obstupescerent, minusque dolores sentirent, hoc vini genus propinari solebat, quod Dominus, cum gustasset, noluit bibere: non enim passionis, & doloris sensum minuere, sed potius conseruare, vt vehementius pro nobis torqueretur, voluit: post crucifixionem verò aceto potatus est, & huius potationis meminit Ioannes: quomodo autem cum cæteris tribus conueniat, in annotatione inferiori exponemus. vnum tamen hoc in loco discutendum est, de hac nempe scriptura, quæ à Ioanne allegatur. Conueniunt omnes eam esse Psal. 68. In siti mea potauerunt me aceto; cuius sensus notandus hic est, Cum me sitire intelligerent, acetum mihi loco potus dederunt, & hac ratione accommodanda est prophetia his verbis: nam dicit Ioannes Christum dixisse, *Sitio*, vt impleretur scriptura: scriptura enim non prædixit eum, *Sitio*, dicturum, sed aceto potandum; id est, cum sitiret, acetum illi propinandum loco potus. propterea ergo sitim manifestauit, dicens. *Sitio*, vt scriptura impleretur, nempe aceto potandum esse. Illi enim

A nõ potassent eum aceto in siti, nisi ex eius verbo sitire eum cognoscerent. At de prioribus verbis versiculi istius, Dederunt in escam meam fel; dubitatio esse potest, an sint intelligenda de priori illa potatione. Aug. in eo Psalm. metaphoricè hæc verba exponit, vt fel significet amaritudines, & dolores, quorum Iudæi causa Christo fuerunt. at non videtur accommodata expositio: cum enim simul hæc sint coniuncta de felle, & aceto, hoc autem ad litteram sic intelligendum. videtur etiam illud eadem ratione accipiendum; non enim aptè coniunguntur esca metaphoricæ, & potus materialis: idcirco Euthy. in eodem Psal. de priori illa potatione interpretatur, sed laborat, quomodo esca dicatur, cum potus fuerit, & ab Euangelista bibi dictus sit. Mihi solutio breuis, & facilis esse videtur, esse quosdam potus, qui simul esca, & potus sunt; lac enim, & comeditur, & bibitur, & est esca, & potus: talis erat mixtura illa ex vino & myrrha, seu felle; David autem, vt hæc duo distingueret, ne quis ad vnicam potationem referret, ideo vnum escam, alterum appellauit potum, 1. Cor. 5. Lac vobis potum dedi, non escam: ecce lac bibitur, & potus dicitur: at Ezech. 34. Lac, inquit, comedebatis, & lanis operiebamini: ecce esca dicitur; ita factum est in myrrhato vino.

Vas autem erat positum aceto plenum.

COMMENTARIUS.

Indicant verba hæc Euangelistæ his, qui cruci affigebantur, acetum dari solitum: ea de causa erat vas deputatum aceto plenum, quod propinaretur crucifixis etiam cum Christo: erat etiam spongia, & calamus. cum enim essent in cruce, non poterant milites manu vas ipsum porrigere, sed ab inferiori loco spongiam plenam aceto, & ligno, aut calamo longo ligatam ori illorum superponebant, vt sugere possent. Acetum hoc valde probabile est ministrari solitum, vt citius morerentur; nam acetum valde vulneratis nocet vt igitur myrrhatum vinum à principio propinabant, vt minus dolores sentirent, ita etiam postea aceto potabant, vt citius à tormento illo per mortem liberarentur; quamuis Christo non ea de causa sola propinatum esse Lucas significauerit, sed vt simul illuderent; cum enim sitire se diceret, loco potus, acetum, quod lethale erat, dederunt. dicit enim Lucas 23. Illudebant autem & milites accedentes, & acetum offerentes ei; & ita lib. 12. cap. 35. Cyril. docet dicens, Pro iuuante, & iucundo potu, nocentem & acerbum attulerunt; & humanitatem, qua moueri videbantur, in impietatem conuerterunt; nam cum petenti dabant, charitatis habitum suscipere videbantur. hæc Cyril. cæteris autem etiam non sitientibus dabatur acetum, propter causam dictam, non vt sitim extinguerent: Christo autem sitienti illuserunt, fingentes, se potum dare pro siti extinguenda, cum esset acetum mortis.

Illi autem spongiam plenam aceto byssopo circumponentes obtulerunt ori eius.

Quod vnus accurrès fecit, vt dicit Matth. multi fecisse dicuntur à Ioanne, & Luca, quia nomine multorum effecit. sensus autem horum verborum,

hic est; spongiam aceto impleuit, & ne delaberetur imbibitus liquor, hyssopum humilem herbam circumposuit, ita ut spongiam complecteretur hyssopus, eamque inuolueret, & sic spongia aceto plena hyssopo inuoluta longæ arundini imponitur, ut Matth dicit. offerturque ori eius.

A N N O T A T I O X V I I I .

Quomodo
circa obla-
tam spongiã
concordes
sunt Euange-
listæ.

Difficultas occurrit ex cæteris Euangelistis. nam Matt. dicit, spongiam impositam arundini, Mar. circumpositam calamo, at Ioan. hyssopo circumpositam narrat. Luc. autem de modo propinandi nihil dixit. Cyrill. libr. 12. cap. 35. respondet, totum fuisse verum: nam varij milites acetum obtulerunt, unus spongiam calamo, seu arundini; alter ligno hyssopi circumposuit. Theophyl. & Euthym. vnum fuisse affirmant, & arundinem hanc interpretantur fuisse virgam hyssopi, & si hoc est, concordia est facilis; tamen obstat hyssopum esse humilem herbam, nec habentem calamos longos, & duos, ut constat ex Dioscori libr. 3. capit. 28. & Plinio libr. 26. capit. 4. Nec responderi potest, in terra promissionis hyssopos fuisse magnas, nam habemus 3. Reg. 4. Disputasse Sa-

Alamonem super lignis à cedro, quæ est in libano, usque ad hyssopum. quæ egreditur de pariete. Aliqui dicunt spongiam circumligatam hyssopo, loco filii, fuisse ad calamum, seu arundinem, & id verisimilius est; quamuis nec hoc sit admodum probabile. Verius est hyssopo herba circumuolutam fuisse spongiam, ne acetum facile dilaberetur, & sic impositam calamo, & ori Christi oblatam esse: herba enim ista frequens est, & amara: quod etiam accommodatum erat his, qui torquebantur, sicut myrrhatum vinum. Nec est existimandum, tunc occurrisse herbam illam ad manum, sed præparatam fuisse cum spongia, arundine, & vase aceti. hæc est expositio probabilior, & accommodatior, & verior.

Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est.

C O M M E N T A R I V S .

Particula *Ergo*, illationem ex præcedentibus indicat; est autem verborum consequentia ista. Sciebat omnia consummata, præter vnum, quod prædictum erat, nempe aceti potationem, quæ vna eius passioni supererat. ea ergo completa, dixit, *Consummatum est*, nempe finis & terminus passioni mee est iam impositus.

Et inclinato capite.

Post verbum illud, *Consummatum est*, voce magna clamauit, ut refert Luc. dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meum; postquam vocem caput inclinavit ad mortem, ut significaret, quod ipse dixerat; Ego pono animam meam, nemo tollit à me, idcirco voce magna clamat, ut non virtutis, & naturalis roboris defectu mori videretur, sed spontè animam ponere. Postea etiam inclinavit ipsemet spontè caput, & spiritum tradidit: ceteri homines non sic iam iam morientes clamant, nec ante inclinant caput, sed potius per mortem, spiritu & vigore omni deficiente, caput suo pondere declinat. ut dicit Cyrill. libr. 12. cap. 76. & Chrysost. hom. 84. quod rectè Athanasius in quæstionibus ad Antioch. quæst. 76. annotauit dicens; *Quidnam illud est. Inclinato capite spiritum tradidit?* nam omnes moribundi moriuntur primum, & tunc demùm inclinant capita. respondet; sola mors adhuc restabat, atque hæc metuens appropinquare non audebat: ideo Christus inclinato capite vocauit eam; antequam enim inclinasset caput, propius accedere verebatur. hæc Athanasius.

Tradidit spiritum.

Cvi commendauit, nempe Patri, tradidit spiritum, separando animam à corpore, sed neutrum à diuinitate, cui tam spiritus, quam corpus coniuncta & vnita manserunt. Spiritum animam ipsam appellat, ut docet Athanasius. lib. de incarnat. Christi & Cyril. libr. 12. cap. 36. cum reliquis Patribus. Matth. dicit. *Emisit spiritum.* Luc. *Expirauit.*

Iudæi

Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Deutero. 27. præceperat Dominus, ut cadauera suspensorum in patibulo eodem die deponerentur: hoc autem citius nunc faciendum erat ante solis occasum, quia ab eo incipiebat sabbati solemnitas; quâdo enim crucifixus est Christus, erat Parasceue, seu sexta feria. quod si depositio differretur, toto sabbato corpora mansissent contra Domini præceptum: non enim in sabbato deponi poterant corpora: nam in sabbato non licebat opus serui. le facere, quale hoc erat. maximè quia sabbatum illud, præter sabbati solennitatem, erat etiam secunda dies Azymorum; idèo magnus dies erat. Rogât igitur Iudæi Pilatum, ut crura eorum frangantur, morsque illis acceleretur, ut deponi possint ante occasum: iam enim declinabat dies. De hoc sabbato cap. 12. egimus, & quare magnus dies diceretur, exposuimus.

Venerunt ergo milites, & primi fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est eum eo. ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.

Annuit eorum precibus Pilatus. Veniunt ergo milites iussa Pilati executuri, inueneruntque duos latrones cum Christo crucifixos viuere: idcirco eorum crura fregerunt, & occiderunt; cum autem Dominus iam mortuus esset, eius crura non fregerunt; non enim frangebatur, nisi ut citius morerentur, ut Cyril. libr. 12. cap. 39.

A N N O T A T I O X I X .

Cur noluerit
Christum eum
crura frangi.

ORIG. libr. 2. contra Celsum, causam reddit; cur ossium fractionem præuenerit Dominus morte prius accelerata. Eo inquit, significare voluit, se spontè animam à corpore separasse, & post quædam extra illud dispensata spontè iterum vnisse: integrum enim corpus manere voluit, significans citò resurrecturum. vbi Origen. docet maturasse egressum à corpore. & ante tempus, quod naturaliter adhuc viuere potuit, animam separasse. ut spontè mori significaret. Idem de ossium fractione non expectata significat Cyprian. in libr. de Idolorum vanitate. Mihi quidem

quantum ad mortis præuentionem, ne ossa frangerentur, ut significaret se statim resurrecturum, placet doctrina hæc: illud tamen mortem accelerasse, & ante tempus naturale mortuum esse, non probo: existimo enim potius distulisse mortem, cum tanta sit passus; ut nisi virtute diuina anima detenta esset in corpore, multo ante separata esset. distulit tamen, ut pro nobis magis pateretur, & ea, quæ scripta erant, impleverunt: in quo magis significatur, tum potestatem habuisse animam suam ponendi.

Non necesse
erant, sed po-
tius distulit
Dominus
mortem.

Et vnus militum lancea latus eius aperuit.

C O M M E N T A R I V S .

Vel quia, à mortuus verè esset, miles hic dubitauerit, ut videtur Cyrillo libr. 12. cap. 39. Vel ad Iudæorum gratiam conciliandam, ut sentit Chrysost. hom. 84. Vnus militum aperuit latus Domini lancea: diuina autem prouidentia, & consilio, id est permissum, ut de morte Christi nemo vnquam dubitare posset, & ut quanto manifestior esset mors, tanto certior esset resurrectio. nemo enim Iudæorum ipsum mortuum fuisse dubitare poterat, cuius latus lancea apertus est, quo solo vulnere homo naturali virtute viuere non poterat: nec ex hoc tantum resurrectio certior, sed etiam potentior facta est. Magna profectò, & mira virtus, quæ tale corpus valuit suscitare. Non est autem sine consideratione pertransendum, quod Dominus non sibi viuo, sed mortuo latus aperiri permisit, & voluit. quod quidè tribus de causis factum existimo. Primò, ut mortis suæ mysteriū significaret: erat enim mors illi volun-

taria. moriebat enim quia volebat. Ioan. 10. Nemo tollit animam meam, ego pono eam. idcirco vulnus lateris non expectavit viuus, ne non voluntate, sed vulneris necessitate mori videretur. qua etiam de causa ante latrones illos secum crucifixos mori voluit, ita ut Pilatus, quod tam cito fuerit mortuus, miraretur. Secundo, ut nos instrueret: nam aqua, & sanguis, quae ex eius latere fluxerunt, Sacramenta Ecclesiae per quae iustificamur, & maxime baptismum & Eucharistiam, ad quae caetera, tanquam ad principium & finem referuntur, significabant: quae quidem Sacramenta efficaciam & dilationem praecipue ex morte, & post mortem acceperunt. Tertio, ut mortis eius affectus ostenderetur; apertio enim illa lateris, ianuam regni caelestis per ipsius mortem resecratam indicabat, quae nemini patuit antequam moreretur.

A N N O T A T I O X X.

Mortuo Christi aperitur latus lanceae.

VERBIS ista antiqua haeresis confutatur affirmantium, viuenti Christo latus fuisse apertum, & Ioannem per anticipationem prius narrasse mortem. At hi errant aperte, nec anticipationem eis suffragari potest; nam verba sunt expressa: cum, inquit, inuenissent mortuum, non fregerunt eius curam, sed vnus lancea latus eius aperuit. Haec haeresis damnata est Clement. de Sum. Trinit. mira est profectio impudentia haereticorum, qui verba tam expressa Ioannis peruertere non verentur. exponebant autem praeteritum pro plusquamperfecto, nempe, *Aperuerat*, at nec particula *Sed*, nec verba praecedentia talem admittunt sensum, ut cuiuslibet sana mente legenti manifestum est. Aduertendum praeterea est Graecae loco, *Aperuit*, haberi fodit, aut

percussit, & ita aliqui interpretantur. Chryso. autem hom. 84. legit, *aperuit*, si verus est eius interpres, & facilis esse potuit scripturae error; nam *hwoiſt*, *aperuit*, *hwoſt*, fodit significat. Aug. autem tract. 120. legit *Aperuit*, censetque mysterium esse, quod non sit eictum fodit, aut percussit. Vigilanti, inquit, verbo Evangelista vsus est, ut non diceret latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiae manauerunt, sine quibus ad vitam, quae verè vita est, non intratur. haec Augustinus. vtraque lectio est probanda, siue aperuit, siue fodit: sensus enim idem est, siue hoc, siue illo legas modo.

Et continuo exiit sanguis & aqua.

C O M M E N T A R I V S.

PRAETER naturam ordinem ex mortuo corpore sanguis, & aqua effluxit, ut annotarunt Cyprianus libr. de duplici Martyrio, & Euthym. in praesenti. immo aqua de viuo etiam corpore vera, & elementaris emanare non potuit: mysterium haec significabant. Ecclesia enim de latere eius mortui, sicut Eua de dormientis Adae formabatur: duoque sacramenta, Baptismus quo corpus Ecclesiae efficitur & mundatur, & Eucharistia, qua corpus formatum alitur, in aqua & sanguine representantur. ista duo sic Doctores sacri interpretantur, ut per aquam baptismus, per sanguinem Eucharistia significetur. id affirmant Cyrillus lib. 12. cap. 39. Chryso. hom. 84. Cyprian. libello de Passione & resurrectione Christi. his duobus ergo Sacramentis omnia exprimentur. nam baptisma ianua est, & fundamentum eorum, Eucharistia est consummatio, & complementum: vnde August. tract. 120. Sacramenta omnia emanasse ex latere Domini asseruit.

Duo haec baptismi & Eucharistiae Sacramenta representant.

A N N O T A T I O X X I.

Vera aqua de Christi latere exiit.

CAVERE oportet errorem ab Innocentio damnatum. Cap. in quadam. de celeb. Misfarum; quem nostri temporis haeretici suscitauerunt. nempe non veram aquam, sed humorem flegmaticum fuisse, qui vna cum sanguine effluxit de latere Domini: at hoc esse contrarium veritati, ipsum verbum Ioannis probat; aquam enim fluxisse testatur ex visu: aduerfatur etiam veritati baptismi: ut enim docent sacri Doctores, aqua haec baptismum significabat, sicut sanguis Eucharistiam; at baptismus non humore flegmatico, sed vera

conficitur aqua: Quod si aquam negent de corpore emanare naturaliter potuisse, id nos etiam fatemur, sed supernaturali ratione id factum dicimus, sicut & sanguis ex mortuo iam corpore naturaliter non fuit. Hoc argumento emanationis aquae, & sanguinis vtuntur aliqui ad probandum, miscendam aquam vino in calicis consecratione, & argumentum probabile est, sed non necessarium; aliae sunt enim causae urgentiores, propter quas id facit Ecclesia, quas non est praesentis instituti discutere.

Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis.

C O M M E N T A R I V S.

Cur Ioannes huius mysterij testem oculatum se prodatur.

MULTA Ioannes ex his, quae narrata sunt, viderat oculatus testis eorum; huius tamen mysterij praeter narrationem communem adhibet particulare testimonium ex visu: de se enim in tertia loquitur persona, sensus tamen est; Ego ipse vidi, qui haec narro, & de his testimonium perhibeo, & scio me non esse deceptum, sed vera narrare, quae quidem eatenus dico, ut vos credatis, & fideles Christi efficiamini. Attende aquam hanc vna cum Christi sanguine post mortem emissam, significasse aquas baptismi efficaces futuras ablutionis animarum a peccatorum sordibus, non propria, sed mortis, ac sanguinis Christi virtute; idcirco Ioannes tam singulare reddit testimonium: est enim Baptismus ianua Ecclesiae. Est etiam alia causa, cur Ioannes hac vsus sit verborum confirmatione. nempe, quia veritas humanitatis Christi hoc argumento confirmatur, & consonat haec sententia illi eiusdem Ioannis. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis; Spiritus est anima, de quo dixit; Tradidit spiritum; Aqua indicat corpus verum naturale; Sanguis autem animale probat; tria ergo haec veram naturam humanam, quae ex rationali anima, & corpore naturali, & animali parte constante conficitur, significant; moriensque Christus suae naturae humanae vere efficax dedit testimonium, ut se verè mori manifestaret; ea igitur de causa Evangelista hanc singularem facit probationem.

Facta sunt enim haec, ut scriptura impleretur; Os non contuminetis ex eo.

QUAE facta narravit, probat testimonio scripturarum; quod enim ossa eius non essent frangenda, sed latus fodiendum, & aperiendum prophetatum, & praedictum est; ut ex hoc ipso eum verum esse Christum noscamus, in quo impleta sunt omnia, quae praedicta erant: de ossibus autem non frangendis praedixit Dominus Exod. 12. in figura illius agni Paschalis, Christi mortem, & oblationem representantis; vetuerat enim ne os illius confringerent, quod ad litteram, & corticem in agno illo obseruatum est, ut asserunt August. tract. 120. & Chryso. ho. 84. at quia illud non propter agnum, sed propter Christum institutum est, quando in Christo est effectum, tunc impletum, & completum perfectè dicitur.

Et iterum alia scriptura dicit; Videbunt in quem transfixerunt.

EST alterum testimonium Zacha. 12. quo lateris illa apertio significata, & praedicta est. Duos Christi aduentus haec verba prophetica significant; in illo enim verbo, *Transfixerunt*, priorem indicat in carne mortali, quando inimici lancea latus eius transfixerunt, & aperuerunt; in illo autem, *Videbunt*, posteriorem ostendit, quando venturus est iudicare viuos & mortuos; tunc inimici videbunt eum immortalem, & iudicem, quem prius mortalem tantquam reum, & nocentem vulnerarunt, & transfixerunt. Ioannes autem vtitur testimonio hoc, propter transfixionem aduentus prioris; at Apocaly. 1. hoc insinuans vtitur testimonio propter posteriorem aduentum; Ecce, inquit, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

A N N O T A T I O X X I I.

Septuaginta interpretes aliter legunt.

ADVERTE apud Septuaginta non haberi huiusmodi prophetiam; nam ipsi verterunt; Aspicient ad me, pro eo quod insul-

tauerunt: ea de causa Euthymi. Graecus sequens Septuaginta interpretationem, existimat verba ea fuisse à Iudaeis ablata à Prophetis.

At ve-

At verius Hierony. Zach. 12. & lib. de optimo genere interpretandi vertit: Aspicient ad me, quem transfixerunt; & notat Septuaginta fuisse deceptos litterarum similitudine: quod sæpe contingit; nam Daleth, & Resh sunt simillima apud Hebræos; verba autem efficiuntur diuersæ significationis; nam cum daleth in principio, et resh in fine significet transfigere, & fodere, dacharu. \aleph at cum

resh in principio, & daleth in fine insultare, rahadu \aleph propterea Euangelista non secutus est — Septuaginta, sed veram lectionem Hebræam. Videbunt, inquit, in quæ transfixerunt, id est, me, quem transfixerunt. Est autem locus hic Iudæos conuincens; nam apud Prophetam Deus est, qui loquitur, vt ex antecedentibus, & sequentibus verbis constat. & tamē dicit: Videbunt me, quem transfixerunt; Christus igitur Deus est.

Post hac autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathea, eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum, vt tolleret corpus Iesu.

COMMENTARIUS.

QUIA discipulus erat, quamuis hætenus occultus propter Iudæorum metum, Pilatum rogat corpus sibi ad sepulturam concedi. Marc. addit, Audacter introisse, non enim timuit Iudæorum inimicitijs, vt prius timuerat, se exponere: persequebatur enim Iudæi eos, qui in Christo quauis ratione fauebant. à Matth. Diues, à Marco nobilis Decurio dictus est. Lucas autem, Virum bonum & iustum, nec consensisse actibus eorum contra Christum refert, adeo vt aliqui, referente Hierony. in Matth. existimauerint propter eum dictum esse, Beatus vir, qui nō abiit in cōsilio impiorum. Dicit autem, *Post hac*, nimirum postquam mortuus erat Dominus, & latus eius vulnere apertum. Matt. & Mar. Cum serò esset factum, venisse ad Pilatum referunt, quod non de tempore post occasum solis intelligendum est, sed ante occasum; erat enim duplex vespera apud Hebræos, vt annotauimus cap. 13. quando agni immolationis tempus explicuimus. Dicitur ab Arimathea ciuitate propria. est autem Arimathea seu Arimathia, vt notat Hieron. de locis Hebraicis. patria Samuelis, dicta 1. Reg. 1. Ramathain, distat à Hierusalem triginta miliaribus Italicis ad occidentem.

Et permisit Pilatus; venit ergo, & tulit corpus Iesu.

NON licebat damnatorum corpora sine Præsidis consensu honorifice sepelire, ea de causa rogat Ioseph Pilatū. Miratus Pilatus Christum iam obiisse & accessit Centurione, & interrogato si iam mortuus esset, & recognita. donauit corpus Ioseph, hæc Marcus refert. Cum igitur id iam à Pilato obtineret, venit, & tulit corpus Domini de cruce, vt sepeliret.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primam, ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum.

COmitem habuit Ioseph in sepultura Domini Nicodemum illum, qui primū, id est, à principio prædicationis Christi venit ad Iesum nocte, cuius historiæ cap. 3. facta est mentio. hic ad vnguēdum Domini corpus ferētum libras mixturæ ex mirrha, & aloë portauit: nam mos erat Iudæorum, viros magnos, & insignes magna aromatum copia sepelire, vt diutius sine corruptione corpora conseruarentur. cum igitur hi, & nobiles, & potentes, ac diuites essent, sumptuosissimè ac honorificentissimè Christum sepelire decreuerunt, quem præclarum Prophetam, & insignem virum credebant. Quamuis autem piæ deuotionis hoc esset officium, ex fide valde imperfecta procedebat, vt dicit Chrysof. hom. 84. si enim celerem, ac breuem resurrectionem nouissent, illumque Dei filium credidissent, de quo Psalm. 15. scriptum erat, Non dabis sanctū tuum videre corruptionem; non hæc aromata à pu-

Quo tempore Ioseph uenit rogatus Pilatū.

Arimathæa ciuitas est Ramathain.

Forum uirorum obsequium piū quidē, sed ex defectu fideriorum fuit.

à putredine præseruantia præparassent; quamuis diuina prouidentia id sit effectum, vt virtus Christi in eo corpore honorificaretur, & qui cum ignominia mortuus erat, cum honore sepeliretur. Hoc officio significata est fidelium deuotio, qui pro Christo mortuo, & passo iugentes erant diuitias profusuri.

Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.

INuolutum est corpus sindone munda, vt Matthæus refert; & linteis ligatum est cum aromatibus, seruato more sepulturæ Iudæorum: non enim cum vestibus proprijs, quibus uiuus utebatur, Iudæi mortuum sepeliunt, sicut Itali sepelire solent, sed lineis linteis ligare pedes, & manus, & sindone linea corpus circumuoluere, vt nunc etiam Iudæi faciunt, & aliqui etiam fideles obseruant. hac de causa Hieron. Matth. 27. asserit factum esse, vt in altari corpus Domini non super sericum, sed super lineum pannum ponatur. Sic superius Lazarum legimus sepultum.

Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat.

ERAT hortus in loco, id est, propè locum, ubi crucifixus est, quia illa pars agri, & mōtis, ubi crucifixus est, non erat pars horti, sed proxima horto; nisi uelis locū appellari totum illud spatium, quod dicebatur Golgotha, in quo & pars illa montis, ubi crucifixus est, & hortus iste concludebatur. Hoc totum Ioannes locum, ubi crucifixus est Dominus, vocat, ideo dicit in loco illo fuisse hortum. Nouo autem monumento Dominus sepelitur, tum, vt Cyril. libr. 12. cap. 42. Chryf. hom. 84. & Hieron. Matth. 27. & Ambro. lib. 3. de Virginibus, dicunt, ne si alij ibi essent sepulti, non Dominus, sed alius resurrexisset. crederetur, tum, vt dicit Orig. lib. 2. contra Celsum: Quia quemadmodū eius natiuitas omni natiuitate purior erat: ex perpetua enim uirgine natus est, ita etiam debuit sepultura insignem puritatem habere. quod etiam Aug. tract. 120. sentire videtur dicens. Sicut in Mariæ uirginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. Idem etiam dicit Hieronymus in Matthæum. tum demum propter reuerentiam, & significationem. Reuerentiam quidem, quia illud corpus unicum erat diuinitati, nec decebat corporibus corruptionis coniungi: Significationem uero, quia citò erat suscitandū, vt mors illi uelut somnus fuerit, non ut cæteris mortuis, qui ad immortalem vitam, ultimo die surgent. Et rursus erat mortuum, sed diuinitati, quæ uita est, unicum, nec omnino carebat uita, ut cætera corpora carent; non ergo mortuis cæteris coniungi debuit.

Ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Occasus solis instabat, quādo sabbathi solemnitas incipiebat, idcirco in loco proximo ei, ubi erat crucifixus, sepultus est; ne si locum distantio-rem eligerent, breuitate temporis à sepultura impedirentur. Hæc uerba, ut rectè annotat Euthymius, insinuāt uoluisse illos in alio digniori monumento, quod longius distabat à ciuitate, corpus Christi collocare; sed temporis breuitate impediti sunt.

ANNOTATIO XXIII.

Cur alieno sepulchro Christus conditus.

QUÆRET aliquis, Cur in altero sepulchro Dominus conditus est? Respondet Ambr. libr. 3. de Virginibus: Bene inquit, & secundum litteram, alienum sepulchrum fuit quia suum monumentum Dominus non quaesuit: habeant tumulum, qui sub lege sunt mortis, victor mortis suum tumulum non habebat; non enim ille sepulchrum mortis deside-

desiderabat, qui de morte trophæa referebat. August. serm. 133. de Tempore, ad hoc idem sic dicit: Videamus quare Saluator in aliena sepultura ponatur, & suam non habeat; idèd in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute: mors enim ista non illi accidit, sed nobis profuit; mors ista non illi illata est, sed nobis delata: ut quid ergo illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat? ut quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cælis? ut quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto quieuit? ipsa enim temporis breuitas declarat potiùs somnum fuisse, quàm mortem: sepulchrum autem mortis est habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est, neque opus habebat semper viuens habitaculo defunctorum. Rectè hanc vitam nos in sepulchro nostro condimus, ut viuificet mortem nostram, ut cum ipso à mortuis resurgamus. hæc August. ex quibus verbis multas habemus rationes, & causas, propter quas alienum sepulchrum Dominus suo corpore fuerit dignatus.

CAPVT VIGESIMVM.



VNA autem sabbati Maria Magdalene venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat IESVS, & dicit illis. Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus, præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non

tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum. Et vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit, & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit. Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinavit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis, Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum: Hac cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia IESVS est. Dicit ei IESVS, Mulier quid ploras? quem quaris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei IESVS, Maria. Conuersa illa, dicit ei, Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei IESVS, Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidit Dominum, & hæc dixit mihi. Cum ergo sero esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Iudeorum: venit IESVS, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisus sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis, Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum: Ille autem

tem dixit eis, Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum: & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei IESVS, Quia vidisti me Thomas credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia IESVS est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

Vna autem sabbati.

COMMENTARIVS.

Incipit Euangelista Dominicam narrare resurrectionem: & qua ratione primò manifestata fuerit describit. Initium autem sumit à tempore aduentus Mariæ Magdalene, cui ante ipsos etiam Apostolos visus est, Vna inquit sabbati, id est, prima die hebdomadæ, quæ dies Dominica apud nos dicitur. Vna enim pro prima ponitur, sicut & Gen. 1. Factum est vespere, & manè dies vnus, id est primus. & Mat. 28. Quæ lucefcit in prima sabbati. Græcè est in vna sabbatorum. & Luc. 24. Vna autem sabbati. Sabbatum autem totam hebdomadam hoc loco significat, sicut & Num. 25. Numerabis tibi septem hebdomadas annorum; in Hebræo non hebdomadas, sed sabbata legimus. & Luc. 18. Ieiuno bis in sabbato. A fine enim & termino, qui sabbatum est, tota hebdomoda sabbatum denominatur: habet enim plures significationes sabbatum in scriptura: nam & dies septima, & festa, ac hebdomada, sabbata dicta sunt, cuius nominis etymologia superius exposita est. Græcè in plurali habetur numero, Prima, seu vna die sabbatorum, non quod singuli dies hebdomadæ sabbata dicerentur, ut existimauit Nicephorus libr. 1. Hist. capit. 33: non enim in scriptura talis significatio reperitur; sed quod numerus pro numero ponatur, quod frequens est Hebræis, per quandam Anallagen, sicut Matth. 12. Abijt Iesus per sata sabbato: in Græco habetur sabbatis; aut etiam quia singuli dies ab hebdomada, quæ sabbatum dicitur, denominabatur, prima sabbati, secunda sabbati, tertia sabbati, & sic de cæteris. prima ergo dicitur sabbatorum id est, prima dierum septem, quarum singulæ à sabbato appellabantur, ea de causa pluralis numerus positus est; non quod singuli dies sabbata dicerentur in nominandi casu, sed quod à sabbato in obliquo casu, denominarentur.

ANNOTATIO I.

Difficultates varie circa resurrectionem.

Nulla in re Euangelistæ sibi magis aduertari videntur, quàm in historia resurrectionis Dominicæ describenda: cum autem eos esse consentientes, & concordantes certissimum sit, insudauerunt maximè antiqui, & recentiores Doctores in eis componendis, & adhuc est, quod doctissimorum ingenia exerceat. Nos non omnes difficultates discutere intendimus, qui aliorum Euangelistarum commentaria non explicamus, sed eas duntaxat, quæ ad Ioannis explicationem necessariæ visæ sunt: quarum prima est, circa verbum primum propositum; nam videtur à Matthæo discordare, inquit enim Matthæus, Vespere autem sabbati, quæ lucefcit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum Domini; Si ergo venit vespere sabbati, quomodo Ioannes dicit venisse prima die hebdomadæ, nempe Dominica? Varij sunt antiqui Doctores, & nostro tempore in hoc nodo soluendo.

Primo loco Hiero. epist. ad Hedib. quæst. 4. respondet; Vespere apud Matth. non accipi pro eo tempore, quod est post solis occasum

ante noctis aduentum, quod nos crepusculum vespertinum appellamus; sed pro eo, quod nos Latine dicimus sero, seu tarde, ut vespere sabbati sit profunda nox sabbati iam media transacta, quæ dicitur galli cantus. hanc sententiam Græcum aduerbium confirmat. **ἤ** enim vtrunque significat, & quod vespere, & quod sero dicimus: idem ergo tempus est cum eo, quod Ioan. narrat: nam dies prima post sabbatum iam appropinquabat, ideo dicitur, Prima die sabbati, hanc sententiam sequitur Ambrosio. Luc. ultimo.

Secundo loco Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 24. aliter soluit. Vespere enim apud Matthæum accipit in sua propria latina significatione pro tempore illo, quod est post solis occasum: affirmat tamen per Synecdochen pro tota nocte, quæ est post sabbatum, esse positum, eritque sensus: Nocte illa, quæ est post sabbatum, quando iam dies prima illucescit, tunc venit Maria: iuxta hanc sententiam manifesta est concordia Ioannis cum Matthæo.

Receptorum interpretatio nes reijciuntur. Tertio loco aliqui recentiorum vespere accipiunt etiam in propria significatione latina, pro crepusculo vespertino Sabbati, nec admittunt Synecdochen, sed pro illo tempore accipi afferunt: aliter tamen soluunt difficultatem propositam, nempe ut Matthæus non loquatur, nec sit intelligendus de tempore, quando ad sepulchrum venerunt mulieres, sed quando parauerunt aromata, vel ea emerunt, ut venirent; hoc autem fuit vespere sabbati, nempe transacto sabbato post occasum solis, tunc licebat operari, & tunc emerunt, & parauerunt aromata, ut nocte transacta venirent. Quod si opponas his verbum sequens, Quæ lucebat in prima sabbati, respondeat ab occasu solis diem sequentem computari, & ideo dici lucebat: probantque ex Luc. 23. ubi sic habetur, Dies erat parasceus, & sabbatum illucescebat, dicitur ergo dies illucescere ab occasu præcedentis. Hæc expositio difficile sustineri potest, nã Matthæus sic dicit, Vespere sabbati, qua lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria, videre sepulchrũ. nõ dicitur venisse emere, aut parare aromata, sed venisse videre sepulchrum. Violentia igitur fit, & detorsio verbis Evangelicis, si illo exponamus modo, & est potius accommodare scripturam proprio hominis sensui, quam hominem accommodare intellectu scripturæ sensui. hoc autem in hac expositione verum est, nempe post occasum solis sabbati iam licuisse operari solemnitate sabbati transacta, id quod etiam Aug. lib. 3. de consensu Euang. cap. 34. docet. Quod autem in ista sententia adductum est ab occasu solis præcedentis illucescere diem sequentem, ut ex Luca colligi videtur, falsum est; illucescere enim dies non dicitur, nisi ab ortu solis seu prope ortum à crepusculo, seu diluculo; & ita Hiero. Epist. ad Hebræos. quæst. 4. verba Matthæi, exponit. Quæ lucebat in prima sabbati: qua enim ratione lucebat dici potest, eo tempore, quando tenebræ incipiunt? quod aut Luc. dixit nõ est con-

trariũ, immo consonũ huic veritati: non enim Lucas dicere intendebat esse parasceum, & ab occasu sabbatum lucebat, sed esse Parasceum, & diem sequentem esse diem sabbati, ut per hoc significaret mulieres illas toto die sequenti nihil efficere potuisse ex his quæ desiderabant. Quod autem celebritas sabbati inciperet à vespere præcedentis, longè aliud est, quàm diem sabbati lucebat; hoc tamen paulò inferius in hac eadem annotatione fiet manifestius.

Quarto loco alij recentiorũ. Vespere apud Matthæum pro tota nocte, quæ est post sabbatum accipiunt, non per Synecdochen, ut Augustinus accipiebat, sed iuxta propriam significationem; dicunt enim Hebræum vocabulum, quo Matthæus vsus videtur, aut loco, cuius posuit Græcũ, si Græcè scripsit, esse **ἡ** quod non solum vespere, id est, crepusculum, sed etiam noctem ipsam significat, & tunc sensus Matthæi. erit, Nocte post sabbatum, quando iam illucescebat sequens dies prima, sed hæc expositio solidè non nititur fundamento: primò quidem, quia non probat Matthæus. illo vsu vocabulo, aut loco illius Græcum accepisse: secundò, si vsus esset illo, potius significare intenderet tempus illud crepusculi vespertini: nam in tota scriptura veteri non est locus, in quo illud vocabulum hebræum accipiatur pro nocte, quæ Hebræi, appellant **לילה** sed semper pro eo, quod Latine vespere. redicunt. immo etymologia id ipsum probat; est enim à verbo **ל** quod miscere significat, inde nomen quasi mistum ex luce, & tenebris tempus significans.

Quinto loco alij itidem nostro tempore verbum Græcum in alia accipiunt significatione; nam **ἡ** non tantum vespere, nec tantum sero, sed etiam extremum, & terminum significat, maximè quando regimini adiungitur; dicitur enim **ἡ** id est, ad extremũ **ἡ** tatis, seu vergeat **ἡ** tate. **ἡ** **ἡ** **ἡ** ad extremũ diei; ita nũc etiam dicitur, **ἡ** sabbati, id est ad extremum sabbati. Iterum annotant, quamvis ab occasu diei præcedentis festiuitas inciperet: vsque ad occasum sequentis tamen, quantum ad dierum computationem, ab ortu in ortum diem, Hebræos more Romanorum numerasse. Nox igitur illa sabbati erat, & terminabatur sabbatum ad solis ortum primæ diei; ut sensus sit, in extremo sabbati, id est, prope diluculum, aut diluculo, quando prima dies incipit. Ista expositio in hoc vera est, quod affirmat aduerbium illud talem habere significationem, quam Euthym. Matth. 28. Græcus auctor tradit, & sequitur, & lingua peritis satis est notas; in eo verò, quod terminum sabbati sumit prope crepusculum sequentis dominicæ, quasi tota illa nox pars sit, aut fuerit sabbati, expositio vera non est: sabbatum enim complebatur in solis occasu, nec probari vlla ratione potest Hebræos ab ortu in ortum dies suos computasse: rei veritas hæc est, semper Hebræos diem à nocte separasse, nec appellasse diem, nisi ut à nocte

distinguitur, iuxta illud Gen. 1. Appellauit lucem diem, & tenebras noctem: noctes autem adiungebantur diebus, nempe præcedentes sequentibus: nox enim sabbati erat post occasum Parasceus: nam quæ est post sabbatum, erat nox primæ diei, eaq; de causâ Dominus ab occasu præcedentis diei solenitates sequentium fieri iussit: quia nox præcedens ad diem sequentem pertinebat: propterea Matthæus dicens, Vespere sabbati, adiunxit, quæ lucebat in prima sabbati, ne quis vespere sabbati propriam intelligeret: hæc enim erat ab occasu Parasceus, at vespere hic sequentis erat diei. Quod si diem sumamus more latino compositum ex nocte, & die, & viginti quatuor horarum, tunc ab occasu in occasum secundum Hebræos accipiendus est: at, ut diximus, Hebræi soliti non erant diem appellare, nisi lucem à solis ortu vsque ad occasum, ideo dictum est Ioan. 11. Nõne duodecim horæ sunt diei? & frequentissimè apud Hebræos simul coniunctum legimus diem & noctem, siue diebus & noctibus, quando significare volunt, quod Latini per diem integrum viginti quatuor horarum significant, non ergò extremum sabbati erat diluculum Dominicæ. Doctius ergo Aug. lib. de con. Euang. cap. 24. Vespere exponens pro nocte interpretatus est, vespere, seu nocte sabbati, id est, quæ est post sabbatum: similiter & Hieronymus noctem illam post sabbatum accepit; non quod ipsius pars sit sabbati.

Sexto loco est expositio, quam Euthymius Matth. 28. secutus est, ut vespere significet quidem extremum diei; ut idem sit vespere Sabbati, quod extremo tempore Sabbati, seu completo sabbato, quod est ad solis occasum: ipse autem Euthymius legit plurali numero, Extremo Sabbatorum; id est, completis septem diebus, quæ à sabbato nomen habent. At ne quis existimaret statim completò

Maria Magdalena venit manè, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.

COMMENTARIUS.

Non poterat mulier amore Christi flagrans domi contineri; sed cum primum per tempus sibi licuit, ad Domini sepulchrum quærens quem diligebat, sedula se confert, dilectioni, & pietati simul incumbens. Tempus autem erat diluculo primæ diei, quando necdũ lux densas omninò tenebras depulerat, nec tenebræ adhuc totum aërem occupabant.

ANNOTATIO II.

Altera difficultas se nobis offert: nam Ioannes cum Marco concors non videtur; hic enim sic habet. Valde manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam Sole, est autem narratio Marci de Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome. Si igitur orto iam sole venit, quomodo tenebræ adhuc erant? Variè etiam hanc difficultatem Doctores solvunt. Primo loco Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 24. legit: Oriente iam sole, quod in diluculo verum habet: orti enim incipit, quando iam

sabbato mulieres venisse, adiecit Matthæus, quæ lucebat in prima sabbati, id est, iam appropinquante, & illucescente prima die: illa enim nocte vsque ad mediam partem domi manserunt, quia erat intempestium tempus. Hæc expositio insinuata, immò significata est à Cyrillo lib. 12. cap. 44. cuius verba sunt hæc: Exacto iam sabbato, & altero die appropinquante curriculo, venit Maria ad monumentum: hæc Cyril. illud (Exacto sabbato) illud ad verbum Matthæi, Vespere sabbati, illud, autem (appropinquante altero die) ad, illud Quæ lucebat in prima sabbati. Hæc expositio est vera, & legitima; secundũ quàm Latinus interpres rectè vertit; Vespere sabbati: nam vespere terminus est sabbati, quando iam definit sabbatum, & incipit nox sequentis diei primæ. Dices, quare Matthæus dixit, (Vespere sabbati) cum satis fuisset dixisse, quando lucebat, seu lucebat prima die? Respondeo id factum esse, ut significaret propter sabbatum non ante venisse mulieres; ac si diceret, remoto iam temporis impedimento, quando propter legem non licebat operari, & tempore iam conueniente appropinquante, seu opportunitate iam oblata veniunt, nempe quando lucebat prima sabbati: tempus enim prius siue prope mediam noctem intempestium erat, non propter legem, sed ex ipsa temporis dispositione. Secundum hanc veram, & accommodatam expositionem, facillimum est Ioannem cum Matthæo concordare. Ioannes enim illud tempus describit, quando venerunt, quod Matthæus significauit illo verbo, Quæ lucebat in prima sabbati: illud autem, Vespere sabbati positum est propter rationem aliam, quam paulò ante exposuimus. Verba autem Matthæi sensus explicare, & cur relatiuum sine antecedente sit positum, exponere, instituti presentis non est, Ioannem enim interpretamur.

tum affirmant, aduentum autem vltimum describi à Marco ita Nicepho. lib. 1. Hist. cap. 33. numerus tamen hic aduentum difficile accommodatur. Tertio loco Euthymius legit etiam in præterito, Exorto sole, tamen ad eundem sensum refert, ad quem Augustinus, vt dictus sit Sol ortus, non quod sit supra orizontem, sed quod iam lux eius apparere inceperit, nempe diluculo. Quarto loco aliqui recentiorum particulam deesse textui existimant: nam legendum erat, Nondum orto sole, sed sine auctoritate vlla hoc affirmatur, cum nullus textus reperiatur, in quo talis sit particula, nec vllus antiquus auctor sic legerit. Quinto aliqui legunt in præterito, Exorto sole, tamen asserunt diluculo egressas esse mulieres domo, peruenisse autem ad monumentum orto sole, hanc interpretationem nec verba, nec rei historia admittit: inquit enim Marcus, Valde manè, orto iam sole veniunt ad monumentum. Ioannes autem eodem verbo vsus venisse dicit, Cum adhuc tenebræ essent, nec erat opus Marcum præmittere (Valde manè) nisi idè intellexisset per verbum sequens (Orto sole) maximè quia propè erat locus, vbi crucifixus est Dominus: & rursus quia præ timore, ne impedirentur ab aliquo, tenebras potius quam lucè querere oportebat, vnde eas potius multo ante diluculum conuenisse, & domo egressas esse, certum est; vt possent ante lucem peruenire, & Dominum vngere.

Vera igitur, & legitima est expositio Euthymij. Ortum solem significare tempus diluculi, quando iam lucescere incipit, & diluculum est, seu auroræ tempus. Hæc lectio, aut expositio mihi omnium probabilissima videtur, Lectio quidem quia video textus omnes habere tempus præteritum, Exorto sole & Græcos expositores ita legere, & interpretari, Expositio vero, quia cum sensum ferè omnes sequuntur, & historiæ veritati consonat: nam Magdalenam ad monumentum peruenisse cum tenebræ essent, Ioannes aperte docet.

ANNOTATIO III.

Agitur de Euangelistarum concordia circa mulierum aduentum.

Difficultas in eisdem verbis Ioan. occurrit, nam Matth. & Mar. Magdalenam cum cæteris mulieribus venisse narrat: at Ioan. solius Magdalene meminit: cuius resolutio pendet ex historiæ aduentus mulierum ad sepulchrum certitudine & concordia, in qua multa antiquorum & recentiorum laborarunt ingenia: nec adhuc quicquam omni ex parte certum habemus. Si autem omnium referre opinioniones, & eas examinare tentarem, magnam confusionem legentium animis ingererem; ea, quæ mihi certiora, & probabiliora visa sunt, ex varijs proponam, & confirmabo, adiunctis nonnullis alijs, quæ ad legitimam historiam assequendam faciunt: vt ex omnibus in vnum coniunctis vera resolutio constet, id quod aliquibus responsionibus efficiam.

Series historiæ & rerum gestarum circa Christi resurrectionem.

Ante omnia tamen totam rei seriem ante oculos quatuor Euangelistis ad concordiam redactis proponam, quæ talis est. Sepulto Domino ante solis occasum reuertuntur mulie-

Ares, & emunt aromata, vt sabbato transacto Dominum vngant, quod Luc. refert: Sabbato autem transacto, post occasum solis iterum aromata emerunt, & parant: non enim illa sufficere videbantur, & hoc narrat Marcus: Statuerunt autem tunc summo manè ante lucem, in tempestiua nocte transacta, conuenire, vt venientes vngerent corpus in monumento: non enim in eadem domo erant: inter has erat Maria Magdalena. Adueniente iam tempore conueniunt: velociq; passu, vt credibile est, ad sepulchrum se conferunt; cum adhuc tenebræ essent, seu valde manè, seu valde diluculo, vt cæteri referunt Euangelistæ: accedentes iam ad locum viderunt lapidem reuolutum, vt dicunt omnes Euangelistæ: at Maria plus omnibus sollicita, aliare non expectata, sublatum esse Dominicum corpus credens, sola ad Petrum & Ioannem currens se confert, annuntians, & dicens; Tulerunt Dominum, & nescimus, vbi posuerunt eum: loquitur autem in plurali numero, quia à nomine sociarum loquebatur: interim dum ipsa recessit factum est, quod Matth. narrat, Angelus Domini sedebat super lapidem, & locutus est eis; Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis, non est hic: surrexit enim sicut dixit, venite, & videte locum vbi positus erat Dominus, & cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce præcedi vobis. Illæ autem tunc intrarunt, & hoc narrat Mar.

CIntroentes autem viderunt iuuenem sedentem in dexteris coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dixit illis: nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic, ecce locus, vbi posuerunt eum: sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quod præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Illæ autem exeuntes fugerunt de monumento, inuaserat enim eas timor, & pauor, hæc narrat Marcus, dum autem illæ consternatæ exeunt de monumento, & ab eo recedunt, venerunt currentes discipuli cum Maria, & intrantes sepulchrum nihil inuenerunt, mulieres autem nihil eis dixerunt præ timore ex his, quæ viderant, & hoc est quod dicit Marc. Et nemini, inquit, quicquam dixerunt; timebant enim. reuertentibus ergo discipulis citò præ timore Iudæorum, Magdalena manet iuxta sepulchrum, cæteris foeminis manentibus, sed longè à monumento adhuc consternatis, & tremantibus, dum autem Magdalena manet, factum est quod Ioan. narrat. Vidit Angelus, & Dominum in figura hortulani, & eo agnito reuertitur iterum sola ad discipulos: dum autè ipsa reuertitur; cæteris consternatis, factum est quod Luc. refert; Duo viri astiterunt secus illas in veste fulgenti, cum timerent autem, & declinarent vultus in terram, dixerunt ad illas, (adhuc enim non credebant Dominum surrexisse) Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit, recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorum

Dominum, & crucifigi, & tertia die resurgere, & recordatæ sunt verborum eius. Tunc exeuntes, vt inquit Mattheus, id est, regressæ à monumento cum timore, & gaudio magno cucurrerunt nuntiare ea discipulis, quæ prius ipsis foeminis dicta erant: dum autem eunt, in via apparuit eis Dominus. Magdalena interim dū hæc reuertuntur, annunciat discipulis se vidisse Dominum, & resurrexisse. succedunt mulieres annuntiantes idem. At illis, vt refert Luc. visa sunt sicut deliramento verba ista, & non crediderunt illis. Hæc est tota series, meo iudicio legitima, in qua mira concordia Euangelistarum apparet, & ex singularum dictis perfecta historia colligitur. His igitur propositis ad singulas partes confirmandas accedam, & prætermisissis, quæ ad cæteros Euangelistas pertinent, maximè quæ ad Ioannem necessaria sunt considerabimus.

Est igitur prima responsio. Magdalena venit cum cæteris mulieribus primò ad monumentum. hæc tanquam certa ab Aug. affirmatur lib. 3. de consen. Euang. cap. 24. & confirmatur expressis verbis Matth. & Mar. Vespere, inquit, sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, Maria Magdalene, & altera Maria venit videre sepulchrum idem habet Marc. adiungens aliam mulierem Salome. huic testimonio non audentes se opponere, qui solam Magdalenam venisse affirmant, quærun solutiones, & euasiones, quæ improbabilis videntur; nam Ambro. Luc. vltimo, duas Magdalenas docet; vnam venientem solam apud Ioannem, alteram cum cæteris mulieribus apud Matth. huic sententiæ meminit Hiero. epist. ad Hedebi. quæst. 4. sed eam deserit, & meritò, vt potè non habentem solidum fundamentum, et quæ magna in scriptura generat confusionem; multa enim de Magdalena dicuntur in scriptura, quæ si ad duas referantur, maxima obscuritas consequitur, cū nullū in scriptura distinctio vestigiū appareat, quia re vera vna est.

FSecundo loco idè Hier. in eadè Epist. quæst. 1. dicit. Venisse quidem primò cum cæteris, et hanc historiam narrare Matth. postea verò solam reuertisse, et hanc historiam Ioannem describere. Aduersus hanc sententiam efficax pugnat argumentum; Si enim primo factum est, quod narrat Matth. igitur viderat Dominum in via, et retigerat: hoc enim Matth. narrat; quomodo igitur nunc reuersa plorat et dicit, Tulerunt Dominum meum? et hoc idem refert Apostolis, immò quomodo reuersa est ad sepulchrum, cum iam in via surgentem videret? ad hoc tam efficax argumentum, non videtur solutio Hieronymi satisfacere. inquit enim, Magdalenæ præ turbatione obstupuisse quasi alienatam. tamen solutio consistere non potest, cum non ita obstupuerit, vt rationis particeps non fuerit; si autem rationis capax erat, non poterat quem viderat, et crederet surrexisse, mortuum quærere, nisi cõceptam fidem deserens, quod credendum non est.

A cum cæteris venisse, quod refert Matth. at nec hoc sustineri potest; nam si primò venit sola, vt Ioan. refert, vidit lapidem reuolutum, retulitque discipulis ablatum Dominum, quomodo ergo cum cæteris rediens dixisse narratur, secundum Matth. Quis reuoluet nobis lapidem?

Magdalena simul cum alijs mulieribus venit ad monumentum.

B Quarto loco Nicephorus libro 1. Hist. cap. 33. pluries venisse affirmat. Primò cum Maria matre Domini, & hoc est secundum Matthæum, secundò, & tertio solam, & hoc narrat Ioan. nam bis venisse Ioan. refert, & quando lapidem vidit reuolutum, & nuntiavit discipulis, & quando postea cum ipsis redijt, & illis recedentibus mansit: quartò venit cum cæteris foeminis secundum Lucam, & Mar. sed contra hæc pugnant argumenta facta contra vtranque sententiam, nempe Hieronymi, & eorum; quos citat Hieronymus. Adde falsum esse omninò B. Virginem venisse ad sepulchrum; credebatur enim fide perfectissima filium surrecturum, cætera ex imperfecta fide venerunt, non credentes resurrectionem. Adde etiam has omnes solutiones nullâ ratione probari, sed inuentas esse ad concordiam Euangelistarum stabiliendam, quæ quidem sine his multiplicationibus satis constat. Venit igitur Magdalena primò cum cæteris, & hoc idem narrat Ioannes cum cæteris, Euangelistis, & in hoc vera est Augustini loco citato sententia.

C Secunda responsio, Magdalena, vt vidit lapidem sublatum, nulla alia expectata re; nec diligentiâ facta, credens Domini corpus sublatum, sola reuersa est ad Petrum & Ioannem, alteram cum cæteris mulieribus apud Matth. huic sententiæ meminit Hiero. epist. ad Hedebi. quæst. 4. sed eam deserit, & meritò, vt potè non habentem solidum fundamentum, et quæ magna in scriptura generat confusionem; multa enim de Magdalena dicuntur in scriptura, quæ si ad duas referantur, maxima obscuritas consequitur, cū nullū in scriptura distinctio vestigiū appareat, quia re vera vna est.

D Tertio loco alij, quorum sententiam refert ibidem Hieronymus dixerunt, primò venisse solam, quod Ioannes narrat, postea

A cum cæteris venisse, quod refert Matth. at nec hoc sustineri potest; nam si primò venit sola, vt Ioan. refert, vidit lapidem reuolutum, retulitque discipulis ablatum Dominum, quomodo ergo cum cæteris rediens dixisse narratur, secundum Matth. Quis reuoluet nobis lapidem?

B Quarto loco Nicephorus libro 1. Hist. cap. 33. pluries venisse affirmat. Primò cum Maria matre Domini, & hoc est secundum Matthæum, secundò, & tertio solam, & hoc narrat Ioan. nam bis venisse Ioan. refert, & quando lapidem vidit reuolutum, & nuntiavit discipulis, & quando postea cum ipsis redijt, & illis recedentibus mansit: quartò venit cum cæteris foeminis secundum Lucam, & Mar. sed contra hæc pugnant argumenta facta contra vtranque sententiam, nempe Hieronymi, & eorum; quos citat Hieronymus. Adde falsum esse omninò B. Virginem venisse ad sepulchrum; credebatur enim fide perfectissima filium surrecturum, cætera ex imperfecta fide venerunt, non credentes resurrectionem. Adde etiam has omnes solutiones nullâ ratione probari, sed inuentas esse ad concordiam Euangelistarum stabiliendam, quæ quidem sine his multiplicationibus satis constat. Venit igitur Magdalena primò cum cæteris, & hoc idem narrat Ioannes cum cæteris, Euangelistis, & in hoc vera est Augustini loco citato sententia.

C Secunda responsio, Magdalena, vt vidit lapidem sublatum, nulla alia expectata re; nec diligentiâ facta, credens Domini corpus sublatum, sola reuersa est ad Petrum & Ioannem, alteram cum cæteris mulieribus apud Matth. huic sententiæ meminit Hiero. epist. ad Hedebi. quæst. 4. sed eam deserit, & meritò, vt potè non habentem solidum fundamentum, et quæ magna in scriptura generat confusionem; multa enim de Magdalena dicuntur in scriptura, quæ si ad duas referantur, maxima obscuritas consequitur, cū nullū in scriptura distinctio vestigiū appareat, quia re vera vna est.

D Tertio loco alij, quorum sententiam refert ibidem Hieronymus dixerunt, primò venisse solam, quod Ioannes narrat, postea cum cæteris venisse, quod refert Matth. at nec hoc sustineri potest; nam si primò venit sola, vt Ioan. refert, vidit lapidem reuolutum, retulitque discipulis ablatum Dominum, quomodo ergo cum cæteris rediens dixisse narratur, secundum Matth. Quis reuoluet nobis lapidem?

Magdalena sola redijt ad monumentum.

Absente Magdalenæ reliquæ mulieres Angelos viderunt, & sepulchrum ingressæ sūt.

dari historia: non enim inueniri potest, quid mulieres fecerint illo medio tempore: rursus nec videtur aptari posse quomodo Magdalena duos angelos viderit in monumento dicentes, quid ploras? si consternata cum alijs fugerit e monumento; idcirco mihi verius, & accommo- datius videtur, dum Magdalena vadit, & redit, factum esse quod Matthæus & Marcus narrat Magdalena absente: non enim hi duo Euangelistæ narrarunt regressum Magdalene ad discipulos, sed solum aduentum cum ceteris mulieribus; idcirco visi sunt aliquibus sentire etiam Magdalenam ibi tunc interfuisse, & re vera non interfuit: quando igitur Magdalena reuerfa est cum discipulis, illæ per aliquantum spatium loci à monumento fugientes consternatæ recesserant, ibi tamen manebant timidæ, & incredulæ, exitum aliquem expectantes: aduenientibus autem duobus discipulis cum Magdalena, nihil ex his quæ acciderant dixerunt præ timore, ut narrat Marcus.

Petro & Io-
anne recede-
ribus mansit
Magdalena
iuxta sepul-
chrum plo-
rans.

Quarta responsio: Magdalena duobus discipulis reuertentibus, sola mansit apud sepulchrum, & respiciens intro, vidit Angelos loquentes, postea Dominum sub hortulani figura, & sola reuertitur annuntiare discipulis iuxta præceptum Domini. In hac etiam dissentio ab August. qui existimat cum cæteris reuerfam esse, quod mihi est improbable: nam si reuerfa esset cum alijs, sequeretur vidisse etiam Dominum cum alijs, et eius tetigisse, seu tenuisse pedes: hoc enim refert Matth. quod quidem concedit August. sed non video quomodo quæ paulò ante tangere prohibita sit, nunc sit cum cæteris permiffa. Existimo ergo

solam reuerfam esse, ut Ioan. narrat, dicens: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi; quod si Lucas dicit: Erat autem Maria Magdalene; & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc, id verum est, quia etiam Maria Magdalena, & cæteræ annuntiârunt discipulis, nec eis discipuli crediderunt: sed non eodem tempore facta sunt: prior enim Magdalena accessit, Lucas autem non distinxit tempora, sicut & cæteri etiam Euangelistæ non distinxerunt personas, sed simul aduentum, & quæ facta sunt cum mulieribus, narrarunt: immò Lucas ordinem non seruauit: nam post mulierum aduentum ad Apostolos, & postquam Maria etiam annuntiauit vidisse Dominum, refert aduentum duorum discipulorum ad monumentum; at Ioan. distinctè Magdalene historiam describens, qua ratione cæteri sint Euangelistæ intelligendi edocuit, & expressit.

Quinta responsio: dum Magdalena viso Domino reuertitur ad Apostolos resurrectionem annuntiat, factum est quod Luc. narrat, scilicet mulieres consternatæ, & incredulæ ab Angelis confortantur, & illuminantur, at credunt; tuncque cum gaudio reuertuntur etiam ipsæ annuntiantes, quæ viderant, & audierant, sicut dictum erat illis, & in via vident Dominum. Hæc sunt, quæ ad concordiam Ioannis cum cæteris, immò cæterorum inter se Euangelistarum maximè faciunt, & quæ probabilissima visa sunt; quæ autem superiunt, ad aliorum Euangelistarum explicationem, ac commentaria potius pertinent, & in sequentibus etiam eorum aliqua proferemus.

Et vidit lapidem sublatum à monumento.

COMMENTARIUS.

Quando mulieres peruenerunt, iam Dominus surrexerat: inuenerunt enim lapidem reuolutum, non quod Dominus tunc surrexerat, & ut exiret sit lapis ablatum; sed quod prius surrexerat, & ut appareret omnibus corp⁹ ibi non esse, Dominumque surrexisse ablatum sit lapis, ut rectè aduertit Hieronymus Epist. ad Hedib. quæst. 6. dicens: Non putemus Angelum idcirco venisse, ut aperiret Domino resurgenti, & reuolueret lapidem; sed postquã Dominus surrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quod factum est: & sepulchrum vacuum, & reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentia. Hæc Hieronymus. Lapidem hunc sublatum & reuolutum esse ab Angelo Matthæus expressit.

ANNOTATIO IV.

Quo tempore surrexit Dominus. Surrexisse Dominum ante mulierum aduentum nemo negat, quando autem surrexit, apud Doctores in controuersa est. Hier. epist. ad Hedib. quæst. 3. tempore proximo medix nocti tranfactæ, nempe ad galli cantum surrexisse affirmat, quod tempus, ipse Hiero. vespere, id est, serò à Matth. appellatum exponit: idem sensit Ambro. Luc. vltimo & Cyril. lib. 12. cap. 44. At Aug. lib. 4. Trini. cap. 6. diluculo dominicæ, quod est tempus primum diei primæ, surrexisse affirmat, redditque causam duplicem, Vna est, ut verum sit, tribus die-

bus, et noctibus extitisse Dominum in corde terræ, quod per synecdochen intelligendum est, sumpsit parte pro toto: Primus dies fuit Parasceues, in cuius parte mortuus, & sepultus est ante solis occasum, et pro vno die computatur cum nocte sua præcedente annexa; Secundus dies integer fuit, nempe Sabbatum ab occasu Parasceues in occasum sabbati; Tertius dies fuit tempus sequens, nox quidem integra ab occasu sabbati vsque ad diluculum, dies verò quantum ad principium, quia diluculo surrexit, & per synecdochen

chen totus dies computatur. Ut igitur die terra dicatur in corde terræ fuisse, oportebat aliquam particulam, quamuis breuem accipere; surrexit igitur iam diluculo incipiente. Altera causa est, ut gratiam noui Testamenti significaret, in quo remotis tenebris lux diuina splendet. Eandem sententiam sequitur Hierony. in Psalm. 56. exponens illud, Exurge gloria mea, exurgam diluculo: quod verè de resurrectione intelligitur, & sic Hieronym. exponit. Videtur autem hæc sententia ab Ecclesia recepta; canit enim hymnum, Aurora lucis rutilat, Cum Rex ille fortissimus, &c. immò videtur Marcus id ipsum tradere; inquit enim, Surgens autem Iesus manè prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalene; ad quem locum Marci Hierony. duas adfert solutiones, epist. ad Hedib. quæst. 3. Vna est, illud caput Marci non esse recipiendum, quæ solutio non est probanda. Altera est, aduerbium illud, Manè coniungendum verbo sequens, ut sit sensus: Surgens Dominus apparuit manè vna Sabbathi, primò Mariæ Magdalene, quo etiam modo Euthy. legit; at hæc euasio potius est, quam solutio. ad tempus igitur resurrectionis referendum est, immò non alia de causa præcipua Euangelistæ diligentissimi fuerunt in describendo tempore aduentus mulierum, nisi ut tempus resurrectionis Dominicæ significarent, quod fuit illi tempori valde coniunctum. determinatè verò particulam temporis resurrectionis scire non possumus, ut rectè

A Hieronymus dicit in eadem epist. quæstion. 6.

ANNOTATIO V.

Hæretici nostri temporis etiam in hoc suos miscent errores; non enim capere possunt quomodo lapide superposito Christi corpus egressum fuerit de sepulchro, nisi lapis emolluerit, aut fuerit ante sublatus. Quod enim suo non assequuntur, & metiuntur ingenio, potentia diuinæ facillè denegant: nec aduertunt id negantes in quæ absurda facillè proruant; nam corpus illud cum mortale erat, egressum est ab utero Virginis claustro integro permanente; & Beatorum corpora, sicut & Christi corpus, coelos sine vlla ipsorum diuisione permeabant; & iannis clausis ad discipulos penetravit: persecutores etiam aliquando declinans, per medium illorum ipsum comprimunt ibat. non sunt hæc omnipotentia impossibilia, quamuis ingenijs hominum percipi nequeant. Fatendum profectò est auctore ingeniorum humanorum plus posse facere, quam humana ingenia valeant per se comprehendere. Rectè ergo, & verè Hier. epist. ad Hedib. quæst. 6. etiam lapide illo posito Christum surrexisse docuit, cuius verba in commentario adduximus, id quod docuerunt omnes antiqui Patres. Isti verò homines eadem facilitate negandi, Lazarum ligatis manibus, & pedibus nemine iuuante de sepulchro egressum esse negabunt; quod tamen factum historia Euangelica docet.

Contrario-
ari temporis
hereticos.

Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis.

COMMENTARIUS.

Particula illa, Ergo, causam cur Magdalena ad discipulos confugerit, indicat; nempe quia viderat sublatum lapidem, vnde credidit corpus sublatum esse, quia non aliam causam, cur lapis sublatus fuerit, esse potuisse existimauit, nisi ut corpus de sepulchro efferretur. Cucurrit ergo ad duos discipulos, Petrum tanquam primum, & principem omnium, Ioannem tanquã à Christo dilectissimum, annuncians, quod factum credebatur: Erant duo hi cum cæteris etiam discipulis simul congregati; quamuis autem omnes simul essent, hos adijisse dicitur, non solum quia Petrus primus, Ioannes dilectus erat; sed quia hos nouerat Christo fideliores, & animosiores fuisse: nam Ioannes secutus est vsque ad crucem, Petrus verò vsque ad atrium Pontificis. Attende verba hæc insinuare Magdalenam visionem, & locutionem Angeli non expectasse, & consequenter nec ingressam sepulchrum, sed videns sublatum lapidem, cucurrit celeriter rei nouitate commota, cæteris in eo loco mulieribus relictis.

Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus, ubi posuerunt eum.

Nondum Magdalena resurrectionem credebatur, Tulerunt, inquit, Dominum, & nescimus ubi posuerunt eum, verbum, Nescimus, indicat nomine aliarum etiam mulierum, loqui, ut nomine plurium fidem sibi conciliet: postea verò Angelo loquens dixit; Nescio ubi posuerunt eum. si Magdalena ingressa fuisset sepulchrum, & Angelos audisset, profectò retulisset omnia, quæ Angeli dixerunt: nuntium igitur hoc, Tulerunt Dominum, probat nihil aliud vidisse, quã lapidè reuolutum, & inde intulisse, sibi que persuasisse, fuisse sublatum corpus,

vt sentit August. lib. 3. de consen. Euang. cap. 24. Ex his verbis Ambro. lib. 3. de Virgin. imperfecte fidei Madalenam insinuat dicens: Tulerunt Dominum de monumento; erras mulier; quæ putas ab alijs Christum de monumento fuisse sublatum, & non potestate propria resuscitatum.

Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.

Qui ex discipulis Christum magis amabant, & præ amoris magnitudine secuti Christum fuerat, audito verbo Magdalenes, veniunt ad videndum: reliqui verò, aut quia nullam fidem mulieri dederunt, aut quia non sunt ausi præ timore Iudæorum domo egredi, manserunt. Particula *Ergo*, curexierint domo, & venerint ad monumentum, causam indicat; nempe propter verbum Magdalene, quam amor eorum, desideriumq; erga Christum non omni fide priuauit.

Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.

Præ nimio desiderio, & simul forsan præ timore, vt antequam lucefceret perfectè, domum reuerti possent, currunt, & gressus accelerant: Ioannes autem, vtpote adolescentior, cursu præuenit Petrum, eo post terga relicto, quem tamen non minus desiderium, sed debiliores vires posteriorem fecerant. Venit etiam Magdalena, & passus etiam fecisse celeres probabile est: erat enim & ipsa amore, & desiderio ardens, & quæ testata fuerat vera esse, suo etiam aduentu confirmare volebat.

Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit.

Inclinat & incuruat se Ioannes, antequam Petrus perueniat, vt ab ostio sepulchri, an ibi sit corpus Christi examinet, non tamen introiuit tunc, introspectans autem videt linteamina, quibus inuolutum fuerat corpus, ibi posita; corpus autem non videt. Quod Ioannes non introierit, sed Petrum expectauerit, propter Petri reuerentiam factum existimo, cui vt seniori, & vt primas inter omnes Apostolos tenenti, honorem deferebat. Gregor. autem hom. 22. in Euang. etiam mysterium in hoc facto cõtemplatur. Synagogam per Ioannem, Ecclesiam gentium per Petrum significari dicit. Venit, inquit, Synagoga prior ad monumentum, sed non intrauit, quia legis quidem præcepta, & prophetias de passione dominica accepit, sed credere in mortuum noluit; secuta posterior Ecclesia Gentium, mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, & cognouit carne mortuum, & credidit viuentem Deum. hæc Grego. possumus etiam his adijcere morale aliquid; per Ioannem enim omnes Christiani, per Petrum Pontifices Christi vicarij significantur: prior ingreditur Petrus, quia dignitate omnes antecellit Christianos Christi vicarius; at posterior peruenit Ioanne, quia fieri potest, vt qui prior est dignitate, sit posterior merito, & sanctitate.

Venit ergo Simon Petrus, sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.

Si linteamina ibi reperta non fuissent, facile imperfecti in fide suspicari poterant corpus ablatum, non suscitatum fuisse; at dum ibi linteamina posita, & sudarium inuolutum, & separatim positum, vt distinctè omnia percipi possent,

possent, viderunt; facile Christi corpus nõ in alium locum ablatum, sed surrexisse cognoscere potuerunt: quoniam ea de causa hæc funeralia in monumento relicta sunt, resurrectionem corporis mortui testantia; neq; enim, vt rectè dicit Chryso. homi. 8. Si qui corpus abstulissent, illa reliquissent, neq; si furati essent, sudarium inuoluere, & ponere in vnum locum curassent; sed vt erat, corpus abstulissent; propterea prædixit Ioannes cum multâ myrrha fuisse sepultum: myrrha non minus quàm pix corpori linteamina conglutinat, vt cum audieris ea in sepulchro relicta, furto abreptum non arbitraris: non enim fur adeo stultus fuisset, vt in superflua re tantum laborasset, etenim diutius in ea immorandum erat, & deprehendi potuisset; sudarium autè separatim inuolutum in vnum locum est situm, vt intelligeres, non perturbatè, & festinanter id factum esse, vt resurrectionis esset signum. hæc Chry. quæ spiritualiter interpretatur Greg. hom. 22. in Euang. doctè, & subtiliter.

Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat prius ad monumentum, & vidit, & credidit.

Introeuente Petro intrauit etiam alter discipulus, qui primus venerat; sed ante Petrum ingredi non erat ausus. hic vidit etiam linteamina, & sudarium, sed fecit aliud, quod non fecit Petrus: credidit enim, nempe surrexisse Dominum: Petrus intrauit quidem & vidit; Ioannes verò intrauit, vidit, & credidit. Si credidisset tunc Petrus, non vtique soli sibi Ioannes fidem tribuisset; at quia solus credidit, numero singulari vsus dicit, vidit, & credidit; hoc tamen in annotatione sequenti discutitur.

Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.

Verba hæc causam continent vnam diuersorum effectuum: ignoratio enim scripturarum, quibus resurrectio Christi prænuntiata est, in causa fuit, quod Ioannes tunc credidit, nõ autem prius quàm videret linteamina, & vacuum sepulchrum. & est sensus; Vidit, & videns credidit, quia nondum sciebat scripturam; si enim sciuisset, prius credidisset, nec expectasset linteamina, & sepulchrum videre: hæc eadem ignoratio etiam quædam causa fuit, quod Petrus non credidit; nondum enim sciebat scripturam resurrectionis; idcirco quamuis viderit linteamina, & sepulchrum vacuum, nõ credidit, quia signum & argumentum hoc necessariũ non erat, ideo vnus credidit, alter nõ, quia neuter sciebat scripturam, ex eadem enim ignoratione processit, vt vnus tunc crederet, non prius quàm signum videret, alter omnino, nec ipso viso signo crediderit: sunt enim verba in plurali legenda, *Nondum enim sciebant*, vt ad vtrumque referantur discipulum.

A N N O T A T I O V I.

*An vterque
Apostolus
crediderit
resurrectionem.*

AVg. tract. 120. Verbũ hoc, *Credidit*, ad vtrumque refert discipulum, vt vterque crediderit, tamen negat omnino esse de fide resurrectionis intelligendum, quam neuter tunc habuit, sed referendum esse affirmat ad verbum Magdalene, vt sit sensus; Credidit nunc vterque verum esse, quod Magdalena dixerat, Dominum nempe ablatum esse de monumento: probat autem vno argumento non posse intelligi de fide resurrectionis; quia, inquit, si scripturam nesciebant, igitur non poterant credere resurrectionem futuram; non enim alia erat illis via resurrectionem hanc sciendi. Eandem expositionem confirmat lib. 3. de consensu Euangel. capit. 24. & eadem est Theophylacti. Alteram expositionem adhibent

ACyril. lib. 12. cap. 44. Chryso. hom. 84. & Euthy. & Gregor. Nissen. orat. 2. de resurrectione. hi ad vtrumque discipulum referunt verbum credendi, vt vterque viderit, & vterque crediderit, tamen de fide resurrectionis exponunt, vt vterque visis linteaminibus crediderit Christum surrexisse.

Mihi duo visa sunt probabilia; Vnum est verbum, *Credidit*, non esse referendum nisi ad discipulum vnum; hoc enim ipsemet contextus adeo aperte manifestat, vt si Euangelista id significare voluisset, non alijs vsus est clarioribus verbis. Petrus, inquit, intrauit, & vidit linteamina, ille alter intrauit, & vidit, & credidit. violenta est expositio de priori etiam asserere, vidit, & credidit, cum Euangelista distin-

*Petro non
credente Io-
annes credi-
dit resurre-
ctionem.*

distinjerit. Alterum est credendi verbum esse de fide resurrectionis exponendum, & in hoc consentio Cyrillo. Chrysofomo & alijs. verbum enim absolute prolarum credendi, fidem dicit Christi, & diuinam: si enim præcellisset verbum aliquod, quo ipsi non credidisse verbis Magdalena dicti essent, tunc merito exponi posset, eos credidisse dictis illius; at cum nihil tale dictum sit, quando absolute dicitur credere, fidem veram intelligere debemus: valde enim dura expositio est, *Credidit*, supplendo, quod Magdalena dixit. Adde non erat, cur tam diligenter Euangelista narrasset, vidisse linteamina, & sudarium inuolutum in alterum locum positum, nisi voluisset significare argumentum hoc magnum credendi resurrectionem, & credidisse vnum illorum, qui intrarunt; quia ad credendum verbis mulieris satis erat videre non fuisse ibi corpus. Petrum autem non credidisse tunc, indicauit Lucas ca. vlt. de solo enim Petro dicit, vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat; non credebat, sed mirabatur; at Ioannes credidit tunc, vt ipsemet nunc fatetur. Argumentum autem Augu. inefficax est; crediderunt enim propter verbum Domini, quia sæpè dixerat se resurrecturum, quamuis autem illud non intellexit antequam videres signum, quod vidit postea, hoc tamen viso credidit, & cognouit. Luc. etiam vlt. Angelus mulieribus hoc verbum in memoriam reduxit; Recordamini, inquit, qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset dicens; quia oportet filium hominis crucifigi, & tertia die resurgere, & illæ recordatæ tunc sunt. ita & Ioannes videns signa; recordari potuit verbi, & tunc intelligere, & credere, quamuis hæc tenus scripturas, imò & ipsum verbum non perceperit. de Petro autem, qui cum eo venit, non creden-

te, præter dicta etiam illud argumentum facit, quod Marcus refert Angelum mulieribus dixisse: Dicite, inquit, discipulis, & Petro; distinxit enim eum solum à cæteris, quia cum venisset ad sepulchrum, & vidisset, non credebat. Quod si obijcias nec Ioannem credidisse, quia dictum est, quando Dominus apparuit discipulis, à principio pro stupore eos non credidisse Luca vlt. Respondeo, non de omnibus id oportet intelligere; nam Petrus erat inter illos, & duo discipuli reuersi ex castello, qui tunc iam credebant: ita etiam de Ioanne dicimus; à maiori enim parte denominatio sumitur, legitima igitur expositio ea est, quæ in commentario est posita.

ANNOTATIO VII.

Hieronymus epist. ad Hedib. quæst. 6. Quomodo, inquit, custodiente militum turba Petrus, & Ioannes liberè egressi sunt sepulchrum nullo prohibente custodem? ad hanc interrogationem sic ipse respondet, hac videlicet causa. Quia vespere sabbati, quæ lucebat in prima sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum, & ecce terræ motus factus est magnus, Angelus quoque Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidè, & sedebat super eum, eratq; aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. igitur qui fuerat tanto timore perterriti, vt putarentur mortui, aut dimississe sepulchrum, & fugisse credendi sunt, aut ita corpore, & animo obtorpuisse, vt non dicam viros, sed nec mulierculas quidem sepulchrum intrare cupientes auderent prohibere. Hæc Hieronym. & vera est responsio.

Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

COMMENTARIUS.

Non inuento corpore in sepulchro, vnus admirans, alter credens redeunt ad suos condiscipulos: dicuntur autem iterum abiisse: hebraismus enim est, non quod semel venerint, & redierint, & nunc secundò redeant, sed dicitur, *Iterum*, ratione loci, ad quem reuertuntur: nam in locum, quem deseruerant, regrediuntur, Magdalena apud sepulchrum remanente.

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.

Ad huc corpus ablatum, non suscitatum existimabat, & nescia loci, vbi corpus maneret, vel positum esset, elegit vbi aliquandiu illud mansisse sciebat, stare; *Ad monumentum*, ergo, *foris*, id est iuxta monumentum, nõ intus stans plorabat, sollicita, & varia cogitans loca, vbi positum esset corpus. sedere autem non potuit, sed *stabat*, vt si qua ratio inueniendi locum occurreret, celeriter, & citò se conferret; hoc enim est proprium quærentium aliquid, cuius locum determinatum ignorant. Imperfecta fides multum amanti causa erat anxietatis, & doloris, à quibus, si credidisset, se liberasset.

Dum ergo fletet, inclinavit se, & prospexit in monumentum.

Magna est amoris vis; cum enim iam vidisset semel, expertaque esset illic non esse corpus, sed linteamina duntaxat agnouisset, cū tamen vbi esset, non inueniret, ne se omni spe inueniendi priuaret, maluit se primò nõ diligenter

diligenter quæ fuisse, nec ad amissim prospexisse sibi persuadere: iterum ergo ab ostio monumentum prospicit, & oculos intro conuertit, si forsan videat, quod antè non viderat, corpus. Proprium est hoc quærentium aliquid, & non inuenientium, qui ex nimio inueniendi desiderio, cum non habent locum iam, vbi inuenire se posse existimant, ad ea, quæ prius perlustrauerant, se conuertunt iterum perscrutantes; maluntque se non satis diligenter prius quæsiuisse sibi persuadere, quàm spem inueniendi quod ardentè desiderant sibi adimere, aut minuire. Hac inclinatione, & oculorum conuersione vel minimum temporis dolorem suum Magdalena temperauit, dum iterum prospiciens spem aliquam inueniendi concepit. Notanda est particula *ergo*, causam enim indicat, cur iterum prospexerit: ea autè est, flebat enim, & dolebat, quia amabat, dolor ergo vt medelam aliquam acciperet, induxit, vt concepta quadam spe iterum prospiceret, si fortè inueniret quod quærebat, & à lachrymis, & dolore liberaretur.

Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.

Clementissimus Dominus amantem, & dolentem concepta spe non defraudauit: ecce viam inueniendi, quam desiderabat, repetit: intrò enim prospiciens, vidit duos Angelos albis indutos vestibus, iuuenum specie & figura sedentes, vnum in loco, vbi caput Domini iacuerat, alterum vbi pedes non stantes Angelos videt, ne corpus ibi esse suspicetur; sed sedentes, sua sessione ibi iam corpus non esse significantes: si enim corpus adesset, stetitissent Angeli adorantes, & reuertentes præsens corpus diuinitati vnitum.

ANNOTATIO VIII.

De Euangelistarum concordia circa Angelos, qui in sepulchro apparere.

Multum laborant expositores in concordandis euangelistis circa Angelos: nam Matth. & Marc. aliter referunt. Matth. enim vnum dicit sedentem super lapidem: Marc. alterum intra sepulchrum. Luc. duos stantes, Ioann. duos sedentes; at si sequamur, quam à principio proposuimus historię seriem, nulla est difficultatis causa; quod enim Matthæus & Marc. narrat, ad mulieres pertinet; quando Magdalena recesserat Apostolis nuntiaturā, viderunt enim vnum ad lapidem alterum intra sepulchrum, & conterritæ egressæ sunt, & fugerunt. Quod verò Luc. refert factum est postquam fugerunt, & recesserunt à monumento, ideo Luc. non expressit visos esse Angelos in sepulchro, sed stitisse iuxta illas in veste fulgenti, at quod Ioannes nunc narrat, ad solam pertinet Magdalenam, cui apparent hi duo Angeli. quod quidem factum est antè illud, quod Lucas narrat. Non est igitur vlla discordia, sed magnus in his omnibus con-

Ansus. Augustin. libr. 3. de consens. Euangel. capit. 24. hos duos Angelos visos à Magdalena sedentes affirmat, qui postquā locuti sunt ei, & ipsa vidit Dominum, erexerunt se stantes, locuti que sunt mulieribus, quæ erant in quodam spatio, quod erat propè sepulchrum; & hoc est, quod Lucas refert, sed id non videtur admodum probabile: fugerant enim mulieres, & recesserant à monumento ad aliquam maiorem distantiam. Fateor fieri potuisse eisdem Angelos apparuisse eis, qui apparuerant Magdalena, tamè in alio loco, nec præsentè ipsa Magdalena, quæ nec simul cum eis fuit reuerfa. Scio alios aliter dicere, & historiam varijs texere modis, sed mihi omnibus perspectis, & collatis, quæ dixi visa sunt probabiliora, & accommodatiora, ac magis ordinata; sequatur vnusquisque, quod probabilius visum fuerit: omnia enim hæc sine fidei detrimento, aut iactura dicuntur.

Dicunt ei illi; Mulier, quid ploras.

COMMENTARIUS.

Nondum Magdalena Angelos agnouerat, Præueniunt eam interrogatione, non quòd ignorarent, sed vt causam lachrymarum, & imperfectam eius fidem proprio confiteri ore facerent, & ad loquendum inuitarent, quæ nisi præuenta, ausa non fuisset interrogare, vt dicit Chryso. hom. 85. Attendè autem subtilem, & artificiosam Angelorum interrogationem, *Quid, inquit, ploras?* ac si diceret, si aliquod hic iaceret cadauer, crederemus te alicuius tibi coniuncti, & chari mortem deplorare; at cum nullum hic sit tale cadauer, nec locus hic sit mortuorum, vbi viuos vides sedere, & velut cõmorari; meritò quæri-

Magdalenes ad monumentum situm.

querimus; & interrogamus causam lachrymarum tuarū. Quare ploras? quæ tibi est lachrymarum causa? Tacitè Angeli docēt Dominum surrexisse, nec plorandi sed lætandi, & exultandi causam esse, nec iam inter mortuos. sed in rer viuentes quærendum esse Christum.

Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum.

Non intellexit Magdalena verborum sensum, nec interrogationis vim. sed significationem, quam prima facie verba faciebat, percepit; causam idcirco lacrymarum aperuit, si fortè ab illis, ubi corpus Domini iaceret, intelligeret. Ploro, inquit, ea de causa, *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* proprium est aliquo vexatis dolore, causam promptè aperire, etiam his, qui subuenire nequeunt: spem enim concipiunt ab illis aliquam accipere posse.

Adhuc Magdalena non credebat surrexisse Dominum, sed corpus ablatum, & in alio repositum loco arbitratur, nescia tamen, quid diceret, rectè respondebat; ploro, quia nescio, ubi sit corpus Domini; si ergo sciret, nō ploreret, & ita erat: si enim sciuisset, ubi positum esset corpus, sciuisset, anime iterū copulatum, & gloriosum suscitato Christo effectum: quod si nouisset, non plorasset; at quia nesciebat, plorabat. Rursus plorabat, quia ablatū credebat; at si sciuisset non ablatum ab aliquo, sed à tenebris sepulchri potentia diuinitatis ereptum, & victa morte mortis sepulchrum deseruisse, vtique non plorasset. Denique plorabat, quia nesciebat, ubi esset; at si nouisset ibi iam ad esse præsentem, profectò non fleuisset. Rectè ergò dicit, ploro, quia existimo ablatum corpus Domini mei, & nescio ubi sit positum. Attende autè quàm piæ, sed cœcæ lachrymæ erant; quia corpus mortuum non inueniebat, plorabat, cum illa esset causa lætandi maxima: gaudebat Christus, quod illic non esset, plorabat Magdalena, quod ibi non inueniretur; desiderabat Magdalena locum, ubi iaceret scire: Christus nullibi iacere volebat.

Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat, quia Iesus est.

Cur conuersa sit Magdalena retrorsum Angelorum responso nullo expectato. Athan. causam legitimam expressit, in quæst. ad Antioch. q. 78. Cum, inquit, Angeli sederent Mariæ ex aduerso, aspexerunt Christum ibi à tergo imminentē, illa quidem non respiciebat, Angeli verò sedentes è regione viderunt Christum à tergo venientem, qui statim surrexerunt, vidensq; mulier Angelos surrexisse, animo perculsa retrò respexit ad videndum, quid Angeli cernerent, & vidit venientē Iesum. hæc est causa, quod Maria retrò conuersa vidit Dominum. hæc Athanasius, à quo eandem causam accepit Chrysost. hom. 85.

Dicit ei Iesus; mulier quid ploras? quem quæris?

Verbis Aug. & Amb. eūdem locum explicantium exponere optimè possumus. inquit Aug sermo 132. Maria de resurrectione ignara non cessat lachrymas fundere, nesciens hanc esse Dominici corporis gloriam, quā putabat iniuriam, cuius inanes mœrores Dominus magis prohibet, quàm cōsolatur. Quid, inquit, ploras? si spirituali prudentia intentionem diuini sermones intelligas, lachrymarū causam non tāquam ignarus interrogat; sed importunos fletus dolentis obiurgat, Quid, inquit, ploras? cum vacuato monumento non damno funeris, sed merito resurgentis Iesu corpus virtus sibi, non facere vendicasset. Quem quæris? hoc est dicere me iam viuente pro quo mortuo lachrymas fundis? aut me præsentem, quæ quæris? hæc Aug. Ambros. verò lib. 3. de virginibus, sic inquit, Mulier cur ploras? quem quæris? hoc Angeli dixerunt; vt hoc Dominus eisdem verbis repetijt, vt sciatis quia Angelorum

lorum verba mandata sunt Domini. Mulier quid ploras? qui non credit, mulier est: nam qui credit, in virum perfectum resurgit, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Mulier, inquit, non de sextu, sed de cunctatione conuictū est, & bene mulier, quæ nūtabat, quia virgo iam crediderat. Quid ploras? id est, tu tibi es causa plorandi, quæ es Christo incredula; ploras quia Christum non vides? crede, & videbis, adest Christus, nec vnquam ijs, à quibus quæritur, deest, non lachrymis opus est, sed fide prompta, & Deo digna, noli cogitare mortalia, & non plorabis; noli cogitare peritura, & flendi causam habere nō poteris. certè inde ploras, vnde alij gratulantur, quem quæris? non vides, quia Christus adest? hæc Ambros. Vbi attende Ambrosium legisse Angelos, interrogasse hæc etiam duo. Quid ploras? quem quæris? at lectio nostra non sic habet, & ea est vera lectio: nam Dominus adiunxit, Quem quæris? quia videns eam loqui cum alijs, fingere potuit eam aliquem quærare, & sic legit Hiero. epist. ad Hedibi. q. 5. Extat homilia Origen. in secundo tomo celebris subtilitè, & eleganter singula hæc explicans verba.

Ille existimans quia hortulanus esset, dicit ei.

Non adhuc se Magdalene Christus præbuit manifestum, sed alienam figuram exhibebat, non quod propriam mutaret formam, sed quod oculos videntis proprijs speciebus visibilibus non permetteret immutari. contingit enim sæpe quæ à longè videntur, aut quæ non plena luce aspiciuntur, non qualia sunt apparere: non quod in se ipsis mutantur, sed quod species, quibus visus immutatur ad videndū, non eodem modo in oculis aspiciētium recipiantur, quod autem fit apud nos ex aliquo impedimento, aut obstaculo, Dominus voluntatis suæ potestate faciebat. In quo errarūt Manichæi, & alij Heretici Hieronymo referente epistola ad Hedib. q. 5. affirmantes, Dominū formā, vultumq; mutasse, vt pro voluntate diuersus, ac varius videretur.

ANNO TATIO IX.

Quomodo Magdalena putauerit Dominū esse hortulanum.

Hieronymus loco allegato, turbationi Magdalene adscribit, Christum hortulatum sibi visum esse. Magdalena, inquit, stupefacta miraculo hortulanum putabat, quem tanto studio requirebat. At potius videtur adscribendū Domino, qui non se manifestare statim voluit, adhuc eius affectum inflammans, sicut etiam

A Luc. vitimo, quando finxit longius ire duobus illis in viatoris forma apparuit. Cum autem Christum non agnosceret, facile eum Dominum horti, seu hortulanum existimabat: erat enim locus ille, in quo stabat, hortus, maxime cū Angelos illi assurrexisse vidisset, quos Angelos nesciebat, sed homines existimabat.

Domine, si tu sustulisti eum, dicit o mibi, ubi posuisti eum.

COMMENTARIVS.

Connexio verborū & sensus, hæc sunt. Existimās Magdalena hortulanū eum esse, nihilq; eorum quæ erga corpus Christi facta erant ignorare credit ex simulatione interrogasse quid ploraret, & quem quæreret; quare respondit, *Si tu sustulisti eum dicit o mibi*, quasi diceret, cū tu hortulanus sis, huius horti custos assiduus, corpus hic recens positū & inde ablatum, & ex consequenti causam lachrymarum mearum ignorare nō potes: hæc autè interrogare videris, vt te rei ignarū simules: rogo ergo te Domine, si sustulisti dicit o mibi, nec celes hoc à me. Dominum appellat, quia facile eos honoramus, à quibus impetrare aliquid volumus. Hiero. loco allegato turbationi quoque tribuit, quod hortulanum dominum appellauerit: at potius amori & desiderio inueniendi Christum id dandum est: vt enim impetraret ab eo, quod desiderabat, honore illum afficiebat.

Rectè, & acutè Aug. serm. 133. hanc exponit sententiam dicens, Sancta, & simplex foemina Christum requirit à Christo, ac deuotione mentis propheta, & nescit; ait enim Domino de semetipso, *Si tu sustulisti eum dicit o mibi*, rectè interrogat, *Si tu sustulisti eum*: ipse enim tulit corp⁹ suū, qui illud protulit de sepulchro; ipse tulit corpus, qui illud iacens, & dormiens sua aspiratione collegit; ipse tulit corpus suū, qui illud diuinitatis virtute gestans portauit ad coelos. atq; inde mulier sapiēter interrogat, & requirit, *Si tu sustulisti eum,*

eum, dicit mihi, ubi posuisti eum, hoc est, si illud auferens de sepulchro ad paradysum transtulisti: audierat enim illum dicentem latroni; Hodie mecum eris in Paradiso.

Ego eum tollam.

Magna vis amoris hæc est; sola sibi persuadebat corpus tollere posse: Et attende sensum, existimabat odio esse corpus ab hortulano sublatum, nolente in suo habere illud horto, ideoque eum in aliquem alium locum extra hortum proiecisse; ideo dicit, si sustulisti corpus, nolēs apud te habere, mihi dicit, ubi sit, *Et ego tollam* illud. Perpende autem efficaciam persuasione, quasi diceret, faciliam rem peto, vt tantum indices, nolo aliquem tibi laborem imponere, *Ego tollā eum*, minus laborabis in indicādo, quā in auferendo laborasti, si in horto tuo habere non vis, *Dicit mihi, ego* non ponam eum in horto tuo, sed *tollam eum*. A me causam lacrymarum petijisti, animū compatiētem indicasti, si meas vis lacrymas exsiccare, *Dicit ubi posuisti eum vt ego eum tollam*, & sic meis lacrymis finem impones.

ANNOTATIO X.

*Hierony.
in Magdale-
nā senior.*

Hieronym. epist. ad Hedib. quæst. 5. adhuc in sua perseuerans sententia, hæc omnia turbationi tribuit. & reprehendit. Vide, inquit, quem custodiebat cohors militum, cuius sepulchro Angeli præsidebant, ab vno hortulano arbitrabatur ablatum, & ignorans imbecillitatem foemineam tantarum se virium repromittit, & credit, vt corpus viri, & perfectæ ætatis, & quod (vt cætera taceam) centū libris myrrha circumlitum erat, existimaret ab vnā, & pauca muliere posse portari. hæc Hieron. Potuisset profectō Hieronymus Magdalenam excusare, & ab his obiectis defendere si voluisset, cum hæc argumenta potius sint ardentissimi amoris, & pietatis in Christum,

vt Orig. & August. locis citatis affirmant. Fa-teor fide infirmam fuisse, quia mortuum credebat, & resurrectionis argumenta nondum percipiebat, tamen amoris audacia non est vituperanda. Quamuis ad obiecta respondere etiā modo aliquo possimus; nondum enim Angelos nouerat, nec centum libris circumlitum corpus credebat, cuius iam omnia lintamina ablata viderat; nec solam corpus se portaturam promittebat, sibi enim non defuturos adiutores corpore inuento sperabat; at Hieron. hæc omnia exaggerat, quia iam Magdalenam Dominum resurgentem vnā cum alijs vidisse foeminis existimabat: quam sententiam superius Annot. 3. non probauimus.

Dicit ei Iesus; Maria.

COMMENTARIUS.

*Christi vocis
efficacia.*

Iam se Dominus manifestare dignatus est, eā nomine proprio vocat, quod ante vocare solebat, non solum nomen proprium, sed eundem vocis sonum, & locutionis proprietatem edidit, vt quis esset, agnosci posset. Obiurgatio quædam amoris est, vt Chryf. hom. 82. & Cyril. lib. 12. cap. 45. dicunt. ac si diceret; *Maria*, tu me hortulanum putas, & quis sim ignoras, ego autem te ipsam, quæ sis agnosco. O quanta efficacia, & inexplicabilis vnus vocis virtus. Vna vox densissimas mœroris tenebras dissipauit: vna vox mentis cœcitatē illustrauit: vna vox fontem lacrymarum arefcere fecit: vna vox ardentissimum expleuit desiderium: vna vox cor omni destitutum consolatione gaudio, & lætitia repleuit.

Conuersa illa, dicit ei; Rabboni, quod dicitur, Magister.

Illa apertis mentis & corporis oculis, agnouit eum, & omni suspitione remota Magistri vocabulo, vt consuevit ipsum honorat. Rabboni, Latine Magister. plura verba proferre repentina, & vehemens rei insperatæ lætitia vetar: ingens gaudium, & pondus amoris vna vox manifestat. ac vni voci vnā reddit vocem, inexplicabile esse, quod intus latebat vocis vnitatis significans. mortuum inuenire desiderabat, viuētem in æternum accepit. Conuersa dicitur, quia oculos hinc inde præ desiderio, & ignoratione voluebat: audita autem voce & agnita, conuersa est, non facie, sed oculis in eum fixis, inuento iam, quem tam anxie quærebat. Vox *Rabboni* Caldaica est, quia illo tempore multæ erant iam permixtæ voces cum Hebræa, significatque idem quod

idem quod Magister, vt ipse Euangelista testatur; non vt aliqui dicunt, Magister meus, non enim illud, iod, est affixum: vt facile constare potest, vel mediocriter in ea lingua peritis.

ANNOTATIO XI.

*Quomodo Pa-
tres explicet
hæc verba.*

Chryostomus homil. 85. interrogat, Quomodo conuersa dicatur, si ad ipsum loquebatur? Respondet sibi videri, cum dixisset Magdalena, ubi posuisti eum, rursus ad Angelos respexisse tanquam rogaturam, quare obstupuerint, illum quem hortulanum putabat, videntes, ab hisque se ad Christum vocantem conuertisse, quem voce prius, quā visu agnouit. Hieronym. epist. ad Hedib. qu. 5. inquit, stupore perterrita, huc atque illuc faciem conuertisse, nihil aliud nisi Dominum videre desiderantem, eaque ratione etiam ab Angelis retrò se conuertit. Mihi probabilius

visum est, quod diximus in commentario, dictam esse conuersam, non retrò aspiciendo, vt prius fecerat, sed oculos in eum conuertendo, & fixius intendo, vt de facie agnosceret, quem voce iam agnouerat, quod autem Hier. reprehendit Magdalenam hortulanum dominum, Christum verò Magistrum appellantem, non videtur tanta reprehensione dignum; nam Magistrum appellauit, vt modum loquendi consuetum seruaret, vt dicit Cyril. li. 12. cap. 45. immò hoc verbo se agnouisse eum declarabat, quod non efficiebatur, si dominum appellasset.

Dicit ei Iesus; noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum.

COMMENTARIUS.

Credidit Magdalena resurrexisse Christum, ipsumque esse, quem videbat, tamen existimabat adhuc cum hominibus conuersaturum, victurumque sicut prius, qualis frater eius Lazarus resurrexerat; idcirco ad illū tactum, cui erat assueta, properat, vt pedes eius osculetur, quem tactum Dominus prohibet, vt fides eius perficiatur, & discat resurrexisse quidem Dominum, sed non mortalem, vt prius, nec amplius in hoc seculo, vt ante victurum, & conuersaturum, sed ad Patrem in cœlos ascensurum; idcirco causam prohibitionis annectit. *Nondum enim ascendi ad Patrem*, quasi diceret; ne me tangas, vt ante solebas; nam non surrexi vobiscum conuersaturus, & conuicturus, vt prius, sed ascensurus ad patrem, & regnaturus cum eo, quod nondum feci propter vos, tamen citò faciam. Hæc verba cuidam tacitæ interrogationi respondent, ne enim diceret Magdalena, Domine nonne inter nos es sicut ante, cur non te tangam? hoc præoccupans dicit, sum qui dem nunc, tamen non permanens: vado enim ad Patrem quamuis nondum ascenderim. vnde causa hæc non refertur immiditate ad tactus prohibitionem; sed ad aliud, quod conuequebatur: nam si dictum esset tantum, noli me tangere, respondisset Magdalena, nonne te Domine prius tangebam, cum sis iam viuus cur non te tangā? respondisset Dominus, non sum viuus, vt inter vos degam, nec vt quemadmodum prius conuerser; iterum diceret Magdalena; quomodo igitur nunc ad me venis, & in terrā videris? huic respondet. Quia nondū ascendi, id est, ascensurus surrexi, quamuis propter te, & discipulos nondū ascenderim. Hæc omnia vnica responsione complexus est Dominus. Simile est illud Ioan. 5. Dominus interrogauit paralyticū, vis sanus fieri? ille respondit, Hominem non habeo. præoccupans interrogatōne secundā scilicet, quare ergo non es sanatus? & quare hactenus non descendisti in piscinam? ne daret locū verborum multitudini, ille vno reipōso satisfecit multis: hominē, inquit, non habeo; ita nunc Dominus negato, & prohibito tactu consueto, quia potuit interrogari, nonne es qualis prius? nonne inter nos te iam video existentē? Dominus præoccupauit vno verbo hæc omnia dicens. *Quia nondū ascendi ad Patrem*, nō sum qualis prius, quod si modo me tibi manifestum facio, non est, quod sim hic cōmoraturus, sed propter vestram fidem propter vestram consolationem id facio; propterea nondum ascendi, sed iam iam ascendam. Verba sunt instructionis, vt discat perfectius Magdalena resurgentis conditionem dissimilem esse à priori: cætera in annotatione require.

Diverse Pa-
trum verbo
vum Ioannis
expofitiones.

Locum hunc difficilem esse confitentur etiam antiqui Patres, inter quos est Cyrillus lib. 12. cap. 50. & maximè difficultas in vno est posita, nempe in causa prohibitionis illis expressa verbis, *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*, quam variè Doctores exponunt.

Primo loco Cyrillus loco citato sic exponit, vt Magdalena pedes Domini tangere accesserit, acceptura benedictionem ab eo, at Dominus negat, & prohibet tactum significare volens, deinceps neminem ad corpus suum tangendum in sacramento accedere debere, nisi prius accepto Spiritu sancto, què nondum miserat; quia nondum ascenderat; ac si diceret, nemo me iam tangere debet, nisi Spiritu sancto accepto, quem mittam post meam ascensionem: cum ergo nondum ascenderim, noli me tangere. Hæc expositio violenta videtur, & verbis non satis accommodatur, patitur præterea difficultates: nam & mulieribus, & Thomæ, & discipulis se præbuit tangendum antequam ascenderet: præterea corpus suum dedit in cœna discipulis etiam antequam ascendens Spiritum sanctum mitteret. huius expositio meminit Chrysofomus hom. 85. & eam rejicit.

Secundo Chrysofomus alteram adhibet, quæ non est dissimilis à nostra in commentario posita; hoc tamen differt: quia Chrysofomus existimat Dominum his verbis admonere voluisse Magdalenam, vt reuerenter accederet, non sicut prius; at mihi potius instruere, & fidem eius perficere voluisse videtur; non enim dubito cum Cyrillo ipsam ad eius pedes procidisse, sicut prius solita erat; quoniã non est verisimile quod aliqui nostro tempore inconsideratè dicunt, amplecti, & collum eius tenere voluisse, cum non solita fuerit Magdalena his tactibus uti, sed ad pedes Christi esse, & eos osculari; non igitur irreuerenter accessit: nec enim est credibile minus reuerenter accessisse, quàm mulieres illæ accessere, quibus nulla est facta prohibitio.

Tertio loco Hieronymus epist. ad Hedib. q. 5 sic exponit: *Noli me tangere*, Tibi enim, *Nondum ascendi ad Patrem meum*, quem mortuum quæris, viventem tangere non mereris, si me necdum putas ascendisse ad Patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es. hoc autem dicebat non vt studium quærentis obtunderet, sed vt dispensationem carnis assumptæ in diuinitatis gloriam sciret esse mutatam, & nequaquam corporaliter vellet esse cum Domino, quem spiritaliter credere deberet regnare cum Patre. hæc Hieronymus, quæ expositio dura videtur: nam verba illa, *Nondum ascendi ad Patrem*, de reali ascensu faciendo intelligenda videntur; non ergo accommodatè exponitur, Tibi nondum ascendi, rursus non de resurrectione gloriosa, sed de ascensione ipsa, quæ nondum facta erat, verbâ sonant. adde etiam non esse in verbis hanc asperam obiurgationem, quam Hieronymus exponit, putans Magdalenam cum cæteris foeminis iam vidisse Dominum, & tenuisse pedes eius,

& incredulam adhuc permansisse: hanc tamen sententiam Annotatione 3. reiecit.

Quarto loco Augustinus tract. 124. aliter exponit, vt sit sensus: *Noli me tangere*, id est, noli sic in me credere, quem admodum adhuc sapias: existimas enim me imparem Patri, nondum ascendi ad Patrem; tunc me tangas, quando credideris me Patri non imparem Deum. tangere ergo August. ad tactum, qui per fidem fit refert, idem etiam sermo. 60. de Verb. Domini. at hæc expositio spiritualis, non literalis videtur.

Quinto loco Leo serm. 2. de Ascensione, sic inquit; Dominus Magdalenæ personam Ecclesiæ gerenti cum ad contactum ipsius properaret, accedere, dicit: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*, hoc est, nolo ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas, ad sublimiora te differo, maiora tibi præparo, cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius veriusque palpabis, apprehêlura quod non tangis, & creditura, quod non cernis. hæc Leo. cuius expositio meminit etiam August. tract. 121. sed hæc etiam spiritualis, non literalis videtur.

Sexto loco recentiorum aliqui exponunt Magdalenam accessisse, vt Dominum tangeret, quia ad Patrem iam iam ascensurum putabat, sicut proficiscentes solemus tangere: at Dominus prohibet docens, nondum esse tempus ascendendi, sed adhuc permanfurum se in mundo ad tempus. Si ita esset, vt isti dicunt, verba facilimè accommodarentur; at inprimis obstat: nam Apostoli viderunt verè ascendentem, nec propterea tetigerunt: non ergo erat, cur tangeret, quia ascensurum existimabat. Deinde quia tunc Magdalena nihil de ascensu sciebat ad Patrem, immò existimabat illum vt prius inter homines conuersataram. Præterea, quia etiam si id esset, non erat Domino tanta causâ prohibendi, nec Dominus eam à tactu, tam expresso verbo prohibuisset. Adde si sensus is esset, ne me tangas, quia nondum ascendi, liceret inferre, quando ascendam, tunc tangendi erit tempus, & tanges, quod profectò nemo sanæ doctrinæ intulit. Postremò quia non constat de tali consuetudine tangendi in tota scriptura.

Septimo loco Iustinus Martyr quæst. explicat. q. 48. aliter exponit, quem ultimo referuauit loco, cum sit antiquitate primus, quia eius expositio legitima visâ est, & nos eam in commentario secuti sumus. Facta ergo interrogatione de hac prohibitione tactus, cum tamen se alijs præbuerit tangendum, sic respondit. Illud *Noli me tangere*, à Salvatore dictum est in hoc sensu, noli me sequi ita, vt mecum semper versere ea ratione, qua antequam in crucem agerer: volebat enim sensim ac pedetentim discipulos à consuetudine aspectus præsentis que sui corporis abducere, itaque, neque semper visus est discipulis his diebus, quibus cum eis in terra post resurrectione ver-

Auctor se-
quitur Iustini
martyris
expositionem.

satus est: neque omnino in aspectabilem se eis præbuit, sed vtrumque interuallo, spatioque adhibito faciebat, vt & videretur ipsis, & non videretur. hæc Iustinus. in commentario pluribus eam expositionem explicuimus. Scio alias adhuc esse interpretationes, sed propositæ sufficiant.

ANNOTATIO XIII.

Dominus per
mittens se ab
alijs mulieri-
bus tangi cur
Magdalenam
prohibeat.

PERCONTARI aliquis posset, Cur mulieribus Dominus se tangendum præbuerit, non autem Magdalenæ? Hieron. epist. ad Hedib. q. 5. existimat Magdalenâ tetigisse Dominum vnâ cum mulieribus ante hæc, quæ facta Ioannes narrat. August. libr. 3. de consen. Euang. cap. 24. tenet post hoc factum reuertentem Magdalenam, vnâ cum alijs foeminis Dominum tetigisse, sed vtramque sententiam Annotatione 3. reiecit, probabilius existimantes, nec ante, nec post hoc factum, cum mulieribus cæteris Magdalenam tetigisse, sed solam reuertisse. Superest igitur inquirendum, cur sit prohibita tangere, non autem illæ; immo etiam tenentibus Augustini sententiam considerandum adhuc est, quare modò, non autem postea sit prohibita.

Sententia
anterioris.

Nobis autem secundum sententiam nostrâ respondendum videtur, Tactum sui Dominum permisisse ad ostendendam suæ resurrectionis.

Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.

COMMENTARIUS.

CRedenti Magdalene resurrectionem, iubet eam testem esse & annuntiare apud Apostolos, quos vt homo fratres appellat, & quid annuntiare debeat docet. *Ascendo*, inquit, *ad Patrem*, ac si dicat; surrexi è mortuis, & viuo, non iam vobiscum corporaliter victurus, & conuersaturus, sed ascensurus ad cælos. Multa his verbis insinuatur. Primò quidem, ne discipuli audientes Christum viuere, existimarēt se ab eo esse deserendos, maximè quia in passione eum deseruerant, & increduli fuerant: propterea Dominus eos appellat fratres. *Dic*, inquit, *fratribus meis*, ac si diceret; quamuis iam viuo, & surrexi, ipsique me deseruerint; tamen adhuc eos amo, adhuc eos tamquam fratres recipio, non vt reos iudico, sed vt meos fratres diligo. Secundò fratres appellat, vt se in eadem carne surrexisse significet, in qua prius erat, & eos secū naturæ socios habebat, quamuis non sit eiusdem qualitatis, vt ante. Tertiò, ne etiam audientes ascensurum ad Patrem, se relinquēdos, nec vnquam ad eum peruētuos, putarent. *Vado*, inquit. *Ad Patrem meum, & Patrem, etiã, vestrum*, ac si diceret; sicut ego nunc vado, etiam ipsi postea veniēt; cum Pater, ad quem vado, Pater etiam sit ipsorum. Quartò dicit, *Patrem meum, & Patrem vestrum*, ne, quia fratres dixerat, eandē rationem filiationis cū eo habere se arbitrarentur; ipse enim habet Deum Patrem naturalē: at illi adoptionis, idcirco distinxit, *Meum, & vestrum*, vt notat Ambro. lib. 3. de virginitate. Quintò *Patrem* vocat, & simul *Deum*, vt idem Ambro. annotat; *Patrem meum*, vt naturam ostendat diuinam; *Deum meum*, vt mysterium indicet incarnationis: vt Deus est, *Patrem meum*, dicit; vt homo est *Deum meum*, appellat. Sextò gratiam noui testamenti merito suæ mortis obtentam ostēdit; vt Deum Patrem habeamus, & per ipsum verum Deum, & hominem, filij Dei adoptionis simus; qui enim Deus noster erat per creationem, per Christum factus est Pater noster per gratiæ adoptionē. Pauca verba magnum continent

Fratres cur
Dominus discipulos nuncupauerit.

doctrinam; docet enim resurrectionem suam, docet resurrectionis conditionem, nempe in eadem quidem natura, sed non eiusdem qualitatis resurrexisset, iam enim immortalis erat; docet mortis suae fructum; docet suae diuinitatis, & humanitatis mysterium; eos ut bono sit animo, & timorem deponant, hortatur. Quod autem dicit, *Ascendo*, in praesenti, significat proximam suam ascensionem; Hebraismus est; dicit eis verba haec, quae profero, Ascendo ad Patrem &c. ac si diceret, dic eis, me iam iam ascensurum.

Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidit Dominum, & haec dixit mihi.

Venit Magdalena annuncians discipulis se vidisse Dominum, & referens quae Dominus ei praeceperat dicere. Hebraismus est, *Haec dixit mihi*, loco verborum, quae superius descripta sunt. eadem enim Magdalena repetijt. Qualiter autem discipuli eam audierint, refert Luc. non enim crediderunt ei, sicut nec mulieribus paulo post venientibus, quas omnes Lucas in vnum coniunxit. Haec fuit prima apparitio ex his, quas Euangelista factas narrarunt, ut ex Mar. constat. Euangelista enim eas duntaxat narrarunt, quas Dominus fecit ijs, qui non crediderant, ut fides eorum, & nostra in eis confirmaretur; idcirco non meminerunt quomodo B. Matri apparuerit, cui ante omnes apparuisse nemo dubitat, non tamen ab Euangelistis narratur, quia non fuit ei ad fidei confirmationem facta, quae firmissima, & constantissima semper in fide permansit. sed ad consolationem, & laetitiam, qua super omnes digna fuit, quae super omnes diligebat, & doloris gladium perpeffa erat: adde etiam ne testimonium eius alijs suspectum videretur: quia mater erat; propter haec duo, Euangelista apparitionem B. Virgini factam siluerunt.

Cum ergo sero esset die illo vna sabbatorum.

Ad narrandam apparitionem discipulis factam Euangelista se conuertit & circumstantias multas describit, nempe temporis, loci, personarum, modi, & vtilitatis, seu fructus ex ea prouenientis. Incipit igitur a tempore, praemittens tacite apparitionis causam, quam particula illa, *Ergo*, insinuat, cum ergo, quasi diceret; cum Magdalena rerulisset Domini verbum, & annuntiaffet resurrectionem, illi vero adhuc non credidissent, ut Lucas narrat, propterea Dominus ipse suamet praesentia propriam decreuit manifestare resurrectionem: tempus etiam distincte apparitionis describit, *Die*, inquit, *illo*, nempe prima sabbatorum, quo die Dominus resurrexerat, *Sero*, id est, iam ad solis occasum, & in fine diei, quo tempore haec apparitio facta est, Caetera in annotatione require.

ANNOTATIO XIV.

Hieronymus epist. ad Hedibi. q. 7. *Quaerit* quomodo Matthaeus & Marcus scribant per mulieres Apostolis mandatum, ut in Galilaeam irent, cum Ioannes, & Luc. Hierosolymis ab Apostolis visum esse perhibeant. Respondit promissam esse in Galilaea familiarē quaedam & perseverantem visionem, ut cum eis conuersaretur, & multa de regno Dei tractaret, & eos instrueret, ut habetur Acto. 1. at haec visio fuit obiter, & breuiter facta propter consolationem discipulorum, qui Iudaeorum metu erant absconditi, & clausi. Augustinus lib. 3. de consensu Euangelista. ca. 27. respondet promissam quidem visionem in Galilaea, tamen non negatam esse in Hierusalem, vnde non egit contra promissionem suam, si etiam se manifestauit tam Hierosolymis, quam in Galilaea. Mhi Ambrosii. Luc. vltim perfectius respondere videtur, nempe iussisse Do-

minum discipulos in Galilaeam ire, vbi eum visuri erant; at quia praetimore intra conclauē residebant, se eis videndum obtulit; ut animis confirmatis in Galilaeam proficiscerentur. Adde non solum propter timorem illorum, sed etiam propter fidem, ut crederent, quia hactenus mulieribus fidem resurrectionis non habuerant: simul etiam ne egrē nimis ferrent mulieribus visum esse, non autem ipsis, clementissimus ergo Dominus noluit hac eos consolatione priuare. Has duas causas adiecit Chrysof. hom. 85. praecipua tamen est propter fidem illorum, quia nondum credabant, & hanc, vti in commentario diximus, Euangelista insinuat.

Aduertendum autem ex Angu. lib. 3. de consensu. Euang. cap. 27. Primo die resurrectionis quinquies apparuisse, quantum ex Euangelio licet colligere. primo Magdalenae Marc. vltimo.

Cur Domini Matri apparuisse. Euangelista siluerunt.

Quomodo Euangelista concordēs sunt.

Cur Domini discipulis apparuit.

Ipsa resurrectionis die, quinquies Christus apparuit.

ultimo. secundo mulieribus ex Matth. tertio Petro ex Lucae vlt. quarto ex eodem Luca duobus discipulis euntibus in Emaus, quinto Apostolis absente Thoma, & hanc Ioan. nunc & Lucas describunt. Est etiam aliud aduertendum quantum ad tempus pertinent, nempe hanc apparitionem dici sero factam, non quidem nocte, sed iam ad vesperam prope solis occasum: discipuli enim duo manē profecti erant in castellum distans a Hierusalem sexaginta stadijs, id est, septem Italicis miliaribus, vbi Christus eis occurrit, & in castello se manifestauit, inclinante die ac ad vesperam.

sciente, id est, iam post duas horas a meridie, quo agnito reuersi sunt velociter Hierusalem, ut caeteris annuntiarent discipulis, quibus annuntiantibus extemplo Christus apparet, quod accidit ad Solis occasum ante noctem: illo enim tempore dies erant iam longiores in illa maxime regione. haec dixerim, quia si noctu apparuisset, ad primum diem Sabbatorum non pertineret apparitio: dies enim terminabatur in occasu, ut superius diximus. Vnde Euangelista non noctu, sed sero dixit, Graece *εσπερα*, id est, diei vltimo, & extremo.

Et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum.

COMMENTARIUS.

Locum, & personas describit: discipuli congregati erant domi, & fores clausas habebant, non propter tempus, quasi nox esset, sed, *Propter metum Iudaeorum*, ne facilis aditus ad eos pateret alicui nocere volenti. Nomine discipulorum non solum Apostoli, sed etiam alij addicti Christo significatur, qui ob eundem metum, simul erant congregati, quibus etiam Dominus apparuit, quod quidem ex Lucae vltimo colligitur: nam illi duo reuertentes ex castello dicuntur inuenisse vndecim, & qui cum illis erant, & adhuc ipsi duo aderant, eadem autem hora venit Dominus, quamuis, ut ex Ioane habemus, Thomas aberat. illud, *Propter metum Iudaeorum*, refertur ad totam sententiam; Erant congregati in vnum locum, & habebant fores clausas, propter Iudaeorum metum.

ANNOTATIO XV.

Cyril. lib. 12. cap. 53. annotat discipulos prudenter declinasse furorem Iudaeorum, memores illius verbi Domini Matth. 10. Cum vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. haec doctrina Cyrilli sic est intelligenda. Primo quidem licere, & prudentiae esse declinare aliquando persecutiones & inimicorum furorem; quod suo exemplo nos docuit Dominus in Aegyptum fugiens, & propter Iudaeos saepe in alia loca secedens; hoc consilio Paulus Actor. 9. in sporta dimissus per murum fugit; hoc idem sancti suo exemplo, & doctrina docuerunt. Extat egregia Atha. apologia de fuga sua id Gre. Naz. orat. 1. con. Iulia. tradit. similiter Ambro. lib. 1. de offic. cap. 37. cum alijs multis, in quo errauit Terullianus, sed non est instituti nostri hoc discutere. Secundo, quando Christus, Paulus, & caeteri sancti viri fugerunt, & persecutiones declinauerunt; non id timore mortis faciebant, ita docent Athanas. Greg. Nazian. Ambrosius locis citatis, & Hieron. Matt. 10. & 14. sed ne temere, & ante tempus morti se offerrent, aut ne peccandi periculis darent occasionem, vel ut saluti aliorum, & praedicationi se con-

seruarent; vel ob alios honestos fines, quos libens modo omitto. hinc factum est, ut quando hi sancti causam fidei, & Dei honorem periclitari viderent, prompti morti se exponerent, ut Dei causam defenderent. Tertio discipuli tunc magis mihi ex timiditate quadam imperfecta, quam ex prudentia visi sunt fugisse, quod Euangelista insinuat dicens; *Erant congregati propter metum Iudaeorum*. Fateor fecisse rem, & actum prudentem, quia verè conseruari eos oportebat praedicationi, & manifestationi nominis Christi per orbem propagandae, & ita eos Christus illaefos esse voluit; tamen ipsi non ex prudentia fecerunt, nec eum ob finem, sed ex timiditate, & formidine, quae incredulitati erat coniuncta. saepe autem euenit, ut aliquis actum fortem, aut prudentem, aut iustum faciat, sed non ex prudentia, fortitudine, & iustitia, ut docuit. Aristot. libr. 1. Ethicor. & vera est eius in hac parte Doctrina, & scripturae sacrae conformis, iusta enim iuste operari praecipit nobis Dominus in scripturis frequenter, quia iusta non iuste aliquando fieri possunt.

Venit Iesus, & stetit in medio eorum.

COMMENTARIUS.

Foribus clausis ingressus est, ut qualitatem suae resurrectionis significaret, ne iam ut ante mortalem, & passibilem futurum existimarent. Vana ergo, & indigna Catholico est doctrina, asserentium aperuisse Christum portam, seu fores, ut intraret; non enim corpus gloriosum corporea habet obstacula; & ita Cyril. lib. 12. ca. 53. & Gre. hom. 26. in Euang. docet, quod paulo

superius de sepulchro clauso lapide diximus. In medio etiam eorum stat, ut ab omnibus facilius videri, & tangi possit; non sedet, sed stat, ut se non in hoc seculo permansurum, sed alio properare significet. nec existimes Dominum intrasse prius domum, passibusque pedum se in medio eorum collocasse, sed vno ictu oculi, in medio eorum apparuit corporalis & visibilis in propria sua forma, ut agnosci posset.

Et dicit eis; Pax vobis.

Pacis salutatione propter tres causas discipulos Christus dignatur.

Non sola forma, & figura propria corporis, sed etiam sermone, ac salutatione ipsa suam confirmat resurrectionem, sequē eundem esse demonstrat. Triplici autem de causa vsus est Dominus hac salutatione; Primò, quia sic solitus erat salutare, & talem iniunxerat discipulis suis salutationē. Matt. 10. Intrans domum salutate eam, dicentes; Pax huic domui, & ipsi discedēs pacem commendavit. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ut ex hac salutationis forma, se esse Christum eundem probaret. Secundò, ut timorem, ac terrorem discipulorum expelleret. In cuius rei declarationem attende, antiquum vsus fuisse, ut ex scriptura patet, iis, qui adueniebant aliunde, maximè si aliqua inerat suspitio nocendi, salutare, & dicere; *Pax vobis*. ad significandum aduentum esse pacificum, non ad aliquid mali inferendum. Iud. 6. Gedeoni timenti mortem ex Angelis aspectu dictum est; Pax tecum, ne timeas, non morieris. 1. Reg. 16. dixerunt Bethleemix Samueli inopinatè venienti, Pacificus ne est ingressus tuus? id est, venis ad nos castigandos, quia non audiimus salutationem pacis. & 4. Reg. 9. Ioram dixit, pax est Jehu; nunc poterant discipuli tanquam qui increduli nimis, & pertinaces fuerant timere, & Christum pœnas ab eis exacturum existimare: Dominus ergo præueniens iucunda pacis salutatione trepidantia corda serenat. *Pax vobis*, ac si diceret, non vos punire, non pœnas exigere, sed consolari, confortare, instruere venio. Tertiò, ut significaret fructum mortis, & resurrectionis suæ, nempe, pacem, & reconciliationem hominum cum Deo, quam nascente Christo promiserant Angeli canentes. In terra pax hominibus bonæ voluntaris, hæc Dominus surgens effectam impartitur, & communicat his, qui bonæ voluntatis, & electi à Patre erant. Lucas hanc apparitionem describens, plura verba Christi discipulis dicta narrat, quæ exponere præsentis instituti non est.

Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus.

Opere etiam illorum confirmat fidem: manus enim, & latus ostendit, ut per vulnerum cicatrices eundem, qui crucifixus est, agnoscat: hæc enim signa Dominus resurgens retinere voluit, ut argumenta, & signa essent resurrectionis suæ, in quo etiam mira, & diuina virtus elucebat, quæ corpori sic vulnerato vitam perfectam dabat. palpandum etiam se exhibuit, ut corporis soliditatem, & consistentiam experirentur, ut docet Lucas, ne phantasma apparens esse putarent.

ANNOTATIO XVI.

Christus ab equis canis cicatrices dignatur.

Vulnerum cicatrices, quas Dominus retinuit in suo glorioso corpore, & discipulis demonstravit, veræ, & non fictæ erant, ut impius Porphyrius affirmabat, uti cõtra eum docet, August. epist. 49. ad Deo gratias. quæ .i. quas quidem Dominus cõseruare voluit cum maximo quidem decore, non cum deformitate aliqua, ut fidem suæ faceret resurrectionis, ut Aug. dicit; & ex ipso Euangelio cõstat, quo Porphyrius conuincitur. Si enim fictæ, & non vera erant signa, ficto & falso argumento Christus vsus esset erga discipulos, quod

blasphemum est asserere. Retinuit etiã in signum, & trophæum victoriæ, quo mortem, & diabolus vicit, ut docet Ambr. Luc. vltimo. Has etiam cicatrices in cælum secum attulisse asserit Cyril. lib. 12. cap. 58. ut angelis omnibus ea, quæ gesta sunt, innotescerent, probatque illo Zach. 13. vbi Angeli interrogant, Quæ sunt plagæ in medio manuum tuarum? Cum etiam his venturum ad iudicandum, ut malos confundat, qui, cum pro ipsis crucifixus fuerit, tantam neglexerint salutem, doceat Theologi; affirmantes etiam eas permansuras

suras semper in glorioso illo corpore, ut redemptionis pretium perpetuo ante beatorum oculos versetur. Aduertendum tamen est August. videri per cicatrices exponere vulnerum signa, qualia manent nunc in plagis sanatis, nempe exterius tantum; at veritas est non tantum exteriora signa, sed etiam foramina mansisse: nam Thomas iussus est mittere digitum

A in loca clauorum, & manum in latus eius: de Martyrum cicatricibus Augustinus libr. 23. Ciuitat. cap. 20. tenet, signa exteriora mansura; non enim quibus abscessum est caput, aut membra, aliter manere possent. Cyril. libr. 12. capit. 58. negat in Martyribus hæc signa mansura, sed huius rei discussio non est loci præsentis.

Gauii sunt ergo discipuli viso Domino.

COMMENTARIUS.

Hic est fructus & effectus apparitionis, *Gauii*, inquit, *sunt discipuli*, quia viderunt Dominum: causam enim particula illa, *Ergo*, indicat; gaudium hoc fidem supponit; non enim gauii essent, nisi credidissent, crediderunt ergo ipsum resurrexisse, ipsumque esse Christum tot, ac tantis signis, & argumentis inducti, credentesque ipsum resurrexisse ipsius aspectu gauii sunt. Alia narrat Luc. facta antequam crederent, & gauderent; nam dubitauerunt existimantes se visum videre, at tandem agnouerunt, crediderunt, & gauii sunt; & impletum est verbum Domini, quod nocte cænæ dixerat. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, ut rectè annotant Cyril. libr. 12. cap. 54. & Chrysostom. homil. 85.

Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.

Repetit salutationis verbum, non eisdem de causis, quibus pronuntiauerat, quas superius exposuimus; sed ut significet eos mittendos per vniuersum orbem, ad annuntiandum pacem hanc factam per Christum, iuxta illud Isa. 52. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem. Et attende particulam *Ergo*: postquam enim crediderunt perfectè; voluit eos Dominus instruere huius mysterij prædicatores, ut non sibi solis, sed toti mundo sapiant, & credant; propterea iterum dicit eis, *Pax vobis*, ac si diceret: iterum pacem do vobis, ut eam toti mundo annuntietis, quod sequentibus verbis ostendit.

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Rectè connectuntur hæc verba superioribus: significata enim pace annuntianda, eos huius pacis prædicatores, ac orbis doctores, & salutis ministros ordinat, & instituit, simulque dignitatem muneris, & officij insinuat: sensus enim est, quod munus dedit mihi Pater (Veni enim, ut mundo veritatis testimonium perhibeam ad credentium salutem tanquam Apostolus à Patre institutus) hoc ego vobis munus trado, & vos vicarios meos instituo: & rursus, qua auctoritate Pater misit me, eadem vos ego mitto, ut prædicetis, gubernetis, dirigatis mundum in viam salutis & veritatis. Magnū hoc munus est profectò: quod enim à Patre filius naturalis, & æternus Dei homo factus suscepit, hoc idem suis communicat discipulis. copiosiore interpretationem in annotatione inuenies.

ANNOTATIO XVII.

Apostolici muneris dignitas.

Magna, & multiplex instructio Apostolorum in hac sententia continetur, insinuat in illa similitudinis particula, *Sicut*, in multis enim similitudo procedit. Primò in fine, sicut Christus missus est ad veritatem salutis annuntiandam mundo Ioannis 18. Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, sic etiam Apostoli mittuntur Mat. 28. Euntes docete omnes gentes &c. & docentes seruare quæcunque mandaui vobis. Secundò similitudo etiam procedit in modo. Christus veritatis testimonium exhibuit per opera virtutis diuinæ: Ioan. 10. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me: Ita etiam discipuli mittuntur cū

B potestate operum diuinorum, Marc. vlt. Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Ioan. 14. Opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Tertiò est similitudo in expensis, sicut Christus pro annuntianda veritate sanguinem fudit, & mortè subiit, ita & Apostoli, Ioan. 15. Si me persecuti sunt, & vos persequantur. Quartò est similitudo in amore paterno, ut bene Greg. hom. 26. in Euangelio exposuit, ut sit sensus, Pater misit me etiam, ut mortem subirem, tamen non id ex odio, aut vindicta Patris in me, sed ex summo amore factum est: ita & vos subibitis mortem, & sanguinem fundetis, nec tamen id ex Patris odio, aut

odio, aut vindicta; sed ex maximo erga vos amore fiet. Sicut enim Pater amat me, ita & vos, & ita etiam ego vos amo, nec ex odio mitto, aut vindicta. Quinto est similitudo in officio, sicut misit me Pater non merum & nudum annuntiatorem, & prædicatorem, sed cum potestate spirituali, & auctoritate, quia Pastor sum; ita ego mitto vos non verbi duntaxat prædicatores, sed rectores, & gubernatores in spiritualibus, & ijs omnibus, quæ ad salutem pertinent, ut sitis etiam pastores, de potestate hæc Act. 20 dicebat Paulus: In quo Spiritus sanctus vos posuit regere Ecclesiam Dei: successores enim Apostolorum Episcopi sunt. Sexto est similitudo in principio, sicut ego ut homo missus sum à diuina Patris potestate; ita ego eadem diuina potesta-

te vos mitto: non homo me misit, sed Deus ita etiam vos non merus homo, sed Deus si, mul mittit: non enim aliter conuenienter hoc munus exercere poterant, nisi missi auctoritate diuina. Hebr. 5. Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est tanquam Aaron. Attende tamen hanc similitudinem quidem esse non æqualitatem: erant enim Apostoli inferiores Christo in natura, & potestate, & officio: erant solum homines limitatam potestatem habentes; vicarij erant, non domini, pro veritate annuntianda sanguinem fuderunt, sed non pro nostra, nec pro propria redemptione; solus enim Christus generis humani redemptor fuit: Proinde in his non est similitudo verborum requirenda, sed in illis, quæ exposita sunt.

Hoc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis.

COMMENTARIUS.

Designatis, & institutis pacis annuntiatoribus, & salutis ministris per totum orbem, donat eis potestatem, qua maximè mundus totus indigebat; cum enim essent hominis pleni peccatis, maximè necessarium erat, ut qui eos sanare mittebantur, potestatem haberent remittendi peccata: sicut si quis mitteret aliquem ad visitandos infirmos, & sanitatem annuntiandam, si posset sanandi potestatem dare, utique eam communicaret, missio; ita nunc facit Christus Dominus! Hanc potestatem autem donat spiritum sanctum dando, quia Spiritus sancti est remissio peccatorum; ut autem signo exteriori significaret se interius illis Spiritum sanctum communicare, insufflat in eos; ut per flatum exteriorem cognoscant interius Spiritum sanctum infundi, cuius virtute peccata remittant. Potuisset dare Spiritum sanctum sine insufflatione, sed noluit, ut simul instrueret eos, & perficeret: perficeret quidem dando Spiritum sanctum, instrueret insufflando: nam per hanc insufflationem multa significauit in annotatione exponenda. Vbi sunt, qui ceremonias irrident Ecclesiasticas, cum Dominum insufflantem in discipulos legant?

ANNOTATIO XVIII.

Quare Spiritum sanctum daturus insufflauit in discipulos. Augustinus lib. 4. Trini. cap. 20. & lib. 10. Genes. ad litteram cap. 5. & lib. 13. Ciui. cap. 24. annotat, flatum illum non fuisse Spiritum sanctum, sed signum ipsius: significasse autem processionem Spiritus sancti ab ipso filio: quem admodum enim status ille sensibilis ab eius corpore, ita Spiritus sanctus, quem dabat à sua diuinitate procedebat. hæc est vna causa, ex Augustino cur insufflando Spiritum sanctum dederit.

Altera est Cyrilli. lib. 12. ca. 56. ut ostenderet se esse eundem, qui à principio homini animam insufflando dedit. Gene. 2. Inspirauit in eum spiraculum vitæ. idem etiam Athanasius ad Antioch. quæst. 64. annotauit. Insufflando enim dedit animam, quæ est principium vitæ temporalis: insufflando etiam dat Spiritum sanctum, qui est principium vitæ spiritualis; ut idem qui fuit creator, cognoscatur re-

creator, & redemptor.

Tertia causa est Ambrosij sermon 20. in Psalmum 118. inquit enim. Deum dici inspirasse, & insufflando animam infundisse homini Gene. 2. ut significaret se non tantum animam qua viueret, sed simul dedisse gratiam, & sanctitatem vnà cum ipsa anima: nam creauit Deus in gratia, & sanctitate ipsum hominem à principio. cum autem per peccatum amiserit gratiam hanc, & per Christum sit restaurata, & restituta; idcirco dum dat potestatem, & Spiritum sanctum ad remittenda peccata, insufflat, ut se deperditæ illius gratiæ restauratorem, & reparatorem significet, ac si diceret, Accipite Spiritum sanctum, quem perdidisti à principio datum, quia potestas hæc est dandi, & communicandi hominibus Spiritum sanctum ad remittenda peccata. Hanc causam & doctrinam accipit Ambrosius à Basilio libro de Spiritu sancto cap. 16. qui eam adfert in huius loci explicationem.

Accipite

Accipite Spiritum sanctum!

COMMENTARIUS.

Post signum exterius rem ipsam significatam infundit verbi sui efficacia. *Accipite, inquit, Spiritum sanctum.* Spiritus sanctus dari hominibus dicitur, quando ipsius dona, & virtutes infunduntur, quæ multa, ac multiplicia esse docet Paulus 1. Corin. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alteri secundum Spiritum sermo scientiæ, &c. inter gratias, & virtutes hæc vna est potestas remittendi peccata, nunquam ante Christum hominibus concessa, hanc Dominus nunc suis Apostolis donans dicit, *Accipite Spiritum sanctum*: non autem dixit, accipite potestatem remittendi peccata, sed accipite Spiritum sanctum, & postea adiunxit, *Quorum remiseritis peccata*, ut significaret potestatem remittendi peccata solum Dei esse, & à solo ipso communicari hominibus.

ANNOTATIO XIX.

Hac breui sententia tres articuli fidei confirmatur. Vnus est, Spiritum sanctum esse Deum, cuius est prima, & suprema potestas remittendi peccata. Si enim Spiritus sanctus participatam habet potestatem, non erat, cur daretur hominibus ad peccata remittenda, datus verò est, quia prima, & suprema potestas remittendi est ipsius, & per ipsum communicatur hominibus: propterea his verbis Deum esse verum Spiritum sanctum probant Basilius lib. 5. contra Eunomium. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto capite 19. & Chrysostom. homilia 6. in 2. ad Corinth. Alter est ipsum Christum, qui dat Spiritum sanctum, Deum etiam esse: quis enim communicare Spiritum sanctum potuit nisi Deus? adde etiam quod dicit Ambro. epist. 2. ad Simplicia. hoc verbo ostendere, se esse illum eundem Deum, qui per Prophetas promiserat Spiritum sanctum se daturum. Isa. 44. Effundam Spiritum meum super semen tuum. Ezech. 39. Effundam Spiritum meum super omnem domum Israel. his igitur verbis videtur dicere; Accipite, quod promisi. Tertius articulus est, Spiritum sanctum ab ipso Filio procedere; non enim daret, nisi à se emanaret. ita docent Aug. tract. 121. & Cyril. lib. 12. cap. 56.

ANNOTATIO XX.

Nonnullæ se offerunt dubitationes, quarum solutione locus hic expositus perfectè explicatur. Prima est, cum promissus sit Spiritus sanctus post ascensionem dandus Ioan. 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum, quomodo nunc datur ante ascensionem? Chrysost. hom. 1. in Act. Apost. respondet præsens positum esse pro futuro. Accipite Spiritum sanctum id est, accipietis Spiritum sanctum. Sed dura est interpretatio: insufflatio enim illa indicat verba præsentem habere significationem. Idem Chrysostomus homil. 85. duas alias adhibet responsiones; Vna est ex aliorum mente asserentium, non hic dari Spiritum sanctum, sed dispositionem, qua apti fierent ad Spiritum sanctum postea suscipiendum, ut sit sensus; Accipite Spiritum sanctum, id est aptos, & idoneos ad suscipiendum Spiritum sanctum vos facio. At hæc expositio verbis accommodari nulla ratione potest; accipere enim Spi-

ritum sanctum non est idoneos fieri, ut postea accipiant; sed tunc ipsum accipere, & tunc ipsum dari: Violenta enim, & impropria locutio est; accipe hoc, id est, aptum te facio, ut accipias postea. forsitan hæc responsio fuit cuiusdam Theodori damnati in quinta synodo Constantinopolitana ca. 12. hic inter alios errores habuit etiam hunc, nimirum quando Dominus dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, non dedisse Spiritum sanctum, sed tantum Schemate & figura sufflasse qui error ibi reprobatur. Alteram adhibet responsionem: Operationes Spiritus sancti multas ac varias esse, nunc autem datum esse quantum ad vnã, nempe potestatem dimittendi peccata; at in die Pentecostes quantum ad potestatem miracula faciendi. Hæc accommodatio est expositio, & legitima, si adiungamus non solum operationem miraculorum tunc datam esse, sed etiam donum linguarum, & sermonem scientiæ, & sapientiæ, & deniq; donorum plenitudinè, qua effecti sunt magistri, & rectores sufficiensissimi & perfectissimi orbis. & ita Hier. epist. ad Hedib. q. 9. hæc soluit dubitationem. & Aug. lib. 4. Trin. ca. 20. & Cyr. lib. 12. cap. 56. vbi annotat Dominum promississe generaliter Spiritum sanctum post suam ascensionem; at ut se esse auctorem, & eum, qui mittit, & communicat nobis, Spiritum sanctum significaret, antequam recederet, voluit ex parte aliqua dare, & velut arrabonem quendam, ut certi essemus implenda omnia promissa, præmittere; ead; ratione nunc donat Spiritum sanctum quantum ad potestatem dimittendi peccata.

Altera dubitatio est: An hæc Spiritus sancti donatio sit noua. Aduerte pro perfectiori intelligentia Spiritum sanctum à principio mundi datum esse hominibus, quantum ad aliqua eius dona, & virtutes: nam gratia, qua peccata dimissa sunt virtute fidei Christi venturi, data est, quæ tamen donum est Spiritus sancti. Similiter confitemur Spiritum sanctum locutum esse per prophetas, & Psal. 50. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, legimus à Dauide pronuntiatum, illud etiam Gen. 8. Non permanebit Spiritus meus cum homine; de Spiritu sancto dato interpretatur. Orig. ho. 2. in Psal. 38. Ambr. li. de Noe, & arca. c. 3. & Greg. 1. 14. Mora. c. 29. Non igitur est nouum Spiritum sanctum dari hominibus, immo & Apostolis iam erat datus

Quare Spiritum sanctum daturus insufflauit in discipulos.

An hæc Spiritus sancti donatio sit noua.

datus quantum ad gratiam, & dona multa: & Lucæ 1. Zacharias repletus Spiritu sancto dicitur. & Luc. 2. Simeon responsum accepit à Spiritu sancto. & Ioan. Baptista repletus est Spiritu sancto ab utero matris: at nunc nouo modo nemini vnquam dato communicatur, nempe quantum ad potestatem remittendi peccata: noua res hæc est; potestatem enim hanc prius sibi soli Deus reseruauerat; at postquã Dei filius homo factus est, eam hominibus communicat, vt & ipsi possint peccata remittere. Meritò autem non ante passionem suam hanc potestatem dedit, nec etiam post suam discessit ascensionem; illud quidem factum est, vt prætium peccatorum prius solueretur, quam peccata remittendi potestas hominibus daretur; hoc autem vt per id significaret mortis, & passionis effectum, esse remissionem peccatorum. in die verò Pentecostes abundantia, & plenitudo noua data est, quanta nemini vnquam prius fuerat concessa, quod etiam nouum fuit.

Cur peccatorum remissio Spiritui sancto tribuitur? Tertia dubitatio. Qua ratione, cum potestas remittendi peccata sit totius Trinitatis, Spiritui sancto tribuitur? Patrem enim, Filiũ & Spiritum sanctum peccata dimittere nemo Catholicus dubitauerit; cur ergo dicitur, Accipite Spiritum sanctum? Respondeo cum Victorino lib. 3. contra Arrium: Sicut sapientia, cum sis totius Trinitatis, tribuitur Filio, non quod solius sit ipsius, sed vt significemus

A ipsum esse Verbum patris, & paterno intellectu procedere; ita etiam opera omnia sanctificationis tribuimus Spiritui sancto, quia ex Patris, & Filij voluntate procedit: est autem voluntatis obiectum bonum, idcirco quæ bonitatis sunt, Spiritui sancto tribuuntur: quæ idem facta sunt in scriptura, vt distinctio personarum significetur, & agnoscantur distincte personæ in vnitrate essentia.

B Quarta dubitatio est; An potestas hæc datur tantum bonis, his, qui in gratia sunt: nam dicitur; Accipite Spiritum sanctum. Dico primò, quando Dominus hanc potestatem dedit suis Apostolis dicens, *Accipite Spiritum sanctum, eos à Peccatis, & maculis, quas contraxerant, purgauit; ita Gregor. lib. 1. Mora. cap. 8. & Cyril. lib. 12. cap. 56. docuere, & re vera, quando Sacerdotibus communicatur potestas hæc, si dispositi accedant, quales erant iam Apostoli, quando hæc data est eis potestas, Spiritus sanctus quantum ad sanctificationem ipsorum eis datur, tamen id non est necessarium: potest enim euenire, & est per se potestas remittendi peccata etiam in peccatoribus, & malis, sicut potestas miraculorum, quæ etiam à Spiritu sancto est, in peccatore existeret potest: non enim ipse est, qui sua sanctitate mundat, sed is, cuius virtute data est talis potestas; & sicut potestas iudicandi recta in iudice iniquo, ita & potestas absoluendi in sacerdote malo esse potest.*

An potestas remittendi peccata bonis tantum conferatur.

Quorum remisit peccata, remittuntur eis.

COMMENTARIUS.

Exponit, & distinctè explicat hanc Spiritus sancti donationem: cum enim ad multa, ac multiplicia opera Spiritus sanctus dari posset, non intellexissent Apostoli, quæ esset, ac qualis donatio hæc, propterea dicit, *Quorum remisit peccata, ac si diceret; do vobis Spiritum sanctum, vt potestatem habeatis dimittendi hominibus peccata eorum; non autem dictum est, remittite peccata; sed, Quorum remisit peccata, remissa sunt, vt suam potestatem participatam esse scirent, & Dei esse supremam, & primam; ac si diceret: quibus peccata remittetis vos, Deus etiam, cuius est suprema potestas, dimittit: non æqualis vobis potestas, sed participata, & subalternata, ac subiecta Deo est: nec enim se priuat Deus potestate remittendi, sed simul cum hominibus remittit, ipse quidem potestate suprema, homines verò participata, & delegata, & veluti ministeriali.*

ANNOTATIO XXI.

De potestate remittendi peccata contra nostri temporis hereticos. Quæ sit hæc potestas remittendi peccata hominibus data, percontabitur aliquis: Heretici enim nostri temporis verba detorquent in alium sensum imperantes, nempe hanc potestatem esse auctoritatem prædicandi Euangelium, quo peccata dimittuntur, nec vident, aut videre nolunt, longè aliud esse remittere peccata, aliud prædicare Euangelium; nam ante resurrectionem discipuli Euangelium prædicauerant missi à Christo Luc. 10. Missi eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus, & paulò inferius, Dicite, inquit, appropinquauit in vos regnum Dei: & tamen potestatem nondum habebant remittendi peccata, præterea prædicatione Euangelij non remittuntur peccata, opus est alijs rebus ad consequendam remissionem; non ergo potestas prædicandi est potestas remittendi. Adde etiã iam hæc potestas, & auctoritas prædicandi data est illis verbis; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quod sequitur, aliud est præter illud, vt optimè Cyril. lib. 12. cap. 56. adnotauit; pertinet enim ad id, quod verbi prædicatoribus pro mundi salute maximè erat necessarium, vt possent peccata remittere ijs, quibus verbũ annuntiabant. Meritò ergo Concil. Trid. sess. 14. can. 3. hanc peruersam, & ineptam damnauit interpretationem statuens sic; Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelli-*

D tatur peccatum, opus est alijs rebus ad consequendam remissionem; non ergo potestas prædicandi est potestas remittendi. Adde etiã iam hæc potestas, & auctoritas prædicandi data est illis verbis; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quod sequitur, aliud est præter illud, vt optimè Cyril. lib. 12. cap. 56. adnotauit; pertinet enim ad id, quod verbi prædicatoribus pro mundi salute maximè erat necessarium, vt possent peccata remittere ijs, quibus verbũ annuntiabant. Meritò ergo Concil. Trid. sess. 14. can. 3. hanc peruersam, & ineptam damnauit interpretationem statuens sic; Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, non esse intelli-*

Intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento poenitentia, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorferit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem prædicandi Euangelium, Anathema sit. Non solum igitur hæretica doctrina damnatur, sed simul veritas catholica aperitur. est enim potestas hæc remittendi peccata per sacramentum poenitentia, quãdo accedentes ad Sacerdotes debent consistentur, peccatorum consequuntur remissionem virtute huius tradita & donata à Christo potestatis. Vnde rectè Chryso. hom. 85. ad solos Sacerdotes hanc refert potestatem, & Cyril. lib. 12. cap. 56. de potestate remittendi peccata per poenitentiam hanc interpretatur sententiam, quamuis adiungat etiam Baptismum, vt per duo sacramenta hæc peccata dimittantur; tamen de Baptismo non hic fit sermo, sed de sola poenitentia: his enim verbis à Christo sacramentum instituitur, quod poenitentia, aut confessionis dicitur.

ANNOTATIO XXII.

Si verba proxima sententia perpendantur, multa, quæ ad rectam huius mysterij, & sacramenti intelligentiam pertinent, deducemus. Primum est, *Remisistis*, quo verbo conuincitur error illorum, qui Sacerdotes non habere potestatem absoluendi & remittendi peccata, sed ostendendi, & declarandi esse remissa, & peccatores esse absolutos dicunt; at verbum hoc probat potestatem eos habere verè peccata remittendi: longè enim aliud est remittere peccatum, ac declarare remissum esse peccatum: quod maximè ex sequenti verbo confirmatur, *Quorum remisistis, remittuntur*, quod exponi non potest, remittuntur, id est, ostenduntur remissa, sed verè remittuntur. ergo in eadem significatione oportet antecedens verbum remisistis, interpretari, aliter inepta & violenta est interpretatio. Secundum est, *Peccata*, nõ tantum poenas, sed culpas etiam remittendi potestas datur. Errarunt aliqui existimantes peccatorum poenas per Sacerdotes remitti, non culpas; at verbũ hoc probat ipsa peccata, & culpas dimitti. Tertium est, non dici, quæ peccata remisistis, sed, *Quorum peccata remisistis*; quia nõ tantum peccata respicere oportet, sed personas; necesse enim est, qui remissionem consecuturi sunt accedant dispositi dolore commissorum, cum firmo proposito in futurum cauèdi, cum fide, & spe Christiana: vnde fit, vt eadem peccata aliquibus remitti debeant, alijs verò minime: in quo iudicium quoddam discretionis necessarium est, quo discernatur idoneus à min⁹ idoneo, & nõ temerè, & inconsultè proferatur actus & sententia absolutionis. Qua ratione Concil. Trident. sess. 14. can. 9. absolutionem hanc actum iudicalem remittendi, & absoluendi, & non tantum declarandi absolutum, rectè definiuit, & decreuit: ob eamque rationem dicitur forum conscientia.

Quartum, ex hoc quod dicitur, *Quorum remisistis peccata, remittuntur*. Theologi rectè deducunt futuram confessionem distinctam peccatorum: non enim remittit Sacerdos, nisi quæ cognoscit; oportet ergo ei manifestare illa, quorum remissionem consequi optatum; deducit etiam confessionem esse de iure diuino, sicut enim tribunal remittendi iure diuino erectum est, eodem iure confessio, & manifestatio peccatorum iniungitur. Hæc tamen longius prosequi & confirmare, ab instituto nostro nimium esset digredi.

Et quorum retinueritis, retenta sunt.

COMMENTARIUS.

Retinere peccata non aliud est, quàm iudicare indignum, & nõ idoneum, peccatorem absolutione, propter ipsius indispositionem, quia non qualis debet, accedit; quod ad eandem pertinet potestatem: nulla quidem peccata retinentur propter se; omnia enim remissibilia sunt, & nullum à potestate hac eximitur; sed retinentur, & irremissibilia fiunt, propter ipsos peccatores, idcirco dicitur; *Quorum retinueritis*, vt ad personas fiat relatio; quæ enim vni remittuntur, alteri retinentur; retinere autem est non dimittere, & remissionem indignum iudicare. quod autem in terra sacerdos clauem non errante, & recto iudicio procedens retinet, nec dimittit; Deus etiam in coelo retinet, nec dimittit.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus.

Alteram apparitionem discipulis factam Euangelista describere incipit; occasionem autem seu causam præmittit; Thomas vnus de duodecim Apostolis non erat illa prima die resurrectionis cum reliquis Apostolis, quibus apparuit Dominus, eaque causa factum est, vt non viderit tunc eum, quando ceteri viderunt.

ANNOTATIO XXIII.

In nomine Thomae.

ADIDYMVS apud Græcos idem significat, quod Thomas apud Hebræos, nempe gemellus, qui vnâ cum altero ex vtero nascitur. Hebræa vox est ΘΩΝΑ & reperitur in numero plurali Genes 38. ΘΩΝΑ inde factum est, vt Thomas dug sortitus fuerit nomina, quando hæc Ioannes scripsit; à Græcis enim dicebatur Didymus, propter nominis Hebræi significationem, retento tamen nomine Hebræo; nam etiã Thomas ab alijs dicebatur; ea de causa à Ioanne dicitur Thomas, qui dicitur Didymus, non solum vt nominis Hebræi significationem explicet Græco vocabulo, sed etiam, quia sic à multis id temporis appellabatur, ideo cap. 11. & 20. & sequenti apponit, Euangelista, Qui dicitur Didymus.

ANNOTATIO XXIV.

Car Thomas abserit, quando Dominus Apostolis apparuit.

CHylosf. ho. 86. inquit causam, cur Thomas non fuerit cum alijs Apostolis illa prima die resurrectionis, quando venit Dominus; & responder, nodum à fuga rediisse, quæ facta fuit, quando captus est Dominus: tunc enim quo quisque potuit, sese occultauerat; cæteris autem postea conuenientibus adhuc Thomas aberat. Idem dicit Euthym. At hæc responsio non videtur sustineri posse; nam Luc. vlti. mulieres à monumento reuersæ dicuntur nunciassse omnia illa vndecim, & cæteris, qui cum ipsis erant; aderat igitur tunc Thomas. Verius cum Aug. lib. 3. de consensu Euang. cap. 25. dicemus adfuisse cum alijs, tamen aliqua de causa tunc exiisse, vt contingit: nam & duo ex discipulis illa die abierant in castellum, & nisi apparuisset eis primò Christus, non fuissent inuenti cù Apostolis, quando illis apparuit. Hac via facile altera soluitur grauis difficultas; nam videtur Ioann. à Luc. dissentire, Ioan. enim negat Thomam

adfuisse tunc, quando primò apparuit Dominus: at Luc. inquit; reuersos illos duos inuenisse vndecim congregatos, & eis narraffe, quomodo in via apparuerit eis Dominus. dum autem hæc loquerentur, in eadem hora apparuit Dominus: erat igitur ibi Thomas. Euthymius Luc. vlt. responder in numero vndecim illorum Matthiam computari, qui tunc erat, & licet nondum esset illo tempore Apostolus, erat tamen, quando hæc Lucas scripsit. B eritque sensus, Erant congregati vndecim Apostoli, qui nunc Apostoli sunt. Dura videtur expositio: numero enim hoc vndecim, illi qui Iuda discedente manserunt, in Euangelio semper appellati sunt. Rectius August. li. 3. de consen. Euang. cap. 25 responder, quando illi duo reuersi sunt, & annunciauerunt se vidisse Dominum, tunc exisse Thomam, nec vidisse Christum: illi enim multis vsi sunt verbis, quibus narrarunt, quæ gesta erant in via; at Thomas nõ expectatis omnibus recessit. probabile est autem ex incredulitate recessisse. non enim credebat, sed deliramenta omnia putabat; & sicut solet fieri, quando narratur aliqua, quibus non habemus fidem, maximè cum multiplicantur verba, recedimus, & inchoatum sermonem cæteris audientibus deserimus; ita & Thomas fecit: eaque de causa à Domino sua apparitione priuatus est, vt eius incredulitate ab omnibus agnita, medelam ipse solus reciperet. essetque nobis fidei efficax exemplum, & ipsi humilitatis, & poenitentia magnum argumentum. priorem causam August. tract. 121. & Gregor. hom. 26. Euang. reddunt, nempe cur Dominus eum abesse permiserit, nempe propter nostram utilitatem; eius enim dubitatione nos confirmati multum in resurrectionis fide sumus: imple etiam fide & humilitate, ac deuotione ex casu illo profecit plurimum.

Dixerunt ergo ei alij discipuli; vidimus Dominum.

COMMENTARIVS.

QVo tempore reuersus fuerit Thomas incertum est: probabiliter credimus paulo post eum venisse, & illa eadem nocte vnâ cum alijs mansisse; cum autem non adfisset, quando Dominus apparuit, ceteri rem totam cum ingenti animi lætitia enarrarunt, & testimonium resurrectionis reddiderunt. Vidimus, inquit Dominum, resurrexisse; ergo crediderant, aliter non affirmassent, se Dominum vidisse.

Ille autem dixit eis, nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Magna pertinacia Thomæ hæc fuit; vt enim sine causa rationabili credere leuitatis est: Eccles. 19. Qui citò credit, leuis est corde; ita caussis & argumentis rationabilibus credendi adhibitis, fidem nõ habere pertinaciæ, & obdurationis vitium est. Audierat Thomas, & testimonium acceperat Christi resurrectionis à Magdalena, à mulieribus, à Petro, à duobus discipulis, à decem etiam Apostolis, cæterisque simul discipulis: audierat ab ipso Christo, Post tres dies resurgam, neque tamen credidit, vt à pertinaciæ excusari infidelitas eius nulla ratione possit.

Quod

Quod si verba ipsius perpendimus, maiori adhuc reprehensione eum dignum inueniemus; non enim sola infidelitas fuit, dum dixit: Non credam, non sola pertinaciã, dum tot testantibus incredulus nihilominus perseuerauit, sed quedam etiam superbia, quia cæteros contempfit. Nisi, inquit, videro, & mittam digitos, & manus, quasi diceret, vos citò credidistis resurrexisse, quia vidistis, oportebat mittere digitum in loca clauorum, & manus in latus, & probare an verum esset corpus: ego enim sic faciens credam, nec mihi solum videri sufficere: nisi enim hæc fecero, etiam si videro, vt vos vidistis, minime credam. Superbia fuit imprudentiæ & leuitatis, discipulos omnes testificantes arguere. Similiter etiam quedam irreuerentia in Christum, dum se iudicat dignum, qui digitum & manum mittat in loca vulnerum ipsius: Vulnerum autem meminit, vt rectè annotauit Theophylactus, quia audierat à cæteris habuisse Christum vulnerum cicatrices: narrarunt enim ei hæc se vidisse, vt ad fidem illum attraheret; propterea dicit, Nisi videro, & mittam digitum in loca clauorum, & manum in latus non credam. Perpède autem verborum expressionem, & accumulationem, qua maior significatur pertinaciã, & incredulitas: non enim satis iudicauit digitum mittere in vnum locum vnus clauus, sed in loca clauorum immittere volebat, & in super manum etiam in latus: & rursus nõ alterius digitum, aut manum, sed digitum, inquit, meum & manum meam. Euangelista morbi grauitatem exactè describit, non vt Thomæ notam infamiæ inurat; sed, tum vt resurrectionem dominicam confirmet: si enim qui tam pertinaciter eam negauerat postea videns, & tangens credidit & confessus est, nemo iam de resurrectione dominica nisi rationis inops dubitauerit; tum vt medici clementia, & virtus agnoscat in sanando. Cætera in annotatione inuenies.

Exaggerat Thomæ incredulitatẽ

ANNOTATIO XXV.

Quale fuerit peccatum Thomæ.

NOnnullæ dubitationes occurrunt, quarum solutio ad intelligentiam huius sententiæ, & historiæ de Thoma cum primis necessaria est. vna est; Quale hoc fuerit peccatum Thomæ: nemo enim eum à peccato excusat, nemo reprehensione dignum tunc fuisse negat; at quod peccati genus fuerit inquirimus. Et quidem responsio certa est, fuisse infidelitatem, quæ fidei diuinæ opponitur, quod Christi verbum ei responsum significat. Noli, inquit, esse incredulus, sed fidelis: vt enim expressius iudicaret contra fidẽ egisse Thomam, ideo negatione, & affirmatione vsus est, Noli esse incredulus, sed fidelis; quasi diceret; Hactenus nõ fidelis, sed incredulus fuisti. Hoc idem confirmat Cyril. libr. 12. ca. 57. Thomas, inquit, in infidelitatis crimen incidit. id ipsum comprobatur August. sermo. 159. de tempore, Manus, inquit, quærebat, & latus, & dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide; voluit Dominus, vt videret, ne in incredulitate animam perderet. hæc Aug. Certum igitur est peccatum infidelitatis fuisse; fuit aut cum quadam pertinaciã, obstinatione, superbia, irreuerentia, vt in commentario expositum est.

A forsan credebat surrexisse in corpore spiritali, sicut postea Eutyches tenuit, vt refert Gregor. lib. 14. Moral. cap. 29. Ista Ambrosij responsio non videtur accommodata verbis Euangelistæ; nam illi retulerunt se vidisse Dominum, ipse autem non credidit Dominum fuisse, hoc non ad qualitatem, sed ad substantiam pertinet resurrectionis: si enim resurrexisse crederet, eos vidisse Dominum crederet; Apostoli enim de resurrectione, non de qualitate loquebantur. Secundo loco Chryf. homil. 86. & Euthym. asserunt, Thomam nõ credidisse resurrexisse Christum, immo impossibile fuisse existimauit. hæc responsio in altero videtur extremo: non enim videtur Thomas impossibile iudicasse resurrectionem, qui non dubitabat Deo id esse possibile, quandoquidem & quatrduanqum Lazarum suscitatum viderat: quamuis autem non agnosceret diuinitatem Christi, & ideo seipsum suscitare posse non crederet, tamen potuit à Deo suscitari: nec Apostoli dixerant vidisse Dominum seipsum suscitantem, sed vidisse Dominum suscitatum, & viuum, & id negauit Thomas. Rectius August. lib. 16. cont. Faustulum cap. 33. & Greg. hom. 26. in Euang. affirmant Thomam incredulum fuisse, quia Christum surrexisse non credidit: huius enim resurrectionis testimonia habuit idonea credendi. Hanc dubitationem mihi optime soluere visus est Origen. libr. 2. contra Celsum vbi docet Thomam non negasse vidisse discipulos, quod affirmabant: sed illum, quem viderunt, fuisse Christum in corpore vero suo resusci-

Que sunt illa, quibus Thomas fidẽ habere recusat.

resuscitatum. Nam sciebat animas aliquando apparere in corporibus, & proprias formare voces, & tamen non esse corpora vera, sed apparentia, nec esse veram resurrectionem, sed apparentem: talem existimabat hanc Christi manifestationem, idcirco dicebat se velle tactu ipso veritatem corporis probare, non igitur negavit Apostolos vidisse, quæ narrabant, sed ipsum esse Dominum suscitatum in suo corpore. Ferè hoc ipsi Apostoli à principio, quando viderunt Dominum, arbitrati sunt; dicitur enim Luc. 24. Existimabant se spiritum videre, unde audierunt; Palpate & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet. Verba Origenis sunt hæc: Assentiebatur Thomas narratibus se vidisse Christum, quasi non nouum esset conspici defuncti animam; cæterum vt eum resurrexisse in proprio corpore crederet, id non poterat in animum inducere, quia propter non dicit solum, Nisi videro non credam, sed adiunxit illa verba, Nisi misero manum meam in vestigium clauorum, & con-

Incredulitas
in diuersa
sunt causæ:

teretauero latus eius, non credam. hæc autem dicebat, quia arbitrabatur fieri posse, vt oculis se offerret corpus per omnia deposito simile, vocemque oculosque decoros corporis, atque modum, interdumque quoque amictu non dissimili, hæc & alia Origenes, & hæc est responsio legitima.

Tertia dubitatio est de causa huius incredulitatis, unde scilicet sit orta? Chrysolom. hom. 86. causam ad mentis crassitiam refert. Præter modum, inquit, inquirere, & inuestigare crassissimæ mentis est, ideo Thomas accusatur. hæc Chrysol. doctrina hæc nec constans est, nec in Thoma locum habet: non quidem semper constat; nam incredulitas ex alijs etiam nascitur causis: aliquando enim ex superbia procedit; superbus namque ne alteri cedat, & minus illo sibi sapere videatur ma- uult non credere, quæ alter affirmat etiã probata aliquando ex odio, & inuidia prouenit sæpe enim bona etiam argumento probabiliter confirmata, homo sibi non persuadet de eo, quem odio, aut inuidia prosequitur. aliquando ex timore, aut tristitia oritur: timor enim ea non credere facit, quæ si creduntur, cre-

dent molestia afficiunt: animi enim passiones & affectus valde immutant intellectum, & perturbant iudicium, in variasque partes trahunt assensum in ijs, quæ ratione necessaria, & demonstratione non confirmantur. quod multis exemplis superius cap. 5. ostendimus. hanc causam infidelitatis Thomæ esse existimo, cum Cyril. lib. 1. c. 57. timens enim animi dolorem vehementem, & tristitiam, quibus afficeretur de sua absentia, si credidisset Dominum surrexisse, & apparuisse discipulis, elegit potius non credere: inordinata quidem fuit electio, sed ex amore in Christum procedens. in hoc autem Cyrillo non consentio, putat enim non dubitasse Thomam de diuinitate Christi, id tamen non videtur probabile, si enim credidisset Christi diuinitatem, audiens resurrectionem, non eam negasset. Eius ergo infidelitatis duæ sunt potissimæ causæ, vna ex parte intellectus erat, altera ex parte affectus. ex parte intellectus, quia non credebatur Christi diuinitatem. Si enim credidisset filium Dei verum, qui mortuus erat, facile audiens resurrectionem fidem adhibuisset. Ex parte affectus fuit tristitia, & dolor, quo affectus est: quia non adfuit cum cæteris, quando venit Dominus: maluit enim non credens ab huiusmodi se liberare tristitia, quam credens resurrectionem dolere de absentia, propter quam surgentem videre non potuit.

Quarta dubitatio est, quando Thomas accepit potestatem remittendi, & auctoritatem prædicandi, quæ cæteris Apostolis data fuit in prima die? Cyril. lib. 12. cap. 56. ad hanc dubitationem respondit: simul cum alijs absentem recepisse, probatque exemplo Num. 11. Eldal enim, & Meldal acceperunt donum prophetandi vnà cum alijs septuaginta senioribus, quamuis absentes fuerint in tabernaculo Moysi: manserunt enim in castris. At quia potestas hæc data est cū sanctificatione, & insufflatione, quæ absenti Thomæ non fuit communicata, cum infidelis erat; probabilius videtur dicere datam fuisse, quando videtur Dominum credidit: non enim omnia scripta sunt ab Euang. quamuis sententia Cyrilli non sit improbabilis.

In loco Do-
minus Tho-
mæ apparuit:

Hieronymus Matth. vltim. exponens illud (Vndecim discipuli abierunt in Galilæam) hanc apparitionem Thomæ non in Hierusalem, vbi prior fuit, sed in Galilæa censet esse factam August. verò libr. 3. de consen. Euang. cap. 25. docet in Hierusalem etiam apparuisse Thomæ, vbi primò cæteris apparuerat, & ea videtur probabilior sententia. Vniformitas enim narrationis nempe congregatos esse omnes simul in vno loco, & ianuis clausis, sicut prius erant, indicat eundem fuisse locum: non erat enim, cur ianuis clausis in Galilæa, & omnes simul congregati essent, cum maiorem

ibi securitatem haberent. Ratio etiam id confirmat, quia cum omnes ex præcepto Domini in Galilæam profecturi essent, oportebat etiam Thomæ hoc mandatum constare, vt vnà cum cæteris proficisceretur, nec est, cur mirum videri debeat, octo diebus mansisse eos in Hierusalem: erant enim tunc adhuc persecutores Christi obseruantes omnia, quæ fiebant, & discipuli timidi: aliqua ergo mora temporis interponi debuit, quo res veluti in oblivionem à Iudeis tradita videretur, vt omnes simul Domini discipuli cum minori periculo iter in Galilæam facerent.

Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.

COMMENTARIUS.

NON erat opus, vt paulo antè diximus, Christo aduenire, & iterum apparere, vt Thomæ suam persuaderet resurrectionem: multoq; minus se ei exhibere palpandum, qui sola voluntate saxea hominum corda emollire, & cæcas illuminare mentes, & euersas poterat hominum conuètere voluntates (in quo etiam Thomæ incredulitas apparet, qui Christo modum persuadendi præscripsit, quasi aliter ei, nisi digito, & manu in loca clauorum, & latus missus, suam ipsi resurrectionem persuadere non posset) at Dominus propter nostram instructionem id effecit: hæc enim argumenta illi exhibita nostræ fidei confirmatio sunt. similiter etiam propter ipsius Thomæ utilitatem: tanta enim Domini clementia confusum fuisse, magnamq; & profundam humilitatem concepisse certum est. Attède autem verba: ex vna enim parte veram suam resurrectionem ostendit, dum se præbet tangendum, & digito, ac manu contractandum: ex altera parte probat suam diuinitatem, dum omnia nosse manifestat, verbaque, & incredulitatem ac pertinaciam Thomæ non ignorasse declarat: ac si diceret, Scio te dixisse ex incredulitate, Nisi mittam digitum meum in loca clauorum, & in latus manum meam, non credam, fiat sicut dixisti, mitte digitum, & manum tuam, & cesset tanta incredulitas.

Et noli esse incredulus, sed fidelis.

Connexa sunt hæc verba superioribus, & referuntur ad verba Thomæ: dixerat enim, Non credam nisi mittam digitum & manum, Christus ergo verbis eius vtens dicit, Mitte manum, & digitum, & crede, & desiste ab ista tua incredulitate, in qua re perseueraturum affirmasti, donec hæc faceres: feci quod meum est, ecce me palpandum exhibeo; fac ergo, quod tuum est, & noli veritati resistere, sed ad fidem cor tuum conuertere. Verba hæc sunt cuiusdam suavis & paternæ admonitionis: sunt etiam efficaciam diuinæ; nam interius cor mouebant vt crederet: ipso enim interius non mouente affectum, & illuminante cor, nec ipse exterior ad persuadendum sufficeret tactus. In admonendo autem miro vtitur artificio, prius argumentum veritatis adhibet, & postea reprehendit: qui enim veritatem concepit, admonitionis capacior est. estq; magna reprehensio ignorantem in sui erroris, & peccati cognitionem inducere,

propterea Paul. 2. Tim. 4. prius peccantem ex ignorantia censet conuincendum peccati, & postea increpandum. Argue, inquit, obsecra, increpa, quod ibi Chrysostomus hom. 9. annotauit. Dum autē dicit, *Noli esse incredulus*, voluntariam eius infidelitatem ostendit: quasi diceret, Incredulus fuisti hactenus, quia uoluisti, habebas namque unde credere posses: non credidisti autem, quia noluisti; at modò, noli esse iam incredulus, quando argumenta habes, quæ tu ipse petiisti. In Græco sermone, concinnitatem quandam habet sententia ex uerbi similitudine, ac si Latinè diceremus: Noli esse infidelis, sed fidelis. Est autem Hebraismus affirmatione, & negatione simul eandem rem exprimere,

*Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus &
Deus meus.*

Cognita resurrectione, non solum hominem, sed etiā Deum uerum confitetur, & est sensus: Tu es uerè Dominus meus Christus: tu etiā es uerus Deus meus. est in nominandi casu utrumque, & cum articulo Græco, ut uerum Dominum & uerum Deum non participatione, sed natura significet; & ut rectè Theop. annotauit, Dominum propter humanam, Deum propter diuinam dicit naturam, utrumque enim cōfitemur. Ex affectu autem magno appellat suum, *Dominus*, inquit, *meus*, & *Deus meus*, ut dicit Ambr. in Psal. 43. Attende Thomam his uerbis tacitè incredulitatem suam, & ipsius causam præcipuam confiteri: ac si diceret; Non credidi prius, quia nesciebam te esse Deum meum, at nunc credo te esse Deum, quia resurrexisti te video. prius quia non credidi tuam diuinitatem, negabam resurrectionem: at nunc uidentem resurrectionem, confiteor tuam ueram diuinitatem. His uerbis confitetur Thomas non solum Christum surrexisse, sed se ipsum suscitasse; dum enim diuinitatem eius credit, & confitetur, à seipso suscitasse affirmat; ita docent Hilarius libro 7. Trinitat. & Ambrosius in Psal. 43. notat etiam ibidem Ambrosius dum Dominum eum appellauit, eum esse redemptorem confessum fuisse, & rectè: quamuis enim Christus ut Deus sit omnium Dominus per essentiam, & ut homo Dominus etiam omnium per unionem hypostaticam tamen iure redemptionis singulare quoddam habet dominium in omnes eius sanguine redemptos; plus ergo Thomas affirmat, & confitetur, quàm prius negauerat; resurrexisse enim negauit, at nunc & resurrexisse, & per se ipsum suscitatum, hominumque redemptorem esse clarissimè pronunciat.

A N N O T A T I O XXVII.

QVOD ad Thomæ confessionem attinet, A cauenda est erronea interpretatio cuiusdam Theodori damnati in Synod. quinta Constantinopolitana cap. 12. qui sic interpretabatur uerba Thomæ: assererat enim quando Thomas dixit, *Dominus meus*, & *Deus meus*, non hæc de Christo pronunciasse, sed miraculo resurrectionis obstupescerem glorificasse Deum, qui suscitauit Christum. hæc hæreticus dicebat, quia Christi diuinitatem negabat, quam uerè Thomas confessus est, Christum ipsum Dominum & Deum suum affirmando. Dubitatio ex superioribus oritur uerbis, an Thomas crediderit, confessusque fuerit statim ac uidentem non expectato tactu: & dubitandi ratio illud uerbum esse potest, *quia uidisti, credidisti*, non enim dictum est, quia digitum in loca clauorum, & manum in latus intulisti. Certa res est, & in confesso apud omnes Thomam secū-

dum Domini præceptum tetigisse; hoc enim factum est, ut argumentum efficax resurrectionis ueræ nobis omnibus relinqueretur an tamen ipse Thomas solo visu ante tactum crediderit, in controuersia est. Euthy. existimat priusquam tangeret credidisse, eamque sententiam refert Aug. tract. 121 nec refutat, ipse tamen in contrariā inclinans; nempe prius tetigisse, & postea credidisse, eaque est sententia communis, quam sequuntur Tertul. lib. de Anima cap. 28. de uita mortis. & libr. aduersus Praxeam. Hilarius libr. 3. Trin. Amb. in Psal. 43. & 47. Cyril. lib. 12. cap. 58. Gregor. hom. 26. Euang. & ea est legitima, & uera sententia. Ut enim annotat Aug. in scriptura uerbum uidentem generaliter usurpari solet pro quacunque sensatione, quemadmodum dicitur Exod. 20. Cunctus populus uidebat uoces, & Marc. 15. Vide in quantis te accusant; in qua significatione

tione usurpatum esse in hoc loco id manifestè A probat, quod præcessit: Dictum enim est, *Infer digitum tuum hac & uide*, non iubetur Thomas digitum inferre, ut uideat oculis, sed ut experiatur tactu. postea sequitur, *quia uidisti, credidisti*, ad eandem debet referri significationem, quæ præcessit, nempe quia uidisti digito, & manu illatus in uulnera, id est, tetigisti, & sensibus expertus es me resurrexisse, ideo credidisti. Hoc ipsum confirmat confessio Thomæ facta post-

quam dictum ei est: *Infer huc digitum tuum, & asser manum*, si enim ante tactum credidisset, non eratur Dominus ei præciperet tangere, & post tactum diceret: *Noli esse incredulus, sed fidelis*. Tenendum ergo est, Thomam non credidisse, antequam tangeret: uerbumque illud *quia uidisti*, non ad oculorum solam uisionem, sed ad tactum etiā esse referendum, ut sit sensus, *Quia sensibus tuis expertus es meam resurrectionem, ideo credidisti*.

Dicit ei Iesus, quia uidisti me Thomas, credidisti.

C O M M E N T A R I V S.

N E se tanta confessione Thomas extolleret, sed in humilitate potius cōtineret, & ut omnes qui uenturi erant fideles Christus in fide confirmaret, & instrueret, respondit, *quia uidisti me Thomas, credidisti*, ac si diceret, uera est tua fides & laudanda, ac probanda confessio; sed ne te magnum aliquid fecisse existimes, quandoquidem credidisti, quia uidisti, & contrectasti. (Visus enim, ut Aug. notat, pro omni sensu generaliter accipitur) sensu ergo prius expertus es resurrectionem, quàm proferres tantam confessionem, quia uidisti meam humanitatem resurgentem, credidisti diuinitatem in ea latentem: magnum hoc profectò est, tamen uidisti prius, & argumentum habuisti: maius esset, si antequam uidisses id confessus fuisses. Uerba sunt cuiusdam approbationis, ueram enim fidem Thomæ probat. *Credidisti*, inquit, quo uerbo, ut notant Cyril. lib. 12. cap. 59. & Hilar. lib. Trini. Christus uerus esse Deus cōfirmatur: non enim fidem Thomæ repulit, nec reprehendit, sed acceptauit se Dominum, & Deum esse, *Credidisti*, inquit Sunt etiam cuiusdam reprehensionis uerba: *quia uidisti*, ac si diceret; non rectè fecisti quod tandiu credere distulisti, donec uideres; debuisti prius credere, quando audisti resurrectionem meam. cætera in annotatione quare.

A N N O T A T I O XXVIII.

Thomas duo confessus est.

A D intelligentiam huius sententiæ maiorem assequendam a notandum est, Thomam duo esse confessum: Vnum est resurrectio Domini, quæ confessio non ex fide, sed ex experientia procedebat: uidebat enim uiuum, quem mortuum esse sciebat, ex hoc necessariò colligebatur ipsum resurrexisse: non ergo hoc fide credebatur, nec meritum in hoc asserendo erat. ideo Marc. ultim. dictum est, *Ihs, qui uiderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant. uidisse dicuntur resurrectionem, non credere, qui Christum uiderant. Alterum quod Thomas est confessus, est, Christum Deū esse, & se ipsum suscitasse; hæc autem confessio ex fide erat; non enim oculis patebat, nec experientia comprehendebatur, sed fide tenebatur: non solum quia non uidebatur, cum nec ipsa resurrectio oculis esset conspicua, sed quia non colligebatur necessariò ex eo, quod uidebatur: Non enim ex eo quod aliquis à morte ad uitam reuocatus uideretur, necessariò deducitur quod ille se ipsum suscitauerit, aut quod Deus sit, & homo; sicut necessariò inferebatur, si uiuus erat post mortem, ipsum resurrexisse: idcirco Thomæ fides fuit uera fides, laudabilis, & meritoria, quia credidit, quod sensibus non patebat: nec quod ex ihs,*

quæ sentiebatur necessariò deducebatur. Hoc tamen imperfectionis in ea fide fuit, quod resurrectionem: fuisset autem perfecta, si credidisset uerbis Apostolorum antequam uidisset Christi humanitatem; qui enim credit propter signa. quamuis uera sit eius fides, minus tamen habet meriti, quàm si credat simpliciter: tantoque magis reprehensione dignus fuit Thomas, quanto magis habuit, antequam uidisset, testimonia sufficientia & argumenta credendi, & non credidit. Simile est illud Ioan. 4. *Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis*. Ex his facile est sententiam Domini intelligere, *quia uidisti, inquit, me Thomas, credidisti*, non dicit, quod uidisti, credidisti, eius enim quod uideretur non est fides, sed *quia uidisti me credidisti*, unum uidisti, & aliud credidisti, sed quod credidisti, non aliter credidisti, quàm compulsius experientia eius, quod uidisti; cum potuisses, & debuisses prius credere quàm uideres. Vera igitur est fides, sed modus quo ad eam peruenisti, imperfectus est. Hinc soluitur dubitatio, quam mouet Gregor. homil. 26. Euangel. qua ratione dictum sit, *quia uidisti credidisti*, cum fides sit eorum, quæ non uidentur.

videtur. Respondet aliud vidisse, aliud credidisse. eadem est doctrina Hilarij libr. 7. Trinit. & August. tract. 79. in Ioan. & vera est, sed declaranda sic, nempe fidem esse eius, quod non videtur, & adhuc quod non deducitur ne-

cessario ex ijs, quæ videntur; qui enim latentes ignis fumum videt, ignem non videt, tamen non fidem, sed scientiam quandam, aut experientiam eius habet, quia fumus certum signum & argumentum est ignis.

Beati qui non viderunt & crediderunt.

COMMENTARIUS.

Commendat ergo fidem venturorum, qui non videntes resurrectionem, vtrumque simul, non vnum per alterum, sicut Thomas fecit, crediderunt; vbi enim minus est experientia, & argumentorum, ibi fides maius habet meritum. Quod autem præterito vsus sit, antequam fideles venturi essent, phrasis est frequens Hebræa; & in Prophetis sæpe vsurpata: quæ enim futura sunt, præteriti temporis verbo exprimuntur. Sensus est, Beati qui non videbunt, & credent. Non negat Beatum Thomam qui credidit: nam fides ipsius laudabilis, & meritoria fuit; sed in hoc beatiore futuros affirmat, qui cum non viderint, credent. Cætera in annotatione lege.

ANNOTATIO XXIX.

Attendendum est hæc duo valde esse distincta; Vidit, ac credidit, & quia vidit, credidit; hoc enim posterius significat argumentum, & experientiam esse causam credendi; illud autem simul esse cum fide aliquam experientiam, aut cognitionem, quæ ex argumentis, & rationibus procedit. Argumentum non minuit meritum fidei, nisi quando propter argumentum creditur, nec aliter crederetur: maior enim est fides, & præstantius meritum eius, qui credit simpliciter, non propter rationes, aut argumenta; quia magis captiuatur intellectus, & est promptior obedientia voluntatis; at quando aliquis habet argumentum, aut rationem eius, quod credit; tamen etiam si non haberet, crederet, nec argumentum est causa credendi, & tunc dicitur videre, & credere: nec propter argumentum, aut rationem minuitur fidei meritum. Thomas autem credidit non solum videns resurrectionem, sed quia vidit, & nisi vidisset, non credidisset; propterea in hac parte minus habuit meriti eius fides, quam habuisset, si antequam vidisset, credidisset. Et hoc idem de fide discipulorum, qui non crediderunt, nisi quia viderunt, dicendum est: Hoc tamen Thomas habuit minoris meriti, quia testificantibus cæteris discipulis, nihilominus non credebat. Ex altera tamen parte facta est compensatio; quia perfectam Christi diuinitatem, quando vidit resurrectionem, credidit, & confessus est. Poterit tamen aliquis vrgere argumento logico, si beatus qui non videt, & credit, ergo qui vidit, & credidit non est beatus. Respondeo esse Hebraismum; vtitur enim Hebræus positivo loco comparatiui, quod ex 1. Corinth. 7. constat. Dico, inquit, inuuptis, & viduis, bonum est, si sic permanerint, quod si non se continent, nubant. Non licet argumentari ex his verbis, si bonum est sic permanere, & non nubere, ergo non est bonum nubere. cum sit Hebraismus, ac si diceret; melius est sic permanere: ideo paulò inferiori repetijt Paulus, Beatior est si sic permanerit: ita nunc dictum est; Beati qui non viderunt, & crediderunt, id est, qui crediderunt, non quia viderunt. Iterum obijciat: nos ergo beatiore sumus Thoma, nostraque fides est perfectior. Respondeo nec hoc esse concedendum, quod exemplo manifestatur. Sint duo qui accedunt cuidam domino feruienti, vnus mercede, alter amore; qui mercede accessit, diligentissimè, & ingenuo inferuuit animo; qui verò gratis non item; si vtriusque conferas obsequia, vtiq; prior postponendus est, & minus laude dignus, quantum ad initia, & modum accedendi; tamen absolute commendabilior est, & omnino præferendus propter prosecutionem obsequij egregiam, & propter affectum, & obsequiorum magnitudinem: ita etiam; quamuis Thomas inferior sit in accessu ad fidem, tamen & illustrior, & constantior, multoque perfectior fides eius facta est, ideo absolute beator est nobis. Neque ex hac sententia inferas cum Hæreticis. Ergo fides sola beatos facit; non enim fides cæteris virtutibus, & operibus confertur in hac sententia, nec comparantur hi, qui credunt, illis qui operantur, sed hi, qui credunt non videntes, illis qui videntes credunt, & beatiore in hoc sunt posteriores prioribus: non tamen propterea solam fidem ad iustitiam, quæ beatitudo dicitur, sufficere sequitur: nam etiam dictum est, Beatus qui timet, & beatus qui sperat in Domino, & beatus qui miseretur, tamen nec solus timor, nec sola spes, nec sola misericordia iustum faciunt, aut beatum. Solet enim scriptura, quando multa vni conueniunt, singulis per se id tribuere, non quod singula sufficiant, sed quod singula sint ad id consequendum necessaria.

ANNOTATIO XXX.

In exponendis illis verbis, quia vidisti me Thoma credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt; secuti sumus communem doctorum interpretationem, qui de fide, quæ Thomas diuinitatem Christi

Christi seipsum suscitantis credidit, illud verbum, credidisti, exponunt: & est satis accommodata expositio, eamque in commentario amplectentes multa in declarationem ipsius adnotauimus. At quia altera nobis occurrit expositio non minus forsan accommodata, & propria, eam lectoribus proponere libuit. Existimo ergo, verbum credendi tam in ea sententia, quia vidisti, credidisti, quam in illa, Beati qui non viderunt, & crediderunt, referendum esse ad resurrectionem Domini, quam negauerat Thomas: itaque sensus, O Thoma, quia vidisti me, id est, humanitatem meam, credidisti meam resurrectionem, meque resurrexisse, quod prius credere noluerat, beati qui me non videntes, crediderunt tamen à mortuis resurrexisse, dictisque prædicantium fidem adhibuerunt. Quibus verbis significare voluit Dominus Thomam non fuisse beatum, nec habuisse meritum in eo quod credidit Christum resurrexisse, eos verò beatos fore ac meritum habituros, qui cum non viderint, credent. In Thoma enim resurrectionem credere, non ex fide, sed ab experientia procedebat: at in futuris fidelibus ex vera fide, per quam iustificatio fit, futurum erat. Est enim aduertendum Thomam credidisse, & confessum fuisse diuinitatem Christi, & hæc fuit vera fides, & idcirco beatus fuit Thomas: tamen Christus de sola resurrectione sua loquitur, quam Thomas pertinaciter negauerat. Verbum ergo credendi generaliter accipitur pro eo, quod est assentire, siue assensus sit ex fide, siue ex scientia, siue experientia: ideoque Thomas credidisse dicitur Christum resurrexisse, quia assensit eius resurrectioni: similiter etiam crediderunt, qui non viderunt, quia assenserunt, sed assensus illius non erat ex fide; horum autem ex fide est, & propterea hi in eo beati, non autem ille. Verbum autem credendi in ea generalitate accipi scriptura ipsa docet, Iaco. 2. Tu, inquit, credis, quia vnus est Deus? & Dæmones credunt, & contremiscunt. hisce verbis Iacobus quorundam conuersorum ex gentibus errorem repellit; existimabant enim se securos, & iustos sola fide, satisque se fecisse putabant, si relictis multis Dijs, vnum Deum verum confiterentur: contra hos inquit Iacobus, Tu credis vnum esse Deum? idque satis tibi esse putas? etiam Dæmones credunt, & tremunt, & tamen non per hoc iusti sunt. hic vides verbum credendi generalem habere significationem: nam fideles vnum esse Deum credunt fide, Dæmones autem scientia. hoc idem Luc. 24. habetur, vbi de eadem resurrectione loquens dicit, Adhuc illis non credentibus, id est, nondum assentientibus eum resurrexisse, qui tamen postea assenserunt, & crediderunt experientia ipsa. Hoc idem verbum Thomæ confirmat, Nisi, inquit, videro fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, non credam: quasi diceret, si hæc fecero, credam, id est, assentiar, & fatebor eum resurrexisse, quæuis non iam fides, sed experientia esset futura: ita ergo locum præsentem existimo exponendum, nempe, credidisti, id est, assensus es meæ resurrectioni, quia vidisti me, & tactu expertus es meam humanitatem. beati qui non videntes credent, & assentientur, quia hic tuus assensus non ex fide; illorum verò ex fide vera futurus est, ideo in hoc tu non es beatus, illi verò beati erunt.

Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

COMMENTARIUS.

Ne quis sola hæc argumenta & suæ resurrectionis signa Dominum discipulis suis dedisse arbitraretur, adiungit Euangelista Christum non solum se videndum, & Thomæ palpandum exhibuisse; sed etiam multa alia signa fecisse coram suis discipulis, quibus veritatem suæ resurrectionis confirmaret, tamen non sunt scripta in hoc libro. Hoc dicit Ioannes; tum vt probet, quæ alij Euangelistæ narrarunt; tum vt fidem resurrectionis adstruat, quæ pluribus etiam signis Apostolis innotuit, & manifesta est.

ANNOTATIO XXXI.

Chrysof. hom. 86. hæc verba ad signa refert post resurrectionem facta, vt sit sensus; Multa alia signa Christum fecisse coram discipulis ad suæ resurrectionis veritatem confirmandam certum est. Cyr. lib. 12. ca. 61. & Aug. tract. 122. ad omnia miracula Christi ante, & post resurrectionem narrata à Ioanne in hoc Euangelio referunt, vt sit velut quedam miraculorum generalis epilogus. Euthy. vtramque refert expositionem tamquam probabilem; & negare non possumus vtranque esse accommodatam; tamen accommodatior est prior expositio Chrysofomi. Primò quia in capituli sequentis sine eandem ponit conclusionem generalem; effect-

que ista superuacanea, & ante tempus posita. Secundò quia dicit, in conspectu discipulorum; at miracula cætera in conspectu aliorum multorum facta sunt. Tertio, quia in hoc contextu non loquitur de miraculis, sed de signis, quibus suam resurrectionem Christus confirmabat. Obijciat aliquis, Quare hanc clausulam adhibet nunc Euangelista, cum in capite sequenti etiam de manifestatione resurrectionis loquatur? Respondeo id factum propter confessionem Thomæ, qui visu & tactu credidit; vt doceat etiam si propter hæc duo crediderit Thomas; plura tamen alia à Domino exhibita illi esse resurrectionis argumenta.

Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.

C O M M E N T A R I V S.

Finem narrationis prædictorum signorum exponit: & inde causam, cur plura non scripserit, insinuat: ea autem est, quia hæc scribuntur ad fidem Christi conciliandam, ut per fidem salutem credentes assequantur. cum autem quæ sunt narrata sufficiant ad fidem faciendam, quod Christus surrexerit, & ex resurrectione se esse Dei filium confirmauerit, nõ fuit opus scripsisse plura signa. Duo ergo sunt fines narrationis huius, vnus proximus, nempe fides vera Christi diuinitatis, & humanitatis: in hanc enim signa narrata inducunt. Alter est vltimus, nempe vita æterna, quæ credentibus datur. In nomine autem eius vitam habere credentes, idem significat, ac virtute meriti, & satisfactionis eius per fidem communicatæ salutem accipere. Virtus enim Christi est, quæ per fidem viuificat credentes in eum.

A N N O T A T I O XXXII.

Plures de Christi diuinitate articuli.

Atende, fidem per quam credimus Iesum esse Christum filium Dei, multos articulos continere. Vnus est, illum, qui proprio nomine vocatus est Iesus, esse Christum; & Messiam promissum in lege, & Prophetis: hoc Iudæi non crediderunt, nec credunt. & de hoc articulo dicitur Matth. 1. De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus, & 1. Ioan. 5. Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est. Alter articulus est hunc Christum, & Messiam, qui Iesus proprio vo-

catus est nomine, esse filium Dei, & verum Deum, non hominem merum; de hoc 1. Ioan. 5. dicitur. Quis est, qui vicit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? Tertius articulus est nomine Iesu inclusus, nempe Christum filium Dei esse Ietum & Saluatorem, qui venit nos saluos facere; in his tribus tota fides nostra quasi in principio comprehenditur: de hoc tamen latius in commentario illius epistolæ Ioannis dicemus.

C A P V T V I G E S I M V M

P R I M V M.



POSTEA manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didimus & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus, Vado piscari. Dicunt ei, Venimus & nos tecum. & exierunt, & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem iam factò, stetit IESVS in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus, Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, Non. Dicit eis, Mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere pro multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat IESVS Petro, Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem super positum, & panem. Dicit eis Iesus, Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus, Venite, prandete: & nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis,

eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, Etiam Domine: tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me. & dixit ei, Domine, tu omnia scis: tu scis quia amo te: Dicit ei, Pasce oues meas: Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cæna super pectus eius. & dixit, Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Iesu, Domine, hic autem quid? dicit ei Iesus: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, Non moritur: sed, Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui te testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis.

C O M M E N T A R I V S.

Evangeliista, ut Euangelium suum sine conuenienti concludat, describit quod Dominus antequam se visibiliter à suis ad cælos ascendens abstraheret, cum Ecclesia sua, & fidelibus fecit, nempe vnum Vicarium in terris reliquisse, qui vices ipsius in administratione, & gubernatione Ecclesiæ successuè vnus post alium perpetuò gerat; quorum primum ipse elegit, & constituit, nempe Petrum. Huius rei occasione hanc manifestationem narrat, non ut resurrectionis veritatem confirmet, quam in fine præcedentis capituli satis esse confirmatam dixit; sed ut quod tunc Christus instituit, manifestet. Iam ergo discipuli in Galilæam ex præcepto Domini profecti erant, vbi hæc manifestatio facta est: dicit ergo, *Postea*, id est, post manifestationem Thomæ vnà cum alijs factam, iterum se manifestauit ad mare Galilææ. dicit, *Iterum*, id est, secundò, quia loquebatur de Thoma, ut sit sensus; iterum, & secundò etiam Thomæ se manifestauit in Galilæa; quamuis respectu discipulorum tertia fuerit hæc apparitio.

Manifestauit autem sic, erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Dydimus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.

Describit distinctè hanc manifestationem quomodo fuerit facta, & primò personas exponit: erant enim septem ex discipulis: per filios Zebedæi Iacobum, & Ioannem intelligimus. Nathanael nominatur, quia vir erat valdè notus, & à principio prædicationis secutus erat Christum: duo verò alij tacito nomine numerantur, siue quia non ex præcipuis Apostolis, siue quia Apostoli non erant: Nathanael autem quamuis Apostolus non esset, tamè, ut diximus, erat discipulus antiquus Domini, & valdè notus, ideo proprio nomine eius est facta mentio.

Dicit

Dicit ei Simon Petrus, vado piscari, dicunt ei, venimus & nos tecum.

Petrus Magistrum non habens presentem, vt ante, & ijs quæ ad victum sibi necessaria erant, carens, piscari vadit: hanc enim artem priusquã Christum sequeretur, exercebat: socios autem in eadem necessitate cognoscens quid facere velit, comonefacit, vt & ipsi veniant ad eum iuuandum, & victum sibi etiam cõparent. Facile assentiuntur omnes Petro, *Venimus*, inquit, & *nos tecum*, piscatum. Verba hæc presentis temporis paratum, & deliberatũ animum ad opus significant. *Vado piscari*, id est, accingo me iam ad viam; *Venimus & nos*, id est, ecce nos paratos habes venire tecum.

A N N O T A T I O I.

Cur Apostoli ad piscatum venerit.

Quæstionem proponit August. tractat. 122. A Quomodo post vocationem ad Apostolatũ ad piscationem, quam propter illum reliquerant, redierint. Respondet non fuisse illis prohibitum salua officij integritate, victum sibi necessarium conquirere; nam etiam Paulus victum sibi manibus comparabat, dum ab ijs, quæ sui erant muneris, vacabat; ac si clariõribus verbis dicamus, piscatum reliquerant quantum ad lucrum, non tamen quantum ad sustentationem propriam: non habebant enim, quod ederent, idẽo piscabantur propter victum, sicut & alia opera etiam ad victum licebat Apostolis facere. Gregor. homil. 24. Euangel. hanc proponit quæstionem, & respondet illos rediisse ad piscatum, quia sine peccato eam exercere poterant; Matthæum verò non rediisse ad telonium, quia hoc exercitium cum peccato exercetur; tamen non est ista responsio completa solutio; quia etiam piscari ad lucrum sine peccato fit; nec tamen Apostoli

ad hanc piscationem redierunt, sed propter victum, vt haberent, vnde se sustentarent, quæ sui Apostolici muneris erant non prætermittentes: sic enim Paulus artem etiam scenopægiæ, seu textoriam exercebat. Chrysostr. homil. 86. id tunc factum esse dicit, quia Dominus non frequenter cum illis conuersabatur, & Spiritus nondum datus erat, nec habebant quid facerent. Atqui non est etiam perfecta solutio; nec enim ista sufficerent, vt artem repeterent, si esset ad lucrum: ad victum autem etiam post datum Spiritum sanctum licebat piscari, sicut & alia opera exercere ad sustentationem; quamuis enim dignus esset mercede operarius, & petere à fidelibus suam sustentationem illis licuisset, ne tamen aliqua ex parte graues essent Apostoli fidelibus, quando id saluo officio fieri poterat, malebant proprijs manibus laborare, & victum sibi comparare; quod insignis perfectionis erat.

Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt.

C O M M E N T A R I V S.

Non in propriam nauim, quam reliquerant Christum sequentes ascenderunt, sed in eam, quæ alicuius amici, aut familiaris erat, vt Euthymius dicit, aut forsan patris filiorum Zebedæi: noctem autem eligunt ad piscandum, quia id tempus est opportunum: quies enim & tenebræ piscari accommodatæ sunt: strepitu nanque & hominum aspectu pisces terrentur, & fugiunt. Quod autem tota nocte laborant, & nihil prendunt, non casu aliquo id factum est, sed diuino consilio; vt verbo Domini postea magnam copiam piscium capientes, intelligant, qui futuri erant hominum piscatores, se propria virtute nihil effecturos, neminemq; ad rete Sanctæ Ecclesiæ tracturos, quantumcunque laborent, & insudent, nisi virtus Christi adsit: eo autem iuuante, & verbi ipsius potentia operante, in numeram multitudinem esse conuertendam. Nisi enim Dominus ædificauerit Ecclesiam suam, in vanum laborant, qui ædificant: ipso verò ædificante mirum in modum crescit, & augetur, perficiturque ædificium. Hoc tam mira piscium comprehensio verbo Domini facta significabat.

Mane autem factõ stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est.

Tempus matutinum expectat, quod piscibus capiendis minus est opportunum: quando etiam pisces, strepitu nocturni piscatus sese occuluerunt, cum & ipsi labore defessi nocturno, & spe capiendi deposita à piscatu se retraherent.

trahebant; tunc est .n. opportunitas Christi, quando virtus eius maximè agnoscitur. Vult ergo Deus nostram nos adhibere operam, sed non ipsa sola niti, nec quod fit bonum, propriæ nostræ virtuti ascribere; ideo expectat, vt discipuli laborent, & insudent, cum autem minus iam in suo opere confidunt, adstat Christus, & piscium fit magna comprehensio. propter hoc manè factõ ipsis adhuc in nauì existentibus Christus in littore stat: non tamen cognouerunt eum, quia in ea forma, in qua agnosci ab illis posset, nondum voluit apparere: ex ipso enim volebat opere, & miraculo, prius quàm ex forma agnosci, vt fidem, & meritum suorum augetet.

Dicit ergo eis Iesus; Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, non.

Nondum à suis agnitus more hominũ loquitur, vt dicit Chrysostr. ho. 86. ac si nempturus aliquos pisces esset, quasi diceret: Habetis aliquos pisces, quos vendatis? pulmentarium .n. idem hoc in loco significat, quod obsonium: quicquid enim ultra panem & vinum cibi apponitur, obsonium, & pulmentarium etiã dicitur. à piscatoribus autem obsonium petens, de piscibus interrogare videbatur; propriam inopiam, & inanem eorum piscationem interrogatione hac eos fateri facit, vt in eo, quod futurum erat, diuinam nos cum ipsis agnoscamus virtutem. Puer latinè, & παιδίον Græcè, puerum, filium, & seruum significat; hoc autem loco pueros vocat, quia officium quasi seruorum exercebant: homines enim similes sic appellari solitos esse hic locus indicat, aut forsan vocabulo blãdiori pueros, quasi filios appellat: hoc enim nomine, communiter homines ad nos vocare solemus. Respondent illi, quod verum erat, nempe se pisces non habere.

Dixit eis, mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.

Locum signat, in quo capturi erant pisces, vt non fortuito locutus eis videtur, sed præsciis futurorum; in dexteram autem partem nauigij retia iubet iaci, significans certam fidem, & conuersionem eorum, qui ad dexteram sunt collocandi in iudicio. Crediderunt .n. quotquot ordinati sunt in vitam æternam, & credent, qui supersunt, idcirco non dicit; Mittite in dexteram vestram, sed in dexteram nauigij: multi enim ad sinistram sunt nauigij, qui nobis sunt ad dexteram; & è contrario ad dexteram nauigij, qui sunt nobis ad sinistram: multi saluantur, & conuertuntur, quos minus conuertendos sperabamus; & obdurantur, ac retrocedunt, quorum salutem nobis persuasimus. Attendendum est etiã hoc loco discipulos illos laborasse, & insudasse, & quidem multo tempore; nihil tamen cepisse ad sinistram nauigij retia mittentes: minori autem labore & citius magnam copiam ad dexteram capiunt. Hoc significatur si partem sudoris, & laboris, quam mundi homines rebus mundanis inutiliter consequendis adhibent, studio iustitiæ impenderent; maximos facerent prouentus.

Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudinem piscium.

Propter verbum Domini miserunt retia dicto obediẽtes, hoc est dicere, *Miserunt ergo*, .i. miserunt, quia audierunt verbum illud, *Mittite & inuenietis*: vixdum miserant, quando tanta est multitudo comprehensa piscium, vt rete præ multitudine non possent extrahere. Fuit profectõ laudabile nulla interposita excusatione cum tota nocte nihil prendidissent, & pisces nullos ibi esse facile sibi potuissent persuadere, vnus, quem non nouerant dicto rete iterum iacere; sed eius qui non agnoscebatur virtus, corda eorum interius inclinauit, & mouit, vt id facerent, quod exterius præcipiebat: qui enim iubet Deus, ipse & virtutem dat, vt fiat quod iubet, sine qua, & surda auris ad audiendum, & durum cor ad consentiendum, & manus debilis, & impotens esset ad operandum.

Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus Petro, Dominus est. Simon Petrus, cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.

Ex copia piscium capta, quos prius inuenire non potuerant, & ex celeritate qua ceperunt, accedente diuina illuminatione, Ioannes nouit prior Petro Chri-

tro Christum; ingenij enim acumine pollebat, ut Cyril. l. 12. c. 63. asserit, & ex signo nouit celeriter Dominum, & nihil dubitans firmo animo id Petro significauit, dicens, *Dominus est*, credit Petrus dicto Ioannis facile adhibens fidem eodem commotus miraculo, & præ amoris, & desiderij feruore moras non sustinens nauigij, quia piscium copia, & aliorum discipulorum multitudinem onustum erat, aquis se committit; veste sua contegens nuditatem propter Christi reuerentiam, ut dicit Chryf. ho. 85. peruenitque primus omnium ad Christum. Proprios utriusque Apostoli mores hoc facto significatos, annotat Chryf. hom. 89. Petrus, inquit, feruentior, Ioannes intellectu altior erat: ille vehementior, hic perspicacior. Iterum hoc in loco vides Ioannem priorem nouisse, tamen posteriorem Petro peruenisse: sicut cum uterque ad sepulchrum properauit, primus peruenit, posterior est ingressus. Significatur in utroque facto Pontificem in Ecclesia aliquos doctiores, & sanctiores, aut æque doctos, & sanctos; in dignitate verò neminem superiorem, nec æqualem habere posse. excedit omnes in dignitate, fieri tamen posse, ut in doctrina, & sanctitate excedatur ab ijs, quibus præminet in dignitate & officio.

A N N O T A T I O II.

Aliqui receteriorum sicco pede super aquas Petrum ambularem venisse affirmant; sed non video, quo fundamento, & qua ratione id asserant, cum Euangelista id non solum non significet, sed potius contrarium insinuet: nam dicit misisse se in mare, quo indicat aquis se commisisse, ut natando perueniret: Si enim ambulasset super aquas, alio verbo vsus esset, sicut factum est Matth. 14. quando super aquas venit. propterea Chryf. hom. 86. Theophyl. Euthym. & Beda, eum natando venisse affirmant: & id verius est, non autem omnino nudum fuisse Petrum, sed superiores tantum vestes depo-

Aluisse certum est: hoc enim apud Græcos significat, *ἵκετο*, nempe super indumentum, quod noster interpres tunicam vertit. Existimo esse vestem illam super quam est pallium, quod est supremum vestimentum. Theophylactus asserit significare linteum quoddam, quo Phœnices, & Syrij piscatores se amiciebant, siue nudi essent, siue vestiti, at verisimilius est usurpatum vocabulum ab Euangelista, pro quacunque veste, quæ superinduitur. nec mirum, quod se vestierit, ut se in mare mitteret; multi enim etiam vestiti natant, maxime quia proximam erant littus.

Alij verò discipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trabentes rete piscium.

C O M M E N T A R I V S.

Causam, cur ceteri nauigio venerint, exponit; quia non longè erant à terra, & idè celeriter etiam sperabant se posse peruenire ad littus, vbi Dominus erat: trahebant autem rete piscium, & hoc maxime miraculum commendabat, quod propè littus tanta multitudo piscium sit capta, nèpè ducentorum cubitorum interuallo à litore: cubitus autem habet pedem cum dimidio, erat ergo trecentorum pedum distantia. Bern. lib. 2. ad Eugen. rectè hoc mysterium exponit dicēs. Sciēs Petrus, quia Dominus est, in mare se mitrit, & sic venit ad ipsum alijs nauigio peruenientibus, quid istud? nèpè signum singularis pontificij Petri. per quod non nauim vnā, ut ceteri quisque suam, sed sæculum ipsum suscepit gubernandum: mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ. inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquam vnicum se Christi vicarium designauit; qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet; siquidem aquæ multæ populi multi sunt. ita cum quisque cæterorum habeat suam, Tibi vna commissā est grauissima nauis ex omnibus facta, ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa. hæc Bern. doctè, & verè.

Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas & piscem superpositum, & panem.

Mirificè hoc enim auget miraculum, ignem nulla hominis operā accessum, & piscem superimpositum, & panem ad littus reperiunt. Hæc fecit Dominus, ne propter indigentiam cibum prius quæsisse visus esset, qui iam immortalis cibo non indigebat. Hæc tria ignem, piscem, & panem ex nihilo fecisse Euthym. & Chryfo. ho. 86. censent; immò Chryf. addit non fuisse ex ma-

ex materia subiecta facta, sicut fecerat pisces, & panes illos, quibus turbas satiavit; at incertum est hoc, potuit. n. utroque facere modo. Cyrill. lib. 12. c. 63. asserit piscem ex aquis mira sua virtute extraxisse, id tamè non videtur admodum probabile, quamuis etiā fieri potuit, sed factum esse sicut & ignem, & panem, certum esse miraculo, & diuina virtute, non humano opere ea ibi esse posita, modus incertus est, cum multimodè id potuerit facere. Mihi ex materia subiecta facta esse, sicut olim pisces, & panes illos multiplicauerat, probabilius est;

Dicit eis Iesus; afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

Precipit de piscatu partem afferre, ut hac occasione videret piscium copiosam multitudinem, & magnitudine miraculi eius agnosceret virtutem. necdum enim Dominus ex forma agnoscebatur, ut dicit Chryf. ho. 86. eorum enim fidem exercebat, idcirco intellectu potius quam sensu agnosci volebat.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.

Non solum Petrus traxit, sed ascendit in nauim, ut Euthy. dicit, quia adhuc extra aquas rete non erat, & alios cohortatus est, ut secum trahant; idcirco ipse solus, quia primus erat, quem ceteri secuti sunt, traxisse dicitur. in quo etiam dignitatis, & officij eius significata est præminentia. erat autem, *Rete plenum piscibus centum quinquaginta tribus magnis.*

A N N O T A T I O III.

Hæc omnia ex mysterio sunt facta, non solum virtutem facientis, sed etiam nostram eruditionem significantia. Cyrill. lib. 12. ca. 69. his piscibus multitudinem credentium significari dicit; per centum quidem numerosam Gentium multitudinem; per quinquaginta verò Iudæorum: quæ multò minor existit, per tres verò fidem Trinitatis, quæ propria est Christianorum, quam & Gentes, & Iudæi receperunt, omnes hi intra vnum rete vnus Ecclesiæ continentur, quam explicationem citat, & probat

AEuthy. Possumus etiam hunc totum numerum quinquaginta trium Iudæorum conuersioni accommodare, qui optimè numero fracto explicantur, & non completo, & integro; quia propter infidelitatem maxima pars cecidit, & eorum loco plenitudo gentium intravit; de qua fractione Paulus ad Rom. 11. dicit. Fracti sunt rami, ut ego inserat &c. hæc mysteria latissimè exponit Aug. tract. 122. Similiter & Gregor. hom. 24. in Euang. pro præfenti explicatione hæc dicta sufficiant.

Et cum tot essent, non est scissum rete.

C O M M E N T A R I V S.

Et hoc ad miraculi magnitudinem pertinet, similiter & ad significatiōnem, ac eruditionem; significatur enim vnitas Ecclesiæ indiuiduæ, quæ sub vno capite vna, & indiuidua semper manet. Aug. tract. 122. legit: *Cum tanti essent*, nempe pisces, ut ad magnitudinem referatur, & vox Græca utrunque significat, propterea non inconsideratè Euthym. interpretatus est; Cum tot tantique essent, *Rete non est scissum.*

Dicit eis Iesus; Venite, & prandete.

Eos ad prandium inuitat; erant enim defatigati nocturni piscatus labore, quia verò nemo præ reuerentia accedebat, duobus eos exhortatur verbis, dicens, *Venite, & prandete.* Venite, id est accedite, nec discumbere formidetis; significans, ut dicit Cyril. lib. 12. ca. 63. Post multos labores, quibus vocati vehementer sudabunt, tandem cum Domino recubituros spirituali cibo proposito, qui rationem, & mentem humanæ naturæ excedit. An verò Dominus pransus sit, Euangelista non explicuit; tamen id probabile est fecisse, & id ipsum insinuat Euangelista: Non autem propter indigentiam, sed ad veræ carnis suæ resurrectionem comprobendam, ut dicit Chryf. hom. 86. nam etiam manducauerat prima die resurrectionis cum eis, ut constat ex Luc. vlt. idque eum sapius fecisse ex verbis Act. 1. facile deducitur.

Et nemo audebat discumbentiū interrogare eum, tu quis es? sciētes, quia Dominus est.

Discubuerunt discipuli verbo Christi obedientes, nondū autem Christus sensibus eorum se manifestauerat, nec in propria apparuerat forma, vt Chryf. ho. 86. dicit; factis tamen mirabilibus, eorum intellectu, & mentibus agnoscebatur. hinc factum est, vt non omni ex parte eum agnoscerent, nec omnem certitudinem assecuti essent: sciebant enim eum esse mente, & intellectu, aspectu tamen non is videbatur: neque idē ausi sunt eum interrogare, quis esset, cū scirent eum esse Christum; quamuis in forma solita nō appareret. Hęc verba aliquam dubitationē habuisse discipulos indicant, quāuis non eam, quæ impediret, quo minus ipsum esse iudicarent; non enim omnine dubium impedit actum assentiendi, & iudicādi; Multa enim ita esse credimus, & affirmamus, quorum aliqua imperfecta dubitatio nobis inest: talis erat hęc cognitio discipulorum, propter cognitionem verō, quam verē habebant, timuerunt interrogare quis esset, ne ipsa interrogatione, se omnino eum non agnouisse significarent.

ANNOTATIO IV.

August. tract. 123. exponit verbum interrogandi pro verbo dubitandi positum, vt sit sensus; nemo ausus est dubitare quis esset, quia sciebant esse Christum. Hęc expositio non videtur nec verbis, nec sensui accommodata. Verbis quidem, quia longē aliud est interrogare, aliud dubitare; quamuis .n. qui interrogat, dubitet, tamen non omnis, qui dubitat, interrogat. hoc etiam ad exteriorem, illud ad interiorem pertinet actionem: præterea verbum dubitandi non potest coniungi cū sequenti verbo, *Dubitare tu quis es?* oportebat enim de tertia loqui persona, dum autem dicitur, *Tu quis es?* quāuis sit Hebraismus, tamen ostendit interrogationis significationem, nec vnquam talis phrasidis reperitur, dum de tertia persona fit sermo vt dicatur, *Dubitārent, tu quis es?* sed interrogārent, *Tu quis es?* Adde dictum esse, *Interrogare eum*, non autem absolute interrogare; at non dicitur, dubitare tu. Verbis ergo expositio hęc non accommodatur, nec etiam sensui, quia nō videtur aptē dictum, Nemo ausus est dubita-

Are, quia sciebant esse Christum; de eo enim, qui scit aliquid, nemo dicit, non est ausus dubitare, satis erat dicere, sciebant esse Christum, aut non dubitārent, quia sciebant. Illud *Ausus est*, magis ad exteriorem actionem pertinet, vt nemo ausus esset Christū verbo interrogare. Rectē ergo Chryso. hom. 86. & Euthy. verbi propriam significationem sequitur, vt sit sensus; Neminem ausum fuisse interrogare eum, quare autem nemo sit ausus; & quomodo cū scirent esse Dominum quid dubij habuerint, in commentario expositum est, & ea videtur legitima expositio. Attende in Græco textu haberi; Nemo discipulorum ausus est, & placet aliquibus hęc lectio, tamen Augustin. legit: *Nemo discumbentium*, & hęc lectio accommodata videtur: illi enim à Christo inuitati venerunt, & discubuerunt, & tunc nemo eorum ausus dicitur interrogare, nec discipuli in Evangelio discipulos appellantur: potius credendum est Græcum textum esse mendosum, & nostram lectionem legitimam.

Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter.

COMMENTARIUS.

Venisse Iesus dicitur, quia postquam illos discumbere fecit, ipse etiam accessit mensæ, & vt solebat accepit panem, & piscem, & distribuebat illis. Hoc etiam signo, se esse Christum eis significabat. magno autem consilio facie immutata permanebat: se enim Christum esse, & verē surrexisse, ita volebat confirmare, vt discipulis se apud eos mansurum, vt ante, & qualis prius erat surrexisse, nullam existimandi occasionem præberet. Cyril. li. 12. cap. 63. spiritualiter hoc exponens inquit, Non ipsi capiunt, quod manducant, sed Christus distribuit, vt hinc quoque intelligamus Christum etiam in futuro sæculo gratiarum nobis largitorem futurum, sicut est in hoc præsentis. Attēde non solum de pisce illo miraculoso, & de pane distribuebat; sed etiam de piscibus, quos prendiderant, vt dicit August. tract. 123.

Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cū surrexisset à mortuis.

Tertiam hanc apparitionem discipulis factam Euangelista describit, hoc numero finem sue narrationi imponens, vt Trinitatem personarum in hoc etiam profiteatur, & veneretur.

ANNO.

ANNOTATIO V.

Difficultas in his verbis occurrit. Quæ ratione dictum sit tertiam hanc esse apparitionem, cū primo die resurrectionis quinque apparuerit. Quod si respondere velit aliquis, de ijs apparitionibus, quæ discipulis factæ sunt Ioan. loqui, difficultas non soluitur: apparuit enim Petro, deinde duobus in castello; tertio decem; quarto eidem cum Thoma: est igitur quinta hęc apparitio. Glossa inter li. ad dies refert hunc numerū, vt primo die quinque apparuerit, altero die nempe octauo discipulis vnā cum Thoma, die tertio his septem; numerus ergo dierum, non apparitionum computatur. Aliqui ad eas, quas Ioannes numerat referunt; hęc enim est tertia apparitio earum, quas ipse Ioannes numerat. Probabilis est responsio hęc, quamuis per discipulos possumus in hoc loco exponere Apostolos ipsos, & tunc verē hęc est tertia apparitio facta multis Apostolis; prima enim fuit facta decem, secunda vndecim, tertia hęc facta Apostolis quatuor; non ergo numerantur quæ facta sunt mulieribus, nec quæ vni Petro, nec quæ duo discipulis Emaunta proficiscentibus, sed quæ pluribus Apostolis factæ sunt, & tunc hęc est tertia, & has tres Ioannes narrauit: quod si numerum integrum velis, & ordinem habere, hic est. primo Mariæ Magdalenzæ; secundò mulieribus; tertio Petro: quartò duobus discipulis: quinto

A decem Apostolis, hæc omnes prima die factæ sunt: sextò vndecim, nempe Thomæ, & alijs: septimò his septem discipulis: octauò discipulis in monte Galilææ, quod Matth. describit; nonò quando ascendit in cælum, quod Marcus narrat: tunc autem eos arguit præteritæ incredulitatis, vt fidem in absentia, donec Spiritus sanctus veniret, cautē conseruarent; quamuis Augustinus lib. 3. de consen. Euang. cap. 25. non admittat hanc Marci fuisse vltimam, sed aliam affirmat, quæ facta est vltimo loco in die ascensionis, & est decima. tamen communis sententia contrarium tenet, quam secuti sumus cum Gregor. hom. 29. Euang. & cum alijs multis antiquis Patribus. Præter has Paulus 1. Corinth. 11. narrat apparuisse Iacobo, & plus quàm quingentis fratribus, hæc verē facta sunt, quo tamē ordine, & quando Iacobo apparuerit, incertum est: de Cepha, qui Petrus est, in Euangelistis legimus; de fratribus illis quingentis, id in die ascensionis factum est. post ascensionem autem ipsi Paulo visus est: omnia igitur consona sunt. De Beatissima Virgini facta apparitione, quæ omnium creditur prima, Euangelistæ non meminerunt, propter causam superius datam: eas enim duntaxat describebant Euangelistæ, quæ propter incredulitatem remouendam factæ sunt.

Cū ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus; Simon Ioannis diligis me plus his?

COMMENTARIUS.

Prandio peracto, Dominus gubernationem omnium suorum fidelium, & totius Ecclesiæ curam, & regimen committit Petro: impletque quod ante passionem promiserat Matth. 16. Super hanc petram edificabo Ecclesiā meam, & tibi dabo clauis regni cælorum; ecce nunc tradit, & eum in caput totius Ecclesiæ inter omnes Apostolos eligit: prius tamen de amore, & dilectione inquit; non quod ignoret, qui omnia scit, sed vt eum maculas præcedentis negationis pœnitentia deleuisse cæteris manifestum faciat; & qualis esse debeat, qui curam aliorū suscipit, & quomodo eos tractare debeat, quantoque amore ipse Dominus suos prosequatur, quos amanti se plus cæteris tradit, ostendat. Quantum ad verba attinet aduerte particulam *Ergo*, esse illationem oculatam: ac si diceret, cū prandissent, quia à Christo inuitati fuerant, & eis cibos distribuerat: Post prædium igitur, quod Christo iubente habuerunt, Christus alloquitur Petrum. Rursum dicitur Simon Ioannis, id est, filius Ioannis. Ioannes, & Ioannah. idem est nomen: Græci enim, vt suo idiomati Hebræa vocabula accommodent, vltimas mutare solent litteras, abbreviato autem vocabulo dicitur Iona. Matt. 16. Bariona, id est, filius Iona, id est ac filius Ioannis. Exactiorem expositionem in annotatione habes.

ANNOTATIO VI.

Bernardus sermo. 76. in Cantica exponit sic; *Diligis me plus his?* id est; plus quàm diligas hos; tamen communis expositio est plus his, id est, plus quàm hi diligant me. Nec mihi videtur silentio prætereundum, cur Dominus Petrum interroget, an diligat plus alijs, cū sit certum Petrum non potuisse de aliorum amore iudicare: qui enim non cognoscebat quatum cæteri diligerent, quomodo poterat respondere, & conferre amorem suum dilectioni cæterorum? Mihi vera, & legitima responsio hęc videtur. Voluit enim Dominus Petrum

probare in duobus, non ut ipse experientiam acciperet ab eius responsione, qui erat omnium gnarus; sed ut ceteris omnibus eum notum faceret, cognoscere tunc discipuli Petrum, non iam qualem ante esse, sed valde mutatum, & dignum effectum, cui tanta gubernatio committeretur. Vnum igitur, in quo probandus erat, humilitas est: nam ante passionem Dominus ei dixerat: Omnes vos scandalizabim in nocte ista; ille superbè responderat, & omnibus se prætulera; Etiam si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor; ab hac superbia iam valde erat alienus, & ad veram conuersus humilitatem; idcirco Dominus interrogat, ut eam humilitatem notam faciat omnibus; *Diligis me plus his?* Non iam Petrus respondet, ut prius, nec se præfert ceteris. Rursus antea dicto Christi prædicentis futura non adhibuerat fidem, nunc alter factus, veritatis iudicium ei defert; *Tu scis* inquit, *quia amo te.* Alterum, in quo probatur Petrus, est dilectio, dixe-

Petrus de suo verbo humiliter.

Dicit ei, etiam Domine, tu scis quia amo te.

COMMENTARIUS.

Magnam mutationem responsio indicat; iam non dicto Christi contradicit, immo nec interroganti audeat absolutè respondere, nec quod in se experiebatur omninò affirmare, sed testem facit ipsum Christum. *Etiam*, inquit, *Domine*, sed tu nosti; plus tibi quàm mihi defero, nec me ceteris præfero, immo nec confero, sed te amo, & id te iudice affirmo.

Dicit ei, pasce agnos meos.

Respondenti Petro, & confitenti amorem erga Christum, iniungitur cura fidelium, & est sensus, ut rectè Chryso. hom. 87. exponit, Si me amas, meorum agnorum curam suscipe, & quam animam pro me positurum promissisti, pro his pone. Perpenpe aut verba, *Pasce agnos meos*, id est, fideles meos, non tuos, non ut rem tuam, sed ut meam tracta, propterea petiui an me amares, quia rem meam tibi commendare volui, & à te tanquam meam tractari, quem amorem in me profiteris, erga eos exerce, ipsisque exhibe. Pasce autem non te, sicut illi faciebant Pastores, de quibus dicitur Ezech. 34. Veh pastores Israel, qui seipsum pascebant. Ille seipsum pascere dicitur, qui propriam utilitatem, gloriam, & commodum non ipsorum fidelium, quos gubernat, non Dei gloriam, ex regimine quærit. Vnde rectè Aug. tract. 123. Si me inquit, diligis, non te pascere cogita, sed oues meas: sicut oues meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam; lucra mea, non tua. hoc idem docuit ipsemet Petr. 1. epist. 5. Pascite, inquit, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratià, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Agnos appellat credentes in se, tum propter vitæ nouitatem: nam veteri abiecto noui induunt hominem, qui secundum Deum creatus est, & veteri carnali vita spoliati spiritus nouitatem accipiunt; tum propter innocentiam, quæ in agno repræsentatur; tum demum propter imitationem, & sequelam, quia Christum imitantur & sequuntur, qui est agnus Dei tollens peccata mundi; suo enim nomine fideles suos decorare dignatus est.

Quis dicitur seipsum pascere.

Credentes autem agni sint appellati.

Dicit ei iterum, Simon Ioannis diligis me? Ait illi, etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei, Pasce agnos meos.

Iterum Dominus de amore, & dilectione inquirir, & non iam, an plus ceteris amet, interrogat; illud enim ad probandum factum est, sed, an amet. Secundò autem interrogat, ut significet probatum, & constantem debere esse amorem eius, cui committi debet fidelium cura, & gubernatio. Affirmanti

autem

autem Petro, iterum agnos mandat, & committit: quo etià significat maximæ curæ debere esse Petro, quod Dominus non semel, sed bis committit. Græci expositores legunt hoc loco: Pasce oues meas, ut semel agni, bis oues committantur: tamen latinorum lectio probatior est, ut bis agnos, semel oues legamus: cuius diuersitatis causa inferius exponetur. Quod autem Dominus utatur vno verbo, *Diligis*, & Petrus respõdeat altero, *Amo*, quod etià in Græco sermone seruatum est; quamuis Amb. Luc. vlt. differe, & distincta significant, poni arbitraretur; non tamè existimo diuersa significare, sed idè: nam in scriptura hæc verba duo pro eodè accipi docet Aug. lib. 14. Ciui. cap. 7. & id certum est, quamuis aliquando seruetur in terea discrimen aliquod, pro eodem autem sumi in præsentem indicat, & probat verbum sequens, nam sequitur; *Dicit ei tertio, amas me?* si diligere aliud significaret, quàm amare, non diceretur; *Dicit ei tertio, amas me?* quia non præcessit tale verbum.

Dicit ei tertio, Simon Ioannis, amas me?

Tertio idè repetit, ut trinæ negationi trina amoris professio respondeat; quod rectè Cyril. lib. 12. cap. 64. annotat. Est autem in his omnibus interrogationibus sæper Dominus nomine proprio usus, & patris etià nomine. *Simon*, inquit, *Ioannis* nec Petrum appellat, quod nomen dignitatis, & officij erat, volens eum in hoc admonere, ut quamuis in tantam sit dignitatem prouectus, ut super oes sit fideles, & totius Ecclesiæ caput, & princeps constitutus, præ oculis habeat se piscatorem fuisse, & hominem comunem: ne se extollat, ne suis id meritis adscribat, qui enim in altiore erigitur, & effertur gradum, obliuisci non debet se hominem esse, & aliquando ex humili, & ignota familia.

Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? Et dixit ei, Domine, tu omnia scis, tu scis, quia amo te.

Tertiam interrogationem audiens Petrus contristatus est: timens ne id forsitan fieret, quia iterum negaturus esset Christum: didicerat enim experientia Christum prædixisse, Ter me negabis, idque ita factum fuisse. contristatur modò, ne hæc sibi dicantur, quia simile aliquid futurum sit, ideo ex magna humilitate respõdet, *Domine tu scis omnia*, etiam quæ futura sunt, non audeo iam de me futura promittere, nec tibi opus est mea responsione, cum nihil tibi sit occultum; id vnum scio me nunc amare te, & te scire amorem meum. Ceterum contristor quod cum sciam te omnia nosse; tamen interrogas, an te amem, cum id tibi sit manifestum, ne forte ea interrogatione mihi velis significare futurum esse, ut aliquando non amem te. Hic est sensus; hac de causa contristatum fuisse Petrum, docent Chryso. hom. 87. & Theodoretus in sermo. de Charitate, & ea est legitima causa, & sequenti contextui accommodata.

Dicit ei, Pasce oues meas.

Vniuersæ gubernationis Ecclesiæ commissio hoc verbo cõpletur, *Pasce*, inquit, *oues meas*, ac si dicat: commisi tibi filios, committo nunc matres, ut omnium curam geras, omnia gubernes, & regas matres, seu oues, Ecclesiæ sunt singulæ, quibus singulares pastores incumbunt. Guberna igitur, ô Simon, & pasce subditos, & prælatos omnes, inferiores, & superiores: fideles & fidelium omnium Ecclesiæ, quæ ad vnum generalis Ecclesiæ corpus pertinent. In scriptura sæpe Ecclesiæ appellantur singulæ fidelium congregationes, quibus pastores singuli præfunt, ut constat ex Apocaly. 1. 2. & 3. & ex multis alijs locis.

ANNOTATIO VII.

Notis temporibus aliqui pro eodem sumunt agnos, & oues, nempe fideles omnes; tamen cum tanta sit inter agnos, & oues differentia, probabile non est pro eodem esse accepta in ea sententia, quæ tanti momenti est. Rectius Euthym. per agnos imperfectiores, per oues perfectiores fideles interpretatur; at neque hæc expositio rem totam explicat: non enim solum ouis, & agnus in ætatis perfectione differunt; sed & quia hæc matres, illi filij sunt, ut per oues pastores & prælatos ipsos, qui fouent, nutriunt, & alunt singulos fide-

los fideles, exponamus: quorum omnium cura ad Petrum pertinet. matres porro, & oues dicuntur, quia alere debent verbo, exemplo, subfido omni spiritali, & temporalis subditos, sicut oues alunt agnos. Bernard. libr. 2. de confid. prope finem, per oues ipsos etiam Apostolos significari dicit, non solos Episcopos, & pastores Ecclesiarum. siue ergo hoc, siue illo exponas modo, omnium fidelium nemine excepto Petro cura, & gubernatio committitur à Christo, eo tempore, quo ad Patrem ascensus erat; ma-

nifestè significans Vicarium eum in terra Ecclesie sue instituere. Nec possunt Heretici hoc tam evidens testimonium Pontificie auctoritatis effugere: non enim Petro, sed sue Ecclesie consulebat, vni totam ipsius gubernationem imponens. Vnde necesse est semper in Ecclesia vnum esse Pontificem, qui agnos, & oues gubernet: nec agni, aut oues esse Christi poterunt vnquam, qui non sint sub huius cura, & regimine. hoc tamen longius prosequi non est presentis instituti.

Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas ubi volebas, tu autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quod tu non vis.

COMMENTARIUS.

Quia contristatus erat Petrus timens, & suspicans hac trina interrogatione significatum esse ei fore, vt ab hoc amore sit mutandus, nec in eo perseveraturus; remouet Dominus hanc suspensionem & timorem: prædicens futurum esse potius, amorem eò esse perducendum, vt pro eius gloria animam suam sit positurus; ac si clarioribus verbis diceret, o Simon ne timeas, nec contristeris suspicans te ab hoc amore in me esse recessurum, nec in eo perseveraturum; quia trina es interrogatione examinatus; non sic fiet, immo amor hic a deo in te augebitur, & inflammabitur, vt animam tuam pro me ponas, & impleatur, quod ante meam dixisti passionem; Animam meam pro te ponam: non ergo tempus futurum erit tibi, sicut præteritum, prius quidem me negasti, postea verò vsque ad mortem confiteberis: prius tuæ obsecutus es voluntati, postea verò pro mea exequenda vitam expones. Hanc sententiam Dominus quadam metaphora exponit sumpta à statibus inuentutis, & senectutis hominis. Quando enim iuuenis est ipsemet se accingit, & vestit ambulatque, & proficiscitur quò vult: at quando senex est, non se valens iam præcingere, manus, & brachia extendit, vt ab altero accingatur, & accinctus ducitur. ad eundem modum Petrus prius tanquam iuuenis erat minus expertus, & magis suæ propriæ obsequens voluntati; at iam Christo resurgente in alterum mutandus erat, futurusque senex sapientia, & spiritu, non sola ætate eratque martyrium crucis subiturus, quasi ab altero cinctus & ductus, non quò ipse volebat, id est, non quò propria naturalis inclinabat voluntas, sed quò Spiritus ducebat. His ergo verbis prædicat Dominus Petro in senectute mortem crucis subiturum, manusque extensurum, vt clauis, vt Euthymius, affigatur.

ANNOTATIO VIII.

Cyril. lib. 12. cap. 65. sic hanc superiori connectit sententiam, nepe Dominum prædicere martyrium Petro, vt eius confirmet resolutionem; dixerat enim Petrus, Amore te; Dominus ita esse comprobatur, nam qui pro nomine Christi moriturus nutriatur, supremo amore erga Christum affici declaratur. Chryl. hom. 87. sic videtur coniungere. nempe hac prædicatione voluisse Dominum ostendere, non propter diffidentiam interrogasse Petrum, an amaret, sed quòd maxime crederet. Hæc connexio accommodatior est: cum enim contristatus esset Petrus, timens ne quid in futurum contra amorem hunc commissurus esset, idcirco Dominus remouet suspensionem, & timorem hunc, vt in commentario exposuimus. Adde Dominum hac prædicatione significare, & illi, & omnibus

illius successoribus, paratos esse debere sanguinem effundere, & vitam exponere pro agnis, & ouibus Christi. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Addendum est, etiam illud, *Ducet quò tu non vis*, non est positum, quasi Petrus libenter mortem pro amore Christi acceptaturus non esset, quam non solum cum maximo gaudio sustinuit, sed summo etiam desiderio concupiuit; sed eo verbo significatur alia duo. Vnum est, quòd Cyril. dicit, neminem sanctorum sponte se ingerere mortis, & eam querere; sed si pro veritate fuerit incussa, libenter sustinere. Alterum vt notat Chryl. quia quamuis rationalis appetitus accipit, tamen naturalis abhorret; mors enim contraria est naturali appetiui, & sensui; idcirco dictum est: *quò tu non vis*.

Hoc au-

Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.

COMMENTARIUS.

Quod Dominus metaphoricis verbis Petro prædixit, Euangelista proprijs, & apertis exponit; dicens, superioribus verbis Dominum significasse Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, nempe martyrio, immò cruce; manuum enim extensio crucis mortem indicauit. Non autem casu, sed consilio dictum est clarificaturus, seu glorificaturus esset Deum: Mors enim martyrii argumentum erat efficacissimum veritatis diuinæ confirmandæ, per quæ Deus clarificabatur, & honorificabatur: idcirco martyrii dicta est, id est, testimoniū indicans, & aperiens veritatē. Martyres ergo morte sua tria maximè effecerunt. Vnum est manifestare, & confirmare veritatē Dei: verū. n. esse probabatur, pro quo tot homines vitæ irreprehensibilis sanguinem effundebant. Alterum est honorificare, magno. n. cultu, & honore Deum afficiebant, pro cuius gloria, & veritate vitam exponebant. hoc vtrumque verbū clarificandi significat, nepe declarare, & honorificare, vt superius annotauimus. Tertium est seipos honorabiles, & spectabiles effecerunt, & apud Deum gloriam magnam, & coronam consecuti sunt. pretiosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius: quæ verba de martyribus dicta esse ibi Hieron. probat. oculis quidem insipientium visum sunt vilem ac despectam mortem subire: At apud Deum, gloriosa & desiderabilis erat. Nec apud Deum solū, sed apud fideles etiā omnes: magnum ergo premium in hoc seculo fuit Petro, tali exitu vitam concludere: vnde rectè August. tract. 123. sic inquit, Hunc inuenit exitum ille negator, & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, fiendo purgatus, confitendo probatus, patiendò coronatus: hunc inuenit exitum, vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat. faciat eius resurrectione firmatus, quòd immature pollicebatur infirmus: hoc enim oportebat vt Christus prius pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur; præposterum fuit, quòd audere cæperat humana temeritas, cum disposuisset ordinem veritas. hæc & alia Augustinus.

Et cum hoc dixisset, dicit ei; Sequere me.

Quod verbis dixerat, simul factò etiā significat: surrexit enim à loco, vbi discumbebant, iterque faciens dicit Petro, vt eum corpore ante omnes sequatur: hoc factò indicans morte crucis Petrum eum secuturum, ita Cyril. l. 12. c. 65. exponit. Adde simili officio pascendi etiam secuturum, ac si diceret; sequeris in officio pascendi, & crucis morte: idcirco enim ante omnes sequi iussit, vt omnibus eum præesse iudicaret. Non solum autem significat, sed etiā instruit & confortat: instruit quidem insinuans ei, vt verbo & opere, ac exemplo pascat; sicut Christus ipse pascit, eiusque vestigia in gubernando sequatur: confortat, ac si diceret; ne durum tibi videatur si duceris quò tu non vis, sequere me, & considera me priorem crucifixum esse, & vitam pro ouibus posuisse. Optima vita prælati, & pastoris est imitatio Christi.

Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cæna super pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te? hunc ergo cum vidisset Petrus dixit Iesu, Domine, hic autem quid?

Conuertitur Petrus; iam enim cæteros condiscipulos sequentes se habebat, ac Ioannem videns, quæ ille multum amabat, de eo Christum interrogat, *Hic autem quid?* id est, scio iam qua morte ego sim te clarificaturus, scire vellè qua etiam morte Ioannes dilectus tuus vitæ huius tempus concludet, quæque exitum habebit. Petrus sciens à Christo Ioannem valde amari, ea de causa cum multum amabat, & præ amore de eo sollicitus Christus interrogat, vt dicit Chryl. homil. 87. non autè casu Euangelista hæc de se narrat, *quem diligebat Iesus, & qui recubuit super pectus, & qui interrogauit occulta.* Tria enim hæc sunt maxima priuilegia, & magno consilio nunc describuntur ab eodem Ioanne;

Ioanni tria
privilegia,
privilegia
Petri in se-
riora.

Ioanne; vt ostendat iam Petrum omnibus antelatum; ceteros quidē oues, Petrum verò pastore effectum: qui super pectus recubuerat, iam post Petrum est. conuersus enim Petrus, illum vidit: qui interrogauit rogatus à Petro, iā de ipso interrogat Petrus: cumque diceretur dilectus à Christo, iam ipsi anteponitur Petrus, & examinatur, an diligat plus ceteris. Altera etiam causa, cur ista narrētur, nempe vt quales sint eligēdi in Pastores Ecclesiarū, ipse met Petrus, & successores discant; nō qui sibi sunt familiariores, nō qui coniunctiores, sed qui oneri imponendo, & muneri subeundo sunt aptiores. ijs igitur de causis ista narrantur, vt in quantam iam sit promotus. Petrus dignitatem, omnes agnoscant. Ceterum qua ratione Ioannes dictus sit dilectus à Domino, superius expositum est.

ANNOTATIO IX.

Hanc interrogationē Petri; *Hic autem quid* Cyril. lib. 12. cap. 66. & Chrysol. hom. 87. exponunt vt vitæ exitum significet; ac si diceret; Quis vitæ exitus hunc expectat? & est legitima expositio: sequentia enim verba eum comprobant sensum; nam ex responsione discipuli existimarunt non moriturum; quod non facerent, nisi interrogationem de morte intelligerent simul cum Petro ipso. At qua de causa Petrus interrogauerit, non omnes eodem exponunt modo. Chryl. hom. 87. in amore, quo Petrus Ioannem prosequēbatur, refert causam: Amor enim sollicitos facit. idq; secuti sumus in commentario, adiungentes Ioannem à Petro dilectum propter Christum; cum enim Petrus multum amaret Christum, in quem Christus ipse dilectionis maiora signa ostendebat, eum & ipse familiariter prosequēbatur amore. Cyril. lib. 12. cap. 66. Videtur ad quamdam curiositatem Petri referre. Ambros. Luc. ult. adhuc depressius in hac parte de Petro sentiēti, & huius interrogationis cau-

Dicit ei Iesus, Sic eum volo manere, donec veniā, quid ad te? tu me sequere.

COMMENTARIUS.

Respondet Dominus Petro de Ioanne interroganti. *Sic*, inquit, *volo manere*, id est; volo superstitem esse eum, sicut modo est, *Donec* ego, *veniā*, hoc autem ad te nihil attinet: aut si volo eum manere, vt re vera volo, donec veniam, *Quid ad te?* ad ea, quæ tibi dixi nihil id facit, siue enim maneat, siue nō, qualiscunq; exitus eius futurus sit, hæc quæ tibi dixi fient, nec mutabuntur. tu ergo sequere me, & quæ tua sunt, considera, & quæ iniuxi, aduerte: exitus enim illius ad te non pertinet. Attende aduentū hunc, de quo loquitur Dopeccati, & infidelitatis eorum pœnam, & vindictam: in scriptura enim sæpe minus, esse illum, quando Iudeos per Romanos deuastauit, & subuertit; in quando Dominus malos punit, aduenire, & egredi dicitur. De hoc aduentu per Romanos dicitur Iacobi 5. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit. Cōfortat fideles ex Iudaismo cōuersos; vt iniurias & persecutiones fortiter sustineāt incredulorum; quoniam citò perituri erant, & per Romanos tollendi. appellat autem aduentum Domini. Ita exponit Oecumenius, qui citans hunc Ioannis locum, exponit eo modo, quo nos exposuimus, referens Chryostomum in eandem expositionem. Ceteris autem Apostolis martyrio affectis, Ioannes vsque ad illa tempora viuus mansit, aliquanto tempore etiam post, id est, quod nunc prædicit Dominus; *Sic*, inquit, *volo manere*, donec Iudeos puniturus aduenio; insinuans his verbis Petrum ante Ioannis exitum manus extensurum, & crucifigendum; nec dependere exitum eius à Ioannis exitu. Cætera in annotatione prosequor.

ANNO.

ANNOTATIO X.

Variè legitur hæc sententia. Aliqui enim legunt *Sic*, vt Aug. tract. 124. & Ambr. li. 7. in Luc. in principio. & Bernar. serm. de natali Innoc. Alij, *Si*, vt Cyril. li. 12. c. 66. Chryl. hom. 87. & Hiero. lib. 1. con. Iouin. Alij autem legunt, *Si sic*, vt Ambrin orat. funebri, de obitu fratris. Est etiam varietas in verbis: nam aliqui legunt vtrumque verbū in præsentis indicantis: *Sic volo manere donec veniā*: ita Arnbro. legit Luc. 7. in principio: Alij vtrumque in præsentis subiunctiu: *Si velim manere, donec veniam*, vt Cyril. sic enim interpretari videtur. Alij prius in præsentis indicantis, postèrius in præsentis subiunctiu: *Sic volo donec veniam*, vt Bernard. & Aug. estq; lectio communis. Re vera accommodatior est lectio vniformis, vt vtrumque eodē modo legamus; sic enim in Græco habetur. An verò sit præsens indicans, an subiungens, ambiguum est in Græco: nam verba ad vtrumque modū referri possunt, & hæc fuit causa maxima diuersitatis expositionum. Cyril. enim legit, & exponit conditionaliter. *Si eum velim manere, donec veniam*, nihil ad te pertinet: vt sit sensus: quāuis ego vellem eum manere superstitem vsque ad vltimum meum aduentum, ad te nihil pertinet, nec tua res agitur, tuū est me sequi; non quod Christus affirmet eum mansurum, sed quod etiam si mansurus esset, ad Petrum id minimè pertineret. Qui verò legunt non conditionaliter, sed asseueranter, exponunt Ioannē non moriturum vsque ad vltimum tempus, tunc tamen moriturum, vt sit sensus: volo eum manere vsque ad vltimum meum aduentum, hoc autem si volo, ad te nihil pertinet. de hac sententia in annotatione sequenti tractatur. Alij de vltimo aduentu exponentes interpretantur, *Sic eum volo manere*, id est, sine martyrio, non quod non sit moriturus, sed quod non sit secuturus per martyrium Christum. nec licet inferre, si sic mansurus est donec veniat, ergo postquā venerit, subibit martyrium; hæc cōsecutio nō valet, vt superius ostēdimus: nā Mat. 1. dicitur. Nō cognouit eā, donec peperit; non tamē infertur cognouisse postquam peperit. Hæc expositionem sequitur Bern. loco citato.

Multa ab antiquis dicta sunt in huius expositione sententiæ, ex ijs, quæ mihi probabiliora visa sunt, subiungam.

Primò lectio illa mihi magis placet, quæ habet,

Exiuit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur, & non dixit ei Iesus quia non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

COMMENTARIUS.

E mendat Ioannes falsam opinionem ex verbis Christi à nonnullis discipulis conceptam; qui in eum sensum ea interpretati sunt, vt significarēt Ioannē non moriturum, idque Dominum indicare voluisse Petro existimauerunt. Ioannes autem à verbis Christi talem sensum repellit, ne ceteri omnes, qui audituri erant hæc verba eundem conciperent errorem. *Non*, inquit, *dixit Dominus*, discipulum illum nō moriturum; sed hæc verba protulit; *Sic volo eum manere, donec veniam, quid ad te?* quibus verbis noluit Dominus dicere eum non moriturum: non enim sequitur, si voluit Dominus sic manere, donec veniat, ergo non morietur vnquam. hic est sensus legitimus.

ANNO.

Asi, quæ quæ habet, *Sic*, duo mihi hæc lectionem persuadent, vnū est, quia dictio Græca id significat: alterum est, quia si legamus, *Sic*, tunc sententia absoluitur, & terminatur in verbo posteriori, nempe. *Sic volo manere, donec veniā*: si legamus, *Si*, suspensa est oratio vsque ad eā partē, nempe, *Si volo manere, donec veniam, quid ad te?* hæc autē orationem talē esse, vt terminetur in his verbis. *Quid ad te?* indicant verba sequentia: repetens enim Ioannes eadem omnia repetijt: *Et nō dixit Iesus, quia non moritur, sed, Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* si oratio cōpleta esset in verbo *Veniā*, non erat, cur repetere tur, *Quid ad te?* hoc enim ad propositum mortis nihil facit: repetitum est ergo, quia oratio in eo completur, & proinde nō possumus legere, *Sic*, sed, *Si*, & est hoc efficax argumentum.

Secundò existimo probabiliorē lectionem, vt verbum in præsentis indicantis legamus: *Si volo manere, donec veniā*: quāuis postèrius parū refert legere, *Donec veniā*, aut, *Donec veniō*, & tūc est sensus affirmatiuus: Quando, n. particula, si verbo indicanti connectitur, nō conditionem puram, sed affirmationē significat: longè enim differunt hæc, *Si lego*, nō est, quod me accuses; & *Si legā*, nō est, quod me accuses: illa enim affirmatio est, hæc conditio sola. quāuis ergo legamus, *Si*, & non *Sic*, affirmans est sententiā; eaque de causa existimo vertisse aliquos *Sic*, sensus enim idē est fere: & hæc est cōmunitis interpretatio Latinorum, & Græcorū, vt sensus sit affirmatiuus; id autem maximè confirmat. Si enim esset merè condicionalis, non erat occasio vlla discipulis existimandi Ioannē nō moriturum: id autem opinati sunt, quia affirmantē prolata fuerunt verba Christi.

Tertiò hunc aduentū non illū vltimū existimo, quando iudicare venturus est, sed quando venisse dicitur punire Iudeos per Romanos: non quod in corpore tunc adueniret, sed ratione effectus; Sic enim etiam Deus descendisse dicitur ad puniendum Sodomam; & est optimum testimonium Iacob. 5. in commentario citatum, quæ expositio videtur omnium accommodatissima. Aliqui recentiorum illud, *Sic manere volo*, exponunt: *Volo manere Ioannē inter Iudeos, donec veniā eos punire, æt vltimū expeditio est: Sic manere, nempe superstitem. & viuum: non enim de loco, sed de vitæ exitu Petrus interrogauerat.*

Antiqua cōtrouersia est, an Ioannes adhuc viuat venturus cum Elia, & Enoch in vltimo tempore, an iam obierit. Aliqui existimant nondum diem vltimum clausisse, viue- reque adhuc mortale vitam in corpore vsque ad iudiciū: ita censuit Theophy. & Hippolit. martyr in orat. de consumat. mundi: cum alijs antiquis, & recentioribus: vt enim Ambr. ser. 20. in Psalm. 118. refert, an mortuus fuerit, aliqui dubitauerunt; alij mortuum quidem fuisse, sed statim resurrexisse affirmauerunt, cuius sententiæ meminit Hieron. in ser. de assumptio-

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.

C O M M E N T A R I V S.

Concludit Euangeliū suū Ioannes, & occasione sumpta à verbo Christi de permanētia ei vsq; ad ipsius aduentū, dicit; Hic est ille idē discipulus, qui perhibet testimonium de his omnibus, quæ hæcenus audistis, & hæc scripsit, id est, sic scripsit, vt simul sit testis eorum quoniam nō ex fama, sed ex visu & præsentia loquitur: nec solus, inquit, ego, sed multi scimus verū esse hoc testimonium: quia scripsit, quæ multi etiā viderunt, nec fallitur in vlla re scripta. Hæc dicit Ioannes, quia iam illo tempore multi erant hæretici & increduli etiā Apostolis ipsis: & quia ipse vltimo loco scribens multa addidit cæteris Euangelistis.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

Ne quis miraretur, quod multa scripsisset quæ ab alijs Euangelistis narrata non sunt; adiunxit multa superesse alia præter narrata, quæ possent describi, totque esse, & in tanta copia, quod si singula scriberentur, mundus libros capere nō posset. Hyperbole est ad exprimēdam multitudinem signorum & operū, ac verborum doctrinæ Christi: solet enim scriptura Hyperbole aliquando vti: ita exponit Cyril. l. 12. c. 68. & est similis figura Ioannis 12. Ecce mundus totus post eum abit.

A N N O T A T I O XII.

AVG. tract. 124. hanc capacitatem nō ad locum, sed ad animū refert, vt sit sensus, nō futuros homines capaces tot, ac tantorum factorū. huius expositionis meminit etiā Theophylactus: sed huic expositioni obstant duo. Alterum est diuino lumine potuisse mundum capere Trinitatis, & incarnationis mysteriū: potuisset ergo etiam & alia, quæ illis maiora esse non possunt; sine lumine autē diuino, nec quæ scripta sunt capere posset. Alterū est, quia dicitur; Non posset capere libros; quod ad multitudinem rerū scriptarū referri videtur. Aliter videtur exponere Hier. Matt. 21. in illis verbis: Si habueritis fidem; vt sit sensus; mundus præ infidelitate non posset ferre, nec capere tot miracula, ac tanta, si omnia descripta fuissent. quam expositionem sequitur Nicepho. lib. 1. cap. 24. Sed nec videtur hæc accommodata; nam mundus incredulus; nec

ne B. Virginis, eamque nec probat, nec reprobat: secutus tamen est eam Niceph. lib. 2. cap. 42. Communis sententia tenet eum obijisse, ita censuerunt Tertul. lib. de Anima cap. de vi mortis, & Menandro hæretico. Hiero. de Viris Illustrib. & Matt 20. Aug. tract. 124. Chrysostom. hom. 1. in Ioan. Euseb. libr. 3. Histor. ca. 31. & ea est sententia omnium probatissima: non enim video solidum aliquod fundamentum, quo nitantur ij, qui nondum obijisse contendunt præter locum hunc; cuius sensus est longè ab istorum opinione diuersus.

quæ scripta sunt, credidit: fideles autem omnia credidissent; sicut & credunt hoc, quod Ioannes nunc dicit. Adde non dictum esse, nō posset capere signa, sed libros. Rectius igitur cum Cyrillo exponemus, dictum esse per hyperbole ad rei magnitudinem & multitudinem exponendam. Nec nouum est scripturam huiusmodi figuris vti, quæ communē, & vulgarem loquēdi modum obseruat. Scripturas autem vti Hyperbole, docet & exemplis confirmat August. epist. 59. ad Paulinum; & res est satis per se manifesta. Hæc sunt, quæ pro Ioannis expositione scribenda habuimus: quibus multa addere potuimus, sed in alios scripturæ commētarios reseruauimus, vbi accommodatior erit ea explanandi locus. DEO SIT OMNIPOTENTI, ET BEATISSIMAE MATRI EIVS; LAVS ET GLORIA IN AETERNVM. AMEN.

F N D E X
R E R V M M E M O R A B I L I V M Q V Æ I N H O C V O L V M I N E C O N T I N E N T V R.



A.
BSOLVERE peccata actus iudicialis est, in quo non tantum peccata, sed personæ & illarum dispositiones attendendæ sunt. Tom. 2. 530. B.
Acetum cur daretur ijs, qui cruci adfigebantur. Tom. 2. 466. Com. 2.
Acetum cur Iudæi Christo crucifixo dederint. Tom. 2. ibid.

Adam & Christi collatio. to. 1. 78. F. 79. A.
Adam sepultusne fuerit in loco Caluarie. tom. 2. 451. D. 452. B.
Admonitio qualis esse debeat. to. 2. 538. com. 3.
Adolescens ille, qui Christo capto, relicta sindone nudus paufugit, quis fuerit. tom. 2. 379. C & seq.
Adoptionem filiorum promisit Christus omnibus, qui eius doctrinam mente & affectu amplexi fuerint. tom. 2. 127. com. 1.
Adoptionem expectare filiorum, est illam integram & consummatam, quæ in gloria possidetur, desiderare. tom. 1. 71. B. C.
Adorare in spiritu, & veritate quid sit. tom. 1. 367. com. & fuse tractatur 370. 371. & seq.
Adorare in spiritu & veritate, antiquis vmbrijs & figuris opponitur tom. 370. C.
Adorat in spiritu qui ex fide & dilectione operatur. tom. 1. 373. com. 2.
Adoratio in spiritu non excludit externos ritus. tom. 1. 368. A.
Adorationis sermonem quorsum Samaritana miscuerit. tom. 1. 361. com. 1.
Adorationis locus non idem erat apud Iudæos & Samaritanos. tom. 1. ibid.
Adulteri morte plectendi erant secundum legem, sed genus mortis non fuit præscriptum. tom. 1. 723. C.
Adulteræ mulieris historia canonica est. tom. 1. 722. B. C. & seq.
Adulteram mulierem quorsum Iudæi ad Christum ad duxerunt. to. 1. 725. B.
Aduentus Christi duo sapientissimè à Deo dispositi. to. 1. 117. A. B. 285. C.
Aduentus Domini licet tempori collatus serui videatur, tamen si æternitati comparetur, citò venturus dicitur in scriptura tom. 2. 88. C.
Aduentus Domini, vsque ad quem Ioannes mansurus dicitur qui sit tom. 2. 572. com. 2. 574. C. D.
Aduenite & egredi dicitur Dominus, quando punit malos tom. 2. 572. com. 2.
Advocati nomen proprium est Christi Dei & hominis, non toti Trinitati commune tom. 2. 111. F.
Affectus humani in Christo aliter fuere quàm in nobis. tom. 1. 942. A. B.
Affectus humani in Christo non passiones sed propasiones dicantur tom. 1. 941. B.
Afflictionum causa considerata eos qui pro Christo & iustitia patiuntur, magna consolatione afficit. tom. 2. 185. com. 1. 217. com.
Agnus Dei Christus appellatus est multis de causis. tom. 1. 137. com. 140. A. B.
Agnus Paschalis erat figura Christi Domini, nec tamen mortuus est Christus, quando comedebatur agnus, & huius rei causa tom. 2. 18. A. B.
Agnum comedit Christus decima quarta ad ves-

peram, quando omnes Iudæi comederunt tom. 2. 14. F.
Agni immolatio & eiusdem esus diuersis temporibus fiebat to. 2. 7. E. F.
Agnus immolabatur inter duas vesperas tom. 2. 8. B. C.
Agni cur credentes in Christum dicantur tom. 2. 564. com. 2.
Agricolæ officia Deo per similitudinem conuenire possunt. to. 2. 147. C.
Agricolæ in modum Dominus aliquos refecat vt inutilis, alios verò purgat tom. 2. 147. com.
Alapam Christo cur minister impegerit tom. 2. 391. A.
Alapa Christo data tria habet admiranda tom. 2. 391. com. 1.
Alapæ Christi figura præcessit in Michea Propheta tom. 2. 392. B.
Alapam danti, cur Christus alteram maxillam non præbuit. to. 2. ib. C. & seq.
Alogiani dicti sunt hæretici negantes verbum Dei tom. 1. 17. A.
Altare thymiamatis erat extra velum, & extra illud spatium quod dicebatur sancta sanctorum tom. 2. 353. E.
Amare vel odio habere animam suam quid sit, exponitur to. 1. 1000. com. 2. & A. 1001. A.
Ambitio Regum, & Principum, & appetitus regnandi fuit causa tam seque persecutionis in Christianos tom. 2. 220. A.
Ambitio qua ratione fidem impediatur tom. 1. 509. A.
Amen quid significet tom. 1. 246. A. B.
Amicitia non dicitur integra, quando ex vtraque parte non est mutua tom. 2. 176. B.
Amicorum cur meminerit Christus, & non etiam inimicorum, quando egit de præcepto charitatis mutue to. 2. 175. B. C.
Amici quomodo fuerint illi, pro quibus Christus animam posuit to. 2. 176. B. C.
Amici dicuntur in Evangelio, sed qui ad statum legis pertinebant dicebantur serui to. 2. 177. com.
Amici sumus nunc & filij Dei conditione & statu, serui autem natura & debito, quod gratia tollit tom. 2. 178. A.
Amici reputandi sunt omnes ei, qui propter Christum & in Christo diligit to. 2. 176. A.
Amicos diligere, an sit maioris charitatis; quàm inimicos to. 2. 173. A.
Amicus est cui secreta reuelantur tom. 2. 177. comment. 178. C.
Amoris duo sunt actus, bonum velle alteri & facere; & complacere sibi in bono facto. tom. 2. 290. A.
Amor Dei antecedens causa est vt credamus & amemus. Amor Dei consequens opera sua diligit, & multa bona elargitur, quia credimus & amamus tom. 2. 288. tom.
Amor quò Deus amat absolute prior est, quam homo credat aut diligit, sed procedit & noua beneficia confert propter bonum iam homini collatum tom. 2. ibid. & 289. B. C.
Amor Dei generalis quo diligit omnia, quomodo differat ab amore singulari quo credentes in Christum persequitur tom. 2. 347. C.
Amoris quo Pater diligit Christum similitudo & comparatio, cum amore, quo Christus diligit nos tom. 2. 164. 165.

amor Patris erga Apostolos tom. 2. 284. com. 2. & seq.
 amoris Christi erga electos suos commendatio tom. 2. 20. com. 1.
 andreas discipulus erat Ioannis antequam Christi tom. 1. 177. com. 2.
 andreas & Petrus non vna sed multis vocationibus à Christo vocati sunt tom. 1. 163. & 166.
 angelus testamenti Christus dictus, quia testamentum nuntiavit hominibus tom. 1. 47. D. 48. A.
 angeli dicuntur etiam homines, quia Dei Nuntij sunt tom. 1. ibid.
 angeli quæ ministeria in ecclesia exercent tom. 1. 177. C. D. E.
 angeli non sunt à filio Dei redempti, sed homines tantum tom. 1. 42. D.
 angeli, in mirabilium operatione, multum differunt à Daemonibus tom. 1. 424. C. D.
 angelos ascendentes & descendentes supra filium hominis videre, quid sit tom. 1. 177. D.
 angeli qui apparuerunt Magdalene, cur sint sedentes tom. 2. 503. com. 2.
 anni & menses lunares fuerunt apud Iudæos tom. 1. 646. A. B. 887. D. E.
 anni ætatis Christi quot fuerint tom. 1. 799. B. C.
 anima Christi quomodo turbata dicatur tom. 1. 1003. com. 1.
 animarum conversionem cur Christus messis nomine nuncupauerit tom. 1. 395. com. 3.
 animæ salus quous tempore & occasione est querenda tom. 1. 156. com. 2.
 animam pro ouibus alter Christus exposuit, quam ceteri Martyres tom. 1. 872. com. 2.
 animam ponere; non semper significat mori tom. 1. 864. D.
 animam suam amare vel odio habere quid sit, exponitur tom. 1. 1000. com. 2. & A. 1001. A.
 animarum transmigration, falso imputatur sectæ Pharisæorum tom. 1. 118. D. E. F.
 annas & Caiphas quomodo eodem tempore dicantur Pontifices tom. 2. 356. E. & seq.
 anticipatio non est in narratione; quando Euangelistæ videntur verbis tempus aut locum aut ordinem determinantibus tom. 2. 226. C.
 aoristus primus Græcè plusquam perfecti significationem frequentissime habet tom. 2. 394. B.
 apparitio Christi facta Magdalene prima fuit omnium quas Euangelistæ narrarunt tom. 2. 515. com. 2.
 apparitionum Christi Domini numerus, & ordo tom. 2. 561. C.
 apparitio facta septem discipulis in littore &c. qua ratione dicatur tertia tom. 2. 561. A. B.
 apparitiones Christi factas ijs, qui non crediderunt Resurrectionem, retulerunt Euangelistæ non alias tom. 2. 515. com. 2.
 apparuit Christus Dominus Thomæ Hierosolymis, non in Galilæa tom. 2. 337. A.
 apparuisse Christum quinque ipsa resurrectionis die colligitur ex Euangelistis tom. 2. 516. B. 517. A.
 apostolorum electio duplex ad fidem, & dignitatem apostolatus tom. 2. 182. B.
 apostoli qui Christum sequuti sunt vocantem, non leues, sed qui non sequebantur rebelles, dicendi sunt tom. 1. 166. com. 2.
 apostoli tres de ciuitate Bethsaida electi sunt tom. 1. 168. com. 2.
 apostolos, & Baptistam fuisse baptizatos à Christo, probabile est tom. 1. 330. A.
 apostoli etiam ante baptismum mundati fuerunt à Christo gratiæ eius virtute tom. 2. 38. A. B.
 apostoli omnes præter Iudam mundi erant à culpis mortaliibus, quando Christus lauit eorum pedes tom. 1. ibid. C.
 apostoli quibus modis purgati fuerint sermone Christi tom. 2. 131. com.

apostoli à quibus rebus purgati fuerint tom. 1. 130. A.
 apostolorum purgatio similitudine vitis indicatur tom. 2. 147. A. B.
 apostoli quando perfectè fuerunt discipuli Christi tom. 2. 162. com. 1. & A.
 apostolorum contentio quis eorum videretur esse maior tom. 2. 365. A.
 apostoli quomodo videndo Christum viderint Patrem tom. 2. 95. com. 1. & A. 97. com.
 apostoli congregati domi propter metum Iudæorum prudentem actum fecerunt, sed non prudenter tom. 2. 58. C. D.
 apostoli in die Pentecostes non omnia nouerunt, sed multa postea inquisuerunt & didicerunt tom. 2. 251. A. B.
 apostolis quomodo omnia nota facta sint à Christo, quæcunque ille audiuit à Patre tom. 2. 179. A. & seq. 244. com.
 apostoli cur non adeo perfecti facti fuerint à Christo ante aduentum Spiritus sancti, sicut post illum facti sunt tom. 2. 247. 248.
 apostoli quibus modis à Spiritu sancto docti sint veritatem tom. 2. 250. A. B.
 apostoli Spiritu sancto illustrante multa postea intellexerunt, quæ prius non intellexerant tom. 2. 149. com. 2.
 apostoli quæ didicerint à Spiritu sancto tom. 2. ibid. A.
 apostoli quænam docti fuerint à Spiritu sancto, ex ijs, quæ Christus habebat dicenda ante Ascensionem, & non dixit tom. 2. 245. 246.
 apostoli quæ Spiritu sancto adueniente didicerunt, etiam à Christo didicerunt tom. 2. 244. com.
 apostolici muneris & officij similitudo & comparatio cum munere & officio Christi explicatur tom. 2. 521. B.
 apostolis quomodo præcipiatur, vt Christus maneat in eis tom. 2. 153. com.
 apostoli vicarij Christi instituntur tom. 2. 521. com. 3.
 apostoli cum charitate, habuerunt etiam ordinem inter se tom. 2. 324. B.
 apostoli cur dicantur Filioli tom. 2. 68. com. 1.
 apostoli cur fratres dicti sint à Christo tom. 2. 514. com.
 apostoli quomodo sciuerint quò iret Christus Dominus, & viam qua iret tom. 2. 89. A.
 apostolorum gaudium, quando fuerit plenum tom. 2. 282. com. 2. & C.
 apostolorum vnitas, quomodo similis fuerit vnitati Patris, & Filij tom. 2. 323. A.
 apostoli missi sunt à Christo non solum verbi prædicatores, sed etiam Rectores, & gubernatores in ijs omnibus quæ ad salutem pertinent tom. 2. 521. com. 3. 523. A. B.
 apostoli menses, Prophetæ velut seminatores fuere tom. 1. 356. com. 3.
 apostoli respectu Iudæorum menses, gentium verò etiam fuere seminatores tom. 1. 358. com. 1.
 apostoli reddituri Christo testimonium, quatuor impedimentis auerti poterant ab hoc officio tom. 2. 203. 204.
 apostolorum dolor cur comparatur partui tom. 2. 269. C.
 apostolorum fructus quomodo manserit tom. 2. 181. com. 2.
 apostoli quomodo verè fuerint orphani Christo mortuo tom. 2. 118. com. 2.
 apostolorum doctrina eadem semper perseuerat, ita vt omnes fideles per verbum eorum credidisse & credituri dicantur tom. 2. 334. com. 2.
 apostoli, si diuinitatem Christi portare & cognoscere potuerunt, cur non alia mysteria potuerint tom. 2. 248. E. F.
 apostoli quomodo post vocationem ad piscationem

nem redierint tom. 2. 551. A.
 apostolos & discipulos Domini, tam crudeliter mundus persecutus est propter quinque causas tom. 2. 217. C. & seq.
 apostoli maiora fecerunt, quàm Christus fecisset, sed non idcirco illo maiores tom. 2. 105. com.
 apostoli à gratia Spiritus sancti accepta nunquam exciderunt, nec in æternum excident tom. 2. 113. com. 1.
 apostolorum nullum esse perditum, quomodo sit intelligendum tom. 372. A.
 aqua viuæ nomine multa in scriptura significantur tom. 1. 343. 344.
 aqua viua Spiritus sanctus dictus tribus de causis tom. 1. 348. C. D.
 aqua viua Spiritum sanctum, & eius gratiam significat tom. 1. 344. D. E. F.
 aqua in tribus similis Spiritui sancto tom. 1. 345. C. D.
 aqua à Spiritu sancti lotionem in quatuor dissimilis tom. 1. ibid. E. F. & seq.
 aquæ terram fecundati similis est Spiritus sanctus tom. 1. 346. E. F.
 aquæ terram fecundanti, in quatuor dissimilis est Spiritus sanctus fecundans animas tom. 1. 347. B. C.
 aqua viua, quam Christus dat, quomodo sit in corpore & animæ extinguat tom. 1. 351. A. & seq.
 aqua viua Christi in præsentis seculo incipit, in futuro profectur sitim extingueret tom. 1. 353. D. 354. A.
 aquæ communis collatio cum aqua viua saliente in vitam æternam tom. 1. 355. com.
 aqua in vinum per Christum conuersa quid significet tom. 1. 204. com.
 aqua vera & elementaris ex latere Christi mortui fluxit tom. 2. 471. C.
 aqua quæ ex latere Christi fluxit baptismum significabat tom. 2. ibid. com. 2. cumque efficacem futurum ablutionis animarum à peccatis virtute mortis, & sanguinis Christi 473. comment. 1.
 arbitrium hominis non potest sine Dei auxilio seipsum reddere dignum fide tom. 1. 568. B. C.
 arbitrium hominis à Deo habet fidem, & præparationem ad illam tom. 1. ibid.
 archisynagogi quinam essent tom. 2. 215. B.
 arguere non tantum reprehendere, sed etiam conuincere significat in scriptura tom. 1. 781. com. 2. 233. A. 234. B.
 arguere quomodo differat à persuadere tom. 1. 235. A.
 argumenta quomodo minuunt, vel non minuunt meritum fidei tom. 2. 543. com. & B.
 arguere mundum de peccato, de iustitia & iudicio quid sit tom. 2. 234. D. & seq. 238. comment. 241. com. 1. 242. B.
 arefcere palmitem quid significet tom. 2. 160. com. 2.
 ariani, Diuini Verbi æternitatem & consubstantialitatem cum Patre negantes, confutantur tom. 1. 118. C. & seq.
 articuli fidei qui ex verbis illis (Philippe qui videt me, videt & Patrem meum,) comprobantur tom. 2. 98. com. 2.
 arundo in dextera Christi quid significauerit, quæ satisfactio, & meritum inde prouenerit, & quid ex ea discere debeamus tom. 2. 427. B. & seq.
 ascendere in cælum quomodo iustis conueniat, qui à cælo non descenderunt tom. 1. 271. C. D.
 ascensus sui argumento cur Christus confirmet, quod de carne sua comedenda prædicauit tom. 1. 621. com.
 asina ascendit Christus & pullum etiam eius, cum Hierosolymam ingrederetur tom. 1. 991. C. D.
 asina Iudaicum, pullus gentium populum figurauit tom. 1. 992. B.

atrium domus Pontificis duplex tom. 2. 386. C.
 atrium quod Ioannes introiuit erat Caiphæ pontificis, non Annæ tom. 2. 380. com. 2.
 audire vocem, duo significat in scriptura tom. 1. 894. com.
 audire verbum Dei, est ei obedire tom. 1. 784. com. 2.
 autem particula, magnam habet significationem in scripturis præcipue apud Ioannem tom. 2. 28. com. 2.
 azymi panes nunquam in scriptura significantur nomine Paschæ tom. 2. 6. F.
 Azymorum festum diuersum erat à festo Paschæ tom. 1. 646. E. F.
 Azymorum festum, in memoriam celerrimæ egressionis de Aegypto, celebratum fuit tom. 1. 648. A.
 azymorum prima die concedebatur præparatio ciborum tom. 2. 15. E.
 azymorum prima dies quomodo dicatur quarta decima à Mathæo, Marco, & Luca tom. 2. 9. E.

B.

Baptismus Christi à tempore quæ cepit fuit in aqua & Spiritu sancto tom. 1. 299. D. 300. & seq.
 Baptizasse Christum per seipsum Baptistam, & Apostolos probabile est tom. 1. 330. A.
 Baptizauit Christus per ministros, non tamen per seipsum aliquibus de causis tom. 1. 327. A. B. 328. & seq.
 Baptismus per aquam quæ ex latere Christi fluxit significatur tom. 2. 471. com. 2. 473. com. 1.
 Baptismus per Siloe significatus tom. 1. 819. A.
 Baptismus in re, vel in voto, ad vitam consequendam est necessarius tom. 1. 253. A.
 Baptismus cur noua natiuitas & generatio nuncupetur tom. 1. 259. 260.
 Baptismus in voto sufficit, quando re suscipi non potest tom. 1. 252. F. 253. A.
 Baptismus etiam susceptus ante discretionis annos, filios Dei facit suscipientes tom. 1. 254. A. B.
 Baptismus aquæ à Christo dicitur natiuitas ex aqua & Spiritu sancto tom. 1. ibid. E. F.
 Baptismi prophetiæ, & figuræ plures præcesserunt tom. 1. 253. 254.
 Baptismus tempore Messie futurum sperabant Iudæi tom. 1. 126. A. 127. A. B.
 Baptismus post Christi resurrectionem promulgatus cepit obligare tom. 1. 253. A. B.
 Baptismus propter diuersos effectus diuersis etiam nominibus appellatur tom. 1. 252. A.
 Baptismus Ioannis secundum sententiam Basilij à David prophetatus tom. 1. 130. B.
 Baptismus Ioannis non erat secundum, sed supra legem tom. 1. 129. B. C. & 130. A.
 Baptismus Ioannis in aqua tantum, quia præcurfor erat tom. 1. 128. com.
 Baptismus Ioannis non erat eiusdem virtutis cum baptismo Christi tom. 1. 305. A.
 Baptismo Ioannis, quatuor modis Christus manifestatus est tom. 1. 142. com. 2.
 Baptizabat Ioannes etiam postquam cepit Christus baptizare to. 1. 302. com. 2.
 Baptizantem Ioannem cur Pharisæi reprehenderint tom. 1. 125. 126. & seq.
 Baptista missus dicitur à Deo, quia præcurfor institutus est, vt Dei aduentum nuntiaret tom. 1. 48. 49. 50.
 Baptista munus fuit populum disponere, iam disposito Christum indicare, & Christo testimonium reddere tom. 1. 48. com.
 Baptista testimonio Christus vsus est tribus de causis tom. 1. 49. 50. B. C. D.
 Baptista meminerunt omnes Euangelistæ, quia vir erat magni

magni nominis apud omnes tom. 1. 47. com.
 Baptista opinio vnde tanta fuerit apud Iudaeos tom. 1. 52. C.
 Baptista lux erat, sed Christo comparatus non erat ille lux tom. 1. 55. com. 1.
 Baptista lux non erat, quia lucis proprietatibus carebat tom. 1. 56. com. 2.
 Baptista non idem missus à Deo dicitur, quia anima ante corpus fuerit in caelo, vt falsò existimauit Origines tom. 1. 48. A. B.
 Baptistam angelum natum fuisse, falsò putauit Origines tom. 1. 47. C. D.
 Barrabae significatio tom. 2. 419. 420. A. B.
 Beatitude nostra in visione diuinitatis consistit tom. 2. 343. com. 1.
 Beati dicuntur iusti etiam in spe tom. 2. 46. com. 2.
 Beatorum ordines & gradus esse diuersos probatur to. 2. 83. B.
 Beati non sciunt omnia secreta Dei, quæ Filius scit etiã vt homo tom. 2. 180. A.
 Beneficia quomodo ingratias nocent tom. 2. 60. com. 1.
 Bethania & Bethabara apud Ioannem idem sunt tom. 1. 136. A. B.
 Bethania castellum erat duobus miliaribus distans à Hierusalem tom. 1. 9. 2. com.
 Bethsaida situs tom. 1. 53. F.
 Bethesda & Bethsaida quid significant tom. 1. 419. D. 420. A.
 Bethabara locus est per quem Hebraei de Aegypto reuertentes transiit Iordanem tom. 1. 135. B.
 Bona corporis iuste Deus aufert vt animæ bona prouideat tom. 1. 8. 2. C. D.
 Bona opera ex genere suo, quæ infideles faciunt, nõ sunt omnia peccata tom. 2. 1. 7. C.
 Boni cuiusq; vita, malum arguit & reprehendit to. 2. 185. com. 1.
 Boni odio habentur à malis, vt mali sunt tom. 2. ibid.
 Bonum opus simpliciter, & opus frugiferum quomodo differant tom. 2. 158. A.
 Brachium domini cur Christus appellet to. 1. 1029. A.
 Buccella panis intincta reuelauit Christus Ioanni suum proditorem, & huius rei causa affertur tom. 2. 57. 58. C. & seq.
 Buccella panis non fuit causa ingressus demonis in Iudam, sed solum ea ratione nocuit, quia malè accepit beneficium to. 2. 60. com. 1.

C.

CAiphas & Anna quomodo eodem tempore dicantur Pontifices tom. 2. 356. F. 357. A.
 Caiphas licet prophetauerit, tribus de causis propheta nõ non est dicendus tom. 1. 968. C.
 Caiphas propheta duos habuit sensus inter se longè diuersos tom. 1. 967. A. B. C.
 Caiphas linguam, sed non cor mouit Spiritus sanctus to. 1. 970. A.
 Caiphas sententia vt fuerit iniqua & falsa to. 1. 965. B.
 Caiphas grauiter peccauit proferens contra Christum sententiam to. 1. 969. A.
 Caiphas pontificis erat atrium, quod ingressus est Ioannes to. 2. 380. com. 2.
 Calceis Christus & Apostoli non utebantur, sed sandalijs to. 1. 134. C. D.
 Calicem à se transferri quare Christus petierit to. 1. 1007. B. C. D.
 Calumnias Iudaeorum optimè Christus satisfecit tom. 1. 676. com. 2.
 Caluarie nomen vnde dictum to. 2. 451. C.
 Cana duplex reperitur in scriptura tom. 1. 180. com.
 Capharnaum quæ ciuitas fuerit, & qualis moribus to. 1. 210. com.
 Carnis nomine, frequenter scriptura totum hominem significat to. 1. 79. A. B.
 Carnis nomine homo significatur secundum esse su-

um naturale to. 1. 255. com.
 Caro non dictus est homo ante, sed post peccatum to. 1. 80. A. B.
 Carnem Deus assumpsit, tamen sine peccato tom. 1. ibid. B. C.
 caro Christi non apparens, sed vera fuit to. 1. 81. D.
 carnis nomine, quam verbum assumpsit, & Christi humilitas, & nostra dignitas commendatur tom. 1. 79. E. F.
 caro Christi non ex natura propria, sed ex vnitate diuinitate, vim habet viuificandi to. 1. 623. E. 624. A. B.
 caro Christi cibus est, sed in multis à communi cibo diuersus tom. 1. 610. com. 2. & seq.
 caro Christi panis, & Christus ipse panis dicitur tom. 1. 615. com.
 caro Christi quomodo dicatur panis de caelo descendens, cum non descenderit è caelo to. 1. ibid.
 caro Christi non de caelo allata, sed de B. Virgine sumpta fuit tom. 1. 272. B. C.
 carnem Christi manducare, & sanguinem eius bibere, nõ intellexerunt Iudaei qua esset ratione factibile tom. 1. 618. com. 2.
 carnis voluntate turpis concubitus, voluntati viri honestus, significatur tom. 1. 74. com. 2.
 causa dicitur vnus respectu alterius, tripliciter to. 1. 1037. F. 1038. A. B. C.
 caecitas corporea in quo consistat tom. 1. 821. com. 3.
 caecitas Iudaeorum ex ambitione ortum habuit tom. 1. 510. com.
 caecitas Iudaeorum in concilio contra Christum congregato tom. 1. 963. 964. & seq.
 caeco nato nullam Deus iniuriam fecit, visu illum priuans tom. 1. 810. 811. & seq.
 caeco cur non solo verbo Christus visum restituit tom. 1. 815. A. B. C.
 caeco visum restituere oculis lutum applicando, quid significet tom. 1. 817. A. B.
 caeci nati fides & obedientia quanta fuerit to. 1. 820. C.
 caecus natus quantam in respondendo & conuincendo Phariseos, sapientiam ostenderit tom. 1. 833. com. 4.
 cedron nomen hebraeum, cuiusque significatio tom. 2. 366. A.
 cephas Syriacum nomen est, significans lapidem grandæ tom. 1. 163. com. 2.
 caelum quare non paruerit Iustis ante Christi aduentum tom. 1. 72. A. B.
 caena duplex legalis & communis to. 2. 22. com. 1.
 caeremoniae Ecclesiasticae tom. 2. 524. com.
 charitatis triplex quantitas to. 2. 173. A. B.
 charitas mutua est via, per quam fructus afferri & populi conuerti possunt tom. 2. 183. com. 2.
 charitas mutua sine patientia conseruari non potest to. 2. ibid. com. 3.
 charitate simul cum fide necessarium est Christo inherere, vt fructum afferri possimus tom. 2. 142. A. 159. com.
 charitas vnitatem affert, ordinem tamen non confundit tom. 2. 324. B.
 charitas Christi erga suos tom. 2. 70. 71.
 charitatis, qua pro inimicis vita exponitur, cur non meminertit Christus tom. 2. 175. B.
 charitas maior ne dicenda sit quando exponitur vita pro amico, an quando pro inimicis tom. 2. 73. A.
 chlamys coccinea qua Christus Dominus est indutus à militibus, fuerit ne eadem cum veste purpurea &c. to. 2. 425. D.
 christi paternus affectus erga suos to. 2. 117. com. 2.
 christi amor erga nos comparatur cum amore Patris erga Christum tom. 2. 65.
 christi gaudium in suis discipulis tom. 2. 167. com. 2. 328. com. 2. & A.
 christus ab aeterno diuinitatem habet à Patre naturali

natiuitate, non quia Pater eum dilexit tom. 2. 344. com. 1.
 Christum Patri consubstantialem esse ostenditur tom. 1. 898. C. & seq.
 christus vt Deus auctor gratiae dicitur, aliter tamen vt homo tom. 1. 102. 103.
 christus fons est gratiae, & bonorum omnium, quæ cunctis hominibus collata, & conferenda sunt to. 1. 969. 7. co.
 christus ante Ioannem factus dicitur, quia ei honore, & dignitate praeratus erat to. 1. 95. C. D. & seq.
 christi aeternitas pluribus in locis praedicta tom. 1. 1021. com.
 christus viuere dicitur propter Patrem, vt homo & vt Deus tom. 1. 613. ABC. & seq.
 christi aduentus duo tom. 1. 117. A.
 christi aduentus duo sapientissime à Deo dispositi to. 1. 285. C.
 christi aduentus luci comparatus tom. 1. 291. com.
 christi aduentus tres fines numerantur à Cyrillo tom. 1. 67. com.
 christi duo officia propter quæ venit tom. 2. 311. com.
 christus lux vera est, quia lucis proprietates habet tom. 1. 55. com.
 christus in tenebris lucens soli comparatur tom. 1. 44. com. 2.
 christi incarnatio quomodo facta fuerit tom. 1. 256. A. & seq.
 christus in incarnatione sua vnctus fuit tom. 1. 146. EF. 147. AB.
 christus de spiritu natus, quomodo spiritus dicatur to. 1. 255. A. 2.
 christum in nomine Patris venisse, est ipsi æqualem esse tom. 1. 507. BC.
 christus aliter à Patre, & aliter à Spiritu sancto missus dicitur tom. 2. 196. A. B. & seq.
 christus Iesus vnus est, non duo vt Cherintus fingit to. 1. 145. E.
 christi humanitas ab aeterno electa & dilecta vt verbo vniretur tom. 2. 344. com. 2.
 Christus Dei filius in natura nostra viti est similis, virtutem tamen producendi palmites habet à Diuinitate tom. 2. 143. A.
 christus cur & qua ratione veræ viti comparetur tom. 2. ibid. com. & A. & seq.
 christus & Adam conferuntur tom. 1. 78. F. 79. A.
 christi collatio cum legislatore Moyse tom. 1. 85. com. 102. com.
 christus legislator, à legislatore Moyse longè differt to. 1. 101. com.
 christi & Moysis Antithesis to. 1. 287. BC.
 christus venit redempturus nos à peccato, quod præcipue residet in anima tom. 1. 79. D.
 christi caro non apparens fuit, sed vera tom. 1. 8. D.
 christi corpus terrestris & carneæ, non caelestis naturæ, fuit to. 1. 82. A. B.
 christus nec syderibus, nec fato subiectus erat tom. 1. 200. B. C.
 christi humanitas nullis suis præcedentibus meritis dilecta est à Deo tom. 1. 165. com. 1.
 christus vt homo dilectus est à Patre inter alias causas propter obedientiam erga eius mandata tom. 2. 167. com. 1.
 christus quomodo, & in qua natura sanctificauerit se ipsum tom. 2. 333. com. 1.
 christus vt homo, multa accepit à Deo, quæ antequam esset non habebat vt homo tom. 2. 317. com. 1.
 christi humanitas quomodo dicatur tempus Diuinitatis tom. 1. 224. CD.
 christus & Apostoli non calceis, sed sandalijs vsi sunt tom. 1. 134. C. D.
 christi calceamentorum corrigiam soluere est ipsum manifestare tom. 1. 31. E. & 159.
 christus vt Deus, & vt homo dicitur voluntatem Pa-

tris fecisse tom. 1. 385. CD.
 christus beatus fuit semper in anima tom. 791. C.
 christus quot ætatis annos habuerit to. 1. 799. B. C.
 christi & omnium eius mysteriorum figura fuit serpens æneus, vt fusè tractatur tom. 1. 275. 276 & seq.
 christus Dominus venit Doctor, & Redemptor hominum tom. 2. 41. A.
 christus solus humani generis Redemptor tom. 2. 524. B.
 christi Pastoris proprium est ab ouibus suis cognosci tom. 1. 370. com. 2.
 christus animam pro ouibus posuit longè aliter quàm Martyres posuere tom. 1. 372. com. 2. & seq.
 christus hominibus datus singulari ratione Donum appellatur tom. 1. 343. C.
 christus vt Deus homines in seruitute legis constituit, & idem homo factus in libertatè vocauit filiorum to. 2. 178. AB.
 christi innocentia tom. 2. 136. com. 3. & seq. 388. com. 4. 16. com. 3.
 christi prouidentia erga suos tom. 2. 70. 71.
 christus plura à Deo beneficia accepit pro quibus gratias egit tom. 1. 951. C.
 christus causa est vt omnes tam boni quàm mali resurgant tom. 1. 933. A. B.
 christus est nostræ Resurrectionis causa in quadruplici causarum genere tom. 1. ibid. D. E.
 christus vehementer doluit repulsam Iudaeorum tom. 1. 1007. CD & seq.
 christus cur non agnitus à discipulis cum illo discumbentibus in litore tom. 2. 55. 8. com. 2. 559. com. 2.
 christus Dominus & peccata nostra, & cetera mala quæ propter peccatum subsecuta sunt, suscepit delenda tom. 2. 427. B. 428.
 christum manere in Apostolis quid sit tom. 2. 133. com. & C. Quomodo hoc præcipiatur Apostolis 133. com.
 christus in quo maneat tom. 2. 153. C.
 christum in nobis manere necessarium est, vt fructum afferre possimus tom. 2. 153. com. 155. com.
 christus quomodo sit in Patre, & in nobis, & quomodo nos in ipso tom. 2. 122. com.
 christus non solum vt Deus diligit suos, sed etiam charitate sua, quam vt homo habet tom. 2. 123. com. 3.
 christi dilectio erga homines quadruplex fuit tom. 1. 919. B.
 christi dilectio ab aeterno vna, temporales tres tom. 1. ibid. B.
 christi Domini amor erga electos suos commendatur tom. 2. 20. com. 1.
 christi amor erga discipulos maximè notus in eius morte tom. 2. 265. B.
 christi & ouium suarum, quales sit reciproca cognitio tom. 1. 870. com. 3.
 christus nostram salutem operatus est, quia à Patre sibi iniuncta fuit tom. 2. 23. com. 2. & seq.
 christus quantum animarum conuersione delectetur tom. 38. com.
 christus quomodo omnes ad se per crucis exaltationem traxerit, tractatur tom. 1. 1017. A. B. & seq.
 christus quomodo pro nobis maledictum factus sit to. 1. 278. AB.
 christi virtus quàm sit efficax etiam in iniquis & abutentibus tom. 2. 63. B.
 christi opera non solum fuerunt satisfactoria pro peccatis nostris, sed simul eadem fuerunt nobis meritoria vitæ aeternæ to. 2. 40. A.
 christi meritum quomodo abundans & copiosum to. 2. ibid. B.
 christi meritum & virtus necessaria semper fuit & est, vt exaudiamur à Patre; non autem necessaria fuit aut est Christi oratio tom. 2. 285. C. D.
 christus vt homo orat pro nobis in caelo tom. 2. ibid. A.

christus post coenam generaliter rogavit pro omnibus suis fidelibus tom. 2. 334. com. 2.
 christus dicitur ne auditus à Patre, quia ab illo aliquid petierit tom. 1. 951. A.
 christus in omnibus, in quibus peccant homines, patiens satisfecit tom. 2. 429. D. E.
 christi nomine petere quid sit tom. 2. 274. com. 273. E. F. & seq.
 christus vt Deus est ille quem petimus; vt homo propter quem petimus tom. 2. 175. D. E.
 christi sacrificium & preces pro quibus fuerint oblatae, & quomodo quoad hoc differant inter se tom. 2. 319. B. C.
 christus cur in publico orauerit, cum praeceperit nobis orare in abscondito tom. 2. 297. A.
 christus quomodo venerit à Deo magister tom. 1. 238. com. 2.
 christi magisterium tom. 2. 41. A. & seq.
 christus multa ratione diuinitatis, alia verò ratione humanitatis loquitur tom. 1. 480. A. tom. 2. 93. A. 324. com. 1.
 christi verba quatuor modis à nostris differunt to. 1. 431. B. C. & seq.
 christus aliquando in persona propria, aliquando verò nomine corporis sui mystici, loquitur tom. 1. 271. C. D.
 christi doctrina intellectum illuminat, & affectum mouet, non coactione, sed efficacia virtutis suae tom. 2. 41. E. F. 42. A.
 christi Doctrina quare sit veritas tom. 2. 199. com. 1.
 christus quomodo palam locutus sit mundo tom. 2. 388. com. 3.
 christi vocis efficacia tom. 2. 507. com. 3.
 christus cur doctrinam & opera sua Patris esse dicat. tom. 2. 317. com. 3.
 christus eodem tempore verbis & opere ostendit, se esse Deum & hominem tom. 2. 298. co. 2. & seq. 323. co. 2.
 christus inuisibiliter per Spiritum sanctum docuit Apostolos tom. 2. 244. com.
 christus cur obscuris verbis loqueretur discipulis tom. 2. 263. com. 2. 26. A.
 christus futura praedicebat, vt suorum fidem confirmaret tom. 2. 50. co. 1. 135. com. 1.
 christus quænam praedixerit post coenam vltimam Apostolis de illorum persecutionibus, quæ prius non praedixisset tom. 2. 225. 226. & seq.
 christus quænam habuerit dicenda Apostolis, & nõ dixerit ante Ascensionem tom. 2. 245. A.
 christus quomodo nihil in occulto sit locutus tom. 2. 389. A.
 christus apertis verbis suam manifestat diuinitatem tom. 1. 453. A.
 christi praecepta & mandata quæ dicuntur tom. 2. 172. A. B.
 christi sapientia lucet in colloquio quod habuit cum Samaritana tom. 1. 352. com. 2.
 christi humilitas in responsionibus lucebat tom. 1. 663. com. 1.
 christus quid & quare scripserit in terra, cum de adultera fuit interrogatus, tractatur tom. 1. 725. D.
 christi opera propria quænam, alia communia erant cum Patre tom. 1. 491. com.
 christus subditus matri, sed nõ in operibus quæ ad munus Redemptoris spectabant tom. 1. 188. com. 2.
 christi operum quædam nobiscum communia, alia redemptoris propria erant tom. 1. ibid.
 christus operibus testimonium perhibebat diuinitatis, & humanitatis veræ tom. 1. 490. & seq.
 christi opera, quare prædicta fuerint tom. 2. 48. C. D.
 christus cur praeceperit colligi quæ ex panibus supererant fragmenta tom. 1. 530. com. 2.
 christus cur lachrymatus sit antequam Lazarum suscitaret tom. 1. 943. 944. A. B. C.
 christus non solo verbo dat pacem, vt mundus; sed

ex corde & propria auctoritate efficit tom. 2. 131. com. 2.
 Christum existimauerunt Iudæi dæmonium habere. tom. 1. 783. com. 1.
 Christus sabbati transgressor appellatus, cur diuersis te tueatur rationibus tom. 1. 452. A. B.
 Christus solus sibi, & nobis mereri potuit tom. 1. 96. co. 1. & seq.
 Christus cur tot operibus pro nobis satisfacere voluerit tom. 2. 429. C. D.
 Christi quilibet actus sufficientissimum fuit pretium redemptionis omnium hominum tom. 2. ibid. B. C.
 Christi virtute & iustitia impetratum est, quicquid à principio mundi concessum est à Deo tom. 2. 279. E. F. & seq.
 Christus vt homo cur orauerit, & oret pro nobis tom. 2. 297. com. 1.
 Christus cur pro mundo non orauerit tom. 2. 319. A.
 Christum recipientes per fidem, filij Dei sunt per baptismum, re vel voto susceptum tom. 1. 68. A.
 Christus Dominus quando instituerit sacramentum Eucharistiæ tom. 2. 40. com. 2. 55. com. 1.
 Christi præsentia in Eucharistia comprobatur tom. 1. 146. B. C.
 Christus & spiritualiter & sacramentaliter cibus est tom. 1. 585. A.
 Claritatem, id est, diuinitatem carni suæ vnitam dedit nobis Christus in sacramento Eucharistiæ tom. 2. 318. C. D.
 Christi fidem perfectam habens, habet etiam Patris fidem tom. 2. 93. 94.
 Christum negare, & negare se esse Christianum, quomodo differant tom. 2. 384. A.
 Christus cur à postolos, & discipulos permiserit occidi tom. 2. 223. D.
 Christus vt homo, Dominus est duobus titulis tom. 2. 44. B. C.
 Christus iure redemptionis singulare quoddam dominium habet in omnes eius sanguine redemptos tom. 2. 539. com. 2.
 Christi Dei dominium, quibus perfectionibus excedat reliqua dominia tom. 2. 42. B. C. & seq.
 Christus duplicem habuit potestatem iudicandi tom. 1. 469. A.
 Christi mors, quomodo eius gloria fuerit tom. 2. 302. A.
 Christi claritas quam habuit priusquam mundus fieret & quam petiit à Patre quare sit tom. 2. 313. com. 1.
 Christus cur ex operibus suis probari dicat se esse à Patre missum, & non potius æqualem esse Patri tom. 1. 497. B. & seq.
 Christus quomodo sit apud omnes clarificatus tom. 2. 307. B. & seq.
 Christi humanitas habet gloriam ab æterno, nempe ab eodem supposito tom. 2. 514. B.
 Christus quomodo clarificatus sit à Patre; & quam clarificationem petat tom. 2. 301. C. D. 302. C. E. F. 303. 304. A. B.
 Christi gloria, quæ vnigenitum à Patre decebat, quæ fuerit tom. 1. 84. 85. com.
 Christi gloria quare superet omnem gloriam Beatorum tom. 2. 314. B.
 Christi claritas & gloria, in gloriam Apostolorum redundat tom. 2. 254. com. 2.
 Christi opera demonstrabant illum esse filium Dei tom. 2. 161. com. 2.
 Christi miracula quomodo superauerint miracula Moysis & Prophetarum tom. 2. 191. C.
 Christus cur nuptijs Cana voluerit interesse tom. 1. 183. com.
 Christus non eodem die, diuersorum etiam annorum fuit baptizatus, adoratus à Magis, & miraculum in nuptijs fecit tom. 1. 208. D. E.

Christus

christo opportunitas operandi tunc est, quando eius virtus maximè in ipsis operibus lucet tom. 2. 553. com. 1.
 christus, cur templum appellauerit, domum Patris mei tom. 1. 217. com. 2.
 christus cur aliquando latere voluerit tom. 1. 670. co. 1.
 christus duplici ex capite peccare non potuit tom. 1. 782. com.
 christus cur Patri & non sibi ipsi gratias agebat tom. 1. 952. C.
 christi Domini obedientia, qua etiam humanis potestatibus subdi voluit tom. 2. 409. com. 2. 411. A.
 christus saepe oculos ad caelum leuabat tom. 1. 980. A.
 christi nomen est efficacissimum titulus, impetrandi à Patre propter duo tom. 2. 275. F. & seq.
 christi nomina tractantur tom. 1. 159. A. B. & seq.
 christi nomen tribus personarum generibus olim conueniebat tom. 1. ibid.
 christus græcè, Messias hebraicè, latinè vnctus dicitur tom. 1. 158. com. 3.
 christi nomen per excellentiam Domino Iesu conuenit, duabus de causis tom. 1. 159. C.
 christi nomen cur Dominus retinuerit, & non Messias tom. 3. 160. B.
 christus quare in scriptura appellatus sit vir tom. 1. 140. com. 2.
 Christus Iesus, & ordine inuerso Iesus Christus quare soleat appellari tom. 1. 161. D.
 christus, cur dicitur primogenitus secundum humanam, & secundum etiam diuinam naturam tom. 1. 87. F. & seq.
 christus vnigenitus Patris dicitur, quia ei est cõsubstantialis tom. 1. ibid. A. B.
 christus quomodo dicatur via tom. 2. 91. com. & A.
 christus quare dicatur veritas & vita ibid.
 christus multis de causis dicitur veritas tom. 1. 760. com. 4.
 christus cur lumen seipsum appellet tom. 1. 1023. A. B.
 christus agnus Dei à Baptista dictus est, multis de causis tom. 1. 137. com. 140. A. B.
 christus Nazareus dictus tom. 1. 170. com. 2.
 christus quomodo Paracletus sit, vt Deus est, & quomodo etiam vt homo est tom. 2. 112. A.
 christi nomine Patrem petierunt Prophetæ, & Patriarchæ etiam ante aduentum ipsius Christi tom. 2. 281. A. diuerso tamen modo ac nos petamus tom. 2. 282. B.
 christi nomine Patrem cur non petierint Iudæi tom. 2. 280. E. & seq.
 christi nomine vitam habere quid sit tom. 2. 547. com.
 christus quomodo dicatur recessisse à Iuda, vbi se Sathanas immisit in cor eius tom. 2. 60. com. 1.
 christus quare Iudam non seruauerit tom. 2. 326. com. 3.
 christus cur saepe mortem suam significauerit illis verbis, Vado ad Patrem tom. 2. 240. com.
 christus homo præceptum & mandatum habuit tom. 2. 167. com. 1.
 christus an præceptum patris habuerit de morte subeunda pro hominum salute, fusè tractatur tom. 1. 880. A. B. & seq.
 christus habuit præceptum moriendi & illa faciendi, quæ ad salutem hominum spectabant to. 1. 881. D. E. tom. 2. 138. com. 2.
 christi mors voluntaria fuit, sed aliter quàm mors Martyrum tom. 1. 879. com. 1.
 christi mors diuersa fuit à morte reliquorum hominum tom. 1. ibid.
 christus Hierosolymam ingressus sedit super asinam, & super pullum eius tom. 1. 991. C. D.
 christus cur à Hierosolymitanis exceptus sit cum ramis palmarum tom. 1. 987. A.
 christus ingressu Hierusalem manifestauit se verum esse Messiam tom. 1. 988. B. C.
 christus Dominus non præuenisse tempus celebra-

dæ Paschatis à lege statutum fusè ostenditur tom. 2. 13. A. B.
 christus Dominus agnum comedit decima quarta ad vesperam, quando omnes Iudæi comederunt tom. 2. 14. E.
 christus, quam horam dicat suam tom. 1. 197. A. B.
 christus Dominus quo abierit surgens à matrisa tom. 2. 140. A.
 christus cur petierit calicem ab eo transferri tom. 1. 1007. B. C.
 christi anima quomodo turbata dicatur tom. 1. 1003. com. 1.
 christus cur obuiam processerit comprehensoribus tom. 2. 369. com. 2.
 christus Iudæos verbo in terram prostrauit, verbo etiam exiit tom. 2. 372. com. 2.
 christus mortem sibi distulit, non accelerauit, vt plura pro nobis pateretur tom. 2. 470. A.
 christus Dominus quare ductus sit ad Annam tom. 2. 378. com. 4.
 christus Dominus cur sit flagellatus, & quoties to. 2. 423. A. & in quo loco 431. com. 1.
 christus non Iudaicò more, sed Romano flagellatus est tom. 2. 423. D.
 Christus à Pilato horrendum spectaculum ostensus in inimicis, Patre se ostendit acceptissimum sacrificium pro eodem Pilato & cæteris omnibus tom. 2. 430. com. 2.
 christus quo tempore à Pilato missus sit ad Herodem tom. 2. 420. B.
 christus quare Pilato non responderit tom. 2. 435. com. 2.
 christus cur alteram maxillam non præbuerit seruo se percutienti tom. 2. 393. A.
 christi dolor animam Matris doloris gaudio transfixam aspicientis tom. 2. 460. com.
 christus cur nudus fuerit crucifixus tom. 2. 456. co. 2.
 christi sitis in cruce tom. 2. 464. com. 3.
 christo in passione sua bis potus oblatus est tom. 2. 465. A.
 christus cur Matri in Ioannem parentis auctoritatem tribuerit tom. 2. 462. com. 3.
 christus cur voce magna clamauerit & caput inclinauerit antequam moreretur tom. 2. 468. com. 3.
 christus cur sibi mortuo voluerit latus aperiri tom. 2. 470. com. 3. & seq.
 christus morte sua soluit pretium Redemptionis & mansionum caelestium, & ascendens in caelum viam strauit Sanctis omnibus tom. 2. 85. com.
 christus in morte & Resurrectione à Iudæis cognitus fuit filius Dei tom. 1. 757. com. 1.
 christus quomodo dicatur pro amicis animam posuisse tom. 2. 176. C.
 christi passio medicina fuit peccatorum, quod si multis non prodest, eorum est culpa tom. 1. 139. A.
 christus Dominus cur voluerit monumento nouo sepeliri: item cur in alieno tom. 2. 478. com. 3. & annotat. seq.
 christum ipsa Resurrectionis die quinquies apparuisse colligitur ex Euangelistis tom. 2. 516. B. & seq.
 christus quomodo figuram hortulani Magdalene exhibuerit tom. 2. 506. com. 2.
 christus post resurrectionem suam, an in littore cum Apostolis pransus sit, & quo fine tom. 2. 558. com. 5.
 christus cur tot voluerit habere testimonia to. 2. 205. F.
 christus cur resurrectionem suam Iudæis dederit in signum diuinitatis suæ tom. 1. 223. A.
 christi intercessione, & meritis quæ habuit vt homo, missus est Spiritus sanctus tom. 2. 109. 110.
 christus cur non dederit Apostolis Spiritum sanctum, quando illis ipsum promissit tom. 2. 129. com. 2.
 Christus quare non miserit Spiritum sanctum; nisi post suam Ascensionem, cum semper pouerit mittere

mittere tom. 2. 231. B & seq.
 Christus spiritum sanctum donans Apostolis, ostendit se esse verum Deum, qui per Prophetas promiserat spiritum sanctum se daturum tom. 2. 525. B.
 christus cur non ita perfectos fecerit Apostolos ante aduentum spiritus sancti, sicut postea per spiritum sanctum facti sunt tom. 2. 247. E. F.
 cibus duplex corporis vnus, & alter animæ tom. 1. 389. A.
 ciborum animæ, & corporis multiplex similitudo tom. 1. 390. A. B.
 cibi communis & Eucharistici multiplex differentia tom. 1. 390. com. 2.
 cibum suum quare Christus esse dicat, facere voluntatem Patris, fusè tractatur tom. 1. 390. E. F. & seq.
 cicatrices vulnerum cur voluerit Christus retinere tom. 2. 519. com. 3. & A.
 cicatrices vulnerum in corpore Christi glorioso, veræ & non fictæ erant, & sunt tom. 2. 521. A.
 cicatricum in corpore Christi non tantum signa exterius, sed etiam foramina manserunt tom. 2. 521. A.
 circumcisio non Moysi, sed antiquioribus Patribus indicta tom. 1. 681. com. 2.
 circumcisio non erat natiuitas & generatio sicut baptismus tom. 1. 251. C. D. & seq.
 circumcisio sabbato facta illud non soluebat tom. 1. 681. com. 2 & A. B. & seq.
 clamauit Christus vocans ad se sitientes, multis de causis tom. 1. 703. com. 2.
 clamoris Christi causa & inclinationis capitis ante mortem tom. 2. 468. com. 3.
 clamare in deserto quid sit tom. 1. 125. A.
 claritas qua filius Patrem clarificauit quæ fuerit tom. 2. 303. com. 306. A. 311. com. & A.
 clarificatio Patris distincta est à clarificatione Filij tom. 2. 303. D. & seq.
 clarificari filium hominis quid sit tom. 2. 66. com.
 clarificari Christum à Patre est miris operibus manifestare, quod eius filius sit tom. 1. 1009. A.
 clarificatio Christi duplex tom. 2. 66.
 clarificatus est Christus vt Deus vno tantum modo ibid.
 clarificauit Pater Christum vt hominem dupliciter tom. 2. 301. B.
 clarificatio Christi vt homo est duplex, gloriosa & non gloriosa tom. 2. 66. C. D.
 clarificatio, quam petit Christus à Patre, quamnam fuerit tom. 2. 302. C. E. 304. A.
 clarificatio, quam petit Christus à Patre, quo sine petat tom. 2. 303. com.
 clarificationem conformem & proportionatam potestati suæ petit Christus tom. 2. 305. com. 1. 307. A.
 claritas quam habuit Christus priusquam mundus fieret, & quam petit à Patre quæ sit tom. 2. 311. com. 313. A. & seq.
 claritas quam acceptam à Patre dedit nobis Christus quæ sit tom. 2. 340. com. 2. 341. A.
 claritas & gloria humanitatis Christi, est participatio gloriæ Dei, & quomodo tom. 2. 313. commentar. 314. A.
 clarificauit Filium Spiritus sanctus tamquam ei consubstantialis, per Apostolorum prædicationem, & infundendo lumen & charitatem cordibus fidelium tom. 2. 254. com. 2. & seq.
 clarificatio Christi quomodo fuerit apud omnes tom. 2. 307. A. & seq.
 claritas & gloria Christi in gloriam Apostolorum redundat tom. 2. 254. com. 2.
 clarificat Deus hominem, & homo Deum, sed diuerso modo tom. 2. 301. A.
 clarificatus est Deus per fructum Apostolorum, & quomodo tom. 2. 163. com. 1. & A.

clauis, quibus Dominus crucifixus est, quatuor fuisse, quatuor etiam milites crucifigentes tom. 2. 468. A. B.
 cognitio & fides quomodo inter se differant tom. 1. 760. A.
 cognitio dicitur aliquando fines ipso effectu confirmata tom. 2. 342. com.
 cognitio, quam Christus dixit Ioan. 17. esse vitam æternam, an sit intelligenda de ea, quæ est in patria tom. 2. 310. E.
 cognitio reciproca Christi & ouium suarum qualis sit tom. 1. 870. com. 3.
 cognoscere Deum est ei credere & obedire tom. 1. 796. com. 4. & seq.
 cognitio speculatiua Christi Domini potest esse maior in peccatore, quam in viro perfecto; non tamen præctica tom. 2. 124. A.
 cohors à quo conducta, & an à Pilato missa fuerit, ad capiendum Christum tom. 2. 368. A. B.
 collectæ seu cætus quod festum fuerit, quando, & quare de causa institutum tom. 1. 652. F.
 columbæ specie, quare Spiritus sanctus descendit super Christum tom. 1. 145. D. E.
 columbam, quæ in baptismo Christi apparuit, probabile est non veram, sed apparentem fuisse tom. 1. 145. A.
 columba super Christum in baptismo descendens, an fuerit ab omnibus qui aderant visa tom. 1. 148. A.
 comprehendere idem aliquando significat, quod apprehendere tom. 1. 43. com. 2.
 communio sub vtraque specie non est de iure diuino tom. 1. 604. B. C.
 communionem sub vtraque specie esse de iure diuino nulla ratione efficaci probari potest tom. 1. 604. B. C. & seq.
 communio sub vtraque specie ex verbis Christi non deducitur tom. 1. 699. A. B.
 communio sub vtraque fuit olim in consuetudine tom. 1. 602. C.
 communio sub vtraque fuit aliquando in præcepto propter hæreticos tom. 1. 604. A.
 communio modò sub vna, modò sub vtraque fiat specie, memoriam præfert passionis Christi tom. 1. 1599. E.
 communio sub vna tantum specie non minus antiqua est quam sub vtraque tom. 1. 602. F.
 communio sub vna tantum specie iustis de causis indicta ab Ecclesia tom. 1. 606. B. C.
 Concilia quare congregentur in Ecclesia tom. 2. 251. B.
 concilium contra Christum coactum quale fuerit tom. 1. 960. A.
 concilium contra Christum Hierosolymis coactum, quantum impietate peractum sit tom. 1. 964. C. D. E.
 concilium cogentes contra Christum in quatuor gradibus errores inciderunt tom. 1. 963. A. B. & seq.
 concilium Syrmiense quomodo intelligi voluerit, illud Gene. 19. Pluit Dominus à Domino tom. 2. 198. C.
 consilium contra Deum ineuntes in illa incidunt quam vitare conantur tom. 1. 964. B.
 concordia Euangelistæ Ioannis cum alijs tribus in ijs quæ dicit Christum non prædixisse Apostolis de illorum persecutione; cum tamen alij videantur affirmare quod prædixerit tom. 2. 225. A. & sequent. 227. A.
 concordia ostenduntur duo loca Ioannis. In quorum vno Petrus interrogasse dicitur, Domine quo vadis? in altero dicit Christus, Nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis tom. 2. 227. D.
 concordia Euangelistarum in annumeranda nocte & vespera illa, qua agnus comedeatur, decimæ quartæ

quartæ diei Lunæ tom. 2. 8. F. 15. A.
 Concordia Euangelistarum in secunda Petri negatione narranda tom. 2. 395. B. Item in tertia 397. A.
 Concordia Ioannis cum cæteris Euangelistis in referendis negationibus Petri tom. 2. 381. fusè, D. & seq. præsertim prima 385. A. 386. com.
 Concordia Euangelistarum in referendo modo, quo acetum oblatum est Christo tom. 2. 467. A.
 Concordia Euangelistarum in assignando tempore horæ sextæ tom. 2. 443. A. & in assignando tempore latæ sententiæ & crucifixionis Christi 444. A. fusè præsertim 446.
 Concordia Euangelistarum de mulieribus iuxta crucem stantibus, vel à longe aspicientibus tom. 2. 461. A.
 Concordia Ioannis Euangelistæ cum Matthæo, in describendo tempore quo Maria Magdalena venit ad sepulchrum tom. 2. 481. 482. A. 483. & seq.
 Concordia Ioannis cum Marco de exorto sole, quando Magdalena venit ad monumentum tom. 2. 487. D.
 Concordia Ioannis cum Luca de absentia Thomæ, quando cæteris Apostolis apparuit Christus tom. 2. 531. C.
 Concordia Euangelistarum circa mulierum aduentum ad sepulchrum Domini tom. 2. 487. E. F. & seq.
 Concordia Euangelistarum circa Angelos, qui mulieribus iuxta sepulchrum Domini apparuerunt tom. 2. 501. A.
 Concordia Euangelistarum de Apparitione Christi facta discipulis Hierosolymis vel in Galilæa tom. 2. 515. A.
 Confessio distincta peccatorum de iure diuino iniuncta probatur tom. 2. 530. C.
 Contentio inter Apostolos quando facta fuerit tom. 2. 365. A.
 Conuersionis veræ inditium est acceptare correctionem tom. 1. 360. com.
 Cophinus cistam ex viminibus confectam, & genus quoddam mensuræ significat tom. 1. 537. A.
 Correctio non importat contemptum, sed opus Charitatis est tom. 1. 190. D.
 Correctio præsertim grauium delictorum superbas mentes in maximos prouocat furores tom. 2. 221. A.
 Corona spinea Christi Domini ex iuncis marinis confecta tom. 2. 425. C.
 Coronam spineam habuit Christus in cruce tom. 2. 460. D.
 Corpus Christi non cœlestis, sed terrestris naturæ fuit tom. 1. 82. A. B.
 Corpus Christi realiter in sacramento datum, quomodo corpora fidelium efficiat vnum in Deo tom. 2. 538. C. & seq. 340. com. 2.
 Corpus Domini in altari cur non super sericum, sed super lineum pannum ponatur tom. 2. 477. com. 2.
 Corpus Christi gloriosum è sepulchro egressum est, non dum lapide reuoluto tom. 2. 492. com. 494. A.
 Corpus gloriosum Christi Domini ianuis clausis ingressum est, & in momento in medio eorum apparuit tom. 2. 518. com. 2. & seq.
 Corpora in Resurrectione assumenda non spiritualia, sed carnea erunt tom. 1. 934. E. F.
 Corpora eodem die secundum legem deponenda erant & deponere è cruce die sabbati non licebat, idcirco festinarunt tom. 2. 469. com. 1.
 Credendi verbum in scriptura generaliter accipitur pro eo quod est assentire, siue ascensus sit ex fide, siue ex scientia, siue experientia tom. 2. 545. C.
 Credendi verbum absolutè prolatum fidem Christi significat & diuinam tom. 2. 499.
 Credere quandoque in scriptura significat firmiori certitudine veritati assentire tom. 1. 210. A.
 Credere & cognoscere differunt tom. 1. 631. A. 759. A.
 Credere Deo, Deum, & in Deum, quomodo differant

inter se tom. 1. 72. & com. seq.
 Credere in nomine Christi, est credere eundem ipse sit Messias in lege promissus tom. 1. 72. com. 229. com. 2.
 Credere tenebantur Iudæi testimonio Baptistæ Christo exhibito tom. 1. 407. C.
 Credere tenebantur Iudæi Christi prædicationi, etiam seclusis miraculis tom. 1. 407. D.
 Credere non posse qui excæcati sunt, quomodo verum sit tom. 1. 103. CD.
 Credentium Iudeorum paucitas prædicitur tom. 1. 103. com. 1. & 2.
 Credere magis debemus alijs res nostras prouidentibus quam nobis ipsis tom. 2. 54. com. 2.
 Crucis Christi figura, quomodo fuerit serpens æneus, fusè tractatur tom. 1. 275. 276.
 Crucis forma quæ fuerit tom. 2. 460. D.
 Crucis mortem quare Christus præ alijs elegerit fusè tractatur tom. 1. 277. 278.
 Crucis morte afficere non erat secundum leges Iudeorum tom. 2. 403. com. 2.
 Crucem sibi portare solebant crucifigendi vsque ad locum supplicij tom. 2. 450. com. 4.
 Crucem tollens Christus in humeros suos, significauit nostra omnium peccata in se punienda tom. 2. 450. com. 2.
 Crucem egrediens è Prætorio Christus solus portauit postea solus Simon tom. 2. 449. A.
 Crura sibi frangi cur noluerit Christus tom. 2. 469. A.
 Crux à Christo lata prædicta ab Isaia c. 9. & præfigurata in Isaac ligna portante tom. 2. 450. com. 4.
 Crux Christi cathedra etiam fuit magistri docentis tom. 2. 462. com. 3.
 Crux Christi signum & vexillum est Christianorum tom. 1. 277. A.

D.

DAEMON auctor & exercitator fuit tam sæuæ persecutionis in Apostolos & Christianos tom. 2. 219. B. C.
 Dæmones fingunt, sed non faciunt miracula tom. 1. 240. E. F.
 Dæmon festinat, & impellit hominem, ne locus penitentæ detur ei tom. 2. 63. A.
 Dæmoniacum cur Iudæi Christum existimauerint, & appellauerint tom. 1. 785. com.
 Dæmonis tentatio à culpa neminem excusat tom. 2. 22. com. 2.
 Dæmon quomodo, & cur introierit in Iudam post buccellam ei porrectam à Christo tom. 2. 59. com. 1.
 Dæmoni quomodo fuerit traditus homo propter peccatum tom. 1. 1011. A. B.
 Dæmon quomodo suo principatu fuerit spoliatus tom. 1. 1014. B. C.
 Dæmon reus homicidij contra Christum tom. 2. 22. com. 2. & seq. 23. C.
 Dæmon suadet, non vim infert tom. 2. 23. com. 1.
 Dæmon timuit, ne virtute Eucharistiæ sumptæ Iudas respiceret tom. 2. 63. A.
 Damnati inuicem colligantur ad maiorem pœnam tom. 2. 159. com. 3.
 Damnatis cuncta Dei dona subtrahuntur tom. 2. 159. com. 2.
 Dare gloriam Deo, quid significet tom. 1. 829. A.
 Dati à Patre, id est, Prædestinati tantum videbunt Christi diuinitatem tom. 2. 343. com. 1.
 Deducere in veritatem quid sit tom. 2. 251. A.
 Dei beneficia multo plura sunt, quæ non rogatus concedit, quam quæ rogatus tom. 2. 286. D.
 Dei cognitio, non tamen personarum distinctio, est circa-

creaturis potuit deduci. tom. 1. 61. 62. com.
 Dei sapientia & virtus magis splendet in fortitudine qua Apostoli mortem subierunt, quam si illam Deus impedisset tom. 2. 211. com. 224.
 Deo per similitudinem agricolæ officia conuenire possunt tom. 2. 147. C.
 Deum ad hominem venire, & in eo manere quid sit to. 2. 127. com. 1.
 Deum calumniatus est diabolus apud homines, & homines apud Deum tom. 1. 633. B.
 Deum clarificare filium hominis in semetipso quid significet tom. 2. 65. com. 1. 67. A. & seq.
 Deum creare per Spiritum sanctum quare non dicitur, sicut per Verbum cuncta facere affirmatur tom. 1. 29. F. & seq.
 Deum esse Patrem maius est, quam esse Dominum to. 2. 299. com. 1. 316. com.
 Deum nemo in essentia sua vidit, dum esset in via tom. 1. 108. E.
 Deum nemo orat, & ab eo petit sine fructu tom. 2. 287. A. B.
 Deus aliquando exaudit petitiones nostras negans, & renuens facere quod petimus tom. 2. 277. B. C.
 Deus an ab æterno dicatur Dominus tom. 2. 43. A.
 Deo qua ratione excoecatio & induratio hominum imputentur tom. 1. 1039. DE.
 Deus à principio mundi beneficia quæ contulit, concessit in nomine Christi, licet tum in nomine Christi plurimi non peterent tom. 2. 279. E.
 Deus, cuncta per Verbum suum creauit tom. 1. 27. AB.
 Deus, cur ab hominibus velit rogari tom. 2. 286. B. & seq. 288.
 Deus hominem, & homo Deum clarificat, sed diuerso modo tom. 2. 301. A.
 Deus malis ipsis in bonum vitur, ideoque ea permittit vt bona ex ipsis eliciat tom. 2. 49. B.
 Deus neminem creat, vt peccet, sed liberi arbitrij culpa quisque peccat tom. 2. ibid.
 Deus nouit omnes calamitates & persecutiones, quæ à dæmonibus siue hominibus fiunt, eoque non permittere fieri non possent tom. 2. 224. A.
 Deus olim in figuris & ymbriis apparens, filius erat tom. 1. 105. A.
 Deus omnibus dat auxilium quo peccatum vitare possent, non tamen omnes vult omnino impedire, ne peccent tom. 2. 326. com. 3.
 Deus post Christi resurrectionem diligit vt filios, quos prius dilexerat vt seruos tom. 2. 123. 124.
 Deus, quandoque cum articulo, & quandoque sine illo, cur in græco legatur tom. 1. 19. A.
 Deus quomodo dicatur venire tom. 2. 193. com.
 Deus quomodo non deficiat à sua promissione, quando non exaudit petentes tom. 2. 278. A. F. & seq.
 Deus, singulari amore ita diligit credentes in Christum, vt non solum, sicut cæteris rebus omnibus, magna beneficia eis conferat, sed ipsum suum amorem eis donat, ita vt in ipsis sit tom. 2. 347. C.
 Deus suos interfici & affligi permittens, maximè in eos dilectionem exercet tom. 2. 224. B.
 Deus visus est ratione humanitatis assumptæ & miraculorum, quæ per illam efficiebat tom. 2. 95. com. 1.
 Dextera nauigij pars, in quem iussi sunt Apostoli mittere rete, quid significet tom. 2. 553. com. 3.
 Diaboli filij, quomodo apud patrem videre dicantur quæ faciunt tom. 1. 767. com. 3.
 Diaboli iudicium duplex, alterum quo à principio damnatus est propter peccatum; alterum quo priuatus est potestate, quam habebat in homines tom. 2. 243. A.
 Diaboli nomen etiam conuenit eius ministris tom. 1. 635. B.
 Diabolus in veritate non stetit quid significet tom. 1. 777. C.
 Diabolus mittere in cor, & intrare in aliquem quid significet tom. 2. 23. C.
 Diabolus nihil habere in Christo quid significet tom. 2. 136. com. 3. & seq.
 Diabolus cur in Christi aduentu, suo dicatur spoliatus dominio tom. 1. 1015. C. D.
 Diabolus, quidam voce illa nihil, significari intelligunt tom. 1. 31. C. D.
 Diabolus cur Iudas appellatus sit tom. 1. 635. C.
 Diabolus cur princeps dictus tom. 1. 1013. B.
 Diabolus idem est quod calumniator tom. 1. 633. B.
 Diabolus mendacij pater dicitur, quia eius fuit inuentor tom. 1. 779. com. 1. & A.
 Diabolus non dicitur princeps mundi quia cum fecerit tom. 1. 1015. B.
 Diabolus peccati & per peccatum cæterorum malorum omnium causa fuit tom. 2. 228. C.
 Diabolus quam potestatem habuerit in Christum tom. 2. 437. B.
 Diabolus triplicem calumniam operatus est tom. 1. 633. A.
 Didymus cur dictus Apostolus Thomas tom. 2. 531. A.
 Diebus etiam festis puniebantur peccata quædam grauiora, maximè contra Dei honorem tom. 2. 17. A.
 Diei & noctis metaphora quatuor modis ab auctoribus exponitur tom. 1. 923. A. B.
 Diei & noctis nomine Christus vitæ suæ & mortis tempus significauit tom. 1. ibid. com.
 Diei & noctis nomine quid significet Christus tom. 1. 813. A.
 Diem in duodecim horas diuidebant Iudæi tom. 1. 333. com. 2.
 Diem suum appellat Christus diem incarnationis tom. 1. 797. B.
 Dies apud Hebræos non appellabatur nisi ea temporis pars, quæ à nocte secernitur tom. 2. 9. D. 484. F.
 Dies prima azymorum quomodo appellata sit quarta de cima à Matthæo Marco & Luca tom. 2. 9. E.
 Dignitas hominis non à materia sed ab illius anima prouenit tom. 1. 816. D.
 Dij qui dicantur in scriptura tom. 1. 902. A.
 Dilectio Christi erga homines quadruplex tom. 1. 9. B.
 Dilectio Christi in mandatorum obseruatione maximè spectanda est, & eidem merces redditur tom. 2. 123. 124.
 Dilectio Christi vna ab æterno fuit, tres aliæ temporales tom. 1. 929. B.
 Dilectio Dei erga homines, causa fuit aduentus & mortis filij eius tom. 1. 279. com.
 Dilectio Dei differt in causa à dilectione nostra tom. 1. 283. B.
 Dilectio Dei erga nos causa est, cur mandata faciamus tom. 2. 167.
 Dilectio Dei iniustitia non est, quamuis ad iniustos, & in dignos se extendat tom. 1. 284. A.
 Dilectio Dei quantum splendet in eo, quod filium vnicum nobis dederit tom. 1. ibid. C. D. & seq.
 Dilectio, quæ est Spiritus sanctus per gratiam est in dilectis à Deo tom. 2. 347. com. 2.
 Dilectio & amor Christi erga nos conseruatur & augetur præceptorum obseruantia tom. 2. 166. com. 2.
 Dilectio maiorne dicenda, quando exponitur vita pro inimicis, an quando pro inimicis tom. 2. 173. A.
 Dilectio mutua est via, per quam multi fructus afferri & populi conuerti possunt tom. 2. 183. com. 2.
 Dilectione humanæ amicitiae Ioannes à Christo fuit dilectus præ cæteris tom. 2. 55. A.
 Dilectionem Dei commendat, quod dilexerit eos, quos præsciuit fore ingratos tom. 1. 283. E.
 Dilectionem Dei in nobis esse quid sit tom. 2. 347. A. Dile-

Dilectionem qua nos diligit Deus, non præcedit absolute mandatorum obseruantia tom. 2. 123. com. 1.
 Dilectionis mandatum nunquam fuit antiquatum: to. 2. 72. C.
 Dilectionis mandatum quare dicatur nouum tom. 2. 70. 71. 72.
 Dilectionis mutue cur potissimum Christus mentionem fecerit, cæteris mandatis omissis tom. 2. 171. A. B.
 Dilectionis mutue modus quis esse debeat tom. 2. 171. 172.
 Dilectionis præceptum cur Christus dicat esse suum tom. 2. 172. A. B.
 Dilectio quam in vltima cena mandauit Christus Apostolis, quænam sit tom. 2. 72. E. & seq.
 Dilectionis, qua pro inimicis vita exponitur, cur Christus mentionem non fecerit tom. 2. 73. B.
 Dilectionis triplex quantitas, æstimationis, intensiois & extensionis tom. 2. 173. A.
 Dilectio Patri non exhibetur, nisi Filio etiam exhibeatur tom. 2. 127. com. 2.
 Dilectio, quæ est signum & symbolum Christianorum, quænam sit to. 2. 73. A. & com. 1.
 Dilectum esse mundum à Deo, multis de causis est admiratione dignum tom. 1. 281. 282. & seq.
 Diligendus erat proximus ante Euangelium, ita vt pro ipsius salute spirituali vita temporalis, quando opus erat, exponeretur tom. 2. 71. B.
 Diligentibus Christum & eius sermonem seruantibus, promittitur adoptio filiorum Dei tom. 2. 126. com. 2. & seq.
 Diligere, & amare idem sepius significant in scriptura tom. 2. 565. com. 1.
 Diligere in finem quid significet tom. 2. 19. com. 1. C & 20. A.
 Diligi semper debuit proximus propter Deum, siue merita proximi præcesserint, siue non tom. 2. 71. D.
 Diligit Christus suos non solum vt Deus, sed etiam charitate sua, quam vt homo habet tom. 2. 123. com. 3.
 Diligit Deus mundum absque vlla quam ab eo expectet vtilitate tom. 1. 282. D.
 Diligit Deus mundum propter suammet bonitatem to. 2. 284. B.
 Diligit Deus post Christi resurrectionem, vt filios; quos prius dilexerat, vt seruos tom. 2. 123. com. 3.
 Diligit seipsum Deus naturaliter tom. 1. 281. D. E.
 Discipuli Christi qui dicantur tom. 1. 759. com. 3.
 Discipuli Domini appellantur, qui eius sequebantur doctrinam tom. 1. 637. com.
 Discipuli qui in doctrina Eucharistiæ scandalizati sunt, non fuere de sepeuaginta tom. 1. 629. A. B.
 Discipuli quomodo propter miraculum in nuptijs factum, credidisse dicantur in Christum, 18mo. 1. 209. C. D.
 Discipulorum Christi qui fuerint coniuæ in nuptijs Cana tom. 1. 184. A. B.
 Discipulorum nullum esse perditum quomodo sit intelligendum tom. 2. 373. A.
 Diuinitatem carni suæ vnitam (quam appellat claritatem) dedit nobis Christus in sacramento Eucharistiæ tom. 2. 340. com. 23.
 Diuinitatem habet Christus à Patre naturali natiuitate ab æterno tom. 2. 344. com. 2. & seq.
 Diuinitatis suæ opera Christus cur Patri tribuat tom. 2. 145. com. 1. 148. B.
 Docibiles Dei actiue & passiue in scriptura sumuntur to. 1. 579. A.
 Doctores verbi Dei non solum sermoni & doctrinæ studere debent, sed precibus etiam Dei opem implorare tom. 2. 297. com. 1.
 Doctrina aliqua tribus de causis respui solet tom. 1. 781. com.
 Doctrina Christi intellectum illuminat, & voluntatem

mouet, non coactione sed efficacia virtutis suæ tom. 2. 41. E. F.
 Doctrina Christi quare sit veritas tom. 2. 199. com. 1.
 Doctrina Christi quomodo sua, & quomodo non sua sit tom. 1. 673. ABC
 Doctrinæ Christi efficacia etiam in peccatoribus tom. 2. 64. B.
 Doctrinæ occultæ calumniam repulit Christus tom. 2. 388. com. 3. 390. B.
 Doctrinæ rerum diuinarum tradendæ, nullum tempus inopportunum videri debet tom. 1. 156. com. 2.
 Doctrina talis est qualis & Magister eius tom. 1. 313. com.
 Dominica dies sabbati obseruationi merito successit to. 1. 446. B.
 Dominium Christi vt Deus est, eiusque perfectiones & excellentiæ tom. 2. 42. B. & seq.
 Dominium Christi vt homo est tom. 2. 44. B.
 Dominium duo habet, potestatem & relationem ad ea circa quæ est potestas tom. 2. 44. A.
 Dominium quoddam singulare habet Christus iure redemptionis in omnes redemptos tom. 2. 539. com. 2.
 Dominum fuisse ab æterno Deum, est valde probabile tom. 2. 43. B.
 Domus & regnum Dei idem sunt tom. 2. 84. C.
 Dona Dei non debita nobis, sed gratuita sunt tom. 1. 811. C.
 Doni nomine Christus seipsum hominibus datum inteligit tom. 1. 343. A. B.
 Donum sine mensura dicitur filius nobis datus tom. 1. 318. com. 3. 19. com.

E.

Ecclesia ante Christi aduentum diuisa erat in populum gentium, & synagogam Iudæorum tom. 1. 873. A.
 Ecclesia gentium & synagoga Iudæorum, in tribus olim conueniebant tom. 1. ibid. BC.
 Ecclesia gentium olim in multis à synagoga Iudæorum diuersa fuit tom. 1. 874. C.
 Ecclesia quare nunquam dicta fuerit synagoga tom. 2. 211. B. C.
 Ecclesia de latere Christi mortui, sicut Eua de dormientis Adæ latere formata est tom. 2. 472. com. 2.
 Ecclesiastica negotia ab ecclesiasticis tractari debent tom. 1. 961. A.
 Ecclesiæ Dux & gubernator Spiritus sanctus tom. 2. 252. B.
 Ecclesiæ vnitas in retis integritate significata 588. com. 4.
 Ecclesiæ in scriptura sæpe appellantur singulæ fidelium congregationes, quibus pastores singuli præsunt tom. 2. 566. com. 4.
 Electio diuina nostram electionem præuenit, non enim homo eligeret ad hæreret Deo, nisi Deus vt id eligeret præueniret, & prior vocaret tom. 2. 182. A.
 Electio nostra, qua elegimus Deo seruire, quæ fuerit tom. 2. ibid. BC.
 Electio Apostolorum duplex ad Christi fidem & disciplinam, & ad Apostolatam & dignitatem tom. 2. ibid. BC.
 Eleemosynas Christus accipiebat tom. 1. 981. com. 3.
 Encæniam eodem ritu quo & festum tabernaculorum celebrabantur tom. 1. 653. DE.
 Encæniorum festum quod fuerit, & quibus ritibus celebratum tom. 1. 887. C. D.
 Encæniorum festum triplex apud Iudæos tom. 1. 887. A.
 Encæniorum festum cuius Ioannes meminit, quale fuerit tom. 1. 887. CD.
 Aenon quæ ciuitas fuerit tom. 1. 301. com. 1.
 Ephrem ciuitas non est eadem quæ Ephron tom. 1. 971. A.
 Episcopi non sunt mercenarij quamuis oues non eorum propriæ, sed Christi sint tom. 1. 865. A.

Episcopi sunt Apostolorum successores to 523. B.
 Ep thetis vitmur in oratione, rebu quæ petuntur accom-
 modatis tom 2. 299. com. 1. 323.
 Ergo, particula hæc magnam habet significationem in
 scripturis, præcipue apud Ioannem to. 2. 28. comm. 2.
 Esse, soli Deo proprium est triplici de causa. tom. 1. 801.
 com. 1.
 Esse Christum in Patre, & nos in ipso, & Christum in no-
 bis quid significet tom. 2. 122. com.
 Et particula quandoque disunctiue vim habet. tomo 1.
 600. F.
 Et, particula hæc solet aliquando indicare causam. tom. 2.
 322. com. 3. 346. com. 3.
 Aetas Christi quæ fuerit to. 1. 799. B.
 Aeternitas omnes temporis differentias comprehendit.
 to 1. 461. D.
 Aeternitas Christi pluribus in locis prædicta tom. 1. 1021.
 com.
 Aeternitas omne complectitur tempus; & ita vnum tem-
 pus de rebus æternis exprimitur, vt alterum non exclu-
 datur tom. 2. 255. com. 2.
 Euangelij introductio quomodo differat ab introductio-
 ne legis veteris tom. 2. 112. C.
 Euangelij prædicatio non remittit peccata tom. 2. 527. E.
 Euangelij Ioannis fines duo proximus, & remotus. tom.
 2. 547. com. 1.
 Euangelium nunquam abrogabitur tom. 2. 181. comm. 2.
 Euangelij Ioannis initium supplet quod defuit initio li-
 bri Genesis tom. 1. 5. com.
 Euangelium cur lex perfectæ libertatis dicatur tomo 1.
 761. com.
 Eucharistia merito panis de cælo verus dicitur tom. 1.
 592. B.
 Eucharistia in tribus excellit Manna tom. 1. ibid. com. 2.
 Eucharistia esca simul & potus est tom. 1. 563. com.
 Eucharistia vitam dat ea vescentibus, Manna verò illam
 dare non potuit tom. 1. 583. com.
 Eucharistia quomodo panis viuus dicatur tom. 1. 585.
 com. 1.
 Eucharistia olim etiam paruulis ministrabatur tom. 1.
 607. A.
 Eucharistiæ manducatio sacramentalis præcipitur à Do-
 mino tom. 1. 587. 588.
 Eucharistiæ communicatio re, vel saltem voto, est omnino
 necessaria. tom. 1. 608. B.
 Eucharistiæ doctrina duabus de causis offendit Christi
 auditores tom. 1. 618. com. 2.
 Eucharistiæ sacramentum quando fuerit institutum à
 Christo tom. 2. 39. com. 2. 55. com. 1.
 Eucharistiæ sacramentum quomodo corpora fidelium
 efficiat vnum in Deo tom. 2. 338. C.
 Eucharistiæ perceptione, percipiunt fideles diuinitatem
 carni Christi Domini vnitam tom. 2. ibid.
 Eucharistiæ sacramentum per sanguinem qui ex latere
 Christi fluxit significabatur tom. 2. 472. com. 2.
 Eucharistici panis quanta sit perfectio tom. 1. 563. com. 2.
 Excecicare quomodo Deus dicatur tom. 1. 1035. co. 1037. F.
 Excecari, & obdurari quid sit tom. 1. 1035. 1036. ABC. &
 seq.
 Excecari & obdurari quomodo credere non posse dican-
 tur tom. 1. 1033. C.
 Excecatio ad intellectum, obduratio ad voluntatem per-
 tinet tom. 1. 1036. BC.
 Excecatio an causa fuerit incredulitatis Iudæorum, vel
 incredulitatis excecationis tom. 1. 1037. AB.
 Excecatio vnus tripliciter alteri potest imputari tom.
 1. 1038. DE.
 Excecatio & induratio hominum quomodo Deo im-
 putentur tom. 1. 1039. DE.
 Excusatio quam habere potuissent Iudæi de peccato
 suo, si Dominus locutus non fuisset, & opera non fe-
 cissent, diuerso modo accipienda est collata ad du-
 plex testimonium Christi, & in ordine ad Maiores

& Doctores, & rursus ad turbas & simplices tom. 2. 191.
 DE. & seq.
 Exire à Patre quid significet tom. 2. 289. 290. E & seq.
 Expiationis festum quando & quibus diebus celebrare-
 tur to. 1. 651. DE.
 Expiationis festum quare institutum to. 1. ibid. E.
 Exultare est internum gaudium motibus corporis etiam
 exprimere to. 1. 798. com. 2.
 F.
FAcere vox communis est tam ad ea quæ ex nihilo
 creata, quam ad illa quæ ex aliqua materia facta
 sunt tom. 1. 28. BC.
 Facere aut dicere aliquid à semetipso, est propria auctori-
 tate facere tom. 1. 453. C.
 Falx qua palmites suos purgavit Dominus; quæ fuerit
 tom. 2. 150. C.
 Fel quando fuerit datum in escam Christo Domino to.
 2. 465. A.
 Festa Iudæorum quor & quomodo celebrata fuerint, fu-
 sè tractatur tom. 1. 643. A.
 Festa Iudæorum quot à Deo indicta, & quot ab homini-
 bus fuerint sancita tom. 1. ibid. B.
 Festa Iudæorum communi voce sabbata dicebantur. to.
 1. ibid. A.
 Festa Iudæorum à vespera ad vesperam perdurabant tom.
 1. ibid.
 Festi Iudæorum nomine non Pentecoste, sed Pascha sig-
 nificatur to. 1. 417. ABC.
 Festorum celebritas apud Iudæos, oratione, sacrificijs, ces-
 satione ab operibus, & animarum afflictione perageba-
 tur tom. 643. A.
 Festum tubarum prima die Septembris celebrabatur. to.
 1. 650. C.
 Festum tubarum quare institutum fusè tractatur. tom. 1. i-
 bid. F & seq.
 Festum Iudith institutum propter Holofernis occisionem
 tom. 1. 654. F.
 Festum Mardochei quale fuerit, & qua de causa institu-
 tum tom. 1. 655. B.
 Festum pridie Mardochei ob memoriam victoriæ con-
 tra Nicanorem adeptæ institutum. tom. 1. 655. C. & seq.
 Festum à Simone institutum quod & quare celebre tom.
 1. 656.
 Festum ignis quare indictum Iudæis tom. 1. ibid.
 Festum seu dies festus Paschæ, differt à Pascha, & die Pas-
 chæ tom. 2. 6. A.
 Fide ad hæremus, & vnimur viti, id est, Christo tom. 2.
 151. A.
 Fide & dilectione in Christo manere necessarium est, vt
 fructum afferre possimus tomo 2. 142. A. 155.
 com. 1.
 Fide, Christi carentes omnes in peccato sunt tomo 2. 236.
 com. 238. A.
 Fide & charitate non solum inter se vnuntur fideles,
 sed etiam cum Deo, & Christo Domino tomo 2. 355.
 com. 2.
 Fidei status, quomodo Christi aduentu, mutatus sit tom.
 1. 14. C.
 Fidei necessitas & efficacia tom. 1. 475. com. 1.
 Fidei Euangelicæ à Iudaica distinctio tom. 2. 82. B.
 Fidei articuli, qui ex verbis illis (qui videt mō videt & Pa-
 trem meum) comprobantur tom. 2. 97. com. 2.
 Fidei vinculo disrupto palme abscinditur à vite tom. 2.
 149. A.
 Fidei habitus aufertur à damnatis tom. 2. 159. com. 2.
 Fidei meritum quomodo minuatur, vel non minuatur,
 argumentis tom. 2. 543. com. & B.
 Fideles omnes credidisse, & credituri dicuntur per ver-
 bum Apostolorum tom. 2. 334. com. 2.
 Fideles omnes comprehendit Christus in sua oratione
 post cænam tom. 2. ibid.
 Fidelium vnitas duplex tom. 2. 335. com. 2. 337. A. Fidem

fidem exigit Christus in ijs, qui ad Deum accedunt tom.
 1. 265. com.
 fidem exigit Christus quia testis est oculatus eorum quæ
 nuntiat tom. 1. 208. com. 2.
 fidem sibi haberi Christus exigit, quia sine illa nemo
 potest ad salutem peruenire tom. 1. 272. com.
 fidem Christus exigebat à Samaritana tom. 1. 362. com.
 2. & seq.
 fidem sibi haberi cur Christus toties postulauit tom. 1.
 432. C.
 fidem sequitur inuocatio tom. 2. 107. com. 1.
 fidem habentes absque operibus, tamquam inutiles pal-
 mites ressecabit Dominus in altero sæculo; aliquos et-
 tiam in hoc sæculo ressecat. tom. 2. 147. 148. 151. A.
 fidem & dilectionem Christi deserentes, quomodo fo-
 ras mittendi tom. 2. 158. com. 2. & seq.
 fides credentis testatur veracem eum esse qui loquitur.
 tom. 1. 316. com. 3.
 fides qua ratione, per ambitionem impediatur tom. 1.
 509. A.
 Fides quomodo à voluntate iuuetur tom. 1. 555. B.
 fides impeditur, & tandem profusa amittitur per corrup-
 tos mores tom. 1. 511. C.
 fides inter opera quandoq; annumeratur tom. 1. 555. B.
 fides viuua est veluti pignus vitæ æternæ tom. 1. 482. co. 2.
 fides & cognitio quomodo inter se differant tom. 1.
 760. A.
 fides Christi transfert credentes de statu seruorum ad sta-
 tum libertatis tom. 1. 761. com.
 fides Dei & naturalium præceptorum observatio sem-
 per fuere ad salutem necessaria tom. 1. 874. AB
 fides est necessaria simul cum charitate ad salutem tom.
 1. 935. com. 1.
 fides rationem contra omnes turbationes maxime fir-
 mat tom. 2. 81. com.
 fides sola ad salutem non sufficit tom. 2. 147. com. 150. F.
 fides sine operibus esse potest, sed non sufficit ad salutem
 tom. 2. 151. A.
 fides facit palmites & inserit Ecclesiæ; cauendum tamen,
 ne ob defectum fructus igni tradantur tom. 2. ibid. B.
 fides non fit in nobis nisi volentibus tom. 2. 307. BC.
 fides in Deum & Christum Redemptorem vocatur vita
 æterna tanquam causa tom. 2. 309. A.
 fides necessaria omnibus ad vitam æternam, quæ sit to.
 2. 308. com.
 fides Thomæ in confessione eius fuit vera fides & meri-
 toria, imperfectiorem tamen habuit admixtam tom.
 2. 541. D.
 fides est eorum quæ non videntur, nec necessariò dedu-
 cuntur ex ijs, quæ videntur tom. 2. 542. D.
 fides Thomæ qua credit Resurrectionem, an fuerit
 perfectior nostra tom. 2. 544. B.
 fides per quam credimus Iesum esse Christum filium
 Dei tres articulos continet, quibus quasi in principio
 tota fides nostra comprehenditur tom. 2. 347. 348. A.
 fiducia in petitione & oratione necessitas tom. 2. 279. C.
 figura Christi & eius mysteriorum, fuit serpens æneus:
 vt fusè tractatur tom. 1. 275. 276. & seq.
 figura immolationis Agni Paschalis, quomodo & quo
 tempore fuerit impleta tom. 2. 17. B.
 filiationis diuinæ adoptio quid in scriptura significet
 tom. 1. 68. 69. & seq.
 Filij Dei erant Iusti sub antiqua lege degentes, sed statu
 filiorum non habebant tom. 1. 70. E. F.
 filij Dei sunt, & filiorum statum etiam habent Iusti de-
 gentes sub Euangelio tom. 1. ibid.
 filij Dei missio, donum siue mensura appellatur tom. 1.
 317. com.
 filij quintupliciter in scriptura dicti; secundum Augusti-
 num tom. 1. 775. com. 1.
 filij Diaboli dicuntur qui eum imitantur tom. 1. 784.
 com. 2.

filij cur dicantur Apostoli tom. 2. 68. com. 1.
 filiorum adoptionem expectare, est integram & cōsum-
 matā, quæ in gloria possidet, desiderare to. 1. 71. BC.
 filium hominis cur Christus seipsum frequenter appel-
 lauerit fusè tractatur tom. 1. 273. A & seq.
 filium hominis, Christus seipsum appellat; quando ea
 tractat, quæ ei insunt vt homo est tom. 1. 275. A.
 filium videntes quomodo Patrem videre dicantur tom.
 1. 1047. A. B. & seq.
 filium mittere Spiritum sanctum à Patre quid sit tom.
 2. 197. C.
 filius Dei quatuor de causis verbum appellatur to. 1. 15. D.
 filius non est dicendus instrumentum Patris to. 1. 27. C.
 filij Dei, præsertim homo factus appellatur lux to. 1. 41. A.
 filij Dei in veritate erant, & non in figura tantum, Iusti
 qui sub antiqua lege deguerunt tom. 1. 70. BC.
 filius Dei factus est homo, vt homo fiat filius Dei tom.
 1. 742. com.
 Filius Dei factus est caro non dixit Euangelista, ne ce-
 randi occasionem daret tom. 1. 77. EF.
 Filius erat, qui in vmbri & figuris olim apparebat tom.
 1. 105. DE.
 filius an Pater olim Patribus apparuerit, tractatur tom. 1.
 1041. 1042. B & seq.
 filius quomodo patrem clarificet tom. 2. 304. com. 306.
 A. 311. com. 1.
 fimbriæ & Phylacteriæ Phariseorum tom. 2. 364. BC.
 fines Euangelij Ioannes duo, proximus & remotus, sci-
 licet fides vera Christi diuinitatis & humanitatis, & vi-
 ta æterna quæ credentibus datur tom. 2. 547. com.
 finis parabola de Agricola & vite tom. 2. 141. A. 2. 423.
 flagellatio ante crucem cur fieret apud Romanos tom.
 B. 426. A.
 flagellatio erat in vsu apud Iudæos & apud Romanos,
 sed apud Romanos multo grauior & seuerior tom. 2.
 432. C.
 flagellationis Christi Domini quæ fuerit causa tom. 2.
 424. A. quo in loco facta fuerit tom. 2. 431. com. 1.
 flagellatus est Christus semel tantum tom. 2. 424. C.
 flagellis qui cadebantur tom. 2. 423. A.
 flagellum fecit Christus etiam vt homines abigeret à
 templo tom. 1. 216. com. 2.
 flagellum fecit Christus ex funiculis quibus animalia
 ligabantur tom. 1. ibid.
 flagellum quid esset tom. 2. 423. A.
 fons dicitur Spiritus sanctus, quia nobis impartitur a-
 quam vitæ tom. 1. 355. A.
 fornicationis nomine scriptura frequenter idololatri-
 am significat tom. 1. 771. com. 1.
 fratres Domini qui, & quot fuerint tom. 1. 211. A.
 fratres dicuntur in Scriptura etiam qualicumque modo
 cognati, & qui ex eadem gente sunt tom. 1. ibid. E.
 fratres Christi appellati, qua illi cognitione iuncti sint,
 fusè tractatur tom. 1. 212. DE. & seq.
 Fratres Christi vnde dicti simus tom. 1. 273. C.
 Fratres Domini non erant de numero duodecim Apo-
 stolorum tom. 1. 655. A. 2.
 Fratres Domini quorū ei suaserint vt in die festo Hi-
 erosolymam ascenderet tom. 1. 657. 658.
 Fratres domini quare dicantur non credere in eum. to.
 1. 661. C.
 Fratres cur appellauerit Christus discipulos suos. tom. 2.
 514. com.
 Fremere Christum, fuit indignationis fremitum emi-
 ttere tom. 1. 939. 940.
 Fremuit Christus & indignatus fuit contra Iudæorum
 duritiem & incredulitatem tom. 1. 946. com. 3.
 Fructificare debet palme in vite dum tempus est tom.
 2. 152. A.
 Fructus, quem fideles in Christo faciūt, quomodo dif-
 ferat, à bono opere simpliciter tom. 2. 158. A.
 Fructus, quem attulerunt Apostoli, quomodo manserit
 tom. 2. 181. com. 2.

frugiferum opus, quodnem sit, & a quo fiat tom. 2. 158 A.
fures & latrones quomodo differant tom. 1. 848. com. 2.
fures & latrones qui dicantur a Christo tom. 1. 855. B.
fures, Mercenarij, & Pastores qui sint tom. 1. 861. E.
865 AB.
fugere, & oues relinquere licet aliquando tom. 1. 868 A.

G.

Gratia in mons ob multa celebris tom. 1. 361. com. 1.
Gaudere in malis proximi aliquando licet tom. 1. 927 com. 1.
Gaudere in aliquo quid sit to. 2. 167. co. 2. 327. co. 2. & A.
Gaudium Christi in suis discipulis tom. 2. 167. com. 2.
170. C. 327. com. 2. & A.
Gaudium Apostolorum quando fuerit plenum tom. 2. 282 com. 2. & C. & seq.
Gazophylacium arca erat in qua dona templo oblata condebantur tom. 1. 739 com. 1.
Generatio hominis triplex in scriptura reperitur tom. 1. 252. B.
Gentiles cur illuserint Christo aperta illius facie, Iudæi verò velata tom. 2. 427. com. 2.
Gentilium multi, deuotionis gratia Hierosolymam venire soliti tom. 1. 995. com. 3.
Gloria Christi quasi vnigeniti a Patre, quæ fuerit tom. 1. 84. com. 85. com. 86.
Gloria Dei & commune bonum, saluti & vitæ propriæ debent præponi tom. 1. 812. AB
Gloria humanitatis Christi quare superet omnem gloriam Beatorum tom. 2. 314.
Gloria humanitatis Christi est participatio gloriæ Dei, sed ab interno, nempe ab eodem supposito tom. 2. 313. com. 314 A.
Gloriam dare Deo, quid significet, cum Iudæi illud à cæco nato exigebat tom. 1. 829. A.
Gloriam ab inuicem querere quid sit tom. 1. 509. com.
Glorificat Christus Patrem, dum se filium eius & verum esse Messiam manifestat tom. 1. 795. com. 2.
Glorificatus dicitur Christus per resurrectionem & ascensionem, & tunc Spiritus sanctus datus fuit tom. 1. 708. BC & seq.
Golgotha quid significet tom. 2. 451 B.
Gratia Christi multis modis à gratia Angelorum & hominum differt tom. 1. 90. C. & seq.
Gratia & veritas legi opponuntur, & quare to. 1. 101. com.
Gratia quam fecit Christus, quæ bona secum portet to. 1. ibid.
Gratia legi, veritas vmbri & promissionibus opponitur tom. 1. 104. AB.
Gratia prima non ex iustitia, sed ex misericordia Dei datur tom. 1. 288. com.
Gratia animas fecundans similis est aquæ terram fecundanti tom. 1. 346 F. & seq.
Gratia aqua viua dicitur a Christo tom. 1. 344. DEF.
Gratia in tribus similis est aquæ tom. 1. 345 CD.
Gratia animas purificans, in quatuor dissimilis est aquæ tom. 1. ibid. E. & seq.
Gratia Dei cur aqua viua dicatur a Christo tom. 1. 348. F. & seq.
Gratia Spiritus sancti etiam dicitur fons tom. 1. 356. A.
Gratia inhærens est id ratione cuius dicitur Deus esse in homine, & habitare in eo tom. 2. 127. com. 1.
Gratia Christi necessaria non solum vt facile, sed vt simpliciter operemur opus bonum & frugiferum tom. 2. 137. A.
Gratia Christi an sit necessaria ad opus simpliciter bonum ex genere suo faciendum tom. 2. ibid. in com. & B.
Gratiæ Diuinæ magnitudo ex eo commendatur, quod natos ex hominibus, filios Dei faciat tom. 1. 74. com. 2.
Gratiæ plenus dicitur Christus, quia nos Patri gratificauit tom. 1. 89. com.

Gratiæ plenus dicitur Christus etiam vt homo tom. 1. ibid.
Gratiæ plenitudo in Christo, multiplex tom. 1. 90. C. & seq.
Gratiæ nomine non intelligitur lex vetus tom. 1. 99. AB.
Gratiæ nomine raro in scriptura vita æterna appellatur tom. 1. ibid. E.
Gratiæ & veritatis factor dicitur Christus, non solum quia vt Deus fecit, sed quia vt homo meruit illam to. 1. 103. 104.
Gratiæ animas fecundanti, aqua terram fecundans in quatuor dissimilis tom. 1. 347. B. C.
Gratiæ diuinæ virtus & efficacia magna est tom. 1. 379. com. 1.
Gratiam omnem habemus per gratiam Christi tom. 1. 98. com. 2.
Græcorum negantium Spiritum sanctum à Filio procedere fundamenta duo referuntur & reijciuntur tom. 2. 257 B.
Græci Patres antiqui asserentes Spiritum sanctum à Patre per Filium, vel etiam à Filio procedere referuntur tom. 2. 258. D.

H.

Hæresis præscindit ab Ecclesia, &c. tom. 2. 149. A.
hæretici exemplo Nathanaelis reprehenduntur tom. 1. 169. com. 2.
hæretici fures, Tyrani verò latrones sunt tom. 1. 848. co. 2
hebraismus est, affirmatione & negatione simul eandem rem exprimere tom. 2. 339. com. 1.
hebræorum phrasid est, nuntio quem mittunt, eandem proponere verba quæ ipse dicitur est tom. 1. 111. com.
hebræorum phrasid est, affirmatione simul & negatione vt, vt exactè respondeant tom. 1. 115. com. 1.
Helias, quomodo Ioannes dictus sit a Christo tom. 1. 117. E. F.
Hic, & ille, habent hæ voces vim quandam excludendi. tom. 2. 156. com. 3. & seq.
Hierosolymam cur Christus cum ramis palmarum exceptus sit tom. 1. 987. 988. A. B. C.
Hierosolymam quibus diebus ter in anno deberent ascendere Iudæi tom. 1. 214. com.
historia mulieris adulteræ canonica est tom. 1. 711. 722.
homines in mundum venire, est in mundo nasci tom. 1. 56. com. 2. 59 DE. & seq.
hominum actiones quomodo Dei prouidentia disponat, & dirigat tom. 1. 334. com. 3.
homo dictus fuit caro, post & non ante peccatum tom. 1. 80. A. B.
homo propter peccatum quomodo Dæmoni fuit traditus tom. 1. 1011. A.
horam suam, quam dicat Christus tom. 1. 197. B.
horas duodecim continebat dies iuxta Iudæorum computationem tom. 1. 333. com. 2.
Hora Christi domini quæ dicatur tom. 2. 20. com. 2.
hora sexta quomodo sumatur à diuersis Euangelistis to. 2. 443. B.
hora non reperitur in scriptura nisi pro duodecima parte diei vel noctis; nunquam verò pro quarta parte diei, vt aliqui volunt tom. 2. 446 C.
hora tertia, quam S. Marcus dicit fuisse quando crucifixus est Dominus, quomodo sit intelligenda tom. 2. 444. A. & seq. 447. A.
horæ orationis & diei differunt inter se to. 2. 446. F.
hortulani figuram quomodo Christus Magdalenæ exhibuerit tom. 2. 506. com. 2.
hortus in quo orauit Dominus antequam caperetur à Iudæis, an fuerit Gethsemani tom. 1. 365. D.
Hofanna significat salua obsecro tom. 1. 989. A.
Hofanna non importat nomen Dei tom. 1. ibid. B.
Hofanna vel hosana legi potest tom. 1. ibid.
Hofanna dicentes non Christo, sed sibi ipsi salutem pete.

precabantur to. 1. 990. A.
hofanna acclamatio est sumpta ex psal. 117. to. 1. ibid. B.
hofanna acclamatio erat, qua vrebantur Iudæi solummodo cum à Deo salutem poscebant tom. 1. ibid. F.
hofanna in propria lingua relinquitur, quia eius significatio in nullo alio idiomate sufficienter exprimitur to. 1. 991. A.
humana natura tabernaculū quandoq; dicitur to. 1. 83. C
humana natura tota dicitur esse in Christo ratione illius naturæ indiuiduæ assumptæ tom. 2. 121. 122. A.
humanitas Christi nullis suis præcedentibus meritis dilecta est à Deo tom. 2. 165. com. 2.
humanitas Christi habet gloriam ab interno, nempe ab eodem supposito tom. 2. 314. B.
humanitas Christi ab æterno electa & dilecta, vt verbo vniretur tom. 2. 344. com. 2. & seq.
humilibus operibus incumbentes non paruipendendi tom. 2. 51. com. 1.
humilitas Christi in responsionibus lucebat tom. 1. 663. com. 1.
humilitas vera honor est maximus tom. 2. 51. B. & seq.
humilitatem commendauit Christus post lotionem pedum, vt præueniret discipulorum contentionem de primatu tom. 2. 46. A. B.
humilitatis commendatio tom. 2. 43. 44. D. & seq.
hydria in quos vsus apud Iudæos habitæ fuerint to. 1. 201. 202. com.
hymnus ille, quem dicunt Matthæus & Marcus dictum fuisse antequam exiret Dominus in montem Oliueti, fuit gratiarum actio post mensam facta tom. 1. 365. C.
hyssopo inuoluta spongia plena aceto longæ arundinij imposita est, & Christo oblata to. 2. 467. com. 1. & A.

I.

Iacobus frater Domini non fuit Adolescens ille, qui relicta sindone nudus aufugit tom. 2. 381. A.
idololatriam frequenter scriptura fornicationis nomine significat to. 1. 771. com. 1.
IESVS, nomen proprium est Christi Domini, & quare tom. 1. 160. D. & seq.
Iesus nomen, ab officio Saluatoris, & non aliud ab officio Iudicis, quare Christus assumpserit tom. 1. 161. B.
Iesus Christus, & Christus Iesus ordine inuerso, quare soleat appellari tom. 1. ibid. D. & seq.
ignis æterni vehementia, & duratio tom. 2. 160. com. 5. & seq.
ignorare aliquid, & simul scire tribus modis contingit tom. 2. 89. A.
ignoratio Iudæorum de Christo, & quicquid ex tali ignoratione processit, maxima fuit culpa tom. 2. 288. com. 3. 217. com.
immolatio Agni & eiusdem esus diuersis temporibus fiebat tom. 2. 7. F. & seq.
impetrandi à Patre titulum efficacissimum habet petitio in Christi nomine, propter duo to. 2. 275. F. & seq.
impetrant omnes virtute Christi, & propter iustitiam eius, quicunque à principio mundi aliquid impetrarunt à Deo tom. 2. 279. E.
impetrat ille, qui eius à quo petit mandatum & voluntatem facere studet tom. 2. 109. com. 1. 278. D.
in sinu Dei esse, est eandem cum illo habere naturam. to. 1. 109. E. & seq.
in sinu Dei esse, est eius arcana cognoscere tom. 1. 110. C
in præpositio duobus modis in scriptura sumpta tom. 1. 741. C.
in Christi nomine aliquid petere quid sit to. 2. 107. to. 1. 274. co. 275. EF & seq.
incarnationem filij Dei nemo meruit, nec mereripotuit to. 2. 110. AB.
incredulas ex quibus causis oriatur to. 2. 535. D. & seq.
indurati & excæcati aliquem, quid sit tom. 1. 1035. 1036.
infantes, quomodo illuminari à Deo dicatur to. 1. 60 DE.
infantes resurgunt, & in iudicio extremo comparabunt to. 1. 485. AB.

infantes absque baptismo decedentes non torquentur in sæculo futuro tom. 1. ibid. C.
infantes quodammodo Eucharistiam participant, quando baptizantur tom. 1. 607. B.
infantes iuste propter originalem culpam puniuntur to. 1. 808. DE.
infantibus olim ministrabatur Eucharistia to. 1. 607. A.
infantibus merito Eucharistiæ susceptio prohibita est tom. 1. 608. C.
infideles quomodo diligere tenebras magis quam lucem dicantur to. 1. 293. C. D.
infidelitas Iudæorum, grauior est incredulitate gentium to. 1. 744. B. C.
infidelium opera non omnia sunt peccata tom. 2. 157. C.
infirmities corporales trifariam contingit ex peccatis prouenire to. 1. 440. A.
intremisse spiritu Christum, est indignationis fremittum emisisse to. 1. 939. 940. ABCD.
intremuit Christus & indignatus est contra causam, ob quam Iazarus mortuus fuit tom. 1. 940. CD.
ingratis quomodo noceant beneficia to. 2. 60. com. 1.
ingressus & egressus quid in scriptura significant tom. 1. 857. com. 2. & A.
inimicum ex parte sua, nemo habet si vult tom. 2. 176. A.
inimicorum cur non meminerit Christus, quando egit de præcepto caritatis mutue tom. 2. 175. C.
inimicos diligere, an sit maioris charitatis, quam amicos diligere to. 2. 173. A.
innocentem occidere non licet, etiam pro bono communi tom. 1. 965. B.
innocentia Christi tom. 2. 136. com. 3.
innocentiæ Christi Domini efficacissimum argumentum tom. 2. 388. com. 2. 416. com. 1.
insufflatio Christi datus Spiritum sanctum Apostolis quid significet tom. 2. 523. com. & CD. & seq.
interrogare vt discas quæ nescias laude dignum est to. 2. 74. com. 1.
interrogationes non semper ex ignorantia, sed multis alijs de causis fieri solent to. 1. 427. com. 4.
inuidia incredulitatis causa to. 2. 555. D.
inuidiæ quanta sit vis tom. 1. 958. C.
inuocatio & petitio cur ante cætera ponatur to. 2. 107. com. 1.
inuocatio fidem sequitur tom. 2. ibid.
Ioannem non esse Messiam, multa probabant, tamen apparentes saltem solutiones habebant tom. 1. 113. 114.
Ioannem baptizantem cur Iudæi reprehenderint tom. 1. 125. A. 2. 126. 127.
Ioannem non fuisse sponsum in nuptijs Cana, fusè tractatur to. 1. 206. A. 207. 208.
Ioannem & Apostolos à Christo fuisse baptizatos probabile est tom. 1. 330. A.
Ioannes in initio sui Euangelij supplet quod Moyses reliquit in initio Genesis tom. 1. 5. com.
Ioannes cur à verbi antiquitate caperit Euangelium, dicens, In principio erat verbum to. 1. 17. F.
Ioannes, multis argumentis tantam sibi apud Iudæos existimationem comparauit tom. 1. 52. C.
Ioannes tribus de causis, clamare dicitur tom. 1. 92. com.
Ioannes triplici de causa potuit existimari Messias tom. 1. 113. C. D.
Ioannes quare respondens legationi Iudæorum, affirmatione & negatione vltus est tom. 1. 115. com. 1.
Ioannes quare à Iudæis existimaretur Helias to. 1. 117. A. 120. C.
Ioannes, quomodo à Christo vocetur Helias to. 1. 117. E.
Ioannes vox dictus, tribus de causis tom. 1. 123. A.
Ioannes per baptismum suum quatuor modis manifestauit Christum tom. 1. 141. com.
Ioannes baptista an Christum cognouerit antequam signum columbae accepisset to. 1. 148. E. F. & 149.
Ioannes baptista cur dictus sit lucerna tom. 1. 195. com. 2.
Ioannes baptista figuratus per Iucina quæ in tabernaculo.

eulo lucebat to. 1. 498. A.
 Ioannes, qua dilectione dicatur præ ceteris à Christo dilectus to. 2. 55. AB.
 Ioannes accepit signum, quo proditor indicabatur, sed nulli tunc reuelavit to. 2. 59. 60. A.
 Ioannes non cognouit quando Iudas traditurus esset Christum to. 2. 62. com. 2.
 Ioannes Euangelista non fuit adolescens ille, qui relicta sindone nudus aufugit to. 379. C.
 Ioannes quomodo B. Virginem acceperit in sua to. 2. 463. com. 2. & A.
 Ioannes cur singulare testimoniū reddiderit de aqua quæ ex latere Christi fluxit to. 2. 473. co. 1.
 Ioannes vnà cum Petro veniens ad sepulchrum Christi quid significet to. 2. 495. com. 3.
 Ioannes cur non ingressus sit sepulchrum Christi, ante etiam Petrum to. 2. ibid.
 Ioannes vnà cum Petro currēs ad sepulchrum Christi, solus tunc credidit to. 2. 497. com. 2. 498. AB.
 Ioannes vt narret Christum reliquisse sibi Vicarium, describit manifestationem factam septem discipulis to. 2. 550. com. 1.
 Ioannes intellectu magis perspicax, Petrus feruentior to. 2. 555. co. 1.
 Ioannes prior agnoscens Dominum, sed Petro posterior ad illum perueniens quid significet to. 2. ibid.
 Ioannes à Petro familiari amore dilectus propter Christum to. 2. 571. B.
 Ioannes Euangelista an adhuc viuat to. 2. 575. 576. A.
 Ioanni reuelauit Christum proditorem, buccella panis intincta, & huius rei causa to. 2. 575. 58. C.
 Ioannis nomen quod gratiam significat merito præcur fori impositum fuit to. 1. 47. com.
 Ioannis testimonio fidem non habentes, grauiter peccauerunt to. 1. 52. F. & seq.
 Ioannis baptistæ testimonio, quare Christus vsus sit to. 1. 91. com.
 Ioannis humilitas commendatur to. 126. A.
 Ioannis testimonium postremo loco exhibitum Christo, conforme prorsus fuit doctrinæ Nicodemo traditæ to. 1. 324. AB.
 Ioannis baptistæ prædicatio sub quibus Pontificibus fuerit to. 2. 357. E.
 Ioannis priuilegia tria, Petri priuilegijs inferiora to. 2. 370. com. 3. & seq.
 Iona & Ioannes idem sunt to. 1. 163. co. 2.
 Ionas propheta cur fugerit à facie Domini to. 1. 1008. C.
 Ioseph an viueret tempore nuptiarum Galilææ, & tempore passionis Christi to. 1. 183. 184. ABC.
 Iosephus Christiani nominis inimicus multa dissimulauit quæ in Christi honorem cedebant to. 1. 423. D.
 Ioseph tempore mortis Christi, non viuerebat to. 2. 463. co. 1.
 Ioseph, & Nicodemus piæ deuotionis obsequium exhibuerunt Christo Domino in eius sepultura, sed ex valde imperfecta fide procedens to. 2. 476. com. 3.
 Israelita verus quis dicatur to. 1. 171. co. 2.
 Iudas cur sit appellatus diabolus to. 1. 635. D.
 Iudas non malus, sed bonus erat, quando à Christo fuit electus to. 1. 636. A.
 Iudas an fuerit inter eos quorū pedes abluti sunt à Christo to. 2. 29. B.
 Iudas non fuit electus vt proderet, sed eius proditio, cuius ipse Iudas suo vitio causa fuit, bene vsus est Deus to. 2. 49. B.
 Iudas possessus à dæmone post buccellam panis illi porrectam à Christo Domino to. 2. 59. co. 1.
 Iudas incemendabilis, à Christi expulsus est consortio to. 2. 61. com. 1.
 Iudas inter Apostolos duo ministeria exercebat to. 2. ibid. com. 2.
 Iudas an participauerit Eucharistiam in cœna to. 2. 63. C.

Iudas quare petierit cohortem, vt Christum caperet to. 2. 367. A.
 Iudas cum Iudæis retrorsum cecidit to. 2. 370. co. 4.
 Iudas an cognouerit Christum priusquam ille Iudæis responderet, Ego sum to. 2. 371. A.
 Iudæ cur Christus pecunias commiserit to. 1. 983. A.
 Iudæ, non diabolus dixit Dominus, quod facis, fac citius to. 2. 61. A.
 Iudæam deserens cur in Galilæam Christus fuerit profectus to. 1. 640. com.
 Iudæi, testimonio Ioannis fidem non habentes, grauiter peccauerunt to. 1. 52. EF.
 Iudæi Christum non recipientes grauissimè peccauerunt to. 1. 65. com.
 Iudæi an odio in Christum vel in Ioannem moti, ad eum sacerdotes & leuitas miserint to. 1. 111. C.
 Iudæi miserunt legatos ad Ioannem quia suspicabantur eum esse Christum in lege promissum to. 1. 112. BC
 Iudæi Samaritanos oderunt veluti idololatrias to. 1. 335. com. 3.
 Iudæi non legis præcepto, sed singulari Samaritanorū odio ducti, illis non coutebantur to. 1. 337. B.
 Iudæi Samaritanos dedignabantur multis de causis to. 1. 339. B. C.
 Iudæi credere tenebantur testimonio per Baptistā Christo exhibito to. 1. 407. C.
 Iudæi credere tenebantur Christi prædicationi, etiam ante miracula facta to. 1. ibid. E.
 Iudæi vnum tantum aduentum & illū gloriosum Christi Regis expectabant to. 1. 486. C.
 Iudæi quibus festis ascendere deberent in templum to. 1. 653. A. B.
 Iudæi quærebant Christum occidere, quia eius reprehensiones ferre non poterant to. 1. 660. B.
 Iudæi decreuerunt Christum occidere, quia eius reprehensiones ferre non poterant to. 1. 680. co. 2.
 Iudæi, qui Christi morti interfuerunt, obierant iam, quando Romani Hierosolymam vastarunt to. 1. 742. A.
 Iudæi qui Phariseos adierunt nuntiaturi Resurrectionem Lazari metu fortassis, & vana gloria moti sunt to. 1. 960. com. 2.
 Iudæi si prima dies lunæ primi mensis, id est, Martij, incidat feria secunda, quarta, aut sexta, non incipiunt numerare ab illa, sed à sequenti, & huius obseruationis causa to. 2. 11. A.
 Iudæi an celebrauerint Pascha, quando etiam Christus celebravit to. 2. 12. E.
 Iudæi ne, an gentes fuerint illi, qui persecuti sunt Apostolos arbitantes se obsequium præstare Deo to. 2. 216. BC.
 Iudæi Christū comprehensurū ipsum præsentem, & sepe visum cur agnouerint to. 2. 370. com. 3.
 Iudæi cur non petierint Patrem in nomine Christi to. 2. 280. F.
 Iudæi cur retrorsum ceciderint to. 2. 371. 372. CD.
 Iudæi nisi diuina Christi virtute cohibiti essent, Apostolos etiam comprehendissent to. 2. 373. com. 3.
 Iudæi ostium domus clausum, habebant, eiusq; custodiam committebant ancillis to. 2. 381. co. 1.
 Iudæi leuiore pœnas inferre poterant in ijs quæ contra legem erant to. 2. 406. E.
 Iudæi regnū Messia: temporale fore credebant to. 2. 410. BC
 Iudæi cur illuserint Christo velata illius facie, gentiles verò aperta to. 2. 427. com. 2.
 Iudæis non licebat interficere quemquam diebus azymorum to. 2. 403. com. 2. 404. C.
 Iudæis an per Romanos liceret sententiam capitis ferre, & in quos, & quomodo to. 2. 405. E.
 Iudæorum incredulitas damnanda magis, quam gentium incredulitas to. 1. 294. CD.
 Iudæorum & Samaritanorum cultus prædicuntur cessaturi, sed ratione diuersa to. 1. 365. co. 1.
 Iudæorum religio Samaritanorum festis præfertur to. 1. 365. co. 1.

to. 1. ibid.
 Iudæorum ignorantia grauissimum peccatum fuit to. 1. 106. com. 2.
 Iudæorum cæcitas ex ambitione orta to. 1. 509. com.
 Iudæorum defensiones ostendit Christus omnino insufficientes esse to. 1. 515. A.
 Iudæorum calumnijs, optimè respondit Christus to. 1. 676. com. 2.
 Iudæorum incredulitas grauior, quam infidelitas gentium to. 1. 744. BC.
 Iudæorum repulsam vehementer Christus doluit to. 1. 1008. AB.
 Iudæorum incredulitas, non ex prædicatione scripturarum, sed ex eorū duritia ortum habuit to. 1. 1027. AB.
 Iudæorum mos est, affirmatione & negatione simul eandem rem exprimeret to. 2. 339. com. 1.
 Iudæorum ignorantia de Christo, & quicquid ex ea processit maxima fuit culpa to. 2. 188. com. 3. 217. com.
 Iudæorum peccatum, cuius excusationem haberent, si Christus non venisset, & locutus fuisset, quodnam sit to. 2. 189. com. 1.
 Iudæorum excusatio, quam habere potuissent de peccato suo, si Dominus non locutus fuisset, & opera non fecisset, quomodo & ordine ad quos sit accipiendā to. 2. 191. DE. & seq.
 Iudæorum peccatum quod commiserunt in Christum comparatum cum testimonio operum multo grauius fuit, quàm si compararetur ad testimonium prædicationis to. 2. 392. A.
 Iudæorum desiderium, vt Christus per manus gentilium morte crucis plesteretur to. 2. 405. A.
 Iudæorum consuetudo dimittendi vincum aliquem tempore Paschatis quænam fuerit to. 2. 418. AB.
 Iudæorum peccatum Christum Pilato tradentium respectu cuius maius dicatur to. 2. 438. com. 2. 439. com. 1.
 Iudæorum mors in sepeliendis insignibus viris to. 2. 476. com. 3. 477. com. 1. & 2.
 Iudæorum vsus in dierum computatione to. 2. 9. C. 484. F.
 Iudæos tria mouerunt, vt credere possent Ioannem esse Christum to. 1. 113. CD.
 Iudex omnium est Pater, & Iudex est filius diuersa ratione to. 1. 470. BC.
 Iudicandi potestas qualiter Christo homini data sit to. 1. 482. C.
 Iudicare triplici significatione acceptum reperitur in scriptura to. 1. 287. C.
 Iudicare cur soli filio, viuificare verò toti Trinitati adscribitur to. 1. 471. 472.
 Iudicare secundum faciem, est acceptare personas in iudicio to. 1. 687. A.
 Iudicare secundum carnem, hominum est, non Dei to. 1. 735. A.
 Iudicat Pater eos qui filio rebelles sunt, iudicio tamen inuisibili to. 1. 790. com. 2.
 Iudicandorum tres classes, secundum doctrinam Hilarij to. 1. 291. C.
 Iudicaria potestas duplex in Christo to. 1. 470. A.
 Iudicij actus duo, examinare, & sententiam ferre to. 1. 290. A.
 Iudicio discussionis quomodo fideles iudicandi sint to. 1. 291. B.
 Iudicium duplex est, legis & iudicis to. 1. 292. AB.
 Iudicium in carne & per carnem Christus exercebit to. 1. 471. B.
 Iudicium pro condemnatione, & pro discretionem inter diuersos facta sumitur in scriptura to. 1. 840. A. & seq.
 Iudicium spernentium Christum ad quem spectet to. 1. 1050. A. & seq.
 Iudicium duplex quod iudicatus est Diabolus to. 2. 243. A.
 Iulianus redarguitur, qui leues dixit esse qui Christum sequuti sunt vocantem to. 1. 165. com. 2.
 Iumentorum vsus in maiori pretio apud Iudæos habi-

tum, quàm apud nos to. 1. 994. A.
 iuste fieri dicitur quod absque iniustitia sit to. 1. 811. B.
 iusti qui sub lege deguerunt, non in figura tantum, sed verè filij Dei erant to. 1. 70. C. D.
 iusti omnes Christi virtute Iustitiam adepti sunt to. 1. 286. C.
 iusti est & Deum colere, & eius mandata obseruare to. 1. 833. com. 3.
 iusti dicuntur beati etiam in spe to. 2. 46. com. 2.
 iusti quas res impetrent to. 2. 16. com. 2.
 iusti singulari modo ipsius Dei esse dicuntur to. 2. 117. com. 1.
 iustus dicitur homo purus absolute, etiam à venialibus illi sit opus purgari to. 2. 38. B.
 iustitia vera vsus est Christus in redimendo homine à dæmonis potestate to. 1. 1011. DE.
 iustitia Christi contra dæmonem in quo consistat, explicatur to. 1. ibid. E. & seq.
 iustitia, de qua arguendus erat mundus, quænam sit to. 2. 237. com. 2.
 iustitia in nobis inherens & propria est, quamuis à Deo per Christum procedat to. 2. 290. C.
 iustitiam, meritum, satisfactionem Christi Deo proponere, est petere in nomine Christi to. 2. 276. B.

L

labor, quem homines rebus temporalibus consequendis inutiliter adhibent, studio iustitiæ impensus maximos faceret proventus to. 2. 554. com. 3.
 laborare pro victu acquirendo etiam religiosis licet to. 1. 549. 550. AB.
 laborasse Apostolos in sinistra nauigij parte, & nihil preuidisse, quid significet to. 2. 552. co. 2. 554. co. 3.
 lacrymarum Christi ante Lazari Resurrectionem, quæ fuerit causa to. 1. 943. 944. ABC.
 lapide adhuc superposito ipsi sepulchro, corpus Christi gloriosum ex illo egressum est to. 2. 494. AB.
 lateris Christi apertio ianuam regni coelestis per ipsius mortem referatam indicauit to. 2. 471. com. 1.
 latrones & fures differunt inter se to. 1. 848. co. 1.
 latus sibi mortuus cur voluerit Christus aperiri, tres causas afferuntur to. 2. 470. com. 3. & seq.
 lazari forores cur ad impetrandam fratri sanitatem solus Christi amoris meminerint to. 1. 915. A.
 lazari ægritudo quomodo fuerit pro gloria Dei to. 1. 917. A.
 lazari infirmitas quomodo non ad mortem dicatur, cum mortuus fuerit to. 1. 916. co. 3. 917. com.
 lazari suscitatio plura continet miracula to. 1. 955. co. 3.
 lazari suscitatio miraculum quadruplici ex capite celebrare fuit to. 1. ibid. A. & seq.
 lazari suscitatio miraculum, cur Christus sub vitæ suæ finem, faciendum referat to. 1. 957. C.
 lazari resurrectio plures traxit ad Christi fidem, quàm reliqua omnia eius miracula to. 1. ibid. DE.
 lazari resurrectio figura fuit dispensationis, qua Christus hominum genus à sempiterna morte eripuit to. 1. 958. C. D.
 lazarus & forores diligebat Christus quadruplici dilectione to. 1. 920. B. C.
 lazarus solum ex omnibus qui per Christum vitæ aut sanitati sunt restituti, Iudæi interficere cogitarunt to. 1. 938. A.
 lectio quædam recentiorum, merito reijcienda to. 1. 458. AB.
 lectores dicuntur scribæ to. 2. 362. A.
 legi opponit Ioannes gratiam & veritatem, & quare to. 1. 101. com.
 legem appellat Dominus librum Psalmorum to. 2. 193. com. 2.
 legem veterem non esse secundum litteram seruandam, quando cognouerint Apostoli to. 2. 246. A.
 legis nomine, Ceremonialia & iudicialia omnia intelliguntur

telliguntur tom. 1. 101. com.
 Legis nomine aliquando libri Moysis, aliquando vniuersa vetus scriptura significantur tomo 1. 901. A.
 Legis veteris introductio quomodo differat ab introductione Euangelij to. 2. 112 B.
 Legis veteris status, (si Lex ipsa in se consideretur) non habebat remissionem peccatorum, &c. to. 2. ibid. D E.
 Legis veteris status seruorum erat to 2. 177. co. 1. 282. A.
 Legis doctores & Legis periti dicuntur scribæ tomo 2. 362. A.
 Leuitarum nomen & origo tom. 2. 360. E.
 Leuitarum duplex ordo tom. 2. ibid. F.
 Leuitarum princeps tom. 2. 361. D.
 Lex vetus non appellatur gratia in scriptura, immo illi opponitur tom. 1. 99. AB.
 Lex nec continebat nec præstabat gratiam to. 1. 101. co.
 Lex Moysis nõ fuit in baptismo Christi abrogata to. 1. 449 B.
 Lex quo die fuerit Iudæis data in monte Syna tomo 1. 649 C.
 Lex non poterat quemquam à peccato liberare tomo 1. 765. com. 1.
 libertate quadruplici liber est, qui de spiritu natus est tom. 1. 259. com. 1.
 Libertate quempiam donare proprium est Dominorũ to. 1. 765. co. 3.
 Libertas Euangelica à triplici eripit seruitute to. 1. 661. co. & AB.
 Libertas liberi arbitrij ad bonum operandum, aufertur à damnatis to. 2. 160. co. 3.
 Libertas arbitrij insinuat verbis illis deducet vos in omnem veritatem to. 2. 252. B.
 Linteamina & sudarium cur relicta sint in sepulchro Christi to. 2. 496. co. 5. & seq.
 Litteras scire apud Iudæos pro scientia scripturarum sumitur to. 1. 671. co. 3.
 Loqui solitus est intellectualis naturæ tom. 1. 6. C.
 Loqui Patrem ad filium, in diuinis, est ipsum gignere to. 1. 13. D.
 Loqui de se magnificè licet, ad proximi vtilitatem to. 2. 40. co. 4.
 Loquutio proprie non est vox ab irrationali prolata tom. 1. 6. C.
 Loquutio interna vna, & externa altera tom. 1. ibid. & seq. quomodo inter se differant 7 A.
 Locutiones scripturæ quomodo cognoscendum, sint ne propriæ an figuratæ tom. 1. 559. AB.
 Loquuntur tria genera personarum to. 1. 6. B.
 Loquuntur Deus, angelus, & homo, sed exteriorem locutionem Deus & Angelus aliter exercent, quam homo to. 1. 7. B C D.
 Lotio pedum discipulorum, quando facta fuerit à Christo Domino tom. 2. 21. c & sequen.
 Lotio pedum nec tamquam sacramentum aliquod, nec tamquam remedium contra fomitem obseruanda est to. 2. 36. C. & fusè tractatur tota annotatione 33. 34. & seq.
 Lotio pedum Apostolorum facta est à Christo non ad exemplum humilitatis tantum, sed simul etiam ad significationem, & purgationem quandam to. 2. 38. com. 2, 43, 44, & seq.
 Lotio pedum an fuerit præcepta à Christo Domino to. 2. ibid.
 Lotio pedum quare fiat à Prælati serua quinta in cœna Domini tom. 2. 45. m B.
 Lotio pedum circumstantiæ à Christo Domino adhibita quid significant to. 2, 27, co. 1,
 Lucem in tenebris lucere, est Christum doctorem nobis in carne apparuisse to. 42. co & seq.
 Lucerna quæ in tabernaculo lucebat figura fuit Ioannis Baptistæ to. 1. 498 a
 Lucernæ proprietates quomodo Baptistæ conueniant

tom. 1. 496. com.
 lucis veræ, quæ Christus est, tres proprietates tom. 656. com.
 luporum nomine significantur quicumque oues à vero iustitiæ tramite auertere conantur to. 1. 868.
 luto Christus visum cæco restituit, vt ostenderet se creatorem hominis tom. 1. 815. D.
 luto cur Christus cæco visum restituit, cum non ex limo, sed ex puluere eum creauerit to. 1. 816. BC.
 luto oculis superposito visum præstare, quid significet tom. 1. 817. B.
 lutum cæci oculis superposito, Iudæorum cæcitatem Christus subindicauit tom. 1. ibid.
 lux dicitur verbum Dei, quia fide illuminat homines tom. 1. 40. com.
 lux dicitur filius Dei, quia naturale & supernaturale lumen hominibus impertitur tom. 1. 401. AB.
 lux dicitur filius Dei maximè postquam carnem induit tom. 1. ibid.
 lux hominum dicitur Christus, sed non Angelorum, quia non hos, sed illos tantum redemit tomo 1. 42. D.
 lux erant Apostoli, sed Christo comparati non erant lux. tom. 1. 55. com. 1.
 lux vera dicitur Deus in humanitate quam assumpsit tom. 1. 57. BC, 58. A.

M.

Magdalena bis Christum vixit tomo 1. 979. 980. A B C.
 Magdalena quoties iuerit ad sepulchrum Domini to. 2. 487. 488. Anno. 3.
 Magdalena cū cæteris mulieribus venit primò ad monumentum tom. 2. 486. C.
 Magdalena vna tantum est, de qua loquuntur Euangelistæ to. 2. ibid. D.
 Magdalena cur Petro & Ioanni nuntiauerit lapidem à sepulchro Christi reuolutum tom. 2. 494. com. 1.
 Magdalene amor & desiderium Christi videndi to. 2. 500. com. 2, 3 & seq.
 Magdalene ploratus causa tom. 2. 503. com. 2.
 Magdalene quomodo Christus figuram hortulani exhibuerit tom. 2. 505. com. 2.
 Magdalena à B. Hieronymo reprehensa excusatur to. 2. 505 a 507 co 2 509 a
 Magdalena cur prostrata fuerit tangere Christum Dominum post eius resurrectionem tom. 2. 509. com. 2. 511 522. & cur alijs mulieribus sit permillum to. 2. 517. AB.
 Magdalena prima omnium fuit ex non credentibus Resurrectionem Christi, quæ illum viderit tom. 2. 519. com. 2.
 Magistri est quæ nondum discipuli perceperunt repetere to. 1. 133. com. 1.
 Magistrum appellare Christum fidei indicium fuit to. 1. 135. A.
 Magisterium Christi to. 2. 41. A.
 Magisterium Christi quomodo superauit omne humanum & angelicum magisterium to. 2. 41. 42.
 Magnificè de se loqui licet, ad proximi vtilitatem to. 2. 40. com. 4.
 mala temporalia frequenter maiorum honorem causæ sunt to. 1. 412. co. 4.
 Maledicere, & maledictum esse, quid sit to. 1. 713. com. 2.
 maledicere apud Græcos magis conuiuium quam imprecationem sonat to. 1. 832. com. 3.
 maledictum quomodo Christi facti dicatur to. 3. 278. AB.
 maledictum ex animo, magis quam ex verbis iudicandum est to. 1. 382. co. 3.
 mali diligunt similes malos, nisi quando sibi iniuicem contrarij sunt to. 2. 185. 186.
 Mali, vt tales sunt, odio habent iustos & bonos to. 2. ibi.
 Mandata Christi seruare quanti referat tomo 2. 162. E.
 Mandatorum impletio non solū signū est dilectionis, sed

sed necessaria conditio tom. 2. 109. com. 1.
 mandatorum obseruantia quare cum petitione iungatur tom. 2. 108. com. 2. & seq. 278. D.
 mandatorum obseruatio præcedit Spiritus sancti plenitudinem tom. 2. 109. com. 2.
 mandatorum obseruantia non præcedit absolute dilectionem, quia nos diligit Deus, ex hac enim procedit tom. 2. 123. com. 1. 167. com. 1.
 mandatum dilectionis quare dicitur nouum tom. 2. 70. com. 2. 71. A. & seq.
 Mandatum dilectionis nunquam fuit antiquum tom. 2. 72. C.
 Mandatum dilectionis, quod dedit Christus in vltima cœna, de qua dilectione intelligendum sit to. 2. ibid. E. & seq.
 Manducatio sacramentalis Eucharistiæ coniungenda est cum spirituali tom. 1. 587. F.
 Manducatio Eucharistiæ non solū spiritalis, sed etiã sacramentalis præcipitur tom. 1. 587. 588. & seq.
 Manducatio sacramentalis sine spirituali non prodest tom. 1. 589. F. 590. A.
 Manducatio sacramentalis à Christo indicta cap. 6. Ioan. quod octo rationibus confirmatur to. 1. 595. DE.
 Manducatio sacramentalis, non carnalis sed spiritalis dicenda est tom. 1. 623. AB.
 Manducatio spiritalis non excludit sacramentalem tom. 1. 625. com.
 Manducationem carnis, & potum sanguinis sui dum Christus commendat, tria subindicat to. 1. 599. CD.
 Manere Christum in Apostolis quid sit tom. 2. 155. com. & C.
 Manere in Christo duobus modis contingit tom. 2. ibid. C.
 Manere in Christo non sufficit, nisi Christus etiam in nobis manserit tom. 2. 155. com. 2.
 Manere verba Christi in aliquo, quid significet tom. 2. 161. com. 2.
 Manere perseuerantiam quandam indicat to. 2.
 Manere fructum Apostolorum quid significet to. 2. 181. co. 2.
 Manna cur sic appellatum sit tom. 1. 557. B. & seq.
 Manna non fuit panis de cœlo datus tom. 1. 559. com.
 Mansio in Christo, quando absolute ponitur in scripturis, quid significet to. 1. 54. C. 161. B.
 Mansiones in domo Patris quid significant to. 2. 83. CD.
 Mansiones ab æterno patriæ sunt à Deo, alioqui nec Christus homo factus fuisset, nec nobis locum parasset tom. 2. 83. B.
 mansionis in Christo per fidē & dilectionem necessitas ad fructu producendum to. 2. 142. A. 155. com. 12.
 mare Galilææ quod sit, & quale to. 1. 523. BC.
 mare Galilææ quatuor nominibus in scriptura appellatum tom. 1. ibid. DEF.
 Maria non contemnitur, sed honoratur à filio respondente, quid mihi & tibi est mulier to. 1. 189. ABC.
 maria vera Dei mater est tom. 1. 195. CD.
 maria vera & semper Virgo tom. 1. 196. AB.
 maria non fuit reprehensa à Christo dicente, Quid mihi & tibi tom. 1. 192. C.
 mariam sine vlla peccati labe semper vixisse, certo credendum est tom. 1. 192. C.
 maria an vna & eadem sit quæ peccatrix & soror Lazari dicitur, an verò diuersæ tractatur to. 1. 913. A.
 maria Magdalena bis Christum vixit tomo 1. 979. 980. ABC.
 marie misericordia opportuna, & perfecta est tom. 1. 195. com. 2.
 marie præcibus citius fecit Christus miraculum, quam fecisset in nuptijs to. 1. 199. C. D.
 marie Virginis amor erga filium, eiusdem dolor & fortitudo tom. 2. 460. com. & seq.
 maria Virgo dolores quos in partu filij non habuit, iuxta crucem ex compassione in anima sustinuit to. 2. ibi.
 marie virginis spasnum improbabiler quidam tribu-

unt to. 2. 466. com. 1.
 maria virgo inter spiritualia bona maximè committitur tom. 2. 464. B.
 marie virginis protectioni & curæ Christus moriens non omnes commendauit to. 2. 462. com. 1.
 maria virgo cur non iuenerit ad sepulchrum filij tom. 2. 490. B.
 maria virgo primà omnium vidit Christum post eius resurrectionem, & cur Euangelistæ huius apparitionis non meminertint explicatur tom. 2. 515. com. 2.
 martha non perfectè & explicitè credebat quæ diffinitè ore confessa fuit to. 1. 935. com. 2. & A.
 marthæ modestia commendatur to. 1. 929. com. 3.
 marthæ fides & spes veræ, sed imperfectæ erant tom. 1. ibid.
 marthæ fides imperfecta & implicita fuit, quando Christus respondit to. 1. 935. co. 2. & A.
 martyres ex obligatione & præcepto mortem subibant tom. 1. 883. F.
 martyrium supplet vices baptismi tom. 1. 254. A.
 martyrium moïs quomodo clarificaret Deum tom. 1. 570. com. 1.
 martyrum mors tria effecit ibid.
 mendacem Deum quomodo faciat, qui Christi testimonijs non credit tom. 1. 315. 316. A. B. & seq.
 mendacium hominis quo differat à mendacio diaboli tom. 1. 778. com. 2. & seq.
 mēdacijs pater dicitur diabolus, quia eius primus fuit inventor tom. 1. 779. 780. com. 1. & A.
 menses & anni per lunas computabantur à Iudæis tom. 1. 887. E.
 mentiri diaboli officium est tom. 1. 778. co. 2. & seq.
 mercenarij, fures, & Pastores qui sint tom. 1. 861. E. 865. A.
 mercenarij qui dicantur tom. 1. 867. A.
 mercenariorum nomine, Christus Phariseos auaritiæ deditos significauit tom. 1. 865. A.
 meritum nullum sic præcessit, quod à Deo obtinuerit Filium eius hominem fieri tom. 2. 110. A.
 meritum Christi semper fuit necessarium; vt exaudiamur à Patre, sed oratio Christi, nec fuit, nec est necessaria tom. 2. 285. C.
 meritum Christi quomodo fuit abundans & copiosum tom. 2. 430. B.
 messias existimatus est Ioannes ex triplici capite tom. 1. 113. CD.
 messiam Ioannem non esse, quamuis multa probarent tamen apparentes, solutiones habebant to. 1. 114. DE.
 messiam, nonnulli se ipsos falso prædicauerunt to. 1. 114. E.
 messia aduentum instare, iam Christi tempore, suspicabant Iudæi tom. 1. ibid.
 messis nomine, cur Christus hominum conuersionem appelleret to. 1. 396. com. 3. & seq.
 metreta, qualis mensura sit tom. 1. 203. A.
 ministris Christi quæ reuerentia debeat tom. 2. 511. com. 1.
 mirabilia quæ fecit Dominus ante passionem causæ tres assignantur tom. 2. 24. com. 2. & seq.
 miracula Christus edebat, vt suam manifestaret diuinitatem tom. 1. 197. com.
 miracula cur aliquando nonnulla humano iudicio contraria, habebant admixta tom. 1. 200. A. & seq.
 miracula Christi non poterant virtute naturali fieri to. 1. 240. B.
 miracula Christi non poterant diaboli potestate fieri tom. 1. ibid. DE.
 miracula Christi ex fine considerata sufficienter probabant ipsum esse Deum tom. 1. 241.
 miracula Christi cur Iudæi dæmoni tribuebant tom. 1. 242. D.
 miracula Christi probabant ipsum esse Messiam in lege promissum tom. 1. 243. A.
 miracula omnia Christi, & fidei argumenta & hominũ benefici-

beata fuere tom. 1. 405. com. 2.
 Miracula Christi, opera erant potentiae, misericordiae, & sapientiae diuinæ tom. 1. 425. B. C.
 Miracula Christi tribus de causis in utilitatem hominū fiebant tom. 1. 525. A. 2.
 Miraculum multiplicationis panum eodem die factum est, sed non eodem anno, quo miraculum nuptiarum in Cana Galilææ tom. 1. 527. com. 2.
 Miracula Christi non solum erant mirabilia opera, sed etiam verba quibus mysteria significabantur tom. 1. 85 A.
 Miracula Christi & in facto & in modo faciendi, manifeste docebant non à dæmone, sed à Deo facta esse tom. 1. ibid. B.
 Miracula à peccatoribus facta, non per orationem, aut opus proprium, sed signo aliquo sancto fiebant tom. 1. 836 C. D. E.
 Miracula Christus faciebat solo verbo, & aliquando sola voluntate tom. 1. ibid. E. F.
 Miracula si diuinæ comparentur omnipotentiae, omnia sunt paria, tamen in seipsis alia alijs sunt excellentiora tom. 1. 956. A. & seq.
 miracula Christi quomodo superauerunt miracula Moysis & prophetarum tom. 2. 191. C.
 miraculis panis multiplicati, & sedati maris, quid Christus significare voluerit tom. 1. 544. A. B. C.
 Miraculo multiplicationis panum, quid docere Christus voluerit tom. 1. 533. co. 3.
 Miraculum in nuptijs factum, an fuerit primum inter miracula Christi tom. 1. 207. F.
 Miraculum resurrectionis Lazari quadruplici ex capite celeberrimum fuit tom. 1. 955. A.
 Miraculum Lazari suscitati, cur Christus sub finem vitæ suæ faciendum seruauit tom. 1. 957. C.
 Misericordia Dei præuenit & complet opera nostra tom. 1. 154. com. 3.
 Misericordia perfecta etiam præuenit petitiones miserorum tom. 1. 185. com. 2.
 Missio filij, processionem à Patre, & carnis assumptionem importat tom. 1. 473. com. 1.
 Missio filij, per quam homo factus est, in quo differat à missione Spiritus sancti per quam in credentes per dona descendit tom. 2. 109. B.
 Missio inter diuinas personas non est nisi ratione processionis tom. 2. 195. A.
 Missio Spiritus sancti est simul à Patre & filio, sicut vna est productio, qua Spiritum sanctum producant tom. 2. 195. 196. & seq.
 Missio in diuinis personis duo habet, alterum est, vt per sona quæ mittitur ab altera procedat, alterum est, vt effectum aliquem tali personæ proprium exterius faciat tom. 2. 195. A. 198. A. B.
 Mittere aliquem in nomine alterius quid sit tom. 2. 192. com. 2. 131. B.
 Mitti filium à Spiritu sancto quomodo sit intelligendum tom. 2. 196. B.
 Mittit filium Spiritum sanctum à Patre quomodo intelligendum sit tom. 2. 197. 198.
 Modicum post quod visuri erant Apostoli Christum quid significet tom. 2. 119. A.
 Modus mutæ dilectionis, quis esse debeat tom. 2. 171. 172.
 Mons oliueti qualis, & quantum à Hierosolyma distet tom. 1. 721. A.
 Monumento nouo cur Dominus voluerit sepeliri, item cur in alieno tom. 2. 477. com. 3. & A.
 Mori peccato duobus modis intelligi potest tom. 1. 741. D.
 Mori in peccato, & mori propter peccatum diuersa sunt. tom. 1. ibid. D. E.
 Mortur Christus quia mortis præceptum habuit à Patre tom. 2. 138. com. 2.
 Mors Christi pro ouibus perpeffa quatuor modis dif-

fert à morte quam Martyres passi sunt tom. 2. 372. com. 2.
 Mors Christi longè diuersa fuit à morte cæterorum hominum tom. 1. 880. com. 1.
 Mos Christi aliter fuit voluntaria quam mors Martyrū tom. 1. 879. com. 1.
 Mors Domini partui comparatur, Resurrectio natiuitati tom. 2. 267. com. 2.
 mors Christi quomodo eius gloria fuerit tom. 2. 301. E. 302. A.
 mortem crucis Christus cur elegerit, fusè tractatur tom. 1. 277. 278.
 mortem suam cur sæpe Christus significauerit his verbis, Vado ad Patrem tom. 2. 339. com.
 mortem temporalem etiam pro alijs petere quomodo liceat tom. 2. 230. com. 2.
 mortem Christus sibi distulit non accelerauit, vt plura pro nobis pateretur tom. 2. 470. A.
 mortem abhorret naturalis appetitus quamuis rationalis acceptet tom. 2. 568. c.
 mortem non querunt sancti, sed illatam libenter sustinent tom. 2. ibid.
 mortis Christi, & aliorum martyrum collatio tom. 1. 872. com. 2.
 mortuos sepelire diebus festis licebat tom. 2. 16. D.
 moyses non vidit Deum in propria essentia tom. 1. 108. F. & seq.
 moyses legiflatoris cum Christo collatio tom. 1. 83. com. & 102. com.
 moyses ad Christum antithesis tom. 1. 287. A. B.
 mulieres quando parauerint aromata tom. 2. 16. B.
 mulieres quæ & quando iuxta crucem steterint tom. 2. 461. A.
 mulieres quomodo ingressæ sint sepulchrum Christi custodiens illud militibus tom. 2. 590. C.
 mulieres quæ ad sepulchrum Christi venerunt cur illum tangere permixtæ sint, Magdalena verò prohibita tom. 2. 513. B.
 mulieris nomen etiam virginibus in scriptura tribuitur tom. 1. 196. A.
 mulieris nomine quare Christus matrem cõpellarit tom. 1. ibid. C.
 mulierum aduentus ad sepulchrum Domini & rerum gestarum circa Christi resurrectionem historia, ex omnibus Euangelistis fusè explicatur tom. 2. 487. E. & seq.
 mundi nomine, visibilis hæc moles significatur tom. 1. 63. C.
 mundi nomine, quandoque omnes homines, quandoque impij tantum, significantur tom. 1. ibi.
 mundi nomine iniquos homines, Iudæos maximè Christus appellat tom. 1. 664. com. 2.
 mundi huius princeps cur dicatur diabolus tom. 2. 1014. B.
 mundo, ratione diuersarum partium, diuersa conueniunt prædicata tom. 1. 63. C.
 in mundo esse, & de mundo esse differunt tom. 2. 330. com. 1.
 mundus quomodo in morte Christi iudicatus fuerit, explicatur tom. 1. 1013. 1014. A. B. C. & quando vincus ab illo tom. 2. 295. com.
 mundus (id est vitij dediti & increduli) non potest accipere Spiritum sanctum tom. 2. 115. com. 1.
 mundus, qui post modicum non erat visurus Christum, quid significet tom. 2. 119. com. 1.
 mundus, pro quo non rogauerit tom. 2. 319. A. 321. A.
 mundum fuisse à Deo dilectum, multis de causis est admiratione dignum tom. 1. 281. 282. & seq.
 mundum appellat aliquando Christus Dominus, totum id quod legi Dei opponitur tom. 2. 295. com.
 mundum appellat Christus etiam ipsos credentes tom. 2. 341. com. 2.
 mutatio status seruitutis legis, in statum filiorum, & amico-

amicorum Euangelij tom. 2. 177. com.
 Myrrhatum vinum quodnam esset, & cur datum sit Christo, & ille noluerit bibere tom. 2. 465. A. & seq.

N.

Nardus quæ sit, & quot eius differentiae tom. 1. 977. A.
 Nasci denuo est Dei filium per gratiam fieri tom. 1. 245. C.
 Nasci ex aqua & Spiritu sancto, est baptismum aquæ suscipere tom. 1. 254. E. F.
 Nathanael, cum Christo dixit, Tu es filius Dei, an verum Dei filium crediderit tom. 1. 173. 174. & seq.
 Nathanaelem cur Christus laudauerit tom. 1. 171. B.
 Nathanaeli cur dicat Christus, Sub sicu vidi te tom. 1. 173. com. 1.
 Nathanaelis humilitas & prudentia commendantur tom. 1. 169. com. 2.
 Nathanael quare non sit electus in Apostolatam tom. 1. 177. F. & seq.
 Nathanael, quis fuerit. to. 1. 167. com. 3.
 Nathanael, secundum quorundam sententiam fuit Bartholomæus Apostolus, sed decipiuntur tom. 1. 178. B. C.
 Nathanael tria confessus est de Christo to. 1. 173. com.
 Natiuitas & generatio noua, appellatur baptismus, & quare tom. 1. 251. C. D. & seq.
 Natiuitas carnalis meminit Ioannes, vt diuinæ gratiæ magnitudinem commendaret tom. 1. 73. com. 2.
 Natus de Spiritu quadruplici libertate donatur tom. 1. 259. com. 1.
 Natus de Spiritu similis est Spiritui sancto to. 1. 258. co. 2. & seq.
 Negare Christum, & negare se esse Christianum, quomodo differant tom. 2. 383. A.
 Negasse ter Petrum se nosse Dominum, antequam Galilæus cantaret, prout refert Marcus, quomodo conueniat cum eo quod dicit Ioan. de negatione Petri tom. 2. 76. A.
 Negotiari, duobus modis potest esse vitiosum tom. 1. 218. A. B.
 Neomenia nouilunium significat tom. 1. 646. A.
 Neomenia qua de causa à Iudæis celebraretur tom. 2. 1. ibid. C. D.
 Neomenia cur magis quam plenilunium celebrauerint Iudæi tom. 1. ibid. E.
 Nicodemi fides & dilectio veræ, sed imperfectæ erant tom. 1. 237. A.
 Nicodemi fidem exiguum reprehendit Christus tom. 1. 265. com.
 Nicodemus nocte venit ad Christum tribus de causis tom. 1. 236. com. 3.
 Nicodemus quis fuerit, & vbi Christum conuenit to. 1. 235. com. 2.
 Nicodemus non in Galilæa, sed Hierosolymis Christum conuenit tom. 1. 299. C.
 Noctes adiungebant Iudæi diebus sequentibus. diem vero non appellabant nisi vt à nocte secernitur tom. 2. 485. A.
 Nomen pro aduerbio ponere, frequens est apud hebræos tom. 1. 754. E. F.
 Nomina Christi Domini tractantur to 1. 159. 160. & seq.
 Numularij dicuntur à numulo, quod æris minutum significat tom. 1. 215. com. 1.
 Nunc sicut etiam Græcè *viv*, significat aliquando sed tom. 2. 412. com. 2.
 Nuptias secundas malè Tertullianus damnauit tom. 1. 359. C. & seq.
 Nuptiæ spirituales quantum à terrenis differant tom. 1. 312. A. B.
 Nuptijs Canæ Galilææ cur Christus interesse voluerit to. 1. 183. com.

O.

Obedientia Christi in morte subeunda maximè enituit tom. 1. 882. D. E.
 Obedientia, perfecta ea est, quæ cæca vocatur tom. 2. 31. com. 1.
 Obedientia & eius documenta tom. 2. 35. A. & seq.
 Obedientia Christi erga Patris mandata fuit vna ex multis causis, propter quas Christum vt hominem dilexit Pater tom. 2. 167. com. 1.
 Obedientia Christi Domini qua etiam humanis potestatis subdi voluit to. 2. 409. co. 2. 411.
 Obedientiæ Christi & inobedienciæ Adam collatio to. 1. 882. D. E.
 Obedientiam prius præstare discipulos voluit Dominus, quam rationem obediendi intelligerent tom. 2. 31. com. 1.
 Obscuris verbis quare discipulis loqueretur Christus to. 2. 263. com. 2. 265. A.
 Occultæ doctrinæ calumniam repulit Christus tom. 2. 387. com. 3. 390. A.
 Oculorum eleuatio ad cælum, actus est latrææ tom. 1. 949. B.
 Oculos ad cælum leuamus vel auxilium postulantes, vel pro acceptis donis gratias agentes tom. 1. ibid. A.
 Oculos sæpe in cælum Christus leuauit tom. 1. 950. A.
 Odisse gratis quid sit tom. 2. 193. com. 2.
 Omnia, in scriptura quandoque multitudinem, quædamque etiam rerum vniuersitatē, significat tom. 1. 29. com.
 Opera in Deo facta quæ dicantur tom. 1. 297. com.
 Opera bona aut mala ostendere, in scriptura significat, illa facere tom. 1. 900. com. 2.
 Opera Christi inter se collata differant perfectione & excellentia tom. 1. 883. C.
 Opera Christi ostendebant aperte illum esse filium Dei tom. 2. 101. com. 2.
 Opera Christi si ad operantem Christum referantur, omnia erant infiniti meriti & perfectionis tom. 1. 883. C. D. & seq.
 Opera infidelium non omnia sunt peccata to. 2. 157. B.
 Opera maiore ijs quæ fecerat Christus quare facturi erant credentes in illum tom. 2. 105. A.
 Opera maiora ijs quæ fecerat Christus, quæ facturi erant credentes in illum, quænam fuerint to. 2. 103. B.
 Operam nostram adhibere debemus, non tamen ipsa sola niti, nec bonum quod sit nostræ virtuti adscribere tom. 2. 553. com. 1.
 Opera Patris Christi appellat miracula to. 1. 812. co. & seq.
 Opera quæ virtute fidei fiunt, validum argumentū sunt ad veritatem Christi confirmandam to. 2. 103. com. 2.
 Operarij Christi non solum mercedem, sed etiam fructus sibi colligunt, reliqui verò mercedem tantum to. 1. 394. com. 2.
 Operarij Christi quantum in mercede differant à reliquis operarijs tom. 1. ibid.
 operibus, Christus interrogatus cur sæpe respondit tom. 1. 891. com. 1.
 operum Christi quædam communia nobiscum, alia redemptoris propria erant tom. 1. 87. com. 2.
 operum triplex genus tom. 2. 158. B.
 opportunitas Christi est, quando eius virtus maximè cognoscitur tom. 2. 553. com. 1.
 opus Dei, est hominum redemptio to. 1. 388.
 opus Dei perficere quod sit, fusè tractatur to. 1. 388. E. F.
 opus Dei perficere soli Christo conuenit tom. 1. 388. E.
 opus Dei perfectit Christus cum moriens redemit homines tom. 1. ibid. B.
 opus frugiferum, & opus simpliciter bonum quomodo differant tom. 2. 153. A.
 opus frugiferum illud est quod ad vitam æternam refertur, & per ipsum consequimur præmium tom. 2. ibid.
 opus frugiferum nõ fit nisi à fidei per fidem & dilectionem ipsi Christo adhærente tom. 2. ibid.

Opus simpliciter bonum, & ex genere suo, an indigeat gratia Christi ad hoc vt fieri possit tom. 2. 157. com. 1. & B.
Orantes plura & maiora habemus à Deo bona, quam nõ perentes tom. 2. 287 B.
Orantibus Patrem in nomine Christi, non solum pro se, sed etiam pro alijs promissa est impetratio tom. 2. 276. D. & seq.
Orare in abscondito quid sit tom. 2. 298 A.
Oratio Christi ex deliberata voluntate orta, semper fuit exaudita tom. 1. 1006 B C.
Oratio Christi pro nobis nec fuit, nec est necessaria ad hoc vt exaudiantur à Patre; sed meritum & virtus satisfactionis illius semper fuit, & est necessaria tom. 2. 285 C.
Oratio Christi quando ex naturali voluntate oriebatur, non semper fuit exaudita tom. 1. 1006 B C.
Oratio & petitio facta Deo, est actus supremæ virtutis inter mortales, & multarum & insignium virtutum actibus coniunctus tom. 2. 286. F. & seq.
Oratio ipsa facta Deo, magnum est Dei beneficium tom. 2. 286 E. 287 B.
Oratio iungenda est cum mandatorum obseruantia tom. 2. 109 com. 1. 278. D.
Oratio peccatorum quandoque non exauditur tom. 1. 699. B C.
Oratio quas conditiones habere debeat, vt bona sit, & à Deo exaudiatur tom. 2. 278. E.
Oratio vna scripturæ, plures sensus potest habere tom. 1. 967. A.
Oratione bona, facit nos Deus dignos suo dono tom. 2. 288. A.
Orationis fructus & vtilitas. 286. E. & seq.
Orationis perseverantia necessaria tom. 2. 278. F. & seq.
Orat nemo Deum, & ab eo petit sine fructu tom. 2. 287. B.
Originale peccatum sufficiens causa est, vt pro illo puniantur infantes tom. 1. 809. A. 811. A.
Orphani quomodo verè fuerint Apostoli Christo mortuo tom. 2. 117. com. 2.
Orphanos & pupillos non facit recessus Patris, dum ille viuit tom. 2. ibid.
Ostium Christus est & quomodo tom. 1. 857 com. 1.
Ostium Christus, ostiarius Spiritus sanctus est tom. 1. 849. 850. A B.
Ostium ouium cur Christus dictus sit tom. 1. 853. com. 1.
Oves Christi Pastorem suum cognoscunt tom. 1. 869. com. 2.
Oves Christi Petro commissæ, Pastores & prælatos cur significent tom. 2. 565. com. 4. A. & seq.
Oves Christi non esse, quomodo causa sit non credendi verbis eius? tom. 1. 893 B C.
Oves suas, quomodo Christus cognoscat tom. 1. 868. co. 2.
Ouium suarum nomine, quos intelligat Christus tom. 1. 893. A.

P.

Pacem non solo verbo dat Christus vt mundus; sed ex cordis efficit tom. 2. 131. com. 2.
Pacem habere in Christo quid sit tom. 2. 293. com. 3.
Pacis salutatione cur Christus Dominus vsus sit tom. 2. 319. com. 2. 321 com. 2.
Palam esse quid significet tom. 1. 659 A.
Palmarum ramos cur turba sumpsit cum Christo obviam exiit tom. 1. 987 AB.
Palmæ, quas turba Christo occurrens portabat, quam victoriam significarent tom. 1. ibid. B C.
Palmas aut in vite, aut in igne tom. 2. 159. com. 4.
Palmas dum est in vite, fructificare debet; id est, dum fide in hoc seculo vii inhæret tom. 2. 151. 152. A B.

Palmes in vite fructuosus & infructuosus, per quid distinguatur tom. 2. 162. A B.
Palmitem crescere quid significet tom. 2. 159. com. 2.
Palmites colligere quid sit tom. 2. ibid. com. 3.
Palmites tollere & abscindere à vite, quid significet, & quomodo fiat tom. 2. 148 C. & seq. 158. com. 2.
Panis cur potius multiplicare Christus voluit, quam de nouo creare tom. 1. 55 Bc.
Panis cur appelletur Eucharistia, cum non sit ibi substantia panis tom. 1. 617. A B.
Panis de cælo descendens appellatur Christus, etiam si caro eius non descenderit à cælo tom. 1. 615. com.
Panis dicitur Christus ipse, & Panis caro eius tom. 1. ib.
Panis multiplicatio pro cibandis quinque millibus hominum, quomodo facta sit tom. 1. 533 B.
Panis vitæ, Christus cur dicatur tom. 1. 582. com. 3.
Panis viuus Christus est, & quomodo tom. 1. 585. com. 1.
Parabola de Agricola & vite quem scopum habeat, tom. 2. 141 A.
Parabola multas complectitur sententias, nõ tamen omnes sunt scopus parabola, licet ad illum ordinentur, tom. 2. ibid C.
Parabola non probat aliud præter id, ad quod significandum indulta est tom. 2. 145 D.
Parabola cur sæpe maiora minoribus comparet tom. 2. 146 C.
Parabola Pastoris & ouium explicatur scopus tom. 1. 848. com.
Parabola de agricola & vitæ, vis & significatio tom. 2. 147 com.
in Parabolis ea inquirenda sunt, quæ faciunt ad id exprimendum propter quod parabola allata est tom. 2. 148 A.
Paracleti nomen commune toti Trinitati tom. 2. 111. D.
Paracleti nomen quare attribuitur tertiæ personæ tom. 2. ibid. in qua significatione 112. A.
Paracletum manere apud Apostolos & in ipsis esse, quomodo differat tom. 2. 116. com. 2. & seq.
Paracletus Filius, & Spiritus sanctus, sed diuersimodè propter personalem distinctionem tom. 2. 110 com. 2.
Paracletus missus est propter merita Christi, quæ habuit vt homo, & intercessionem, qua etiam vt homo intercedit pro nobis tom. 2. ibid.
Paracletus quid significet tom. 2. ibid. & 111 B & D.
Paracletus quomodo sit Christus, vt Deus est; & quomodo etiam vt homo est tom. 2. 112. A.
Paracletus quare in lege veteri non sit dictus Spiritus sanctus tom. 2. 112. B. 129 com. 2.
Paracletus cur dicatur Spiritus veritatis tom. 2. 113. com. 2. sex rationes afferuntur eiusdem nominis ibid. A & seq.
Paralytici ad piscinam expectantis commendatur patientia tom. 1. 426. com.
Paralytici ad piscinam expectantis infirmitas, satisfactoria non fuit tom. 1. 442. F.
Paralytico cur Christus præcepit tollere grabatum suum tom. 1. 437. D.
Paralyticus grabatum suum portans in die sabbati, illud non soluit tom. 1. 449. C.
Paralyticus iuxta piscinam, figura fuit humani generis tom. 1. 426 com & seq.
Parare locum in quo mansiones sunt, quid significet tom. 2. 85. com. 86. & seq.
Parasceue nullius festi dicitur in tota scriptura, nisi sabbati, & huius causa. tom. 2. 15 E.
Parasceue Paschæ quid significet tom. 2. ibid. D. 443. com. 1.
Parentum peccata punit quandoque Deus filium occidens tom. 1. 806. A B.
Partem habere cum Christo quid significet, suæ explicatur tom. 2. 33. 34. 35. & seq.

particulæ ergo, & autem, in scriptura magnam habent significationem, & multa occulta indicant, præcipuè verò apud Ioannem tom. 2. 27. com. 2.
partui cur comparetur Apostolorum dolor tom. 2. 269. B C.
partui mors Domini comparatur, Resurrectio natiuitati pueri & c. tom. 2. 267. com. 1. 2.
parturientis tria tempora considerantur in explicatione comparationis Mulieris parientis quam adhibet Christus tom. 2. ibid. A. & seq.
parturientis exemplum frequens, & quadrupliciter vsurpatur tom. 2. 270. B C.
pascere seipsum qui dicitur tom. 2. 564. com. 2.
pascha siue Phase in cuius rei memoriam à Iudæis celebraretur tom. 1. 647. C D.
pascha quod nomen sit tom. 2. 5 B.
pascha quem transitum significet tom. 2. ibid. D.
pascha & dies paschæ differt à festo, seu die festo Paschæ tom. 2. 6 A.
pascha significat aliquando sacrificia & hostias, quæ diebus azyuis offerebantur tom. 2. ibid. C. & 15. C.
pascha pro azyuis panibus nusquam reperitur in scriptura tom. 2. 6. F. & seq.
pascha celebrant Iudæi, quando etiam Christus celebravit, & hoc fusè tractatur tom. 2. 12. E.
pascha quod adhuc manducaturi erant Iudæi tradentes Christum, quodnam fuerit. tom. 2. 461. com. 2.
paschatis quatuor significationes in scriptura tom. 2. 5. E. F.
paschatis celebrandæ tempus à lege statutum, non præuenit Christus Dominus tom. 2. 12. C.
passio Christi sufficientissima est peccatorum medicina tom. 1. 139. A B.
passio & mors Christi vitis similitudine indicatur tom. 2. 145. A.
passiones appetitus cur dicantur turbationes tom. 2. 79. B.
passiones animi tria habent, quorum duo priora sæpe nobis noleantibus sunt tom. 2. 80 A.
passiones partis inferioris multum habent efficaciam ad inclinandam rationem tom. 2. ibid. B.
passus est Christus Dominus decima quinta die, feria sexta tom. 2. 14. E.
pastor ille bonus à Prophetis promissus, est Christus tom. 1. 862. A B.
pastorem bonum esse, quomodo soli conueniat Christo tom. 1. ibid. B C.
pastorem bonum se esse Christus probat quatuor argumentis & signis tom. 1. 867. 868.
pastores, Mercenarii, & fures qui sint tom. 1. 860. A. 861. A B. 865. 866. A B.
pastores per metaphoram dicuntur quicumque aliorum curam gerunt tom. 1. 859 B.
pastoris & ouium parabola explicatur scopus tom. 1. 846. com.
pastoris est quandoque sequi, & quandoque præcedere oues tom. 1. 851. A.
pastoris quatuor conditiones proponuntur tom. 1. 848. com. 3. & seq. & aliæ duæ 850 com. 2. & seq.
pastoris manus habebant scribæ & Pharisei tom. 1. 861. C D.
pastoris parabola quomodo Christo accommodari possit, cum licitum non sit pastorem pro ouibus vitam exponere tom. 1. 860. A B.
pastoris vnus nomine, non vnus Christus, sed etiam eius Vicarij significantur tom. 1. 876. com.
pastorum quatuor genera in scriptura reperiuntur tom. 1. 859 B.
pater quomodo per Verbum suum omnia faciat tom. 1. 26. F. 27. A B.
pater per Verbum suum, vnica eademque actione cuncta creauit tom. 1. 27. A.
pater cur non Iudicare omnes, sicut viuificare omnes dicitur tom. 1. 471. 472.

pater complacet sibi in Filio suo, multis modis tom. 1. 878. A B C.
pater ne, an verò Filius olim apparuerit Prophetis tom. 1. 1041. B. 1043. 1044. A B C.
pater & Filius quomodo videri dicantur in humanitate Christi tom. 2. 100. A B.
pater non diligitur, nisi filius etiam diligatur tom. 2. 128. com. 2.
pater quomodo dicatur maior Filio tom. 2. 135. co. 3. & A.
pater quomodo clarificatus sit à Filio tom. 2. 304. com. 306. A. 311 com & A.
pater nõ ideo quia dedit, priuat se dominio eorum quæ dedit tom. 2. 317. com. 1.
pater quomodo videretur ab Apostolis videtibus Christum tom. 1. 1047. 1048. A B C. & to. 2. 95. co. 1. & A. 97. com. 2.
pati pro gloria Dei iustissimum est tom. 1. 812. A B.
pati cum innocentia multo melius est, quam cum iniustitia temporalibus mundi consolationibus potiri tom. 2. 185. co. 1.
pati ab ijs qui nos & dignitatem nostram non agnoscunt, minus est tom. 2. 187. com. 2.
pati pro Christi nomine, magnum & efficax consolationis argumentum tom. 2. ibid. co. 1.
pati pro Christo summum decus, & ingens Dei beneficium tom. 2. 224. B.
pati voluit Christus & satisfacere pro hominibus in ijs omnibus, in quibus peccant homines tom. 2. 429. D.
patientes pro Christo, afflictionum causa considerata magna consolatione afficit tom. 2. 187. com. 1. 217. com. 1.
patientes & sustinentes persecutionem eo quod Christianus sit, glorificat Deum tom. 2. 187. com. 1. 217. com. 1.
patientia languidi ad piscinam expectantis commendatur tom. 1. 426. com.
patientiam efficaciam argumentum est, Deum dissimulare & tolerare iniurias sibi illatas tom. 2. 190. com. 2.
patientiam tolerantiam necessitas ad seruandam mutuam charitatem tom. 2. 183. com. 3.
patrem per Verbum cuncta facere, quare dicatur, & nõ per Spiritum sanctum tom. 1. 27. E.
patrem Deum vocamus in Euangelico statu, quia filiorum statum adepti sumus tom. 1. 71. 72. & seq.
patrem esse in Deo maius est, quam esse Dominum tom. 2. 299. com. 1. 316. com.
patrem meum, & Patrem vestrum, & c. cur distinctè dixerit Christus tom. 2. 514. com.
patres antiqui detinebantur in limbo, donec Christus morte sua pretium redemptionis solueret tom. 2. 85. com.
patriarchis & prophetis extra rationem status illorum ex priuilegio reuelauit Deus multa mysteria tom. 2. 177. com.
parris amor erga Apostolos tom. 2. 284. com. 2. & seq.
parris voluntatem facere, & eius opus perficere, quid sit tom. 1. 383. com.
patri tribuit Christus quæ diuinitatis suæ sunt, vt alia opera explicatius significet esse diuinitatis tom. 2. 146 com. 1. 148. B.
pax Apostolis à Christo relicta, quid contineat tom. 2. 131 com. 1.
pœnam mortis inferre an Iudæi possent, & propter que crimina, & quomodo tom. 2. 405. E.
pœnas leuiores inferre poterant Iudæi in ijs quæ contra legem erant tom. 2. 406. E.
pœnas temporales non recusare propter honestum finem, laudabile est tom. 1. 1019. E. & seq.
pœnitentes remissionem peccatorum nõ secuturi, quæ dispositiones habere debeant tom. 2. 530. B.
pœnitentiæ sacramentum quando fuerit institutum tom. 2. 529 B.
peccare non voluit Christus duplici ex capite tom. 1. 781. B.

peccata hominum multa & varia, multiplici etiam sua poena delere voluit Christus tom. 2. 429. DE.
 peccata hominum quare prædicta sint tom. 2. 47. C.
 peccata in scriptura non appellantur tenebræ tomo 1. 293. B.
 peccata non remittuntur nisi in Christum credentibus tom. 1. 743. B.
 peccata parentum aliquando morte filiorum puniuntur tom. 1. 806. A.
 peccata, quæ commiserunt Iudæi in Christum multo grauiora fuerunt, comparata ad testimonium operum, quibus Dominus probabat se esse filium Dei to. 2. 192. B.
 peccata omnia propter se remissibilia sunt, sed retinentur propter ipsos peccatores to. 2. 330. com. 1.
 peccata retinere quid sit tom. 2. ibid.
 peccati causa Deus quadrifariam solet infirmitates corporales immittere tom. 2. 441. B.
 peccati seruitus per comparationem ad ciuilem seruitutem declaratur tom. 1. 763. com. 2.
 peccatorem peccati seruum esse optimo syllogismo Christus probat tom. 1. 764. com. 2. & seq.
 peccatores ad Deum clamantes quandoque non exaudiuntur tom. 1. 699. B. C.
 peccatores an à Deo exaudiantur fusè tractatur tomo 1. 835. A.
 peccatores in multis exaudiuntur à Deo tom. 1. ibid.
 peccatores miracula quandoque ediderunt, non tamen proprio aliquo opere vel oratione, sed signo aliquo fidei & religionis Christianæ tom. 1. 836. C. D. E.
 peccatores non exaudit Deus si postulent miracula fieri in ostensionem eorum innocentia tom. 1. 836. A.
 peccator & peccatum iuxta quorundam opinionem, voce nihil significantur tom. 1. 31. F.
 peccator quomodo possit bene petere, & quomodo à Deo exaudiatur tom. 2. 278. EF. & seq.
 peccator seruus dæmonis & peccati, quomodo fiat to. 1. 764. com. 2. & seq.
 peccatorum grauitas in cruce Christi ostenditur tom. 1. 280. A.
 peccatorum remissio cur tribuatur Spiritui sancto to. 2. 327. C.
 peccatum cuius excusationem habuissent Iudæi, si Christus non venisset, & locutus fuisset, quodnam sit to. 2. 189. com. 1.
 peccatum, de quo arguendus erat mundus, quodnam fuerit tom. 2. 236. com. 237. A.
 peccatum iteratum grauius est tom. 443. AB.
 peccatum Iudæorum Christum Pilato tradentium, respectu cuius maius dicatur tom. 2. 438. com. 2. 439. com. 1 & A.
 peccatum Iudæorum, qui Christum non receperunt, grauius fuit tom. 1. 65. com.
 peccatum magis in anima residet, quam in carne tom. 1. 79. D.
 peccatum non semper fit ex dæmonis suggestionem to. 2. 24. B.
 peccatum trifariam contingit causam esse corporalis infirmitatis tom. 1. 441. A.
 pentecoste, festum hebdomadarum appellatur tomo 1. 648. D.
 pentecoste quinquagesimo die à Paschate celebrabatur tom. 1. ibid. B.
 pentecoste festum quare institutum to. 1. ibid. F.
 perditum esse neminem ex Discipulis, quomodo sit intelligendum tom. 1. 373. A.
 permittentis verbis vsus est Dominus cum Iuda, propter tres causas tom. 2. 61. com. 1.
 per, quandoque instrumentum, quandoque genus aliquod causæ subindicat tom. 1. 26. C. D.
 persecutionem fugientes Apostoli domo congregati propter metum Iudæorum, prudentem actum fecerunt, sed non prudenter tom. 2. 518. B. C.

persecutiones Christus & Apostoli fugerunt, non timore mortis, sed ob alios honestos fines to. 2. 317. C.
 persecutiones & pericula quandoque expedit declinare to. 1. 641. co. & to 2. 517. B.
 persecutiones pati propter Deum, est efficax ratio ad impetrandum illius auxilium to. 2. 329. co. 1.
 persecutio quælibet Dæmonis siue hominis, Deo sciente & permittente fit tom. 2. 224. A.
 perseuerantia in petitione & oratione necessitas to. 2. 278 & seq.
 persona tantum vna in Christo reperitur to. 811. C. D.
 personarum diuinarum quæ apparuerit olim Patribus to. 1. 1041. B.
 petebant antiqui propter Abraham, Isaac, & Iacob, sed nos propter vnigenitum filium Dei tom. 2. 275. C. 276. B.
 petentes plura & maiora habemus à Deo bona, quam non petentes tom. 2. 287. B.
 petentibus Patrem in nomine Christi, non solum pro se, sed etiam pro alijs promissa est exauditiō to. 2. 276. D. & seq.
 petere etiam potest peccator, & à Deo exauditur tom. 2. 278. F.
 Petere Christum, & in Christi nomine quid sit to. 2. 107. co. 1. 274. co. 275. EF & seq.
 Petere Patrem in Christi nomine quid sit to. 2. 274. co. 275. E. 276. B.
 Petimus aliquid ab hominibus propter tres causas to. 2. 286. B.
 petitio, vt exaudiatur, duo habere debet tom. 2. 161. com. 2.
 Petitio in Christi nomine, habet efficacissimum titulum impetrandi à Patre propter duo to. 2. 275. F.
 petitio ipsa facta Deo, magnum est Dei beneficium to. 2. 286. E. 287. B.
 petitio iungenda est cum mandatorum obseruantia to. 2. 108. 109. 278. D.
 petitio iusta pro illis est, quibus quod petitur rectè conceditur. to. 2. 319. co. 3.
 petitione bona, facit nos Deus dignos suo dono tom. 2. 288. A.
 Petitio duo continet nempe quod petitur, & rationem impetrandi illud to. 2. 275. B.
 petitionem in nomine suo, loco presentia suæ reliquit Christus to. 2. 107. com. 1.
 petitiones nostras aliquando exaudit Deus, dum renuit facere quod petimus to. 2. 277. B.
 petitionis perseuerantia necessaria to. 2. 287. F. & seq.
 petitio quas condiciones habere debeat, vt bona sit, & à Deo exaudiatur to. 2. ibid. D.
 Petri amor & confessio insignis to. 1. 631. com. 1.
 Petri confessio cur non apud Ioannem, sicut apud Matthæum laudata to. 1. 633. 634. A.
 Petri modestia commendatur tom. 2. 30. com.
 Petri charitas & dilectio quomodo non fuerit auersa in negatione, prout dicit S. Leo, explicatur tom. 2. 400. B.
 Petri humilitas tom. 2. 563. A.
 Petri dignitas Ioannis priuilegia superat tom. 2. 570. co. 3. & seq.
 Petri negatio prima ex alijs Euangelistis explicatur to. 2. 385. A.
 Petri negatio secunda similiter explicatur to. 2. 359. B. Item tertia 397. A.
 Petri negatio tertia, quamuis pluribus verbis, vna tamè computatur, quia vna est series rei gestæ tom. 2. 398. B.
 Petri nomen, Simoni de nouo impositum fuit, retento tamen nomine priori to. 1. 163. co. 2. 165. A.
 Petri nomine cur non appellauerit Christus Simonem, quando ei Ecclesie regimen committebat to. 2. 566. com. 2.
 Petro quare, & quomodo prædixerit Dominus mortem crucis tom. 2. 568. com. 1. & ann. seq.

Petro ter

Petro ter prædixit Christus quod cunct cum negaturus tom. 2. 75. A.
 Petro totius Ecclesie curam & regimen committit Christus tom. 2. 561. com. 565. com. 4.
 Petrum cur interrogauerit Dominus, an plus alijs diligat, quod ille scire non poterat tom. 2. 562. D & seq.
 Petrum cur permisit Dominus ad tempus cadere to. 2. 75. com. 4.
 Petrum ter negasse se Dominum cognoscere, antequam gallus bis cantaret, prout refert Marcus, quomodo conueniat cum eo quod dicit Ioannes de negatione Petri tom. 2. 76. A.
 Petrus Ionæ & Ioannis, qui idem sunt, filius dicitur to. 1. 163. com. 2.
 Petrus & Andreas non vna, sed multis vocationibus à Christo vocati sunt to. 1. 165. 166.
 Petrus cum Christo dixit, Tu es filius Dei viui, verum Deum credidit, & confessus est tom. 1. 157. A.
 Petrus, an fuerit primus, cuius pedes lauerit Christus dominus to. 2. 27. B. & seq.
 Petrus cur voluerit Christum remouere à lotione pedum tom. 2. 29. com. & C.
 Petrus Christum negans, non in fide, sed sola confessione defecit tom. 2. 382. D.
 Petrus currens ad monumentum non credidit tunc resurrectionem Domini sed solus Ioannes tom. 2. 497. com. 2. 498. B.
 Petrus an sicco pede super aquas venerit ad Christum, quando post resurrectionem illi apparuit tom. 2. 555. 556. A.
 Petrus cur de dilectione interrogatus tom. 2. 561. com. & D & seq.
 Petrus cur secundò & tertio sit à Christo interrogatus de dilectione tom. 2. 564. com. 3. & seq.
 Petrus cur contristatus fuerit, iam tertio à Christo interrogatus de dilectione to. 2. 566. com. 3.
 Petrus cur de Ioane interrogauerit, Hic autem quid? to. 2. 570. com. 3. 571. A.
 Petrus defenditur in tribus, quæ illi ab Origene imputantur, quando se subtrahere voluit à lotione pedum tom. 2. 29. C.
 Petrus & Ioannes venientes ad sepulchrum Christi, quid significauerint to. 2. 494. com. 1.
 Petrus & successores illius vicarij à Christo relictj, qui vices eius in gubernatione Ecclesie gerant tom. 2. 550. com. 1.
 Petrus feruentior, Ioannes intellectu magis perspicax. tom. 2. 555. com. 1.
 Petrus in negationibus, non fidem, sed charitatem amisit tom. 2. 400. A. B.
 Petrus Ioanem familiari amore diligebat propter Christum tom. 2. 571. B.
 Petrus, non nauim vnã, sed sæculum ipsum suscepisse gubernandum significat, dum se mittit in mare, alijs nauigio peruenientis usque to. 2. 555. com. 2.
 Petrus percutiens seruum Pontificis non caruit culpa: tom. 2. 376. com. 3. & seq.
 Petrus prior Ioanne perueniens ad Dominum, licet posterior Ioanne ipsum agnouerit, quid significet to. 2. 555. com.
 Petrus quorsum interrogauerit, quis esset proditor to. 2. 57. A.
 Petrus quare per Ioannem Christum interrogauerit de proditore tom. 2. 58. A. B.
 Petrus quorsum gladium portaret tom. 2. 376. com. 1.
 Petrus ter tantum negauit Christum, & semper in domo Caiphæ tom. 2. 383. A & seq.
 Pharisei & Scribæ fuerint pastores, & quales fuerint tom. 1. 861. C.
 Pharisei vnde orti, & quando cœperint tom. 2. 364. A.
 Pharisei qui fuerint, & vnde disti to. 2. 363. D.
 Phariseorum simbriae & Philacteriae explicantur to. 2. 364. B. C.

Phariseis falsò imputatur error de transmigracione animarum tom. 1. 118. E. F. & seq.
 Pharisæi hebræorum est, vt exactè respondeant, affirmacione simul & negatione vti tom. 1. 115. com. 1.
 pascha siue Pascha, festum erat ab Azymorum festo diuersum tom. 1. 647. B. C.
 philippi Apostoli humilitas & prudentia commendantur tom. 1. 170. com. 3.
 philippum cur potius quam alium interrogauerit Christus vnde panes emi possent tom. 1. 529. com. 3.
 pilati infelix exitus tom. 2. 441. A.
 pilati iniustitia & arrogantia tom. 2. 435. com. 3. 4.
 pilati potestas in Christum quæ fuerit tom. 2. 437. B. & quomodo illi data sit 438. B.
 pilati verba proponentis, vt Iesus dimitteretur, an coniuncta fuerint cum ijs quæ ceteri Euangelistæ referunt à Pilato dicta circa eandem dimissionem to. 2. 417. A.
 pilato cur Christus non responderit tom. 2. 435. com. 2.
 pilatus existimauit Christum esse regem Iudæorum, non tamen eius regnum aduersari regno Cæsaris to. 2. 413. B. 416. com. 3. & seq. 449. 450. A.
 pilatus quo tempore miserit Christum ad Herodem to. 2. 420. B.
 pilatus multitudinis Deorum assuefactus, Christum quauis hominem, Dei alicuius filium esse suspicatus est tom. 2. 424. com. 3.
 piscationem, quomodo post vocationem ad Apostolatam, reperierint Apostoli to. 2. 551. A.
 pisces ceterum quinquaginta tres capti ab Apostolis, quid significauerint tom. 2. 557. 558. A. B.
 piscina in quos templi vsus seruierit tom. 1. 423. E. F. & seq.
 piscina probatica cur sic appellata to. 1. 419. 429. A. B. C.
 piscinae historiam immeritò Anabaptistæ non recipiunt to. 1. 423. A.
 piscinae miraculum figura fuit aduentus Christi tom. 1. 426. A.
 piscinae motione quare vnus tantum sanitatem recipiebat tractatur tom. 1. 425. B. C. & seq.
 piscinae probatica virtus vnde proueniret to. 1. 424. C. D.
 piscinae virtutem ex ligno in eius fundo iacente prouenisse, fabulosum est to. 1. 424. F.
 piscis, ignis, & panis an ex nihilo facta fuerint à Christo tom. 2. 556. com. 3. & seq.
 plenitudo gratia in Christo multiplex to. 1. 90. C. & seq.
 plenus veritatis dicitur Christus non nullis de causis to. 1. 91. D. & seq.
 pontifex, cuius atrium Ioannes introiuit, erat Caiphæ non Annas tom. 2. 379. A & com. 2.
 pontifex in cuius atrio Petrus interrogatus ab ancilla Christum negauit, erat Caiphæ qui tunc pontificatuungebatur tom. 2. 383. D.
 pontifex in Ecclesia neminem habere potest in dignitate superiore aut æqualem to. 2. 555. com. 1.
 pontifex semel in anno ratum ingrediebatur sancta sanctorum tom. 2. 353. B & seq.
 pontifex vnus qui agnos & oues gubernet, in Ecclesia semper necessarius to. 2. 567. 568. A.
 pontificatus manere fungebantur aliquando fratres primogeniti, illo absque liberis decedente to. 2. 355. E.
 pontifices apud Iudæos dicebantur etiã ij qui semel per aliquod tempus pontificatum gessissent to. 2. 557. B.
 pontifices annui esse ceperunt, cum prius quamdiu vita duraret illo officio fungerentur to. 2. 355. A.
 pontifices quare fuerint simul duo tempore Dauid to. 2. 356. A. D.
 pontificis summi ea sunt omnia, quæ de Aarone scripta sunt ad sacerdotale munus spectantia to. 2. 351. B.
 pontificis summi Iudæorum munera, & functiones quia que tom. 2. 352. A.
 pontificum Iudæorum numerus tom. 2. 355. A. B.
 pontificum Iudæorum origo, & successio tom. 2. 354. A. 357. F.

Porticus Salomonis, quæ fuerit tom. 2. 890. com. 1.
 Possè vel non posse aliquid fieri, sex modis sumptum re-
 peritur in scriptura tom. 1. 1031 C.
 Potentia auctoris plura potest facere, quàm humana in-
 genia valeant per se comprehendere tom. 2. 494. C.
 Potestas diaboli in Christum quæ fuerit to. 2. 437. B.
 Potestas duo significat tom. 2. ibid. A.
 Potestas & usus potestatis quomodo differant tom. 2.
 438. B.
 Potestas omnis carnis data Christo quænam fuerit to.
 2. 308. B.
 Potestas Pilati in Christum quæ fuerit to. 2. 437. B. quo-
 modo illi data sit 438. B.
 Potestas remittendi peccata collata Apostolis à Christo
 est potestas remittendi per sacramentum pænitentiae
 non per baptismum tom. 2. 529. A. B.
 Potestas remittendi peccata cur tribuatur Spiritui san-
 cto tom. 2. 527. C. & cur malis ministris communice-
 tur 528. B.
 Potestas remittendi peccata, quam habent sacerdotes, est
 potestas verè absoluedi & remittendi, non declaran-
 di remissa tom. 2. 530. A.
 Potestas remittendi peccata solius Dei est, & ab illo so-
 lo hominibus communicatur tom. 2. 525. com.
 Potestas remittendi peccata, non tantum ad poenas, sed
 culpas ipsas remittendas valet tom. 2. 530. A.
 Potestas remittendi peccata valde differt ab auctoritate
 prædicandi Euangelium tom. 2. 527. D.
 Potestatem habere credentes vt fiant filij Dei, est prop-
 rium status Euangelici, & quomodo to. 1. 70. E. F.
 Potestatem remittendi peccata acceperunt Apostoli, &
 simul purgati sunt à maculis, quas contraxerant tom.
 2. 528. B.
 Potestatem remittendi peccata accipientes; si dispositi
 sint, accipiunt etiam Spiritum sanctum, quantum ad
 sanctificationem ipsorum tom. 2. ibid.
 Potestatem remittendi peccata conferens Christus, in-
 stituit sacramentum pænitentiae to. 2. 529. B.
 Potestatem remittendi peccata cur dederit Christus A-
 postolis tom. 2. 524. com. Cur hanc potestatem do-
 nauerit dando Spiritum sanctum ibid.
 Potestatem remittendi peccata cur non ante passionem
 communicauerit Christus, nec post suam ascensio-
 nem distulerit tom. 2. 527. B.
 Potestati remittendi peccata soli sibi reseruauerat Deus,
 & ipsa resurrectionis die primum communicauit ho-
 minibus tom. 2. 527. A.
 Pons bis oblatus est Christo in passione sua to. 2. 465. A.
 Præcepta Christi quæ dicantur tom. 2. 172. B.
 Præceptorum obseruantia conseruat, & auget Christi
 amorem erga nos tom. 3. 166. com. 2.
 Præceptum habuit Christus vt homo tom. 2. 167. co. 1.
 Præceptum aliter Christo impositum est quàm cæteris
 hominibus imponitur tom. 1. 883. A.
 Præceptum de subeunda morte pro nostra salute, an Chri-
 stus habuerit, tractatur tom. 1. 879. 880. A. & seq.
 Præceptum habuit Christus moriendi, & ea omnia faci-
 endi quæ ad hominum salutem spectabant tom. 1.
 881. D. 883. D. to. 2. 138. com. 2.
 Præceptum moriendi habuit Christus ab instanti incar-
 nationis tom. 1. 884. A.
 Præceptores duo duorum Christi aduentum to. 1. 117. D.
 Præces Christi, & sacrificium pro quibus fuerint oblatæ;
 & quomodo quoad hoc differat inter se tom. 2.
 319. B.
 Præces Christi non pro omnibus fuerunt semper, nec
 eiusdem rationis tom. 2. 320. C. & seq.
 Prædestinati soli, quos sibi datos à Patre appellat Chri-
 stus vident claritatem & diuinitatem Christi tom.
 2. 343. com. 1.
 Prædicationi Christi, (seclusus etiam miraculis) Iudæi
 credere tenebantur tom. 1. 407. D. E.
 Prædicationis exterior cuiuscunque non sufficit ad assen-

tiendum, nisi interior Spiritu sancto cooperante to-
 2. 129. com. 2.
 Prædicationis hominum est, doctrina verò Dei to. 1. 181. A.
 prædicatores quomodo se gerere debeant in publicis re-
 prehensionibus tom. 1. 680. A. 2.
 prædicatores verbi Dei non solum sermoni & doctrinæ stu-
 dere debent, sed precibus etiam Dei opem implorare
 tom. 2. 297. com.
 prædicebat Christus futura, vt suorum fidè confirmaret
 tom. 2. 50. com. 1. 133. com. 1.
 prædictarum rerum à Christo memoria, quantum iu-
 uerit discipulos Domini dum paterentur tom. 2. 222.
 D. & seq.
 prædictio operum Christi quomodo differat à prædi-
 ctione peccatorum, quæ ab hominibus fiunt to. 2. 47. C.
 prædixit Christus Apostolis post cœnam vltimam tria
 de illorum persecutionibus, quæ prius non prædixe-
 rat tom. 2. 226. F. & seq.
 prædixit ter Christus Petro, quod esset cum negaturus.
 tom. 2. 75. A.
 prælati non sunt mercenarij quamuis oues non eorum
 propriæ sed Christi sint tom. 1. 866. A. B.
 prælati quales esse debeant to. 2. 43. D.
 prælati quales esse debeant ostendit Dominus in electio-
 ne Petri tom. 2. 562. com. & quales eligendi 571. co. 1.
 prælati & Pastores parati esse debent, vitam exponere
 pro ouibus suis tom. 2. 568. B.
 prælati & Pastoris optima vita est imitatio Christi tom.
 2. 570. com. 2.
 præparatio ciborum, concedebatur prima die Azymo-
 rum tom. 1. 15. E.
 præparatio magna fundamenta iacit ad patientiam to.
 2. 70. com. 1.
 præscientia Dei, & scripturarum prophetiæ, non fuerunt
 causa infidelitatis Iudæorum tom. 1. 1027. 1028.
 A. B. C.
 præterita pro futuris in scripturis ponuntur tom. 2. 163.
 com. 1.
 præteritum pro plusquam perfecto more hæbræorum,
 sæpe ponitur in scriptura tom. 2. 393. B.
 prætorium quod adductus fuit Christus Dominus, qui lo-
 cus fuerit tom. 2. 400. com. 401. A.
 primogenitus dicitur quis respectu eorum qui postea
 nascuntur, & etiam quia ipse primò natus est tom. 1.
 88. B.
 primogenitus quare Christus dicatur secundum huma-
 nam, & etiam secundum diuinam naturam tom. 3. 87.
 F. 88. A. & seq.
 princeps cur diabolus dicatur tom. 1. 1013. A. 2. & seq.
 princeps mundi huius diabolus dictus, & qua ratione
 tom. 1. 1014. B.
 princeps huius mundi, id est, diabolus quomodo veni-
 re dicatur tom. 2. 136. com. 2.
 principatus diaboli in quo consistat. tom. 1. 1013. C. D.
 principatu suo quomodo dæmon spoliatus sit tom. 1.
 1015. C.
 principem huius mundi nihil habere in Christo quid
 significet tom. 2. 136. com. 3 & seq.
 principes sacerdotum aliquando dicuntur in scriptu-
 ra qui præfecti erant singulis Sacerdotum classibus
 tom. 2. 360. D.
 principes Leuitarum tom. 2. 361. D.
 principium plura habet significata tom. 1. 9. B. C.
 principium quid significet quando Ioannes ait, In prin-
 cipio erat Verbum tom. 1. ibid.
 principium dicitur & est Christus Dominus tom. 1. 754. A.
 promissio Christi quod credentes in ipsum facturi ef-
 sent opera mira, quæ ipse faceret, non fuit generalis
 tom. 2. 103. com. 2.
 promissio Dei alioqui stabilis & indeficiens, propter pec-
 cata tantum mutari consuevit tom. 2. 354. B.
 promissio facta petentibus in nomine Christi, an sit e-
 tiam intelligenda, quando petimus pro alijs tom. 2.
 276. D. E.

276. D. E. & seq.
 Propheta in Deuteronomio promissus Christus est to. 1.
 501. com.
 Propheta & Patriarchæ in Christi nomine petierunt Pa-
 trem etiam ante aduentum ipsius Christi. to. 2. 281. A.
 diuerso tamen modo ac nos petamus. tom. 2. 282. A.
 Propheta nomine, quem intellexerint Iudæi quæren-
 tes à Ioanne an esset Propheta to. 1. 121. 122.
 Prophetia Caiphæ duos sensus longè inter se diuersos
 habuit. tom. 1. 967. A. B. C.
 Prophetiæ spiritum cur Apostolis Dominus concessit
 rit tom. 2. 254. com. 1.
 Propositiones vniuersales scripturæ quomodo intelli-
 gendæ tom. 2. 180. B. 274. B.
 Pro, præpositio est, quæ in scriptura duas tantum habet
 significationes tom. 1. 100. C.
 Protestari quid significet tom. 2. 51. com. 1.
 Prouerbiū in scriptura, pro Adagio & pro Parabola
 sumptum tom. 1. 831. C.
 Prouidentia Christi erga suos tom. 2. 70. com. 2.
 Proximus etiam ante Euangelium ita diligendus erat,
 vt pro illius salute spirituali, vita temporalis, quando
 opus erat, exponeretur tom. 2. 71. B.
 Proximus semper diligere debuit propter Deum, siue me-
 rita proximi præcesserint, siue non tom. 2. 71. C.
 Psalmorum liber appellatur in Euangelio Ioannis Lex
 tom. 2. 193. com. 2.
 Pueri ante vsum rationis decedentes sine baptismo non
 saluantur tom. 2. 84. B.
 Pullum & asinam ascendit Christus cum Hierosolymā
 ingressus est tom. 1. 991. C. D.
 Puniebantur statim peccata quædam grauiora etiam die-
 bus festis tom. 2. 17. A.
 Puniens Dominus malos, aduenire & egredi dicitur to.
 2. 579. in com.
 Purgat Dominus iustos res superfluas triplicis generis
 relucendo tom. 2. 149. D. E.
 Purgatio duo habet tom. 2. ibid. C.
 Purgationis falsæ quæ fuerit tom. 2. 150. C.
 Purgatio venialium, lotioni pedum comparatur tom. 2.
 37. com. 1.
 Purpurea vestis, qua Christus Dominus est indutus à
 militibus, fuerit nec eadem cum chlamyde coccinea
 tom. 2. 425. C.
 Purpura & coccus quid sint tom. 2. ibid. E. & seq.
 Purpurea vestis Christi quid significauerit quæ satisfac-
 tio, & meritum inde prouenerit; & quid ex ea discen-
 dum sit tom. 2. 427. B. & seq. 429. & seq.

R.

Abbi excellentius aliquid significat, quàm latino
 idiomate magister tom. 1. 155. A.
 Rabbi non significat magistrum nœum tom. 1. ibid. B.
 Ramos palmarum, cur turba populi sumpsit quando
 exiit obuiam Christo tom. 1. 987. A.
 Ratio & Verbum quomodo inter se differant to. 5. C. 6. A.
 Ratio contra omnes turbationes à fide maximè confir-
 matur tom. 2. 81. com.
 Ratio minus quæ agenda sunt videt, quando inferior
 pars turbata est tom. 2. 80. C.
 Recordari discipulos Christi eorum quæ ille prædixit,
 quæntum eos iuuerit dum paterentur tom. 2. 222. D.
 Recubitus Christi in mensa qualis fuerit tom. 2. 56. co. 1.
 Recumbere in sinu quid significet tom. 55. com. 1.
 Redemptio opus fuit excellentius creatione to. 1. 23. cō.
 Redemptio hominum & voluntas Dei, & opus Dei di-
 citur tom. 1. 387. F.
 Regem Iudæorum existimauit Pilatus esse Christum,
 non tamen eius regnum aduersari regno Cæsaris tom.
 2. 413. B. 416. com. 3. 449. 450. A.
 Reges sunt iusti & sancti ex merito Christi in regno spi-
 rituali, & æterno tom. 2. 430. B.
 Regis Iudæorum titulum, cur Pilatus Christo superpo-

fuerit tom. 2. 453. A.
 Regna temporalia Religione Christiana firmius stabili-
 untur tom. 2. 220. A.
 Regnum cælorum nemo quantumcunque iustus ingre-
 di potuit, nisi prius Christus morte sua aperiret ianuam
 tom. 2. 85. Com.
 Regnum Christi, quale nam futurum esset, à Apostoli
 Spiritu sancto adueniente edocti sunt tom. 2. 245. F.
 Regnum cæleste quod nobis promeruit Christus con-
 sequemur per tribulationes iniurias etc. quas pro
 Christo pati debemus tom. 2. 430. E.
 Regnum Dei appellat Christus congregationem se-
 quentium eum tom. 1. 241. com.
 Regnum Dei tria significat tom. 1. 247. D.
 Regnum Dei & vita æterna idem sunt tom. 1. 253. C. D.
 Regnum & Domus Dei idem sunt tom. 2. 84. C.
 Regnum Messiaæ temporale futurum credebant Iudæi
 tom. 2. 410. C.
 Reguli domum cur Christus adire noluit, qui cum Cen-
 tutione iturum se promissit tom. 1. 409. com. 2.
 Reguli fides qualis fuerit tom. 1. 405. com. 1.
 Regulus fuerit ne Iudæus, an Gentilis to. 1. 403. com. 3.
 Regulus paulatim creuit in fide Christi tom. 1. 409.
 com. 3. 411. com. 4.
 Regulus, quia de domo vel de genere regio erat, sic di-
 ctus fuit tom. 1. 403. com. 3.
 Regulus quo iure reprehensus, quia sine miraculis non
 credebat tom. 1. 407. A.
 Religio Iudæorum, & cultus Samaritanorum prædicū-
 tur cessatura diuersis tamè rationibus to. 1. 165. cō. 1.
 Religionem temporalibus bonis accommodare Ethni-
 corum est, Christianorum verò temporalibus Reli-
 gioni deseruire tom. 1. 964. E.
 Religionis statum meliori commutandum, Christus
 prædixit Samaritanæ tom. 1. 363. com.
 Remissio peccatorum non erat ex lege veteri si lex ipsa
 in se consideretur tom. 2. 112. D.
 Reprehensio non importat contemptum to. 1. 160. D. E.
 Reprehensio qualis esse debeat tom. 2. 538. com. 3. & seq.
 Reprobatio quamuis non sit adæquata, est tamen ali-
 qualis causa non credendi tom. 1. 894. D.
 Reprobatur nemo absque culpa sua tom. 1. ibid.
 Responsio exacta iuxta Hebræorum phrasim affirma-
 tione simul & negatione constat tom. 1. 115. com. 1.
 Resurrectionis Christi Domini tempus tom. 2. 491. E.
 Resurrectionis nostræ Christus causa est in quadruplici
 causarum genere tom. 1. 533. D.
 Resurrectionis tam iustorum quàm impiorum Christus
 est causa tom. 1. ibid. A.
 Resurrectio nocebit potius, quàm prosit impijs tom. 1.
 ibid. B. C.
 Resurrectio non solum animarum, sed etiam corporum
 fiet tom. 1. 934. A. B.
 resurgentes corpora assument, non spiritualia, sed car-
 nea tom. 1. ibid. E.
 rete plenum piscibus, nec tamen scissum Ecclesiæ vni-
 tatem significauit tom. 2. 538. com. 4.
 retinentur peccata non propter se (sunt enim omnia
 propter se remissibilia) sed propter ipsos peccatores
 tom. 2. 530. com. 1.
 retinere peccata quid sit tom. 2. ibid.
 retinet etiā Deus peccata, quæ sacerdos clauæ non erran-
 te retinet, nec dimittit tom. 2. ibid.
 retrorsum cur ceciderunt Iudæi tom. 2. 371. C.
 reuerentia exhibita ministro aut contemptus, in eum
 refertur, cuius est minister to. 2. 51. com. 1.
 rex Iudæorum an esset Christus, quare interrogauerit
 Pilatus; non autem an se dixisset regem Iudæorum
 tom. 2. 408. com. 3 & seq.
 Rex Regum efficitur Rex ridiculus, vt nos veri reges æ-
 terni efficeremur tom. 2. 430. C.
 Ritus Ecclesiastici contra hæreticos defenduntur tom. 1.
 367. A.

Regari ab hominibus cur velit Deus. tom. 2. 286. B. & seq. 288.

S.

Sabbata non dicebantur singuli dies, licet à sabbato omnes denominarentur tom. 2. 482. com. Sabbati plures significationes in scriptura tom. 2. ibid. Sabbati observatio, cessationis eiusdem sabbati figura fuit tom. 1. 446 D.

Sabbati præceptum partim ceremoniale fuit to. 1. ibi. A. Sabbati solemnitas occasu Solis finiebatur, post quem licebat operari. tom. 2. 483 E.

Sabbati solemnitas quatuor habebat, quæ ei erant propria tom. 1. 643 D E & seq.

Sabbati transgressor dum Christus appellatur, cur varijs se defendat rationibus tom. 1. 452 A.

Sabbati transgressorem Christum fuisse, dixerunt Iudæi, & hæretici tom. 1. 445 A.

Sabbato apponebantur recentes panes propositionis tom. 1. 644 E.

Sabbato geminabatur iuge sacrificium tom. 1. ibid. B. Sabbato cur Christus fecit opera, quæ alijs diebus præstare potuit tom. 1. 450 C.

Sabbato cur successerit Dominicæ observatio. tom. 1. 446 B.

Sabbato quatuor genera operum licita fuisse to. 1. 447 E. Sabbato quæ opera prohibita fuerint tom. 1. ibi. D. & seq.

Sabbatum vnde dictum tom. 1. 433 A.

Sabbato quantum itineris liceret conficere tom. 1. 643 E. Sabbatum cur fuerit inter festa Iudæorum potissimum tom. 1. 645 E.

Sabbatum aliquando totam hebdomadam significat tom. 2. 482. com.

Sabbatum Christus observavit exactissimè tom. 1. 448 E. Sabbatum figura fuit mortis Christi, & humanæ redemptionis tom. 1. 447 A.

Sabbatum Iudæorum quatuor ob causas cessavit tom. 1. 446 b.

Sabbatum, pluribus de causis apud Iudæos fuit celebratum tom. 1. 445 C.

Sabbatum, quatuor illis quæ ei propria erant, statum beatorum figuravit tom. 1. 645 B.

Sabbatum quod sequebatur diem mortis Christi Domini quare dictum sit magnus dies tom. 2. 15 F.

Sacerdos summus tantum semel in anno ingrediebatur sancta sanctorum tom. 2. 353 B & seq.

Sacerdotes habent potestatem verè aboluendi & remittendi peccata tom. 2. 329 C D & seq.

Sacerdotes in remittendis peccatis, non tantum peccata, sed personas & illarum dispositiones respicere debent tom. 2. 330 B.

Sacerdotes magni fuerintne vnquam duo simul? tom. 2. 355 F.

Sacerdotes summi quare fuerint duo tempore David tom. 2. 356 A D.

Sacerdotes etiam per Christum à templo eiecti fuere tom. 1. 215 A.

Sacerdotes summi, cum pontificatum gererent quando vita duraret, cur postea paucis annis, & denique vno tantum anno illo officio fungerentur tom. 2. 354. E F. & seq.

Sacerdotis summi functiones & munera quinque tom. 2. 352 A.

Sacerdoti summo defuncto, succedebat primogenitus illius tom. 2. 354 A.

Sacerdotis summi appellationes tom. 2. 351 A B.

Sacerdotis summi ea sunt omnia, quæ de Aaron scripta sunt ad munus sacerdotale spectantia tom. 2. ibid. B.

Sacerdotum vices & turmæ tom. 2. 359 B.

Sacerdotum secundi ordinis origo tom. 2. 357 F. & seq.

Sacerdotum summorum origo & successio tom. 2. 354. A. 357 F.

Sacerdotum summorum numerus, cur alius colligatur

in scriptura, alius verò ex Iosepho, & cæteris tom. 2. 355 C.

Sacerdotum secundi ordinis ea sunt, quæ de filij Aaron ad munus sacerdotale spectantia scribuntur tom. 2. 351 B.

Sacerdotum in classes 24. distributio tom. 2. 358 E.

Sacerdotum secundi ordinis munera & functiones scriptæ tom. 2. ibid. C.

Sacerdotes summi aliquando dicuntur in scriptura præfæcti singularem classium tom. 2. 360 C.

Sacramenta Ecclesiæ per quæ iustificamur, significata sunt per sanguinem & aquam, quæ ex latere Christi fluxerunt tom. 2. 471. com. 2.

Sacramentum Eucharistiæ, quando fuerit institutum à Christo tom. 2. 40. com. 2. 55. com. 1.

Sacrificare non licebat Iudæis, nisi Hierosolymis tom. 1. 214. com. 1.

Sacrificia Iudæorum, multum à gentium sacrificijs differabant tom. 1. 369 C.

Sacrificium iuge figura fuit nostri Sacrificij to. 1. 644 C.

Sacrificia Iudæorum quatenus Christi figura, Deo placebant tom. 1. 369 C.

Sacrificium Christi, fuit generale pro omnium & singulorum peccatis ex parte sua sufficientissimum tom. 2. 319 B.

Sacrificium Christi & preces eiusdem differunt, quoad illos pro quibus offerebantur tom. 2. ibid.

Sacrificium acceptissimum Patri se ostendit Christus, pro suis inimicis, & cæteris omnibus, dum à Pilato horrendum spectaculum ostenderetur Iudæis tom. 2. 431. com. 2.

Salim quæ ciuitas fuerit tom. 1. 301 B.

Salua è capite defluens, filium significat à Patre procedentem tom. 1. 818 A.

Salutem hominum voluit, & effecit Deus tom. 1. 383 co.

Samarita primo anno post passionem Domini, conuersa fuit ad Christum. tom. 1. 340 C.

Samarita nomen est prouinciæ, & nomen ciuitatis tom. 1. 331 A.

Samarita à Somet dicta tom. 1. 331 A.

Samaritana quam se prudenter gesserit cum Christo loquens tom. 1. 350. com. 2.

Samaritana quinquies matrimonium contraxerat, sextus non maritus sed adulter erat tom. 1. 359 A.

Samaritana multiplici matrimonio incontinentiam suam ostendit tom. 1. 359 B.

Samaritani etiam sperabant Messiam venturum tom. 1. 375 com. 1.

Samaritana cur Iacob patrem suum appellauerit tom. 1. 351. com. 1.

Samaritana charitate mota, suos concines accersit to. 1. 377. com. 2.

Samaritani nomen ac dæmoniacy, Christus refellit to. 1. 787 A.

Samaritani verè erant Idololatæ tom. 1. 363 A.

Samaritanis non coutebantur Iudæi, solum quia eos oderant tom. 1. 337 E. & seq.

Samaritani quare velut Ethnici à Iudæis haberentur to. 1. 338 E. & seq.

Samaritanos Iudæi contemnebant veluti idololatras tom. 1. 334. com. 4.

Samaritanos dedignabantur Iudæi multis de causis tom. 1. 339 B.

Samaritanorum religio & ceremoniæ tom. 1. 338. D.

Samaritanorum origo tom. 1. ibid. C.

Samaritanorum fides commendatur tom. 1. 402. com. 2. & seq.

Samaritanorum conuersio ad finem Ianuarij facta est tom. 1. 393 A.

Samaritanum cur Iudæi Christum appellauerint to. 1. 785 co.

Sancta sanctorum semel in anno tantum ingrediebatur summus sacerdos tom. 2. 353. B.

San-

Sanctificatus dicitur Christus à Patre, non solum vt homo, sed etiam vt Deus to. 1. 903 904. B C D.

Sanctificare quid significet in scriptura to. 2. 333. com. 1.

Sanctificare in veritate quid sit tom. 2. 331. com. 1.

Sanguis & aqua quæ ex latere Christi fluxerunt, sacramenta Ecclesiæ, præsertim Baptismum, & Eucharistiæ significarunt tom. 2. 471. com. 1.

Sapientia Dei omnium creatrix, ex ipsarum creaturarum ordine cognosci potest tom. 1. 64. F. & seq.

Scandalum quid sit tom. 1. 620. com. 2. & to. 2. 209. co. 1.

Scandalum audientium Eucharistiæ doctrinam, quale fuerit tom. 1. 63. com. 2. & seq.

Scenopægia quando & quomodo à Iudæis celebrata tom. 1. 652. A.

Scenopægia festum quare institutum tom. 1. ibid. C.

Scientia Christi qualiter eadem cum scientia Patris, & qualiter ab illa diuersa sit tom. 1. 673. A B.

Scientia Dei non determinat futura, sed prædicit, quæ fient tom. 1. 749. A.

Scire aliquid & simul ignorare, tribus modis contingit tom. 2. 89. A.

Scire omnia, & secreta cordium aperire, Dei proprium est tom. 2. 291. com. 1.

Scire & videre Spiritum sanctum, quomodo differant tom. 2. 115. com. & A.

Scribarum munus quodnam esset apud Iudæos tom. 2. 213. A.

Scribarum institutio & initia tom. 2. 363. B.

Scribarum munera duo tom. 2. 361. F. 362. E.

Scribæ dicuntur etiam in scripturis, Lectores, & legis Doctores & legis periti tom. 2. 362. A.

Scribæ & Pharisei in synagogis principatum gerebant tom. 2. 215. A.

Scribæ vnde dicantur tom. 2. 362. A.

Scribæ qui fuerint apud Iudæos tom. 2. 361. E.

Scriptis Christus in terra quid & quare, dum de adultera interrogatus esset tom. 1. 725. D.

Scriptura non omnia quæ ad vnum effectum necessaria sunt vno in loco, sed in diuersis docere solet to. 2. 278. C.

Scripturæ quomodo Christo perhibeat testimonium tom. 1. 501. com.

Secreta cordium aperite, Dei proprium est to. 2. 291. co. 1. sed, quo sensu particulam hanc sæpe vsurpet Ioannes tom. 2. 187. com. 1. 215. com.

Sententia iusta in mundum & eius Principem per Christum lata fuit to. 1. 1011. E. & seq.

Sepeliebant Iudæi viros insignes magna aromatum copia to. 2. 476. com. 3.

Sepelire mortuos diebus festis licebat tom. 2. 16. C D.

Sepulchro nouo & alieno, cur voluerit Dominus sepeliri to. 2. 477. com. 3. & A.

Sepulchræ officium quod Christo Domino præstitit Ioseph quid significauerit tom. 2. ibid. com. 1.

Sermo Christi, quomodo iudicaturus dicitur eos, qui Christi verba non recipiunt tom. 1. 1051. com. 1.

Sermo Christi, quibus modis purgauerit Apostolos, to. 2. 151. com.

Sermo Christi fuit falsus, qua purgauit Apostolos, tanquàm palmites sub tom. 2. 150. B C.

Sermo qui purgauit Apostolos, quisnam fuerit tom. 2. 151. C. 153. A.

Serpens æneus, fuit aptissima inter omnes figuras quæ Christum præcesserunt tom. 1. 276. A.

Serpens æneus quomodo fuerit figura, nō solum Christi, sed omnium eius mysteriorum, fusè tractatur to. 1. ibid. & seq.

Seruari à malo quid sit tom. 339. com. 2.

Serui dicti sunt, qui ad statum legis. vet. pertinebant; at nunc amici in Euangelio dicuntur tom. 2. 177. com. 1.

Serui sumus natura & debito, sed conditione & statu nunc sumus filij & amici Dei tom. 2. 178. A.

Seruitus peccati per analogiam ad seruitutem ciuilem manifestatur to. 1. 765. co. 2.

Seruitus triplex à qua per Christi libertatem eripimur to. 1. 761. B.

Seruo bono & probato secreta Dominus manifestat, non vt seruo, sed vt amico to. 2. 178. C.

Seruorum & Dei filiorum collatio to. 1. 765. co. 2.

Seruus magni beneficij loco habere debet, si æqualem habeat cum Domino conditionem to. 2. 185. co. 2.

Sequitur Christum, qui eius obseruat legem tom. 1. 732. co. 3.

Sichar eadem est ciuitas quæ Sichen, & qualis illa fuerit to. 1. 331. B C.

Sichar multis de causis in scriptura celebris tom. 1. ibid.

Signum Iudæis petentibus, cur non aliud quàm Resurrectionem dedit Christus tom. 1. 223. A.

Siloe baptisimi figura fuit to. 1. 819. A.

Siloe Christum representabat to. 1. 818. C.

Siloe non fons, sed piscina dicebatur, in quam recipiebantur aquæ à fonte defluentes to. 1. 817. E.

Simon, & Simeon, ethymologia & significatione differunt to. 1. 157. A.

Simon crucem Christi portans quid significaret tom. 2. 421. A.

Simon quando & quomodo crucem Christi portauerit to. 2. 449. B.

Si, particula, non semper conditionalis, sed quandoque etiam affirmatiua est to. 1. 662. A.

Si, non semper conditionalis, sed aliquando causalis est to. 1. 1017. A.

Sinum Patris tenere, vel in eo esse, non significat tantum à Deo diligi to. 1. 109. E. & seq. 100. D.

Sinus Dei; naturæ identitatem, & arcanorum eius cognitionem, significat tom. 1. 110. A B.

Sirmione concilio quomodo intelligi voluerit illud Gen. 19. Pluit Dominus à Domino to. 2. 198. E.

Situm vtramque quomodo aqua viuâ Spiritus sancti exinguat tom. 1. 351. & seq. 353. & seq.

Sitis duplex; corporalis vna, spiritualis altera tom. 1. 351. A.

Sitis Christi in cruce to. 2. 464. com. 3.

Spasmus in Beata Virgine improbabiler quidem fingunt to. 2. 461. co. 1.

Species Eucharistiæ sunt symbolum Ecclesiæ tom. 1. 391. C.

Speci habitus aufertur à damnatis tom. 2. 159. co. 2.

Spinea Christi corona quid significauerit, quæ satisfactio, & meritum inde prouenerit, & quid ex ea discere debeamus to. 2. 427. B. & seq.

Spiritu turbati quid sit to. 2. 32. com. 2.

Spiritu sancto illustrante, multa postea intellexerunt Apostoli, quæ prius non intellexerant to. 2. 129. co. 2.

Spiritu sancto docente Apostolos, docuit etiam Christus per ipsum to. 2. 243. co.

Spiritualis homo quadruplici libertate donatur. to. 1. 259. co. 1.

Spiritualium hominum viæ & consilia occulta sunt to. 2. 268. co. 2.

Spiritu sancto, cur tribuatur potestas remittendi peccata to. 2. 527. C.

Spiritu sanctum manere super Christum quid sit to. 147. CD.

Spiritu sanctum mensurum in æternum cū Apostolis, promisit Christus, & impletum est tom. 2. 113. com. 1.

Spiritu sanctum manere apud Apostolos & in ipsis esse, quomodo differat to. 2. 116. co. 2.

Spiritu sanctum cur non dederit Christus Apostolis, quando promisit to. 2. 129. co. 2.

Spiritu sanctum quomodo mittat Filius à Patre to. 2. 197. C.

Spiritu sanctum procedere à Patre per Filium, quomodo sit intelligendum to. 2. ibid. D.

Spiritu sanctum procedere principaliter à Patre, quo-

tia, sed quia virtutis diuinæ efficacia ducuntur tom. 1. 577. A.

Transitus quare dicatur mors Christi tom. 2. 20. com. 1.

Transmigratio animarum, falsò Pharisæis imputatur tom. 1. 118. E. & seq.

Transubstantiatio panis in corpus Christi confirmatur tom. 1. 615. 616. C. & seq.

Traxit ad se omnes Christum exaltatus in cruce, & quomodo, explicatur tom. 1. 1017. 1018. ABC.

Tribulationes via sunt, qua deueniendum est ad Regnū, quod nobis promeruit Christus tom. 2. 430. E.

Trinitas personarum in Deo, nequit ex creaturarū cognitione deduci tom. 1. 63. F. & seq.

Trinitatis opera indiuisa sunt tom. 1. 25. B.

Trinitatis quæ persona olim apparuerit Patribus tom. 1. 1041. 1042. B & seq.

Tunicam Christi & vestes etiam omnes sortiti sunt inter se milites tom. 2. 458. A.

Tunicas plures quomodo prohibuerit Christus tom. 2. 459. D.

Tunicæ Christi integritas, & vestitum diuisio, quid significant tom. 2. 458. C.

Turbatio Christi motus fuit compassionis voluntariæ à Christo excitatus tom. 1. 941. A. B.

Turbatio, commune quid est omnibus passionibus appetitus tom. 2. 79. B.

Turbatio discipulorum ex quibus passionibus cōstaret tom. 2. 81. A.

Turbatio discipulorum qualis fuerit tom. 2. 79. com. & A.

V.

Velata Christi facies, cui illuserunt Iudæi & gentiles, quid significet tom. 2. 427. com. 2.

Vendentes cur è templo non solo verbo, sed tremendo illo facto Christus expulerit tom. 1. 219. C & seq.

Vendentes in templo, quare cieci sunt à Christo tom. 1. 217. 218. AB. & seq.

Vendentes in templo, bis à Christo cieci sunt to. 1. 214. com. 2. 218. B.

Venialia peccata non impediunt absolutam munditiæ quæ est per gratiam tom. 2. 37. B.

Venire homines in mundum quid sit tom. 1. 59. D. & seq.

Venire in nomine Domini quid sit to. 1. 992. com. 1.

ventus, in quibus cum Spiritu sancto aliqualem similitudinem habeat tom. 1. 261. 262. 263.

verba Christi quomodo significant illum esse filium Dei à Patre procedentem tom. 2. 101. com. 1.

verba Christi, quatuor modis à nostris desurrunt tom. 1. 431. BC.

verba Dei duo esse finxit Eunominus tom. 1. 13. A.

verbum Christi manere in aliquo, quid significet tom. 2. 161. com. 2. & A.

verbum caro, & non homo factum est, cur dixerit Euangelista tom. 1. 79. C. & seq.

verbum caro, & non filius Dei caro factus est, quare dixerit Euangelista tom. 1. 77. E.

verbum caro factum est à tota Trinitate tom. 1. 82. CD.

verbum caro factum dicitur, vt maior extremorum distantia magis Dei charitatem commendat tom. 1. 79. E.

verbi, cur potius quàm filij nomine Ioannes vtatur in initio sui Euangelij tom. 1. 16. C. 17. A.

verbum Dei fecit omnia, quæ extra facientem sunt tom. 1. 25. B.

verbum Dei non tantum sensibile, sed etiam spirituum auctor & factor est tom. 1. ibid. DE

verbum Dei lux hominum, sed non Angelorū dicitur, quia non hos, sed illos tantum redemit tom. 1. 42. D.

verbum Dei, si animam rationalem non sumpsisset, homo non diceretur tom. 1. 78. E.

verbum Dei audire, est ei obedire tom. 1. 784. com. 2.

verbum Dei vita & lux dicitur, quia vita est illorum tantum quos fide illuminat tom. 1. 40. com.

verbum Dei lux dicitur, quia naturale & supernaturale lumen hominibus præstat to. 1. 39. AB.

verbum Dei, vita dicitur in scriptura tom. 1. 39. com.

verbum Dei qua ratione potuerit ex creaturarum cognitione deduci tom. 1. 64. C.

verbum Dei, lux dicitur potissimum postquam carnem induit tom. 1. 41. A.

verbum Dei, multipliciter differt ab humano verbo & Angelico tom. 1. 8. BC. 11. A. B. & seq.

Verbum dicitur filius Dei, quatuor de causis tom. 1. 15. D.

verbum diuinum omnium rerum creatorem & conservatorem esse Ioannes significauit verbis illis, Sine ipso factum est nihil tom. 1. 32. CD.

verbum diuinum animam sumpsit rationalem, & non tantum sensitiuam tom. 1. 73. CD.

verbum Diuinum & carnem & animam, quæ humanæ naturæ partes sunt, sumpsit tom. 1. 78. B.

verbi diuini æternitas significatur à Ioanne verbis illis, In principio erat tom. 1. 20. AB.

verbi Diuini, quinque proprietates deducunt Patres ex illis Ioannis verbis, Verbum erat apud Deum tom. 1. 11. 12. A. B.

verbi Diuini æternitatem, consubstantialem, & distinctionem à Patre, significauit Ioannes verbis illis, Et Verbum erat apud Deum 1. 20. A. B.

verbi Diuini duplicem statum, à Salomone expressum, tradit Ioannes in primis sui Euangelij verbis tom. 1. 23. ABC.

verbi Diuini æternitatem, quare prius quàm eius substantiam Ioannes proposuerit in initio sui Euangelij tom. 1. 17. EF.

verbi diuini efficacia tom. 1. 377. com. 2.

verba efficacius audientium permouent animos, quando facta præcedunt tom. 2. 31. com. 1.

verbum, & ratio differunt in se tom. 1. 5. BC.

verbum in humanitate sua, lux vera dicitur tom. 1. 57. C. & seq.

verbum, nomen est personale & proprium filio Dei to. 1. 16. A.

verbum non est dicendum Patris instrumentum tom. 1. 27. BC.

verba per humanitatem Christi prolata, erant etiam Patris, sed diuersè tom. 2. 101. com. 1.

verborum supplementa facienda sunt, quando ex his quæ in contextu habentur, sententia non perficitur tom. 2. 138. BC.

Veritas est doctrina Christi tom. 2. 199. com. 1.

veritas est, qua quod promissum est impletur tom. 1. 91. D.

veritas legè frequenter significat tom. 1. 298. com.

veritatis nomine multa significantur tom. 1. 91. D. & seq. 777. A. & seq.

veritas omnis, quam Spiritus sanctus docturus erat Apostolos, quænam fuerit tom. 2. 249. com.

veritatis plenus dicitur Christus, multis de causis tom. 1. 91. D & seq.

veritas, quæ per Christum facta est, quid significet tom. 1. 101. com. 104. B.

veritates, quibus assentitur intellectus, in duplici sunt differentia tom. 1. 509. A.

veritas triplex tom. 2. 113. com. 2.

veritatis vis & natura tom. 1. 825. com. 3.

veritas vmbis & promissionibus, gratia verò vniuersæ legi opponitur tom. 1. 104. A.

verè ex veritate esse quid sit tom. 2. 415. com. 1.

veracem quomodo Deum facit, qui Christo credit tom. 1. 315. A. B.

vesper duplex apud Hebræos tom. 2. 8. B.

Vesper secundus id est occasus solis, in enumeratione dierum aliquando computabatur cum sequenti aliquando enim præcedenti de tom. 2. ibid. D.

vesperis vocabulum Hebræum id est ²⁷⁷ nunquam in scriptura accipitur pro nocte to. 2. 484. C.

Vestes Christi, an ita diuisæ fuerint, vt etiam scissæ sint to. 2. 457. A.

vestes Christi cur inter se diuiserint milites tom. 2. ib. B.

vestes Christi quot & quales fuerint to. 2. 459. C.

vestes Christi an sorte diuisæ fuerint à militibus, an verò sola tunica to. 2. 457. E.

vestium Christi diuisio, & tunicæ integritas, quid significant to. 2. 458. C.

vestes Christi non omnino viles, sed honestæ fuerunt to. 2. 457. D.

vestes latronum qui cum Christo crucifixi sunt, an fuerint diuisæ inter milites to. 2. 457. E.

viam Domini dirigere & præparare, quid sit tom. 1. 124. com.

via, per quam Christus ibat ad Patrem diuerso modo ad Christum & ad nos refertur to. 2. 90. BC.

via, veritas, & vita, quare dicatur Christus tom. 2. 91. com.

vicarium vnum in terris reliquit Christus, ita vt vices illius successiuè vnus post alium gerat tom. 2. 550. com. 1.

videndi verbum in scriptura vsurpatur pro quacunque sensatione to. 2. 540. B.

vident apud diabolum quæ filij diaboli faciunt, quomodo intelligendum sit tom. 1. 767. com. 3.

videre Deum, in scriptura quinque modis sumptum reperitur tom. 1. 107. B. & seq. 108.

videre Deum in humanitate assumpta, excellentius est, quàm in quacunque alia figura to. 1. 108. A.

videre & scire Spiritum sanctum quomodo differant tom. 2. 115. co. 1.

videre, in bonum & in malum in scriptura accipitur to. 1. 321. co. 2.

vini defectio in nuptijs Cana vnde prouenerit to. 1. 185. com. 1.

vinum à Christo in nuptijs factum, rubrum erat tom. 1. 210. C.

vinum myrrhatum quodnam esset & cur datum sit Christo, & ipse noluerit bibere to. 2. 465. A. & seq.

vino vti malum non est vt Seucus mentiebatur tom. 1. 210. BC.

virtutes infusæ & morales auferuntur à damnatis to. 2. 159. com. 2.

visio duplex mentis & corporis to. 2. 97. co. 2.

visus est Deus olim, non in essentia, sed in figuris to. 1. 107. DE & seq.

visus excludit fidem to. 1. 381. co. 1.

vita non solum pro temporali, sed pro æterna apud Ioannem sumitur to. 1. 931. 932. A. B.

vitam exponere pro bonis temporalibus, aliquando licet to. 864. A. B.

vitam habere, & abundantius habere, multa significat to. 1. 859. com. 1.

vitam in verbo Dei esse, multis modis verum est to. 1. 33. 34. B. & seq.

vitam in semetipso, & à semetipso habere quàm sint diuersa tom. 1. 479. co. 1.

vitæ nomine, spirituales vitam gratiæ & gloriæ significat Ioannes, quando dicit, In ipso vita erat tom. 1. 35. BC.

vitæ nomine quandoque vitam à verbo Dei nobis præstitam, quandoque illam quæ in ipso Dei verbo est, significatur tom. 1. 40. com.

vitam per peccatum amissam, Deus per verbum suum nobis restituit to. 1. 34. com.

viti cur & qua ratione Christus comparetur to. 2. 143. co. A. & seq.

Vitis similitudo passionem & mortem indicat tom. 2. 145. A.

Vitis similitudo significat etiam Apostolorum purificationem tom. 2. ibid. B.

Vitis vera quid significet tom. 2. 142. 143. com.

Viuere dicitur Christus propter Patrem, non solum vt homo, sed etiam vt Deus tom. 1. 613. BC. & seq.

Viuere in carne, & secundum carnem differunt tom. 2. 330. com. 1.

Viuificare plus significat quam suscitare to. 1. 465. CD.

Viuificare quadrifariam in scriptura accipitur tom. 1. ibid. A.

Vna sabbati ponitur pro prima tom. 2. 482. com.

Vndecim numero in Euangelio qui dicitur to. 2. 532. B.

Vnctiones, quibus à Magdalena Christus fuit vnctus, quot fuerint tom. 1. 979. 980. A. B.

Vnctus fuit Christus in incarnatione tom. 1. 146. F.

Vnxit Maria bis Christum Dominum to. 1. 979. 980. ABC.

Vnigenitus Patris Christus dicitur, quia est ei consubstantialis tom. 1. 87. A. B.

Vnio Christi & illius sumentis in Eucharistia, quomodo sit intelligenda to. 1. 611. 612. A. B.

Vnitas Apostolorum, quomodo similis fuerit vitati Patris, & Filij tom. 2. 323. A.

Vnitatem charitas affert, tamen ordinem non confundit tom. 2. 324. B.

Vnitas duplex Animorum & corporum in Deo tom. 2. 337. DE.

Vnitas fidelium duplex to. 2. 335. com. 2. 337. A.

Vniuersales Propositiones scripturæ quomodo intelligendæ tom. 2. 180. A. B. 274. B.

Vnum sumus in Deo, non cum Deo tom. 2. 337. B.

Vocati à Christo quare tam citò responderint to. 1. 175. com. 1.

Vocantem Christum sequi, non leuitas erat sequentiū, sed virtus verbi vocantis tom. 1. 166. com. 2.

Vocis Christi efficacia to. 2. 508. com. 3.

Volo in scriptura, sæpe significat precationem, non imperium to. 2. 344. com. 1.

voluntas trisariam in scriptura sumpta to. 385. A.

voluntas naturalis, & Deliberata reperiebantur in Christo to. 1. 1004. co. 2. 1005. F. 1006. A.

voluntate carnis, turpis concubitus, voluntate viri, honestus significatur tom. 1. 74. com. 2.

voluntatem Dei faciens, quomodo dicatur cognoscere doctrinam Christi tom. 1. 673. D.

voluntatem Patris facere, quomodo à Christo cibus appelleretur fuscè tractatur tom. 1. 390. E. & seq.

voluntatem Patris facere, & opus perficere eius, quid sit tom. 383. co.

Vox clamans dicitur Ioannes, vt tria subinducuntur to. 1. 82. co. & seq.

vox de cælo cur ad Christum facta fuerit tom. 1. 1008. com. 1.

vox dictus est Ioannes tribus de causis to. 1. 123. A.

vox Spiritus sancti quomodo audiatur to. 1. 260. co. 2. & seq.

vsus potestatis & potestas quomodo differant tom. 2. 438. B.

vt, aliquando causam, aliquando consequentem significat in scriptura tom. 1. 809. C.

vt, consecutionem aliquando significat, non causam tom. 2. 193. co. 2.

Z.

Zacharias Pater Ioannis Baptistæ an fuerit summus Sacerdos to. 2. 359. C.


Zelus quid sit, & quantus in Christo fuerit to. 1. 220. co. & seq.

Finis indicis rerum memorabilium.

INDEX EORVM TAN- TVM SCRIPTVRÆ LOCO.

RVM, QUI VEL EX PROFESSO, VEL
OBITER IN HOC VOLVINE EX-
PLICANTVR.

Genesis.

 Genef. 1. In principio creauit Deus
caelum & terram tom. 1. 5. com.
10. C D. 8 B.
Genef. 2. Hoc nunc os ex ossibus me-
is, & caro de carne mea tom. 1.
80. A B.
Genef. 17. Non vocaberis Abram.
to 1. 164. B.
Genef. 19. Pluit Dominus à Domino sulphur &c. tomo
2. 198 C.
Gene. 22. Nunc cognoui quia timens Deum tom. 1. 792
com. 2.
Genef. 24. Rebecca egrediebatur habens hydriam in
scapula sua tom. 1. 334. com. 3.
Genef. 28. Vidit Iacob Angelos Dei ascendentes & def-
cendentes tom. 1. 177. A.
Genef. 32. Vidi Dominum facie ad faciem tom. 1. 107. D.
Gen. 49. Catulus leonis Iuda tom. 1. 140. B.
Gen. 49. Non auferetur Sceptrum de Iuda, donec veniat
qui mittendus est tom. 1. 113. A. 114. D.
Genef. 49. Ligans ad vitem pullum suum, lauabit in vi-
no stolam suam &c. tom. 2. 143. A.

Exodus.

Exod. 3. Qui est misit me ad vos tom. 1. 117. com.
Exod. 12. Decima die mensis tollat vnusquisque agnum
&c. tom. 1. 988. A.
Ibidem. Est enim phasid est transitus Domini tom. 2.
5. C.
Exod. 19. Vnctus fuit Aaron Sacerdos tom. 1. 159. A.
Exod. 33. Non videbit me homo & viuere tom. 1. 105. C.

Deuteronomium.

Deut. 18. Prophetam suscitabit Dominus de medio fra-
trum vestrorum to. 1. 128 A. 501. com.
Ibidem. Ponam verba mea in ore eius, & loquetur quæ
cumque præcepero ei tom. 1. 881. E.
Deut. 19. In ore duorum aut trium testium, stabit omne
verbum tom. 1. 736. co. 2. & seq.
Deute. 21. Maledictus omnis qui pendet in ligno tom. 1.
178. BC.
Deut. 26. Dominum elegisti hodie, vt sit Deus tuus to. 2.
182. A.
Deuter. 28. Maledictus qui non permaferit in omnibus
quæ scripta sunt in libro legis tom. 1. 278. B.

Iosue.

Iosue 7. Da gloriam Deo, & confitere tom. 1. 828. com. 3.
Iosue 14. Hebron vocabatur Cariatharbe. Adam maxi-
mus ibi inter Enacim situs est tom. 2. 452. C.
Iosue vlt. Testes vos estis, quia ipsi vos hodie elegeritis
Dominum &c. tom. 2. 182. A.

Iudicum.

Iudic. 9. Pax tecum, ne timeas, non morieris tom. 2. 519.
com. 2.

Rut. 4.

Rut. 4. Soluebat calcamentum suum, & dabat proxi-
mo tom. 1. 132. C.

Primus Regum.

1. Reg. 2. Videbis æmulum tuum in templo in vniuersis
prosperis Israel tom. 2. 356. E.
1. Reg. 16. Pacificusne est ingressus tuus? tom. 2. 519.
com. 2.
1. Reg. 16. Num coram Domino est Christus eius to.
1. 142. com. 152. C.
1. Reg. 28. Quare inquietasti me vt suscitares tom, 1.
465. D.

Secundus Regum.

2. Reg. 15. Rex quoque transgrediebatur torrentem
Cedron tom. 2. 364. com.
2. Reg. 16. Habes autem tecum Sadoc, & Abiathar Sa-
cerdotes tom. 2. 355. F.
2. Reg. 16. Quid mihi & vobis filij Saruiz? tom. 1.
189. A.

III. Regum.

3. Reg. 19. Vngitur Elisæus in Prophetam tom. 1. 159. A.

IV. Regum.

4. Reg. 2. Et sanatae sunt aquæ tom. 1. 200. A.
4. Reg. 9. Pax est Ichus; tom. 2. 519. com. 2.

Iob.

Iob. 36. Omnes homines vident eum, & vnusquisque
intuetur procul tom. 1. 107. B.

Ex Psalmodum libro.

Psal. 4. Quis ostendet nobis bona tom. 1. 900. com. 2.
Psal. 5. Iudica eos Deus tom. 1. 288. B.
Psal. 7. Scrutans corda & renes Deus tom. 1. 173. A.
Psal. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus tom.
1. 951. C.
Psal. 21. Clamabo & non exaudies, & non ad insipien-
tiam mihi tom. 1. 1007. A.
Psal. 21. Annuntiabitur Domino generatio ventura to.
1. 205. A. 446. E.
Psal. 25. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia
mea ingressus sum tom. 1. 288. A.
Psal. 32. Beatus vir cui non imputauit Dominus pecca-
tum. &c. tom. 1. 171. com. 2.
Psal. 34. Congregata sunt super me flagella & ignorauit
tom. 2. 423. com.
Psal. 40. Verbum iniquum constituerunt aduersum me
tom. 1. 965. C.
Psal. 44. Voxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ tom. 1.
146. D. 160. A.
Psal. 44. Quia concupiuit Rex speciem tuam tomo 1.
346. B.
Psal. 46. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus to.
1. 83. C. D.
Psal. 47. Ibi dolores vt parturientis tom. 2. 270. C.
Psal. 50. Miserere mei Deus secundum magnam miseri-
cordiam tuam tom. 2. 281. B.
Ibidem. Lauabis me & super niuem dealabor tom. 1.
345. F.
Psal. 56. Exurge gloria mea, exurgam diluculo tom. 2.
493. A.
Psal. 68. Zelus domus tuæ comedit me tomo 1. 220. com.
Psal.

F N D E X

Psal. 68. In siti mea potauerunt me aceto to. 2. 465. com.
1 & A B.
Psal. 71. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam
filio Regis tom. 2. 241. com.
Psal. 79. Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem
Ioseph tom. 1. 85. B.
Psal. 80. Buccinate in Neomenia tuba tom. 1. 650. C.
Psal. 81. Ego dixi diestis tom. 1. 901. com. 3. & A B.
Psal. 84. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi tom. 1.
91. D.
Psal. 88. Misericordiam autem meam non auferam ab
co tom. 2. 281. B.
Psal. 104. Nolite tangere Christos meos tom. 1. 159. E.
Psal. 108. In generatione vna deleatur nomen eius tom.
1. 742. A.
Psal. 117. O domine saluum me fac, benedictus qui venit
in nomine Domini tom. 1. 989. C.
Psal. 118. Et lex tua veritas tom. 1. 297. com.
Psal. 130. Dominus custodiat introitum tuum & exitum
tuum tom. 1. 857. com. 2.
Psal. 122. Ad te leuauit oculos meos, &c. tom. 1. 949. C.
Psal. 131. Propter Dauid seruum tuum, non auertas fa-
ciem Christi tui tom. 2. 281. A.
Psal. 131. Parauit lucernam Christo meo tom. 1. 495. com. 2.

Ex libro Prouerb.

Prou. 5. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui
tom. 1. 706. B.
Prou. 5. Deriuentur fontes tui foras tom. 1. 705. C.
Prou. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum
tom. 1. 23. C.
Prou. 8. Beatus qui obseruat ad postes ostij mei tom, 1.
850. A.

Ecclesiastes.

Eccles. 10. Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos
ambulantes tom. 1. 766. com. 2.

Cant.

Cant. 1. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es
tom. 1. 346. B.

Sapient.

Sapient. 9. Tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua to.
1. 23. B.

De Ecclesiastico.

Eccle. 21. Qui odit correctionem, vestigium est peccato-
ris tom. 1. 360. com. 1.

Eccle. 24. Ego quasi vitis fructificauit suauitatem odoris
tom. 2. 143. com.

Esaias.

Isai. 1. Neomeniam & sabbatum & alias festiuitates non
feram tom. 1. 446. B.
Isai. 5. Eleuabit signum in nationibus tom. 1. 277. A.
Isa. 6. Vidi dominum sedentem super folium excelsum
tom, 1. 107. D. 1041. com. 2.
Isai. 6. Excœca cor populi huius tom. 1. 819. D. 1034. com.
Isai. 7. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis
tom. 1. 343. C.
Isai. 8. Pro eo quod populus meus abiecit aquas Siloe to.
1. 820. A.
Isai. 9. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon tom.
1. 167. com. 2.
Isai. 9. Factus est principatus super humerum eius tom, 1.
1018. com. & tom. 2. 450. com. 4.
Isai. 9. super folium Dauid, & super regnum eius sede-
bit, vt confirmet & corroboret illud in iudicio & iusti-
tia tom. 2. 241. com. 2.
Isai. 20. Vadenus nudus & discalceatus tom. 1. 133. E.
Isai. 26. Sicut qui concipit, cum appropinquauit ad par-
tum dolens clamat in doloribus suis tom. 2. 270. E.

Isai. 40. Vox clamantis in deserto tom. 1. 93. com. 1.
Ibid. Recipere manu Domini duplicia to. 1. 645. D.
Isai. 43. Dedi in deserto aquas, & flumina in inuio to. 1.
706. A.
Isai. 48. Dominus misit me, & Spiritus eius tom. 2.
196. A.
Isai. 53. Quis credit auditui nostro? & brachium Domi-
ni cui reuelatum est: tom. 2. 206. C.
Isai. 53. Non erat species neque decor tom. 2. ibid.
Isai. 53. De iudicio sublatus est tom. 2. 447. com. 2.
Isai. 54. Lætare sterilis quæ non parturis tom. 1. 876. A.
Isai. 55. Omnes sitientes venite ad aquas tom. 1. 705. co. 1.
Isai. 61. Spiritus Domini super me tom. 1. 160. A. tom. 2.
196. B. & seq.
Isai. 63. Torcular calcavi solus tom. 1. 392. B. & tom. 2.
145. A.
Isai. 64. Quæ præparauit Deus diligentibus se tom. 2.
87. A.
Isai. 65. Inuentus sum à non querentibus me tom, 1.
702. A.
Isai. 65. Benedicetur in Deo Amen tom. 1. 246. B.
Isai. 66. Qui immolat bouem quasi qui interficit virum
tom. 1. 654. CD.

Jeremias.

Jerem. 4. Leuate signum in Syon tom, 1. 277. A.
Jerem. 17. Recedentes à te in terra scribentur tom. 1. 725.
com. 2.
Jerem. 17. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit
Rex & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in
terra tom. 2. 241. com. 1.

Ezechiel.

Ezech. 18. Quid est quod parabolam vertitis in prouer-
bium tom. 1. 852. C.
Ezech. 34. Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetip-
sos tom. 1. 861. B.
Ezech. 34. Suscitabo super ea pastorem vnum tom. 1. 859.
com. 2.
Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam &c. to.
1. 126. A. 2.
Ezech. 37. Assumam filios Israel de medio nationum, ad
quas abierunt tom. 1. 876. com.

Ioel.

Ioel. 2. Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vo-
bis Doctorem iustitiæ tom. 2. 876. com.

Ionas.

Ionæ. 1. Ionas fugit in Tharsim to. 1. 1008. B. C.

Aggeus.

Aggæi. 2. Anno secundo Darij Regis, &c. tom. 1. 227. B.

Zacharias.

Zachar. 9. Ecce Rex tuus venit tibi sedens super asinam,
& super pullum eius tom. 1. 991. D. & tom. 2. 41. B.

Malach.

Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis dicit Domi-
nus, &c. tom. 1. 364. A.

De lib. Machab.

2. Machab. 1. Vt & vos quoque agatis, festum scenope-
giæ tom. 1. 654. C.
2. Machab. 10. Contingit fieri purificationem templi in
modum tabernaculorum tom. 1. 653. F.

Matthæus.

Matth. 1. Iosias genuit Ieconiam tom. 1. 136. BC.
Matth. 1. Vt impleteretur quod dictum est per Prophe-
tam, Ecce Virgo concipiet tom. 1. 1028.

Matth. 2.

F N D E X

Matth. 2. Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? tom. 1. 257. com. 2.
 Matth. 4. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant tom. 1. 242 F.
 Mat. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur tom. 1. 354. A. 600. A
 Mat. 6. Tu autem, cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, &c. tom. 2. 297 A.
 Matth. 9. Ut sciatis quia filius hominis habet potestatem, &c. tom. 1. 242 C.
 Matth. 10. Nolite possidere, &c. neque duas tunicas tom. 2. 4. 9 D.
 Matth. 10. Non estis vos qui loquimini; sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis tom. 1. 260. com. 2.
 Matth. 11. Prophetæ usque ad Ioannem prophetauerunt tom. 1. 117 E.
 Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare tom. 1. 101. com. 108 F.
 Matth. 12. Si in digito Dei eicio dæmonia, peruenit in vos regnum Dei tom. 1. 244 com.
 Matth. 12. Ecce mater tua & fratres tui foris stant querentes te tom. 1. 188. com. 2.
 Matth. 13. Alligate ea in fasciculos ad comburendum tom. 2. 159. com. 3.
 Matth. 16. Tu es Christus filius Dei uiui tom. 1. 175 A.
 Matth. 16. Beatus es Simon Bar Iona tom. 1. 163. com. 2.
 Matth. 17. Quid ergo dicunt Scribæ, Heliam debere primum venire? tom. 1. 18 A.
 Matth. 20. Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo tom. 2. 87. D.
 Matth. 21. Baptismus Ioannis erat è cælo, an ex hominibus? tom. 1. 130 A.
 Matth. 21. Auferetur à vobis regnum tom. 1. 244. com.
 Matth. 22. Ligatis manibus & pedibus eius tom. 2. 139. com. 3.
 Matth. 23. Super cathedram Moyfi sederunt Scribæ & Pharisei tom. 1. 861 C.
 Matth. 24. Orate ne fuga vestra fiat in hyeme vel sabbato tom. 1. 643 E.
 Matth. 25. Possidete paratum vobis regnum to. 2. 87. D.
 Matth. 26. Accipite & comedite; Hoc est corpus meum tom. 1. 623 B.
 Matth. 26. Cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei tom. 2. 84 C.
 Matth. 26. Dico vobis amodo videbitis filium hominis à dextris virtutis Dei tom. 1. 117 A.
 Matth. 28. Vespere autem sabbati, quæ lucefcit in prima sabbati tom. 2. 482. com. & A & seq.

MARCUS.

Mar. 7. Pharisæi nisi crebro lauerint manus non manducant, &c. tom. 1. 201. com. 1.
 Marc. 14. Adolefcens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo &c. tom. 2. 379 C.
 Marc. 14. Summi verò Sacerdotes, & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium tom. 2. 360. B.

LUCAS.

Luc. 1. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi tom. 1. 257. B. C.
 Luc. 2. Peperit filium suum primogenitum tom. 1. 88 C.
 Luc. 3. Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha tom. 2. 357 A. D.
 Luc. 9. Quidam dicebant Ioannes surrexit à mortuis, quidam quia Helias apparuit tom. 1. 118 F.
 Luc. 11. Si non dabit quia amicus est, propter importunitatem surget & dabit &c. tom. 1. 835 A.
 Luc. 13. Dicite vulpi illi sanitates perficio hodie & cras tom. 1. 923. com. 1.
 Luc. 15. Accurrens cecidit super collum eius tom. 1. 451. com. 2.

Luc. 16. Lazarus in sinu Abraham tom. 1. 110. D.
 Luc. 17. Venit Filius hominis saluare facere quod perierat tom. 2. 41. A.
 Luc. 22. Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa tom. 2. 55. com. 1.
 Luc. 22. Ut edatis & bibatis in regno Patris mei tom. 2. 84. C.
 Luc. 24. Nos sperabamus quod ipse redempturus esset Israel tom. 1. 117. C.
 Luc. 24. Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam tom. 2. 313. com.
 Luc. 24. Et cognouerunt eum in fractione panis tom. 1. 602 E.

IOANNES.

Ioan. 1. Ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel veni tom. 1. 152 A.
 Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam tom. 1. 161. B.
 Ioan. 7. Hic est verè ille propheta tom. 1. 111 D.
 Ioan. 11. Scio quia semper me audis tom. 1. 1006 D.
 Ioan. 14. Qui videt me, videt & Patrem meum tom. 1. 107. E.
 Ioan. 14. Apud vos manebit, & in vobis erit tom. 1. 147. D. 346 D.
 Ioan. 16. Princeps mundi iam iudicatus est tom. 1. 1013. A. 2.
 Ioan. 16. Quæcunque audiet loquetur, & de meo accipiet tom. 1. 465. com. 1.
 Ioan. 19. ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati tom. 1. 92. B.

De lib. Actuum.

Acto. 13. Calcea te caligas tuas tom. 1. 134. B. C.
 Acto. 16. Quædam mulier nomine Lydia purpuraria &c. tom. 1. 333. com. 3.
 Acto. 22. Viri Patres & fratres audite tom. 1. 212. A.

Epist. ad Rom.

Rom. 1. Reuelatur iustitia Dei de fide in fidem tom. 1. 54 C.
 Rom. 3. Causati sumus Iudæos & Græcos omnes esse sub peccato tom. 1. 1014 D.
 Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, &c. tom. 1. 344 D.
 Rom. 5. Commendat Deus charitatem suam, quia cum inimici essemus, &c. tom. 1. 283 D.
 Rom. 5. Multo magis gratia Dei in gratia vnius hominis Iesu Christi tom. 1. 98. com. 2.
 Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore tom. 1. 765. com. 1.
 Rom. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? tom. 1. 260. com. 1.
 Rom. 8. Suscitabit corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis tom. 1. 354. com.
 Rom. 8. Non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, &c. tom. 1. 245. C.
 Rom. 8. Gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes tom. 1. 71. B.
 Rom. 9. Non omnes qui ex Israel, ij sunt Israelitæ to. 1. 171. com. 2.
 Rom. 10. Christus ad iustitiam omni credenti tom. 1. 160 C.

Prima ad Corint.

1. Corint. 6. Membra vestra membra sunt Christi tom. 1. 611 A.
 1. Corint. 10. Bibebant de conseqente eos petra tom. 1. 96. com.
 1. Corint. 10. Multi vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus tom. 1. 603. B.
 1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui to. 1. 397. co. 1.
 1. Corint. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis to. 1. 78 F.

Secund.

F N D E X.

Secunda ad Corinth.

2. Corint. 3. Vbi spiritus Domini ibi libertas tom. 1. 259. com. 1.
 2. Corint. 10. Captiuantes intellectum in obsequium Christi tom. 1. 111 A.
 2. Corint. 12. Despondi enim vos vni viro tom. 1. 140. com. 2.
 2. Corint. 11. Sufficit tibi gratia meam; nam virtus in infirmitate perficitur tom. 2. 277 E.
 Ad Galat.
 Galat. 3. Nos redemit de maledicto, factus pro nobis maledictum tom. 2. 278 A.
 Galat. 4. Misit Deus filium suum factum ex muliere, & factum sub lege tom. 1. 274 B.
 Galat. 4. Liberi sumus, qua libertate Christus nos liberauit tom. 1. 70 F.
 Galat. 5. In libertatem vocati estis tom. 1. 71 C.

Ad Ephes.

Ephes. 1. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, &c. tom. 1. 383 com.
 Ephes. 2. Deus qui diues est in misericordia, &c. tom. 1. 317 com.

Ad Philipp.

Philipp. 2. Factus obediens usque ad mortem tom. 1. 882 A.

Ad Colossen.

Coloss. 2. Donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat Chirographum tom. 1. 289. com.
 Ad Thessalon.

2. Thessal. 2. Quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus, & fide veritatis tom. 2. 113. com. 2.

1. Ad Timoth.

1. Timoth. 2. Qui vult omnes homines saluos fieri tom. 1. 383. com.
 1. Tim. ibidem. Doctor gentium in fide & veritate, to. 2. 113. com. 2.
 1. Timoth. 4. Venient quidam prohibentes nubere tom. 1. 183. com.
 2. Tim. 4. Speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium fidelium tom. 1. 383 com.

11. Ad Timoth.

2. Timoth. 2. Nouit Dominus qui sunt eius tom. 1. 868.

com. 2. 869. com. 2.

Ad Titum.

Tit. 2. Nemo te contemnat tom. 2. 153. com.
 Tit. 3. Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei tom. 1. 284 C

Ad Hebræos.

Hebr. 2. Qui sanctificat, & qui sanctificatur ex vno omnibus tom. 1. 273 C.
 Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ, &c. & exauditus est pro sua reuerentia tom. 1. 1006 B.

Epistola Iacobi.

Iacob. 1. Deus enim neminem tentat tom. 1. 531 B.
 Iacob. 1. Qui perspexit in lege perfectæ libertatis, &c. tom. 1. 260. com. 1. 761 com.
 Iacob. 4. Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis tom. 2. 277 F

11. Petri.

2. Pet. 2. Nos firmiorem habemus propheticum sermone-
 nem tom. 1. 92. com.

Ioannis.

1. Ioan. 1. Vita quæ erat apud Patrem & apparuit nobis tom. 1. 14 A. 21 com.
 1. Ioan. 2. Aduocatum habemus apud Patrem Christum Iesum tom. 2. 111. F. 285 A.
 1. Ioan. 2. Fortes estis, & verbum Dei manet in vobis tom. 2. 61. com. 2.
 1. Ioan. 3. Ut filij Dei nominemur & simus tom. 1. 72. C. tom. 2. 348 B.
 1. Ioan. 3. Videbimus eum sicuti est tom. 1. 108 B.
 1. Ioan. 3. Qui peccat ex diabolo est, tom. 1. 784. com. 2.
 1. Ioan. 3. Translati sumus de morte ad vitam tom. 1. 475 A.
 1. Ioan. 4. Qui soluit Christum ex Deo natus non est tom. 1. 162 B.
 1. Ioan. 5. Qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est tom. 1. 72. com.
 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant, in terra, Spiritus, aqua, & sanguis tom. 2. 473. com. 1.
 1. Ioan. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se tom. 1. 315 com. 3.

INDEX

INDEX HAERESVM, QVAE IN HOC VOLV MINE SPARSIM CONFVTATAE REPERIVNTVR.

B.

Baptismum aqua non significatum à Christo verbis illis, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. affirmarunt nonnulli haeretici to. 1. 254. EF. Baptismum receptum, esse omnino ad salutem necessarium, reijcitur tom. 1. 253. A.
Baptizatos infantes rebaptizandos esse cum ad annos discretionis perueniunt, error est Anabaptistarum to 1. 254. A.
Baptismum Ioannis parum virtutis fuisse cum baptismo Christi, error fuit Donatistarum tom. 1. 305. A.
Baptismum Christi alij dixerunt inferiorem fuisse baptismo Ioannis tom. 1. ibid. C.
Beatos non videre Deum in essentia, sed in quodam eius splendore, haeresis fuit quorundam tom. 1. 108. B. C.
Beatos pares esse in gloria, error fuit Iouiniani tom. 2. 83. A.

C.

Christus ab impio Celso ignorantia vel impotentia arguitur tom. 1. 1019. E.
Christum syderibus & fato subiectum fuisse, haeresis fuit Priscilianistarum tom. 1. 200. B. C.
Christum non esse Dei verbum, sed ad quem Dei Verbum factum est, haeresis fuit quorundam to. 1. 81. D.
Christi corpus natura fuisse caelestis, error fuit Valentini tom. 1. 82. A.
Christi carnem apparentem fuisse non veram, error fuit Manichaeorum tom. 1. 81. D.
Christum hominem tantum fuisse & capisse quando à matre genitus est, refutatur tom. 1. 81. B. C. 145. E. 162. B.
In Christo duas fuisse personas, haeresis fuit Nestorij tom. 1. 81. C.
In Christo diuinam naturam humane fuisse permixtã reijcitur tom. 1. 80. D. tom. 2. 314. A.
Christum à Iuda iuste traditum fuisse, Caianorum haeresis fuit tom. 2. 23. A.
Christo corpus non surrexisse clauso sepulchro, reijcitur tom. 2. 494. A.
Christi adhuc viventi latus lancea fuisse perforatum, reijcitur tom. 2. 471. A.
Communionem sub vtraque specie esse de iure diuino, refutatur tom. 1. 599. A. & seq.

D.

Diabolum Patrem habere & auum, error fuit Manichaeorum tom. 1. 779. A.
Diabolum auctorem fuisse rerum visibilium, error fuit eorundem Manichaeorum tom. 1. 101. B.

E.

Ecclēsia, Christum non sufficienter prouidisse per Apostolos, reijcitur tom. 2. 129. 130. A. & seq.
In Eucharistia non esse realem Christi praesentiam, haeresis est recentiorum tom. 1. 146. B. C. & 587. C.
In Eucharistia, etiam post consecrationem remanere panis substantiam, refutatur tom. 1. 615. C.

F.

FIDEM absque operibus ad salutem sufficere, haeresis fuit Eunomij, quam, licet diuerso modo, amplexi sunt Recentiores haeretici tom. 2. 150. F. & seq. 278. D. 544. D.
Filij consubstantialitatem & aternitatem negarunt Arriani, & confutantur tom. 1. 18. C. D. 19. A. 26. B. 36. B. 87. 88. 109. D. E. 145. F. 311. 312. C. 313. 314. A. B. 613. A. tom. 2. 122. B. C. 145. C. 309. C. 335. A. Vide etiam Verbum Dei.

I.

Infantēs, cum primū nati sunt, vsum habere rationis, reijcitur tom. 1. 60. D. E.
Infantes decedentes sine baptismo saluari, error fuit Pelagianorum tom. 2. 84. B.
Ioannem baptistam, non hominem sed Angelum fuisse error fuit Origenis tom. 1. 47. C. D. 48. A. B.
Ioannis historiam de probatica piscina non recipiunt Anabaptista tom. 1. 423. A.
Ioannis historiam de muliere adultera, ab eisdem reijcitur tom. 1. 721. C. D.

L.

Legis praecepta non obligare Iustum, postquam ad statum perfectionis peruenit, haeresis fuit Begardorum, & Beguinarum tom. 2. 152. A.
Liberum hominis arbitrium negarunt Manichaei to. 1. 575. A.
Liberum hominis arbitrium, omnia bona proprijs viribus praestare posse, Pelagianorum haeresis fuit tom. 2. 157. A.

M.

Maria maternitatem, Manichaei & alij impij negarunt tom. 1. 195. C. D.
Maria virginitatem impijissimi quidam haeretici negarunt tom. 1. 195. A.

N.

Nuptias secundas damnat Tertullianus, & reijcitur tom. 1. 359. C.

Pontifi-

F N D E X

P.

Pontificis Summi potestatem negant haeretici recentiores tom. 2. 568. A.
Potestatem remittendi peccata non habent Sacerdotes, sed predicandi Euangelium per quod remittuntur, haeresis est recentiorum, & reijcitur tom. 2. 527. 528. D. E. & seq.
Potestatem remittendi peccata, Sacerdotes non habent, sed declarandi esse remissa, reijcitur tom. 2. 529. C.
Potestatem non habent remittendi culpas, sed tantum penas, reijcitur tom. 2. 530. A.
Prophetas antiquos non admittunt Manichaei tom. 1. 855. A.

R.

Regnum Dei aliud esse à vita aeterna dixere Pelagiani, & confutantur tom. 1. 253. C.
Resurrectionem corporum negarunt Marcion & Basilides tom. 1. 934. B.
In Resurrectione non carnea sed spiritualia corpora assumenda esse, falsè asseruit Eutyches to. 1. ibid. E.
Ritus & Ceremonias Ecclesia damnantes confutantur tom. 1. 367. A.

S.

Spiritus Sancti diuinitatem Macedonus negauit, & reijcitur to. 1. 25. A. & to. 2. 201. C. 250. C. & seq.
Spiritus sanctum à solo Patre, & non à filio procedere, error est Graecorum, & confutatur tom. 2. 199. A. 257. 258. A. B.
Spiritus Sanctum, pro temporum diuinitate reuelasse contraria ijs qua Apostoli docuerunt, error fuit Tertulliani, & reijcitur tom. 2. 249. A.

Spiritus Sanctum non fuisse verè datum à Christo dicente, Accipite Spiritum sanctum, error fuit cuiusdam Theodori, & refutatur tom. 2. 526. A.
Gnostici haeretici nonnullas comminiscuntur fabulas circa verba illa Spiritus docebit vos omnem veritatem to. 2. 249. C.

T.

Templorum vsum impij damnarunt Massiliani to. 1. 370. B.
Testamentum nouum veteri esse contrarium, error fuit Manichaeorum, & reijcitur tom. 1. 105. A. B.
Trinitatem Diuinarum personarū negat Sabellius to. 1. 20. C. & negauit Praxeas 105. E. & tom. 2. 99. A.

V.

Verbum Dei negarunt haeretici Alogiani to. 1. 17. A.
Verbi Diuini consubstantialitatem & aternitatem negarunt Arriani, vide filium Dei.
Verbum Dei aliud esse à filio Dei dixit Eunomius, & confutatur to. 1. 13. A. 77. B. C. 797. A.
Verbum Dei mundum fecisse, negarunt Manichaei to. 1. 31. C. & 36. D.
Verbum Dei solum fecisse visibilia, asseruit Heracleōta, & reijcitur tom. 1. 25. D.
Verbum Dei carnem sumpsisse non animam, error fuit Arrij tom. 1. 78. B.
Verbum Dei sumpsisse animam sensitiuam, non tamen rationalem, error fuit Apollinaris tom. 1. ibid. C.
Verbum quod angelus ad Mariã loquutus est, dixerunt nonnulli fuisse incarnatum tom. 1. 77. A.
Vinum bibere vt illicitum prohibebant Seuerus & Tertullianus haeretici, sed confutantur tom. 1. 210. C.

Finis indicis heresum, quæ præcipuè in hoc
voluntine sunt confutatae.

